Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
G
30
NAPOLI

XLIX
G
30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

SPECVLVM
CARMELITANUM.

TOMVS II.
PARS. IV.

Digitized by Google


SPECVLVM
CARMELITANVM
Authore R.A.P.F. Daniele
à Virgine MARIA Ord
Carmelit. Exprouinci
ali et historio-grapho
ANTVERPIÆ
A° MDCLXXX
MR

SPECULUM CARMELITANVM

SIVE

HISTORIA ELIANI ORDINIS FRATRUM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO,

IN QUA

S. PATRIS ELIÆ VITA,
ELIANORVM ACTA SANCTORVM,
CATALOGUS ANTISTITUM, ILLUSTRIUM SERIES VIRORVM,
QVA DOCTRINA, QVA PIETATE SPECTATORVM
PIE, FIDEQVE
REPRÆSENTANTVR:

Ac circa Feſtum Solennis Commemorationis Novelli cujuſdam hallucinationes diſpelluntur.

TOMVS II.

PER R. ADM. PATREM
F. DANIELEM A VIRGINE MARIA
Carmeli Flandro-Belgici Ex-provincialem
& Hiſtoriographum.

ANTVERPIÆ,
Typis MICHAELIS KNOBBARI, ſub ſigno S. Petri Anno MDCLXXX
Cum Gratia & Privilegio.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. JOANNI
FERDINANDO
VAN BEUGHEM
ANTVERPIENSIVM
EPISCOPO.

ADiturus olim Conſtantinum Magnum magnus ille Themiſtius, aliquoque eum demeriturus munuſculo, nil majeſtate tantâ dignius, nil profeſſioni ſuæ convenientius judicavit, quàm plexam de omnigenis Sapientiæ *Floribus* corollam offerre. Plexuit, obtulit, dedicavit. Acceptum Conſtantinus habuit, omnibusq; aureis & gemmeis donariis antetulit. Venimus & nos; ILLUSTRISSIME DOMINE, ſacrasque tuas veneraturi Inſulas, ſertum ad pulchritudinem *Floridius*, ad venuſtatem gratius, ad diuturnitatem perennius conſecramus, coronam Sanctorum. Adidque magni & Sancti illius Epiſcopi, Cyrilli noſtri Alexandrini, ad Theodoſium Imperatorem lubenter uſurpamus & in Te deflectimus verba. *Igitur*, ô Princeps Maxime, *dum vobis alii exhibent victorias, coronas, gratu-*

latoriasq́; voces, & alia, quibus Principis potentia verè honoratur; noſtri, qui divino fungimur Sacerdotio, muneris fuerit, offerre libros, ad divinam potiſsimùm gloriam, & Dei Genitricis MARIÆ laudem ac honorem compoſitos. Librum ferimus, & totum uno in Libro offerimus CARMELI FLORARIUM. Et cui aptiùs *Florarium*, quàm cui Gentilitium non tam eſt *Floridum* Scutum, quàm verum animus VIRTVTIS CONSTANTIÆQVE *Florarium?* Cui meliùs *Florarium*, quàm, qui *Flores* oſtentas & exhibes, *Flos* ipſe, *Candidus & rubicundus, electus ex millibus? Flos*, imò fructus; nam FLORES *tui, fructus honoris & honeſtatis. Florere*, VIRTVTIS eſt; fructum eſſe, CONSTANTIÆ. Si ad Adoleſcentiæ reſpiciam ſpinas, *Flos* extitiſti: Si Philoſophicos videam inter ſentes, *Flos*: Si legum inter juriumq́ue aſpreta, *Flos*,

Flos *illibatus populi, ſuadaque medulla.*

Dum ad Divæ Gudulæ inter Canonicos es allectus, *Flos* continuò emicuiſti, ad Decani munus ſublimatus, ſuper omnes *Flos*. Qualis *Flos*! Si nullo valet ars penicillo nativam aſſequi elegantiam *Florum*; rudi meo ignoſce calamo, ſi valeat minùs tuarum *Colores* adumbrare virtutum. Quis erectæ adeò directæq́ue non ſuſpiciebat *Tulipas* intentionis? Quis non ſeſe dimittentis *Violas* mirabatur humanitatis? Quis non *Hyacinthos* ſtupebat ingenii, *Heliotropia* CONSTANTIÆ, *Lilia* puritatis? Sed una ſuper omnes, amor tibi, ſtupor aliis, CANDIDA erat ROSA, intaminatæ indicium innocentiæ, non taminandæ ſymbolum integritatis. *CHRISTI bonus* ODOR *eras in omni loco. Odor*, quò afflatus potentiſſimus Hiſpaniarum Rex noſter ad Epiſcopalem Ant-

• *Ill.mi Gentilitium Scutum* Albas *habet* Roſas : *Symbolum eſt*, Virtute & Conſtantia.

verpien-

verpienſem elegit Cathedram: *Odor*, quô perfuſus Sanctiſſimus Innocentius Papa undecimus, ſuâ continuò benedictione firmavit. Tuos prædicent alii Majores; ego Te. Dicant alii, Tuæ Fratrem Aviæ *Lævinum Torrentium* (qualem virum!) hac te in Cathedra præiviſſe Epiſcopũ; ego Tuâ Te ſuſpicio VIRTVTE evectum. Non intruſus alienis es; VIRTVTE meruiſti & CONSTANTIA, *Vocatus à Deo tamquàm Aaron.* Bene tamquam Aaron; qui velut *Flos*, imò quia *Flos* erat, vocatus per *Florem* eſt. Tot vide & conſidera adſpirantium virgas, unam videbis *Floruiſſe* Aaronis. *Ecce*, Textus ait Hebraicus, *Virga germen protulit*, FLORVIT FLOREM, *& reddidit amygdalas.* Poſitas aliorum ſeu nobilitatis titulo, ſeu amicorum numero, ſeu ſcientiarum faſtu *Virgas* tranſeo; Tuam, id eſt, Te conſidero. Vt in ſortem Te dediſti Domini, *Virga* fuiſti; innodis, recta, flecti neſcia. Nobile protuliſti Virga germen VIRTVTIS ET CONSTANTIÆ: FLORES *Floruiſti*, *Amygdalas reddidiſti.* Virgam ſimul eſſe & germen, cumque *Floribus* maturos dare unà *fructus*, prodigium Aaroni fuit & miraculum: Tuæ Tibi opus VIRTVTIS. Vocatus ergò tamquam Aaron es, ut præſis ac proſis populo Dei: ut germina germines pietatis; ut *Flores* educas Sanctitatis; ut *fructus* matures beatitatis. Ecce inclytum hoc in libro Tibi germen, ſub Sacerdotii Aaronici ortum tempore, ipſo ab ortu *Floribus* ſimul *fructibusq;* conſpicuum. Germen, ab *ELIA* plantatum, ab *Eliſeo* rigatum, à Ioanne provectum, à Salvatore perfectum. Germen, nullo umquam tempore Sanctitatis carens *Floribus*, nullo *fructi-*

bus.

bus. Ortum vides? Ortus eſt Sanctitatis. Primum germen? Sanctitatis. Termites? Sanctitatis. Sic prima data ſcripto Regula, æquè ac ſecunda, *fructus* eſt Sanctitatis: ſic hujus illiusque Dator *Flores* fuêre Sanctitatis. Abi, livor, tuos abi ad *Coptos*: Non Anubis hîc, Oſiris aut Iſis eſt, non culta *Coptis* Apis aut Serapis; ſed veræ germina Sanctitatis. Pater Ordinis, Monachorum & Religioſorum Pater omnium, *ELIAS* tantæ effulſit effulgetque Sanctitatis, ut ipſe admirabundus exclamet Spiritus ſanctus: *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?* Tantæ, ut ſolo pauperis ſui attactu pallii *Eliſeum* Monachum fecerit & Diſcipulum. Tantæ, ut ejuſdem igneo à curru dono, duplicis hæredem fecerit Spiritus, ſuumque Monaſtico in Inſtituto Succeſſorem. Tantæ, ut, quô *inter Natos mulierum non ſurrexit major, in ſpiritu* ejus *& virtute venerit* Ioannes Baptiſta. Tantæ, ut igneo ablatus curru, in Paradiſo adhuc vivat, victurus ad finem uſque Mundi, bellaturus contra Antichriſtum bellum Domini, deque eo glorioſum reportaturus triumphum. Tantæ, ut Divinitatis ſuæ daturus in Thaboris vertice ſpecimen Dominus, eum in majeſtate ſpeculatorem aſſumpſerit & teſtem. Ab hoc fonte Religioſæ fluxit Sanctitas vitæ: ab hoc Patre antiqua eſt Eccleſiæ hæreditas, vita Monaſtica, Sanctorum olim Seminarium Epiſcoporum. Nequiit ſuam Philippus Ierapolitanus admirationem occulere, ſed, veritate cogente, hoc lubens Ordini canit encomium. O CARMELITARVM *Religio! Quàm magnificata es in domo Domini! Nunquid olim à modico & tenui fonte Propheta Dei ELIÆ principium habuiſti? Et*

ecce

ecce nunc in magnum fluvium crevisti. Tu olim plantata in Eremo, nunc facta es Civitas magna in Populo. Tu autem habes Fundatorem in Paradiſo adhuc viventem: & glorioſam Virginem MARIAM in Patronam ſingularem. Sicut olim à te proceſſerunt Patriarchæ & Prophetæ, ſic nunc procedunt à te Sacerdotes & Levitæ. Proceſsêre, à Sancto proceſsêre germine innumeri miræ *Flores* Sanctitatis. Quis numerum ineat? Non, qui colligens diſpergit. Audiit tamen, audire ſi voluit, Trithemium: *Si quis Stellas Cæli dinumeret, & hujus Ordinis Sanctos numerare poterit.* Sic eſt, innumeris *floruêre* Deo virtutibus, quot Sanctitatis hic damus & dicamus ornatos *Floribus*. O quot, quibuſve *Floribus*! Ingredere, ILLUSTRISSIME, *Carmeli* ingredere *Florarium*; nullius non afficiet, trahet, rapietque *Odor* virtutis. Vel ſolam Sanctorum ſi modò areolam luſtres Epiſcoporum, quæ non occurrét *Florum* varietas? Quæ *Colorum*, virtutum inquam, non obviabit diverſitas? Quæ non afficiet *Fragrantia* meritorum? Hic Te Cyrilli contra Neſtorium pugna tenebit & victoria: Petri Thomæ illic infracta contra Turcas Conſtantia: Andreæ Corſini ibi profunda morabitur humilitas, MARIÆQVE in eo gloriantis defigent ſtupore deliciæ. Quem verò non excitet Gerardus Marianas thus adolens ad aras? Quem non moveat paſcentis oves Spiridionis ſimplicitas? Quem non ſuffundat percutienti, maxillam offerentis alteram, patientia? Talia hic invenies Epiſcoporum germina, ejuſmodi *Floribus* gravida. Teleſphorum invenies Epiſcoporum Epiſcopum, fuſo purpuratum ſanguine, triplici, ob trium Miſſarum in Natali Domini Inſti-

tutionem, *Florum* coronâ redimitum. Pontificem invenies Dionyſium, *Floreo* doctrinæ ſuæ Antidoto hæreſeon exſtinctorem. Quàm Patris *ELIÆ* vita virtutum eſt omnium Speculum! Tranſeo tamen, ne, præteritam alii, S. Angeli Vitam prætercam. Quæ in ea *Florum* varietas? Quæ *Colorum* in *Floribus* diverſitas? Quæ *Odoris* ſpirat ſuavitas? Sentio? O quàm Angelicæ virtutis *Lilium* emicat Caſtitatis! Glorioſi pro Caſtitate quàm purpurat *Roſa* martyrii! Quàm *Narciſſi* rident humilitatis! Quàm ſpirat varia doctrinæ *Viola!* Tot ſimul in una ſunt Angeli Vita *Flores*, ut colligendis non homine, ſed opus Angelo videatur. Ejuſmodi, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, hoc in FLORARIO *Flores* ſunt, Tibique, vero eorum *Alcinoo*, veniunt conſecrati. Vidit illos, oculisque ut corporis, ita mentis, conſideravit, Horti tui peritus Olitor, Prædeceſſor tuus AVBERTVS. Quàm delectatus in ſingulis! Quàm hæſit in univerſis! Vidit, ſtupuit, laudavit, *Odoremq́;* ſanxit eſſe Sanctitatis. Tantùm? Et aggratulatus eſt nondum edito, applauſitque. Amplius etiam. Et oblatum, Suoque dicandum Nomini, ambabus, quod dicitur, ulnis amplexus, gratantiſſimè acceptavit, lætantiſſimè teſtatus, gravatum annis ſenium ſuum talium *Odore* FLORVM recreatum iri & allevatum. Viſus cum Iſaaco dicere: *Ecce odor Filiorum ELIÆ ſicut odor Agri pleni, cui benedixit Dominus.* Verè plenus ager *Floribus*, plenus *Odoribus*, plenus *Benedictionibus* CARMELVS! Veniat liber: Annuo, admitto, accepto. Talibus cingi opto *Floribus*, talibus refici *Odoribus*, talibus repleri *Benedictionibus*. Adeò reperit in eo nihil

fœtidum,

fœtidum, nihil mucidum, putidúmve. Teſtis horum, fallere neſcius V. P. Daniel fuit, ac R. P. Leo à S. Laurentio Carmeli hujus hodieque Prior, teſtis vivit. Ad alios Illô *Flores* ablatô, Tua Te virtus extulit ſucceſſorem, ac ſimul horti ejusque fructuum, ſimul *Florum*, diu oblatorum & acceptatorum, fecit hæredem. Tui jam igitur, ad Tuorum veniunt *Odorem* FLORVM, illô ut adjuti omnium contra Ariſtarchorum nauſeam muniantur. Satis unum nomen BEVGEMII, ſecuri ut ſint: ſatis contra omnem erunt armati livorem, dum uni noſcentur placuiſſe FERDINANDO. Tu ſi colligis, non poterunt ab alio Colligente diſpergi. Suſcipe illos, PRÆSVL DIGNISSIME, non ut dignum magnitudine Tua donum; aliquod tamen Carmelitanæ erga Te obſervantiæ, gratulationis, cultusque æternùm debiti monumentum.

Ita teſtatur

Illuſtriſsimæ ac Reverendiſsimæ Dominationis V.

Æternùm devotus

Carmelus Flandro-*Belgicus*.

FACVLTAS

Reverendiſſimi P. Hieronymi Ari *Prioris Generalis data anno* 1663.

Nos Fr. HIERONYMUS ARI *Aſtenſis Magiſter, ac humilis Prior Generalis, Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum* Beatiſſimæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo.

AVctoritate noſtra, & præſentium tenore, ut liber, cui titulus eſt *Speculum Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ *de monte Carmelo*, *exhibens antiqua monumenta & Vetuſtiorum Scriptorum libros, Tractatus, Apologias, de ejuſdem Ordinis Prophetica inſtitutione hæreditaria ſucceſſione, & Mariana protectione: nec-non Acta Sanctorum, & Catalogum virorum eruditione Illuſtrium, operâ, ac ſtudio R.A.P.* DANIELIS A VIRGINE MARIA, *Prioris Provincialis Provinciæ Flandro-Belgicæ ejuſdem Ordinis*, à Rev. Adm. P. Leone à S. Joanne, noſtro Aſſiſtente Generali probatus, typis mandari poſſit, licentiam concedimus, dummodò à Rev. Adm. P. Franciſco Bonæ Spei Exprovinciali dictæ noſtræ Provinciæ pariter probetur, & ſerventur alia ſervanda. Horum fide datum Valencenis 15. Julii 1663. Subſcriptum erat:

Fr. HIERONYMUS ARI *Generalis Carmelitarum.*

& infrà:

Fr. SEBASTIANUS FANTONUS CASTRUTIUS *Provincialis Hiberniæ, & Secretarius Ordinis.*

Locus ✠ ſigilli.

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis.

PRIMA.

EGo infra-ſcriptus teſtificor, me ex commiſſione Reverendiſſ. P. N. Generalis HIERONYMI ARI, recognoviſſe vetuſta ſacri Ordinis noſtri monumenta, ſub titulo *Speculum Fratrum B. V.* MARIÆ *de monte Carmelo &c.* quod ſtudio & operâ non parum laudandâ R. A. P. DANIELIS, Flandro-Belgicæ Provinciæ noſtri Ordinis iterum Provincialis, in novam redit lucem, cujus quidem collectionis utilitas in hoc potiſſimùm ſita eſt, ut qui ex noſtris, vel exteris interrogant de diebus antiquis, & noſtræ Carmeliticæ hiſtoriæ, tùm vetuſtate, tùm veritate, habeant in promptu, quod verè, ſincerè, eruditè, & candidè reſpondeant, etiam in progenie altera. Horum fide datum in Carmelo noſtro Bruxellenſi die 1. Septembris an 1663 Subſcriptum erat:

Fr. LEO *Primus Aſſiſtens Generalis Ordinis Carmelitarum.*

APPROBATIO
SECVNDA.

EX commiſsione ſpeciali Reverendiſsimi P. HIERONYMI ARI, Generalis totius noſtri Carmelitarum Ordinis, accuratè evolvi librum, cui titulus: *Speculum Prophetici Ordinis B.V.* MARIÆ *de monte Carmelo*, auctore R. A. P. DANIELE A VIRGINE MARIA, Provinciæ noſtræ Flandro-Belgicæ iteratò Provinciali, ac ejuſdem Ordinis Hiſtoriographo, antiquo-novum & benè terſum, in quo videre eſt ita clarè, & diſtinctè Eliani Inſtituti in Lege antiqua enaſcentis, & in nova adoleſcentis, antiquiſsimam faciem, ſuis veterum, ac recentiorum quorumdam domeſticorum ac forenſium Scriptorum ad vivum deductam lineamentis, ut facile ſit cuivis illius ſpeculatori, fucatas & fictas nonnullorum aliorum conſpicere delineationes, quas ut quiſque non minùs utiliter, quàm commodè conſpiciat, & à veris diſcernat, illud prælo digniſſimum judicavi. Bruxellis 23. Januarii, Anno 1666. Subſcriptum erat :

Fr. FRANCISCUS BONÆ SPEI, *ejuſdem Provinciæ Exprovincialis & Lovanii iterùm Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

Alias Approbationes Theologorum Ordinis reperiet Lector præ-inſertas Tomo primo.

FACVLTAS
Rev. Admodum P. Provincialis.

F. MICHAEL A S. AUGUSTINO, *humilis Prior Provincialis Fratrum Ordinis* Beatiſſimæ V. MARIÆ de monte Carmelo *Provinciæ Flandro-Belgicæ.*

AVctoritate, qua fungimur, tenore præſentium facultatem concedimus, ut liber, cui titulus SPECULUM HISTORIALE *Ordinis Beatiſsimæ V.* MARIÆ *de monte Carmelo* &c. concinnatus & elucubratus operâ & ſtudio R. Admodum P. DANIELIS A VIRG. MARIA, Exprovincialis & Hiſtoriographi ejuſdem Ordinis, in lucem edatur, dummodò à duobus è noſtris S. Theol. Profeſſoribus examinatus & Approbatus fuerit, aliorumque ad quos ſpectat conſenſus, acceſſerit. Datum in Carmelo noſtro Gandavenſi die 23. Novemb. 1679.

F. MICHAEL A S. AUGUSTINO
Provincialis Carm.

APPROBATIO

Cenſoris Ordinarii

ANTVERPIENSIS.

INfraſcriptus perlegi Librum, cui titulus Speculum Ordinis *Beatiſſimæ* V. Mariæ *de monte Carmelo*, Auctore R. P. F. Daniele a Virg. Maria ejuſdem Ordinis Exprovinciali in Provincia Flandro-Belgica. Item alterum librum cui titulus, Speculum Religiosi Monastici Status, &c. Ejuſdem Auctoris à Superioribus ejuſdem Ordinis examinatos & approbatos, in quibus nihil reperi quod Fidei Orthodoxæ aut bonis moribus adverſetur, ſed multa pia, erudita, ac præclara doctiſſimè pertractata, quare eoſdem typis dignos ac evulgandos cenſeo. Datum Antverpiæ die 6. Decemb. 1672.

AVBERTVS VANDEN EEDE,
I. V. Licentiatus Protonotarius Apoſtolicus,
Canonicus & Archidiaconus,
Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII

REGIS CATHOLICI.

CArolus Dei Gratia Hiſpaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Speculum *Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Virginis* Mariæ *de monte Carmelo* &c. Auctore R. P. *Daniele à Virgine* Maria ejuſdem Ordinis Provinciæ Flandro-Belgicæ Ex-provinciali editum, præter voluntatem *Michaelis Knobbari*, proximis decem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has noſtræ Germaniæ Inferioris Ditiones importet, venaléve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione librorum & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIV Decembris MDCLXXII.

Signat

LOYENS.

LECTOR

Scire tuâ intereſt, ne quid in vaſti hujus operis decurſu remoretur & malè interpretandi detur occaſio, verbo dictum, adverte. Nec potuit hîc SPECULUM *noſtrum ita ſine maculis imprimi, quin irrepſerint hinc inde Typothetarum errores; quos tamen, ut facile erit colligere ex contextu, ſic & corrigere. Paucula modò occurrunt locis infrà ſignatis Tomo II.*

ADDENDA ET EMENDANDA.

PAg. 268. tit. XIII FEBRUARII lege XI FEBRUARII.

Pag. 937. poſt n. 3287. debito Ordine ponitur inter Antiſtites JOANNES MICHAEL DE CURTIS Epiſcopus Sirenſis in partibus infidelium. Vide n. 3393.

Pag 948 poſt n. 3334. pro comperto ſequitur hîc PETRUS DE CABANÇA Hiſpanus, Epiſcopus in Peruvia. Vide n. 3393.

Pag. 952. ante n. 3349. Fr. SALVATOR SCAGLIONE Italo-Theanenſis (ex *Theano*, vulgô *Tiano*, Regni Neapolitani Urbe) nobilibus parentibus *Hieronymo Scaglione & Gavinia Albertina* natus anno 1623. Sacrum Baptiſmum die Februarii 24. in patria ſuſcepit. Juvenculus ad Religionis clauſtra venit, poſitoque tyrocinio apud majus Neapolis Cœnobium, in legitima ætate conſtitutus, ibi vota dixit XXVIII. Maji, currente anno 1639. Poſtmodùm verò regimen illius ædis non ſemel ab eo tentum, cum Priore, tum etiam Commiſſario Generali uſque ad Inſulam. Rursùs præfectura ſtudiorum ipſi commiſſa fuit, diuque poſſeſſa, accepto interim S.T. Magiſterio. Inſuper peractis ibidem Comitiis Neapolitanæ Provinciæ 3. die Maji 1670. ad Provincialis munus, plenis Suffragiis aſſumptus, illud geſſit per triennium. Adhæc, biennio elapſo, per litteras patentes, ſignatas an 1672. prima die Junii, Conſultor S. Officii Inquiſitionis, per univerſam Neapolitanam ditionem inſtituitur. Cæterùm domeſticis ac publicis curis, quantùm licuit, intentum SCAGLIONUM noſtrum, pene totum rapuerunt ſtudia, exercitia Concionatoria, inſignem pariter & dulcem Oratorem formarunt, addito non vulgari condimento ex procera, planéque virili ſtatura. Auditus itaque cum plauſu Capuæ, Panormi, Bononiæ, Meſſanæ, frequenter Neapoli, patrio idiomate verba è ſuggeſto faciens, etiam Hiſpanicè in Regio Neapolis ſacello, iterum atque iterum oravit: Commiſſis modò prælo ſacris concionibus Hiſpanorum linguâ, pluribus aliis vernâculè dudum emiſſis. Ab ipſo quoque Hiſpaniarum Rege Catholico deſtinatus Antiſtes, Romæ præſens eligitur Epiſcopus Stabienſis (*Stabiæ* urbs antiquiſſima, hodie Caſtrum-ad-mare, vulgò *Caſtell a mare* nuncupatur) ſub Metropoli Surrentina, non longè à patria, die ſexta Iunii 1678. Neapolim paulo poſt reverſus, conſecrationem ſuſcepit Dominica die XXVI. ejuſdem in templo maximo Carmelitano, de manibus Eminentiſſimi Cardin: Inici Caracciuli Archiepiſc. Neapolitani, Aſſiſtentibus DD. Dominico Cenino, Gravinenſi, & Hieronymo Rocca, Iſclano, Epiſcopis: præſente, cum frequenti Nobilium corona, Veleziorum Marchione, Neapolitanorum Prorege. Inde poſſeſſione Sedis initâ, quinta Julii, die ſequenti ſexta Caſtrum-ad-mare ſolenniter ingreſſus eſt, ubi & hodie ſedet. *Hæc ex fideli relatione R. Adm. P. Ludovici Perez, de quo hîc ſuprà n.* 3150. *facta eſt mentio, cujus deſiderio juſto in litteris ad nos datis Româ* 4. *Novemb.* 1679. *expreſſo, hîc ſatis factum voluimus.*

Pag. 965. n. 3293. lin. 34. *Ioannes* * *Bro* Epiſcopus Ceſtrenſis expungatur, relegandus ad claſſes Hæreticorum, à fide & Religione factus Apoſtata ſub Henrico VIII. Angliæ Rege. * al. Biri.

Pag. 976. n. 3425. Ferdinandus V. Hiſpaniæ Rex (cognomento *Catholicus*, Avus Caroli V. Imperatoris, nepos ille fuit Alphonſi Arragoniæ & Neapol. Regis (cui à Carm. Neapolitano factam eſſe prædictionem hîc ſcribitur) Filius verò Joannis etiam Arragon. & Navarræ Regis, Patris Germani præfati Alphonſi... Nec B. Ferdinandus, nuper cultu Eccleſiaſtico donatus, eſt iſte Catholicus numero V. ſed ejus Atavus III in Ordine Regum.

Pag. 978. n. 3434. lin. 1. Dominicus à JESU, adde MARIA.

Pag. 996. n. 3484. lin. *S. Franciſcus* lege *F. Franciſcus.*

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS.

Juxtà Decreta felic. record. Vrbani VIII.

CUm felicis recordationis Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniverſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrii famâ celebres è vita migrârunt, geſta, & miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquàm eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenùs ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5 Junii 1631. ſic declaravit, ut nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides ſit tantùm penes auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, obſervantiâ, & reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid hoc Tomo refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quô ea ſolent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodò exceptis, quos eadem Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit. Et cùm interdum titulus *Sancti*, aut *Beati*, aliquibus Dei ſervis in hoc Tomo attributus ſit, qui nondùm ſolemni ritu Beatificati, aut Canonizati ſunt, aut pro talibus in Eccleſia recepti, id phraſi communi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, vel longæ conſuetudini indulgendum duxi, aut illuſtrium quorundam Scriptorum auctoritatem ſecutus fui: in quibus interim nullatenùs intendo alicui cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes arrogare, vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut Martyrii inducere, ſeu augere, nec quicquam ejus exiſtimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquandò ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſeclusâ hac meâ lucubratione, obtinent. Sic ſanctè profiteor, & proteſtor.

PRÆFA-

PRÆFATIO GENERALIS
IN TOMVM SECVNDVM
SPECVLI CARMELITANI.

IN Operis hujus veſtibulo tantiſper ſubſiſtere digneris, Lector benevole, ut in brevi quaſi tabella rationem & ordinem dicendorum contempleris. Primum & primarium Tomi hujus ſubjectum ſunt vitæ, & acta Sanctorum Ordinis hujus. *Verè mundum quis dubitet meritis ſtare Sanctorum?* Ita Ruffinus Aquilienſis *a* (mundum enim ſtare meritis Sanctorum, peculiariter Virginis potentis Dei Matris MARIÆ, non paucis poteſt confirmari exemplis.) Hæc una, inter præcipuas, ratio eſt, cur utiliſſimè Vitæ Sanctorum ſcribantur, & legantur, ut indè eorum innoteſcant merita apud Deum, & interceſſionis efficacia, ut bona Mundo, & hominibus eos colentibus impetrent à Deo, aut mala depellant: & hinc promptiùs ad eos in neceſſitatibus recurramus. Addit Ruffinus: *Patrum denique, ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, id eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſi, & ELIÆ, & Ioannis ideò deſcripta eſt fides, & converſatio, non tantùm ut illos glorificaremus, quos certè Deus glorificaverat, & in Regno ſuo glorioſos habebat; ſed ut legentibus poſteris conferrent veritatis doctrinam, & exempla ſalutis.* Iſtis concinit mellifluus Bernardus (b) *Semper quidem operæ pretium fuit illuſtres ſanctorum deſcribere vitas, ut ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodò apud nos etiam poſt mortem vivunt, multoſque ex his, qui viventes mortui ſunt, ad veram provocant & revocant vitam.* Et alibi: *Armantur filiorum animi, dum Patrum recenſentur triumphi* (c). Et iſtud alterum motivum eſt, quod peculiariter ad hunc laborem ſuſcipiendum excitavit (ſed de utilitate ſcriptionis & lectionis hiſtoriarum ſanctoralium, plura hîc paulò poſt in ſpeciali Præfatione ad Partem IV.) excitavit, inquam: ſed aliunde deterruit, & retraxit conſiderata ſubjecti hujus ſublimitas & amplitudo. Sublimitas quidem, ob heroica, multiplicia geſta virtuoſa, & indè præcelſa beatarum mentium, de quibus hîc agendum, merita, & menſuram plenam, coagitatam, ſuperfluentem, gloriæ, quâ perfruuntur in cœlis, atque interceſſionis eorum, pro nobis in terra adhuc verſantibus, efficaciam. Iſta enim de Sanctis declaranda ſunt. Amplitudinem autem perpendere licet ex iſtis Abbatis Trithemii verbis (d): *Quàm uberes fructus, quamque ſuaves in Eccleſia Dei odores ager iſte Carmelitici Ordinis protulerit, neminem ignorare credimus, qui veterum hiſtorias legit. Nam, ut de his interim ſileamus, qui in monte Carmelo ſub lege claruerunt, tot ſancti Fratres ſub gratia in Ordine iſto fuerunt, ut penitùs numerari nequeant.* Id ibidem cumulatiùs confirmat. Conformiter ſcribunt alii plures, quorum aliqui referentur in ſequentibus: & hoc ipſum ſtabilietur quoque in XII. fundamentis locandis hîc infrà (e) peculiariter verò fundamento VI. (f)

(a) In prologo de vitis Patrum.

b. in Prologo ad vitam S. Malachiæ.

c. Serm. 54. in Cant. p. 95.

d. lib. de ortu & progr. ordin. Carm cap. 11.

e. n. 275. & ſeq.

f. n. 308.

Hinc igitur utilitas multiplex ex ſcriptione, & lectione librorum de Sanctis proveniens animum pridem alliciebat; iſthinc verò ingenii tenuitas, & virium imbecillitas longè impar tantæ præſtantiæ, & multitudini rei tractandæ deterrebat, donec jacentem quodammodò erexerunt, bina adminicula menti injecta: ea ſunt imprimìs Sanctorum, Beatorum, & piorum, de quibus agendum eſt, ſperata ſuffragia pro impetrando lumine, & gratiâ præveniente, adjuvante, ac proſequente in hujus operis progreſſu. Alterum verò determina-

ta, certa, & fixa ratio, ac conveniens ordo procedendi. In omni enim negotio, & ſcriptione duo illa plurimùm conferunt.

Ut autem ordinatè, & congruè procedamus, viſum fuit ſubjectum hoc ad tres revocare claſſes, & in ſingulis methodicè progredi. Ad primam claſſem referendi meritò iſti, qui per totum Carmeli Ordinem, tamquam ejus alumni, ſub ritu duplicis officii, Apoſtolicæ Sedis auctoritate coluntur: de iſtis agetur ordine menſium ac dierum, quibus feſta eorum celebrantur: conſultò tamen omnibus præmittitur vita S. P. N. Eliæ, ob rationem indicandam hîc infrà. Iſtis ſociantur, qui ab inſtauratione Ordinis facta, poſt recuperatam Jeroſolymam & Terram ſanctam per Godefridum Bullonium primum Jeroſolymitanum Regem, floruerunt, præſertim in Europa, & à Scriptoribus *Sancti*, aut *Beati* titulo nuncupantur: licèt publicus cultus Apoſtolicæ Sedis auctoritate nondum eis conceſſus ſit. De iſtis pleriſque, ſeu præcipuis tractabitur etiam ordine menſium, & dierum. In ſecunda Claſſe (ſecunda, non attento ordine dignitatis eorum de quibus agitur, ſed ordine tractationis à nobis conſtituto) ſunt ſancti Monachi, Eremitæ, Anachoretæ veteres, qui S. Prophetæ Eliæ poſteri, & Succeſſores, aut peculiari ratione æmulatores fuerunt. Sancti enim iſti Eliani, ſeu Elianæ poſteritatis, ſunt in duplici differentia: alii ſtrictè loquendo hæreditariâ ſucceſſione locorum, & inſtitutorum, S. Eliæ poſteri, Succeſſores, hæredes: alii dumtaxat ejuſdem æmulatores, ſeu imitatores: ſicut pleniùs declarabitur in ſequentibus, præſertim in XII. fundamentis poſt vitam S. Eliæ fundamento VI. De iſtis igitur veteribus compendiosè tractabitur in Claſſe ſecunda: In Claſſe tertia conſtituimus eos, quibus licèt *Sancti* aut *Beati* titulus non tribuatur, pietatis tamen ſingularis, & virtutum præcellentium exempla reliquerunt. [Si ſelecta virtutum exempla apud Ethnicos congeſta ſint à Valerio Maximo (qui cenſebat etiam honeſtos actus ab infimis editos, dignos qui memoriâ non intercidant) atque ab aliis: & illa haud indigna cenſeantur, ut à Chriſtianis Scriptoribus, imò & Concionatoribus quandoque proponantur, quantò æquiùs in ſacratum laudum conſortium aſſerere, & ipſorum præcellentes virtutes, ſeu virtuoſos actus memorare par eſt, qui veræ pietatis in Chriſto fundatæ, exempla nobis reliquerunt. Ità quoque *in Vitas Patrum* S. Hieronymus, Ruffinus, Palladius, Theodoretus, Joannes Moſchus, & alii non tantùm Sanctorum, & Beatorum, ſed & aliorum piorum Monachorum, Eremitarum, & Anachoretarum, exempla pietatis, & virtuoſorum actuum ſcriptis tradita ad poſteros tranſmiſerunt: quod & poſt ipſos alii plures practicarunt uſque in præſens: ſic nuperrimè Joannes Nadaſi, Soc. Jeſu, in opere: *Annus dierum memorabilium Societatis Jeſu*, non modò SS. Ignatii, Franciſci Xaverii, Franciſci Borgiæ, BB. Aloyſii, Staniſlai, ſed & cæterorum vita functorum, virtute quapiam inſignium per ſingulos anni dies memoriam complexus eſt.]

Ex hactenùs dictis habetur, quòd cùm tantus ſit numerus Sanctorum, Beatorum, & piorum, qui in hoc Ordine claruerunt (ſicut ex Trithemio audivimus, & ab aliis pluribus adſtruitur) difficile, imò moraliter impoſſibile ſit, eorum omnium certum determinatum catalogum tradere. Quapropter hîc conſequenter adducemus catalogos, & Kalendaria aliquot, Sanctorum præſertim, qui ut Sancti Ordinis hujus Eccleſiaſtico Officio coluntur: convenienter hîc exhibendos cenſuimus quatuor præcipuos catalogos, ſeu Kalendaria.

I. Cata-

I. *Catalogus Ordinis B. Virginis* Mariæ de monte Carmelo, *qui in eo ſub ritu Officii Duplicis coluntur.*

Ex Kalendario Miſſalis, & Breviarii dicti Ordinis, auctoritate Apoſtolicæ Sedis approbatorum.

JANUARIUS.

XIX. *S. Dionyſii Papæ, & Confeſſoris.*

XXII. *S. Anaſtaſii Martyris.*

XXVIII. *S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, ſeu Patriarchæ.*

XXIX. *S. Petri Thomæ Patriarchæ.*

XXX. *S. Teleſphori Papæ & martyris.*

FEBRUARIUS.

IV. *S. Andreæ Epiſcopi, & Confeſſoris.*

XI. *S. Euphroſynæ Virginis.*

XXV. *S. Avertani Confeſſoris.*

MARTIUS.

VI. *S. Cyrilli Confeſſ. & Doct.*

XIII. *S. Euphraſiæ Virginis.*

XXIX. *S. Bertholdi Confeſſoris.*

APRILIS.

VIII. *S. Alberti & Confeſ.*

MAIUS.

V. *S. Angeli Martyris*, Duplex majus cum Octava.

XVI. *S. Simonis Anglici Confeſ.* Duplex majus cum Octava.

XXV. *S. Mariæ Magdal. de Pazzis Virg.* Dupl. majus cum Octava.

JUNIUS.

XIV. *S. Eliſei Prophetæ Patris noſtri*: Duplex majus cum Octava.

JULIUS.

XVI. *Commemoratio ſolemnis B. Virginis* MARIÆ *de monte Carmeli*: Duplex majus cum Octava, præcipuum Feſtum Ordinis.

XX. S. ELIÆ *Prophetæ Ducis, & Patris noſtri*: Dupl. majus cum Octava.

AUGUSTUS.

VIII. *S. Alberti Confeſſoris*: Dupl. majus cum Octava.

XXVII. *Tranſlatio S. Angeli Martyris.*

SEPTEMBER.

II. *S. Brocardi Confeſſoris.*

XXIV. *S. Gerardi Epiſcopi & Martyris.*

OCTOBER.

XV. *S. Tereſiæ Virginis.*

XXI. *S. Hilarionis Abbatis.*

XXX. *S. Serapionis Epiſcopi & Confeſ.*

NOVEMBER.

XIV. *Feſtivitas omnium Sanctorum Ordinis.*

DECEMBER.

XIV. *S. Spiridionis Epiſcopi & Confeſſoris.*

XVI. *Tranſlatio S. Mariæ Magd. de Pazzis Virginis.*

XVIII. *B. Franci Confeſſoris.*

II. *Catalogus Sanctorum Ordinis.*

Ex Kalendario Breviarii anni 1564. & Miſſalis an. 1574.

Quia in decurſu operis hujus quandoque citantur Kalendaria prætata, operæ pretium videtur indè Catalogum Sanctorum Ordinis hic quoque exhibere. In Kalendario quidem Breviarii, quod anno iſto 1564. evulgatum fuit ex decreto Capituli Generalis, celebrati eo anno Romæ in Conventu S. Martini in Montibus, Præſide S. Carolo Borromæo, Ordinis Protectore (ſicut tradunt PP. Lezana & Waſtelius) typis rubricatis hæc leguntur.

JANUARIUS.

VII. *Petri Thomæ Epiſc. &c. Ordinis noſtri, Duplex.*

XI. *Euphraſiæ Virg. Ord. noſtri, Duplex.*

XII. *Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani Ordinis noſtri, Duplex.*

XIV. *Dionyſii Papæ Ordinis noſtri Dupl.*

XXIII. *Anaſtaſii martyris Ord. noſtri, Dup.*

XXVIII. *Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Ordinis noſtri. Duplex cum Octava.*

FEBRUARIUS.

IV. *Octava ſancti Cyrilli, Semiduplex.*

XXV. *Avertani Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

MARTIUS.

VI. *Cyrilli Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

XXIX. *Bertholdi Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

APRILIS.

VIII. *Alberti Epiſcopi & Confeſſoris Ordinis noſtri Duplex.*

MAIUS.

V. *Angeli Martyris, Ordinis noſtri Duplex cum Octava.*

XII. *Octava S. Angeli, Semiduplex.*

XVI. *Simonis Anglici Confeſſ. Ord. noſtri Duplex.*

JUNIUS.

IV. *Andreæ Epiſcopi Feſulani, & Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

XIV. *Eliſei Prophetæ, Ducis Carmelitarum, Duplex cum Octava.*

XXI. *Octava S. Eliſei, ſemiduplex.*

JULIUS.

XVI. *Commemoratio ſolemnis B.V. MARIÆ, Totum Duplex.*

AUGUSTUS.

VII. *Alberti Confeſſoris Ordinis noſtri, Totum Duplex.*

XIV. *Octava S. Alberti Semiduplex.*

SEPTEMBER.

II. *Brocardi Confeſſ. Ord noſtri, Dupl.*

XXIV. *Gerardi Epiſcopi & Martyris Ordinis noſtri, Duplex.*

OCTOBER.

XV. *Theodorici Conf. Ord. noſtri, Dupl.*

XVI. *Eutitii Confeſſoris, Prioris montis Carmeli, Ordinis noſtri, Duplex.*

XXII. *Hilarionis Patris noſtri, Duplex.*

XXX. *Serapionis Epiſcopi & Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

DECEMBER.

XIV. *Spiridionis Epiſcopi & Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.*

In Miſſali autem anni 1574. ſpeciales, ſeu propriæ Miſſæ ſunt ordinatæ de pleriſque præfatis, atque etiam de S. *Baſilio* ad I. Januarii, S. *Euphroſyna* ad XI. Februarii, S. *Euphraſia* ad XIII. Martii, *s.* ELIÆ Fundatoris Ordinis Carmelitarum ad XX. Julii.

III. *Catalogus ex Speculo antiquo Ordinis, typis excuſo Venetiis anno 1507. & ex Viridario Joannis Groſſi, Prioris Generalis primùm electi anno 1389.*

IN Speculo illo antiquo ſub finem iſte ponitur Catalogus Sanctorum Ordinis hujus.

S. ELIAS Propheta, qui in corpore & anima tranſlatus fuit in Paradiſum voluptatis. Ubi cum Enoch Propheta permanebit uſque ad diem judicii.

S. Eliſeus Propheta, quem *S.* ELIAS Propheta, cùm terram araret, ad Religionem vocavit. Corpus iſtius S. Prophetæ fuit ſepultum in Terra ſancta, & indè Ravennam tranſlatum.

S. Ionas Propheta filius Sareptanæ viduæ. Iſtius ſancti Prophetæ corpus in Terra ſancta ſepultum.

S. Abdias Propheta, cujus corpus in Terra ſancta quieſcit.

S. Ioannes Patriarcha vel Epiſcopus Jeroſolymitanus Eremita montis Carmeli, qui Regulam Beati Baſilii recepit.

S. Bertholdus primus Prior Generalis Ordinis, qui in Terra ſancta, & præſertim in monte Carmeli multa fecit miracula, ubi corpus ejus quieſcit.

S. Brocardus ſecundus Generalis Ordinis, cui Albertus Patriarcha Ordinis Regulam ſignanter direxit & ſcripſit: cujus ſiquidem glorioſum corpus multis clarens miraculis in monte Carmeli quieſcit.

S. Cyrillus Tertius Generalis Ordinis, cujus verò corpus in monte Carmeli quieſcit.

S. Simon de Anglia, Generalis Ordinis ſextus.

S. Hilarion martyr, Provincialis Provinciæ Terræ ſanctæ. Et cujus corpus eſt in regno Cypri.

S. Albertus de Trapano, Provincialis Provinciæ Siciliæ: corpus iſtius Sancti eſt Trapani undè ſuam traxit originem.

S. Angelus Ieroſolymitanus, cujus corpus glorioſum eſt ſepultum in Regno Siciliæ, in quadam Parochiali Eccleſia, ubi multa per eum fiunt miracula.

S. Francus de Senis.

S. Theodoricus de Allemania, per quē Deus tam in vita quàm in morte multa fecit miracula, quæ in Conventu Venetiarum habentur, ubi ejus corpus requieſcit.

S. Petrus Thomas Patriarcha Alexandrinus, fuit Legatus Papæ. Corpus iſtius S. Petri eſt in regno Cypri in Conventu Famaguſtæ.

S. Andreas de Corſinis de Florentia Epiſcopus Feſolanus, cujus corpus eſt in Conventu Florentiæ.

S. Henricus, cujus corpus Lucæ requieſcit in quadam Eccleſia Parochiali, ubi multa per eum fiunt miracula.

S. Albertanus ex partibus Galliæ oriundus, cujus corpus eſt in Eccleſia S. Petri majoris extra muros civitatis Lucanæ.

Paulò antè in ſerie Priorum Generalium, *XXIV. Prior Generalis beatus Ioannes Soreth.* Præfatorum ferè omnium vitas compendioſè tradidit Joannes Groſſi,

Groſſi, in Viridario, quod ex veteribus Mss. excuſum eſt in Tomo præcedenti. Ibi autem præfatis etiam annumerantur iſti: S. *Baſilius Magnus Eremita, qui Regulam compoſuit, quam aliqui fratres magis devoti de Eremitis tenuerunt. Hic S. Epiſcopus Cæſarienſis extitit. S. Cyrillus Patriarcha, qui in Concilio Epheſino præſidebat. S. Ludovicus Rex Franciæ, qui fratres de Carmelo in ſuam terram tranſvexit &c.* (vide Tomo præcedenti) S. *Euſebius natione Gallicus* VII. *Generalis.* S. Ludovicus ibi inter Sanctos Ordinis hujus refertur, quia Confrater (receptione, & geſtatione Habitus Ordinis hujus, ſcilicet Scapularis) aut etiam Tertiarius, & ſingulariſſimus benefactor, prout latiùs infra ad diem XXV. Auguſti. Hâc etiam ratione inter Franciſcani Ordinis Sanctos denumeratur; tanquam Tertiarius; diverſorum enim Ordinum Tertiarius, ſeu Confrater eſſe potuit.

IV. *Catalogus, ſeu Kalendarium ex vetuſto Codice MS. Carmeli Mechlinienſis.*

HAbemus librum, ſeu volumen pervetuſtum Carmeli Mechlinienſis, cujus inſcriptio exterior eſt iſta: *Liber de peculiaribus geſtis Carmelitarum, cum multis aliis, ut patet in principio libri:* primi autem folii primæque paginæ iſte eſt titulus: SPECULUM &c. & paulò infrà: *Contenta in hoc volumine.* In eo plurima antiqua Ordinis monumenta ſimul compacta ſunt, de origine, & progreſſu Ordinis (ea pleraque, indè, collata cum aliis exemplaribus edidimus in tomo præcedenti) nec non de Sanctis: & quidem in primo folio, pagina 2. de aliquot præcipuis Sanctis Ordinis hujus iſti ſunt verſus.

Carmelitarum pia Mater, Amica, *Sororque*
Abſque pari gaudet prole Creantis eam.
Primus Carmeli cultor ſublatus ELIAS,
Currus & auriga qui modò vivit adhuc.
Magnus hic ELIÆ *lateri* Eliſeus *adhærens*
Monſtrat multa ſibi jura patere poli.
Petrus Thomaſii *Biſantinus Patriarcha,*
Doctorque & factor, magnus adeſt Superis.
Andreas *Feſulani Præſul temptor honoris,*
Magnis nunc gaudet, qui cupiit minima.
Angelus *Angelicæ deduxit tempora vitæ,*
Salvans innumeros, martyrio volat hinc.
Al. *nadit.* Albertus *miris longè latèque refulgens*
Cunctis ſe ſpeculum Fratribus exhibuit.
Noſter Cyrillus *Carmeli in monte prophetat,*
Actibus, & ſcriptis inſtruit omne genus:
Anglicus iſte Simon *petit à Chriſti Genitrice*
Præſidium Matris ac Scapulare ſuum.
Al. *Chriſti.* Angela *ſponſa Dei Bohemorum filia Regis,*
Angelicè vixit, jam ſociatur eis.
Anna *Toloſanes oculos miſiſſe refertur*
Francorum Regi, ne maculetur ei.

Deindè folio V. & ſequentibus extat Kalendarium antiquum hujus Ordinis.

Kalendarii iſtius meminit Ven. P. Petrus Waſtelius lib. I. Vindiciarum ſect. 4. articulo I. ubi agens de S. Cyrillo Alexandrino occaſionaliter tractat de illo Kalendario: de quo ita ſcribit: *Kalendarium, quod manuſcriptum habemus in codice Mechlinienſi, & in quo ad quintum Kalendas Februarii legitur,* CYRILLI PATRIARCHÆ ORDINIS NOSTRI; *honorem mereri ſuæ antiquitatis ac fidei, probat imprimis, quòd eſſe compertatur juxta olim in Ordine Carmelitano receptum uſum Eccleſiæ Ieroſolymitanæ. Hoc monſtrant Hieroſolymorum diſtrictiùs martyrum ac Pontificum feſtivitates, quæ ſuis ibi menſibus ac diebus adnotantur;* MATTHIÆ *ſcilicet ac* SIMEONIS, QUIRIACI (*hic martyr, cùm ſit illius urbis Epiſcopus, nihilominus Anconitanus erat*) MARCI, NARCISSI, *expreſſis etiam numeris lectionum, v. g. quòd ſanctorum Matthiæ atque Narciſſi feſta* TRIUM LECTIONUM *ſint, alia* NOVEM: *antiquitatis quoque certum argumentum eſt, quòd plerorumque ibi Carmelitici Ordinis Sanctorum, qui in eo ad ſua depoſitionis dies adſcribuntur, nomina notiora ſunt, quàm res geſtæ; adeò ut fateri cogar, etiam me non minimùm illarum rerum ſtudioſum uſquedum ignorare, quando & ubi nonnulli illorum Chriſto Domino militaverint.* Ibi conſequenter latiùs differit de Kalendarii iſtius auctoritate & antiquitate. Illud etiam quandoque citatur in celebri opere *Acta Sanctorum* (a) nec non à P. Lezana in Annalibus. Iſtud Kalendarium generale eſt quorumvis Sanctorum, præſertim antiquorum tàm veteris quàm novi Teſtamenti, qui floruerunt in Terra ſancta, & maximè Jeroſolymis. Nos, vitandæ prolixitatis causâ, illud non integrum, ſed intento noſtro convenientia dumtaxat indè hîc exhibemus, videlicet eos, qui

(a) ad XI. April. ſub initium ubi de Nicolao Gallico.

Ordinis hujus ſunt, aut quadam ratione ad eum ſpectant, aut in Catalogis aliis tanquam Ordinis hujus alumni memorantur. In Kalendario iſto alia ſunt primigenii Scriptoris vetuſtioris, alia per modum Auctarii poſteà addita, ſicut ſatis indicat diverſitas ſcripturæ. Quæ ſint primigenia & vetuſtiora, dignoſcentur ex littera A. poſtpoſita; illa, inquam, quibus poſtponitur A. primigenii vetuſti Kalendarii verba ſunt, alia quibus littera B. additur, Auctarii verba ſunt. Porrò dies omnes ibi ſignantur per Kalendas, Nonas, & Idus: in gratiam eorum, qui illas minùs capiunt, numerum ordinarium præfigimus. Itaque ordine menſium iſti (inter cæteros) referuntur.

JANUARIUS.

I. *S. Euphroſynæ Virginis*: B. Etiam memoratur infra ad diem XI. Februarii, ſub nomine *Euphraſia*, quo etiam à nonnullis nuncupatur. Colitur per totum Ordinem Officio duplici XI. Februarii, ad quem vitam ejus dabimus.

VI. *S. Andreæ Epiſcopi, & Confeſſoris Ordinis noſtri.* A. Ad eumdem diem in variis Martyrologiis commemoratur, quia eo die obiit. Vita ejus ſequitur ad diem IV. Februarii: quo Feſtum ejus agitur. EODEM DIE *Petri Carmelitæ, Patriarchæ Conſtantinopolitani.* B. Ad hunc diem in variis aliis Martyrologiis, & Kalendariis refertur, quia illo deceſſit: inde ejus feſtivitas tranſlata eſt ad XXIX. Januarii: ad quem duplex ejus vita tradetur.

XII. *Ioannis Patriarchæ Hieroſolymit. XLIV. Carmelitæ.* B. Ad eundem diem de eo agunt Molanus, Galeſinus, Ferrarius, ac alii.

XVIII. *Henrici Confeſſoris non Epiſcopi, Ordinis noſtri converſi* A. Iſtum eumdem eſſe, qui & Romæus, ſocius S. Avertani, habetur ex illis, quæ in ſequentibus ad XXV. Februarii in notatione præviâ ad vitam S. Avertani §. 3. adferuntur.

XXII. *Anaſtaſii martyris, Ordinis noſtri,* cum aliis B. S. Anaſtaſii vita ſequitur ad XXII. Januarii: quo Feſtum ejus agitur in toto Ordine Carmeli.

XXVIII. *Ioannis Epiſcopi, qui & Chryſoſtomus dicitur* A. *Iſte fuit Ordinis noſtri, & martyr in exilio obiit* B. Quòd fuerit Monachus, & SS. ELIÆ, ac Eliſei ſingularis æmulator, videre licet hîc infrà ad XXVIII. Januarii. Idem confirmant dicenda.

XXIX. *Cyrilli Patriarchæ Ordinis noſtri.* A. Vita ejus hîc ſequitur ad XXIX. Januarii: quo feſtum ejus in toto Ordine agitur ſub ritu duplici, & olim cum Octava, ſicut conſtat ex Catalogo.

FEBRUARIUS.

IV. *Pannucii Eremitæ Ordinis noſtri* A. Is ſcripſit vitam S. Onuphrii, & ipſum ſepelivit. Plures fuerunt iſtius nominis Eremitæ, ſeu Monachi inſignes: alius ab hoc veriſimiliter eſt, de quo in Martyrologio Romano ad XI. Septembris, alius quoque pater S. Euphroſynæ, cujus memoriam (unà cum S. Euphroſyna) Græci celebrant die XXV. Septembris.

XI. *Euphraſiæ Virg. Alexandrinæ.* B. Eadem eſt cum S. Euphroſyna, de qua hîc ſupra ad I. Jan. ſub nomine *Euphraſia*: ad hunc diem eam memorant etiam alii nonnulli, recenſiti à P. Bollando (a) qui ibidem tradit, illam etiam vocatam Euphroſiam: ſub nomine *Euphroſyna* de eadem etiam bis agitur in Martyrologio Uſuardi, ſcilicet ad hunc diem, & ad I. Januarii.

(a) In Actis SS. ad XI. Febr. in Comment. prævio ad vitam S. Euphroſynæ §. 1. 2. & 3.

XIII. *Agabi Prophetæ novi Teſtamenti, Carm.* B. Quòd in Carmelo vixerit, Ludolphus de Saxonia in vita S. Annæ cap. 6. iſtis tradit verbis: *Ad Carmelitas ſe contulit, ubi ſanctã vitam vixit uſq; ad Apoſtolorum prædicationem, quâ illis (ut eorum atteſtantur actus) conjunctus eſt.* De ipſo & geſtis ejus in Carmelo, videlicet de Capella (ſeu Sacello) ipſo cooperante conſtructa, & dicata B. Virgini MARIÆ, agitur tomo 2. Annalium Carmelitarum ad annum Chriſti 36. n. 24. ubi ex Baptiſta Mantuano libro 3. Parthenices iſta referuntur:

Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore cum Magno fidei myſteria Paulo
Edidicit: MARIÆ primus cum Patribus ædem
Vertice Carmeli poſuit, &c.

Eodem Tom. Annalium ad ann. 39. n. 7. & 8. agitur de ejus prædicatione cum aliis Carmelicolis: & ad annum 40. n. 39. de ejus prædictionibus propheticis: atque etiam ad annum 57. n. 5. & 7. Ibi ejus obitus refertur circa ann. Chriſti 59.

XV. *S. Saræ Virg. Abbatiſſæ.*

XXIII. *S. Albertani Conf. Ordinis noſtri: in Lucana jacet.* In aliis Kalendariis & Catalogis commemoratur die XXV. Februarii, quo etiam Feſtum agitur in toto Ordine Carmeli: & ad illum ſequitur hîc infrà ejus vita.

XXV. *Teſſe*

xxv. *Yeſſe Confeſſoris, Ordinis noſtri.* A. Ille videtur eſſe pater S. Angeli, & Fratris ejuſdem B. Joannis (de quo hîc infra ad v. Julii) inſcribitur huic Kalendario, veriſimiliter quia Ordinis Tertiarius fuit.

xxviii. *S. Angelæ filia Regis Bohemiæ, Ordinis noſtri.* A. Vitam ejus dabimus ad diem vi. Julii, quo obiit: hoc autem die veriſimiliter commemoratur, aut ob tranſlationem, aut elevationem tunc factam.

MARTIUS.

vi. *Cyrilli Presbyteri montis Carmeli III. Generalis Ordinis.* A. Vita ejus ſequitur ad diem vi. Martii: quo officio duplici colitur in hoc ordine.

xii. *Euphraſia Virginis Carmelitæ in Thebaida.* B. Colitur eo die in toto Ordine Officio duplici: Vita ejus ſequitur ad eundem.

xxix. *Berthold. Confeſſ. primi Generalis Ordinis noſtri.* A. De eo pleniùs agemus ad xxix. Martii, quo ſub ritu Duplicis officii Feſtum ejus colitur.

xxxi. *Ioanna de Tholoſa Ordinis noſtri.* A. In alio Catalogo Sanctorum Ordinis hujus in eodem Codice Ms. Mechliniensi folio lxxvi. pagina 2. his recenſetur verbis: *S. Ioanna de Tholoſa ultima die Martii, & eſt ſepulta in Conventu noſtro.* Extat hujus B. Joannæ in habitu Carmelitico ſculpta effigies, ad dextram Deiparæ Virginis, cum S. Angelo ad lævam ejuſdem in Breviario Ordinis hujus, ante Sanctorale ejuſdem, impreſſo Pariſiis anno 1517. in 12. cum hac ſuperſcriptione S. *Ioanna.* Quæ & diverſa eſt ab altera S. Joanna Rhegienſi Virgine Carmelitana anno 1491. defuncta die 9. Julii, quo ibidem magno populi concurſu ejus feſtum colitur, de qua Ferrarius in Martyrologio ſuo. Et nos hîc infra ad 11. Julii. Ejuſdem memoria etiam extat in antiquis verſibus, qui hîc infrà adferentur. Meminit hujus Virginis *Joanna* Palæonydorus lib. 3. cap. 7. & 12. unà cum B. Anna itidem Tholoſana Virgine. Veriſimiliter Tertiariæ Ordinis fuerunt.

APRILIS.

ii. *Nicolai Confeſſoris non Epiſcopi Ordinis noſtri VII. Generalis.* A. De illo agetur infra ad ii. Aprilis.

viii. *Eduardi Ordinis noſtri, Regis Angliæ.* A. Ille veriſimiliter eſt, de quo Theophilus Raynaudus iſta (a): *Poſtquam verò Angliam tenuêre Normanni, nova ſeries Eduardorum eſt inchoata; in qua primus, obiit anno 1307. Ejus filius Eduardus Secundus, pro adamantina patientia* MARTYR *habitus, is eſt, quem Palæonydorus in hac Eduardorum ſerie, rectè nominavit ſecundum. Vixit autem tempore Ioannis* XXII. *cujus diploma ad hunc Eduardum, exhibet Cherubinus, præfixâ hâc inſcriptione;* CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO, EDUARDO II. REGI ANGLORUM ILLUSTRI. *Vndè cùm Reges omnia pervideant, non ignoravit, quæ in Anglia erant vulgatiſſima de viſo B. SIMONI objecto: & ea quoque reſcivit, quæ fama paſſim diſſeminabat de apparitione Deiparæ, & de promiſſione per eam facta Ioanni Pontifici. Itaque rectè dicitur fuiſſe Carmelitis inſtitu Scapularis Mariani, illudq́ induiſſe.* Iſtius Eduardi, & peculiaris ejus devotionis erga B. Virginem Carmelitanam aliquoties mentio fuit tomo præcedenti. Hic autem nuncupatur *Ordinis noſtri,* non ut, ſtrictè loquendo, Religioſus, ſed quia geſtando Ordinis Habitum (Scapulare) ejus Confrater, aut etiam Tertiarius fuit. Porrò non ut Sanctus, aut Beatus, ſed velut ſingulariter pius, & peculiaris Ordinis benefactor, cui aliquot Monaſteria conſtruxit. Etiam hujus pater Eduardus I. B. Virgini valdè devotus, ad ejus honorem ſingulis Sabbatis in pane & aqua jejunans, aliquot Monaſteriorum Ordinis hujus Fundator extitit: & Ordinis Habitum, Scapulare, geſtavit, ac inter Religionis Tertiarios, vel Confratres refertur. Plura de eo videri poterunt apud Lezana in Annalibus Ordinis. (a)

ii. *Franciſci Confeſſoris non Epiſcopi* (b), in Auctario additur: Conventûs Cremonenſis. Duos Ordo Carmeli habuit Senenſes, ſanctitate celebres: unus Cremonæ obiit, nominatus *Franciſcus,* de quo Benedictus Gononus in Chronico Deiparæ, & ille eſt, de quo in hoc Kalendario, cujus etiam meminit Philippus Ferrarius in Martyrologio ad hunc eumdem diem. Alter eſt *B. Franciſcus,* diœceſis Senenſis, natus in pago Groſſi, cujus vita hîc ſequitur, ad diem xi. Decembris. Nonnulli unum & eumdem exiſtimârunt; ſed duos diverſos eſſe, declaratum eſt in noſtra Vinea Carmeli (c) & in Annalibus Ordinis (d); ubi hæc ejus eſt vitæ epitome: *Senis natus, juventutis, & virilitatis annos mundanè excurrit, donec ad ſenectutem perveniens, ſol-*

licitus

(a) Tom. 7. operum ſuorum de Scapulari Mar. p. 2. q. 8.

(a) ad an. 1278. n. 2. & 1307. (quo obiit) n. 2.

(b) ad an. 1278 & 1307 (quo obiit) n. 2.

(c) n. 70.

(d) Tom. 4. ad an. Chr. 1371.

ſcitus de mundi vanitate, investigans, dùm non aliud niſi vanitatem, & miſeriam eſſe recognoſcit, de ſalute animæ cogitabat, non in alio quàm in ſolo Deo requiem inveniri poſſe, experiebatur. B. Virginis devotioni valdè deditus, ipſius Eccleſiam, ſub titulo S. Nicolai, Carmelitarum bis quotidiè viſitans, à Deo illuminatur, ut habitum Religionis ſuſciperet. Carmelitanos proindè valdè colebat, ELIÆ Prophetæ magnalia cogitabat, & dum ipſorum ingrediebatur Eccleſiam, quaſi in vetuſtiſſimum illud in Carmelo monte à Carmelitis Deiparæ templum olim primò dicatum, intraret, dicere ſolitus erat. Habitu ſuſcepto, & ſtudiis per aliquot annos peractis, ſacerdos effectus, ferventiſſimus evaſit Concionator. Hinc, Deo inſpirante, Lombardiam, & Cremonam venit, ubi tam in S. Bartholomæi Carmelitarum templo, quàm in publicis plateis, ac locis pleriſque civitatis, divino zelo ELIÆ imitator accenſus, acriùs in vitia, blaſphemiam præcipuè, invehebatur. Quarè ſcelerati quidam contrà ipſum irati, occidere decreverunt, quod ſaxis miſſis, dum quàdam die prædicationi attenderet, exequi, non dubitarunt. Carmelitæ autem corpus tollentes, honorificè in eodem ſuo S. Bartholomæi cœnobio die 11. Aprilis ſepulturæ mandârunt, ubi magna in veneratione habitum, multis miraculis reſplenduit. Ea ibi conſequenter referuntur, & alia nonnulla de ipſo B. *Franciſco* differuntur.

XVIII. *Henrici* Ducis, & Confeſſoris, Ordinis noſtri. De illo Balduinus Leerſius in Collectaneo exemplorum cap. 5. iſta tradit: *Dominus Henricus Dux Lancaſtriæ, per idem miraculum ſancto Simoni oſtenſum Scapulare aſſumpſit, & in ipſo obiit, multis clarens miraculis.* Fuit igitur Ordinis Tertiarius, ſeu Confrater.

MAIUS.

V. *Angeli Martyris Ordinis noſtri.* A. Eſt iſte celebrati nominis Jeroſolymitanus natione, Martyr, de quo copioſè in ſequentibus.

XIV. *Petri Confeſſoris Ordinis noſtri.* A. In alio Kalendario, ſeu Catalogo antiquo ejuſdem vetuſti Codicis Ms. Ille his recenſetur verbis: *Sanctus Petrus, converſus, Confeſſor 14. Maji.* Fuit igitur Laicus.

XVI. *Simonis Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex.* A. Ex eo, quod additur, *Duplex*, conſtat Feſtum *S. Simonis* in hoc Ordine ſub ritu duplici, eſſe valde antiquum. Eſt hic celebris ille Deiparæ Virginis cultor (cujus & Molanus cum laude meminit in Martyrologio ſuo) qui hujus Ordinis Generalis Prior exiſtens, ab eadem Virgine Matre ſpeciale & excellens privilegium ſacri Scapularis Carmelitici obtinuit, de quo plura die 16.

XIX. *Theodorici* Epiſcopi & Confeſſoris Ordinis noſtri. A. In præfato alio antiquo catalogo iſtis recenſetur verbis: *Sanctus Theodoricus Epiſcopus, & Confeſſor 19. Maji.*

XX. *Enoch* Carmelitæ, Prophetæ. B.

XXII. *Nicolai Confeſſoris, qui fuit converſus Ordinis noſtri.* A. In alio præfato antiquo Catalogo his memoratur verbis: *S. Nicolaus, Converſus* (id eſt Laicus) *22. Maji.*

XXVIII. *Heleni, Epiſcopi Alexandrini, & Martyris, Carm.* De illo agitur in Annalibus Ordinis Tom. 2. ad annum Chriſti 170. & in ſequentibus, ubi de S. *Eugenia* Virgine, inter Monachos Eſſenos, poſteros S. ELIÆ, commorante.

JUNIUS.

IV. *Petri Epiſcopi, & Confeſſoris Ordinis noſtri.* A. Fuit hic unus ex tribus præcipuis Sociis S. *Angeli* Carmelitæ, qui ejus martyrio interfuerunt. Poſt quod in Palæſtinam reverſus, ex Monaſterio ſuo Bethlëem, ob vitæ ſanctitatem violenter extractus, illius Eccleſiæ ſicuti, & Aſcalonenſis, ei conjunctæ, Epiſcopus creatus fuit; cui & tribus annis ſanctè præfuit, ac miraculis clarus circa annum Chriſti 1224. Plura de eo videri poterunt in Annalibus Carmelit. (a) (a) ad ann. 1223. n. 3.

XIII. *Ioſeph Epiſcopi Ordinis noſtri.* A. Et hic unus ex tribus præfatis *S. Angeli* Sociis itineris in Siciliam extitit, indeque reverſus aliquantò poſt Emauſenſis Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcepit, cujus in eiſdem S. *Angeli* Actis mentio habetur, ſicuti & apud Palæonydorum lib. 3. cap. 3. his verbis. *Floruerunt prædicti Brocardi temporibus præclari Ordinis noſtri viri* Joſeph *Præſul Emaus &c.*

XIV. ELISEI *Prophetæ montis Carmeli, Ordinis noſtri.* A. De eo Romanum Martyrologium eodem die, qui magni ELIÆ diſcipulus; & in monaſtica ſeu prophetica ſua Religione ſucceſſor, Carmeli Ordinem poſt tranſlationem Magiſtri ſui ſanctiſſimè rexit annis 66. juxtà Saliani computum, ab anno Chriſti ortum 914. uſque ad 849. quo obiit centenario major. Ipſius diem feſtum Carmeliticus Ordo colit auctoritate Apoſtolicâ cum offi-

cio proprio ac ſolemni octava hoc eodem die. Sed de eo latiùs infrà.

XVII. ELIÆ *tranſlatio anno mundi* 3105. B. Ad hunc eundem diem collocat Joannes Gilleman Canonicus Regularis in ſuo Martyrologio, ſeu Hagiologio. Quem etiam diem ſignavit doctiſſimus vir Joannes Molanus in additionibus ad Martyrologium Uſuardi dicens: *In Arabia raptus in cœlum ſancti* ELIÆ *Propheta Domini, & Carmelitica Religionis Patriarcha* &c. Attamen in Romano Martyrologio collocatur ejus memoria ad 20. diem Julii, quo etiam illius feſtivitatem annuam colit Carmeliticus Ordo, Apoſtolicâ auctoritate cum officio proprio, ac ſolemni octava ſub titulo Ducis ac Patris Carmelitarum. Agetur etiam de illo ad diem xx. Julii.

JULIUS.

VII. *Enoch Epiſcopi diſcipuli Chriſti.* B. De quo videatur Tomo præcedenti(a).

(a) p. 975. & 978.

XIII. *Joannis Confeſſoris Ordinis noſtri Patriarcha Hieroſolymitani, fratris S. Angeli.* A. Ejus vitæ ſanctitas ac miracula illuſtria in vita patrata recenſentur in Actis S. Angeli per Enochum, & Belloroſium atque Octavium Cajetanum conſcriptis. Claruit anno Chriſti 1219. circa quod tempus electus fuit in Patriarcham Jeroſolymitanum Syrianæ nationis. Hîc infrà ad diem XIII. Julii latiùs de eo agetur.

XVI. SOLEMNIS COMMEMORATIO VIRGINIS GLORIOSÆ. A. Ad hunc diem in omnibus aliis Kalendariis Ordinis aſſignatur hæc feſtivitas, quæ Carmelitis ſolemniſſima eſt, cum ſolemni octava. Quâ etiam die *S. Simon Stock* Cantabrigiæ in Anglia anno Chriſti 1251. ſacrum ac mirè privilegiatum Scapulare obtinuit à Virgine Deipara. Quod tempus ſpecificum, ex vita ejuſdem Sancti primigenia per Petrum Swanyngton Anglum ejus Confeſſarium conſcripta, manifeſtè deducitur. De hac ſolemnitate pleniùs tractabitur in ſequentibus.

XIX. *Hieronymi Confeſſoris Ordinis noſtri.* A. In alio præfati vetuſti codicis Ms. catalogo ſic commemoratur: *S. Hieronymus, qui erat Prior, Confeſſor,* 19. *die Julii.* Is ille eſt de quo in Annalibus Ordinis & in vita *S. Angeli*, ubi vocatur *Vir innocentia ſingularis.*

AUGUSTUS.

IV. *Petri de Caſis, Confeſſoris Epiſcopi Ordinis noſtri.* A. In alio præfato ſæpiùs catalogo antiquo: *S. Petrus de Caſis Patriarcha* 4. *die Auguſti*: de quo latiùs in ſequentibus.

VII. *Alberti Confeſſ. non Epiſcopi, Ordinis noſtri.* De hoc celeberrimæ ſanctitatis viro Romanum Martyrologium agit eodem die: cujus Acta à Theodorico de Aquis Carmelita Colonienſi circa annum Chriſti 1394. conſcripta, plus centum annis ante Joannem Mariam Politianum, qui etiam vitam ejus edidit. Frequens hujus Sancti mentio fuit tomo præcedenti. Pleniùs de eo agemus ad diem VII. Auguſti, quo proprium de eo Officium Eccleſiaſticum in Ordine ſuo, cum octava, ac Indulgentiis plenariis, ſolemnizatur.

XII. *Enoch Patriarcha Hieroſolymitani Ordinis noſtri.* A. In præfato alio catalogo S. *Enoch* Patr. Hic tertius extitit Socius peregrinationis S. *Angeli* Martyris in Siciliam, ejuſque vitam ſcripſit an. 1227. ut habet titulus vitæ ejuſdem apud Thomam Belloroſium. Ejuſdem *Enoch* ſanctitatem vitæ non ſolùm commendant recentiores Scriptores ſat multi, ſed & ipſa Beatiſſima Virgo Deipara ſuam Sacram Imaginem cum aliis Sanctorum Reliquiis per ipſum, & S. *Angelum* mandavit in Italiam transferri. Quod idem de ſuis Reliquiis fieri voluit S. Joan. Baptiſta, eumdem *Enoch* ſervum ſuum appellans. Quæ teſtatur Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, qui tunc vivebat, in epiſtola ad fratrem ſuum Fridericum de Claromonte, ſcripta anno 1219. in qua tam S. *Angelum* Martyrem quàm hunc *Enochum* homines ſanctæ vitæ & converſationis appellat.

XXI. *Guidonis de Perpiniano.* B. Hic eſt celebris ille Doctor Ordinis Carmelitici, qui ex XII. Priore Generali (creato anno 1318.) poſt triennium à Joanne Papa XXII. aſſumptus eſt in Epiſcopum Majoricenſem ac poſtmodùm in Elnenſem; quique non modò doctrinâ ac libris ſcriptis, ſed & vitæ ſanctitate ac prophetiæ ſpiritu clarus effulſit. De quo Guill. Eyſengreyn in Ind. Teſt. veritatis ſub anno 1330. ait: *S. Guido Perpinianus, patriâ Cathalanus vir Sanctus* &c. Plura de ejus Eliano zelo, propheticis prædicationibus, & ſcriptis ſequentur infrà.

XXVI. *Joannis Confeſſoris, qui fuit Cardinalis, Ordinis noſtri.* In Catalogo alio

antiquo præfato. *S. Ioannes Cardinalis Alban. die 26. Auguſti.*

XXX. *Eraſmi Archiepiſcopi Nazareth, Ordinis noſtri*, iſte locius fuit S. Angeli Martyris in Sicilia prædicantis: poſt cujus martyrium in Terram ſanctam reverſus, aſſumptus fuit in Archiepiſcopum Nazareth: in vita S. *Angeli* c. 1. vocatur *homo divinus*. Plura de eo videri poterunt in Annalibus Ordinis.(a)

(a) ad an. 1225. n. 2.

SEPTEMBER.

II. *Brocardi Confeſſoris Ordinis noſtri. A. ſecundi Generalis.* B. Is eſt cui S. Albertus Patriarcha Jeroſolymitanus tradidit Regulam, in qua ipſius S. *Brocardi* nomen bis ſignanter exprimitur: *Vita ejus* teſte Molano (b) *eo anno cœpta eſt ſcribi quò obiit.* Colitur in toto Ordine Officio, ſub ritu duplici ad diem 2. Septembris: ad quem vitam ejus dabimus.

(b) ad Martyrol. Uſuardi 2. Sept.

EODEM DIE *Octaviani Confeſſoris Ordinis noſtri.* A. De quo etiam in alio præfato catalogo: *S. Octavianus Confeſſor, 2. die Septembris.*

XVIII. *Petri Patriarchæ Ordinis noſtri.* A. De quo iſta Segerus Pauli (c) *Fuit Patriarcha Antiochenus Syriana nationis, fundator utriuſque Cœnobii* tam intra urbem Antiochenam, quàm extra in monte Neroy, ex Eremitorio ejuſdem loci poſt traditam ab Alberto Regulam, & in ea præſcriptum modum conſtruendi Monaſteria. *Claruit circa annum Chriſti* 1209. Vitæ ejus compendium tradit Philippus Merius in Tractatu de Sanctis Ordinis hujus.

(c) in Not. ad hoc Martyrol.

OCTOBER.

XIX. *Theodorici Confeſſoris non Epiſcopi. Ordinis noſtri.* A. Hæc dies veriſimiliter eſt tranſlatio is. Plura de eo dicemus infra ad diem XV. Octobris.

XXIII. *Hilarionis Confeſſ. Ordinis noſtri.* A. Kalendarium hoc, cur feſtum S. Hilarionis reponat ad 23. Octobris, iſtam adfert rationem præfatus Segerus: quia Ordo noſter ab anno 1339. feſtum SS. Urſulæ & undecim millium VV. ac Mart. ex decreto Generalis Capituli Lemovicenſis ſolemniter ſub duplici Officio celebraverit die 21. Octobris. Rurſus die 22. Octobris occurrebat feſtum S. Marci primi ex gentibus Hieroſolymorum Epiſcopi & Martyris ſub cujus diœceſi Carmelitarum Ordo ſumpſit exordium; qui proinde ab antiquo omnes Sanctos Jeroſolymorum Epiſcopos ſingulari devotione coluit, ejuſque Eccleſiæ ritum ſervavit. Undè neceſſe erat *S. Hilarionis* feſtum ad hunc diem 23. Octob. transferri: licèt temporibus antiquioribus, anno ſcilicet 1192. vivente S. Cyrillo, tertio Priore Generali, idem feſtum ſuo proprio die natali fuerit celebratum; quando idem D. Cyrillus ſub Miſſæ ſacrificio duabus tabulis argenteis Angelico miniſterio donatus fuit. De iſtis duabus tabellis latiùs agetur infrà ad diem VI. Martii, & de S. Hilarione ad XXI. Octobris.

NOVEMBER.

XVI. *Annæ Tholoſanæ* B. de qua hîc ſuprà ad 30 Martii, ubi de Joanna Tholoſana: ejus memoria recurrit hîc paulò infrà in verſibus, de Sanctis Ordinis hujus, ubi de Joanna Tholoſana.

DECEMBER.

XIV *Spiridionis Epiſcopi apud Cyprum.* Ad hunc diem, feſtum ejus colitur in toto Carmeli Ordine: vita ejus ſequetur poſteà.

XVIII. *Rodulphi Confeſſ* VIII. *Generalis*, natione fuit Alemannus, vir religioſiſſimus electus in Capitulo Generali Pariſiis celebrato an. Chriſti 1270. Religioni amplificandæ & fovendæ Regulari obſervantiæ pro viribus ſtuduit. At vitæ contemplativæ amore attractus, exemplo ſui prædeceſſoris Nicolai, officio Generalatus ſe abdicavit tertio anno, & ad Eremiticum Conventum prope Alnéwicum, in Anglia, ſeceſſit: ubi reliquũ vitæ exegit, & vitæ ſanctæ, ac ſolitariæ exemplo relicto, deceſſit.

XXV. *Eugeniæ Virg. & Mart. Ordinis noſtri.* B. Plura de illa videri poterunt in Annalibus Ordinis, & hîc infrà.

Kalendario præfato antiqui iſtius Codicis inſcripti etiam ſunt ſequentes.

JANUARIUS.

I. *Baſilii Epiſcopi, & Confeſſoris.* A.

II. *Macharii Eremitæ in Thebaida.* B.

IV. *Simeonis Antiocheni, qui in columna ſtetit. Ordinis Carmelit.*

X. *Pauli primi Eremitæ.* A.

XV. *Macharii Abbatis Ægyptii.*

XXVI. *In Bethleem dormitio S. Paulæ.* A. *Ord. noſtri.* B

FEBRUARIUS.

I. *Ephræm Diaconi.*

XXVIII. *Romani Abbatis.*

MARTIUS.

II. *Euſtochii Virg. Carm.* B.

III. *Egeſippi Carmelitæ.* B.

IX. *Gregorii Epiſcopi Nyſſeni Ordinis noſtri, fratris Baſilii.* B.

XXI. *Serapionis Anachoretæ Epiſcopi.* B.

XXVII. *Ioannis Eremitæ in Ægypto.* A.

APRI-

APRILIS.

II. *Maria Ægyptiaca Matrona.* A.

VII. *Egeſippi Confeſſ. Carmelitæ.* B.

XIV. *Frontonis Abbatis Alexandrini.* B.

MAIUS.

VI. *Ioannis Damaſceni.* B.

IX. *Gregorii Nazianzeni Epiſcopi.*

XIV. *Pachomii Abbatis, & Confeſſoris.*

JUNIUS.

XII. *Onuphrii Confeſſ.*

JULIUS.

I. *Pambonis Abbatis:*

AUGUSTUS.

XVI. *Porphyrii Eremitæ.*

DECEMBER.

V. *Sabbæ Abbatis Conf* A. *Carm. Ordinis noſtri.* B. Præfati plerique an & quâ ratione Eliano Inſtituto accenſendi ſint,& reponendi in claſſe ſecunda, de qua hic ſuprà; declarabitur in ſequentibus.

Kalendario iſti veteri etiam inſeritur memoria ſequentium.

JANUARIUS.

IX. *Deductio Domini in Ægyptum.*

XI. *Relatio pueri de Ægypto.*

XIII. *Caprasii Patriarchæ Hieroſolymitani.*

XV. *Abacuc. & Michææ Prophetarum.*

XVI. *Zobet Prophetæ. Azariæ Prophetæ.*

XXX. *Ieruſalem Matthiæ Epiſcopi, & Confeſſ.*

FEBRUARIUS.

I. *Ephram Diaconi.*

IX. *Vriæ Prophetæ veteris Teſtamenti Carm.*

XVIII. *Ieruſalem Symeonis Epiſcopi,& martyris.*

XXII. *Scarioth Abbatis.*

XXIV. *Inventio capitis Præcurſoris Domini.*

XXVI. *Enoch Epiſcopi Hieroſolymitani.*

MARTIUS.

XV. *Longini martyris.*

XVIII. *Ioſeph nutritii Chriſti.*

XXV. *Eliezer Prophetæ.*

APRILIS.

III. *Nathanaël diſcipuli Chriſti.*

X. *Ezechielis Prophetæ.*

XV. *Ananiæ Prophetæ.*

XVI. *Azariæ Prophetæ.*

XIX. *Thimonis martyris diſcipuli Chriſti: qui crucifixus fuit.*

MAIUS.

I. *In Ægypto Ieremiæ Prophetæ. Elevatio S. Elizabeth.*

IV. *Ieruſalem Quiriaci Epiſcopi, & martyris: Feſtum coronæ Domini.*

X. *Iob Prophetæ.*

XXV. *Mariæ Iacobi, & Salome.*

XXXI. *Petronillæ Virginis.*

JUNIUS.

VI. *Philippi diſcipuli Chriſti.*

XIX. *Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani.*

XXIV. *Abdiæ Prophetæ.*

JULIUS.

I. *Aaron primi Sacerdotis.*

IV. *Oſeæ, Aggæi, Prophetarum.*

VI. *Iſaiæ Prophetæ.*

XIII. *Ioelis, & Eſdræ, Prophetarum.*

XV. *Diviſio Apoſtolorum.*

XX. *Ioſephi Iuſti.*

XXI. *Danielis Prophetæ.*

XXII. *Mariæ Magdalenæ.*

XXV. *Iacobi Apoſtoli.*

XXVI. *Annæ Matris glorioſæ Virginis* MARIÆ.

XXVII. *Marthæ Virg. hoſpitiſſæ Chriſti.*

AUGUSTUS.

I. *Aggai, & Baruch Prophetarum.*

XIV. *Ioachim filii Barpanthera.*

XX. *Samuelis Prophetæ.*

XXIII. *Zachæi Epiſcopi, & Confeſſ.*

XXIX. *Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ.*

SEPTEMBER.

I. *Ieſu Nave, & Gedeonis Prophetæ: Nahum Prophetæ.*

IV. *Moyſis Legiſlatoris.*

VI. *Zachariæ Virginis glorioſæ.*

XXIV. *Conceptio S. Ioannis Baptiſtæ.*

XXV. *Cleophæ Martyris, & diſcipuli Domini.*

OCTOBER.

VI. *Abraham, Iſaac, & Iacob Patriarcharum.*

VIII. *Symeonis ſenis, qui Chriſtum ſuſcepit in ulnis.*

XVIII. *Ariſtionis diſcipuli Chriſti.*

XXIX. *Narciſſi Epiſcopi & Confeſſ.*

NOVEMBER.

IV. *Perpetuæ conjugis B. Petri Apoſtoli.*

V. *Zachariæ Prophetæ patris Ioannis Baptiſtæ.*

VI. *Sophoniæ Prophetæ.*

XVII. *Zozimi diſcipuli Domini.*

DECEMBER.

XI *Danielis Prophetæ.*

XVI. *Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Miſaëlis.*

XVII. *Lazari Epiſcopi, & martyris.*

Sed cur de iſtis Jeroſolymitanis, ſeu Paleſtinæis memoria in Kalendario Carmelitano? Et quare olim plures ex illis (nunc adhuc nonnulli) inſerti etiam Breviario Ordinis hujus? Quia nonnulli illorum cultores fuerunt Prophetici Eliani Ordinis, ſicut de SS. Prophetis *Iona, Michea, Abdia,*

Jeremia, ac de aliis demonſtratur à Lezana tomo I. Annalium Carmelit. & de aliquot diſcipulis Chriſti, & Joannis Baptiſtæ tomo 2. Præterea ratio alia eſt, quòd Ordo hic olim uſus fuerit Miſſali, & Breviario ſecundùm Eccleſiæ Jeroſolymitanæ ſeu Dominici Sepulchri antiquam conſuetudinem: ſed poſt totalem tranſmigrationem Ordinis ex Terra ſancta in Europam, paulatim relictis pleriſque Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ritibus, Miſſalia, & Breviaria in multis accommodata fuerunt ritibus Romanæ Eccleſiæ, ſicut pleniùs declarabitur hîc infrà ad diem VI. Octobris, ubi de feſto SS. Patriarcharum *Abraha*, *Iſaac*, & *Iacob*.

Et iſta hactenùs circa Speculi hujus partem IV. In parte V. tractabitur de viris ſingulari eruditione, libris in publicam utilitatem editis, aut primariâ Eccleſiaſticâ dignitate illuſtribus, ut eorum exempla diligentiæ nobis calcaria ſeu incitamenta ſint, ad ſtudia ſcientiarum (etiam Religioſis, præſertim Mendicantibus neceſſariarum) & ea ſociemus exercitiis regularis obſervantiæ & pietatis: in qua etiam plures iſtorum ſingulariter effulſerunt, & exempla quæ ſequamur, præbuerunt. De iſtis, qui in hoc Ordine præſertim in Europa claruerunt (exemplo S. Hieronymi, Gennadii, & aliorum plurimorum) agemus parte iſta 5. per totam: & in ejus Præfatione ratio tractationis iſtius pleniùs reddetur. Ideò opus non eſt circa illas diutiùs hîc immorari. Itaque poſt exhibitum hîc conſequenter Indicem librorum, Capitũ &c. Tomi hujus, in rem ipſam ingrediemur, & Vitas, ac Acta Sanctorum Ordinis hujus, de quibus jam antè, proferemus, & elucidabimus: & deindè in quinta parte Tomum hunc, & Speculum totum abſolvemus.

IN-

INDEX

Menſium, Dierum, Capitum & Summariorum, quæ in hoc Tomo II. Speculi Carmelit. Parte IV. & V. continentur.

S. PROPHETÆ ELIÆ

VITA ADMIRABILIS,

Raptus Triumphalis,
Feliciſſimus Status præſens,
Futurus regreſſus prodigioſus,
Ac denique glorioſus in cælum aſcenſus.

HISTORIA

Virtutum Heroicarum exemplis referta, & hinc utiliſſima; prodigiorum, ac eventuum ſingulariſſimorum varietate plena, inconcuſſæque veritatis, atque indè lectu jucundiſſima.

Ex Sacris Litteris, ac Patribus

CONCINNATA, ET ILLUSTRATA,

Per P. F. DANIELEM à V. MARIA.

PRÆFATIO. De utilitate, jucunditate, certitudine, & Scriptoribus Elianæ Hiſtoriæ.

§. 1. VTilitas multiplex. pag. 3
§. 2. Elianæ hiſtoriæ oblectans varietas. 5
§. 3. Elianæ hiſtoriæ inconcuſſa varietas, & ſummi culminis certitudo. ibid.
§. 4. Partitio operis: CHRISTI & ELIÆ vita quadruplici ſtatu differenti definita. 6

VITÆ S. P. ELIÆ PARS I.

Præconia, teſtimonia ſanctitatis, ortus, patria, primaq́ apparitio ipſius.

CAPVT I. Sacrorum utriuſque teſtamenti voluminum de magni Prophetæ ELIÆ dictis & geſtis eloquia, deque eminenti ſanctitate ejus teſtimonia. 6
CAP. II. Patrum Græcorum de ortu, vita geſtis, ac prærogativis ſingularibus zelotis ELIÆ aſſerta. 9
CAP. III. Ex Patribus Latinis deprompta S. ELIÆ eximia præconia. 12
CAP. IV Scriptores illuſtres alii de geſtis, & excellentiis S. ELIÆ. 15
CAP. V. Recentiores Scriptores Encomiaſtæ S. ELIÆ, & geſtorum ejus illuſtratores inſignes. & quædam ex eis delibata. 18
CAP. VI. S. ELIÆ Parentes, Tribus, Patria. 20
CAP. VII. S. ELIÆ ortus, mirabilis viſio parentis: an ſanctificatus in utero: corporis ſpecies & perfectio. 21
CAP. VIII. S. ELIÆ pueritia, adoleſcentia, ætas, quâ primùm apparuit, & cur tunc à Deo miſſus. 23

VITÆ S. P. ELIÆ PARS II.

Geſta Sancti ELIÆ *Prophetæ, ex Simeone Metaphraſte.*

Notatio Prævia. 24

Præfatio Auctoris Metaphraſtis. ibid.

CAP. I. Apparitio prima S. Prophetæ Eliæ: paſcitur à corvo, & à vidua: primus mortalium à condito mundo mortuum ad vitam revocat. 25

CAP. II. S. Elias ante Achab, quem intrepidè corripit: in Carmelo holocauſtum Deo offert, datò de cœlo igne ad ejus conſummationem. Dei zelo ſuccenſus 850. pſeudo-prophetas occidi jubet. In vertice Carmeli humillimis precibus pluviam impetrat. 27

CAP. III. Fuga Eliæ; mirabilis viſio in monte Horeb: unctio Hazael in Regem Syriæ, Jehu in Regem Iſrael, *Eliſei* in Prophetam. 28

CAP. IV. Achabo & Jezabeli ob injuſtam occiſionem Naboth, & occupationem vineæ ejus, ultio divina per S. Eliam prænunciata. Ochoziæ conſulenti Belzebub mors prædicta: duo quinquagenarii Principes cum ſuis militibus igne cæleſti abſumpti: tertius ob ſuam modeſtiam ſervatus. 30

CAP. V. S. Eliæ pallio aquæ Jordanis diviſæ: reliqua ejus geſta & præconia compendiò tradita. 32

Epitaphium S. ELIÆ, ſeu potiùs Elogium: utpotè adhuc viventis, ad limen Carmelitanæ ſpeluncæ appendendum. Ex veteris Teſtamenti Annaliſta Jacobo Saliano *Tomo* 4. *Annalium, ad annum mundi* 3139. 33

VITÆ S. P. ELIÆ PARS III.

S. ELIÆ *triumphalis raptus, locus, & ſtatus ejus adhuc viventis, cultus, & efficacia patrocinii.*

CAP. I. S. Elias diſcipulos ſuos per varia Collegia multiplicatos ante raptum ſuum viſitat, & in Eremiticæ vitæ Inſtituto confirmat. 34

CAP. II. Mirabilis S. Eliæ aſcenſus in curru igneo ex ſacris Litteris, & ſancto Chryſoſtomo. 35

CAP. III. Paradiſus terreſtris locus, in quo nunc degit ſanctus Elias. 37

CAP. IV. Status, ſeu conditio præſens ſancti Eliæ. 38

CAP. V. Cultus Sanctorum magno Prophetæ Eliæ attributus mox à ſuo raptu, & deinceps ſemper: quomodo cognoſcat preces noſtras. 41

CAP. VI. Litteræ à S. Elia è Paradiſo miſſæ ad Joram Regem Iſraël Apparitiones ejus, patrocinium efficax. 42

Digressio *ad Prophetiam quamdam attributam S. P. ELIÆ, de duratione mundi ſex millibus annorum.* 45

VITÆ S. P. ELIÆ PARS IV.

De futuro S. P. ELIÆ *reditu, geſtis tempore Antichriſti, martyrio, & glorioſo in cælos aſcenſu.*

CAP. I. S. Eliæ futurus regreſſus in mundum: per eum fideles confirmandi, Judæi ad Chriſtum convertendi. 46

CAP. II. Sancti Eliæ geſta prodigioſa tempore Antichriſti. 48

CAP. III. De poteſtate ſpirituali extraordinaria conferenda S. Eliæ, & de dignitate Apoſtolica. 50

CAP. IV. S. Eliæ, ejuſque conſortis Enoch martyrium, & glorioſus in cælum aſcenſus. 52

CAP. V. S. Elias Chriſti typus perfectiſſimus, ceu ſtella matutina lucis magnæ præambulum: eſtque epitome vitæ utriuſque. 53

CAP. VI. S. Elias ſacerrimæ Virginis Deiparæ ab originali peccato immunitatem in typo nubeculæ præcognovit, eamque nondum natam veneratus, & in duodecim privilegiis illi aſſimulatus fuit. 55

VITÆ S. P. ELIÆ PARS V.

Speculum religioſæ & perfectiſſimæ vitæ, omnigenarumque virtutum reſplendens in S. P. ELIA.

CAP. I. Virtutes tres Religioſo Monaſtico ſtatui eſſentiales primùm à ſancto Propheta Elia exercitæ, & aliis traditæ. 56

§. 1. Paupertas voluntaria. ibid.

§. 2. Caſtitas virginalis perpetua. 57

§. 3. Obedientia perfecta. 59

CAP. II. Sancti P. Eliæ exercitia quotidiana, Oratio, Pſalmodia, Meditatio, Contemplatio, divinæ præſentiæ jugis conſideratio. 59

§. 1. De oratione in genere, & ſpecialiter de vocali. ibid.

§. 2. Oratio mentalis, Dei præſentia. 60

CAP. III. Vitæ puritas, mortificatio, ſilentium, ſolitudo, fuga ſeculi, tentationum perpeſſio, & impugnatio, fuerunt comites Orationis & Contemplationis in S. Patre Elia. 61

§. 1. Vitæ innocentia, ſui abnegatio. ibid.

§. 2. Fuga ſeculi, ſolitudo, tentationum propulſatio. 62

CAP. IV. Virtutes Cardinales, & illis annexæ animam S. Eliæ mirificè exornantes. 64

§. 1. Prudentia. ibid.

§. 2. Juſtitia, & virtutes cognatæ. 65

§. 3. Fortitudo. 66

§. 4. Temperantia, & virtutes annexæ. 67

CAP. V. Virtutes Theologicæ, & flagrantiſſimus zelus magni Prophetæ Eliæ. 68

§. 1. Fides & Spes. 68

§. 2. Ardentiſſima charitas, & zelus. 69

Elogium *ad terreſtris Paradiſi januam appendendum.* 71

FUN-

FVNDAMENTA DVODECIM.

Quibus ſuperſtruuntur totius Monaſtices, & peculiariter Carmelitanæ Religionis antiquitas, ac continuata ſucceſſio. In iiſdem ſtabilitur veritas, & reſplendet evidentia Juris, quô Carmelitano Ordini aſſeruntur ſancti veteres Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & Virgines ſacræ, de quibus agitur in hac Parte IV.

FVNDAMENTUM I. S. Propheta ELIAS, & ejus hæres ſpiritualis *S. Eliſæus*, atq; utriuſque diſcipuli Religioſi, Monachi, & Eremitæ fuerunt. 72

FUNDAM. II. Religioſum Monaſticum Inſtitutum à S. Propheta ELIA plantatum, à *S. Eliſæo* ejus diſcipulo rigatum, & in utriuſque diſcipulis Filiis Prophetarum, Eſſenis, Therapeutis, &c propagatum, continuâ ſucceſſionis ſerie perſtitit uſque ad Chriſti Salvatoris adventum. 73

FUNDAM. III. Eſſeni in veteri Lege, longè ante Chriſti Nativitatem, & ſeculis aliquot poſt eam, Religioſæ Monaſticæ vitæ exercitatores, & continuatores tenaces, & propagatores *Eliani* Inſtituti. 75

Auctoritas Eccleſiæ, nec non Philonis, S. Hieronymi, S. Epiphanii, Palladii, Bollandi &c. confirmans hactenus dicta. 77

FUNDAM. IV. Identitatem, ac ſucceſſionem continuatam Inſtituti *Eliani*, & Filiorum Prophetarum, ac Eſſenorum, nec non Monachorum in primis ſeculis poſt Chriſtum, etiam confirmat identitas locorum. 78

FUNDAM. V. Identitas Inſtituti Eſſenorum, & Anachoretarum, ac Monachorum veterum tam in Palæſtina, quàm in Ægypto, eruitur quoque ex eadem ratione vivendi. 80

FUND. VI. In primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis Monaſticum, & Eremiticum Inſtitutum unicum erat, & indiviſum: & Monachi, Therapeutæ, Anachoretæ, fuerunt Monaſtices, ſeu vitæ Religioſæ à S. ELIA inchoatæ, per Filios Prophetarum, & Eſſenos continuatæ, ac propagatæ cultores; quidam ſucceſſione, quidam dumtaxat imitatione. 82

FUND. VII. Regula, ſeu norma vitæ Monaſticæ in Carmelo, duobus millibus annorum, & ultra, eadem quæ Eſſenorum, & Monachorum veterum Palæſtinæ in Lauris, & aliis pleriſque locis, nec non in Ægypto circa Alexandriam, & montem Nitriæ. 87

FUND. VIII. Carmelitanæ obſervantiæ veteris, olim in Terra ſancta, & modernæ in Europa, differentia quadruplex, manente identitate ſubſtantiali Religionis, & convenientiâ in cæteris ſubſtantialibus.

FUND. IX. Carmeli Religio à prima ſua Inſtitutione, ſemper habuit duplices profeſſores, videlicet vitæ Anachoreticæ, & cœnobiticæ: & manſiones Monaſticas, tam in Eremis, quàm in urbibus: eadem vitæ ratio etiam fuit inter Monachos Palæſtinæ, & Ægypti, ac Eſſenos. 89

FUND. X. Olim tempore veteris Legis, inter Filios Prophetarum, Rechabitas, Eſſenos, &c. aliqui tria vota monaſtica ſervabant, alii dumtaxat unum, alterumve; aut dumtaxat quaſdam religioſas obſervantias, juxta ſtatum ſuum: veluti nunc Tertiarii Ordinum Religioſorum: qui autem Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam ſervabant ex voto, veri nominis Religioſi cenſendi ſunt. 91

FUND. XI. Inter Eſſenos S. ELIÆ poſteros, & æmulatores, etiam fuerunt Virgines Sacræ, idem ſervantes Inſtitutum, præſertim in Lege Euangelicâ. 92

FUND. XII. Religioſi Monaſtici ſtatus prima ſcaturigo, & fons, indeſinentis fluxus uſque in præſens, magnus Propheta ELIAS. Hinc de antiquitate, & ſanctitate Religioſi Monaſtici ſtatus, mendacia Hæreticorum manifeſtata, & exploſa, ac dogma Catholicum ſtabilitum. 93

Religioſæ Monaſticæ vitæ perfectiſſimæ cauſa efficiens, exemplaris, finalis, & meritoria CHRISTUS Dominus: quem in ea veluti Solem, binæ Stellæ matutinæ, præceſſerunt magnus Propheta ELIAS, & in virtute, & Spiritu ejus S. Joannes Baptiſta. 94

CONCLUSIO, & Reſolutio de methodo, in ſequentibus ſervanda. 96

Monachi veteres in primis Eccleſiæ ſeculis fuerunt ſancti Prophetæ ELIÆ poſteri, & ſucceſſores, aut illius Religioſæ, Monaſticæ, Eremiticæ vitæ æmulatores: atque ita ab *Eliana* hiſtoria haud ſunt alieni: ſed ejuſdem legitimum ſubjectum; videlicet quidam directè tanquam hæreditariâ ſucceſſione, ut Pontifices loquuntur, à S. ELIA, per Filios Prophetarum, Eſſenos &c. procedentes: alii autem veluti ejuſdem Inſtituti æmulatores, & cultores. 96

Objectioni cuidam ſatisfit. 97

Scrupulus alius amovetur. 98

Quantæ certitudinis cenſenda Fundamenta jam tacta, atque etiam illa, quæ eiſdem ſuperſtruuntur: & Summarium omnium hactenùs dictorum. 99

JANUARIUS.

DE Sanctis aliquot Monaſtici, *Eliani*, Eſſeni Inſtituti cultoribus, in cælum evocatis, prioribus Januarii diebus. 100

VI. De *S. Petro Thoma* Patriarcha Jeroſolymitano, & *S. Andrea Corſino* Epiſcopo Feſulano, eximiis ſacræ Virginis MARIÆ cultoribus. 101

IX. De

IX. De *S. Iuliano* Patre decem millium Monachorum, & *S. Baſiliſſa* Matre plurimarum ſacrarum Virginum. Omnes iſti, juxta Cardinalem Baronium & alios adinſtar Eliæ, Eſſenorum inſtituta tenebant. 102

XI. De *S. Theodoſio* cœnobiarcha in Palæſtina, in locis, ubi olim diſcipuli, & poſteri S. Eliæ, Filii Prophetarum, & Eſſeni habitarunt. 103

XII. *De Ioanne Ieroſolymitano* Epiſcopo xliv. ex Carmeli incola, & Patre Religioſorum inibi, aſſumpto. 104

XIV. De SS. XXXVIII. Monachis Martyribus in monte Sina, & aliis plurimis, in locis vicinis, ubi olim moratus fuit S. Propheta Elias, & templum ei dicatum, ac Monaſterium. 105

XV. De Feſto Nominis Jesu. 106

XVII. De *S. Antonio* magni Prophetæ Eliæ æmulatore. 108

XIX. Vita *S. Dionyſii* Papæ ex Ordine prophetico *Eliano*, B. Virg. Mariæ de monte Carmeli. 110

Prolegomena ad vitam S. Dionyſii.

§. 1. *Epitome vitæ* S. Dionyſii: *undè oriundus, quàm diu Pontifex.* ibid.

§. 2. *Elogia quædam, & teſtimonia Sanctitatis, nec non Monachatus illius: Obiter aliqua ejus geſta attinguntur.* ibid.

§. 3. *Cultus* S. Dionyſii: *an Martyr.* 112

Vita, et Acta, ex libro Pontificali, S. *Athanaſio*, officio Canonico approbato, Platina, Gilberto Genebrardo, & Annalibus Eccleſ. ac Carmelitanis. 112

CAP. I. *S. Dionyſii* vita Monaſtica, ad Summum Pontificatum ſublimatio tempore ſæviſſimæ perſecutionis. *ibid.*

CAP. II. Sanctus *Dionyſius* Papa cauſam examinat Dionyſii Alexandrini: propterea Concilium cogit: ipſum abſolvit. 113

CAP. III. Sabellii per *Dionyſium* Papam profligata hæreſis: inter eam, & Arrianam media ſtrata via: Pauli Samoſateni fracta ſuperbia, & damnati errores. 114

CAP. IV. Parochiæ Urbis Romanæ, atque etiam alibi Diœceſes à *S. Dionyſio* Papa divitæ, & definitæ. 115

CAP. V. Salutaria *S. Dionyſii* Papæ documenta, utiliſſima pro Rectoribus tàm Eccleſiaſticis, quàm politicis: Sanctus ejus obitus, & cultus. 116

XX. De *S. Euthymio Theophoro*, incola locorum, ubi diſcipuli SS. Prophetarum Eliæ, & *Eliſei*, habitarunt, & eandem vitæ rationem tenuerunt. 117

XXII. Vita *S. Anaſtaſii* Martyris, Ordinis Beatiſſimæ Virg. de monte Carmeli.

Prolegomena ad vitam S. Anaſtaſii. 118

§. 1. S. Anaſtaſius *Monachus* Eliani *Carmelitici Inſtituti. Epitome, & Chronologia vitæ ejus: devotio erga Deiparam.* ibid.

§. 2. *Sanctitatis, & magni apud Deum meriti teſtimonia de Divo* Anaſtaſio. 121

Acta et Martyrium *S. P. N. Anaſtaſii Perſæ* ex Simeone Metaphraſte, & Laurentio Surio, recitata, & probata in Concilio Nicæno poſteriore, ut Baronius Tomo viii. habet.

CAP. I. *S. Anaſtaſii* patria, & ad Chriſtum converſio. 122

CAP. II. Monaſtica *S. Anaſtaſii* vita, profectus in virtutibus, tentationes dœmonis, martyrii deſiderium. 123

CAP. III. Præparatio ad Martyrium, imploratione Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, Captivitas, varia Cæſareæ illata tormenta, magna Martyris conſtantia & patientia. 124

CAP. IV. Iteratis vicibus maceratio in carcere, ſancta Martyris exercitia ibi: viſitatio Angelica: invictus ejus animus alios ad martyrium confortans. 127

CAP. V. Abductio in Perſidem: atrocia ibi illata tormenta, patienter, ſummâ animi fortitudine tolerata. 129

CAP. VI. Ultima ſupplicia *S. Anaſtaſio*, & Sociis illata: corpus S. Martyris illæſum à canibus, Stellâ radiante, demonſtratum. 130

MIRACVLA S. ANASTASII.

CAP. I. Virtus magna à Deo conceſſa *S. Anaſtaſio*, adversùs dæmones. 132

CAP. II. Miracula alia, meritis *S. Anaſtaſii* præſtita: tranſlatio Reliquiarum. 134

Appendix. *Devotio ad* B. Anaſtaſium *quâ occaſione, & quomodò aucta, & propagata per Belgium.* 136

XXV. Epitome vitæ B. *Archangelæ de Trino* Virginis, Monialis Ordinis B. Virg Mariæ de monte Carmelo, ex Lezana Tomo 4. Annalium Carmelitarum, ad annum Chriſti 1494. 137

XXVII. De *S. Ioanne Chryſoſtomo*, Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, Monaſticæ *Elianæ vitæ* cultore. 138

XXVIII. Vita *S. Cyrilli*, *Alexandrini* Epiſcopi, ſeu Patriarchæ ex Ordine B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, dogmatum fidei de Chriſto, & Genitricis ejus Dei-maternitate præclariſſimi propugnatoris. 140

Prolegomena ad vitam S. Cyrilli.

§. 1. Cyrilli *Sanctitate, & eruditione celebrati plures: De* S. Cyrillo *Alexandrino teſtimonia Sacrorum Conciliorum & Martyrologiorum.* 140

§. 2. *Præconia in* S Cyrillum *ex aliis.* 141

§. 3. S. Cyrilli *Monachatus, & Carmeli incolatus.* 141

§. 4. S. Cyrilli *ſcripta, vita Chronologia, cultus ſacer* 145

§. 5. *Epitome vitæ* S. Cyrilli *ex Arnoldo Boſtio, in Speculo hiſtoriali libro* 5. 145

§. 6. *Vita* S. Cyrilli, *quæ ſequitur, undè, & quanta auctoritatis cenſenda.* 147

Vita (Hiſtoria rerum magnarum varietate, & de recta circa Chriſtum, & ejus Genitricem Fide, doctrina, referta; & hinc lectu perutilis, ac jucunda.) Ex actis Sacrorum Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis, nec non ejus ſcriptis,

ac

ac approbato Breviario Carmelitano, & Eccleſiaſticis Hiſtoriis, ac Annalibus digeſta.

CAP. I. *S. Cyrilli* patria, ſtudia, Epiſcopatus. 147

CAP. II. *S. Cyrillus* Neſtorii execrandis dogmatibus ſe opponit: ejus mira manſuetudo. 149

CAP. III. Epheſinum Concilium Oecumenicum: *S. Cyrillus* in eo Præſes loco Cœleſtini Summi Pontificis: Damnatio Neſtorii. 153

CAP. IV. Lugubris tragædia, à Neſtorio bellum inſtauratum, criminatores adversùs S. *Cyrillum*, & ejus incarceratio, ac tandem victoria, & triumphus. 156

CAP. V. Continuatio victoriæ, & triumphi de Neſtorio per *S. Cyrillum*: geſta ejus alia poſt Concil. Epheſinum: beata mors. 159

XXVIII. De *S. Iacobo Porphyrionita* Carmeli accola, aut incola. 163

XXIX. Vita *S. Petri Thomæ* Patriarchæ Conſtantinopolitani, Legati Apoſtolici, Imperatorum, Regum, & Principum Pacificatoris, Virginis Deiparæ cultoris eximii, & viciſſim ab ea ſingulariter dilecti. 165

§. 1. S. Petrus Thomas *Apoſtolicorum Legatorum exemplar abſolutiſſimum. Legationes ejus præcipuæ: collati à Summis Pontificibus Epiſcopatus varii, Archiepiſcopatus, Patriarchatus.* 165

§. 2. *Scriptores vitæ* S. Petri Thomæ. 167

§. 3. *Teſtimonia, & elogia aliorum illuſtrium ex multis aliqua de* S. Petro Thoma. 168

§. 4. *Cultus* S. Petri Thomæ; *& an Martyr, an Confeſſor dicendus.* 169

VITA Scripta per Joannem Carmeſſonium Ordinis FF. Minorum, Magiſtrum in Sacra Pagina, Terræ S. Miniſtrum: circa ann. Chriſti MCCCLXX. 171

CAP. I. *S. Petri* Nativitas, morum inſtitutio & doctrinæ. 172

CAP. II. Pia religioſæ vitæ illius converſatio: & Beatiſſ. V. MARIÆ erga eum mira benignitas. 173

CAP. III. Prædicatio illius fervida, miraculis colluſtrata. 174

CAP. IV. Oratio & Contemplatio illius claritate Divinâ perfuſa: arcana reſerat. 176

CAP. V. Miraculoſa varia promotio *S. Petri Thomæ* ad faſtigium prælaturæ, & ad Reges ablegatio. 178

CAP. VI. Proſecutio Legationũ S. Prælati, Regumque ac Principum per eumdem Pacificatio. 179

CAP. VII. Amor S. Legati erga proximum: Imperator, ab eo in fide confirmatus, & Barnabous refragus Eccleſiæ readunatus. 181

CAP. VIII. Paſſagium, ſive expeditio Sacra, illiuſque S. Paſſagii Legatus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus *S. Petrus* conſtitutus. 183

CAP. IX. S. Crux exaltata, Alexandrina Urbs intercepta, & demum derelicta, S. Legati deſiderium pateſcit Martyrii. 184

CAP. X. S. Patriarchæ erga peccatores compaſſio; ſchiſmaticos & Hæreticos zelus; ac peſtiferos, opitulatio. 185

CAP. XI. Alexandriæ Urbis deperditæ lamentatio. In Cyprum reditus, S. Prælati ægritudo; pia ad mortem præparatio, piuſque illius obitus. 187

CAP. XII. Miraculorum meritis viri Dei operatio, ac eorumdem juridica traditio. 189

APPENDIX ad vitam *S. Petri Thomæ.*

§. 1. *De revelatione, ac ſponſione B. Virginis* MARIÆ *ipſi* S. Petro Thomæ *facta, de patrocinio, ac perpetua duratione Ordinis FF. ejuſdem Beatiſſ. Virg. Dei Genitricis* MARIÆ *de monte Carmeli.* 195

§. 2. *Fundatio Sacræ Theologicæ Facultatis Bononiæ facta, antesignano* S. Petro Thoma. 196

§. 3. S. Petrus Thomas *peſte infectis ſingularis patrocinator.* ibid.

Vita alia *S. Petri Thomæ* &c. Auctore R. P. Waddingo, Ordinis Minorum Chronographo, & S. Inquiſitionis Romanæ Cenſore &c. 198

CAP. I. S. Petri Thomæ *patria*, inſtitutio, in Religionem ingreſſus, mira erga B. Virginem MARIAM devotio. 199

CAP. II. Ipſius doctrina, electio ad officium Procuratoris Generalis, conciones frequentes coram Pontifice, & Cardinalibus. 201

CAP. III. Mira prædicationis ejus venuſtas, & efficacia exactaque obſervantia regularis in Monaſterio. 201

CAP. IV. *S. Petro Thomæ* collati Epiſcopatus Pactenſis ac Liparenſis, & commiſſa Apoſtolica legatio ad Genuenſes ac Mediolanenſes, deinde ad Reginam Neapolitanam, ac tum ad Regem Raſſiæ. 202

CAP. V. Nunciatura Apoſtolica ad Regem Hungariæ & Venetos, deinde ad Imperatorem Græcorum: Iter in Palæſtinam, orationis fervor, & extaſis. 204

CAP. VI. Reditus illius ad Pontificem: tranſlatio ad Epiſcopatum Coronenſem: Legatio Apoſtolica univerſalis in Oriente: Creta ab hæreſi per eum purgata. 205

CAP. VII. Inauguratio Petri Regis Cypri per *S. Petrum Thomam*: Græcorum Schiſmaticorum reductio per eumdem: Eccleſiæ Coronenſis reformatio: peſtis è Cypro profligatio. 206

CAP. VIII. Provectio ejus ad Archiepiſcopatum Cretenſem, ac deinde ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum: Principes multi per eum pacificati: vitæ diſcrimina. 208

CAP. IX. Geſta & virtutes illius in Legatione explicationis Sacræ: Alexandria intercepta, derelicta. 209

CAP. X. Anathematis à *S. Petro* lati efficacia: illius in Cyprum regreſſi jejunia, vigiliæ, nudipedatio, ægritudo. 210

CAP. XI. In nuda humo depoſitus, & fune ad collum appenſo, ſe ad mortem diſponit. 211

CAP. XII. Sanctus obitus, cœleſti lumine decoratus: exequiæ, miracula poſt mortem. 212

BULLÆ Apoſtolicæ Innocentii VI. & Urbani V. Summorum Pontificum de legationibus, & rebus geſtis S. Petri Thomæ. 213

XXX. *Vita S. Teleſphori Papæ*, & Martyris, ex *Eliana* Carmelitanæ Religionis ſectatore. Prolegomena. 225

§. 1. *Sub Antonino Imperatore floreſcente Eccleſiæ ſtatu, floret quoque vetuſtum Prophetici, ſeu* Eliani *Ordinis Inſtitutum Monaſticum.* 227

Nota R. P. Segeri Pauli in vitam S. Teleſphori. 228

§. 2. S. Teleſphorus *Carmelitanæ Religionis, hoc tempore Ethnicis quoque Scriptoribus cognitæ, ſectator exiſtit.* ibid.

§. 3. *Idem* Teleſphorus *Romanæ Eccleſiæ Pontifex creatur.* 229

§. 4. *Quadrageſimam collapſam inſtaurat: Clero ſeptem hebdomadarum abſtinentiam a carnibus præſcribit.* 230

§. 5. *Tres Miſſas in Nativitate Domini celebrandas, & hymnum Angelicum* Gloria in Excelſis, *ac ſacrum Evangelium in Miſſa recitandum decernit.* 231

§. 6. *Alia multa præſcribit documenta.* ibid.

§. 7. *Sollicitam Eccleſiæ curam gerens* Teleſphorus, *per diverſas Orbis partes divini verbi præcones mittit.* ibid.

§. 8. *Valentino & Marcioni hæreſiarchis, ſuis temporibus exortis, cum cæteris Apoſtolicis viris fortiter reſiſtit.* 232

§. 9. *Illuſtri coronatus Martyrio, & annua ejus celebratur Feſtivitas.* ibid.

FEBRUARIUS.

II. DE Feſto Purificationis Beatiſſ. Virginis Dei Genitricis MARIÆ. 233

IV. Vita *S. Andreæ Corſini* Epiſcopi Feſulani &c. 235

§. 1. *Teſtimonia divinæ ſanctitatis ejus: Scriptores vitæ & tempus Epiſcopatûs: à quibus dictus, Præſulum abſolutiſſimum exemplar.* 235

§. 2. S. ANDREÆ *veneratio mox ab obitu, & cultus antiquus.* 237

Vita, & virtutes compendioſè traditæ: ex Actis Canonizationis, longò, accuratiſſimoque examine diſcuſſis, & auri inſtar probatis: ex Impreſſo Romano. 238

Sertum Floſculorum redolentiſſimorum pietatis, & elegantiæ &c. 240

Reſponſio Joannis Ciampoli *ſecretarii Apoſtolici domeſtici ſanctiſſimi D. N. Urbani Octavi.* 241

CAP. I. Sancti Eccleſiam exornantes, & illuminantes, inſtar Stellarum, inter quos ſingulariter coruſcat *S. Andreas Corſinus.* 242

CAP. II. *S. Andreas* ex illuſtri parentela ortus inſigni præſagio comitante: educatio & adoleſcentia: memorabilis converſio ad Monaſticum inſtitutum. 243

CAP. III. Ingreſſus in Ordinem B. Virginis MARIÆ: tirocinium, profeſſio, virtutum heroicarum exercitatio. 245

CAP. IV. Sacerdotium inſigni favore B. Virginis decoratum: cœci illuminatio: Monaſterii præfectura: miracula alia: prophetica prædictio. 246

CAP. V. Epiſcopatus Dei revelatione collatus, comitante Virginis Deiparæ apparitione: eximiis virtutibus abſolutiſſimum exemplar Præſulum: liberalitas, & charitas erga egenos planè admirabilis. 248

CAP. VI. Zelus ardens in excitandis, & inſtaurandis Sacris ædibus: Eccleſiaſtici juris vindicatio: Apoſtolicæ Sedis veneratio; Legatio Apoſtolica: Eccleſiaſticæ diſciplinę tenax vigor. 250

CAP. VII. De mundo ad cælum evocatio per B. Virginem MARIAM: Sanctus obitus, variis apparitionibus nobilitatus: incorruptæ virginitatis laureâ decoratus: multiplicia miracula, corporis tranſlatio. 252

CAP. VIII. Miraculum nobiliſſimum, & teſtatiſſimum, Florentinorum, ac ipſius Summi Pontificis gravi bello preſſorum, victoria: Beatificatio, Canonizatio. 254

Miraculorum præcipuorum recenſus. 256

Summi Pontificis, S. R. Eccleſiæ Cardinalium, nec non aliorum Præſulum teſtimonia. 257

§. 1. *Urbani VIII. Romani Pontificis teſtimonium, & inſigne elogium.* 257

Suffragia S. R. E. Cardinalium. 258

Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum judicia. 261

Inſtrumentum in Canonizatione S. Andreæ Corſini *Carmelitæ ex impreſſo Romanæ Typographiæ Rev. Cameræ Apoſtolicæ anno* 1629. 263

APPENDIX ad vitam *S. Andreæ Corſini,* Epiſcopi. 264

Florentini Senatûs, & populi eximia pietas, ac ardens ſtudium erga cultū S. Andreæ Corſini. 266

XIII. Vita mirabilis S. *Euphroſynæ* Virginis. 268

CAP. I. *S. Euphroſynæ* fructus orationis: ejus parentes: pia educatio, deſponſatio: electa à Deo in ſponſam. 296

CAP. II. Deſiderium vitæ præſtantioris: fuga: vita in Monaſterio virorum: tentationes: vita ſolitaria per annos 38. 270

CAP. III. Paphnutii patris mœror de filia non inventa: inquiſitio, conſolatio. 271

CAP. IV. *S. Euphroſynæ* colloquium cum Patre: ſui manifeſtatio ipſi facta: utriuſque Sanctus obitus. 272

XXV. Vita S. *Avertani* Confeſſoris ab ipſa Cæli Regina in peculiarem clientem, ac filium adoptati. 273

§. 1. *Antiqua veneratio, & cultus* S. *Avertani.* 274

§. 2. *Triplex ſepultura, ſeu tranſlatio* S. Avertani, *& quædam de* B. Romæo, *ex notis P. Segeri.* 275

Vita ex Italico in Latinum tranſlata, Per R. P. Segerum Paulum Colonienſem Ordin. B. Virg. MARIÆ de monte Carmeli. 276

CAP. I. Nativitas *S. Avertani,* & pueritia admodum virtuoſa. 277

CAP. II. Angelico monitu jubetur ingredi Ordinem B. Virg. MARIÆ de monte Carmeli. *ibid.*

CAP. III. Parentes ex ejus valedictione magno afficiuntur mœrore, quos ipſe plenè conſolatur. *ibid.*

CAP. IV. In ejus Religioſa inveſtitione inter Fratres Laicos, auditur melos Angelicum, ac Virgo Deipara eum benedicens, in clientelam ſuam ſuſcipit. 278

CAP. V. De perfecta obſervantia trium votorum Religioſorum, ac mentis exceſſu, quo in Deum rapiebatur. 278

CAP. VI. Ejus perfecta Charitas oſtenditur. *ibid.*

CAP. VII. Orandi aſſiduitas animam ejus in extaſim rapit, & genua ipſius, ferri inſtar, induréſcere facit. 279

CAP. VIII. Sacra loca, cum ſocio *Romæo*, devotè viſitat. *ibid.*

CAP. IX. Italiæ urbibus ob peſtis rumorem excluditur, & *Lucam* perveniens, infirmitate corripitur. *ibid.*

CAP. X. Ingraveſcente Febris ardore, extaſim paſſus, tria Divinitùs cognoſcit ac prædicit futura. 280

CAP. XI. In magna ſui deſpicientia moritur: à Chriſto ejuſque Matre inviſitur; ipſeque locus odore mirifico, ac ſplendore cæleſti illuſtratur. *ibid.*

CAP. XII. Defunctum campanæ in circuitu ſuâ ſponte pulſantes honorant: aliaque multa ſubſequuntur miracula: & corpus ejus ſolemni proceſſione in primariam urbis Eccleſiam Parochialem transfertur. 281

CAP. XIII. De effectu triplicis Prophetiæ à B. *Avertano* morituro prolatæ. *ibid.*

CAP. XIV. De felici morte B. *Romæi*, cui S. *Avertanus* in obitu apparuit. 282

APPENDIX. *ibid.*

MARTIUS.

I. DE S. *Eudocia*, & B. *Germano*.

VI. *Vita S. Cyrilli, Doctoris*, Tertii Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum, Divinis revelationibus, & Virginis Deiparæ apparitionibus illuſtrati. 283

NOT. PRÆVIA. In faſtis ſacris, & à Scriptoribus plurimis deprædicata Cyrilli ſanctitas; quam etiam manifeſtant cæleſtes viſiones, ac revelationes illi factæ: à quibus vita ejus ſcripta. *ibid.*

Vita ex Arnoldi Boſtii Speculo hiſtoriali libro 7.

CAP. I. S. *Cyrilli* patria: ſtudia: profectio ad Sultanum Iconii: Legatio nomine Imperatoris ad Summum Pontificem: controverſia cum Patriarcha Conſtantinopolitano. 285

CAP. II. Qualiter idem Sanctus à B. Virgine admonitus, Religionem Fratrum montis Carmeli intraverit. 286

CAP. III. De converſione Armenorum per eundem Sanctum. *ibid.*

CAP. IV. De duabus Tabulis argenteis, eidem Sancto viro celebranti per Angelum oblatis. 287

CAP. V. Miracula: Electio in Priorem Generalem: Revelatio de multiplicatione Ordinis in Europa: Sanctus obitus. 288

VITA Ex Baptiſtæ Mantuani libro 3. Faſtorum, ſeu de ſacris diebus. 289

De Oraculo Angelico, ſeu revelatione quoad futurum ſeculi ſtatum, expreſſa in duabus Tabulis argenteis, ab Angelo allatis ad S. Cyrillum anno Chriſti MCXCII. die 21. Octobris, Feſto S. Hilarionis. 290

§. 1. *Teſtimonia variorum de iſto Oraculo.* 290

§. 2. *Epiſtola S. Cyrilli ad Abbatem Ioachim: & hujus reſponſio.* 292

§. 3. ANNOTATA *quædam circa Oraculum illud: & quædam excerpta indè, & ejus expoſitione, ac gloſſulis P. Lezanæ.* 293

XIII. *Vita S. Euphraſiæ Virginis, Eliani* Carmelitici Ordinis alumnæ, profundâ humilitate, cœcâ arduâ obedientiâ, mirâ abſtinentiâ, triumphali victoriâ adversùs dæmones, atque aliis heroicis virtutibus conſummatæ in brevi, explentiſque tempora multa.

NOT. prævia. 296

VITA, in vitis Patrum copiosè ſcripta, compendiosiùs hîc tradita. 297

CAP. I. *S. Euphraſiæ* parentes pietate & nobilitate illuſtres: deſponſatio: profectio in Ægyptum, matre viduâ: ingreſſus in Monaſterium: obitus matris. *ibid.*

CAP. II. *S. Euphraſiæ* litteræ ad Imperatorem: abſtinentia mirabilis: humilitas: prompta ac cœca obedientia: tentationes dæmonis multiplices victoriosè ſuperatæ. 298

CAP. III. *S. Euphraſiæ* poteſtas à Deo data ſanandi infirmos, & liberandi energumenos: imperium in dæmones: Sanctus obitus ejus. 301

XIX. *De S. Joſepho* Sponſo Deiparæ Virginis, Nutritio Chriſti. 303

§. 1. *Cultus antiquus* S. Joſephi *in Ordine Carmelitano.* *ibid.*

§. 2. S. Joſephi *excellentia, ſeu honores* XII. *matrimonium ejus cum Virgine* MARIA: *votum utriuſque virginitatis.* 304

EPITOME VITÆ ex Baptiſta Mantuano lib. 3. de ſacris diebus. 307

XX. *De S. Joachim* Patre B. Virginis Genitricis Dei MARIÆ, Protectore Ordinis Carmelitani. 308

§. 1. *Cultus antiquus* S. Joachim *in Ordine Carmelitano.* *ibid.*

§. 2. *Genealogia* S. Joachim, *& conſequenter Deiparæ*, & JESU Chriſti, *nec non* S. Joſephi. *ibid.*

§. 3. *Sanctitas, & magna apud Deum merita* B. Joachimi *verſibus expreſſa.* 310

XXV. *De Feſto Annuntiationis* admirabilis Virg. Matris MARIÆ, ac de myſterio Incarnationis, & Corolla virtutum, hoc, & cæteris omnibus ejuſdem Feſtivitatibus utiliter legenda, utiliùs conſideranda, utiliſſimè (practicâ imitatione Virginis Deiparæ) in ornamentum animæ noſtræ aſſumenda. 311

COROLLA, *ſeu ſertum virtutum, quibus (gratia Dei cooperando) ſe dignam reddidit*

fieri Dei Matrem, & exaltari ſuper omnes Angelorum, ac Sanctorum choros; ex S. ſcriptura contexta. 313

Primus flos: Corollæ, ſeu Serti (primus quoque gradus Scalæ cæli) virtutum Cardinalium amicabilis confœderatio. 313

II. Flos Humilitas. 314

III. Flos Obedientia. 315

IV. Flos Caſtitas. *Ibid.*

V. Flos Paupertas voluntaria. 316

VI. Flos Solitudo & Silentium. *Ibid.*

VII. Flos Patientia. 317

VIII. Flos Conſtantia, Perſeverantia. *Ibid.*

IX. Flos Manſuetudo, Modeſtia. 318

X. Flos Miſericordia, & Charitas erga proximum. *Ibid.*

XI. Flos Religio, oratio, meditatio, contemplatio intermixta operationi. *Ibid.*

XII. Flos Dei Laudatio; erga eum reverentia, gratitudo, cum ejus beneplacito conformitas. 319

XIII. Flos Fides. *Ibid.*

XIV. Flos Spes, fiducia in Deum. 320

XV. Flos Charitas erga Deum. *Ibid.*

XXIX. *Vita S. Bertholdi*, primi ſub nomine Prioris Generalis.

Not. prævia. 322

§. 1. *Ordinis hujus ſtatus, uſque ad tempus* S. Bertholdi: *mutatio tunc facta: cur dicatur Primus Prior Generalis.* *ibid.*

§. 2. *Scriptores de* S. Bertholdo, *& ſanctitate ejus.* 323

Vita, ex libro 6. Speculi hiſtorialis Arnoldi Boſtii.

CAP. I. *S. Bertholdi* proſapia, ſtudia, profectio ad Terram-ſanctam. 324

CAP. II. Jeroſolymitanus triumphus: Carmelitanæ Religionis renovatio, auctore præcipuo *S. Bertholdo*: revelatio ipſi facta: obitus: miracula. 326

Vita, ex antiquis monumentis & Scriptoribus compendioſè digeſta per Segerum Pauli, Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli Theologum, Colonienſem 328

CAP. I. *S. Bertholdi* patria: votum de capeſſendo ſtatu Religioſo: ingreſſus in Ordinem Carmeli. *Ibid.*

CAP. II. *S. Bertholdus* primus ſui Ordinis Prior Generalis Latinus. 328

CAP. III. Quàm proficuè Ordini ſuo præfuerit *S. Bertholdus*: à Summis Pontificibus gratiis, à Deo miraculis, & cæleſtibus viſionibus decoratus: ſanctus ejus obitus: cultus. 330

Appendix. Chronologia regiminis, & ſucceſſionis in Officio Prioris Generalis *S. Bertholdi*, & ſex aliorum ſubſequentium, illuſtrata. 331

Quæstiuncula, *Quâ ratione* S. Bertholdus *in magna vitæ auſteritate, & ſolicitudine vitam produxerit ad annos CXV.* 333

DE FESTO S. MARIÆ DE PIETATE ſeu Dolorosæ,

Feria 6. poſt Dominicam Paſſionis; & quolibet Sabbato Quadrageſimæ utiliter legenda. 334

APRILIS.

II. De *B. Nicolao* Confeſſore non Epiſcopo.

VIII. *Vita S. Alberti* Patriarchæ Hieroſolymitani, Carmelitanæ Regulæ Scriptoris. 339

§. 1. *Teſtimonia Sanctitatis, & eruditionis.* 339

§. 2. S. Alberti *Epiſcopatus, & Patriarchatus Ieroſolymitanus.* *Ibid.*

§. 3. S. Albertus *Legifer Carmelitani Ordinis.* 341

§. 4. *Vita* S. Alberti *compendiosè tradita.* 342

§. 5. *Vita ejuſdem epitome, ex Italia Sacra Ferdinandi Vghelli.* 343

§. 6. *Genus mortis, cultus ſacer.* 344

MAJUS.

II. *Vita Beati Staniſlai Poloni.* Ex Catalogo Sanctorum Regni Poloniæ, edito per Varſevicium Cracovienſem Canonicum, & ex Biſcareto in Palmitibus Vineæ Carmeli, ac Annalibus Ordinis ad annum 1420. 346

V. *Vita S. Angeli Hieroſolymit.* Martyris, Doctoris, Virginis, nati favore Deiparæ Virginis, etiam nomen imponentis. 347

Notata Prævia. §. 1. *Cultus S. Angeli: elogia, & teſtimonia nonnulla Sanctitatis ejus: colloquium, & converſatio cum SS. Dominico ac Franciſco.* ibid.

§. 2. *Scriptores Vitæ S. Angeli.* 349

§. 3. *Synodus comprobans B. Angeli Sanctitatem.* 350

Vita, per Reverendiſſ. D. Enoch Patriarcham Hieroſolym. ſcripta anno 1227. & à R. D. Thoma Bellorofio Canonico Panormitano in Capita digeſta, ſicque edita anno 1527. 351

Epiſtola dedicatoria Thomæ Bellorofii. ibi.

Prologus Enoch primigenii Scriptoris vitæ *S. Angeli.* 353

CAP. I. De Teſtibus, & Synodo approbante Vitam *S. Angeli*, cum compendio ejus Martyrii. *Ibid.*

CAP. II. De Parentibus *S. Angeli*, & Apparitione glorioſæ Virginis illis facta. 354

CAP. III. De converſione Sancta Parentum *S. Angeli*, ejuſque nativitate, & miraculoſa infantuli abſtinentia. 355

CAP. IV. De *S. Angeli* educatione, ſtudio litterarum, & propoſito ingrediendi Religionem. 357

CAP.V. De ingreſſu Religionis, & victûs abſtinentia: de camiſia ferrea, & aliis indumentis: de ſtrato, ſomno, & modo orandi. 358

CAP.VI. De primo Miraculo *S. Angeli*. *Ibi.*

CAP.VII. De Miraculis S. Joannis fratris *S. Angeli*. 359

CAP.VIII. De *S. Angelo* tranſeunte unà cum 70. hominibus ſupra Jordanem ſiccis pedibus. *Ibid.*

CAP.IX. De reſuſcitato Joſepho adoleſcente à *S. Angelo*. 360

CAP.X. De receſſu *S. Angeli* iterum in deſertum, & de operimento ejus cappæ albæ, quam reliquit, quo ſeptem mortui reſuſcitati, & mundati quatuor leproſi ſunt. 361

CAP.XI. Quòd S. Joannes frater *S. Angeli* fuit electus in Patriarcham Hieroſolymitanum, juxta revelationem B. Virginis: & *S. Angelus* remanſit quinque annis in deſerto, nutritus, & viſitatus quotidiè ab Angelis. *Ibid.*

CAP.XII. Quòd Chriſtus cum multitudine Angelorum apparuit *S. Angelo*, cui præcepit, ut iret in Siciliam, ad prædicandum, & ad ſubeundum martyrium. 362

CAP.XIII. De reſponſione *S. Angeli* ad Chriſtum, deque commendatione civitatis Hieruſalem. *Ibid.*

CAP.XIV. Revelatio Chriſti de Regnis & Provinciis Chriſtianorum occupandis ab Iſmaëlitis, ſive Agarenis, deque Imperio Turcarum extendendo uſque ad Regnum Ungariæ: quorum armis caſtiganda foret ipſa etiam ferè tota Europa, & Italia, ac ferè omnes Chriſtiani. 363

CAP.XV. Revelatio de Rege, qui liberaturus eſt Orbem Chriſtianum è manibus Turcarum. *Ibid.*

CAP.XVI. De reditu *S. Angeli* à deſerto, & converſione 80. Judæorum in Hieruſalem. 364

CAP.XVII. De receſſu ab Hieruſalem, & adventu *S. Angeli* in Alexandriam. *Ibid.*

CAP.XVIII. De navigatione *S. Angeli*, captivatis quatuor triremibus Saracenorum, quorum ſeptuaginta fulminati, cæteri omnes cœci facti ſunt; quorum cæteri crediderunt in Chriſtum. *Ibid.*

CAP.XIX. De adventu *S. Angeli* in civitatem Meſſanam, deque reſtituta muto loquela. 365

CAP.XX. De adventu *S. Angeli* ad portum civitatis vetulæ, deque Reliquiis allatis Dom. Frederico de Claramonte. *Ibid.*

CAP.XXI. De ſancto colloquio *S. Angeli* cum SS. Dominico, & Franciſco, deque Leproſo mundato. *Ibid.*

CAP.XXII. Quòd *S. Angelus* Panhormi convertit ad fidem ſeptem ſuprà ducentos Judæos. 366

CAP.XXIII. Quòd *S. Angelus* mundavit ſeptem leproſos, & ſanavit Archiepiſcopum Panhormitanum ab incurabili infirmitate. *Ibi.*

CAP.XXIV. Quòd *S. Angelus* Agrigenti curavit paralyticos; dæmoniacos, cæcos, & ſurdos. 367

CAP.XXV. Quòd *S. Angelus* venit ad oppidum licatam, & cœpit exequi mandatum Domini. *Ibid.*

CAP.XXVI. Quòd *S. Angelo* apparuit D. Joannes Baptiſta, & animavit eum ad ſubeundum martyrium, cujus diem prædixit. 368

CAP.XXVII. De Martyrio, & tranſitu *S. Angeli*. *Ibid.*

CAP.XXVIII. Quòd anima *S. Angeli* apparuit Gotfredo Archiepiſcopo Panhormitano, cui commendavit corpus ſuum, ut ſepeliret. 369

CAP.XXIX. De funere *S. Angeli*, & Miraculis. *Ibid.*

CAP.XXX. Revelatio D. Joannis Baptiſtæ facta Beato Athanaſio de Claramonte Patriarchæ Alexandrino, qui eam ſcripſit fratri ſuo Frederico de Claramonte Panhormitano. 370

EPISTOLA Thomæ Bellorouſii, ad Ampliſſimum Patrem Magiſtrum Nicolaum Audetum, de quotidianis miraculis *S. Angeli* Martyris, in oppido Leucatæ, ubi ſepultus eſt: deque fonte vivo, & fluxu Olei medicinalis, in loco ſepulturæ dicti Martyris glorioſiſſimi. 371

EPITOME *Vitæ* S. Angeli, ex *Baptiſta Mantuano lib. 5. Faſtorum.* 372

COMMENTARIUS ad caput XIII. XIV. & XV. Vitæ *S. Angeli*. *Ibid.*

Oracula, Vaticinia, ſeu Prophetica prædictio à Chriſto per *S. Angelum*, de Chriſtianæ Reipublicæ afflictione, ac dein conſolatione, Turcici imperii incrementis, & denique excidio; Hungarici Regni frequenti vaſtatione, tandemque Hieroſolymæ recuperatione, illuſtrata. *ibid.*

§.1. Ieroſolyma, Terra-ſancta, & aliarum pluſimarum Provinciarum Chriſtiani nominis amiſſio, & Turcici imperii maxima dilatatio, à S. Angelo *prænuntiata, jam magna ex parte adimpleta.* 373

§.2. De liberando Orbe Chriſtiano à Tyrannide Turcarum. Ad caput XV Vitæ S. Angeli. 375

§.3. De Turcici Imperii everſione, & fine ſectæ Mahumetanæ: ubi etiam de Turcarum origine, & Alcorano. 376

§.4. Quâ ratione Chriſtiani Turcis reſiſtere, & Victoriam ac triumphum de illis reportare poſſint. 378

Miracula, & gratiæ, interceſſione, & ad invocationem S. Angeli, *ex Actis authenticis deſumpta.* 382

CAP.I. *S. Angelus* Protector Leocatæ, & Leocatenſium ergà eum devotio. *Ibid.*

CAP.II. Vetula miraculoſè facta eſt lactans, ut prolem à morte præſervet: duo hydropici, *S. Angelo* intercedente, ſanati. *Ibid.*

CAP.III. Leproſus mundatus, claudi, impotentes, ac infirmi plures curati. 383

CAP.IV. Tria mirabilia facta ad Sepulchrum *S. Angeli*. *Ibid.*

CAP.V. Leocata ab invaſione Turcarum liberata, & Cives duo à ſervitute, meritis *S. Angeli*. 384

CAP. VI. Apparitiones *S. Angeli*, à periculis ſalvantis, & morbos varios ſanantis. 384

CAP. VII. Favores alii, & Miracula S. Martyris in extremis neceſſitatibus, & eventibus. 385

CAP. VIII. Mortui reſuſcitati, cæci illuminati, aliique à morte præſervati. 385

CAP. IX. De Leocatenſium conſtanti devotione ergà *S. Angelum*: De Feſto celebri, & ſupplicatione ſolemni, & miraculis in eorum favorem patratis. 385

CAP. X. De honoribus *S. Angelo* Leocatæ exhibitis. 385

CAP. XI. De cultu S. Martyris in urbe Panhormitana, ubi in Patronum & Protectorem delectus, celebratur ſolemni Feſto. 386

CAP. XII. Concluſio cum reflexione morali, & Chronologica ad vitam *S. Angeli*, & quomodò iteratis vicibus apparuerit B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi. 386

Miracula, & Beneficia, miſericordiâ Domini, intercedente *S. Angelo* Virgine & Martyre, Sacerdote Carmelita Jeroſolymitano, Protectore civitatis Leocatæ in iſta Curia ſpirituali, ſolemni teſtificatione deſcripta. 386

CAP. I. Miracula *S. Angeli* olim per Notarios Leocatæ, in magnis voluminibus ſcripta: novum volumen confectum anno 1628. ejus authenticum miſſum in Belgium: & indè extracta ſequentia. 386

CAP. II. Leocata meritis *S. Angeli* à peſte liberata; eam ob cauſam novi templi conſtructio decreta, ac in beneficii memoriam, novum Feſtum inſtitutum anno 1625. 388

CAP. III. *S. Angelus* Patronus & Protector Panhormitanæ urbis eligitur anno 1626.

CAP. IV. Ex Relationibus juratis teſtium ultrà centum, prima tota, & duæ ſequentes compendioſiùs deſcriptæ. 391

CAP. V. Sacerdotes alii, & Religioſi, jurati teſtes miraculorum, meritis *S. Angeli*. 392

CAP. VI. Doctores utriuſque Juris, Doctores artium, & medicinæ, atque alii promiſcuè oculati jurati teſtes miraculorum, & beneficiorum, per interceſſionem *S. Angeli*. 394

CAP. VII. Miracula *S. Angeli* in Actis Sanctorum Ordine digeſta per capita XII. quorum Summaria hic traduntur. 397

VIII. *Vita*, & *Miracula B. Aloyſii* (ſeu Ludovici) Rabbatæ, Siculi, Prioris Conventûs Randazenzis.

CAP. I. Vitæ epitome, ex Sicilia ſacra Rocchi Pirri Abbatis Netini S. Theol. ac utriuſque Juris Doctoris: & quædam elogia ex aliis. 399

CAP. II. Informationes, auctoritate Illuſtriſſ. DD. Archiepiſcoporum Meſſanenſium, circa vitam, & miracula *B. Aloyſii* Rabbatæ. 400

CAP. III. Geſta, & virtutes ejus aliquot præcipuæ: obitus: miracula. 403

XII. *Vita B. Nonii Alvares Pereira.* Ex Comeſtabili Luſitaniæ, magnoque Principe, humilis Donati in Ordine B. V. Mariæ de monte Carmeli, ipſius Deiparæ cultus ſtudioſiſſimi.

Notatio prævia. 405

Vita, ex Agiologio Luſitano, auctore Georgio Cardoſo, Presbytero Luſitano. 407

CAP. I. Trophæa, & virtutes in ſeculo, præſertim eximia ergà SS. Euchariſtiæ Sacramentum, & Virginem Mariam pietas: Templa plura, & Monaſterium ad ejus honorem conſtructa: jejunia in pane & aqua: Caſtitas in matrimonio. 407

CAP. II. Ingreſſus in Religionem: humilitas: viliora Ordinis miniſteria: exercitia: liberalitas in pauperes. 408

CAP. III. Obitus piiſſimus, ad iſta Evangelii verba: *Ecce mater tua*; honorata ſepultura: ad eam populi devotio, concurſus, & miracula. 409

Deſumpta ex Commentario Georgii Cardoſo, in dicto Agiologio 410

De diſtributione bonorum *B. Nonii* facta ab ipſo ante ingreſſum in Religionem, & de Scriptoribus vitæ, ac geſtorum ejus. Ex eodem Commentario. 411

XVI. *Vita S. Simonis Anglici* VI. Generalis: Beatiſſ. Virginis Mariæ cultoris eximii, & ab ea ſingulariter dilecti, ac ſacri *Scapularis* habitu donati: Propagatoris præcipui Ordinis Carmeli, e Terra ſancta in Europam traducti. 412

Not. prævia. §. 1. *Elogia quædam, & ſanctitatis teſtimonia, exarata in vetuſtis Kalendariis Sanctorum, Martyrologiis, & aliis antiquitatis monumentis, ac continuata Scriptorum ſerie.* 412

§. 2. *Analecta de* S. Simone; *ex Arnoldi Boſtii Speculo hiſtoriali.* 414

§. 3. *Scriptores alii de virtutibus, ſanctitate, miraculis* B. Simonis: *deq; tradito illi a Deipara* Scapulari. 415

§. 4. *De cognomine* Stock, *tempore nativitatis, accepti religioſi ſtatûs, regiminis, & obitûs.* 417

§. 5. *Carmeli Ordo magnoperè propagatus, ſub regimine & ſolicitudine* S. Simonis: *& à ſtatu vitæ ſolitariæ, contemplativæ, aſſumptus ad vitam mixtam: unus ex quatuor Mendicantibus.* 419

§. 6. *Cultus ſacer* S. Simoni *exhibitus: Reliquiarum tranſlatio, ſeu diſtributio.* 421

§. 7. *Corollarium de magnis apud Deum meritis, ac inſigni ſanctitate* B. Simonis. 423

Vita, Auctore R. P. Segero Paulo Colonienſi Ord. Carm. Theologo, ex antiquis monumentis, & Scriptoribus, ac Pontificiis Diplomatibus digeſta. 424

CAP. I. *S. Simonis* patria: pueritia: ſeceſſus in Eremum: inhabitatio concavæ arboris: prædicatio. *ibid.*

CAP. II. Religioſorum Eremitarum ex Carmelo in Angliam ingreſſus: illis aggregatur *S. Simon*: ejus virtutes, & ſollicitudo in regimine. 425

CAP. III. Generalis Ordinis eligitur:

Regulæ moderationem; & alia privilegia ab Innocentio IV. Pontifice impetrat. 427

CAP. IV. Qualiter *S. Simon* à Deipara Virgine Sacrum ac mirificè privilegiatum ſuſceperit *Scapulare*, ex ipſiuſmet B. Viri litteris hic deſcriptis oſtenditur. 429

CAP. V. Explicatio quorumdam verborum Beatiſſimæ Virg. MARIÆ tradentis *Scapulare*. 430

CAP. VI. Primum miraculum privilegiati *Scapularis* in deſperato peccatore agonizante: approbatio Epiſcopalis Revelationis factæ *S. Simoni*, necnon miraculi illius, & ejuſdem publicatio. 432

CAP. VII. *S. Simon* vitæ contemplativæ ſocians activam ad ſalutem proximi, ſtudia ſcientiarum promovet: ejus tempore Apoſtolicis privilegiis plurimis Ordo decoratus: miracula: beata mors. 434

APPENDIX circa Vitam *S. Simonis*, cultum, ac miracula: ex antiquis monumentis Carmeli Burdigalenſis, & atteſtatione præcipuorum Patrum Provinciæ Vaſconiæ. 436

De peculiari cultu *S. Simonis*, Bolzani in Tirolenſi Comitatu. 438

XXIV. (olim XXV.) DE SS. MARIA JACOBI, & SALOME. 439

XXV. VITA S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS Virginis, Monialis Ordinis Beatiſſimæ Virg. MARIÆ de monte Carmeli, antiquæ obſervantiæ regularis. 440

Notata prævia. Vita *S. Mariæ Magdal. de Pazzis*, ſingulari, & mirâ ratione primùm Italicè conſcripta, ac deindè traducta, omni idiomate uſitato in Chriſtianæ orthodoxæ profeſſionis regionibus, edita: & à quibus. *ibid.*

Vita, *ex Actis Canonizationis, & ex Secretaria Congregationis ſacrorum Rituum, juxta exemplar Romæ impreſſum.*

CAP. I. Nativitas, pueritia, vita in ſeculo. 443

CAP. II. Ingreſſus in Religionem: virtutes monaſticæ, atque aliæ. 444

CAP. III. Extaſes: abſtinentiæ, & corporis caſtigatio. 445

CAP. IV. Ægritudo ultima: obitus: miracula: & eorum approbatio. 446

Vita ex R. Dom. Vincentii Puccini opere, de vita, & Divinis illuſtrationibus ipſius *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*, contracta, digeſta, & Latinitate donata, per R. A. P. Leonem à S. Joanne.

CAP. I. Patria, proſapia, nativitas, vita in ſeculo. 448

CAP. II. In Carmeli Ordinem introitus, Novitiatus, Profeſſio, vitaque in monaſterio privata. 450

CAP. III. Recipit à Chriſto regulas de vitæ genere ſingularis. 452

CAP. IV. Poſt tentationes, proventus magnus, & poſt tempeſtates ſerenum. 455

CAP. V. *Maria Magdalena* in monaſterio Officia. 457

CAP. VI. Varia ad virtutem documenta ſuis Novitiis præſcribit. 458

CAP. VII. Amor ejus erga Deum, & Proximum. 460

CAP. VIII. Eligitur in Conventûs Supprioriſſam, morbiſque graviſſimis conflictatur. 462

CAP. IX. Mors, ſepultura, fama ſanctitatis. 463

CAP. X. In vita, & poſt mortem claret miraculis. 465

CAP. XI. Raptus, Extaſes, Revelationes B. Mariæ Magdal. præcipuæ. 468

CAP. XII. Continuantur Extaſes ſuper ſtatu Monaſtico. 470

CAP. XIII. Documenta B. M. Magdalenæ potiſſima. 473

Canonizatio, & eam concernentia, antecedenter, comitanter, & ſubſequenter. 477

CAP. I. Sanctitatis, & miraculorum fama publica, ante, & poſt obitum, jugiter creſcens uſque ad Beatificationem, & exindè quaquaversùm magis magiſque gliſcens, permovens Principes, ad poſtulandam Canonizationem. *Ibid.*

CAP. II. Conſiſtorium Secretum, præſentibus Clemente IX. Summo Pontifice, & Eminentiſſ. DD. Cardinalibus, habitum die 18. Martii, anno 1669. in cauſâ Canonizationis *B. Petri de Alcantara*, & *B. M. Magdalenæ de Pazzis*. 479

CAP. III. Conſiſtorium publicum habendum die 21. Martii ejuſdem anni denuntiatum, & dicto die celebratum. 480

CAP. IV. Conſiſtorium denuntiatum pro die 8. Aprilis, & eâ ipſâ habitum in cauſâ Canonizationis ejuſdem; & ſuffragia, ſententiæ, judicia Eminentiſſ. Dom. Cardinalium, ac Illuſtriſſ. aliorum Præſulum de ſanctitate, ac heroicis *B. Mariæ Magdal. de Pazzis* virtutibus. 483

CAP. V. Canonizationis ordo, modus, ceremoniæ, quibus peracta. 490

MIRACULA, meritis, & ad invocationem *S. M. Magdalenæ de Pazzis*, præſtita poſt mortem, ex ejus Canonizationis informatione, & Canonizationis Summario Romæ impreſſis. 495

MIRACULA poſt Canonizationem. 497

Exercitium devotionis, *quinque feriis ſextis, in memoriam quinque ſingularium favorum præſtitorum* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, *myſteriis Paſſionis Chriſti, feriâ 6. peracta, devotiſſima.* 501

Epigrammata nonnulla, ac Elogia, ad variarum virtutum exercitia, ſuaviter, & fortiter moventia. 502

DE FESTO SACRATISSIMO PENTECOSTES.

Quo Propheticus Elianus Carmelitanus Ordo à Veteri Lege ad Euangelicam

gelicam traductus fuit; hinc in eo hic dies meritò eſſe debet celeberrimus, atque Sanctiſſimus. 503

JVNIVS.

XIV. VITA S. ELISEI PROPHETÆ, Primarii diſcipuli, ac hæredis duplicis ſpiritûs *S. Eliæ*: & cum eodem Religioſæ monaſticæ vitæ Principis, atque Carmelitani Ordinis Patris: puritatis Deiparæ, antequàm natæ, præſcii & æmulatoris.

Præfatio. 506

Vita ex Scriptura ſacra, & Patribus digeſta.

CAP.I. *S. Eliſei* Prophetæ encomia nonnulla, & celſi meriti teſtimonia. 507

CAP.II. *S.Eliſei* patria: vocatio ad Propheticum Religioſum inſtitutum. 509

CAP.III. *S.Eliſeus* individuus S.ELIÆ comes duplicem illius Spiritum poſtulat, & accipit: Jordanem diviſum ſicco pede pertranſiit: ut Superior, & Magiſtri ſui ſucceſſor honoratur. 510

CAP.IV. Aquæ Jericho peſſimæ, ſale emendatæ: pueri S.Prophetam irridentes, ab urſis lacerati. 511

CAP.V. Per *S.Eliſeum* exercitui aqua mirabiliter præſtita: Victoria de Rege Moab promiſſa: viduæ paupérculæ multiplicatum oleum. 513

CAP.VI. Sunamitidi ſterili filius impetratus: idemque poſteà à mortuis reſuſcitatus. 514

CAP.VII. Pulmento, herbis agreſtibus, eleëmoſynis, & panibus multiplicatis ſuſtentati filii Prophetarum, diſcipuli, & ſubditi *S. Eliſei.* 516

CAP.VIII. Naaman Syrus ſeptenâ in Jordane lotione mundatus: munera ab *Eliſeo* ſpreta: ob ea ſuſcepta Giezi leprâ punitus. 517

CAP.IX. Ferrum ſecuris natans: milites *Eliſeum* capere tentantes excæcati, & in Samariam mirabiliter ducti. 519

CAP.X. Septennis fames à *S. Eliſeo* prænuntiata: ægrotantis Benadad mors: Hazaëlis ſucceſſio in Regem Syriæ: unctio Jehu in Regem Iſraël. 521

CAP.XI. *S Eliſeus* dictus Salvator Iſraëlis: ejus moribundi vaticinium. 523

CAP.XII. *S. Eliſei* obitus, ſepultura: ibidem mortuus factus redivivus. 524

EPITAPHIUM *S.Eliſei.* 525

Manipulus omnigenarum virtutum, reſplendentium in vita *S. Eliſei.* *ibid.*

CAP.I. *S. Eliſei* virtutes monaſticæ, Paupertas, Caſtitas, & Obedientia. *ibid.*

CAP.II. In ſolitudine oratio, contemplatio, divinæ præſentiæ conſideratio, exercitia quotidiana *S.Eliſei.* 527

CAP.III. *S.Eliſei* vita in prudentia, juſtitia, fortitudine, & temperantia, veluti cardinibus conſtanter verſata. 528

CAP.IV. Virtutum Theologicarum continuo exercitio vitam quodammodò divinam duxit *S.Eliſeus.* 529

XXIV. DE S.IOANNE BAPTISTA, *Qui in deſertis vitam in ſpiritu, & virtute* ELIÆ *duxit adeò ſimilem, ut ipſe* ELIAS *in perſona exiſtimatus fuerit.* 531

JVLIVS.

II. DE FESTO VISITATIONIS B.V.MARIÆ. 532

VI. *Vita S. Angelæ Virginis*, Filiæ Regis Bohemiæ, Ordinis Carmelitani, divinis revelationibus, & Deiparæ apparitionibus ſingulariter illuſtratæ. 533

CAP.I. *Angelæ* parentela, ſtudia, pietas, mundi, & ſponſi terreni contemptus, epiſtola ad patrem. 535

CAP.II. Iter Jeroſolymam versùs: infidelis hominis converſio: apparitio Deiparæ Virginis, & pueruli Jeſu librum tradentis. 536

CAP.III. Ingreſſus in monaſterium: Patriarchæ Jeroſolymitano apparet cum Ciborio in manu: Prioriſſa eligitur: Sancta ejus vita, & ardens Deo placendi deſiderium. *Ibid.*

CAP.IV. Pluvia precibus ejus impetrata, tempore ſiccitatis: monaſterium ab hoſtili invaſione præſervatum: reditus in patriam: ſanctus obitus. 537

Commentarius hiſtoricus in *Vitam S.Angelæ.* 538

IX. *Vita B. Ioannæ de Rhegio Virg.* ſtudioſiſſimæ cultricis Deiparæ Virginis. 541

CAP.I. *B.Ioanna* parentes: virtutes à pueritia: vita auſtera: Carmelitici habitûs ſuſceptio: monaſterii novi fundatio: hæretici Manichæi per eam converſio. 542

CAP.II. Dæmonis impetus adversùs *B.Ioannam*: cæleſtis conſolatio: virtutes ejus. 543

CAP.III. Exercitia pietatis eximiæ ergà B.Virg. MARIAM: dæmonis frequentes & graves inſultus: ſublimis contemplatio. 545

CAP.IV. CHRISTI apparitiones: dies deceſſus prænunciatus: Spiritualia utiliſſima ab ea tradita documenta: obitus. 546

CAP.V. Apparitiones variæ poſt mortem: revelatio facta Epiſcopo Rhegienſi: corporis incorrupti elevatio: cultus. 547

XIII. DE B.IOANNE PATRIARCHA HIEROSOL. *fratre* S.Angeli *Martyris.* 549

XVI. COMMEMORATIO SOLEMNIS Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo. 550

Præfatio.

CAP.I. Hiſtoria, & cauſæ Solemnitatis hujus. 551

CAP.II. Synopſis beneficiorum præcipuorum

rum aliquot aliorum à B. Virgine MARIA Ordini Carmelitano præſtitorum. 554

CAP. III. Reciprocus filialis amor & devotio filiorum & clientum erga Matrem amabilem, & præpotentem Patronam. 556

Gratulatio, & parænesis ad Religioſos Ordinis hujus. 560

XX. DE S. PROPHETA ELIA *Duce ac Patre Noſtro.*

Proloquium. 561

Tractatus *de Patriarchatu* S. ELIÆ *in Carmeli Ordine, deq; ejus calen.* 562

CAP. I. Columnæ ſeptem, ſuſtentantes culmen, ſeu faſtigium præſentis Solemnitatis. *Ibid.*

§. 1. *Columna I. Scriptura Sacra.* *Ibid.*

§. 2. *Col. II. Summi Pontifices, & Sacr. Rituum Congregatio.* 564

§. 3. *Col. III. Patrum venerabilium auctoritas.* 565

§. 4. *Col. IV. Martyrologia, & aſſerta Doctorum ac illuſtrium Scriptorum: & Decreta Cantabrigienſis Univerſitatis, ac S. Inquiſitionis generalis in Hiſpania.* 566

§. 5. *Col. V. Traditio generalis.* 567

§. 6. *Col. VI. Teſtimonium SS. Virginis* MARIÆ *cælorum Reginæ.* 569

§. 7. *Col. VII. Religioſi monaſtici ſtatûs eſſentialia omnia in* S. ELIA. 570

§ 8. PARERGON: *Stabilimen aliud Patriarchatûs S.P.N.* ELIÆ. 571

CAP. II. Culmen feſtivitatis præſentis Carmelitici *Eliani* Ordinis. 572

§. 1. *Ordo Propheticus Religioſus à* S. ELIA *inſtitutus: & quando.* *Ibid.*

§. 2. *Motiva inſtituendi Propheticum monaſticum Ordinem.* 574

§. 3. *Carmelus, locus in quo* S. ELIAS *Ordinem Propheticum fundavit: & in eo, ut alibi, continuatus fuit.* 575

ANNOT. De ſitu, & magnitudine Carmeli. 577

§. 4. *Religioſi monaſtici ſtatûs antiquitas, & ſanctitas ex antedictis demonſtratur adverſus mendacia hæreticorum: &* CONCLUSIO *arietans cunctas illorum falſas doctrinas, ac Orthodoxorum dogmata ſtabiliens.* 578

§. 5. *Monaſticus, & Carmelitani Ordinis antiquitas vindicata contra nonnullos Scriptores Catholicos.* 580

CAP. III. Cultus S. ELIÆ in Eccleſia Orientali, & Occidentali antiquiſſimus: Eccleſiæ, Sacella, Altaria, Monaſteria ei dicata. 582

§. 1. *Cultus Sanctorum ſolemnis & publicus* S. ELIÆ, *poſt ejus raptum ſemper exhibitus.* *Ibid.*

§. 2. *Rationes, ſeu jus ſolemnizandi feſtum* S.P.N. ELIÆ *in Carmeli Ordine.* 584

§. 3. *Sacella, Eccleſiæ, & Monaſteria in variis regionibus dicata S. Prophetæ* ELIÆ. *Ibid.*

§. 4. S. Patricius *à gravi Sathanæ oppreſſione liberatus meritis* S. ELIÆ: *peſtis ſubitò extincta in variis locis regni Neapolitani; ideò electus Protector Civitatis Capuæ.* 586

§. 5. *De genere mortis* S. P. ELIÆ, *reſurrectione; & aſcenſione in cælum: in illis conformis erit* CHRISTO. *Ibid.*

Parænesis ad Religioſos omnes, quorum fundator, Pater, Dux, Patriarcha eſt S. ELIAS. 589

XXII. *Memoria beneficii ſingularis, favore B. Virginis* MARIÆ *Patronæ Ordinis, ac Apoſtolicæ Sedis, eo die Ordini præſtiti, Reſumptio videlicèt alborum palliorum, & dimiſſio barratorum, anno MCCLXXXVII.* 590

Notanda nonnulla circà dicta de palliis albis & barratis, & eorum mutatione. 592

Monitum occaſionale, memoratu dignum, & ſcitu neceſſarium pro intelligentia Carmelitanæ hiſtoriæ, præſertim quoad habitum ejus. 595

XXV. *Vita B. Joannis Soreth Prioris Generalis:* in qua reſplendent norma, ac Speculum perfectæ converſationis monaſticæ, & idea veri Superioris, obſervantiæ regularis zelantiſſimi. 597

NOTATA PRÆVIA.

§. 1. *Teſtimonia ſanctitatis.* *Ibid.*

§. 2. *Cultus* B. Sorethio *haud diu poſt ejus obitum, Dei peculiari inſpiratione, ſeu monitu, exhiberi cæpitus: ac deindè auctus.* 599

Vita, virtutes, & miracula, ex Novali Sanctorum Joannis Gillemani, parte 2. fol. CXLIII. & ſequentibus collata cum altero MS. ejuſdem vitæ. *ibid.*

CAP. I. Ejus patria, juventus, ſtudia. 600

CAP. II. Humilitas ipſius. *Ibid.*

CAP. III. Ejus Caſtitas. *Ibid.*

CAP. IV. Pietas ejus, & benignitas. 601

CAP. V. Juſtitia, & æquitas. *Ibid.*

CAP. VI. Efficacia animadverſionis. *Ibid.*

CAP. VII. Patientia in adverſis. *Ibid.*

CAP. VIII. Fervor in Deum. 602

CAP. IX. Fortitudo adverſus malignantes. *Ibid.*

CAP. X. Cenſura, quam exercuit in ſe, & ſubditos. *Ibid.*

CAP. XI. Viſio, & revelatio de ipſo. 603

CAP. XII. Miracula poſt mortem. *Ibid.*

CAP. XIII. Proteſtatio de aliis miraculis. 604

Exempla virtutum *B. Joannis Sorethi*: ex vita alia ſcripta per Walterum de Terra-nova. *Ibid.*

Collectanea *præcipuorum aliquot præclarè geſtorum per B. Patrem* Joannem Sorethium, *ex variis antiquis monumentis digeſta.* 606

§ 1. *Quantùm Carmeli Ordo debeat* B Sorethio, *ob inſtauratam regularem diſciplinam, magno zelo, & labore, ac ſingulari prudentiâ.* *Ibid.*

§. 2. B. Joannis Soreth *præclara geſta nonnul-*

la alia: ſingulares ejus cura, & ſolicitudo ſtudiorum. 608

§.3. B. Joannes Soreth *Fundator Monialium Ordinis B.V.* Mariæ *de Monte Carmelo in Leodienſi Principatu, & Britannia Armorica, ac in Belgio.* 611

XXVI. DE S. ANNA AVIA CHRISTI Matre Dei Genitricis, Protectrice Ordinis Carmelitani.

§ 1. *Cultus* S. Annæ *in Ordine Carmelitano per-antiquus, & ſolemnis.* 615

§.2. *De parentibus* S. Annæ. 616

§.3. S. Annæ *ſterili proles ſanctiſſima: precibus impetrata.* 618

§.4. S. Annæ *ſublimis dignitas, & magna apud Deum merita: atque in illis fundata interceſſionis efficacia.* 619

AVGVSTVS.

III. DE *inventione S. Stephani Proto-martyris, & tranſlatione ejus facta, per Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, ex Carmelo aſſumptum.*

Ex epiſtola S. Luciani Presbyteri, apud Surium ad diem III Auguſti, & ex Adone ad eumdem diem. 620

V. De Festo S. Mariæ ad Nives. 623

VI. Memoria S. P. N. Eliæ, *Chriſto coapparentis in Transfiguratione: ac pro ſui Ordinis conſervatione, & duratione perpetua orantis, & exauditi.* 624

VII. Vita S. Alberti Confessoris, Beatiſſimæ V. Mariæ de Monte Carmelo dicati, antequàm nati. 624

Notata prævia.

§.1. S. Alberti *vita ab illuſtribus Scriptoribus exarata: Elogia, de plurimis aliqua.* *Ibid.*

§.2. S. Alberti *Canonizatio, & cultus.* 626

§.3. *Miraculorum multitudo, meritis* S. Alberti: *propterea à variis Civitatibus electi in Patronum & Protectorem. Meſſanenſium ſingularis in eum pietas. Reliquia ejus per totum Ordinem diſpertita.* 628

§.4. *Ex Officio proprio* S. Alberti, *anno* MDLIV. *approbato ab Epiſcopo Mazarienſi, excerpta quadam, pietatem, & devotionem ad* S. Albertum *ſpirantia.* 629

Vita, Auctore æquali, aut ſuppari, Siculo: & indè ulteriùs tradita, per Theodoricum de Aquis: ex codice Carmeli Colonienſis, collato cum altero MS. codice Carmeli Mechlinienſis: & Extracto Bibliothecæ Vaticanæ. 631

Prologus. *Ibid.*

CAP. I. *S. Alberti* patria, & parentes: ſanctitas prognoſticata: favore Deiparæ Virginis natus, ejuſdemque juſſu, Religioni conſecratus. *Ibid.*

CAP. II. Religionis ingreſſus: tentationes dæmonum ſuperatæ: vita auſtera, omnibus virtutibus ornata: Sacerdotium miraculis ſplendeſcens. 632

CAP. III. Meſſanæ, obſidione & fame preſſæ, *S. Albertus* precibus, mirabiliter ſuccurrit. 633

CAP. IV. Infirmitates varias curat, puellam energumenam, & mulierem in partu periclitantem liberat. Ambulans ſuper aquas, Judæis opitulatur, eiſque baptiſmum confert. 634

CAP. V. Popularem auram fugiens, compluribus miraculis aliis illuſtratur. Provincialis, & Viſitatoris munus obiens, pedes incedit. 636

CAP. VI. *S. Alberti* Obitus, & Exequiæ miraculis, ac Angelorum cantu ſolemnizantur. 637

CAP. VII. *B. Alberti* ſanctitatem varia, poſt obitum, miracula deprædicant. 638

CAP. VIII. Variæ ægritudines curatæ, mediante aquâ benedictâ, per reliquias *S. Alberti*, & alia ſtupenda miracula. 640

Appendix. Miracula quædam alia, & beneficia ſanitatis, peculiariter per aquam, tactu reliquiarum *S. Alberti*, benedictam, præſtita. Ex Menologio Carmelitano, & Actis authenticis. 642

Dissertatio duplex.

§.1. *De loco nativitatis* S. Alberti. 643

§.2. *De anno obitûs* S. Alberti. 644

XV. De Festo Assumptionis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ. 645

XVI. De Venerabili, ſanctæque vitæ, *Angelino*, ſeu *Angelo Auguſtino.* 651

XXVII. *De feſto Tranſlationis* S. Angeli *Martyris.*

Tranſlatio Venerandi corporis S. *Angeli*, in novam Arcam argenteam, anno MDCXXIII. 653

Tranſlatio Beatiſſimi corporis *S. Angeli* ad novam Eccleſiam, facta anno MDLXII. 656

Hymnus ad Divum Angelum. 658

XXIX. Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ, Eremiticæ vitæ ab Elia inſtitutæ cultoris, & ideò inter binos Eliæ diſcipulos ſepulti. 658

SEPTEMBER.

II. V*ita S. Brocardi*, natione Hieroſolymitani, Ordinis B. Virg. Mariæ de Monte Carmeli, ſecundi Prioris Generalis.

Notata prævia.

§.1. S. Brocardi *vita quandò primùm ſcripta: ac deindè à quibus compendioſiùs compilata: elogia quædam in ipſum, & quædam de ejus cultu.* 659

§.2.

§. 2. S. Brocardi *doctrina & ſcripta: quantùm ei debeat Carmeli Religio: tempus regiminis.* 661

Vita ex Oratione parænetica Thomæ Bradley Epiſcopi Dromorenſis, Legati Apoſtolici.

CAP. I. *S. Brocardi* virtutes: geſta aliqua præcipua: miracula in vitâ. 662

CAP. II. *S. Brocardi* diſcipuli plures Sanctis: viſitatur ipſe à Beatiſſima Virgine MARIA: Felix obitus: ſepultura: ſubſequentia miracula. 664

Vita ejuſdem, ex Arnoldi Boſtii Speculo hiſtoriali libro 6. & 7.

CAP. I. *S. Brocardi* patria: ſucceſſio in officio Prioratûs Generalis: virtutes in regimine: Regula ei tradita ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano. 665

CAP. II. Adoleſtens mortuus, vitæ redditus: Princeps leproſus corporali, & ſpirituali ſanitate donatus, per *S. Brocardum*: ſub ejus regimine, ſanctitate illuſtres: Ipſius obitus, & ſepultura. 666

VIII. *De Feſto Nativitatis Beatiſſimæ Virg.* MARIÆ. 666

XVII. DE SOLEMNITATE NOMINIS MARIÆ. 668

XXIV. *Vita S. Gerardi* Epiſcopi Canadienſis.

NOTÆ PRÆVIÆ, ET ELOGIA. 670

Vita, ex vetuſtis Mss. per Laurentium Surium, ad 24. Septembris.

CAP. I. *S. Gerardi* patria, vita Monaſtica, & Eremitica. 672

CAP. II. *S. Gerardi* Epiſcopatus, prædicatio, eximia devotio ergà B. V. Deiparam. *ibid.*

CAP. III. Solicitudo in munere Epiſcopali, humilitas ſingularis, vita ſolitaria, & contemplativa juncta activæ. 673

CAP. IV. *S. Gerardi* zelus, libertas in reprehenſione Tyranni, prophetica prædictio. 673

CAP. V. *S. Gerardi* Martyrium, ſepultura, tranſlatio, ac miracula. 674

DISSERTATIUNCULA *de jure peculiaris cultûs* S. Gerardi *in Ordine S. Benedicti, & Carmelitano.* 675

OCTOBER.

XV. *Vita S. Tereſiæ*, Ordinis Beatiſſ. Dei Genitricis MARIÆ de monte Carmelo, Virginis, puriſſima caſtitate ab omnipotenti Deo mirificè condecoratæ, Matriſque, inviolatâ fœcunditate innumeros filios,ac filias,in utraque Congregatione Diſcalceatorum, & Diſcalceatarum, Eccleſiæ, & cœlo progignentis.

PROLEGOMENA.

§. 1. *Hiſtoria vitæ* S. Tereſiæ *ſcripta à pluribus: qualis ea, quæ hic traditur.* 677

§. 2. S. Tereſiæ *Carmelitani Ordinis antiqui filiæ, & novo-antiqui Matri, ac Fundatrici quis ſcopus præfixus in fundandis novis Monaſteriis: ubi de initiis Diſcalceatorum, & primis* S. Tereſiæ *ſociis.* 678

§. 3. *Præfata, confirmata, & illuſtrata ex Scriptoribus vita* S. Tereſiæ. 681

§. 4. S. Tereſiæ *primum motivum & finis ultimatus, zelus divini honoris, ac ſalutis animarum, inſtar* S. ELIÆ, *Patris ſui.* 682

Vita, Virtutes, & miracula, ex Actis authenticis Canonizationis ejus: in quibus ea ſupremi in Orbe Tribunalis, videlicèt Romani Judicii rigidiſſimâ diſcuſſione; auri inſtar, probata, reſplendent. 684

Relatio prima, de eminenti Virginis Matris Tereſiæ ſanctitate. ibid.

ARTICVLVS I. De ſanctitate ejus in genere. *ibid.*

ARTIC. II. In quo ſanctitas ad Canonizationem requiſita conſiſtat, explicatur. 687

ARTIC. III. De fama, & opinione ſanctitatis B. Virginis *Tereſiæ*, tam in vita, quàm poſt mortem. *ibid.*

ARTIC. IV. Gregorii XV. Summi Pontificis teſtimonium: & Eminentiſſimorum DD. Cardinalium judicia de *Tereſiæ* eminenti ſanctitate. 689

ARTIC. V. Sententiæ Illuſtriſſimorum, Reverendiſſimorum DD. Præſulum, de *B. Tereſiæ* ſublimi ſanctitate. 690

Relatio 2. de S. Tereſiæ *vita, virtutibus, & divinis donis.*

ARTIC. I. De nativitate, & pueritia *S. Tereſiæ*, & de ejuſdem in virtutibus progreſſu, compendioſa enarratio. 691

De virtutibus Theologalibus.

ARTIC. II. De excellentia Fidei S. Virginis *Tereſiæ.* 693

ARTIC. III. De firmiſſima Spe *S. Tereſiæ.* 694

ARTIC. IV. De ardentiſſima Charitate B. *Tereſiæ* erga Deum. 697

ARTIC. V. De immenſa Charitate erga proximos. 698

ARTIC. VI. De Prudentia Divina *S. Tereſiæ.* 699

ARTIC. VII. De Juſtitia perfectiſſima *S. Tereſiæ.* 700

ARTIC. VIII. De invicta Fortitudine. 701

ARTIC. IX. De Temperantia ſingulari. 702

ARTIC. X. De perfectiſſima Obedientia *S. Tereſiæ.* 702

ARTIC. XI. De puriſſima Caſtitate, & Virginitate *S. Tereſiæ.* 703

ARTIC. XII. De perfectiſſima Paupertate. 704

ARTIC. XIII. De Religionis virtute. 705

ARTIC. XIV. De profundiſſima Humilitate *S. Tereſiæ.* 706

ARTIC. XV. De perfectiſſima Patientia. *ibid.*

ARTIC. XVI. De rara Pœnitentia, corporiſque maceratione. 707

ARTIC. XVII. De perfecta *S. Tereſiæ* manſuetudine. 708

ARTIC XVIII. De admirabili magnanimitate *B. Tereſiæ.* *ibid.*

ARTIC. XIX. De ſumma erga Deum, & homines gratitudine. 709

ARTIC. XX. De ſublimi dono Orationis, & Contemplationis: de raptibus, & ſplendoribus, de viſionibus, & revelationibus divinis. *ibid.*

§. 1. *De Oratione, & Contemplatione.* 710

§. 2. *De Raptibus divinis* B.Tereſiæ. 711

§. 3. *De ſplendoribus divinis.* ibid.

§. 4. *De Viſionibus divinis.* ibid.

§. 5. *De Divinis revelationibus.* 713

ARTIC. XXI. De Prophetia, diſcretione ſpirituum, & aliis gratiis gratis à Deo *B.Tereſiæ* datis. 714

§. 1. *De gratia Fidei.* ibid.

§. 2. *De Sermone ſapientiæ, & ſcientiæ* ibid.

§. 3. *De gratia ſanitatum, & operationis virtutum.* 715

§. 4. *De dono Prophetiæ.* 715

§. 5. *De diſcretione ſpirituum.* 716

§. 6. *De gratia Interpretationis ſermonum.* 717

ARTIC. XXII. Donis Spiritûs ſancti, ejuſque fructibus, & Beatitudinibus *S.Tereſia* ornata. 717

Relatio tertia.

ARTIC. I. De Miraculis in genere *S. Tereſiæ.* 718

ARTIC. II. De miraculis in vita. Primum miraculum, & celebre, multiplicationis farinæ. 719

II. Miraculum in vita: Laborans gravi Eryſipilate, & ingenti Febri, in inſtanti, ſolo tactu manus *S.Tereſiæ*, liberata. 720

III. Miraculum in vita: Sanitas inſtantanea, per contactum manus *S. Tereſiæ*, reſtituta alteri Moniali, pleuritide & magnâ febri in lecto laboranti. 720

ART. III. De miraculis in tranſitu *S. Tereſiæ*, & aliquantulû de illius feliciſſimo obitu. 721

De aliquibus mirabilibus in obitu S.Tereſiæ. *ibid*

Miraculum *in ipſa morte* S.Tereſiæ.

In nocte feliciſſimi tranſitus Virginis *Tereſiæ* ad cæleſtem Hieruſalem, è conſpectu ejus Cellæ, arbor ſicca intempeſtivè, & miraculosè floruit. 722

ARTIC. IV. De Miraculis poſt mortem.

Primum. De miraculoſa incorruptione Corporis, & Reliquiarum *S.Tereſiæ.* *ibid.*

De exhumatione dicti Corporis S.Tereſiæ, *& qualiter, & quoties, quibuſque temporibus fuerit repertum, & viſum incorruptum.* 723

Secundum Miraculum poſt mortem. De odore mirifico, è corpore, & Reliquiis ſervæ Dei procedente. 725

Tertium Miraculum, poſt mortem. De liquore odorifero emananti ex eodem corpore, & Reliquiis Ancillæ Dei. *ibid.*

Quartum Miraculum, poſt mortem. Puer, à nativitate contractus, & corpore valdè contortus; ita ut nec pedibus ſtare, nec humi jacens, ſe movere poſſet, factâ novenâ in Cella *S. Tereſiæ*, repentè ſanatur. 726

Quintum Miraculum poſt mortem. Quædam monialis tribus canceris in pectore oppreſſa, Reliquiis *S.Tereſiæ* illicò ſanatur. 727

Sextum Miraculum poſt mortem. Anna Gonzales, manu ſiniſtrâ per totum annum captâ, digitiſque contractis, ad contactum brachii Virginis *Tereſiæ de Ieſu*, repentè ſanatur. *ibid.*

Septimum Miraculum poſt mortem. Quidam nobilis puer periculoſâ infirmitate, *Lethargus* dictâ, cum gravi febre oppreſſus, & in ultimis conſtitutus, *S. Tereſiæ* Reliquiis, ſtatim convaluit. *ibid.*

Octavum Miraculum poſt mortem. Franciſcus Perez presbyter affectus quodam apoſtemate, ſuper os pectoris, & brachii magnâ contractione, viſitato ſepulchro, veneratoque brachio Virginis *Tereſiæ*, repentè ſanatur. 728

Nonum miraculum poſt mortem. Don Gabriel Pacheco de Spinola, à cerebro uſque ad pedes acerrimis doloribus, per viginti & ultrà dies, correptus, impoſitâ Reliquiâ *S. Tereſiæ*, ſtatim liberatur. 729

Decimum Miraculum poſt mortem. Don Joannes de Leiva, & Hermoſilla, gravi morbo, in extremo periculo conſtitutus, quâdam Reliquiâ *S.Tereſiæ* appoſitâ, ſtatim liberatur. *ibid.*

Undecimum Miraculum poſt mortem. Novitia quædam ejuſdem Religionis, per annum cum dimidio, continuâ febri laborans, ac per ſex ultimos menſes morbo articulari, nervorum contractione, aliiſque capitis & cordis infirmitatibus, appoſitâ quâdam Reliquiâ *S. Tereſiæ*, repentè ſana & libera evaſit. 730

Duodecimum Miraculum poſt mortem. Monialis quædam gravibus infirmitatibus per duos annos cum dimidio correpta, ac uno in ſupremitate Stomachi apoſtemate oppreſſa, interceſſione *S.Tereſiæ*, repentè ſanatur. 731

APPENDIX *ad vitam* S. Tereſiæ.

§. 1. *De miraculis aliis plurimis, meritis* S. Tereſiæ: *& de electione ejus in Patronam Hiſpaniarum.* 731

§. 2. *Notanda nonnulla circà fundationes Monaſteriorum.* 732

§. 3. *De voto Angelico, ſeu Seraphico* S. Tereſiæ *ſemper* efficiendi, quod Deo gratius eſt: *an id nobis imitandum.* 733

§. 4. *Propoſitum, ſeu votũ Angelicum*, faciendi ſemper, quod Deo gratius eſt, *in quo conſiſtat.* ib.

Compendiaria via, facilis, ad Chriſtianam perfectionem, pro omni hominum ſtatu, & conditione. *ibid.*

§. 5. *Quibus competat* facere id, quod Deo gratius eſt. 734

§. 6. S. Tereſiæ *exercitium*, *Facere ſemper, quod Deo placitum eſt*, honeſtiſſimum, utiliſſimum, ac jucundiſſimum. 735

Eodem die XV. De *B. Theodorico* Confeſſore. 736

XXI. De *S. Hilarione* Abbate, Eſſenorum Reparatore, & Propagatore magnifico. 737

XXX. De *S. Serapione* Epiſcopo Antiocheno. Ex Aſceta, ſeu Anachoreta *Eliani* Inſtituti. 739

NO-

NOVEMBER.

I. MEmoria *B. Nonnii Alvarez Pereira.* 740

IV. *Vita B. Franciſcæ Amboſiæ*, Virginis in matrimonio: ex Duciſſa Britanniæ, Monialis, Carmelitiſſarum in Britannia Armorica fundatricis.

Notata prævia. 740

Vita, *Auctore R.P. Alberto le Grand, Ordinis Prædicatorum.*

CAP. I. *Franciſca* ortus ex illuſtribus parentibus: puella mirè devota Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento, & addicta orationi: Sponſalia. 742

CAP. II. *Franciſca* conjugata; & virgo: Duciſſa Britanniæ coronata: populi ſui amans, & abuſus emendans. 743

CAP. III. *Franciſca* vidua, Dei obſequio ſe conſecrare volens, variè afflicta, & à plurimis impetita, tandem victorioſa. 744

CAP. IV. *Franciſca* Monialis: monaſticæ perfectionis exemplar. 747

CAP. V. *Franciſca* Prioriſſa, exemplo, & verbo regularis obſervantiæ zelatrix. 749

CAP. VI. *Franciſca* pius obitus: corporis incorruptio: & ſigna alia. 750

Eodem die IV De S. Carolo Borromæo, *Card. Archiepiſc. Carmelitani Ordinis olim apud S. Sedem Protectore: in ejuſdem Ordinis Eccleſiis Belgii ſingulariter honorato, pro obſervantiæ ſtrictioris conſervatione, & patrocinio contrà peſtem.* 752

XIV. *Feſtum omnium Sanctorum* Ordinis B. Virg. MARIÆ de Monte Carmelo.

§. 1. *Sanctorum Ordinis hujus multitudo, & varietas.* 755

§. 2. *Multitudo Sanctorum Prophetici Ordinis, in ejus primordiis: in binis perſecutionibus, multi Martyres effecti tempore veteris Legis.* 756

§. 3. *In nova Lege, plurimi ex Ordine Carmeli, martyrii coronam adepti in ſex prioribus ſeculis.* 757

§. 4. *Tres aliæ perſecutiones, & in illis Carmelitica Religionis alumni Martyres effecti.* 759

Hymnus. *De omnibus Sanctis Ordinis Carmeli.* 761

XXI De Feſto Præſentationis *Sanctiſſimæ Virginis* MARIÆ. 762

DECEMBER.

VIII. De Feſto Conceptionis *Glorioſæ ſemper Virginis Genitricis Dei* MARIÆ. 766

XIV. *Vita S. Spiridionis* Archiepiſcopi Trymithuntis.

Notata prævia. 769

Vita, *Geſta, Miracula.* 771

Eodem die XIV. Vita B. Ioannis à Cruce, primi Carmelitæ Diſcalceati, palmitis de veteri radice Patrum Carmeli, indeque novæ Vineæ traducis, à S. Tereſia plantatæ poſiti Cuſtodis, & Vinitoris.

Notata prævia: *De ſanctitate* B. Joannis à Cruce *teſtimonia.* 774

§. 1. B. Joannes à Cruce, filius & ſucceſſor *magni Prophetæ* ELIÆ, *Ordiniſq; ab eo fundati: Congregationis utriuſque Carmelitarum Diſcalceatorum* Pater. *Ibid.*

§. 2. *Teſtimonia Summi Pontificis, & Sacr. Rituum Congregationis, de ſanctitate, & miraculis* B. Joannis à Cruce. *Ibid.*

§. 3. *Teſtimonia quædam alia de* B. Joannis à Cruce *inſigni ſanctitate.* 775

Vita, ex S. Tereſia ſcriptis, & aliis digeſta.

CAP. I. Relatio, & teſtimonium *S. Tereſiæ*, de perfectione vitæ *B. Ioannis à Cruce*: & qualiter, cum illa, prima Carmelitarum Diſcalceatorum fundamenta jecerit. 777

CAP. II. Patria, parentes, pietas in adoleſcentia. 778

CAP. III. Ingreſſus in antiquum Carmeli Ordinem: primus Carmelita Diſcalceatus: primarius *S. Tereſiæ* cooperator. 779

CAP. IV. Carmelitiſſis Monialibus, quàm proficuus: mira ejus virtus in coërcendis & expellendis dæmonibus: afflictiones graves, carceris, deſolationis, tentationum: munia, quæ obivit: cœnobia ab eo fundata. 780

CAP. V. Virtutes ejus heroicæ, & dona Spiritûs ſancti. 781

CAP. VI. *B. Ioannes à Cruce*, Doctor myſticus: quæ, & quantæ utilitatis ſcripſerit. 783

CAP. VII. Ægritudo ultima, ſanctus & mirabilis obitus: miracula: apparitiones. 785

CAP. VIII. Ex *B. Ioannis à Cruce* vita, ſeu ſynopſi, Latino idiomate edita, per R. P. Paulum ab omnib. Sanctis. 787

Appendix. *Quædam peculiariter notanda circa* B. Joannem à Cruce, *& vitam ejus.* 789

XVI. *De Tranſlatione Corporis* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, *integri & incorrupti, ſuavem odoris fragrantiam ſpirantis.* 790

Sertum lectiſſimorum floſculorum ſpiritualium, virtutum nempè heroicarum *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*: Ex Actis Canonizationis, Romæ impreſſis anno 1669. 793

Annotatio: *De Sanctis, quos* S Maria Magdalena de Pazzis *peculiariter coluit.* 796

XVII. *Vita B. Franci Confeſſoris.* Pœnitentiæ, mortificationis, & auſteritatis rarum exemplum præbentis: eximiè devoti Virgini Deiparæ, & reciprocè ab ea ſingulariter dilecti.

Notata prævia. 797

Vita, Auctore R. P. Gregorio Lombardello, S. Theologiæ Magiſtro, Ordinis Prædicatorum.

CAP. I. *Francus* naſcitur, Patria illius, parentes, fatale nomen. 798

CAP. II. *Francus* ad ſtudia Senas mittitur: quòd bruto foret ingenio, illa linquit: Alutario ſe dat, corio præparando: 799

CAP. III. *Francus* poſt mortem patris, in multa præceps ruit vitia, & peccata. 800

CAP. IV. *Francus* à Deo, miro modo, ad pœnitentiam vocatur. 801

CAP. V. *Francum* in Galæciam euntem, diabolus ab incepto retrahere conatur 802

CAP. VI. *Francus* à via devius, auditâ cælitùs voce, dirigitur: eum denuò diabolus tentat. 803

CAP. VII. *Francus* Compoſtellæ internum & externum recipit viſum: peregrinari pergit, & Romam venit. 804

CAP. VIII. *Francus* peregrinationi inſiſtit: plura Apuliæ loca & Eccleſias multò pietatis fructu viſitat. 805

CAP. IX. *Francus* Senas reverſus, animabus lucrandis ſe totum dat. 806

CAP. X. *Francum* ad arctiorem pœnitentiam, vitamque magis ſolitariam vocat Deus. 808

CAP. XI. *Franci* bonorum temporalium contemptus. 809

CAP. XII. *Francus* pecunias nec viſas, pauperi largitur mulieri, in dotem filiæ maritandæ. Quam ille metuens fraudum diaboli. 810

CAP. XIII. *Francum* apparens B. V. Maria ſolatur, præmii certiorem reddit: vox ad majorem excitat fervorem. 811

CAP. XIV. *Francus* præcedente monitus viſione, duriori ſe corporis macerationi dat: ferreâ nudam carnem catenâ ſtringit: illâ dæmones effugantur. *Ibid.*

CAP. XV. *Francus* in Patria *Grotti* eremiticum quærit locum: magnum inibi miraculum. 812

CAP. XVI. *Francus* ad libidinem variis à diabolo tentatur modis. Jacens in ſpinis, pugnat: ejus victoria, ac viſio de aſſumendo habitu Carmelitano. 814

CAP. XVII. *Francus* in Senenſi B. V. Mariæ de Monte Carmelo Conventu, Ordinis habitu induitur. 815

CAP. XVIII. *Francus* cum veſte mores mutat: auſteriorem vitam inchoat: ferreis cingit & onerat corpus catenis. 816

CAP. XIX. *Franco* ſe Christus, qualis pependit in cruce, cruentatum exhibet. 817

CAP. XX. *Francus* ſanctæ amans crucis, ubique crucem fert: pia de lignis S. Crucis meditatio. 818

CAP. XXI. *Francum* Dei Mater Maria ſolatur, preces à filio ſuo exauditas aſſerit, remiſſionis peccatorum certum facit. 819

CAP. XXII. *Francus* vitæ rigorem etiam auget, ferream induit loricam, mediam capiti quaſi caſſidem imponit. 820

CAP. XXIII. *Franci* ſedulitas: ergà omnes charitas. 822

CAP. XXIV. *Franci* oculorum, & linguæ cuſtodia: plumbeus in ore globus, ſeu glans: illiuſque mira hodieque virtus. 823

CAP. XXV. *Francum* diabolus variis impugnat modis, quem glorioſè ille ſuperat. 824

CAP. XXVI. *Francus* à Deo prophetiæ dono honoratur. 825

CAP. XXVII. *Francum* in vita Deus illuſtrat miraculis. 826

CAP. XXVIII. *Franci* felix in cælum tranſitus. 827

CAP. XXIX. *Franci* cum honore ſepultura. 829

CAP. XXX. *Franci* in morte unum, alia aliquot poſt illam, miracula. 830

CAP. XXXI. *Franci* corpus transfertur, & exaltatur. 831

CAP. XXXII. *Franci* vera effigies. 831

CAP. XXXIII. *Franci* feſtum, & annua in Carmelo Senenſi Solemnitas. 832

XXV. De Feſto Natalis Domini, *& antiqua, ſingulari devotione in hoc Ordine, ad Solemnitatis hujus myſteria.* *ibid.*

COMMEMORATIO

Præcipuorum aliquot veterum Cultorum Eliani Inſtituti, tàm in Veteri, quàm in nova Lege.

Tractatus primus: de præcipuis aliquot S. Prophetæ Eliæ diſcipulis, & poſteris, ſub veteri Lege.

CAP. I. Prævię notanda de Ordine Prophetarum Religioſorum in veteri Teſtamento, à S. Elia inſtituto. 834

CAP. II. Memoria præcipuorum aliquot cultorum Ordinis Prophetici, ſub veteri Lege, ordine menſium. 837

CAP. III. Memoria illuſtrium aliquot *Eliani* Eſſeni Inſtituti cultorum, qui floruerunt in veteri Lege, ſub finem ætatis VI. appropinquante Adventu Christi Salvatoris, aut eo jam nato. 839

CAP. IV. Hæreditaria ſucceſſio in Religioſo, Prophetico, *Eliano* Inſtituto, ab ipſo Elia, uſque ad Christi Salvatoris adventum: & tranſlatio Ordinis à Lege veteri ad novam. 842

Tractatus II. Commemoratio præcipuorum aliquot Sanctorum, & Sanctarum Therapeutarum, & Therapeutidum, Aſcetarum, Eſſenorum, Anachoretarum, Eremitarum, Monachorum, & Monialium, veteris *Eliani* Inſtituti, in Carmelo, Syria, & Ægypto, ac aliis Chriſtiani orbis partibus propagati, ſub nova Lege.

CAP. I. Prævia inſtructio ad Lectorem. 843

CAP. II. Commemoratio poſterorum, aut æmulatorum S. Eliæ, in Januario, & Februario. 847

CAP. III. Monaſtici germinis veteris, à S. ELIA Propheta procedentis, flores verni, in Martio, Aprili, & Majo. 853
CAP IV. Vineæ monaſticæ, à magno Propheta ELIA plantatæ, palmites veteres, odorem ſanctitatis emittentes in Junio, Julio, & Auguſto. 862
CAP. V. De *S. Ludovico* Rege Franciæ, Ordinis Carmelitarum Propagatore, & ejuſdem habitu (Scapulari) amicto. 869
CAP. VI. Monaſticês veteris fructus autumnales, ſancti Monachi, in Septembri, Octobri, & Novembri. 871
CAP. VII. Decembris menſis Sancti Monachi, & Moniales, veteris Inſtituti, primordialiter à S. ELIA exerciti, & aliis traditi. 875
ANNOTATIO, *circà Sanctos nonnullos, memoratos in opere attributo Luitprando.* 881
CAP. VIII. Ratio quaſi à priori, & palmaris, fundata in auctoritate ſacræ Paginæ, Scriptorumque Ethnicorum, Judæorum, ac Chriſtianorum, de Monachatu, primordialiter à magno Propheta ELIA promanante, ad monachos pleroſque præmemoratos Sanctos, & complures alios. *ibid.*

SPECULI CARMELITANI PARS V.

DE VIRIS ILLVSTRIBVS

Ordinis B. Virginis MARIÆ *de monte Carmelo.*

LIBER I.

PRÆFATIO. 885
Arnoldus Boſtius, de Illuſtribus viris Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ de monte Carmelo.
NOTATIO PRÆVIA. 886
APPENDIX. 896

LIBER II.

Ex Libris Ioannis Trithemii Abbatis, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & viris illuſtribus Ordinis Fratrum B. Virginis MARIÆ de monte Carmelo, COLLECTANEUM.
NOTATIO PRÆVIA. 896
Apologia Auctoris, quòd non omnes Doctores, & Scriptores Ordinis hujus hîc ſint inſerti, qui ſcripſerunt. 904

LIBER III.

Catalogus Antiſtitum ex Ordine Carmelitarum Aſſumptorum.

PRÆFATIO. 905
Electi ad Epiſcopatus, ante conſecrationem defuncti, aut nominati, recuſantes. 958
De Præſulibus prætermiſſis, & quibuſdam minùs notis, minuſve certis. 963
Relatio, De præſulibus ad alios Ordines aſſumptis, deque legatis Apoſtolicæ Sedis, aut Regum, & qui illis fuêre à Confeſſionibus, vel Conſiliis: nec-non de Eccleſiæ Orthodoxæ ſtrenuis propugnatoribus, atque Univerſitatum Fundatoribus, inſtauratoribus, illuſtratoribus.
§. 1. *Præſules aſſumpti ex Carmeli Ordine ad alios.* 965
§. 2. *Legati Apoſtolicæ Sedis, & Regum.* 966
§. 3. *Confeſſarii Summorum Pontificum, Imperatorum, & Regum: aut qui illis fuerunt à Confeſſionibus aut conſiliis.* 968
§. 4. *Eccleſia Orthodoxa & dogmatum fidei propugnatores.* 969
§. 5. *Univerſitatum ſeu Academiarum Theologicæ facultatis Fundatores, inſtauratores, illuſtratores.* 970
ANNOTATIO. *Circa aſſumptos ex Ordinibus Religioſis ad Præſulas aliaq; munia honorata.* 971

Serta aliquot pietatis conſerta ex Floſculis, lectis in variis Carmeli areolis *ſeu* COMMEMORATIO Religioſorum piorum, qui in variis Orbis regionibus, in odore præſtantioris virtutis, aut etiam ſanctitatis deceſſerunt, virtutum exempla poſteris relinquentes.

LIBER IV.

PRÆFATIO. 973
SERTVM I. In Carmelo Carmelitiæ perfectionis odor mirificus. *ibid.*
SERTVM II. In Italia magnis virtutibus excellentes aliquot. 974
SERTVM III. In Hiſpania & Luſitania Chriſti bonum odorem virtutiferum ſpirantes. 980
ANNOTATIONES *ad vitam Ven.* Fr. Franciſciſci. 998
ANNOTATIO *circa Sanctos in Hiſpania, à nonnullis Carmelitano Ordini adſcriptos.* 1002
SERTVM IV. In Gallia & Burgundia, Chriſtianâ & Religioſâ ſublimiori perfectione conſpicui. 1003
SERTVM V. In Germania, Polonia & Leodienſi Principatu, exemplares pietatis laude præcellentes. 1009
SERTVM VI. In Belgio vitæ piæ ac Religioſæ exemplis conſpicui. 1013
SERTVM VII. In Britannicis Regnis, piæ ſanctæque vitæ exempla præbentes. 1040
SERTVM VIII. Carmelitæ Diſcalceati complures

plures virtutibus præcellentibus ac ſanctimoniâ CHRISTI bonus odor. 1043

SERTVM IX. In Carmeli Ordine utroque, antiquo & novo (ſeu antiquo-novo) Virgines ſacræ complures, ſanctimoniâ & virtutibus eximiis illuſtres. 1054

PROTESTATIO. 1064

LIBER V.

Manipuli aliquot eruditionis ex Carmeli Viridario in variis Regionibus collecti: *ſeu* Synopſis Scriptorum Eccleſiaſticorum.

PRÆFATIO. 1065

MANIPVLVS I. Ex Terra ſancta collectus. 1066

MANIPVLVS II. Lectus ex Italiæ areolis eruditionis. 1067

PRÆSVLES ex Carmeli Ordine aſſumpti in Italia, & inſulis vicinis. 1075

MANIPVLVS III. Ex Hiſpanico ſapientiæ theatro. 1076

Archiepiſcopi & Epiſcopi Hiſpanicæ & Luſitanicæ nationis ex Carmeli Ordine aſſumpti. 1081

ADDENDA ad Catalogum Præſulum hic ſuprà, nonnullis Hiſpanis & Luſitanis. 1083

PARERGON De nonnullis eximiæ pietatis ac ſanctimoniæ opinione celebratis, in Hiſpania & Luſitania. *ibid.*

MANIPVLVS IV. Ex Franciæ Floſculis eruditionis. 1085

MANIPVLVS V. Ex Germania florigeri Doctrinæ ramuſculi. 1095

Epiſcopi aſſumpti ex Conventibus Germaniæ & Leodienſi. 1105

MANIPVLVS VI. In Belgio collectus. 1106

Antiſtites aſſumpti in Belgio. 1112

MANIPVLVS VII. Ex Britannicis Regnis delibatus. 1113

ANNOTATIO. 1122

Archiepiſcopi & Epiſcopi in Anglia & Hibernia. 1123

Epiſcopi ex variis nationibus, qui ex quâ patriâ oriundi, certò nobis non conſtat. *ibid.*

DISSERTATIUNCULA De Graduum Academicorum uſu in Ordine B. Virg. MARIÆ de monte Carmelo, peculiariter in ſtrictiori Obſervantia non convenienti. *ibid.*

MANIPVLVS VIII. Ex novo Congregationis utriuſque Carmelitarum Diſcalceatorum Viridario. 1126

De Archiepiſcopis & Epiſcopis nonnullis ex utraque Congregatione aſſumptis. 1134

Corolla ad VIII. Manipulos præcedentes. 1135

PARÆNETICA EXHORTATIO. *Ad Superiores, pariter & omnes Sacerdotes, & FF. Clericos Ordinis B. Virginis* MARIÆ *de monte Carmeli.*

De duplici Inſtituto, ſeu fine Ordinis hujus, à S. P. N. ELIÆ *traducto, conjungendo; ac de modo piè & utiliter ſtudendi.* 1136

CORONIS SPECULI CARMELITANI.

De Feſto COMMEMORATIONIS SOLEMNIS B. Virginis MARIÆ de monte Carmeli. 1139

CAP. I. Feſti iſtius antiquitas: rationes ob quas primùm inſtitutum fuit. *ibid.*

CAP. II. Feſtum & Officium Feſti COMMEMORATIONIS SOLEMNIS Apoſtolicæ Sedis auctoritate à Sacra Rituum Congregatione examinatum, recognitum, approbatum ſæpiùs. 1142

CAP. III. COMMEMORATIONIS SOLEMNIS Feſtum à Clemente X. Summo Pontifice, ad preces Imperatoris & Reginæ Hiſpaniarum porrectas per Eminentiſſ. DD. Cardinales *Nitardum & Pium*, etiam extra Carmeli Ordinem celebrari juſſum, & ob quas cauſas; ſubſcribente Card. *Carpineo.* 1143

CAP. IV. Congruentiæ celebrandi Feſtum præfatum etiam extra Ordinem. 1144

CAP. V. Scrupulus cujuſpiam circa lectiones ſecundi Nocturni Feſti COMMEMORATIONIS, removetur, quoad Monaſticen S. ELIÆ in Carmelo & alibi. 1145

CAP. VI. Scrupulo alteri ſatisfit, de Virginitate S. ELIÆ. 1148

CAP. VII. Hiſtoriæ traditæ in Lectionibus ſecundi Nocturni Feſti COMMEMORATIONIS SOLEMNIS (atque etiam pleræque operi huic inſertæ) quantæ auctoritatis & certitudinis cenſendæ. 1149

EPILOGVS totius operis. 1151

SPECVLI CARMELIT. PARS QVARTA.

ACTA SANCTORVM
Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmelo.

PRÆFATIO.

1. *Geſta, dicta, virtutes Sanctorum ſcripto, atque ita perpetuæ memoriæ mandare, & ad poſteros tranſmittere, utiliſſimum fore, perſuadent & ratio, & auctoritas: ratio quidem, quòd in Sanctis Deus ipſe honoretur; Deus enim in Sanctis ſuis mirabilis eſt, & prædicatur: nam laus Sanctis impenſa ad Deum principaliter refertur; atque ita Deus ipſe magnificatur, ac glorificatur, dum ipſorũ geſta, & dicta recoluntur, & eorum merita honorantur. Sic quoq; gloria amplificatur Sanctorum in terris, patrocinium eorum conciliatur, pulcherrimarum quarumlibet virtutum proponuntur exempla, atque ad ea conſectanda ſtimuli ſubduntur; Sanctorum enim exempla nos potenter excitant, dùm ſuadent factibile, quod factum eſſe cognoſcitur ab iis, qui in fragili carne ſimiles nobis vixerunt: potiſſimùm ſi ejuſdem fuerit Inſtituti, Regulæ, converſationis, & habitûs, prout in præſenti.* Sanctorum vita, *ait magnus Mediolanenſis Eccleſiæ Præſul S. Ambroſius* (a) cæteris norma vivendi eſt: ideoque digeſtam pleniùs accepimus ſeriem Scripturarum: ut dùm Abraham, Iſaac, & Jacob, cæteroſque juſtos legendo cognoſcimus, velut quendam innocentiæ tramitem, virtute eorum reſeratum, imitantibus veſtigiis proſequamur. *Et aliquantò poſt:* Iuſtum eſt enim ut cùm in Abraham didiceritis impigram fidei devotionem, in Iſaac ſinceræ mentis puritatem, in Iacob ſingularem animi, laborumque patientiam, ex illa generalitate virtutum in ipſas ſpecies diſciplinarum intendatis animum. *Præterea certum, & ſuave eſt medium adipiſcendæ perfectionis, & demùm æternæ ſalutis, Sanctorum auxilia implorare, &, ea quæ opere & verbò docuerunt obſervando, eos imitari; ut per bonam æmulationem, ipſorum ambientes ſuffragia; cum quibus nobis fuerit conſortium devotionis, ſit & communio dignitatis.*

Sanctorum vita, & geſta utiliſſimè ſcribuntur,

Id perſuadet ratio,

(a) Libro de S. Ioſeph cap. 1.

2. *Auctoritas verò, & exemplum ad hoc ſcribendi argumentum permovent. Nonnè Spiritu ſancto dicente, & dirigente, Eccleſiaſticus antiquorum Patrum exempla ſimul congeſta diffuſè per plura capita* (b) *& Mathathias* (c) *compendioſiùs proponunt? Nonnè ab exordio Eccleſiæ peculiaris ſollicitudo Pontificum Romanorum invigilavit, ut geſta Martyrum diligentiſſimè notarentur pro futurorum inſtructione? Scribit S. Damaſus Pontifex* (d) *de B. Clemente, diſcipulo S. Petri Apoſtoli:* Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicitè, & curioſè, unuſquiſque per regionem ſuam, perquirerent. *Et infrà de Anthero:* Hic geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit. *Idipſum de ſe teſtatur S. Pontifex Fabianus* in ſua Decretali Epiſtola, *ita ſcribens & monens*: Septem ſimiliter Subdiaconos ordinavimus, qui ſeptem Notariis imminerent, & geſta Martyrum veraciter in integro colligerent, nobiſque rimanda manifeſtarent. Quod etiam vos omnes agere monemus, nè impoſterùm aliqua ex his dubitatio fiat, quæſtioque oriatur; quoniam omnia, quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et quæ noſtris temporibus veraciter ſcribuntur, ad futurorum doctrinam diriguntur. *Vbi tantæ diligentiæ rationes indicat, dum ait:* Nobiſque rimanda manifeſtarent. *Et*: ad futurorum doctrinam diriguntur. *Ea propter antiquitùs inter paucos libros qui omnibus Sacerdotibus neceſſarii judicabantur, erat Martyrologium; prout diſertis verbis ſcribit Burchardus Epiſcopus VVormatienſis* (e) *ita quidem, ut Sacerdotis nomine indigni cenſerentur, quibus hic codex deerat. Vt nempè ex ejus lectione Sanctorum exempla ad patientiam (omnibus neceſſariam) cæteraſq; virtutes excitarent, & animarent. Eam etiam ob cauſam quotidiè legitur in Eccleſiis ſub Prima. Hinc eſt, quòd omni tempore viri præſtantiſſimi operam ſuam utiliſſimè crederent impenſam memorandis poſteritati Actis Sanctorum. Vt ex penè innumeris aliquos nominemus, ſic magni Antonii vitam*

Et auctoritas confirmat.

(b) à Cap. XLIV ad L incluſivè

(c) Lib. 1. Machab. c. 2.

(d) In Pontificali c. 4.

(e) Lib. 19. Decretorum cap. 8.

Sanctorum vitam, & geſta ſcripſerunt viri præſtantiſſimi.

(a) Lib. 8. Confeſ. 7. cap.

publicavit Div. Athanaſius (quantò cum fructu abundè teſtatur S. *Auguſt.*(a) *ita & D. Hieronymus Doctor Eccleſiæ poſteritati notum reddidit S. Paulum Eremitam, atque alios. Similiter Divus Gregorius Papa, cognomine & re Magnus,* S. *Benedicto; Mellifluus Bernardus, S. Malachiæ; & Seraphicus Doctor Cardinalis Bonaventura, Seraphico Patri ſuo Franciſco; parentarunt. Et iſta è millibus pauca hîc ad propoſitum ſufficiant. Generaliùs autem fuit intentum Euſebij Cæſarienſis, Simeonis Metaphraſtæ, Petri de Natalibus, Aloyſij Lipomani, atque aliorum; & præ cæteris Laurentij Surij; non unius, & alterius, aut aliquorum, ſed univerſaliter quorumcunque vitas, & Acta Sanctorum indagare, & ad poſteros tranſmittere. In hoc autem ſtudio omnium præcedentium laborem, & induſtriam ſuperarunt RR. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius, atque illis aſſociati Daniel Papebrochius, & Joannes Raveſtenius (in præclaro Opere* Acta Sanctorum) *quibus tanquàm primus inventor, ſeu delineator, & ideator præivit Heribertus Roſweydus.*

3. *Quin & in cæca Gentilitate, ſeu Ethniciſmo, viri reputati eruditiſſimi, Plutarchus, Valerius Maximus, & alij geſta, & dicta virorum illuſtrium ſcriptis tradita ad poſterorum notitiam, & inſtructionem tranſmiſerunt; ut eſſent documenta, monumenta, & exempla virtutis, & operum heroicorum; quæ etiam in conviviis canebantur ad tibiam, ſicut refert Cicero:* (b) *Noverant enim quanta inſit vis exemplis: exempla id innumera confirmant. Notiſſimum eſt, quod de Julio Cæſare teſtatur Suetonius: eum viſâ Alexandri Magni imagine ingemuiſſe, quòd nihil à ſe memorabile actum eſſet in ea ætate, quâ jam Alexander Orbem terrarum ſubegiſſet. Similia apud Ethnicos ſuppetunt multa: ſed tamen apud Chriſtianos copioſiſſima: S. Anaſtaſius viſis SS. Martyrum imaginibus, ad martyrium incenſus fuit: ita & S. Antonius de Padua exemplo Martyrum Ordinis Minorum apud Marochium paſſorum: & S. Tereſia puella ſeptennis legens Acta Sanctorum Martyrum: Sancta Maria Magdalena de Pazzi facula ad Dei ardentem amorem, & aliarum virtutum, ac cæleſtis patriæ deſiderium, fuêre S. Angelus martyr, S. Ignatius, B. Aloyſius de Gonzaga. Sed quid ſimilibus commemorandis immoramur, cùm eorum numerus ſit ſupra numerum, & experientia quotidiana id teſtatiſſimum faciat. Ex quibus omnibus confidimus, laborem hunc noſtrum, vitas, & geſta Sanctorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli ſparſim edita, & quædam hactenùs inedita, in uno volumine digerendi, & Notationibus illuſtrandi, fore perutilem Reipublicæ Chriſtianæ, peculiariter Religioni Carmelitanæ; ut illius profeſſores inſpiciant præcedentium Patrum, & Fratrum ſuorum ſemitas, quibus ad ſummum Carmelitica perfectionis verticem pertigerunt: & imitantibus veſtigiis illos proſequentes, eorumdem mereantur aſſimulari gratiæ in terris, ac tandem aſſociari conſortio in cælis.*

(b) Tuſcul. quæſt. 4.

Exemplorum quanta.

Notatio prævia ad vitam S. Prophetæ Eliæ.

4. C*Um juxta receptiſſimam Philoſophorum, & Theologorum doctrinam:* Primum in unoquoque genere ſit menſura cæterorum, (*ita Ariſtoteles* (c)) *& exemplar debeat eſſe perfectius exemplato, aut ad minus æqualis perfectionis, in eâ ratione, quâ eſt exemplar: magnus porrò Propheta* Elias *ſit monaſticæ vitæ Princeps (ſicut eum paſſim nuncupant Patres) & idcircò Monachi veteres, ut talem olim ipſum colebant: majori ratione omnibus Carmeliticæ profeſſionis ſectatoribus, quorum eſt Patriarcha, Inſtitutor, & Fundator, ipſum velut* exemplar *identidem* inſpicere, & ſecundùm *illud* facere(d) *convenit, ut ſuæ vocationis finem aſſequantur (quilibet enim cujuſvis Ordinis Religioſus, quò propiùs, virtutum imitatione, accedit ad ſuum Patriarcham, aut ab eo longiùs recedit, eò perfectior, aut imperfectior reputatur.) Proptereà convenienter primus locus hîc tribuitur vitæ ipſius* S. P. Eliæ. *De cæteris Sanctis agetur ordine menſium & dierum, quibus coluntur.*

(c) 10. Metaph. tex. 10.

S. P. Eliæ vita cur primo loco ponatur.

(d) Exod. 25.

5. Patriarcham *autem*, Inſtitutorem, Fundatorem Carmelitani Ordinis, *eſſe* S. Prophetam Eliam, *à quo* hæreditariam tenet ſucceſſionem, *multifariè traditum, declaratum, & variorum Summorum Pontificum expreſſiſſimis verbis aſſertum, & confirmatum videri poterit in Speculi hujus* parte 1. & 2. *variis locis. Idea hoc loco potiùs ſupponendum, quàm probandum; ſufficietque indicare, & ſpecificare loca, ubi potiſſimè de eo tractatur.* Parte 1. lib. 1. 2. *& ſequentibus deſcribitur, quomodò, ubi, quandò, Dei juſſu Propheta* Elias *Ordinem hunc inſtituerit, propagaverit, & qualiter poſt ejus raptum continuatus fuerit. Et quidem* lib. 1. cap. 2. *ex Scripturæ ſacræ teſtimonio declaratur:* Quòd Elias monaſticam vitam, & prophetalem eremiticam primus hominum, Deo mandante, inceperit: & quòd Deus formam perveniendi ad finem, ac perfectionem illius vitæ, partim apertè, & partim myſticè ei expreſſerit. *Conſequenter* libro 2. *agitur de ejus Diſcipulis, ac poſteris,* Filiis Prophetarum *nuncupatis:* & libro 3. *tractatur* de Carmelo, & aliis locis, in quibus cultores Propheticæ monaſticæ Religionis primitùs converſati fuerunt. Et quâ ratione omnes hujus Religionis profeſſores appellentur Carmelitæ, quamvis non omnes manſerint in monte Carmeli. Liber 4. & 5. *proponunt Ordinis continuationem, & ſucceſſionem poſt raptum* S. Eliæ, *& ejuſdem identitatem ſub veteri, & nova Lege, ac qualiter alumni hujus Ordinis fuerint à veteri Lege tranſlati ad novam.*

Auctoritates Pontificum, & illuſtrium Scriptorum, adſtruentium Patriarchatum S. P. Eliæ *in Ordinem Carmelitanum, atque alia rationum momenta, videri poterunt in præcedenti Tomo, Synopſi 1. & 2.*(e)

(e) à num. 1229 & ſeq. uſque ad n. 1343 incluſivè.

S. PRO-



S. PROPHETÆ ELIÆ

VITA ADMIRABILIS,

RAPTUS TRIUMPHALIS,
FELICISSIMUS STATUS PRÆSENS,
FUTURUS REGRESSUS PRODIGIOSUS,
AC DENIQUE GLORIOSUS IN COELUM ASCENSUS,

HISTORIA

Virtutum heroicarum exemplis referta, & hinc utiliſſima; prodigiorum, ac eventuum ſingulariſſimorum varietate plena, inconcuſſæque veritatis; atque indè lectu jucundiſſima.

EX SACRIS LITTERIS, AC PATRIBVS
concinnata, & illuſtrata per P. F. Danielem à V. Maria.

PRÆFATIO

De utilitate, jucunditate, certitudine, & Scriptoribus Elianæ hiſtoriæ.

§. I. *Vtilitas multiplex.*

S. Elias quaſi Phœnix ſeculorum.

6. PHOENIX SÆCVLORVM dici poteſt non incongruè magnus PROPHETA ELIAS, quem Deus ſingulariſſimis, tantisque decoravit, & extulit prærogativis, ut ea, aut ſimilia omnia ſimul juncta, in altero reperiantur nemine. Et hàc conſideratione quaſi ſolus, & PHOENIX eſt in mundo: de quo propterea meritò exclamat Siracides admirabundus: (a) *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?* Prodigioſus in ſuo ortu viſus cingi, & paſci igne, mirabilis & tremendæ authoritatis in prima ſua apparitione, coram Rege Achab, contra Baalitas, adverſùs Ochoziam conſulentem Beelzebub, educendo ignem de cœlo, cœlumque claudentem, & reſerantem: mirabilior in raptu,

(a) Eccli. 48.

Admirabilis in ortu, vita & tranſitu.

N 2 &

& tranſitu è mundo ad Paradiſum in curru equorum igneorum: ſuperadmirabilis in ſuo ſub finem mundi regreſſu, prædicatione, martyrio, & denique glorioſo in cœlum viſibilique aſcenſu.

ELIAS idem quod Dominus Deus.

7. Iſtam ejus præexcellentiam prætendit nominis, Dei nutu ei impoſiti, etymon. ELIAS enim, juxta interpretationem S. Athanaſij, S. Hieronymi, S. Iſidori, V. Bedæ, & aliorum Patrum, idem eſt, quod: *Dominus Deus*, aut juxta alios: *Deus Domini*, aut etiam: *Fortis Domini*, vel: *Dominator.* Quò præcelſa ejus, & ſupereminens ſanctitas, virtus & fortitudo inſinuantur. Et ſanè ipſum vitam duxiſſe dignitati nominis iſtius conformem, & quòd Dei nomen, quô tanquàm diademate decorabatur, valdè honoraverit & exaltaverit, pateſcet ex dicendis. Hinc meritò ſuaviloquus Arnoldus Boſtius (a) de prærogativis S. ELIÆ hæc inter cætera: *Vir itaq; ante Euangelia Euangelicus, ante Apoſtolorum tempora Apoſtolicus, mundi ac rerum fugacium contemptor, ſectator æternorum cupidiſſimus: virgo, monachus, eremitaq; primus: morum lucerna, virtutum regula, præco Virginis almifluæ. Qui agnum ſine macula quocumq; iturus foret longè prævit inſtitutione virginalis pudicitiæ,* & infra:

(a) Lib. de Patron. B. V. cap. 2.

ELIAS primus cœleſtem quaſi converſationem duxit in terris.

——————— *Si ſermonis Achivi*
Vna per accentum mutetur littera, SOL *eſt.*

ELIAS quaſi Sol.

8. Etenim ἥλιος Græco eloquio idem eſt quod Latino *Sol.* Atque ita ſicuti *Sol*, ita & ELIAS PHOENIX eſt ſeculorum. Ægyptij Heliopoli *Solem* quaſi avem orientem & occidentem pinxerunt. Hinc orta opinio de exiſtente PHOENICE, cùm tamen tantùm ſit ſymbolum, & hieroglyphicum ſolis, qui quaſi PHOENIX ſolus eſt in mundo, oriens, & occidens, & denique renaſcens. Sic quoque ELIAS *ſurrexit quaſi ignis* fulgidus, & igneus mundo occidit in ſuo raptu, & rursùs ſub finem mundi regrediens in mundum non minùs, imò magis igneus, & Zelo flagrantiſſimus orietur, & occidet. S. Chryſoſtomus quoque *Homilia de S. ELIA*, Angelomus, & alij ſcribunt, ELIAM meritò dici Solem, eò quòd fuerit Sol, currus & auriga Iſraëlis, gubernator ſacrorum, moderator diſcrepantium voluptatum, & ſicuti *Sol* ſuo ſplendore lucem, calorem, lætitiam, & vitam communicat: ſic & ELIAS populum Iſraëliticum ſedentem in tenebris idololatriæ, & vitiorum, atque ita in umbra mortis, luce cœleſtis doctrinæ illuminavit & exhilaravit, amore divino accendit, & vitam divinam aſpiravit: quod non minùs præſtabit, antequàm veniet dies Domini magnus, & horribilis, quando ferventiſſimâ ejus prædicatione fideles roborati, & Judæi converſi, uno fœdere in Chriſti fidem & Eccleſiam convenient. (b)

Surrexit quaſi ignis.

ELIAS quaſi Sol lucem & lætitiam attulit.

(b) Vide hic infrà p. 4. c. 1.

9. ELIAS igitur *quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit*, & fulgebit *in templo Dei*, aut (reſpectu habitô ad Chriſtum *Solem juſtitiæ*) tanquàm ſtella matutina, ſeu magnæ lucis præambulum: ſicut Joannes Da Sylveira, celebrati nominis Commentator in textum Euangelicum, iſtud *Lucæ 4.* exponens (c) *Multæ viduæ erant in diebus* ELIÆ *in Iſrael?* ad iſtud: *In diebus* ELIÆ, ait: ELIAS *per multos annos in hoc ſæculo ante ſuum raptum vixit. Cur ergo tot anni dies vocantur? Cur non potiùs anni dicuntur? Tanta erat puritas, charitas, ac zelus animarum* ELIÆ, *ut omne tempus vitæ ejus parvum, & pauci dies viderentur ... Quomodò Dominus triginta tres annos vitæ ſuæ diem appellat? Tanta erat eximia vitæ Chriſti puritas, quâ in mundo fulgebat, tantaq; illius charitas ſalutis animarum noſtrarum, ut tot annos tamquàm parvum tempus reputaret, ut ei veluti dies unus videretur ... In diebus* ELIÆ. *In* ELIA *deſcribuntur, ac notantur dies; in aliis verò Sanctis tempora, & anni ... Tempus includit claritatem diei, & tenebras noctis: dies verò lucem, & claritatem tantùm dicit. In aliis multis juſtis invenitur tempus, obſcuritas ſcilicet peccati, & ſplendor gratiæ: at in* ELIA *inſunt dies; poſtquàm enim in eo eluxit divinæ gratiæ lux, non legimus in ipſo obſcuritatem peccati, ſed ſemper eum in gratiæ ſplendore ambulantem. Sicq;* ELIAS, *juxta D. Chryſoſtomum ſupra citatum, ex Græco, Sol interpretatur, qui in ſe tenebras neſcit, & ſemper in luce fulget, atque reſplendet.* SVRREXIT ELIAS PROPHETA QVASI IGNIS. (a) *Vatablus.* PORRÒ ELIAS PROPHETA VELVT IGNIS EST EXORTVS. *Symm.* SVRREXIT PROPHETA SIMILIS IGNI. *Ignis tenebrarum expers, totus luce, ac fulgore reſplendet.* ELIAS *Dei gratiâ veluti proprietates habens ignis, ſurrexit, peccati tenebrarum expers, totus in juſtitia, ſanctitate, ac Dei zelo reſplendens, ut totus videretur alienus à quocumquè terreno, ac corporali affectu.* Hæc ibi ille.

(c) Tom. 3. lib. 5. c. 31.

Præ Charitate vita ELIÆ *videbatur brevis.*

ELIÆ ſanctitas ſemper in luce fulget.

(a) Eccli. 48.

ELIAS velut ſpiritus ac ſi fuiſſet extra corpus vivens.

10. Conſequenter declarat amplitudinem ELIANI ſpiritus, & eum omnibus in exemplū, ad imitandum, datum à Deo. *Chriſtus Dominus*, inquit, *conſtitutus eſt à Deo Patre, ut idea, & exemplar, quem omnes imitari debent, & à quo omnes omnia bona participant; ut colliges ex D. Thoma* (b) ELIAS *tam amplo ſpiritu ditatus eſt, ut cunctis ſit in exemplum ad imitandum. Vniverſo populo Chriſtiano proponitur* ELIAS, *ut ejus zelum honoris Dei ſequatur, ut habetur in jure Canonico 23. quæſt. 4. cap.* Si illic, *Sacerdotibus proponitur* ELIAS *ut ipſum imitentur in ſalute populi procuranda, inq; rectitudine morum plantanda, turpibuſq; vitiis pullulantibus propulſandis. Cap.* Quòd Chriſtus. *Et Cap.* Guiliſarius. *Eâdem quæſtione Epiſcopis, & Prælatis proponitur* ELIAS, *ut ab ipſo hauriant exemplum ad rectè ſuum munus exequendum ſine reſpectu perſonarum 1. quæſt. 1. cap.* Cum ſcriptura. *Vniverſis miniſtris proponitur* ELIAS, *ut ab illo cuncti percipiant documenta ad contemnendos reges ſacrilegos, & tyrannos, ac ad comprimendos ac interficiendos hæreticos, & Apoſtatas. D. Chryſoſtomus lib. 3. de providentiâ. Cunctis Religioſis proponitur* ELIAS, *ut in vita monaſtica ejus exemplum ſequantur. Macarius Abbas ſermone ad Monachos, qui incipit.* Fratres chariſſimi. *Refertur à Palæonydoro,* (c) *& illius meminit Suarius:* (d) ELIAM, *& Eliſæum, ac Filios Prophetarum, quos conſtat veraciter veteris teſtamenti Monachos, imitari curate. Sicque S. Antonius, ut teſtatur S. Athanaſius in ejus vita; ſecum reputabat, ait, oportere, Dei famulum ex iſtius magni* ELIÆ *exemplum capere.* Sic quoquè teſte Sozomeno,

(b) 3. P. q. 54. art. 1.

ELIAS omnibus in exemplum propoſitus.

(c) Lib. 1. cap. ult.

(d) Tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 1. n. 1.

meno, & aliis, Monachi alij olim S. ELIÆ vitam, virtutes, habitum, in memoriam revocabant, & inſpiciebant, ut ſecundùm iſtud exemplar à Deo cunctis propoſitum, operarentur, & ſe illi conformarent.

11. Quamvis autem exemplar iſtud Elianæ converſationis, ſit ſplendidiſſimum ſpeculum heroicarum virtutum, majori tamen refulgentiâ emicant in S. ELIA iſtæ: PAUPERTAS VOLUNTARIA, & omnium rerum temporalium omnimoda, & ſumma abdicatio, quæ ab eo in cæteros Monaſticæ converſationis profeſſores defluxiſſe traditur. JEJUNIUM quò divinam acquiſiviſſe præſentiam memoratur. VIRGINITAS SACRA cujus integritati primus ſtuduit, eamque in mundum invexit, propterea meſſor virginum nuncupatus & etiam ideo curru igneo raptus ad cælum prædicatur. CONTEMPLATIO SUBLIMIS, & jugis in Dei conſpectu converſatio: quâ dignus redditus fuit, in monte Oreb, quantùm fas eſt mortali homini, Deum ipſum intueri in ſibilo auræ tenuis. ORATIO ATTENTISSIMA, AC HUMILLIMA, ET NON DEFICIENS: quâ cælum concluſit, & reſeravit, ignem cælitùs eduxit, primus mortalium mortuum ad vitam revocavit. ZELUS FLAGRANTISSIMUS DIVINI HONORIS, quò potiſſimè promeruit tàm inſolitum, & ab origine mundi uſque in præſens nec viſum, nec auditum, triumphalem è terris in Paradiſum tranſvectionem: de quibus & cæteris ſigillatim agetur in ſequentibus.(a)

(a) Parte 5 vitæ hujus.

§. 2. *Elianæ hiſtoriæ oblectans varietas.*

Hiſtoria ejuſdem oblectans varietas.

12. AD libri cujuſlibet lectionem peculiariter invitat utilitas eorum quæ continet, nec non eorundem delectabilis varietas, & admirabilia eventa, maximè ſi accedat eorum quæ narrantur auctoritas, veritas & certitudo. Elianæ hiſtoriæ utilitas patet ex jam dictis, & confirmabitur ex mox dicendis. Quoad varietatem, & rerum admirandarum multitudinem, hiſtoria hæc illis ſuperabundat: ut ex plurimis pauca contingamus. Hinc elucet, quanta ſit divinorum judiciorum abyſſus in peccatis hominum diſſimulandis, donec ad pœnitentiam revocentur, quod ſi minimè fecerint, quanta ſit in illis puniendis ſeveritas. Nam quis non miretur Dei longanimitatem in diſſimulandis per tot annorum circulum Iſraëlitici populi delictis (maximè verò iis, quæ Achab, Jezabel, Ochozias, Baalitæ in ſummam divinæ Majeſtatis contumeliam perpetrabant) Iſthinc manifeſta fit Dei in obſtinatos ſeveritas, tot enim millia cadavera hominum eorum, qui fame necati ſunt, ipſius Achabi ſeveriſſima punitio, Jezabelis horrendus caſus, Ochoziæ Regis mors præmatura, Pſeudoprophetarum interitus, quinquagenariorum combuſtio, & alia hujuſcemodi, Dei in obſtinatos ſeveritatem clamant. Etenim ut verè Magnus Gregorius dixit: lento gradu ad vindictam procedit juſtitia divina, ſed tarditatem ſupplicij ſeveritate compenſat.

Inde pateſcit Dei longanimitas.

Et in obſtinatos ſeveritas.

13. Præterea ex hac narratione monemur, quàm magna ſit Dei providentia, & ſolicitudo in piorum hominum conſervatione. Unus ſanè ELIAS hujuſce divinæ providentiæ clariſſimus aſſertor eſſe poteſt. Quis enim enarret, qua cum benignitate Deus res illius diſpoſuerit, ut graſſantem in omnium hominum capita famem minimè ſentiret. Id etiam aliis devotis viris ſervis ſuis Deus tunc præſtitit: cùm enim fureret impia Jezabel in Prophetas Domini, jamque eorum ſanguinem veluti bibitura eſſet, excitavit divini nominis zelus Abdiam Regiæ domus diſpenſatorem, qui in diverſis ſpeluncis ſacro-ſanctos Prophetas ab impiis profanæ mulieris manibus eriperet, eoſque pane & aquâ paſceret, ne quid detrimenti inter medios graſſantis famis æſtus paterentur. Hæc autem cœleſtis providentiæ conſideratio mirum quam afficiat piorum hominum mentes, ut in Deo penitùs acquieſcant, atque in illius ſinum jactent ſpem omnem & cogitatum.

14. Deniquè ex hac etiam hiſtoria inſtruimur, nunquàm ita deſeri humanum genus à divina bonitate, quin ſemper excitet viros aliquot ſanctiſſimos, qui in mediis peccatorum, errorumque tenebris, aut potiùs, ut eſt apud Paulum, (a) *in medio nationis pravæ & perverſæ* luceant ſicut luminaria in firmamento cœli, verbum vitæ continentes. Ex altera verò parte, hiſtoria hæc nos edocet, quanta malorum ſeges ex religionis & pietatis contemptu, ac neglectu oriatur. Unum enim ELIÆ ævum id abundè teſtatur, in quo videbis tres omninò familias regias, quæ potentiſſimæ erant apud Iſraëlem, magnoque filiorum numero firmatæ, ita radicitùs exciſas, ut ne germen quidem, aut ulla eorum memoria ſuperſtes fuerit. Hæc, & alia, uberiùs declarata videre licebit apud Camartum. (b) Ex hactenùs dictis patet, Elianam hiſtoriam lectoribus & utilitatis, & voluptatis plurimùm afferre, præclaris exemplis animos inſtituere, & varia admirandorum eventuum repræſentatione velut ſpectaculo recreare doloribus ac curis preſſos, erigere difficilium temporum tædiò languentes, atque inter graviſſimas procellas de benigni Numinis ſingulari erga ſuos fideles providentia fiduciam ingerere.

(a) Philip. 2. v. 15.

(b) Lib. de S. ELIA cap. 9.

§. 3. *Elianæ hiſtoriæ inconcuſſa veritas, & ſummi culminis certitudo.*

15. QUantùm ad auctoritatem eorum, quæ in hac hiſtoria referuntur, id nobis ſingularis eſt ſubſidij, & lectoribus oblectamenti, quòd, ut plerumque in hiſtoriis aliis evenire ſolet, ſuſpicioni falſitatis, aut dubitationis, aut affectatæ ſcriptionis ſubjecta non ſint; cùm S. ELIÆ encomia, & geſta ab ipſo Spiritu veritatis dictata ſint. Ea enim omnia irrefragabili canonicarum ſcripturarum

Hiſtoriæ ejuſdem irrefragabilis veritas.

rum teſtimonio ſunt conſignata, & hominis iſtius cœleſtis, Angelique terreſtris eximia merita, ac præconia, fulgentiſſima virtutum exemplaria ab immortali, divinoque calamo litterarum monimentis ſunt commendata, ad inſtituendos, & in virtute, erudiendos nepotes, ac poſteros. Et quidem in veteri Teſtamento, *libri Tertius, & Quartus Regum* luculenter, & prolixè S. ELIÆ Prophetiam, geſta & prodigia enarrant, *libro ſecundo Paralipomenon cap.* 21. ſcribitur de Epiſtola ab ELIA poſt raptum tranſmiſſa ad Joram Regem Juda. Malachias *cap.* 4. propheticè prædicit ea, quæ ab ELIA ultimis temporibus ſint gerenda. Eccleſiaſtici Scriptor Jeſus filius Sirach, res & encomia ELIÆ in epitome complexus eſt *cap.* 48. In *lib.* 2. *Machabæorum cap.* 2. peculiariter ejus Zelus commendatur. In novo autem Teſtamento, Euangeliſtæ omnes, nec non S. Paulus, & S. Jacobus ELIÆ ſanctitatem divino ſuo calamo adſtruunt. Auctor igitur Elianæ vitæ, & elogiorum ejus eſt Spiritus ſanctus; ſcribæ verò in utraque Paginâ ſacrâ, viri ſanctiſſimi, edocti, & directi à Pneumate ſancto. Fundamentis illis ſolidiſſimæ, & inviolabilis veritatis ſuperædificantes Patres, & Doctores, eandem vitam multipliciter, & eruditiſſimè illuſtrarunt. Ex iſtis tùm ſacris Scriptoribus, tùm ſanctis Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus, Elianæ vitæ hiſtoria contexta, & concinnata proponitur.

§. 4. PARTITIO OPERIS: CHRISTI & ELIÆ *vita quadruplici ſtatu differenti definita.*

16. ELianæ vitæ periodus univerſa quadruplici notabiliter differenti definitur ſtatu, ſicut & CHRISTI, cujus ipſe ELIAS in rebus maximis, & præcipuis, typus fuit perfectiſſimus; prout declarabitur infrà (a). Primus vitæ CHRISTI ſtatus fuit ab ejus incarnatione per annos triginta uſquè ad primam in publicum apparitionem, & initium prædicationis. Intereà vitam duxit Deo ſoli notam, incognitam hominibus: qualis autem ea fuerit ſacræ paginæ non exprimunt, niſi quòd fuerit ſubditus Matri & Joſepho. Secundus, ab initio ſuæ prædicationis uſque ad glorioſam in cœlos aſcenſionem. Tertius, quem nunc habet in cœlo. Quartus, futurus in ſuo in mundum reditu, ad judicium: Quò peractò cum Sanctis omnibus aſcendet in cœlum, ibi cum eis regnaturus in æternum.

(a) Part. 4. c. 5.

Operis hujus partitio.

17. Sic & Elianæ vitæ ſtatus primus fuit vita privata, & occulta, cujus in ſacris litteris nulla fit mentio, à ſuo ortu uſque ad primam apparitionem coram Rege Achab. Secundus à ſua prima apparitione factâ Achabo Regi, deſcriptâ *capite* 17. *libri* 3. *Regum*, uſquè ad ſuum triumphalem raptum è mundo. Tertius eſt ſtatus præſens, feliciſſimus in quo nunc degit in Paradiſo. Quartus adhuc futurus, à ſuo ante diem judicii in mundum reditu uſque ad glorioſam aſcenſionem in cœlum, ubi cum CHRISTO ſuo prototypo regnabit in æternum. Hinc appoſitè Elianæ vitæ hiſtoria in quatuor diſtribuitur partes, quarū ſingulæ ſingulos præfatos ſtatus declarabunt. Quinta tandem peculiariter heroicas illius virtutes in exemplum proponet.

VITÆ S. P. ELIÆ

PARS PRIMA,

Præconia, Teſtimonia Sanctitatis, Ortus, Patria, primaque Apparitio ipſius.

CAPUT PRIMUM.

Sacrorum utriusque Teſtamenti Voluminum de magni Prophetæ ELIÆ *dictis & geſtis eloquia; deque eminenti ſanctitate ejus teſtimonia.*

18. MAgni Prophetæ ELIÆ admiranda vita, geſta, virtutes, raptus, futurus reditus, prædicatio adverſus Antichriſtum, converſio Judæorum per ipſum, ac denique Chriſti-forme martyrium, & glorioſus in cœlum aſcenſus in ſacra Scriptura certis, & magnis fidei ſacramentis tradita, in ſummo culmine authoritatis, & infallibilis veritatis locata ſunt; utpotè (ſicut jam audire cœpimus) dictata à Spiritu ſancto; & ejuſdem teſtimonio obſignata in utriusque paginæ voluminibus, undè præcipua quædam, tanquàm Elianæ hiſtoriæ fundamenta hìc exhibenda ſunt. Itaque

19. *Libro* 3. *Regum cap. XVII.* ſic primò introducitur loquens: *Et dixit* ELIAS *Theſbites, de habitatoribus Galaad, ad Achab: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto.* En teſſeram Elianam, primaque verba, quæ de ipſo & ab ipſo prolato referuntur: deindè ſic ab eo repetita: *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto.* (a) Chaldaicus Textus habet: *Ante quem miniſtro.* Quaſi diceret: Ego ſemper mente Deum habeo præſentem, conorque illum amare, laudare, revereri, eique per omnia placere, tanquàm coram eo, & in ejus conſpectu ſtans ſemper, & ad ipſum cor dirigens; nam, ut S. Gregorius *lib.* 2. *in Ezechielem Homil.* 13. ait: *Ibi ſtamus ubi mentis oculos figimus, undè* ELIAS *ait: Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto: ibi utiquè ſtabat, ubi cor fixerat.* Iſtis conſonant illa, aliquantò poſt, Zelum ardentiſſimum ſpirantia verba, reciprocata: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum.* Vatablus vertit: *Mirâ zelotypiâ teneor pro Domino Deo*: quaſi diceret: Crucior in honorem Dei quâdam quaſi zelotypiâ, & quaſi ſuſtinerem Dei perſonam, crucior; cùm videam Synagogam, quæ ſponſa eſt Dei, ab eo deficere, & ad Baal, quaſi ad adulterum, tranſire. Iſti

(a) 3. Reg. 18.

ELIÆ exercitium continuum Dei præſentiæ.

Et Zelus honoris ejus.

utiliſſimo ſubjecto, & ſublimis ac cœleſtis perfectionis exemplo diutiùs immorari lubet: Sed de eo, & reliquis dictis, ac geſtis illius ſermo redibit in ſequentibus: Quò etiam remittitur tractatio ejus, quod de Sancto ELIA ſcribitur *libro 2. Paralipomenon cap. 21.* de litteris ab eo ad Joram Regem miſſis ex Paradiſo.

20. ECCLESIASTICI 48. *Et ſurrexit* ELIAS *Propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidiâ ſuâ pauci facti ſunt. Non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cœlum, & dejecit de cœlo ignem ter. Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. Et quis* ELIÆ præconia eximia à Spiritu ſancto dictata. *poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi? Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei. Qui dejeciſti Reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo. Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defenſionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor Patris ad Filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt. Nam nos vita vivimus tantum: poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum.* Hæc à Spiritu ſancto dictata verba, & encomia tàm eximia ſunt, ut vix præſtantiora de homine mortali dici queant. Hinc Siracides admirans multitudinem, & magnitudinem portentorum, & admirandorum operum ELIÆ, ad eum ſe convertens, eique congratulans exclamat: *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?* aut, ut ſonat textus Græcus: *Quantam gloriam conſecutus es ô* ELIA *mirabilibus tuis, & quis poteſt ſimiliter ac tu gloriari?* Eſt interrogatio ad quam nulla ſequitur reſponſio. ELIAS enim prodigiis, & heroicis operibus omnes anteceſſores ſuperavit, uno excepto Moyſe: ſed nec Moyſi fuit impar. Nam & mortuum ſuſcitavit, & ignem ter de cœlo deduxit, & curru igneo raptus eſt in cœlum, & adhuc ſuperſtes vivit rediturus, & certaturus contra Antichriſtum, ab eoque martyrio laureandus, quorum nihil competit Moyſi. Ita Cornelius à Lapide in illum locum Eccleſiaſtici: ubi etiam ſequentia. *Surrexit* ELIAS *Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula.* Græcè: *quaſi lampas,* id eſt, fax, candelabrum, lumen, *ardebat & urebat.* Syrus: *Surrexit Propheta ſimilis igni, & verbum ejus ardens quaſi clibanus ſuccenſus.*

21. Comparatur autem S. ELIAS igni & Cur igni comparetur? faculæ: *primò*, quia ardebat charitate Dei, eamque docendo & prædicando alios accendebat, itaquè eos in veri Dei fide, cultu & amore continebat; vel, ſi ad Baal, & idola deflexiſſent, ad Deum verum convertebat. *Secundò*, quia flagrabat zelò honoris Dei. *Tertiò*, quia in verbis & operibus erat efficax: adeò, ut ea per miracula exequeretur, & ſanciret, quocirca adeò ardentia fundebat verba, ut flammas eructare videretur: non enim inſtantia erant, ſed cunctos inflammantia. Similis fuit vox S. Joh. Baptiſtæ, qui proindè dicitur veniſſe *in ſpiritu & virtute* ELIÆ. *Quartò* verbum ELIÆ vocant faculam, quia magnum apud Idololatras excitavit incendium; tùm ſterilitatis & famis, quo plantas, homineſque areſecit & exuſſit: tùm ignis, quem è cœlo in idololatras evocavit. Ita ſe explicat Siracides, dum ſubdit: *Qui induxit in illos famem.* Et mox: *Verbo Domini continuit cœlum, & dejecit de cœlo ignem ter.* Tradunt S. Epiphanius, Dorotheus, & alij plures: ELIAM flammâ fuiſſe enutritum, in ſignum ardentis eloquij ejus: non quòd verè flammâ fuerit enutritus (hoc enim eſt impoſſibile;) ſed quòd flamma lamberet ejus vultum, & os, in illudque videretur ingredi, illumque cibare & paſcere. Hactenùs Cornelius. Sed de his, & aliis, quæ ab Eccleſiaſtico ibi breviter perſtringuntur, de geſtis; & raptu ELIÆ, latiùs in ſubſequentibus. Similiter & iſta Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Prophetam* ELIAM, &c. (quibus ſignificatur futurus S. ELIÆ reditus ante diem judicij) atque illa primi Machabæorum ſecundo: ELIAS *dum zelat zelum legis, receptus eſt in cœlum,* peculiarem habebunt tractationem infrà. Et hæc quidem ex veteris Teſtamenti ſacro textu delibata de S. ELIA ſufficiant: quibus conſequenter ſubnectenda nonnulla, quæ quatuor SS. Euangeliſtæ, & alij legis novæ ſacri ſcriptores de eodem litteris tradiderunt.

22. S. MATHÆUS Apoſtolus & Euangeliſta in limine legis novæ primus occurrit; hæc à Chriſto Domino prolata de S. Joanne Baptiſta, referens: (a) *Ipſe* (Joannes) *eſt* ELIAS, (a) Matth. c. 11. *qui venturus eſt.* Chriſtus ratione benevolentiæ erga Joannem, ad eum extollendum, & nobilitandum, affirmat ipſum eſſe ELIAM: quod viciſſim valdè glorioſum eſt ipſi ELIÆ, aſſimilari, imò quodammodò identificari Joanni Baptiſtæ, quo, teſte ipſo Chriſto, major non S. Joannis Baptiſta exiſtimatus ELIAS. ſurrexit inter natos mulierum, inter cujus tot illuſtria encomia, tanquàm clauſula ponitur: *Ioannes ipſe eſt* ELIAS. Chriſtus autem Joannem vocat ELIAM non in perſona, ſed ob ſimilitudinem, & paritatem gratiæ. Ita S. Thomas in hunc textum, & S. Hieronymus, referendi capite ſequenti, & paſſim alij.

23. Idem S. Euangeliſta *cap. 16* ſic deſcribit colloquium cum diſcipulis: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij* ELIAM. In tanta igitur æſtimatione fuit ELIAS apud Judæos, ut ipſum putaverint eſſe Chriſtum; ob ſimilem utriuſquè Zelum, aliaſque virtutes, miracula, & doctrinam; & quia ELIAS necdùm eſt mortuus, ac rediturus, ab omnibus etiam Judæis expectatur ex præfato oraculo Malachiæ: *Ecce, ego mittam vobis* ELIAM *Prophetam.* Malach. 4. Putabant ergo ELIAM rediiſſe, ac ELIAM eſſe JESUM. *Capite* autem 17. deſcribens hiſtoriam transfigurationis, narrat, quòd etiam *apparuerunt Moyſes, & ELIAS cum eo loquentes:* & quòd S. Petrus Chriſto propoſuerit, ut Chriſtus ſocium ELIAS. ſicuti Chriſto, ita & Moyſi, & ELIÆ fieret tabernaculum. Cur cum Chriſto apparuerint Moyſes & ELIAS, rationes plures aſſignant Patres,

Patres, è quibus aliquæ adducentur in ſequentibus. Eodem *capite* 17. narrat interrogationem diſcipulorum, & reſponſum Chriſti: *Et interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quòd* ELIAM *oporteat primùm venire? At ille reſpondens, ait eis:* ELIAS *quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia* ELIAS *jam venit.* Dicit Chriſtus: ELIAS *jam venit*, ſcilicet Joannes Baptiſta, de quo Angelus prædixerat: *venit in Spiritu & virtute* ELIÆ.

24. *Capite* 27. ſcribit: *Clamavit Ieſus voce magna, dicens: Eli, Eli lamma Sabachtani. Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant:* ELIAM *vocat iſte. Sine, videamus an veniat* ELIAS, *liberans eum.* Nonnulli (quibus favent Hieronymus, & Beda) cenſent illa prolata a Scribis & Phariſæis: Plures exiſtimant, dicta ab aliquibus de plebe, ſeu ab ipſis militibus. Ut ut ſit, inde non inevidens indicium habetur ejus (de quo latiùs *part.* 3. *cap.* 5.) Judæorum Synagogam conſtanti ſemper traditione tenuiſſe, ELIAM ab illis compellari, & ipſis in anguſtia poſitis ſuffragari poſſe. Addit Bouldu-cus (a) ideo Hebræos putaſſe Chriſtum ELIAM vocaſſe, quia multi ipſum ELIAM, aut ELIÆ diſcipulum, vel ſectatorem arbitrabantur. Plura circa hæc videri poterunt apud Lezana *Tomo* 1. *Annalium.* (b)

(a) Lib. de Eccleſiaſte. Leg. c. 5.

(b) Ad an. mundi 4086. n. 21.

25. S. MARCUS de S. ELIA ferè eadem ſcribit, quæ S. Matthæus: & quidem *capite* 6. iſta: *Alij dicebant* (de Chriſto) *quia* ELIAS eſt. *Capite* 8. quòd *homines dicerent*, Chriſtum *eſſe Ioannem Baptiſtam, aut* ELIAM. Et *capite* 9. quòd in Chriſti transfiguratione: *Apparuit* ELIAS *cum Moyſe*, ac eodem capite, quod ELIAS *venturus eſt*, imò *quia &* ELIAS *venit*. Ac denique *cap.* 15. illa: *Quidam de circumſtantibus audientes dicebant: Ecce* ELIAM *vocat. Sinite, videamus ſi veniat* ELIAS. Circa quæ nil eſt ſuperaddendum præter ea, quæ jam dicta ſunt.

26. S. LUCAS *capite* 1. ſui Euangelij deſcribendo nativitatem S. Joannis Baptiſtæ pariter extollit S. ELIAM ita ſcribens: *Præcedet ante illum in Spiritu, & virtute* ELIÆ: quia videlicet Joannes eadem heroicarum virtutum exempla cum ELIA editurus erat. In illa verba commentans Theophylactus ait: *In virtute ac ſpiritu* ELIÆ *venit Ioannes, eò quòd eremita fuit etiam ipſe, & frugalis vita.* Et Ambroſius: *Sanctus* ELIAS, inquit, *virtutem magnã habuit & gratiã. Virtutem, ut ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret. Virtutem abſtinentiæ atq; patientiæ, & ſpiritum prophetandi. In deſerto* ELIAS, *in deſerto Ioannes. Ille corvis paſcebatur: hic dum dives eſſet, calcatâ omni voluptatis illecebrâ, parſimoniam prætulit, luxumq; contempſit. Ille Achab Regis gratiam non quæſivit, hic ſprevit Herodis. Ille Iordanem diviſit, hic ad lavacrũ ſalutare convertit. Hic cum Domino verſatur in terris, ille cum Domino apparet in gloria. Hic prioris, ille ſequentis Dominici præcurſor adventus.* Ita quoque Chryſologus (c): *Ioannes* ELIÆ *venit in ſpiritu, & in ejus virtute graditur, qui totum victu, veſtitu, honore, caſtitate, abſtinentiâ & omnibus* ELIAM *virtutibus repræſentat.* Conformiter ſcribit Maldonatus in illum S. Lucæ textum: *Qui benè*, inquit, *in ſpiritu & virtute* ELIÆ *præcedere dicitur, quia ſicut ille præco venturi judicis ita hic præco factus eſt Redemptoris. Undè & converſatione prorsùs ſimillimâ ambo deſerta ſecuti, victu frugi, veſtitu inculti, cinctu ſunt acpecti. Ambo Regis & Reginæ veſaniam tolerant.* Alia ad idem propoſitum adferentur *capite* 3. ex aliis Patribus. Præfata S. Lucæ verba Alcazar *in caput* 11. *Apocalypſis* expendens: *Animadvertendum*, inquit, *ad ipſius quoque* ELIÆ *laudem ſpectare, quod Ioannes Baptiſta in illius ſpiritu & virtute venerit. Quid enim magnificentius, quàm* ELIÆ *nomen ita eſſe illuſtre, atq; glorioſum, ut ejus imitatio, ac nomen potuerint Ioannem Baptiſtam ſupremum Chriſti prodromum honorare:* Ita ille. *Capite* 4. iſtis verbis: *Multæ viduæ erant in diebus* ELIÆ, & ſequentibus comparitionem inſtituit S. Euangeliſta Lucas inter CHRISTUM & ELIAM. Dies autem ELIÆ fuerunt, in quibus ipſe inter denſiſſimas idololatriæ tenebras virtutum exemplis, ceu radiis lucidiſſimos faciebat dies iis, qui ejus virtutes æmulabantur, *& qui in ejus operibus lucem videbant gratiæ ſpiritualis, & convertebantur ad Dominum:* inquit D. Ambroſius. *Capite* 9. idem S. Lucas teſtatur (quod jam ſtatim etiam ex SS. Mathæo & Marco audivimus) Judæorum quoſdam exiſtimaſſe, Joannem eſſe in perſona ELIAM, alios verò ipſum CHRISTUM eſſe ELIAM: Eodem capite transfigurationis myſterium pandens: *Et ecce* inquit, *duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes &* ELIAS, *viſi in majeſtate.*

ELIAS & Ioan. Bapt. in converſatione ſimillimi.

(c) Serm. 88.

Id in magnam laudem ELIÆ cedit.

De diebus ELIÆ vide ſup. n. 20.

27. S. JOANNES Apoſtolus & Euangeliſta *capite* 1. *ſui Euangelij* deſcribit legationem Judæorum ad Ioannem Baptiſtam: qui, quia in virtutibus, & vitæ inſtituto ita erat ſimilis ELIÆ, ut ELIAS in perſona crederetur à Iudæis; ideo interrogant: ELIAS *es tu?* In libro Apocalypſis S. ELIAM, & conſortem ejus Enoch iſtis titulis adornat: *Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.* Ibi conſequenter eorum prælia adversùs Antichriſtum, miracula, prædicationem, martyrium, glorioſam in cœlos aſcenſionem graphicè depingit. Sed de iſtis peculiariter infra, part. 4. cap. 2.

28. S. PAULUS Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. 11. S. ELIAM, ejusque diſcipulos (etſi non expreſſò nomine) iſtis encomiis commendat, & in exemplum proponit ad perſecutionum tolerantiam: *Circuierunt*, inquit, *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Vetuſtus Pater Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus iſta de S. ELIA, ejusque diſcipulis ſic exponit: *Circuierunt &c. Ita*, inquit, ELIAS *ille magnus: ita Eliſeus illius gratiæ hæres: ita plurimi Prophetæ, qui ne domos quidem habebant, ſed ligna excidentes ſibi tuguria, caſasq; conſtruebant* (de quibus ſcilicet *lib.* 4. *Regum cap.* 6. & S. Hieronymus *in Epiſtola ad Ruſticum*, iſta: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas, &c.*) In eundem ſenſum illa exponit Theophyla-

Iſta S. Pauli circuierunt in melotis, &c. dicta de Elia & diſcipulis ejus.

phylactus Archiepiſcopus Bulgariæ: *Circuie-runt in melotis:* ELIAS, inquit, *fuit Propheta clariſſimus, egentes uti* ELIAS, *& Eliſeus, quos alerent muliercula: Anguſtiati, afflicti: non enim parùm* ELIAM *Iezabel inſectata fuit. In ſolitudinibus errantes, in montibus ac ſpeluncis, & cavernis terræ: ſicut* ELIAS, *& Prophetæ plerique.* Similiter S. Thomas (referendus capite ſequenti) illa exponit de S. ELIA. Ita quoque Haymo in eundem textum: ELIAM, inquit, *in hoc loco debemus intelligere.* Et infrà: *In ſolitudinibus,* &c. ſubdit: ELIAM *eximium Prophetarum hic vult intelligi, & Filios Prophetarum.* (a)

(a) Vide plura ad hoc intentum p. 5. cap. 1.

(b) 4. Reg. 1.

29. Adſtipulatur Cornelius à Lapide circa eadem: *Notat Paulus,* ELIAM, *qui* (b) *vir piloſus dicitur, non tàm à barba & coma, quàm à melote, & veſte piloſa & hirſuta: notat & Eliſeum, aliosque Prophetas; quorum inſigne fuit melotes, ſive cilicium ex pelle hirſuta. Porrò uſi ſunt Prophetæ melote, quaſi vili & aſpero amictu, tùm quia Achab, Antiochus & alij ad extremam paupertatem eos adigebant, ut homines, & hominum ſolatia fugere, atque in montibus & ſpeluncis, inſtar ferarum oberrare, & latere cogerentur: tum quia hoc ſuo vili habitu volebant docere homines luxum veſtium eſſe ſpernendum, de quo multa hîc habet Chryſ. Hom. 28. in morali.* Ad iſta: *Quibus dignus non erat mundus* ſubjungit: *Quaſi dicat: Hi viri ſancti tanta dignitatis erant, ut mundus eos habere non mereretur. Ipſi enim ſuis apud Deum precibus urbes & provincias, imò mundum totum, ne à Deo diluvio rursùm ob peccata obrueretur, conſervabant. Vndè* ELIÆ, *cum raperetur, ſucclamavit Eliſeus: Pater mi, (tu es) currus Iſraël & auriga ejus.* Denique circa illa: *In ſolitudinibus errantes, & in montibus,* &c. ſubdit idem Author: *Nota* ELIAM, *Eliſeum & Filios Prophetarum communiter in montibus verſatos eſſe, & præſertim Carmelum adamaſſe. Verſabantur enim uti animo in cœleſtibus, ita corpore in ſublimibus, infima faſtidientes; quod etiam in Chriſto licet obſervare.* Alia quædam circa præfata S. Pauli habes hîc infrà *parte 5. cap. primo.*

30. Denique S. Jacobus Euangeliſtis omnibus, & S. Paulo Apoſtolo ſe jungens in laudem ELIÆ, ſic ejus præcelſa merita, & orationis virtutem in exemplum proponit: ELIAS.... *oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex,* &c. Vide hîc infrà. (c) Ex hactenus dictis patet quod novi teſtamenti Scriptores ſacri ferè omnes in ELIÆ præconia efferenda, quaſi conſpiraverint.

(c) P. 5. c. 2. §. 1.

CAPVT II.

Patrum Græcorum de ortu, vita, geſtis, ac prærogativis ſingularibus Zelotis ELIÆ *aſſerta.*

31. QUamvis ſanctus Propheta ELIAS non indigeat humanis præconiis, cujus tàm multis divinis oraculis eſt approbata devotio, & ſancta, ac penè divina converſatio; Verumtamen cùm Scriptores, tùm Judæi tùm Chriſtiani, omnium temporum, nationum & linguarum, & paſſim Patres Græci, pariter & Latini, de admirandis geſtis, heroicis virtutibus, & eximiis prærogativis ejus doctiſſimè ſcripſerint, & quidem ex eis non pauci etiam integros ſermones, homilias, commentarios, & tractatus ediderint; præcipua illa hîc annotaſſe, & inde quædam etiam delibaſſe, & gratum, & utile futurum exiſtimamus. Prætermiſſis autem Hebræis Rabbinis; tùm prolixitatis vitandæ gratiâ; tùm quòd ſcripta illorum plerumque commentis ſint reſperſa, ſufficient pauca quædam ex Flavio Joſepho Judæorum præſtantiſſimo Hiſtoriographo: qui *libro 8. Antiquitatum cap. 7.* acturus de magno Propheta ELIA; de Achabi & Jezabelis impietate, iſta præmittit: *Achabus Iſraelitarum Rex habitavit Samariæ; omnium impietates repræſentavit, ac ſcelera, ſed Hieroboami præcipuè; nam & vaccas ab eo conſecratas adoravit, & alias ſuper hanc impietates addidit. Vxorem præterea duxit filiam Ithobali, Tyriorum ac Sydoniorum Regis, cui nomen Iezabela: moxque ab ea domeſticos illius deos colere didicit: Erat hæc muliercula audax & temeraria, adeoque impudentiæ inſania, ut non verita ſit templum Beli deo Tyriorum exædificare, & lucum omnis generis arborum plantare: cui etiam Sacerdotes, & falſos vates inſtituit. Quin & ipſe Rex hoc genus hominum frequens circa ſe habere delectabatur, dementiâ & malitiâ omnes ante ſe Reges ſuperans. Hunc, Propheta quidam Dei maximi, è Theſboæ, Galaditicâ urbe, oriundus, adiit, dicens eum prænunciare, quòd nec pluviam illis annis daturus ſit, nec rorem, donec ipſe vates non compareret.* Indè habetur miſerrimus Iſraëlitici Regni ſtatus eo tempore, quo apparuit S. ELIAS, de quo ipſe eodem & ſequentibus capitibus enarrat, quomodò à corvo cibatus, & à Sareptana vidua ſuſceptus fuerit, & ſuæ altricis neceſſitati oleò ac farinâ multiplicatis ſuccurrerit, Achabum impietatis arguerit, in Carmelo monte, igne cœlitùs impetratò, Deum verum demonſtraverit, falſos Prophetas occidi curaverit, & in vertice Carmeli orando, capite genibus applicatò, pluviam obtinuerit, & cætera ejus geſta proſequitur.

Ioſephus Iudæus de ELIA.

32. Nunc quid de eodem ſancto Propheta Patres ſentiant & ſcribant, audiamus, encomiorum Elianorum initium deſumentes ex S. Epiphanio, qui, aſſerente Baronio (a) *res Hebræorum præ cæteris callet:* cujus quanta ſit auctoritas, ſciunt, qui vel illius ſcripta, vel aliorum Patrum de illo teſtimonia primoribus ſaltem labiis deguſtarunt. Igitur S. EPIPHANIVS *in libro de ſanctis Prophetis* patriam, ortum, & præcipua S. ELIÆ decora hoc brevi compendio tradit: ELIAS *Propheta ex Theſbis erat, è continente Arabum, de tribu Aaron Levita. Morabatur autem in Galaad, quoniam Theſbis erant ædes ſacerdotibus conſecratæ ac deſtinatæ. Quem cùm eniteretur parens ejus, ejuſmodi Sobac patri viſio apparuit. Viri niveum quendam præ ſe ferentes habitum, puſionem ſalutabant, matrique uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis ei loco miniſtrabant. Profectus eſt itaque in*

(a) In not. ad Martyr. Rom. ad 10. Martij.

S. Epiphanius compendio vitam ELIÆ tradit.

Ieruſalem genitor, viſaq; ad Sacerdotes retulit. Reſpondit autem illi Chrematiſmus (hoc eſt, oraculum, ſive reſponſor) Cave manifeſtum facias. Erit quippè lumen filij hujus domicilium, ſermoq; ejus, demonſtratio ac ſententia brevis, & judicabit Iſrael, cùm in igne, tum rhomphæa. Hic eſt ille ELIAS, *qui ter igneum è cœlo deduxit, quiq; imbrem ſuâ linguâ geſtavit, mortuos item ſuſcitavit, & in cœlum denique nimbo ſeu turbine ignis aſſumptus eſt.* Idem S. Pater *libro 2. de Hæreſibus hæreſ.* 79. ait: ELIAS *ab ortu ſuo virginitatem perpetuò ſervavit.* Et in libro ſeu epiſtola reſponſiva ad Palladium, Matidium atque alios, qui inſcribitur: *Ancoratus* poſt medium: ELIAS *erat in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.* Quid viri candidi ſignificaverint, explicat Joannes Jeroſolymitanus mox referendus. Per *flammam ignis* cibi locò exhibitam, indicabatur etiam igneus ejus zelus: vide dicta capite præcedenti ex Eccleſiaſtico *cap.* 48.

33. DOROTHEUS in Synopſi Prophetarum (a) de ortu, vita, geſtis, raptu, & reditu S. ELIÆ ſic paucis multa complectitur: ELIAS *primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlos ſubmonſtravit, unam Angelorum & hominum vitam oſtendit. Qui terra fuerat ſortitus domicilium, cœlum quoque ſubitò penetravit: qui mortalis factus erat, cum immortalibus converſatur: qui hominis incedebat, inſtar Spiritûs, cum Angelis in cœlis agit: qui cum melote, Eliſeo diſcipulo ſuo duplicia charismata tradidit: qui cùm non diu vivat homo, ſenectutis tamen expers eſt: qui contra Antichriſtum dux belli ſervatur, qui ſeſe illi opponet, & ſeductionem illius, ac ſuperbiam redarguet, qui cunctos mortales ex illius ſeductione ad Deum in conſummatione ſæculi convertet: qui id à Deo accepit, ut ſecundi & illuſtris Domini adventûs præcurſor futurus ſit: qui cum mediocritati ſervierit, cum Angelis converſatur. Hic ex Arabia erat Thesbites, de tribu Aaronis, habitans in Galaad. Nam Thesbis domus erat Sacerdotum. Cùm naſciturus eſſet, pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus ſalutari, & igne tanquam faſciis involvi, & flammâ ignis velutì cibo ali: & Hieroſolymam profectus, rem iſtam indicavit; dictumq; illi eſt ex oraculo, ne timeret: fore enim, ut puer naſciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam ſententiam haberent, judicaretq; Iſraëlem in gladio & igne.* Extat liber ille in Bibliotheca Patrum Tomo 7. editionis Pariſienſis. Quoad illa verba: *Hic primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cœlum ſubmonſtravit: primus ex hominibus unam Angelorum, & hominum vitam oſtendit.* Ea Monaſticæ ſeu Religioſæ vitæ principatum attribuere ELIÆ, ipſumque primum illius auctorem facere clarum eſt. Hoc enim unico modo ELIAM primum eſſe, qui curſum ad cœlum hominibus ſubmonſtraverit, poteſt intelligi; cùm conſtet ante ipſum plures ſanctè, ſed non ad vitæ Monaſticæ normam vixiſſe. Undè, & aptè ſubditur, primum eum *unam*, & eandem *Angelorum & hominum vitam* oſtendiſſe: nam reverà Monaſtica vita Angelica vita eſt, ut communiter tradunt Sancti Patres, apud quos invenias quoque Monaſteria Cœlorum, Monachos verò Angelorum terreſtrium nominibus nuncupatos. (a)

(a) In Biblioth. Patrum tom. 7. edit. Pariſ.

Similiter Dorotheus.

34. S. CHRYSOSTOMUS varios ſcripſit de S. ELIA nobiles tractatus, ſeu ſermones, unum quidem de triumphali ejus aſcenſione, unde præcipua referentur hîc infrà (b) aliumque cujus hoc eſt initium: *Cùm geſta peccata recenſemus, & virtutes Domini avidâ cupiditate tractamus: & officiorum ſtudiis accendimur, & in obſequia debita excitamur.* In quo *ut mens noſtra in amorem Domini provehatur*, ut ait, de ELIÆ ſublimi ſanctitate, & magnis virtutibus hæc inter cætera: *Cùmque ELIAS Propheta ſanctiſſimus populum prævaricatum aſpiceret: cumq; Baal & lucos, deſpecto Domino, coli à ſacrilegis pervideret: tumq; creatore de pectore, figmentis ſeſe, moribusquè omnis populus addixiſſet: Zelo Dei commotus, Iudæam terram ſiccitatis ſententiâ, & pluviarum ſterilitate addixit.* Et poſt alia: ELIAS *altior mundo, proximus cœlo, montis habitaculo, & Dei colloquio fruebatur, ne illorum pœnam perſpiceret, quorum ſcelera videre non poſſet.* Et infrà: *Poſtquàm Dominus populum quaſſatum vidit, miſeratus, jubet* ELIAM *de monte deſcendere: jubet eum univerſum populum congregare, ut ſacrificio perfecto, pluvias venire faceret, quas ſcelerato populo anteà denegaſſet: afferendiq; pluviis* ELIAS *auctor exiſteret, ut qui & commoti Dei iram oſtenderat, idem & placati benevolentiam demonſtraret. Deniq; ſtabat* ELIAS *medius inter Deum & populum. Stabat, inquam, inter ſacrilegos ſanctus, inter peccatores juſtus, inter prophanos devotus: advocationem populis cunctis præſtiturus, objurgat populum, exorat Deum, iram Domini avertit, & errantem populum à Dei cultura, ad Dei latriam revocavit. Conjungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per* ELIAM *una concordia inter Deum & hominem, inter populum & genitorem. Et ut univerſi dicerent;* VERE DOMINUS DEUS IPSE EST DEUS: *clavis cœli fit ſermo* ELIÆ *ſanctiſſimi. Iubet enim, & clauditur: orat poſt modùm, & aperitur. Claudit, inquam, cœlum, & aperit: ligat & ſolvit; reſerat, quod concluſit: ut ſanctorum meritum monſtraretur non ſolùm in terris poſſe quod volunt: ſed & in cœleſtibus poſſe impetrare quodcunq; petierit.* In alio ſermone, cujus initium eſt: *Glorioſus olim Prophetarum poſſeſſione, ut peculiaris quædam illorum agricultura erat Iudæorum populus: ſed plaudite, Gloriatio hæc nunc ab eis in Eccleſiam tranſlata eſt.* In Elianis laudibus ob ejus flagrantiſſimum zelum, & ſummam orationis efficaciam, mirâ verborum energiâ ſeſe extollit. *Igitur*, inquit, ELIAS *ille, zelo Dei ignitus, ut vidit Iudæorum gentem, contemptâ Dei miſericordiâ, perpetuò in delictis vivere, & idolorum cultui deditam. Vivit Dominus, inquit, & non erunt per annos iſtos ros & pluvia. Deindè, cùm Deus ei reſponderet: quid ergò: ſi pœnitentes illi mihi blandientur, ſi lachrymas afferentes ſpectem, ſi à delictis reſipiſcentes videam, ſtatimne dare debeo pluviam? Nequaquam, inquit: vivit Dominus, niſi per os meum. Non: vivit Dominus. Illi idolis ſe addixerunt, ego per Deitatem tuam juro. Oſtende mihi, quòd juramentum hoc & contra te valeat: ut & per hoc idolorum infirmitas declaretur. Non: vivit Dominus, non erunt tribus annis ros & pluvia,*

(a) Ita Lezana to. 1. Annal. in apparatu cap. 5. n. 2.
(b) Part. 1. cap. 2.

Chryſoſtomus multus in laude ELIÆ.

pluvia, niſi per ſermones oris mei. Non quando tibi videbitur, pœna finem facies. Tibi enim pro clementia tua ſemper videtur miſericorditer agendum. Sed tunc, quandò ego pro eis oravero, & judicavero, quod di, nam animæ ſuæ curam gerant, probèq; reſipiſcant. Igitur Propheticam ſententiam reveritus eſt Deus, & honorem juramento illi dedit. (Verè ſingulariter miranda verba, quibus ſimilia in laudem alicujus apud nullum ex Patribus reperiri queant.) *Propheticam ſententiam* (ſcilicet ELIÆ) *reveritus eſt Deus, & honorem juramento illi dedit.* Et rursùm: *Non quandò tibi videbitur pœna finem facies,* (inquit ELIAS) *ſed quando ego pro eis oravero & judicavero.* Quibus, ni fallimur, ſumma ferè efficacitas orationis, & interceſſionis ELIÆ, clarè demonſtratur, ſimulque quanto jure à fideli populo invocari poſſit, ac debeat. Ita Lezana poſt

(a) In conſultis variis conſ. 3. relata iſta verba. (a) Alia ex eodem Chryſoſtomo adferrentur in ſequentibus.

35. S. BASILIUS MAGNUS etiam multus eſt

Similiter & S. Baſilium. in S. ELIÆ laude. Imprimis *Homiliâ in divites avaros* hæc de paupere ELIA in Carmelo: *Carmelum*, inquit, *mons ſublimis ac deſertus ELIAM item deſertum habuit, viaticum, cibumq; ei ſpes erat in Deo. Et cùm ita viveret, fame tamen extinctus non eſt, ſed avium rapaciſſimi ac voraciſſimi corvi cibum ei attulere, & qui alienas ſolebant eſcas invadere, viro juſtiſſimo miniſtri fuêre: naturæ quoque obliti in pane carneq; ei afferendis Dominico præcepto paruerunt.* Et *oratione primâ* de laudibus jejunij: *Jejunium ELIAM magni illius*

* Alia vid. infr. p. 5. c. 4. §. 4. *miraculi ſpectatorem fecit.* * *Homilia de Baptiſmo*, de ejus aſcenſu: *ELIAS enim currus equosq; igneos ad ſe venientes minimè expavit. Verùm itineris ſuperni deſiderio incenſus, contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris gaudensq; flammantes aſcendit currus, cùm adhuc eſſet in carne.* Denique (ut alia hic prætereamus in ſequentibus adferenda) *Homilia de S. Gordio* ex milite Monacho, & martyre, referens ipſum tranſeuntem ad ſolitudinem, & vitam Monaſticam, ſecutum fuiſſe exemplum S. Prophetæ ELIÆ (Monachorum Principis) qui in ſolitudine, *in montis Oreb ſpeluncam ſeceſſit, ac ſeſe ab omni humana converſatione, ut Deum quæreret ac videret, abdicavit: vidit tandem, quantùm fas eſt homini mortali.*

Et S. Gregorius Nyſſenus. 36. S. GREGORIUS NYSSENUS (frater S. Baſilij) *Oratione 15. in Cantica* ELIAS *de Galaad ſideris inſtar exortus eſt in horrido; ſqualidoq; corpore, caprinis pellibus tectus, ad omnes Tyrannis minas nunquàm non interritus. Quicunq; igitur ad imitationem generoſi in hoc Vate animi ſeipſos ſupra mundum hunc univerſum attollunt egentes, preſſi; afflicti in montibus, antris, cavernis terræ, quibus demq; mundus non eſt dignus; Hi verò gregatim circa univerſi hujus caput conſpecti, Eccleſiæ gloria fiunt ad cœleſtem gratiam unà cum illo Galaadita conſcendentes.* Et conſequenter cùm variis exemplis demonſtraſſet unumquodque inſtitutum ſuos habere Principes & Duces, tandem concludit, eos, qui gregatim vivunt pro principe & auctore habere ELIAM: *Quamobrem,* inquit, *cùm in zelo divino prorsùs eximiè ſuprà cæteros ſeſe geſſerit* ELIAS, *quaſi Dux reliquorum in hac parte factus: quicunq; poſt illum imitati zelum ejus veſtigia libertatis in hoc Vate ſecuti ſunt, ij velut quidam grex caprarius illius facti ſunt, qui princeps talis vitæ auctor extitit.* Nomen *grex* ſignat ejus diſcipulos, per *libertatem* intelligit ſolutionem à mundi impedimentis, quâ quis *ſe ſupra mundum univerſum attollit*, ut antè dixerit. Et *Oratione 7.* illa verba Canticorum 4. *Capilli tui ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad* explicat de S. ELIA Galaadita Auctore & Principe Monachorum: *Longo tempore,* inquit, *verſatus in monte Galaad inſignia vitæ continentis exempla præbuit, formâ ſqualidus, capillis hirſutus, pro veſte molli pelle capræ tectus. Itaq; omnes quotquot ad exempla Vatis illius vitam ſuam inſtituunt, ornamentum Eccleſiæ fiunt gregatim (qui philoſophandi mos hoc tempore in uſu cœpit) virtutem in converſatione mutua colentes.* Sic ferè eadem explicat Rupertus infra referendus.

37. S. GREGORIUS NAZIANZENUS (ſocius S. Baſilij, quocum annis tredecim in eodem Monaſterio convixit, ut *in Lectione 4. Officij Canonici ad diem 9. Maij* legitur) quòd peculiari devotione S. ELIÆ & Carmeli coluerit memoriam, indicant ſatis ejus ſcripta: imprimis *Oratione 5.* in Monaſticæ Eremiticæ vitæ commendationem: *Ut ab omni,* inquit, *negotio feriatus tranquillè philoſopharer, mecumq; ipſe cum ſpiritu colloquium haberem; ELIÆ Carmelum animo agitabam.* Et *Oratione 13* ſcribit: *Pulchra res ſolitudo, & quies, idque me docet ELIÆ Carmelus.* Similia de ELIA habet *Oratione 19* Et *libro 2. de Theologia* ex mirabili raptu præcellentem colligit ſanctitatem ELIÆ: *illi,* inquam, *ELIÆ, quem in cœlum ſubducit currus igneus, indicans nimirùm, quantùm ille juſtitiâ cæteros mortales anteiret,* ſeu ut alibi (a) ſcribit: *ſignificans ſingularem quandã virtutem, humanum faſtigium excedentem.* Et de ſuo Socio S. Baſilio in oratione ejus funebri: *Solitudinem cum ELIA & Joanne, qui admodùm Philoſophi* (id eſt amatores ſapientiæ, cœleſtis ſcilicet) *fuerunt, mirè amplectebatur.* Etiam de Æde ſeu templo ELIÆ in Carmelo *Dominicum* nuncupato elegans edidit Epigramma, cujus meminit Baronius in Notis ad Martyrologium die 20. Julij.

Ac S. Gregorius Nazianzenum. (a) Orat. 34.

38. JOANNES JEROSOLYMITANUS Antiſtes in libro *de Inſtitutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium capite 1.* ſub finem & 2. ſub initium hæc, inter cætera, de S. ELIA: *In diebus Achab Regis Iſraël, & in regno ejus fuit quidam Propheta magnus de tribu Aaron, cui nomen erat* ELIAS, *ex patre vocato Sabacha, ortus in civitate Thesba, quæ eſt in regione Galaad: ex qua Thesba* ELIAS *eſt Thesbites dictus. Qui* ELIAS *poſtmodùm fuit habitator civitatis Galaad, quæ condita in monte Galaad ab illo monte nomen accepit: ſicuti & regio montis illi circumvicina trans Jordanem ſita in ſorte dimidiæ tribûs Manaſſe. Hic Propheta Dei* ELIAS *Monachorum Princeps primus extitit, à quo jam ſancta primæva inſtitutio exordium ſumpſit.* Id ibi conſequenter ex ſacris Litteris declaratur luculenter, quod & qualiter ipſe S. ELIAS primus hominum vitam Monaſticam & Eremiticam, Deo mandante, & juxta formam à Deo illi

Joannes Joroſol. inter omnes ampliſſimè de ELIA ſcripſit.

præſcriptam inchoaverit: & quòd per paupertatem, caſtitatem & obedientiam in ſolitudine ſe exhibuerit exemplar perfectionis Monaſticæ ſuis diſcipulis, nuncupatus *Filius Prophetarum.*

39. ANNOT. *Quoad auctoritatem* DOROTHEI *ſub initium hujus capitis adductam*, Ægidius Camartus *agens de auctore iſtius* SYNOPSIS Dorotheo, Tyri Epiſcopo (ut ait) quem hiſtoriæ tradunt, Diocletiani temporibus, & poſtea Licinio perſecutionem movente, in exilium ob Chriſtianæ fidei defenſionem actum, undè poſteà Conſtantini atque Conſtantis auſpiciis liberatus, ipſe grandævus, atque annos centum & ſeptem natus, martyrium ſub Juliano Principe ſubiit. *Cùm retuliſſet, quoſdam contendere, Synopſim illam eſſe recentioris Dorothei, ſubdit:* Nolim ego ea de re contentioſius diſputare, ſed tamen, quidquid ſit, certum eſt, auctorem Synopſis venerandæ antiquitatis eſſe. *Circa illam controverſiam latius tractat noſter* Thomas Aquinas à S. Joſepho in diſſertatione Theo-

(a Parte 5. ſect. 4.) logica de Patriarchatu ELIÆ (a) *ubi fundamentum contrariæ opinionis enervat.*

40. *Præfatis Patribus Græcis alij plures poſſent adjungi: ſed causâ vitandi tædij, ex prolixiore accumulatione, ex eis ſolùm quoſdam recenſitos.* S. Methodius Epiſcopus Tyri, S. ELIAM puritatis Virginis Deiparæ præ-

(b) In Homil. de feſto Purific. ſcium, & imitatorem *nuncupat*. (b) S. Antonius *in ſummam S. Pauli Eremitæ laudem, ipſum comparabat* ELIÆ, *&* JOANNI BAPTISTÆ, *dicens:* Vidi ELIAM, vidi JOANNEM in deſerto. S. Athanaſius in vita S. Antonij ELIAM *nuncupat* magnum, *referens* Antonium ex

(c) Vide hic ſupra n. 10. Inſtituto magni ELIÆ exemplum cœpiſſe. (c) S. Ephrem Syrus *egregium ſcripſit de* ELIA *ſermonem, & ipſum Monachis frequenter proponit, tanquàm exemplar perfectiſſimum vitæ Monaſticæ. Sufficiant hic verba ejus* ex Parænesi prima, *ubi de caſtitate:* Donum optimum Monachi eſt virginitas, curru ipſum ad cœlos cum ELIA evehens. *Alia ex eodem adferentur in ſequentibus.* Metaphraſtes *inſignem edidit Tractatum* de

(d) Part. 2. geſtis ELIÆ *huic operi inſerendum hic infrà*, (d) *cumque nuncupat* ſacroſanctum, *&* divinum. Emmanuel Imperator *laudes etiam reſonat* ELIÆ *in Conſtitutione de feſto* ELIÆ *ſolemnizando, de qua* Cardinalis Baronius *ad diem 20. Iulij.*

CAPVT III.

Ex Patribus Latinis deprompta S. ELIÆ *eximia præconia.*

Etiam profuſi in laudem ELIÆ *Patres Latini.*

41. PAtres etiam Latini Eccleſiæ Doctores præſtantiores tàm ſunt profuſi in S. ELIÆ commendationem, ut in eam conſpiraſſe videantur. Brevitatis ſtudio de multis pauca ſufficient.

S. Gregorius Papa.

S. GREGORIUS MAGNUS Papa, dignitatis prærogativà primus hìc prodit. Imprimis qualiter per altiſſimam contemplationem in aura leni, atque in magna mentis quiete Spiritus ſanctus accipiatur *libro quinto moralium cap. 26.* docet ex viſione S. ELIÆ in monte Oreb: *Quia verò*, inquit, *& in magna contemplatione ſublevati, ſubtile quid de æternitatis cognitione pertingimus, ſacræ hiſtoriæ verbis oſtenditur, cùm de cognitione Dei Propheta nobis* ELIAS *edocetur. Cui cùm tranſiturum ante eum ſe Dominus promitteret, dicens: Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum, illicò adjunxit: non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commotio, non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis, non in igne Dominus. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis, & ibi Dominus.* Et infrà: *Vnde benè illic ſubditur: quòd cum audiſſet* ELIAS, *operuit vultum ſuum palliô, & ingreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ. Poſt auræ tenuis ſibilum, vultum ſuum Propheta palliô operuit, quia in ipſa ſubtiliſſima contemplatione veritatis, quantâ ignorantiâ homo contegatur, agnoſcit. Libro 7. moralium capite 22.* auctoritatem ejus in reprehendendis vitiis in exemplum proponit: *Achab ſuperbus idolorum ſervitio ſubactus: cum increpare* ELIAM *præſumeret, dicens: Tu ne es ille vir, qui conturbas Iſrael?* ELIAS *protinùs ſuperbi Regis ſtultitiam, objurgationis liberâ auctoritate percuſſit, dicens: Non ego turbavi Iſrael: ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Libro 35. *Moralium capite 15.* Uberrimos per S. ELIAM fructus ſub finem mundi colligendos prænunciat in hunc modum: *Aperire libet oculos fidei, & illud extremum ſanctæ Eccleſiæ de ſusceptione Iſraelitici populi convivium contemplari. Ad quod nimirum convivium magnus ille veniens* ELIAS *convivantium invitator adhibetur, & tunc propinqui, tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello paulò antè poſitum contempſerunt.* Et infra: *Et quamvis iiſdem temporibus, quibus Antichriſtus appropinquat, aliquatenùs vita fidelium minoris eſſe virtutis appareat, quamvis in conflictu illius perditi hominis graviùs etiam corda fortium formido conſtringat:* ELIA *tamen prædicante roborati, non ſolùm fideles quiq; in ſancta Eccleſia ſoliditate perſiſtunt, ſed, ſicut ſuperiùs diximus, ad cognitionem fidei multi quoq; ex infidelibus convertuntur, ita & Iſraelitica gentis reliquiæ, quæ repulſa priùs funditùs fuerant, ad ſinum matris Eccleſiæ piâ omnimodâ devotione concurrant.* De reditu S. ELIÆ ante diem Judicij, & per eum fidelium roboratione tempore ſæviſſimæ perſecutionis Antichriſti, & de converſione Judæorum per ipſum facienda, de ejus mirabili raptu, feliciſſimo ſtatu præſenti, & quòd Aſcenſionis Dominicæ prænuncius, & teſtis fuerit, ex eodem S. Doctore audiemus in ſequentibus.

42. S. AMBROSIUS, cujus meritum totus orbis perſonat: cujus opera & libros magnô auctoritatis præconiô ſancta Mater Eccleſia confirmat, de ELIA & jejunio inſignem edidit Tractatum, in quo *capite 2.* inter cætera iſta: *S. Ambroſius de* ELIA *inſignem edidit tractatum.* *ELIÆ jejunô ore vox emiſſa cælum clauſit ſacrilego populo Iudæorum.* Et infrà: *Meritò illum dignum cælo divina judicavit ſententia, ut cum ipſo raperetur corpore quoniam cæleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſupernæ uſum converſationis exhibebat in terris.* Et *capite 3.* *In hac virtute, & ſpiritu* ELIÆ *venit Ioannes.* Alibi etiam frequenter admiranda ejus geſta, & virtutes expendit, & in ejus laudem ſeſe effundit, prout eodem *capite 3.* ipſe quoque aſſerit: *Sed de* ELIÆ *geſtis*, inquit, *plurima jam frequenti diverſorum librorum ſermone digeſſimus.* Et quidem *Sermone 87.* triumphalem ejus raptum ſic paucis attingit: ELIAS *Magiſter Eliſei nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum eſt, & quadriga ignea impoſitus quaſi in quodam triumpho victor aſcendit?*

dit? Victor enim extiteras non gentium Barbarorum, ſed ſecularium voluptatum. Siquidem graviores inimici ſunt pravi mores quàm hoſtes infeſti, ut faciliùs intelligamus hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe quàm morum. Ergò Eliam *Angeli ad cœlum perferunt.* Libro de Jacob & vita beata *capite* 8. ipſum Moyſi æquiparat: *Neq; enim minus beatus* Elias *quàm Moyſes, cum alter cibi indigus, melotide vili, ſine filiis, ſine ſumptu, ſine comite: alter populi ductor, lætus ſobole, ſuccinctus potentiâ, diverſo genere meritum æquale fundaverint, ſicut in Evangelio declaratum eſt, quando cum Domino* IESV *in reſurrectionis gloria refulſerunt. Videtur enim parem his quaſi paribus gloria ſua teſtibus dediſſe mercedem.* Libro 9. *Epiſtolarum Epiſtolâ* 82. quæ eſt ad Vercellenſes, agens de Inſtitutis Monachorum, eorum primos Auctores commendat Eliam, ejusque diſcipulum Eliſeum, & (qui in ejus ſpiritu venit) Joannem Baptiſtam: *Hinc illi,* inquit, *proceſſerunt viri* Elias, *Eliſeus, Ioannes Elizabeth, qui pelliceis tunicis & caprinis exuviis induti, inopes atque egentes, anguſtiis & doloribus afflicti in ſolitudinibus errabant, inter alta & condenſa montium, invia rupium, ſpeluncarum horrida, fovearum vadoſa, quorum converſatione dignus orbis terrarum non erat.* Et poſt alia de Elia quantùm in Eremo vitam Monaſticam agens profecerit, ſic proſequitur: *Duratus igitur ad patientiam eſt ſolitudinum incolatu, & tanquàm paſtus ad virtutis adipalem agreſti alimento proceſſit fortior.* Et aliis de *ſancti* Eliæ *habitatione deſerti* narratis, conſequenter de ejuſdem diſcipulis Eremiticam, Monaſticam vitam ejus exemplò agentibus, tandem ſubjungit: *Sed ſatis de Magiſtro dictum puto, nunc diſcipulorum vitam proſequamur: quia in illam ſe laudem induerunt, hymnis dies ac noctes perſonant. Hæc nempè Angelorum militia eſt, ſemper eſſe in Dei laudibus, orationibus conciliare crebriùs, atquè exorare Dominum ſtudent, lectione vel operibus continuis mentem occupant, ſeparati à cœtu mulierum, ſibi ipſi invicem vitam præbent, cuſtodiam.* Iſtis & ſequentibus graphicè deſcribuntur exercitia Monachorum, quos Ambroſius Eliæ diſcipulos, Eliamque illorum Magiſtrum appellat. Idem S. Doctor Commentario *in cap.* 1. *Evangelij S. Lucæ* ad iſta verba: *Præibit in conſpectu Domini, in ſpiritu & virtute* Eliæ, ſcribit: S. Elias *& virtutem magnam habuit & gratiam: virtutem ut ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret: virtutem abſtinentiæ atq; patientiæ, & ſpiritum prophetandi. In deſerto* Elias, *in deſerto Ioannes.* Alias iſtorum duorum inter ſe comparationes vide hìc ſuprà *capite* 1.

S. *Auguſtinus frequens in* Eliæ *præconiis.*

43. S. Avgvstinvs (quem ſi Doctorem habueris: etiam deficientibus cæteris, ſufficit ipſe tibi, in grandi operum ſuorum mole frequens eſt in S. Eliæ encomiis, eumque paſſim honoris ergò nuncupat *beatum, ſanctum, magnum, admirabilem.* Sic *libro* 20. *de civitate Dei cap.* 29 ait: *Per hunc* Eliam *magnum, mirabilemque Prophetam expoſitâ ſibi lege, ultimo tempore ante judicium, Iudæos in Chriſtum verum, id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibusquè fidelium.* Ibi conſequenter toto illo capite agit de Judæorum per S. Eliam converſione, de qua peculiariter hìc infrà agetur. (a) *Sermone* 201. (qui eſt ſecundus pro Dominica tertia poſt Trinitatem) accuratè & prolixè declarat S. Eliam in plurimis expreſſiſſimam fuiſſe imaginem, & typum Chriſti Domini: ibi hæc inter cætera: *Poſt hæc oſtendit ſe beatus* Elias *Regi, & aſcendit in montem Carmeli, & poſuit caput ſuum inter genua ſua; & oravit, ut Dominus daret pluviam ſuper terram. Et dixit ad puerum ſuum: reſpice contra mare. Et renunciavit puer, ſe penitùs nihil vidiſſe. Et ait illi; vade, & conſidera ſepties. Septimâ autem vice renunciavit & dixit: video nubeculam parvulam quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari. Et ſubitò contenebrati ſunt cœli, & facta eſt pluvia magna.* Elias *ergo, ſicut diximus, figuram habuit Domini Salvatoris.* Elias *oravit, & ſacrificium obtulit, & Chriſtus pro univerſo mundo ſeipſum immaculatum ſacrificium tradidit.* Elias *oravit in monte Carmeli, & Chriſtus in monte Oliveti.* Elias *oravit, ut pluvia in terram veniret: & Chriſtus, ut in cordibus humanis gratia divina deſcenderet.* Et poſt alia: *ſicut ergo ſuprà diximus, ſanctum* Eliam, *intelligite typum habuiſſe Domini Salvatoris. Deniquè ſicut Dominus poſteaquàm multas virtutes exercuit, poſteaquàm paſſus eſt, reſurrexit & aſcendit in cœlum: ita &* Elias *poſt mirabilia, quæ per eum Deus fecit, igneo curru elevatur ad Cœlum.* Quomodò in multis aliis S. Elias fuerit typus Chriſti ex eodem S. Auguſtino, & aliis declarabitur hìc infrà. *Sermone* 1. *ad Fratres* ipſe (ſeu quicumque eſt Auctor) Eliam proponit tanquam exemplar Religioſæ Eremiticæ vitæ: *Pax vobis,* inquit, *Fratres; quoniam electi eſtis ante mundi conſtitutionem, ut in hac vaſta ſolitudine ſitis cum* Elia. In *Quæſtionibus vet. Teſtamenti* (inter opera D. Auguſtini *Tom.* 4.) *quæſtione* 26. SS. Elias & Joan. Baptiſta inter ſe æquiparantur: *Dictum eſt à Spiritu S. per Zachariam, cujus meriti futurus eſſet Ioannes: Veniet, inquit, in ſpiritu & virtute* Eliæ, *parem ergo Ioannem* Eliæ *oſtendit. Et Dominus dicit, nemo major inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta. Non dixit omnibus major eſt: ſed nemo illò major eſt: hoc eſt, æqualem habet, majorem non habet.* Elias *ergo par illi eſt, nullo utiq; minor.* Ferè eadem Petrus Damianus *Sermone* 1. *de nativitate S. Ioannis Baptiſtæ* ſcribit: *Teſtatur, Dominus, quia inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta. Excluſit itaq; majorem, non negavit æqualem. Hinc eſt quod ad Zachariam Angelus dicit: ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute* Eliæ. *Par ergo* Eliæ *Ioannes videtur, in cujus ſpiritu & virtute venturus aſſeritur, præſertim cùm & alibi ipſa veritas dicat:* Elias *jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eum, quodcumq; voluerunt: & ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt* Elias.

(a) Part. 4. cap. 1.

S. *Hieronymus* Eliam *Meſſorem virginum nuncupat.*

44. S. Hieronymvs Eccleſiæ præſtantiſſimus Doctor in Eliæ præconiis haud parcior eſt. In Epiſtola ad Euſtochium *de virginitate ſervanda,* S. Eliam non tantùm *virginem,* ſed & *Meſſorem virginum* nuncupat, nempè quia

 vitam

vitam virginalem in paupertate, & obedientia auſpicatus, & Eliſeo cæteriſque ſuis diſcipulis tradens, Monaſticam Eremiticam vitam inſtituit. Præterea idem S. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum (quæ eſt de Inſtitutione Monachi) tractans de primis vitæ Monaſticæ Auctoribus, ipſum Principem Monachorum nuncupat: Habet, inquit, unumquodq; propoſitum Principes ſuos; & deindè agens de Monachis (qualis ipſe erat) noſter, ait, Princeps. Elias. Idem tradit etiam alibi (a) in Caput XI. Mathæi circa illa verba: Ipſe [Joannes] eſt Elias, qui venturus eſt. Et in Epiſtola 151. (quæ eſt ad Algaſiam) adſtruit, ipſum & Joannem eandem, ſeu parem habuiſſe gratiam: Ipſe, ait, eſt Elias, qui venturus eſt, non quòd eadem anima, ut Hæretici ſuſpicantur, & in Elia & Ioanne fuerit, ſed quòd eandem habuerint S. Spiritûs gratiam: Zonâ cinctus, ut Elias: vivens in Eremo ut Elias; perſecutionem paſſus ab Herodiade, ut ille ſuſtinuit à Iezabel; ut quo modo Elias ſecundi præcurſor adventûs eſt, ita & Ioannes venturum in carne Dominum Salvatorem, non ſolum in Eremo, ſed etiam in matris utero ſalutarit.

(a) In vita S. Pauli, & in Epiſtola ad Ruſticum.

45. S. Thomas Theologorum Phœbus etiam variis in locis Eliæ ſanctitatem eminentem adſtruit: Imprimis in caput XI. S. Matthæi circa illa verba: Ipſe (Joannes Baptiſta) eſt Elias: cum S. Hieronymo jam relato iſtos inter ſe æquiparans docet, quòd uterq; eandem Spiritûs ſancti vel gratiam habuerit, vel menſuram. Sed & vitæ auſteritas rigorq; mentis Eliæ, & Ioannis pares ſunt: uterq; in Eremo, uterq; zonâ pelliceâ cingebatur. In caput 1. Lucæ ad illa verba: Præcedet (ſcilicet Joannes Baptiſta) ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. Subdit: Sanctus Elias & virtutem habuit magnam & gratiam: virtutem, ut ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret: virtutem abſtinentiæ, atq; patientiæ, & ſpiritum prophetandi: in deſerto Elias, in deſerto Ioannes. Ille Achab Regis gratiam non quæſivit, hic ſprevit Herodis. Ille Iordanem diviſit, hic ad lavacrum ſalutare convertit. Ille prioris, hic ſequentis Dominici præcurſor adventûs. Deindè, in caput XI. ad Hebræos explicans illa verba: Circuierunt in melotis, ſubjungit: Eliam in hoc loco debemus intelligere. Et infrà: In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ: Subjungit: Eliam eximium Prophetarum hic vult intelligi, & Filios Prophetarum. Et in caput XI. Apocalypſis ad illa verba: Dabo duobus Teſtibus meis, ſic exponit: Scilicet tempore Antichriſti, venient in publicum ad teſtificandum veritatem Catholicam, & cùm ſuum teſtimonium finierint, interficiet eos Antichriſtus. Teſtes autem erunt Chriſti hi duo, & in vita rectè vivendo, & rectè docendo: & in morte pro Chriſto patiendo, undè & ſecundùm Haymonem duplex martyrium erit in eis, alterum in mente; multa enim erit anguſtia eorum pro his, quæ videbunt: & multa adverſa ſuſtinebunt: alterum in carne. Elias interpretatur robuſtus dominator, & ſignat eoſdem prædicatores, qui ſibi-ipſis, & omni vitio dominabuntur. Conſequenter agit de ejus, & Socij illius Enoch, prædicatione, invicta conſtantia, converſione Judæorum, & confortatione Chriſtianorum per ipſos, diris tormentis, quibus eos afficiet Antichriſtus, & triumphali in cœlos aſcenſione. In Summa, (a) inquirens utrùm liceat Religioſis uti veſtibus vilioribus quàm cæteri? Reſpondet affirmativè, probat id exemplo Eliæ circumeuntis in melote. Alia ex eodem adferentur in ſequentibus.

S. Thomas variis locis Eliæ eminentiam deprædicat.

(a) 2. 2. quæſt. 187. art. 6.

46. S. Isidorvs Epiſcopus Hiſpalenſis præfatis Doctoribus Latinis meritò accenſendus, tùm quòd eleganti compendio præcipua S. Eliæ geſta, decora, raptum, reditum, prælia contra Antichriſtum, & deniquè glorioſum de illo triumphum tanquàm in nitido ſpeculo exhibeat: tùm quòd & ipſe ſanctitate, eruditione, & ſcriptorum varietate inſignis ſingulariter effulſerit: is igitur in libro de Patribus veteris Teſtamenti ſic de S. Elia ſcribit: Elias Thesbites, Sacerdos magnus, atque Propheta, habitator ſolitudinis, fide plenus, devotione ſummus, in laboribus fortis, induſtriâ ſolers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione diſciplinæ rectus, in ſancta meditatione aſſiduus, metuq; mortis intrepidus. Verberavit Tyrannos, ſacrilegos interfecit, multaq; ſigna virtutum effulſit, & trienny ſiccitate clauſit imbribus cœlum, oravit rursùm, & cœlum dedit pluvias, mortuum mulieris filium ſuſcitavit, cujus virtute hydria farinæ non defècit: vas olei perpetuò fonte manavit, cujus verbò ſupra ſacrificium ignis de cœlo deſcendit, Duos quinquagenarios cum militibus cœleſti igne combuſſit. Iordanem tranſiens tactu meloti abrupit. Poſt hæc igneo curru in cœlum raptus aſcendit: venturus juxta Malachiam Prophetam in fine mundi præcurſurus Chriſtum, nuntiaturus ultimum ejus adventum, cum magnis virtutibus, prodigiiſq; ſignorum; ita ut etiam bellum gerat Antichriſtus adversùs eum, & qui cum eo venturus eſt, & occidet eos. Cadavera quoq; eorum in plateis inſepulta jacebunt. Dehinc ſuſcitati à Domino regnum Antichriſti plagâ magnâ percutient, poſt hæc veniet Dominus, & interficiet Antichriſtum gladio oris ſui, & eos, qui adoraverunt eum. Et regnabit Dominus cum omnibus Sanctis ſuis in gloria ſempiterna. Et infrà eodem lib. cap. 56. de prodigio in ejus ortu: Elias Thesbites de terra Arabum cùm eſſet in utero matris ſuæ in Galaad, Suba * pater ejus ſomnium videt: quòd naſcentem Eliam viri candidis utentes veſtibus ſalutabant. Quem in igneis inſtitis faſcibus obvolvebant, atq; pro cibo ignem ei, ad nutriendum, ſubminiſtrabant: hoc viſum pater ejus Prophetis in Hieruſalem indicavit: hocque ab eis recepit reſponſum: Ne timueris, inquiunt, erit enim natio ejus lumen, verbumq; ejus ſapientia; judicabit enim Hieruſalem in gladio & igne. Et libro 7. originum cap. 8. de Etymologia nominis ejus: Elias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præſagio ſic vocatur; nam dum altercaretur in ſacrificio cum quadringentis ſacerdotibus Baal, invocatò nomine Domini deſcendit de cœlo ignis ſuper holocauſtum, quod cùm vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam & ait: Dominus ipſe eſt Deus: ex hac ergo cauſa tale priùs nomen accepit, pro eo, quod per eum poſteà cognoverit populus Dominum Deum. Idem & Fortis Dominvs interpretatur: vel propter, quòd interfecit eoſdem ſacerdotes, vel propter, quòd Achab adverſitatem toleravit.

S. Iſidorus eleganti Epitome præcipua Eliæ decora concludit.

* Al. Sabacha.

Ac

Ac deniquè *libro 2. de officiis Eccleſiaſticis cap.* 15. (quod eſt de Monachis:) *Vndè ad Monachos ſtudium defluxerit paupertatis, vel quis hujus converſationis extiterit auctor, cujus iſti habitum imitantur, videamus. Quantum enim pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus Princeps* ELIAS *& diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt.* Alia quædam ex eodem adducentur in ſequentibus.

Tertullianus ſimiliter verſibus.

47. TERTVLLIANVS (vir acris & vehementis ingenij) natione Afer, patriâ Carthaginenſis, eloquiô Latinus, qui præcedentibus omnibus antiquitatis quidem jure (quippè qui claruit Severi Imperatoris temporibus circa annum Domini ducenteſimum) anteferri potuiſſet, hoc caput concludat. Is libro 4. contra Marcionem S. ELIAM nuncupat *Teſtamenti novi conſummatorem*, & quòd ideò cum Moyſe *Teſtamenti veteris initiatore, in ſeceſſu montis ei gloriam ſuam communicaverit, & locutus fuerit Chriſtus.* Libro *de Reſurrectione carnis*, ipſius & Enoch felicem ſtatum ſic paucis annotat: *Enoch & ELIAS nondùm reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi, quâ tamen de Orbe tranſlati & hoc ipſo jam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni injuria, & contumelia immunitatem carnis ediſcunt.* Similia ferè alibi habet. Denique *libro 3. contra Marcionem*, qui eſt *de concordia Patrum veteris & novi Teſtamenti*: præcipua S. ELIÆ geſta, raptum ad Paradiſum, & reditum his (ob antiquitatem venerabilibus) verſibus decantavit:

Nobilis HELIAS, *qui nondùm debita mortis*
Guſtavit, quoniam rursùm venturus in orbem eſt.
Ergo infracta fides, populum regemq; furentem,
Militiam Domini qui deſeruêre beatam,
Verberibus, flammis caſtigans hoſtes amaris;
Sidera concluſit, tenuitq; in nubibus imbrem.
Eſſe Deum oſtendit cunctis, apparuit error.
Nam madida partes hoſtiæ, fluviô, ſuper aras
De cælo precibus, veniens vi, flamma comedit;
Et quotiens voluit, toties ruit ignis ab alto.
Diviſit fluvium, tranſgreſſus & avia fecit;
Sublatus curru paradiſi vectus in aulam eſt.

Patrum Latinorum aliorum quorundam aſſerta de S. ELIA occaſionaliter in ſequentibus adducentur.

CAPVT IV.

Scriptores illuſtres alij de geſtis, & excellentiis S. ELIÆ.

Ven. Beda in multis extollit ELIAM.

48. BEDA Ordinis S. Benedicti) tantæ auctoritatis, ut eò adhuc vivente, ſermones illius publicè legerentur in Eccleſia; hincque ſortitus titulum VENERABILIS) Tractatu *de Hebraicorum nominum interpretatione*, ſic nomen ELIAS exponit: ELIAS, *Deus Dominus, vel dominatio: ſive aſcendens Dominus, aut robuſtus, aut Dominator.* Et *libro 6. in Cantica*, ad illa verba: CAPVT TUUM VT CARMELVS, ſubdit: *In capite ſponſæ rectè mens accipitur animæ fidelis: quia ſicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente diſponuntur.* Pauló infra: *Narrat autem Scriptura, quòd* ELIAS *in monte Carmelo flexis genibus oraverit, & poſt longam ſiccitatem, à Domino pluvias impetraverit. Vndè caput ſponſæ, ut* CARMELUS *eſt, quia corda electorum, & ſublimia ſunt per converſationem, & Domino in ſe aſcenſum præbent per quotidianos virtutum profectus,* ELIAS *namq;* DEUS DOMINUS *dicitur, qui in hus orat Patrem, & velut arentibus arvis pluvias de cælo evocat: quia hæc ad orandum Deum inviſibiliter accendit. & per eorum preces ac merita ſæpiùs mundo periclitanti ſua dona largitur. Nomen quoque* CARMELI, *quod interpretatur* SCIENTIA CIRCUMCISIONIS, *capiti ſponſæ, id eſt, menti Eccleſiaſticæ convenit, quæ bene novit non ſe in carnali, ſed ſpirituali circumciſione debere gloriari.* Et in *caput 9. Marci* ad illa verba: *Et apparuit illis* ELIAS *cum Moyſe, & erant loquentes cum* IESV, ſcribit: *Moyſes &* ELIAS *hoc eſt legiſlator, & Prophetarum eximius apparent, & loquuntur cum Domino in carne veniente, ut oſtendant ipſum eſſe, quem cuncta legis, & Prophetarum oracula promiſerunt.* (Plura circa illa verba habes hic ſuprà) Et in *cap. 1. Lucæ* illa verba de S. Joan. Baptiſta: *Præcedet ante illum in ſpiritu & virtute* ELIÆ ſic exponit: *Qui* (Joannes) *bene in ſpiritu & virtute* ELIÆ *præcedere dicitur, quia ſicut ille præco venturus Iudicis, ita hic præco factus eſt Redemptoris. Vndè & converſatione prorſus ſimillimâ, ambo deſerta ſecuti, victu frugi, veſtitu inculti, cunctis ſunt deſpecti. Ambo Regis & Reginæ vaſaniam tolerant. Ille Iordanem cælum petiturus diviſit: hic ad lavacrum ſalutare quò cælum petatur homines convertit. Hic cum Domino verſatur in terris, ille cum eo manifeſtatur in gloria.* Alia ad idem intentum vide hîc ante *capite* 1. Denique libro de templo Salomonis capite 11. *Fuerunt alij, qui majori perfectione relictis mundi negotiis & aſſumptâ cruce ſuâ ſequebantur Dominum, qui, ut Apoſtolus ait,* ludibria & verbera experti &c. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes &c. *Hi qui ante manifeſtata tempora Euangelij vitam duxere Euangelicam,* videlicet S. ELIAS, S. Eliſeus, & Filij Prophetarum (de quibus ibi S. Paulus *circuierunt in melotis* &c. ſicut liquet ex ſupradictis) qui ante Euangelium Euangelica conſilia voluntariæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ amplexati fuerunt: quod ex dicendis confirmabitur.

Rupertus Abbas ſimiliter.

49. RUPERTUS Abbas Tuicienſis Ordinis S. Benedicti (*vir in divinis Scripturis Spiritu ſanctô per viſionem illuſtrante doctiſſimus*, ita de eo Trithemius) Is S. ELIAM, ejusque zelum, cæterasque virtutes in exemplum ad imitationem proponens, profusè ſe effundit in laudes ELIÆ. In opere quod inſcripſit *de victoria verbi libro 5.* ubi *capite 9.* ſic de ELIA exorditur: *Cum ſignis & prodigiis & cum fortitudine Zeli tunc ſeſe exhibuit verbum Domini vehementius in* ELIA, *de quo in laudibus Patrum ita veraciter dictum eſt. Et ſurrexit* ELIAS *Propheta quaſi ignis: & verbum ejus tanquàm facula ardebat.* Et poſt alia: *Ita repente illatus eſt* ELIAS. *Vt quemadmodùm dixit Apoſtolus de Melchiſedech, ita & de iſto, ſi ſeſe præbuiſſet occaſio, dicere potuiſſet, ſine patre,*

ſine

ſine matre, ſine genealogia, neq; initium dierum neq; finem vitæ habens. Sic enim illius, ita & iſtius patrem & matrem, & genealogiam & numerum annorum Scriptura tacuit, & finem vitæ non habuit; quia receptus eſt (ait idem qui ſupra) in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Quam receptionem ejus ſi rectè perpendis, etiam illud apponere licet, quod adhuc dictum eſt de Melchiſedech, aſſimulatus autem Filio Dei manet ſacerdos in æternum. Sacerdotem namq; hunc fuiſſe conſtat, quia ſcriptum eſt, ubi, quando & quomodò holocauſtum obtulerit, & ſicut jam dictum eſt, receptus eſt in turbine ignis, atq; ita aſſimilatus eſt Filio Dei vero & æterno Sacerdoti in cælum aſcendenti. Hæc ibi. Conſequenter per capita aliquot miracula S. ELIÆ ſigillatim recenſentur, ac quid & quantùm profecerit in populo: quare zelus Domini amplius propter Baal in eo exarſerit, quàm propter vitulos aureos: & quantus ejus zelus fuerit, ac quantæ dignitatis, de qua quidem *cap.* 14. ſic: *Quanta putas dignitatis eſt?* Et reſpondet: *Non hominem interroges, currus igneus cum equis igneis, quò ille per turbinem in cælum aſcendit, tibi reſpondet. Currus dominorum, currus triumphantium vehiculum eſt. Dominantis ergo animi dignitatem & amici Dei potentiam inſignem in illo curru intellige, qui verè dominatus eſt, omni ſeculo ſublimior, & potens extitit in verbo quo conſtituit, & rursùs aperuit cælos, potens ungendo Reges, ad potentiam ſolius Regis Dei dignatus venerari omnipotentiam. Sedit ergo in curru dominando, æmulator verbi Dei ſtrenuus, & mundanæ vanitatis contemptor victorioſus.* Et poſt alia: *Ex ejus glorificatione tàm magna, tamq; ſtupenda exemplum accipiat, ſpemq; concipiat quiſq;, quod mercede non careat, ſi verbo Dei fidele obſequium ſtudeat impendere.* Et in expoſitione Cantici Canticorum ad verba: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad,* exponit de Sancto Propheta ELIA, qui erat de Galaad, & de gregibus Monachorum, quos ipſe inſtituit. In eundem ſenſum illa etiam exponunt ſanctus Gregorius Nyſſenus relatus hic ſuprà (a) & Martinus Delrio. ad *caput* 4. *Canticorum ſect.* 2. ita ſcribens: *Capras Galaad ad Monaſticæ vitæ ſectatores, quorum primum exemplar* ELIAS, *refert Rupertus.*

(a) Cap. 2.

Alphonſus Toſtatus accuratiſſimè res ELIÆ illuſtravit.

50. ALPHONSUS TOSTATUS communiter nuncupatus *Abulenſis* à civitate, ubi extitit Epiſcopus, multa cum eruditione, ampliſſimè, atque accuratiſſimè per plures quæſtiones geſta, dicta & merita S. ELIÆ diſcuſſit, & elucidavit, ſcribens in libros Regum, & etiam in Matthæum. Ut de plurimis paucula delibemus, in *caput primum libri* 4. *Regum quæſt.* 16. hæc de eo: ELIAS *fuit vir ſanctus, exemplar virtutis, & deſiderij futuri ſeculi inter antiquos: nam de eo dicitur* (b) *quod ſurrexit* ELIAS *Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, ideo ipſe voluit eſſe diſtinctus à cæteris tàm in veſtibus, quàm in communicatione. In veſtibus quidem, quia habuit veſtes de pilis Camelorum, quæ cæteris duriores erant, & contemptibiliores. In communicatione autem, quia ipſe ſequeſtratus erat à cæteris hominibus, habitans in monte Carmelo: hæc etiam religioſitati conveniebat, ſcilicet, fugere ſeculi communicationem. Iſtam omnino vitam tanquam perfectiſſimam tenuit B. Ioannes Baptiſta.* Habitu igitur pauperrimo, & duriſſimo ELIAS uſus fuit ex amore Dei, & deſiderio exercendæ paupertatis, humilitatis, & mortificationis, *& ad contemnendam gloriam ſeculi, & ad oſtendendũ, alia meliora bona repoſita eſſe in futuro ſæculo, quæ homo acquirere poteſt bonitate vitæ, quàm ea quæ in præſenti cernuntur: & ut oſtendatur deſiderium illorum, quod ſine contemptu iſtorum non eſt: accepit veſtem contemptibilem, ſcilicet factam de pilis Camelorum. Habebat autem iſta veſtis duo, ſcilicet, duritiem, & contemptibilitatem.* In *caput* 17. *libri* 3. *Regum quæſt.* 21. quærit: ELIAS *quid egerit apud torrentem Carith.* Et reſpondet: *Vir ille tàm elevatæ contemplationis, & cognitionis Dei, non poterat eſſe otioſus. Nam ſæpe Deus ei loqueretur, cum Propheta eſſet, & quando Deus non loqueretur ei, ipſe contemplaretur, & aliquandò Angeli ei apparerent, ita ut nullum tempus ei ſine opere laberetur: Et ſi dicas, quid agebat? dicam quòd aliud agebat, quod nunc agit manens in Paradiſo terreſtri.* Ibidem de tempore, quò ELIAS ibi in ſolitudine & contemplatione ſic manſit, addit: *Dici poteſt, quod eſſent quaſi tres anni, quia tribus annis, & ſex menſibus duravit iſta fames, Iacobi ultimo, & quâdam particulâ iſtius temporis manſit* ELIAS *apud viduam Sareptanam.* In caput 2. libri 4. Regum acturus de ejus raptu, quæſtione 13. dicit: *Quia* ELIAS *erat Princeps Prophetarum omnium, qui erant ſuo tempore (& iſti erant commorantes per Collegia, ſicut viri Religioſi ſimul)* ideò conſolationis & inſtructionis gratiâ illos viſitavit ante raptum. ELIAS autem *raptus eſt ad Paradiſum terreſtrem, & ibi manet,* inquit, quæſt. 24. ubi accuratè de ejus ſtatu in Paradiſo quoad cibum, potum, veſtes, ſtabilem ſanitatem abſque omni ægritudine, & alia curioſè diſcutiuntur. Conſequenter agitur de ejus futuro reditu, & prædicatione contra Antichriſtum, martyriò, & aſcenſu glorioſo in cœlum, de quibus ſigillatim in ſequentibus agetur. In *caput* 17. Matthæi *quæſt.* 51. agens de Chriſti transfiguratione has inter plures adducit cauſas, cur potiùs ELIAS & Moyſes quàm alij tunc cum Chriſto apparuerint; videlicet *propter excellentiam perſonalem: eorum* (quia iſti duo excellentiores videntur inter Patres veteris Teſtamenti) propter ſimilitudinem iſtorum (uterque jejunavit quadraginta diebus, uterque patrator maximorum miraculorum.) *Quia uterq; viderat gloriam Domini. Et quia uterq; fuit Princeps totius ſtatus Iudæorum: Princeps legis fuit Moyſes, Princeps autem Prophetarum* ELIAS; *& ob hoc Iudæi putabant* JESUM *eſſe* ELIAM. In idem caput quæſtione 138. adfert rationes, cur Joannes creditus fuerit eſſe ELIAS. *Primò propter ſimilitudinem vitæ: nam ſicut fuit* ELIAS *vir Eremicola, qui in monte Carmeli morabatur: ita Ioannes ſemper habitavit in Eremo ex annis teneris uſq; ad triceſimum annum, quando cœpit prædicare, ut colligitur Lucæ primo, & tertio. Secundò in ſimilitudine victus & veſtitus: nam ſicut* ELIAS *manens in deſerto comedebat cibos deſerti, ita & Ioannes vinum, & ſiceram non bibit, ſed nec comedebat quicquam niſi locuſtas, & mel ſylveſtre. Sic & in*

(b) Eccl. 48

veſti-

veſtitu: nam ELIAS *accinctus erat Zonâ pelliceâ circa lumbos, & veſtibus de pellibus: ſic & Ioannes veſtiebatur pilis camelorum, & zonâ pelliceâ circa lumbos accingebatur. Tertiò fuit ſimilitudo in zelo.* Ibi conſequenter aliæ ſimilitudines indicantur.

Dionyſ. Carthuſ. geſta ELIÆ *illuſtrat.*

51. DIONYSIVS CARTHVSIANVS (ex religioſiſſimo Ordine, quem cognomine refert) in variis multi-jugæ pietatis, ac eruditionis lucubrationibus ſuis S. ELIÆ exempla virtutum proponit, & facta illuſtrat. Accipe de multis aliqua. In *caput* 17. libri tertij Regum, circa illa à S. ELIA prolata verba: *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto,* addit: ELIAS *tanquàm vir excellenter heroicus, penſavit aſſiduè ſe jugiter in divina Majeſtatis præſentia, atq; in divini vultûs intuitu eſſe, vivere, conversari, ideò reverenter in cunctis ſe habuit coram Deo. [Si erit] id eſt non erit [annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba] id eſt, niſi tunc, & quandò prædixero, rorem, pluviamq; venturos, vel niſi quandò verba orationis fudero pro impetrandis rore & pluvia. Hæc totius magnanimitatis ac confidentiæ verba dixit* ELIAS *zelo juſtitiæ, ex pleniſſima quam habebat ad Deum fiducia; quia amicus Dei erat, & quaſi conſiliarius & ſecretarius ejus, vel ex inſtinctu divino & inſpiratione Spiritûs ſancti, impellentis ſanctum virum ad iſta dicenda.* Et ibi infrà, ad iſta: *In cœnaculum ubi ipſe manebat,* ſubdit: *videlicet in camera ſeparata, in qua ſolus ſoli Deo cum inæſtimabili devotione vacabat, & ut ibi ſolus Deum devotiùs atq; liberiùs exoraret. [& poſuit ſuper lectulum ſuum. Et clamavit ad Dominum.] corde magis quàm ore, quia, affectuoſiſſimè poſtulavit: [& dixit: Domine Deus meus,] hoc eſt verbum ardentiſſimi amatoris, qui Deum omnium, ſpecialiter nominat Deum ſuum, primò ob ſpecialiſſimam Dei pietatem & gratiam circa ſe, ſecundò ob ſingulariſſimum affectum & cultum ſui ad eum.* Conſequenter exponit ejuſdem prodigioſa geſta, & virtuoſa exempla ac deniquè in *caput* 2. *Libri* 4. Regum: *Poſt deſcriptiones,* inquit, *virtutum & miraculorum magni & juſti* ELIÆ *deſcribitur hìc quædam præmiatio ejus. [Factum eſt autem, cùm levare vellet Dominus* ELIAM *per turbinem] hoc eſt, impetu quodam & per impulſum, ſeu involutionem ventorum, [in cœlum] aëreum, quia per aërem volitando venit in Paradiſum terreſtrem.* Et poſt alia: *Ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumq;: Ignea illa ſimilitudines currûs atquè equorum Angelicô miniſterio fuerunt formata, quemadmodùm ſtella, quæ Magis apparuit, & columba, ac nubes quæ ſuper Chriſtum apparuerunt: & aliqui dicunt, quòd in curru illo, & equis Angeli apparuerunt, ſicut interdùm apparent in aliarum ſimilitudine rerum [Et aſcendit* ELIAS *per turbidem in cœlum] aëreum, ſicut expoſitum eſt. In Eccleſiaſtico dicitur ad* ELIAM: *[Qui receptus es in turbine ignis, in curru igneorum equorum.] Vnde elicitur, quòd igneo curru aſcendit in turbine, transferentibus eum Angelis ſanctis, ſicut Angelus tranſtulit Habacuc vatem de Iudæa in Babylonem.* Quòd S. ELIAS aſcenderit in Paradiſum terreſtrem, & uſque nunc ibi degat ex aliis Patribus confirmabitur in ſequentibus. Ejuſdem ſancti Inſtituti alter fœcundiſſimus magnorum & utiliſſimorum voluminum fons Laurentius Surius in præclaro opere de vitis Sanctorum ad diem 20. Julij, inſignem habet Tractatum, ſeu Commentarium de rebus geſtis S. ELIÆ, qui huic operi inſeretur hìc infra *parte* 2.

Petrus Comeſtor & alij de ELIA.

52. PETRVS COMESTOR res ELIÆ pertractat in Hiſtoria ſcholaſtica, ubi ad *caput* 2. *libri* 4. Regum: *Legitur, quòd Sabacha Pater* ELIÆ *nondum nati vidit in ſomnis viros candidatos ſe ſalutantes.* Etiam Lyranus, Hugo Cardinalis, Cajetanus, & alij quamplurimi ante, & poſt iſtos commentantes in *Libros Regum* de geſtis, & meritis S. ELIÆ diſſeruerunt: quod quoque præſtiterunt plerique exponentes caput poſtremum Malachiæ, *& caput ſecundum libri* 1. *Machabæorum, caput XI. ad Hebræos, caput XI. Apocalypſis,* atque etiam Sacra Euangelia, ubi mentio incidit S. ELIÆ, dum in ejus virtute, & ſpiritu Joannes veniſſe dicitur, & ipſe Chriſtus à nonnullis exiſtimatus fuit ELIAS.

Iudocus Clichtoveus ELIÆ *dignitatem expendit.*

53. Judocus Clichtoveus (Flander natione, patriâ Neoportanus, Doctor Sorbonicus, a Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica nuncupatus *Fons optimarum rerum uberrimus*) in *Sermone*, cujus initium eſt: *Cùm dixerint vobis filij veſtri* agens de ELIA, & Ordine Carmelitano ab eo inſtituto, ex triplici capite S. ELIÆ dignitatem & excellentiam pendit. *Primùm quidem,* inquit, *elucet ipſius* ELIÆ *dignitas, quòd* Prophetarum Pater *nuncupatus ſit. Quod vel eo conſtat argumento. Nam Dominus Ioannem Baptiſtam (quo inter natos mulierum, ipſius teſtimonio non ſurrexit major) non Iſaiæ, non Ieremiæ, non alteri cuipiam ex Prophetis confert: ſed* ELIÆ *ut excellentiſſimo, cùm inquit de Ioanne: Et ſi vultis recipere, ipſe eſt* ELIAS, *qui venturus eſt. Et Gabriel Archangelus ad Zachariam cùm ſanctiſſimi Ioannis ortum prænunciaret, ait: Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute* ELIÆ, *Prophetica quoq; dignitatis in* ELIA *perpenditur excellentia, quod ei clariùs cæteris revelatum credatur divinæ incarnationis myſterium. Nam cùm in Carmeli montis vertice proſtratus ſepties puerum miſiſſet, qui obſervaret an quicquam in aëre ſuboriri vidiſſet: cùm priùs nihil conſpexiſſet puer, ſeptimo regreſſu vidit nubeculam albam, continentem intra ſe ſpeciem & effigiem hominis. Quo quidem indicio ſentiunt omnes* ELIAM *divinæ incarnationis indubitatò prænoviſſe myſterium: & per nubeculæ candorem, ſacratiſſimæ Virginis Mariæ candidiſſimam puritatem: per hominis autem veſtigium, nubis ambitu & continentiâ comprehenſum, Filium Dei ſuſceptâ carne humanâ in caſtiſſimo Virginis utero degentem intellexiſſe. Secundò dignoſcitur ipſius* ELIÆ *præſtantia eo ipsò, quòd Chriſti propemodum fuit æmulus, & imitator: eumq; ut imago veritatem antecedebat, in quamplurimis illi perſimilis. Tertiò declaratur ipſius* ELIÆ *dignitas & excellentia eam ob cauſam, quòd eum Dominus in transfiguratione ſua dignatus eſt cum Moyſe advocare, ut ſuæ Divinitatis teſtem, ſuique adventûs veriſſimum comprobatorem.* Iſta omnia ibi latiùs proſequitur. Ibidem hæc de ejus ortu refert. *Memoriæ enim proditum eſt, ut Scholaſtica refert Hiſtoria,* ELIAM *Thesbitem de tribu Aaron progenitum. Ante cujus ortum, Sabacha Pater* ELIÆ

vidiſſe fertur in ſomnis viros niveo veſtitos amictu, ipſum benevolè ac benignìter ſalutantes. Conſequenter declarat per eam viſionem præſignatum candidatorum hominum cœtum, inſtituendum ab ELIA: idque effectum, quando in Carmelo cœlibem, caſtamque vitam agens Carmelitanæ Religionis fundamenta jecit.

CAPVT V.

Recentiores Scriptores Encomiaſtæ S. ELIÆ, *& geſtorum ejus illuſtratores inſignes: & quædam ex eis delibata.*

Ægidius Camartus librum ſcripſit integrum de ELIA.

54. ÆGYDIVS CAMARTVS Generalis Minimorum inter recentiores, de S. ELIA optimè meritos, inſignem edidit librum, cui titulum præfixit: ELIAS THESBITES, *ſive de rebus* ELIÆ *Prophetæ*, eruditionis ſuæ præſtantis teſtem (utinam præoccupans mors complementum ultimum non impediiſſet) ibi paucis multa complectitur: ELIAS *Thesbites inter veteris inſtrumenti Prophetas vitæ ſanctimoniâ, invicti animi fortitudine, virginalis pudicitiæ caſtimoniâ, laborum tolerantiâ, dicendi libertate, maceratione corporis, paupertatis amore, ſolitariæ vitæ inſtituto, diſcipulorum multitudine, ac celebritate, indefeſſo orandi ſtudio atq; orationis efficaciâ, divinæ gloriæ zelô, miraculorum ſplendore, rerum geſtarum copiâ, poſtremò exitu mirabili longeq; mirabiliori regreſſu excellunt.* Et *capite 6. ſectione* 8. ait: *Quærimus, an rectè concludere poſſumus ex iis, quæ Scriptura tradit de* ELIA, *& reliquis Prophetis, ipſum eos omnes ſuperaſſe. Et quidem affirmativè reſpondendum cenſeo. Talis enim eſt omnium Patrum, quos quidem videre mihi conceſſum eſt communis ſententia, dum inquirunt quâ potiſſimum ratione Chriſtus Dominus voluerit, ut in transfiguratione ſua gloriæ Moyſes &* ELIAS *præſentes viderentur cum Apoſtolici Ordinis coryphæis. Cui quæſtioni reſpondent, id eâ ratione factum, ut Chriſtus à Lege, quæ per Moyſen, & à Prophetis, qui per* ELIAM *ſignificabantur, teſtimonium accepiſſe crederetur. Moyſen verò ſpecialiter delegit, quia inter Legiſlatores primatum obtinet:* ELIAM *verò quia Prophetarum ſummus eſt, Talis eſt in epitome Patrum ſententia.* Et ibi conſequenter: ELIAS *id habet præeminentiæ ſupra illos* (reliquos Prophetas) *quòd non ſolùm virginitatem excoluit, ſed & prætereà Auctor fuit, cur plurimi diſcipulorum ei ſe penitùs addixerint. Collegia enim, quæ inſtituit viris in cælibatu degentibus referta erant.* Cum caſtitate autem etiam paupertatem, & obedientiam ipſos ſervaſſe ex voto, atque ita ipſum eſſe omnium Monachorum Principem tradit ibidem.

55. JACOBVS SALIANVS veteris Teſtamenti Annaliſta præclarus, Elianam Hiſtoriam digeſtam ordine temporum ornatô, & gravi ſtylô inſeruit *Tomô 4. Annalium* Inter alia hæc de ipſo S. Propheta (a) *Magnus* ELIAS, *Propheta longè clariſſimus, qui virginitatem illibatam ſervavit. Et intima Dei familiaritate fruebatur, Deum ſæpè loquentem audiebat, & ipſe viciſſim alloquebatur Deum, & in contemplatione divinæ ſapientiæ, providentiæ, bonitatis, potentiæ, pulchritudinis, liberalitatis, immenſitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, æternitatis, cæterorumq; attributorum divinæ majeſtatis placidiſſime acquieſcebat. Multa illi quoque cum Angelis, quorum vitam, ac puritatem imitabatur in terris, familiaritas ac conſuetudo ſermonum.* (a) *Floruit in monte Carmelo cum religioſo diſcipulorum choro* (b) *Virginitatis exemplar, vitæ ſanctimoniâ, miraculorum fulgori copulatâ perſtringens oculos, animosq; ad pietatem pronos adducebat ad ſe, minimè tamen repugnantes.* (c) *Per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum & Religioſorum in Carmelo, totaquè Chananitide manipulos, ſui æmulos, atquè imitatores inſtituit, ad cæleſtem vitam, mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit,* (d) Alia ex eodem adferentur in ſequentibus.

(a) Ad an. mundi. 3123.

Jacobus Salianus etiam digeſſit Hiſtoriam Elianam.

(a) Ad an. 3124.

(b) Ad an. 3133.

(c) Ad an. mundi 3139, n. 37. 38.

(d) Ibid. n. 43.

Corn. à Lapide multa habet in laudem ELIÆ.

56. CORNELIVS à LAPIDE, Sacrarum Litterarum accuratiſſimus & notiſſimus Interpres, frequens omninò eſt in illuſtrandis S. ELIÆ geſtis, atque in exemplum proponendis ejus heroicis virtutibus. Imprimis in *caput 17. libri 3* Regum inſigni elogiò ipſum commendat, ejuſque excellentiam ex nominis etymologia declarat, & præcipuas illius virtutes, ac dotes refert. In *caput* 18. ad *verſum* 42 agit de habitatione ejus in Carmelo, ac de ejus caſtitate, paupertate, veſtitûs hiſpiditate, & victûs parcitate, deque ejus diſcipulis inibi *ſe totos Deo, orationi, & divinis rebus, laudibuſquè tradentibus*, de quibus ſubjungit: *Quamombrem jure S. Hieronymus hos omnes quos diximus, veteris Teſtamenti Monachos vocat, idemq; alio locò ſeipſum Monachis annumerans: Noſter, inquit, princeps* ELIAS. Et conſequenter geſta ejus explanat. In *caput 7. Canticorum* illa verba: *Caput tuum ut Carmelus* ita exponit: *Per caput Synagogæ multi accipiunt Chriſtum, qui inſtar Carmeli per gratiam altiſſimus eſt, amœniſſimus, & fertiliſſimus. Ita Beda, Anſelmus, & alij.* Et infrà: *Verùm Chriſtus generale eſt caput, & commune tàm Eccleſiæ, quàm Synagogæ: particulare verò caput Synagogæ ad Chriſtum in fine mundi convertendæ erit* ELIAS. In *caput 5. Epiſtolæ Canonicæ S. Iacobi Apoſtoli* illa verba: ELIAS *homo erat ſimilis nobis* explicans: ELIAS, inquit, *vitæ fuit tàm ſublimis, adeòque thaumaturgus, ut Angelus potius videri poſſet, quàm homo. Vndè & curru igneo raptus eſt in cælum.* Et aliquantò poſt cum S. Chryſoſtomo *nominat* ELIAM *terreſtrem Angelum, cæleſtem hominem, qui per humum ingrediens cælum clauderet, aquarum cuſtos eſſet. ejus enim lingua theſaurus erat aquarum, qui cæli nubes linguâ contineret, non precans nec obſecrans: ſed ſtatim ut verbum veritatis emiſit, cælum clauſit, imò fecit quaſi æneum.*

Similiter Gaſpar Sanctius.

57. GASPAR SANCTIVS Auctor non minùs pietate quàm eruditione illuſtris ELIÆ *viri illuſtris multa, & admodum illuſtria* (ut ait) *commemoraturus* imprimis ejus præcellentiam indè colligit, quòd fuerit Joanni Baptiſtæ in vitæ forma quàm ſimillimus, & in transfiguratione apparuerit cum Chriſto, qui de illo non ſemel honorificè locutus fuit: quòd totus

totus igneus, quòd Virgo, quòd maximè honoratus à Deo, dum ad ejus verbum cœlum imbribus clauderet, nec pluviam poſteà dederit, niſi ELIA conſcio, ac penè conſulto, ac inſpectantibus aliis & vel invitè cognoſcentibus, ſiccitatem, ſterilitatem, & famem ELIÆ precibus inductas, etiam ipſo orante, & à Domino impetrante, ſitientem terram inſperatò imbribus exhilaratam: *quò major illius eſſet apud omnes auctoritas, & talis exiſtimaretur, qui poſſet, cùm vellet claudere, & aperire cœlos, & peccatores homines aut media conficere, aut ad ſacietatem uſq; alimentis explere. Uſq; adeò* ELIÆ *apud homines exiſtimationi conſultum eſſe voluit.* Ita ille *in caput* 17. *&* 18. *libri* 3. *Regum.* Ibi conſequenter, atque etiam in *librum* 4 *Regum*, alia habet in commendationem S. Prophetæ ELIÆ, aliis plurimis prætermiſſis (ne prolixior recenſus tædium pariat) qui ſimiliter ſcribunt de excellentiis, & privilegiis magni Prophetæ ELIÆ, en præcipua quædam, quaſi in manipulum quendam collecta.

58. Patres, & Scriptores alij, tractantes de magno Propheta ELIA, ejus ſublimem ſanctitatem, & eximia merita expendunt peculiariter ex iſtis duodecim ſingularibus privilegiis. *Primò* ex magnis encomiis in ſacris Litteris, præſertim *Eccleſiaſtici* 48. *capite*, atque etiam à Patribus ei attributis. (a) *Secundò* ex etymologia nominis ſpeciali Dei nutu ipſi impoſiti, quod idem eſt ac *Dominus Deus*, aut *Deus Dominus*, quo eximia ejus ſanctitas innuitur (b). *Tertiò* quòd in plurimis Chriſto prototypo aſſimiletur ceu typus perfectiſſimus. (c) *Quartò* quòd à S. Gabriele, ipſoque Chriſto ELIÆ, & S. Joanni Baptiſtæ (quò nullus major inter natos mulierum.) idem ſpiritus, virtus, & prærogativæ tribuantur (d). *Quintò* ex officiis ad quæ à Deo electus eſt, Propheta, Prophetarumque vertex ſeu Princeps, Patriarcha religioſi ſtatûs, futurus Chriſti Præcurſor, & quaſi Apoſtolus, Doctor, qui convertet Judæos, & confirmabit fideles (e). *Sextò* ex magnitudine miraculorum ab ipſo patratorum, de quibus in Libris Regum. *Septimò*, quòd primus ipſe conjunxerit, obſervaverit, & Eliſeo, atque aliis ſuis diſcipulis obſervandas tradiderit virginalem caſtitatem, voluntariam paupertatem, & religioſam obedientiam, & alias regulares inſtitutiones, atque ita ſit primus auctor & Princeps Monachorum. *Octavò* ex ejus ardentiſſimo Zelo, cæteriſque virtutibus heroicis (f). *Nonò* ex mirabili, viſibili, hactenùs nulli mortalium taliter conceſſo, raptu, futuroque regreſſu non minùs ſtupendo. *Decimò* ex uberrimo prædicationis ejus fructu ſub finem mundi, quandò per ipſum ex Judæis, & gentibus una fiet Eccleſia. (g) *Undecimò* ex ejus futuro martyrio, per multa, & atrocia tormenta, atque inde glorioſo viſibili in cœlum aſcenſu, ſimili Chriſto ante communem Reſurrectionem. (h) *Deniq;* ex elogiis, & laudum epithetis ei à Patribus attributis, videlicet: *magnus, ſublimis, mirabilis, ſacroſanctus, divinus, divini honoris Zelotes ferventiſſimus, Prophetarum vertex, virgo, virginumq; meſſor, ignipotens, cœlipotens, terreſtris Angelus, homo cœleſtis.* Ex quibus omnibus inter ſe collatis, & ponderatis perpendat Lector, an non inferri poſſit eximia, & præcelſa ejus ſanctitas, & quod olim ab admirabundo Siracide, etiam nunc ei acclamare liceat? *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?*

(a) Vide ſupra cap. 1. & ſeq.

(b) Vide ſupr. n. 8.

(c) Vide infra p. 4. c. 5.

(d) Vide num. 26.

(e) Vide part. 4. c. 1. 2. & ſeq.

(f) Vide part. 4. per tot.

(g) Vide part. 4. c. 1.

(h) Vide part. 4. c. 4.

59. ANNOT. *Qui plura deſiderat de* S. ELIA, *reperiet apud alios Commentatores* in caput 48 Eccleſiaſtici, *circa ſla.* Et ſurrexit ELIAS Propheta quaſi ignis, *ut ſequentia, nec non in* libros 3. & 4 Regum, *atque alias Scripturæ ſacræ, ubi de ipſo* S. ELIA *mentio eſt. Inter Auctores, nonnulli libros, tractatus, aut homilias integras ſcripſerunt de* S. ELIA (*de quibus jam ante aliqua deprompta*) *Inter recentiores, Sermones pro feſto ipſius* S. ELIÆ *habent* Auguſtinus Paolettus, *Ordinis Eremitarum* S. *Auguſtini, in libro inſcripto:* Sanctuarium *ferm.* 19. Henricus Engelgravè, *Societatis IESV*, *in* Cœlo empyreo, *atque alij. Domeſticos inter, Scriptores de* S P. N. ELIA *quàm plurimi ſunt: paucos præſtantiores* (*ne ulterius hic protrahamus ſermonem*) *retuliſſe ſat erit. Primus meritò hic nominandus* Ioannes Ieroſolymitanus, *in libro* de Inſtitutione primorum Monachorum. Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali, *&* de Patronatu B. Virginis. Joannes Palæonydorus, *in* Faſciculo tripartito hiſtoriæ Carmelitanæ Thomas Waldenſis *in* Doctrinali fidei *variis locis. Inter recentiores vero cæteris palmam præripit* V P Ioannes Baptiſta de Lezana *variâ eruditione, & multiplici virtute valde conſpicuus, in* Annalibus Sacris, Propheticis, & Eliani Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, ab ELIA primo ipſius Patriarcha, uſque ad Chriſtum Servatorem per Prophetas, Filios Prophetarum, Rechabitas, Eſſenos, & Aſſidæos in Carmelo, & ſyriæ locis perenniter propagatis, *præſertim Tomo primo. Etiam inter ejus* Conſulta varia, conſultum tertium *totum eſt de* S ELIA; *Hunc ſubſequuntur* Petrus Waſtelius *peculiariter* lib 1. Vindiciarum. Michael Muñoz *in* Propugnaculo ELIÆ *Mathias à S. Ioanne in* Hiſtoria Panegyrica Ordinis B Virginis Mariæ de monte Carmeli *Dorotheus à S. Renato in* Commentario Theologico-Hiſtorico in libros Regum., & Apocalypſis. Franciſcus Bonæ Spei *in libro* de Viſione ELIÆ, *&* Carmeli Armamentario, *cujus compendium inſertum eſt Tomo 1. Speculi hujus*, parte 1 Synopſi 2, *ubi &* PANEGYRIS S ELIÆ.

Scriptores de S. ELIA plurimi.

60 *Præfatis haud ſegnes ſeſe ſocios adſcripſêre ſuccollantes in Eliana Hiſtoria ex Patribus noſtris Diſcalceatis plures.* Thomas a Jeſu *in libro* de Inſtitutione & Antiquitate Ord. Carmelitani, *& in eruditio opere* de variis Regulis. Philippus à Sanctiſſima Trinitate *Generalis in* Theologia Carmelitana, *& in libro:* Decor Carmeli. Thomas Aquinas à S. Ioſepho *in* Diſſertatione hiſtorico Theologica de Patriarchatu Ordinis Carmelitani *vindicato Sancto* ELIÆ Ludovicus à S. Thereſia *in libro* de Succeſſione Ordinis Carmelitani à S. Propheta ELIA. Antonius a Spiritu ſancto *in* Directorio Regularium (*erudito opere*) *in ſecunda editione acceſſionibus multis locupletato, & illuſtrato per* P. Paulum ab omnibus Sanctis *Definitorem in Provincia Germaniæ. Inter omnes autem luculenter, & eruditè geſta, & encomia S. Patris* ELIÆ *proſecutus eſt* Franciſcus à S. Maria, *in* Hiſtoria Prophetica, libro 1. *ſub finem* (a) *ubi peculiariter tractatur de excellentiis, ſeu dignitatibus. & prærogativis ipſius* S P. N. ELIÆ. *Sed nunc ad ejuſdem ortum, patriam, primamque apparitionem tranſeamus.*

(a) Cap. 37. 38 39. 40.

CAPVT VI.

S. ELIÆ *Parentes, Tribus, Patria.*

ELIAS naturæ & gratiæ miraculum.

61. ORtus, vita, geſta, raptus, ſtatus præſens, futurus, magni Prophetæ ELIÆ, tantis decorantur mirabilibus, ut omnia in unum collata videantur quoddam naturæ & gratiæ ſingulare miraculum, nunquàm viſum, nec auditum in orbe. Homini omni eſt tempus naſcendi, & moriendi: ecce vir magnus, qui quadam ratione dici poteſt, nec natus, nec mortuus. Quòd mortuus non ſit, certiſſimum eſt. Nec etiam quodammodò videtur natus, nam Textus ſacer de eo ſcribens, in primo limine ait: *Dixit* ELIAS *Thesbites.* (a) Cur in eo non referuntur generationes, ac progenies majorum, ut in aliis Prophetis: v.gr. *Viſio Iſaiæ filij Amos. Verba Ieremiæ filij Helciæ. Verbum Domini factum ad Oſee filium Beeri,* & ſic de aliis. Cur in aliis Prophetis narrantur Majores, & nativitates, non ſic verò in ELIA? In hoc S. Iſidorus, Angelomus, Rabanus eum comparant cum Melchiſedech, ſine patre, ſine matre, ac genealogia: ſed *ſubitò nomen ejus introducitur,* ait Rabanus: *Dixit* ELIAS *Thesbites*; ac ſi non haberet alium Patrem, aliam matrem, vel genealogiam, niſi tantùm prædicare, docere, ac zelare Dei gloriam. Ita noſter Sylveira ſcribens *in Apocalypſim* (b). Sicut enim Melchiſedechi pater, & mater, & genealogia reticentur, ut æternitas Sacerdotij Chriſti (cujus typus erat) aptiùs per ipſum deſignari poſſet, ſic & ELIÆ genus abſconditur, ut Chriſti generationem myſticè adumbraret; de quo *Iſaiæ* 53. dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit?*

(a) 3. Reg. 17.

(b) In cap. XI. Apoc. q. 7. n. 61.

62. Parentes quidem habuit in terra: ſic tamen divinâ fuit cumulatus gratiâ, ut potiùs ab ea procreatus, quàm à natura datus videtur: Ideò etiam Elianam originem ſilentij ſacramento ſacræ litteræ obvolviſſe videntur, ut ejus eminentiſſima ſanctitas non communibus metienda regulis monſtraretur, inquit Lezana (c). Hebræorum multorum fuit opinio, ELIAM, ob vitam in multis ſimilem Angelis, eſſe Angelum in humano habitu, eundemque qui Phinees: prout luculenter tradit Ægidius Camartus libro de ELIA *cap.* 3. ubi evidenter oſtendit, ELIAM naturâ Angelum non fuiſſe, ſed officiò ac dignitate. Præterea ELIAS *vita fuit tàm ſublimis, adeoque thaumaturgus, ut Angelus potuerit videri potiùs quàm homo,* inquit Cornelius *in cap. 5. Epiſt. S. Iacobi.* Inſuper ipſe primus virginalem caſtitatem, Angelicam virtutem ex propoſito ſervans, & ad Eliſeum, ac alios traducens *primus ex hominibus unam Angelorum & hominum vitam oſtendit,* ſicut de eo ſcribit Dorotheus *in Synopſi Prophetarum.* Et ideò Angeli ipſum in terris ceu concivem habere lætantes cum eo tanquàm gentili ſuo familiariter aſſiduè verſabantur. Sic & Malachiam, & alios ex Prophetis Angelos quandoque nuncupatos legimus. Et S. Joan. Baptiſta, qui in ELIÆ ſpiritu & virtute venit; ipſius Chriſti Domini voce Angelus vocatus fuit.

(c) Tom. 1. Annal. ad an. mundi 3123. n. 5.

Non fuit naturâ Angelus.

63. Rationes Judæorum ſuam fulcientium opinionem de identitate ELIÆ cum Phinee Eleazari Pontificis filio (ex utriuſque pari zelo divini honoris, & obſervantiæ legis, ex utriuſque longævitate, ſacrificio, atque aliis nonnullis) referunt, & plurimis firmiſſimis argumentis retundunt Auguſtinus Torniellus Societ. Jeſu *in Annalibus veteris Teſtamenti* (a) & præfatus Camartus loco jam dicto. Nonnulla dumtaxat paucis attigiſſe hìc ſufficiet. Imprimis Phinees natus eſt in Ægypto, aut in deſerto aliquantò poſt exitum ex Ægypto, ex Patre Eleazaro. At ELIAS centenis aliquot annis poſt natus eſt, poſt tempora Salomonis, in Thesbis, viculo Galaaditidis Regionis, ex Patre Sabacha, ut à Patribus qui de ELIA ſcripſerunt, memoriæ proditum eſt. Deinde Phinees uxoratus fuit, & ſuperſtites filios reliquit, ut patet *ex primo Paralipomenon cap.* 6. At ELIAS in perpetua vixit virginitate. Quibus iſta non ſufficiunt, alios jam dictos Auctores adeant.

(a) Ad an. mundi 2554.

Nec idem qui Phinees.

64. Cùm igitur habeatur, ELIAM non naturâ Angelum, ſed verum eſſe hominem, diverſumque à Phinee, inveſtiganda reſtat ejus patria, & parentela. Quoad patriam, ſic Litteræ ſacræ paucis verbis eam nobis manifeſtant: *Dixit* ELIAS *Thesbites de habitatoribus Galaad* (b). Igitur *Thesba* ſeu *Thesbe* fuit ELIÆ natale ſolum, & inde nuncupatur *Thesbites.* At quæ illa ſit *Thesbe,* & ubi ſita diſceptant Interpretes in illum locum: Liranus, Hugo Cardinalis, Abulenſis contendunt ELIAM ortum in civitate, quæ Thebes dicitur *in libro Iudicum cap.* 9. in qua Abimelech fragmine molæ à muliere projecto, cervicem eliſam habens, occubuit: eratque vicina Sichimis cis Jordanem. Verùm S. Epiphanius, Dorotheus, Iſidorus, Joannes Jeroſolymitanus, Metaphraſtes, & alij tradunt ELIAM natum in Thesbe, quæ Arabiæ eſt conterminа, ſita trans Jordanem. S. Epiphanius in vita S. ELIÆ diſertè id aſſerit his verbis: ELIAS *Propheta ex Thesbis erat è continente Arabum de tribu Aaron Levita, morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes Sacerdotibus conſecratæ.* Idque confirmat cognomen *Thesbites*: ſi enim ortus fuiſſet in Thebis inde *Thebæus,* aut *Thebanus,* dicendus eſſet. Additur: *de habitatoribus Galaad*; quia in Galaad ad tempus fuit moratus. Ipſe enim & Eliſeus, eorumque diſcipuli, etſi præcipuè in Carmelo, atque etiam quandoque in Bethel, Jericho & Galgalis, tamen etiam in Galaad commorati ſunt, ut impios incolas ad verum Dei cultum traducerent, inquit Cornel. à Lapide (c). Quomodò autem intelligendum ſit, quòd ELIAS fuerit *de habitatoribus Galaad,* curiosè indagat Camartus libro *de geſtis* ELIÆ *cap.* 5. *ſect.* 9. ubi tandem ſub finem ita concludit: *Arbitror tamen multò veriùs* ELIAM *vocari poſſe inquilinum Galaad, quàm ſimpliciter advenam. Etenim advena licèt extra natale ſolum degat, poteſt tamen ibi, vel domum, vel poſſeſſionem propriam habere. Inquilinus verò ita pauper eſt, ut ne domum quidem ſibi propriam, ſeu vile*

(b) 3. Reg. 17.

Ejus Patria Thesbe, inde dictus Thesbites.

(c) In c. 17. lib. 3. Reg.

Inquilinus fuit in Galaad.

vile aliquod cœnaculum habeat, ſed in alienis ædibus moretur. Facit certè inquilini denominatio ad inuuendum Evangelicæ paupertatis ſtudium, quô jam tunc ardebat ELIAS. Et infrà ex Patribus & radice linguæ Hebraicæ deducit, ELIAM fuiſſe inquilinum de numero pauperum, nihil præter exiguam cellulam, aut vile tuguriolum habentium: *Talis*, inquit, *erat noſter* ELIAS, *qui ut illius pauperrimæ vitæ, quam ab infantia magno animi fervore complexus eſt, inquilinum ſe, & quidem in humili quadam caſula, quæ corpus potiùs tegeret, quàm ſolaretur, oſtendit.* Sed de paupertate ejus plura in ſequentibus.

Ex præcitatis S. Epiphanij verbis habetur, S. ELIAM fuiſſe è continente Arabum. De ſitu Arabiæ iſta accuratus Geographus Philippus Cluverius *in introductione geographica libro 5. cap. 24.* ſcribit: *Arabia in Septentrione clauditur Palæſtinâ, Cœl. ſir. &c.* Quibus conſonant illa S. Hieronymi, & Gloſſæ ordinariæ in Abdiam: *Benjamin, cujus ſtatim ab Ieruſalem contra Septentrionem termini dilatantur, cunctam poſſidebat Arabiam, quæ priùs vocabatur Galaad.*

De tribu Sacerdot. ſeu Levit. 65. Ex eodem S. Epiphanio (cui ut ſuprà audivimus ex Baronio, *res Hebræorum præcæteris notæ fuerunt*) etiam habetur S. ELIAM fuiſſe de tribu Sacerdotali, ſeu Levitica: quod ſimiliter adſtruunt Dorotheus hîc ſuprà: ELIAS *Thesbites*, inquit, *de tribu Aaronis, habitans in Galaad.* S. Iſidorus de quo in præcedentibus: ELIAS *Thesbites Sacerdos magnus.* Joannes Jeroſolymitanus *libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 1.* relatus etiam hîc ſuprà. Metaphraſtes *in Commentario* qui hîc ſequitur. Rupertus quoque *Sacerdotem fuiſſe* ſcribit, *atq; ita aſſimilatum Filio Dei vero, & æterno Sacerdoti.* Quidam eum Sacerdotem, aut Levitam non fuiſſe cenſent, eò quòd iſti Jeroſolymis morarentur. Verùm haud firma ea eſt ratio, inquit, Salianus; *cùm Levitæ totis tribubus diſperſi eſſent.* (a) Ita quoque Cornelius à Lapide *in cap. XVII. libri 3. Regum*, ubi iſta: *S. Epiphanius, S. Iſidorus, & alij eum* (ELIAM) *vocant Sacerdotem, ortumq; ex Levi, quia Levitæ & Sacerdotes, cùm propriam non haberent poſſeſſionem, ſpargebantur per omnes tribus, ut eas in fide, & Dei cultu erudirent. Poterat ergo in tribu Gad naſci* ELIAS *Levita.* Ita ille. ELIAS autem Dei inſtinctu & juſſu, præſertim in eremis morabatur, & quandoque etiam zelô divini honoris, ac ſalutis proximorum abreptus inde egrediebatur, *ut Reges Iſrael, qui Samariæ ſedem fixerant, in officio contineret miraculis, cohortationibus, vitæq; innocentiſſimæ exemplis; atq; Iſraeliticum populum quò minùs in idololatriæ fæcibus hæreret, crebris monitis ad veri Dei cultum reduceret.* Ita Michaël Muñoz in Propugnaculo ELIÆ (b) ubi & alia ad hoc propoſitum.

(a) In Annal. vet. Teſt. ad ann. 3123.

(b) Lib. 3. tit. 1. cap. 2. art. 2.

66. Quoad parentes S. ELIÆ, eos, ut jam ante dictum, Scriptura non exprimit, traditio, & aſſertio conſtantior eſt, ejus patrem appellatum fuiſſe *Sobac*, ut habet S. Epiphanius præfato libro, vel *Sabac*, ſeu *Sabacha*, prout ſcribunt Dorotheus, Joannes Jeroſolymitanus, S. Iſidorus, Petrus Comeſtor, Trithemius, Clichtoveus relati in præcedentibus Metaphraſtes hîc infrà. Hugo Cardinalis *in cap. 2. lib. 4. Regum*, & alij plures. De matris nomine pauci loquuntur: eam de tribu Regali Juda fuiſſe, & ipſum S. ELIAM fuiſſe nepotem Salomonis, referunt nonnulli. Circa hoc videri poterit Franciſcus à S. Maria. (a)

(a) In Hiſt. Prophet. lib. 1. cap. 10.

CAPVT VII.

S. ELIÆ ortus, mirabilis viſio parentis: an ſanctificatus in utero: corporis ſpecies & perfectio.

67. MAgnorum Virorum ortum & vitam plerumque ſignis cœleſtibus celebrari, notum eſt ex ſacris Litteris, & Eccleſiaſticis Scriptoribus; Sic Samſonis nativitas prænuntiata fuit Angelô miraculosè excitante ignem, & cum flamma in cœlum aſcendente: (b) & illud quidem Elianæ hiſtoriæ affine. Ejuſmodi exempla in hiſtoriis Sanctorum ſuppetunt quamplurima. Ita quoque S. ELIAS (de quo non ſine cauſa ſcribit Eccleſiaſticus: (c) *Surrexit* ELIAS *Propheta quaſi ignis*) in ſuo ortu viſus eſt cœleſti igne circumdari, eodemque paſci, & à viris candidis ſalutari: quod quidem futuræ magnitudinis, variarumque omninò perfectionum, & quales ſucceſſores habiturus eſſet, fuit indicium. Hiſtoriam tradunt S. Epiphanius de vitis Prophetarum in hunc modum: *Viri niveum quendam præ ſe ferentes habitum, puſionem ſalutabant, matriq; uberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis cibi loco miniſtrabant.* Vide hîc ſuprà (d) Dorotheus *in Synopſi Prophetarum*, S. Iſidorus, & alij relati etiam in antecedentibus, Metaphraſtes hic infrà *parte 2. cap. 1.* eadem referunt. Per ignem, quo ELIAS cingi, & paſci viſus eſt, quid denotatum fuerit, referunt iidem Patres: per eundem etiam ſignificabatur ejus zelus, & qualis vel in ipſis viſceribus matris adhuc deliteſcens futurus eſſet, totus nempè cœleſtis, qui nulli rei terrenæ adhæreſceret, nullò corporeorum affectuum contagio pollueretur, ſed indeficienti mentis intentione, *quæ ſurſum ſunt ſaperet, & quæreret*, cum Apoſtolo, *non quæ ſuper terram*, ſuamque omninò converſationem in cœlis haberet. Hoc poſtmodùm indicavit opere ipsô, nam & ſemper in conſpectu Dei ſtetit. Indicatur quoque fortitudo, & invicti animi robur, atque conſtantia adversùs omnes perſecutiones, & victrix omnium mentis ſtabilitas. Verè enim tanquàm igneus adversùs Achabi, Baalitarum, Ochoziæ, aliorumque ejuſmodi tenebrionum malitiam proceſſit. Credibile etiam nonnulli cenſent, tunc à peccato originali fuiſſe purgatum; ut meritò illi conveniat, quod ait Eccleſiaſticus: *Surrexit* ELIAS *quaſi ignis*, id eſt, purus, igneus, nullâ originalis labis maculâ fœdatus. Ita Ægidius Camartus Generalis Minimorum, undè mox plura.

(b) Iudic. 13.

(c) Eccl. 48.

ELIAS puſio viſus paſci & circumdari igne.

(d) Cap. 2.

Quid viſio illa denotarit.

68. Quid verò denotent *Viri niveum præ ſe ferentes habitum, puſionem ſalutantes*, declarat vetuſtus Pater Ioannes Ieroſolymitanus in

Libro, de quo hîc ſuprà *cap. 3.* ſub finem: videlicet: *quales* ELIAS *imitatores ſuæ vitæ Monaſticæ habiturus eſſet*, nimirùm candidos in veſte, ſicut ipſe inceſſit. Sic quoque Abbas Trithemius (a). Auctores alios eadem referentes habes apud Lezana *in Annalibus Carmelitanis* (b) ubi addit, quòd ſicut Sabacha Pater ELIÆ aſpexit viros candidatos, ſignificantes ejus ſpirituales poſteros in Religioſo Inſtituto, ita & S. Romualdus in viſu ſcalæ, per quam homines in veſte candida aſcendebant, & deſcendebant, oſtenſi fuere ejus alumni Camaldulenſes, eorumque veſtitus, & Inſtituti perfectio. Pallio autem albo indutum inceſſiſſe ELIAM Thesbitem Scripturæ ſacræ auctoritate monſtratur. Nempè hoc habitu operuit ELIAS vultum ſuum, cum in monte Oreb tranſiret Deus ante eum. Hoc quoque pallium miſit ipſe ſuper Eliſeum, quando accepit eum in diſcipulum. Pallium autem iſtud fuit veſtis rotunda, deſuper corpus operiens, à collo uſque ad medias tibias deſcendens, ante aperta, alibi clauſa, ſuperiùs anguſta, inferiùs amplitudine expanſa. ELIAS hoc pallium Eliſeo dimiſit, dùm ab eo in Paradiſum voluptatis aſcendit. Ita præfatus Ioannes Ieroſolymitanus jam dicto libro: ubi etiam ex ſacris Litteris declarat alias veſtitûs Eliani partes, ſcilicet Melotem, Zonam, & ſuperhumerale, & eorum myſticam ſignificationem.

(a) Lib de Ord. Carm

(b) Tom. 1. ad an. mundi 3123. n. 7.

An tunc in utero ſanctificatus.

69. Præfatus Camartus, occaſione jam dictorum de Angelis ELIAM ſalutantibus, & igneis faſciis involventibus, atque ignem cibi loco ſubminiſtrantibus *in libro de geſtis* ELIÆ *cap. 3. ſect. 16.* copioſè ac eruditè diſcutit: *An* ELIAS *ſanctificatus fuerit in utero matris?* Et poſt varia præambula ſic (inter cætera) ad rem: *Certum eſt ab hac communi lege naſcendi Ieremiam, Ioannem Baptiſtam, & aliquot alios Dei clementiâ liberatos, quibus* ELIAS *noſter non immeritò accedere debet. Statuimus itaq; admodùm veritati conforme* ELIAM *Prophetam in ipſo matris utero ſanctificatum, atq; ab originali peccato purgatum. Eam verò propoſitionem ſuadebimus. Primo ex Epiphanio, Dorotheo, Ioanne Ieroſolymitano, Metaphraſte, & aliis, qui ſeriem generationis* ELIÆ, *quam ſuperiùs adduximus, tradiderunt. In ea enim tria potiſſimum notanda ſunt. Primum quòd* ELIAS *viſus eſt Sabacho patri, ab albicantibus Angelis ſalutari priuſquàm ex utero materno egrederetur: ſunt autem albæ veſtes innocentium indicium: ſic Salomon:* [*Omni tempore veſtimenta tua candida ſint.*] *Salutatio vera amicitiæ, & germanitatis indicium. Itaq; jam tunc* ELIAS *familiaris erat Angelorum, qui ex ipſo habitu innocentiam & puritatem prætendunt. Alterum quod hic conſiderari debet, eſt igneus cibus, quo Angeli viſi ſunt,* ELIAM *paſcere. Is autem ignis intelligi debet Spiritus ſanctus, qui jam tunc ſuis chariſmatibus* ELIAM *adimplevit, nam familiare eſt ſcripturis, Spiritum ſanctum per figuram ignis adumbrare, qui videlicet ſordes abluat, & animam ſuis donis informet. Sic Ioannes Baptiſta de Chriſto dicebat:* [*Ipſe baptizabit vos in Spiritu ſancto & igne.*] *Itaque* ELIAS *necdùm natus ſpiritualem ignem hauſit, quò originalis ſanguinis macula mundaretur. Tertium quod in hac hiſtoria advertere poſſumus, eſt ignea illa zona, quæ* ELIÆ *lumbis priuſquàm naſceretur, impoſita eſt ab Angelis.*

Id tanquam veritati conforme probat Camartus.

70. Conſequenter ibi Camartus: *Poteſt ſecundò ſuaderi noſtra propoſitio exemplò Ioannis Baptiſtæ, qui ſecundus* ELIAS *vocatur: De quo ſic Angelus Gabriel ad Zachariam:* [*Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.*] *In cujus verbis plurima ſunt conſideratione digniſſima. Primum eſt S. præcurſorem Ioannem nihil originalis maculæ in hunc mundum intuliſſe: cùm etiam in utero materno poſitus Spiritu ſancto repletus fuerit. Alterum eſt: Ioannem eadem omnino Heroicarum virtutum exempla cum* ELIA *edidiſſe, quod ſic exponit Ambroſius. In deſerto* ELIAS, *in deſerto Ioannes. Ille à corvis paſcebatur: Hic calcatâ dum dives eſſet, omni voluptatis illecebrâ parſimoniam prætulit, luxumq; contempſit, & cætera, quæ ſequuntur. Tertium, Ioannis præſtantiam in eo fore, quòd ante Chriſtum præcederet in ſpiritu & virtute* ELIÆ. *At quomodo ſpiritum* ELIÆ *Ioannes haberet, qui in utero ſanctificatus eſt, niſi ſpiritus ipſe eandem in* ELIA *operationem egiſſet?* Copioſiùs dicto loco præfatus Auctor proſequitur rationes iſtas, & alias, videlicet *ex ſpeciali privilegio* ELIÆ *collato, immortalitatis ad hanc uſq; diem. Magni enim momenti eſt ea gratia. Nam certum eſt, mortem* homini ex peccato accidiſſe. *Si ergo tanta fuit benignitas in* ELIAM, *ut eum à communi hominum morte ad hanc uſq; diem liberaret, quis non judicaverit rationi maximè conſonum,* ELIAM *à mortis cauſa, id eſt originali peccato, liberatum antequàm naſceretur.* Conformiter ſcripſit Petrus Cantor (qui claruit circa annum Chriſti MCC. *vir eruditiſſimus: Theologicæ ſchola Pariſius multis annis glorioſè præfuit:* ita Trithemius (a)) cujus, inter cætera præclara opuſcula, eſt illud, quod inſcribitur: *Volumen diſtinctionum*, ubi *capite, de ſanctificatione B. Virginis*, ait: *Sanctificati fuerunt ab utero B. Virgo (quæ ſuperabundavit. & ſimiliter affluenter repleta fuit Spiritu ſancto)* ELIAS, *Ieremias, Ioannes Baptiſta, &c.* Ita Petrus de Alva, Ordinis Minorum, in libro, cui titulus: *Sol veritatis* (b) Verumtamen quia privilegium iſtud eſt valdè ſingulare, ideò hâc in re ipſius Eccleſiæ ſtandum judicio, & dum efficaciora non ſuppetant fundamenta pietas in parentem ELIAM compeſcenda. Ita prudenter monet Lezana. (c)

Hoc tamen ſine Eccleſiæ judicio pro certo non aſſerendum.

(a) De Script. Eccl.

(b) Impreſſ. Matriti an. 1660. veritate 1. fol. 230.

(c) Tom. 1. Annal. ad an. mundi 3123. n. 8.

71. Sequenti *Sectione* ejuſdem *capitis tertii* Auctor idem Camartus curioſè indagat, & eruditè diſſerit, an & quâ ratione S. ELIAS fuerit in gratia confirmatus. Et iſta quidem de animæ pulchritudine. Quoad corporis ſpeciem eodem *capite tertio, ſectione 15.* ſcribit: *Quòd verò ſpectat ad corpus, ego quoque in ea ſum ſententia, formam illius perfectiſſimam fuiſſe, omnibuſq; numeris abſolutam: decebat enim quietiſſimam* ELIÆ *animam perfectaq; virtutum omnium conſonantia decoratam, in qua nihil abſonum, nihil in paſſionibus aut affectibus diſtortum, omnia tranquilla & optimè ordinata, corpus etiam aſſequi integrô membrorum, coloris, lineamentorum, aliarumq; partium temperamentô decorum.* Et infrà: *Habuit igitur* ELIAS *formoſiſſimum, ſpecioſiſſimumq; corpus, pulcherrimis animæ functionibus exercendis idoneum,*

Corporis decor in ELIA.

oris

drū majeſtate conſpicuum, formâ appoſitâq; membrorum compage ad quoſlibet tolerandos labores, ornatum, fulgentibus oculis, igneum ex ſe fulgorem veluti vibrantibus, vultum habuit modeſto ſanguine rubentem, eloquium ſuave, erectam ſpeciem, non triſte ſupercilium.

CAPVT VIII.

S. ELIÆ *pueritia, adoleſcentia, ætas quâ primùm apparuit, & cur tunc à Deo miſſus.*

72. ETiam S. ELIÆ infantiam, pueritiam, & adoleſcentiam Scriptura tacet, & à primo ejus Oraculo incipit. Porrò cùm familiare pueris ſit, ſecuturæ vitæ ſpeciem prætendere, de iis ex reliquo vitæ curriculo colligere licet. Exiſtimandum igitur à pueritia auſterioris vitæ deſiderio ſolitudinem incoluiſſe. Hinc S. Ambroſius *in Pſalm.* 118. ELIAS *&c. revelationes illi divina gratia refulgebant; cujus muneris fructum pro mercede adipiſcebatur; quia à juventute ſua jugum verbi ſuſcipiendum putavit.* Hoc etiam Joannem Baptiſtam egiſſe tradit Lucas *cap.* 2. imò quinquennem, id eſt, vix puerum à paterna domo in deſertum ſeceſſiſſe, ibique ab Angelo enutritum auctor eſt Nicephorus. At cùm in Joanne viguerit ELIÆ ſpiritus, non dubitaverim eundem ELIAM ab ipſis penè incunabulis Eremi deſiderio captum, à communi hominum cœtu receſſiſſe. Præterea exiſtimaverim ELIAM infantilia membra ciliciò, vilique palliolò domuiſſe: cùm & deinceps talem habitum geſtaverit, & imitatorem in eo Joannem Baptiſtam habuerit. Deindè facile conjici poteſt indefeſſum orationis ſtudium, divinique zeli fervorem in pueri præcordiis vehementer incaluiſſe. Non eſt etiam dubium frequens ELIÆ pueri exercitium in rerum omnium abdicatione, mortiſque, ac periculorum omnium contemptu extitiſſe; cùm præcipuè reliquum vitæ tempus inter labores & afflictiones, mortis deſpicientiam ac dolorum immenſam ſegetem conſumpturus eſſet. Nec dubium eſt ex talibus actionibus, quas ab infantia frequenter exércemus, habitus præclaros firmiſſimas in anima radices mittere, qui nobiſcum ſeneſcant. *Adoleſcens enim*, ait Salomon, *juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedit ab ea.* Itaque ne plura de re occulta dicamus: Illud de ELIÆ infantia, pueritia, adoleſcentia, ac juvenili ætate indubiè profitendum, hoſce ſurgentis ætatis gradus ELIÆ palæſtram fuiſſe, quâ ſe coràm Deo ad maxima certamina præpararet. Minor enim ætas aptiſſima eſt omnium magnarum rerum fundamentis ſtabiliendis, juxta præclaram Philonis Judæi (a) ſententiam: *Sunt ea*, inquit, *affectuum principia, omnium quæ nobis contingunt, ſive bonorum, ſive malorum ſcaturigines, ac veluti fundamenta: nam ſi rationis imperiò regantur, multa bona in ſubſequentem proferunt ætatem.*

A pueritia auſteriorem vitam auſpicatus eſt.

Adoleſcentia ejus qualis.

(a) Lib. 1. de vita Moſis.

Secùs verò, ſi ab ejus ſe directione ſemoveant. Ita Ægidius Camartus de rebus ELIÆ (a) Similia fere ſcribit Salianus *Tomo* 4. *Annalium veteris Teſtamenti.* (b)

(a) c. 3. ſect. 9.

(b) Ad an. mundi 3123. n.

73. Quòd autem eò tempore, antequàm appareret Achabo, Carmelum per aliquot annos incoluerit, ut valdè probabile tradit Lezana *Tomo primo Annalium.* (c) Hoc enim, inquit, ſuadetur non ſolùm, quia eum locum pro ſui, Eliſei, & aliorum diſcipulorum manſione poſtmodum elegit, ſed & quia in eum montem pro ſacrificio faciendo, ut probaretur, quis verus eſſet Deus, Regem, & populum 3. *Reg.* 18. tanquam in proprium, & ſibi charum domicilium convocavit. Sic fermè Sanchez cui opinioni favet Salianus (d) dum ante tempus illius ſacrificij videtur inſinuare, fuiſſe Collegium Prophetarum in Carmelo. (e) Non eſt autem, inquit, improbabile, anteà incœpiſſe (ſcilicet vitam ſolitariam.) Nam Jacobus *in ſua Canonica capite ultimo* indicat ante illud tempus fuiſſe ſingulariter juſtum dicens: ELIAS *homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.* Undè conſtat (quamvis in libris Regum non refertur) ſiccitatem illam, quam ELIAS prædixit, oratione ipſius fuiſſe antea à Deo impetratam. Erat ergo antea vir juſtus & potens apud Deum, & zelô divinô jam vehementer urgebatur, non enim ex inordinata aliqua affectione afflictiones illas ſuo populo poſtulabat, ſed ut percuſſus à Deo, ſuum errorem agnoſceret: ergo veriſimile eſt, jam fuiſſe à Deo vocatum ad altius genus vitæ, in quo tantam ſanctitatem conſequutus erat, ita ut ſicut Joannes Baptiſta in Eremo fuit à Deo evectus ad eum ſanctitatis gradum, in quo poſſet liberè veritatem prædicare, & regibus reſiſtere, eoſque reprehendere, ita etiam ELIAS. Ipſum autem fuiſſe Nazaræum dicto *capite ſect.* 18. declarat Camartus: *Ego*, inquit, *citra ullam ambiguitatem* ELIAM *arbitror Nazaræum fuiſſe, id eſt, Deo conſecratum ab ipſo matris utero. Eſt autem duplex Nazaræorum genus. Primum eorum, qui certo quodam tempore Domino conſecrabantur. Alterum eorum, qui pro toto vitæ ſuæ tempore Nazaræorum cultum & vitam colebant.* ELIAM *verò Nazaræum fuiſſe dico poſteriori hoc modo.* Id conſequenter probat

(c) Ad eund. an. n. 9.

An Carmelum incoluerit ante apparitionem coram Achab.

(d) In cap. 18. libri 3. Reg. n. 9.

(e) Sub an. 3127. n. 23.

Nazaræus fuit.

74. Quanto autem tempore ELIAS ignotus delituerit, ſeſeque in divinis rebus ſolitariè exercuerit, & quotò vitæ annò, Dei mandatò, in publicum prodierit, etiam ex Scripturis, aut Patribus certò non conſtat. Quidam triginta annorum tunc fuiſſe dicunt; tùm quòd Joannes Baptiſta (qui in ſpiritu ELIÆ venit) anno trigeſimo prophetare cœperit; tùm, cùm ELIAS, teſtantibus Patribus, de quibus hîc infrà *part.* 4. *cap.* 5. expreſſiſſima Chriſti Domini (ſi quis alius inter veteris teſtamenti Patres) effigies, & figura fuerit, cùm Chriſtus mundo manifeſtari, & prædicationis munus 30. ætatis anno cœperit: idem de ELIA haud leviter conjectandum videbatur, inquit Lezana dicto loco. Quia tamen Eccle-

Quo ætatis mundi anno apparuerit Achabo.

Eccleſiaſtici Scriptores, ELIAM ſenem tunc fuiſſe autumant, & favet traditio, ſeu communis opinio (ut patet ex picturis) Abulenſis (a) & Camartus, nec non Lezana, eum tunc quadrageſimū annum exceſſiſſe veroſimiliùs credunt. Illud certiùs, ELIAM omnibus virtutibus eminenter inſtructum primum apparuiſſe Achabo (prout *libro 3. Regum cap. 17.* deſcribitur) anno mundi 3123. ante Chriſti ortum 930. à diluvio 1467. quintæ ætatis 184. Templi fundati 101. Joſaphat Regis Judæ 3. Achab Regis Iſraël 7. Azariæ Pontificis 3. Troiæ excitæ 252. Ophratei Aſſyriorum Imperatoris 20. & Imperij Aſſyriorum 1192. Ita diſertè tradit veteris Teſtamenti Annaliſta de Chronologia ſacra optime meritus Jacobus Salianus, nec non Lezana *in Annalibus Carmelitanis*, Torniellus ad ſequentem annum refert.

(a) Abul. in c. 2. l. 4. Reg. 4. 26.

Cur miſſus ad Achab.

75. Quare autem Deus tunc ELIAM ſuſcitaverit, & ad Achab miſerit, accuratè declarat Cornelius à Lapide exponens *caput 17. libri 3. Regum*, videlicet ut Achabi, æquè ac Jezabelis ardorem in propaganda idololatria reprimeret & reſtingueret, ac Iſraëlem in vera unius Dei fide & religione conſervaret. Ibi conſequenter refert eximias ELIÆ virtutes, & dotes, quibus ad debellandam idololatriam proceſſit, videlicet vitæ innocentiam, auſteritatem, ſanctitatem, ſolitudinem, contemplationem, dicendi, & arguendi libertatem, invictam animi patientiam, & fortitudinem, Zelum honoris, & cultûs divini, quodque fuerit Dux, & Princeps Prophetarum cæterorum. Ibidem hæc illi ex S. Bernardo appropriat: *Fuit ergo* ELIAS *forma juſtitiæ, ſanctitatis ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertor veritatis, fidei defenſor, Doctor Iſraelis, Magiſter inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum Advocatus, Iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor ſcelerum malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, Regum pater, ſol terræ, Orbis lumen, Propheta Altiſſimi, præcurſor Chriſti, Chriſtus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrarum fulmen.* Hactenùs Cornelius: Illo igitur tempore ad Iſraëlitas in tot impietates prolapſos, aut potiùs in profundum iniquitatis cœnum volutatos ſanctiſſimus ELIAS deſtinatus fuit, quandò idolorum cultus profundas egerat radices, & omnis generis malitiæ ac ſcelera accumulata fuere (prout habetur ex ſacris Litteris, nec non ex Joſepho relato hìc ſuprà *capite 2.*) tempore Achabi: qui ſceleſtiſſimo cum Jezabele inito connubio ſuperiores Reges in impietate vicit, atque unà populum in deteriora protraxit, Baalis cultum introducendo; eique templum, & aram conſtruendo, & inſuper plantando lucum, & ibi conſtituendo idolum, *Aſtaroth*, ſeu *Aſtarthem*, id eſt, Venerem totius impudicitiæ abominabilè ſimulachrum. Tali opus erat medicô, quandò mores in populo Iſraël erant corruptiſſimi, & ſcelera ſceleribus jungebantur. Magnæ ægritudines & medicamine forti, & medico indigent ſapienti. Hinc S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Baſilij: *Cùm Achab ille muliebre mancipium à patria Religione defeciſſet, fœminæ delictis inſerviens, & in ejus gratiam Idolorum cultum introducens, in eundem errorem populum Iſraeliticum attraxiſſet: Deus* ELIAM *oſtendit virum, qui morbi magnitudini parem haberet curandi facultatem.* Sed nunc ad magni ELIÆ primam illam apparitionem, cæteraque ejus geſta à Sacris Litteris, à viro venerabilis auctoritatis Simeone Metaphraſte eruta, in compendium contracta, ac illuſtrata audienda pergamus.

Eo tempore Iſraeliticus Populus in profundo impietatis.

VITÆ S. P. ELIÆ

PARS SECVNDA,

Geſta Sancti ELIÆ Prophetæ, ex Simeone Metaphraſte.

NOTATIO PRÆVIA.

76. *SImeon Metaphraſtes, generis nobilitate, eruditione, & pietate, patriciâ dignitate, ac præclaris donis celebris, claruit circa annum Chriſti 859. juxta Bellarminum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Aſt antiquitatis ſacræ præſtantes ſcrutatores, & illuſtratores PP. Bollandus & Henſchenius in Præfatione generali ad Acta Sanctorum eum ferè uno ſeculo juniorem adſtruunt, & floruiſſe ſub Imperatore Leone VI. cujus Legatione functus fuit. Is de Eccleſia & Sanctis optimè meritus (prout dicto loco iidem Bollandus, & Henſchenius luculenter declarant) ſtudium ſuum ſolerter impendit in perquirendis & poſteritati tradendis martyrum certaminibus actiſq; Sanctorum: & quas reperit vitas eleganter compoſitas tranſcripſit: alias ipſe ex integro compoſuit. Eo in opere habet quoque inſignem Commentarium rerum geſtarum magni Prophetæ* ELIÆ *ex Sacris præſertim Litteris contextum, atque ita inconcuſſæ veritatis, quem propterea Aloyſius Lipomanus & Laurentius Surius, in ſua tranſtulerunt Opera. Is (pro majori legentium commoditate) in aliquot ſectus capita, cum præfixis titulis, & Notis ac additionibus illuſtratus, hìc ſequitur.*

Metaphraſtes quis & qualis.

Præfatio Auctoris Metaphraſtis.

77. ALiquandò quidem duodecim tribus Iſraël erant ſimul inter ſe, nec poterant à ſe invicem dividi, ut quæ erant benevolentiæ vinculo colligatæ, & cedentes Dei præceptis. Nam cùm poſt Moſem & Jeſum Nave, & qui poſt illos fuerunt, populi Iudices, David Propheta eis unctus eſſet in Regem, & ad Salomonem filium is regnum traduxiſſet, uſque ad illum tribus manebant indiviſæ, una nequaquàm divulſa ab altera: ſed unaquâque conſervante eam, quam ab initio elegerat, concordiam. Poſtquàm autem ejus filius Roboam patris regnum ſuſcepit, &, ut qui eſſet juvenis, & non ſatis nobilis prudentiæ, iis, qui ejus parebant, imperio, inſolenter eſt uſus, non tàm ad ſe attrahens, quàm abſtrahens & avellens, ab illo fuerunt tribus

Ejus præfatio de miſero Iſraelis ſtatu tempore adventus ELIÆ.

diſruptæ,

diſruptæ, & adverſus eum inter ſe inſurrexerunt. Nam cùm decem earum defeciſſent, & Hieroboam ſervo Salomonis adhæſiſſent, cum eo habitarunt Samariam, ſolas duas Tribus habitare relinquentes Jeruſalem. Is autem cùm eos inveniſſet moribus diſſolutos, ventrique, & iis, quæ ſunt ſubter ventrem, ſervientes, inſtituit quidem ad omne genus temperantiæ; (a) exercuit autem ad omnem impietatem. His cùm & templum conſtruxiſſet, & in eo duas juvencas poſuiſſet, ut quæ manibus facta erant, facilè poſſent colere, ut qui ad ea erant propenſi: eis ſtatim adfuere præmia malorum, dum & obſidentur ab accolis & finitimis, & à Babyloniis & Perſis ſunt everſi, & ſuis moti ſedibus, & paſſi quæ ſunt omnium graviſſima. Interim autem, etſi facerent ea, quæ ſunt peſſima, non eos tamen omninò reliquit bonus Deus; ſed & eos ſuâ dignatus eſt curatione, & manum præbuit adjutricem. Quin etiam deſuper eis dabat reſponſa, & futuri prædictiones: & quod eſt maximum, ad eos mittebat Prophetas & Prophetias, ut aliquo quidem modo eos ad ſe captos traheret. Sed enim cùm ante alios, & cum aliis Prophetam miſiſſet ELIAM, juſſit eum videre & inſpicere, & ulciſci ea, quæ ab ipſis fiebant. De quo nos quoque oportet pauca dicere, ut plurimùm ejus verbis utentes, & iis, quæ ille loquebatur divino zelo accenſus. Ergo is quoque adjit orationi, & proponatur argumentum, & maximè cùm ſit ejus dies, quem jam celebramus, & quem anniverſariis laudibus honoramus.

(a)

78. (a) ANNOT. Exercuit autem ad omnem impietatem, *ſcilicet Jeroboam, qui metuens, ne populus ſuus proficiſcens Ieroſolymam ad colendum Deum verum, rediret pariter ad Roboam, (à quo diſceſſerant decem Tribus) vitulos aureos quaſi idola erexit: atque ita populum ſuum induxit ad idololatriam, ſicut patet* lib. 3. Regum cap. 12. *& exinde uſque ad Achabum, adverſùs quem miſſus eſt* ELIAS, *fluxerunt anni circiter quinquaginta ſeptem. Et intereà populi Iſraelitici ſcelera valde fuere multiplicata, ad quorum ultionem, & perditiſſimorum correctionem, ac divini cultûs inſtaurationem à Deo directus fuit S. Propheta* ELIAS, *prout jam ante caput diximus, & deinceps pleniùs patet.*

Feſtum ELIÆ *à multis ſeculis ſolemne in Eccleſia.*

Maximè cùm ſit ejus dies, quem celebramus, & quem anniverſariis laudibus honoramus. *Ex iſtis conſtat, quòd eo tempore, quo ſcriptus fuit iſte Commentarius (ſaltem ante annum Chriſti* 950) S. ELIÆ *annua feſtivitas ſolemnizari ſolita fuerit. Sed circa hoc latiùs hic infrà.*

CAPUT PRIMUM.

Apparitio prima S. Prophetæ ELIÆ: *paſcitur à corvo, & à vidua: primus mortalium à condito mundo mortuum ad vitam revocat.*

79. (a) HIc ergo vir ſacroſanctus & divinus, (b) cùm eſſet ex tribu Aaron, & natus in Arabia, tempore ortûs ſui, quo eſt in lucem editus, (c) viros candidis veſtibus indutos vidit ejus Pater, & eum (d) in igne ligantes faſciis, & dantes flammam ignis, quâ veſceretur. Quod cùm dixiſſet ſacerdotibus, ij dixerunt eum magnum futurum Deo puerum, & qui futurus eſſet ſemper luce plenus, & judicaret Iſraël in rhomphæa & igne: qui etiam ab eis appellatus eſt Thesbites, quòd eſſet domus, quæ ſorte obtigerat ſacerdotibus, in qua is habitabat, virtutem exercens ab adoleſcentia, & flammeam efficiens animam per ignem ſpirantem ſancti Spiritûs gratiam. Nemo autem omninò contradicet, eum virum fuiſſe tantum & talem, qui poſſet & flammam, & rhomphæam, & ignem, & aquam, aliaque admirabilia & habere apud ſe, & ad alios, cùm vellet, immittere. Horum autem ſingula explicabit oratio. Poſtquam poſt Hieroboam & eos, qui deinceps in Samaria conſecuti ſunt, Reges, Achab accepit imperium, vir moribus pravus, & ab impietate poſſeſſus, cui conjuncta erat mulier, quæ ei erat par improbitate, vel etiam ſuperabat (mulieri nomen erat Jezabel) Ambo verò ſtudebant, & divinos Prophetas malis affligere, & eos, qui erant in illorum poteſtate, deterioribus aſſuefacere, ut qui à via recta jam olim declinaſſent, zelo divino repletus ELIAS, qui etiam reverà & dignè hoc nomine fuerat vocatus, talia Achab liberè loquitur: (e) Vivit Dominus Deus exercituum, coram quo adſto, (f) ſi erit his annis ros & pluvia, niſi per os meum. His enim iratus Deus univerſorum, tres annos & dimidium pluviam è cœlo retinuit, imbris defectu terram exſiccans & immittens famem omnium graviſſimam. Hinc ſuum Prophetam honorans, cœlum claudendi aut aperiendi, & pluviam continendi, aut demittendi ei dat poteſtatem. Qui etiam illa Achab dixerat ex poteſtate, quæ poterat facere, & quæ propter virtutis magnitudinem à Deo acceperat. Deinde illo relicto, ob divinum reſponſum accedit ad torrentem, qui erat ad Orientem ex adverſo Jordanis. Vade enim illùc, audit à voce ſupernâ, & illinc bibe aquam: & (g) præcipiam corvis, ut alimentum ad te afferant. Certè corvi, animal valdè gulæ deditum, & longè rapaciſſimum, panes quidem manè Dei juſſu, veſperè autem carnem ad Prophetam afferebant, & erat ei ſufficiens deinceps alimentum, ut

ELIAS de tribu Aaron viſus veſte flammâ ignis

(a) (b) (c) (d)

Ab adoleſcentia animam quaſi flammeam habuit.

Opponit ſe impietati Achabi & Jezabelis.

(e) (f)

Paſcitur à corvis

(g)

ut cui nec obſonium, nec aqua deeſſet ad potum.

80. Poſtquàm autem aliquot poſt diebus torrens, cujùs aquam bibebat, eſt exſiccatus, rurſùs reſpondens, tanquàm amicus amico, dicit Dominus ſervo:
(h) (h) Vade hinc in Sareptha Sidoniæ: & illic incides in viduam à qua alèris: & nullo opus habebis ex iis, quæ ſunt neceſſaria. Ille autem cùm veniſſet, (ſciebat enim vocanti parère in omnibus) ligna invenit colligentem viduam, & coctuꝛam panem ſubcinericium, habebat enim ſolum pugillum farinæ, & modicum olei in lecytho, quibus & ipſa, & filij parcè uti volebant. *Et à Vidua.* Quam etiam alloquens: Mihi, inquit, primùm, ô Mulier, appone hunc panem, & modicum olei lecythi. Deinde tibi & filiis
(i) appones, quæ remanſerint. (i) Neque enim tibi de cætero hydria farinæ deficiet, neque olei lecythus minuetur, donec fuerit deſuper pluvia ſuper terram. Et fecit quidem vidua, ſicut ei præceptum fuerat, benignè priùs Prophetam convivio excipiens, & ſecundò ipſa & filij veſcentes eo, quod remanſerat. Quæ quidem ſtatim accepit admirabilem mercedem hoſpitalitatis, videns vaſa plena & redundantia. Quod enim dictum fuerat à Propheta, ſtatim pervenit ad effectum valdè mirabiliter.

81. Quid deinde conſequitur? in morbum incidit filius viduæ: & paulò poſt ſubit animæ defectionem. Quem cùm repentè mater vidiſſet mortuum, toto animo perturbata: quid hoc eſt? clamabat ad Prophetam. Cur huc es ingreſſus, ut mea peccata revocares in memoriam, & morte afficeres meum filium, ô homo Dei, qui mihi & viduitatis, & omnium erat ſolatium. *Cujus filium reſuſcitat.* ELIAS autem petiit, & accipit mortuum: & cùm eum ſuſtuliſſet, ponit in eo, in quo manebat, cœnaculo, & eum componit in lecto. In quem cùm ter inſufflaſſet, hanc ad Deum fudit invocationem, dicens: Domine Deus meus, convertatur anima hujus pueri ad ipſum. Et ſtatim (ô
(k) magnam Prophetæ gratiam) (k) is, qui fuerat mortuus, vivebat, & movebatur, jucundiſſimum ſimul & admirabile matri factus ſpectaculum.

82. ANNOT. (a) Hic ergo vir ſacroſanctus, *id eſt,* Deo conſecratus *ſcilicet per votum ſeu juramentum: id enim propriè ſignificat vox* ſacroſanctus: *ſic à voto virgines nuncupantur* ſacræ. *ELIAS vir ſacroſanctus.*

(b) Cùm eſſet ex tribu Aaron. *Quòd* ELIAS *fuerit de tribu Aaron, & Sacerdos, aſſerunt etiam S. Epiphanius, S. Iſidorus, & alij. Vide hic ſuprà* part 1. cap 6.

(c) Viros candidis veſtibus indutos vidit ejus Pater. *Idem tradunt* S. Epiphanius, *Dorotheus, & alij, relati* parte 1. cap. 7. *ubi etiam de viſionis illius ſignificatione.*

Cur viſus veſci flamma ignis. (d) In igne ligantes faſciis, & dantes flammam ignis, quâ veſceretur. *Ignis ille denotabat nobiliſſimas animæ* ELIÆ *perfectiones, quæ in* ELIA *reperiuntur, atque illius quaſi Angelicam naturam. Solent enim beati illi ſpiritus igni frequentiſſimè comparari, ut eſt apud Davidem* Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos ignem urentem. *Plura ad intentum habes hîc ſuprà* parte 1. capite 1. & 7.

(e) Vivit Dominus Deus exercituum, coram quo adſto. *Quod in bello militibus teſſera, id* ELIÆ *erat hoc verbum in conflictu contra Achab, & Baalitas:* Vivit Deus, coram quo adſto. *Quo denotatur, eum indefeſsâ mentis intentione, quæ ſurſum ſunt ſapiendo, converſationem habuiſſe in cœlis coram Deo, prout latiùs* parte 1 cap 1. *Ejus quaſi teſſera. Vivit Deus, in cujus conſpectu ſto.*

83. (f) Si erit his annis ros aut pluvia. *Et in hoc verbo continuit cœlum annis tribus, & menſibus ſex, ſic quòd nec ros nec pluvia deſcenderit, tanquàm Deus ipſum feciſſet Dominum aëris. Unde exclamat Eucherius:* Magna vis propheticæ dignitatis, humanus ſermo eſt, divinus effectus. In terris homo loquitur, & imperio ejus cœleſtes obediunt poteſtates. Commovit omnem creaturam unus ſermo Prophetæ, & miro modo humi ſonans aëra cœlumque concuſſit, turbatus eſt humani miniſterij ordo, & à ſæculis inſtituta elementorum harmonia contabuit, cùm ſicco humidum, calido frigidum negaretur: ſed elementa pœnam ſuam læta ſuſcipiunt, dummodò vel in ſalute hominum, vel in honore proficiat conditoris. *Cauſa igitur tanti prodigij fuit* honor conditoris, & ſalus hominum: *prout etiam indicat S. Baſilius,* ELIAS, cum jejunaſſet, clauſit cœlum tres annos, ac menſes ſex. Etenim cum videret multam inſolentiam naſci è ſatietate, neceſſe erat illos per famem invitos ad jejunium adigere. Eôque peccata illorum jam in immenſum excurrentia cohibuit. dum ejuniò, velut uſtione aut ſectione, progreſſum ad majora mala interrumpit. *Ad idem intentum ſic Abulenſis.* Fuit autem motivum ſuum, ſcilicet quia Iſraelitæ erant magni peccatores, & non corrigebantur, Deo dante eis proſpera: ideo condolens cæcitati eorum, petivit, ut non plueret ſuper terram aliquantò tempore, & cognoſcentes à Deo pœnam inflictam propter iniquitates ſuas, emendarentur. *Annis tribus continuis cœlum, ut plures.* *Quam ob cauſam.*

84. (g) Præcipiam corvis, ut alimentum ad te afferant. *Corvus eſt avis vorax, inhumana, maligna; illâ ergo uſus eſt Deus, ad cibandum* ELIAM, *ut oſtenderet ſe omnibus animalibus imperare, eorumque indolem mutare, & convertere eò quò lubet: ac ſanctis, qualis erat* ELIAS, *omnes creaturas Deo jubente ſervire & obſequi. Sic corvi afferebant quotidiè dimidium panem ad S Paulum primum Eremitam, integrum verò adveniente S. Antonio. Ita à Lapide in* caput 17 libri 3 Regum *Conſideranda hîc miraDei in ſuos fideles providentia, rerum naturas, aut naturales propenſiones ſic immutans, pro neceſſitate eorum, qui ſuorum commoderum immemores divinæ ſe fidei & curæ crediderunt. Veriſimile autem eſt Angelos alimentum iſtud* ELIÆ *panem ſcilicet, & carnes apparaſſe, aut è Regis menſa ſuſtuliſſe, eoſque corvis ad* ELIAM *deferendum dediſſe.* *Mirum corvos rapaces aluiſſe cibos.*

(h) Vade in Sarepta Sidoniæ *Urbs ea ſita erat haud procul à littore maris, inter Tyrum, & Sidonem.*

(i) Neque hydria farinæ deficiet. *En inexhauſtam miſericordiæ venam, vidua ex pugillo farinæ modicum panis tribuit* ELIÆ, *& indè conſecuta eſt ſibi, & ſuis ad longum tempus ſufficientiam alimonia.*

(k) Is qui fuerat mortuus, vivebat. *Ille primus eſt ab origine mundi à morte ſuſcitatus. Erat autem Ionas Propheta, poſteà à Deo miſſus in Niniven, Ita cenſent Sanctus Epiphanius de vitis Prophetarum, S, Hieronymus in prologo ad Ionam, & plures alij relati à Lezana Tomo 1. Annalium Carmelitarum, ubi rationibus in contrarium recentiorum quorundam ſatisfacit.* *ELIAS primus ab origine mundi mortuum ſuſcitavit.*

CAP.

CAPUT II.

S. ELIAS *ſe ſiſtit ante Achab, quem intrepidè corripit: in Carmelo holocauſtum Deo offert, datô de cœlo igne ad ejus conſummationem. Dei zelô ſuccenſus* 850. *pſeudoprophetas occidi jubet. In vertice Carmeli humillimis precibus pluviam impetrat.*

85. MUlti ex illo tempore dies præterierant, & factum eſt verbum Domini rursùs ad ELIAM, cùm jam eſſet elapſus famis annus tertius, jubens, ut & veniret in conſpectum Achab, & futuram pluviam ei ſignificaret. Nam qui naturâ eſt clemens, eorum, qui patiebantur, erat motus miſericordiâ: & ſuum jam incitat Prophetam, ne eos videat ampliùs malis affectos: ſed dè magno zelò aliquid remittat, & eos benignè adſpiciat & recreet. Qui, juſſu Domini, alloquitur Achab, cùm priùs eſſet allocutus (a) Abdiu, qui cum eo etiam res adminiſtrabat, & qui multos ex Prophetis, quos perſequebatur Jezabel, occultabat in ſpeluncis terræ. Quem cùm vidiſſet Achab, quam in eum conceperat, parturiens acerbitatem: Tunc is es, qui pervertis Iſraël? ei dixit apertè. Atqui oportebat, ſi nihil aliud, certè propter nimis diuturnam & admirabilem pluviæ ceſſationem, habere eum ad Deum ſupplicantem, qui poteſt pluviam è cœlo pluere, ad quod etiam venerat, & quod ſcilicet erat ſignificaturus. Sed ipſe, cùm eſſet inflatus ejus in illum animus, apud illum ſtatim eſt uſus verbis aſperioribus. Ad quem Propheta ſermones opportunè convertens: (b) Non ego, inquit, ſum qui perverto Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui univerſi, Domino & Deo relicto, poſt Baalim (erat autem hoc execrandum idolum) ambulaſtis. Sed enim hoc tibi ſit curæ, ſi te ulla Dei ſubit cogitatio, ut huc deducas & congreges quadringentos, eos, qui numerantur, Prophetas ad invocandum Baal. Quin etiam alios nemorum ſeu excelſorum, qui præter hos dicuntur. Numerantur autem ipſi quadringenti & quinquaginta, qui ſunt etiam perpetuò ſocij menſæ Jezabel. Cura autem, ut hi omnes (c) veniant in montem Carmeli, ut ipſe quoque cognoſcas, qua de cauſa convenerint.

(a) *Increpat impietatem Achab.* *(b)* *(c)*

86. Achab autem, cùm ſic viſum eſſet, omnes illic congregat. Cum quibus etiam convênit magna populi multitudo, auditura ſermones Prophetarum. Quibus ELIAS ardenti zelo dicit: Quamdiu vos utriſque tibiis claudicabitis? Si Dominus eſt Deus, & ipſum ſcitis colere, ambulate poſt ipſum: ſin autem Baal ipſe eſt, & eum colendum ſtatuitis, poſt eum ſimiliter ambulate. Populus autem ad hæc nihil reſpondit. Quos cùm vidiſſet nihil loquentes, illis rursùs intulit: Ecce ego ſum relictus, ut vos quoque ſcitis, ſolus: ſunt verò quadringenti, qui ſunt apud vos Prophetæ Baal. Præterea autem excelſorum quoque quadringenti & quinquaginta, ut jam antè dixeram. Duo boves ad nos deferantur, & ipſi quidem unum accipiant ad ſacrificium, & eum ſecent membratim, & ſeorſum ponant ſupra ſtruem lignorum. Alterum autem cùm ipſe membratim conſcidero, imponam ſtrui lignorum, ignè nequaquàm accendens. Unusquiſque ergo noſtrûm, Deum ſuum invocet, & qui in igne * exaudierit, is ſcilicet erit Deus. Viſumque eſt hoc verbum utile toti populo. Atque illi quidem quomodo ab ELIA juſſi fuerant, cùm ſacrificaſſent bovem, qui ſorte obtigerat, ſuper ſtruem lignorum poſuerunt abſq; igne. Qui quidem & Deos ſuos, & Baal invocabant, ut inferretur ignis in ſacrificium, & ipſum conſumeret. Fuerunt autem à mane uſque ad meridiem invocantes ſtulti eos, qui ſunt inanimi. Fuerunt econtra illi, ſicut reverà erant, ſurdi, & nullo ſenſu præditi. Quos etiam ſubſannans ELIAS, dicebat: Dij veſtri dormiũt, & vos oportet magis clamare, ut videatis, num ſint intellecturi, aut è ſomno excitandi. Quibus etiam voces extollebantur altiùs, & furore incitabantur, & ſe incidebant gladiis.

In monte Carmeli magno Zelo instruit populum de vero Deo. ** Exaudiet.* *Irridet Prophetas Baal frustra invocantes Deum ſuum.*

87. Poſtquàm autem apud illos nihil erat, niſi riſus & ludificatio, (quid enim eis profuiſſent ij, qui invocabantur, qui ſunt ſtatuę, & reverà lapides?) Tunc ELIAS dixit populo: Venite etiam huc ad me, & Dei mei cognoſcite potentiam. Et omnibus ad ipſum collectis, accepit duodecim lapides, convenienter numero duodecim Tribuum & ex ipſis extruxit aram. Deinde ei ligna impoſuit, ſcindens etiam holocauſtum in partes. Quoniam verò erat effecturus ſacrificium magis admirabile, aquâ locum implevit, & inferiùs in profundo, & circumcirca, & ſuper ligna, & ubique eam dimittens fluere. Quid is enim? (d) Accipite, inquit, mihi quatuor hydrias aquæ, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Et dixit: ſecundò hoc facite. Et ſecundò hoc fecerunt. Et rursus: tertiò hoc facite. Et tertiò fecerunt. Et erat deinde aqua, tanquàm mare fluens circùm altare. Tunc ELIAS oculis in cœlum ſublatis tàm ſensûs, quàm mentis, clamavit: Domine Deus meus, Deus Abrahæ & Iſaac & Iſrael, exaudi me hodie in igne, ut hic quoque agnoſcat populus quòd tu es Deus ſolus, & ego tuus cenſear eſſe ſervus, & tuum nomen invocans. (e) Licebat autem ſtatim videre (ô arcanum miraculum) ignem deſuper deſcendentem, & omnia penitùs conſumentẽ. Tunc enim holocauſtum, & ligna, & aquam, quæ erat circumcirca, & alia omnia exedit. Porrò autem lapides quoque & pulverem, & ſi quid aliud invenit, elixit, & verè oſtendit, non eſſe ſolummodò ignem, cui aquæ repugnaſſet natura, ſed diviniorem quandam potentiam & majorem, quàm ut ignis eſſet operatio. Quod cùm vidiſſet, totus populus procidit in faciem, & clamavit: (f) Verè Dominus eſt Deus: ipſe eſt ſolus. Quibus etiam (g) jubet ELIAS, ut comprehendant falſos illos Prophetas, datu-

(d) Sacrificium offert in Carmelo. *(e) Ignis de cœlo deſcendens Holocauſtum ELIÆ conſumit.* (f) (g)

Zelo magno incitatus curat occidi omnes Prophetas Baal deceptores.

ros ſupplicium. Iique illicò eos comprehen-
derunt. Quos cùm deduxiſſet ad torrentem
Ciſon, omnes omninò de medio ſuſtulit, igne
divino inflammatus corde propter decepto-
res. Et ipſi quidem talia præmia acceperunt.
88. (i) ELIAS autem tunc dixit Achab: Aſ-
(i) cende, & ſecurus veſcere, etenim jam aderit
ſonus pluviæ, quam ego venio, ut tibi ſignifi-
cem, & quam videbis deorsùm deſcendere. Et
ille quidem aſcendit, ut comederet, maximâ
lætitiâ affectus propter nuncium. Propheta
(k) autem (k) aſcendens Carmelum, & ſe in ter-
ram reclinans confert ad precationem, poſitâ
facie inter genua. Porrò autem puero quoque
præcipit, qui cum eo erat, ut aſcenderet ſupe-
rius & adſpiceret viam, quæ tendit ad mare.

In Carmelo orans pluviam impetrat.

Qui cùm aſcendiſſet, tunc quidem nihil vidit
eorum, quæ expectabat videre, pluviam, in-
quàm, in nubibus. Et rursùs jubet ei, ut redi-
ret ſepties ad eandem viam. Et jam (l) cùm ſep-
(l) ties rediiſſet, videt nubem condenſari, & aquā
è mari extollere. Tunc etiam ſignificat Achab
per puerum, ut vehatur curru, & deſcendat in
civitatem, ne eum apprehendat, quæ futura eſt
pluvia. Cùm primùm autem hoc dixiſſet, cœ-
lum denſabatur nubibus, contenebrans, & a-
quam emittens vehementem, & terram, ut ita
dixerim, ſitientem pinguefaciens, & abundè
irrigans. Quamobrē emittebat Achab lachry-
mas prę gaudio, ELIA ante eum proſiliente, &
ſuos lumbos fortiter obſtringente. Et ſic qui-
dem pluvia poſt tres annos, & alium dimi-
dium per Prophetæ interceſſionem delata eſt
in terram.

89. ANNOT (a) Abdiu, *in ſacro Textu vocatur* Abdias, *de quo hæc S. Epiphanius in libro de vitis Prophetarum*: Abdias Propheta oriundus erat ex Sichem, agroque Betachamar. Hic eſt vates ille, qui terſemicenturionem egit, cuique pepercit ELIAS Thesbytes. Deſcendit ut conveniret Regem: poſt hæc verò regiæ ordinationis deſertor adhæſit divinatori ELIÆ, & factus eſt diſcipulus ejus.

Libertas & conſtantia in increpandâ Regis impietate.

90. (b) Non ego ſum, qui perverto Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui poſt Baalim ambulaſtis. *En hic libertatem & conſtantiam ELIÆ increpantis impietatem Achabi Regis, relicto veri Dei cultu, adhærentis Baal, & ſic ſuo exemplo totum populum inducentis ad idololatriam. Eaque erat cauſa ſiccitatis & famis. Abulenſis cenſet* Baal, *ſeu* Baalim *fuiſſe Deum ſive idolum Sidoniorum, & Tyriorum, cujus cultum, inſtigante Iezabele, introduxit aut quàm maximè promovit Achab. Sanchez in caput 7.* libri 1. Regum ad verſum 3. *tradit nomen* Baal, *ſeu* Baalim *fuiſſe nomen generale, ſeu commune idolis, & Diis Gentium.*

91. (c) Veniant in montem Carmeli. *Carmelum elegit ELIAS, futuri certaminis celebre ſtadium, aut quòd jam ante ibi ſæpiùs oraverat, & plurimas à Deo illuſtrationes acceperat, habens ibi ſuorum diſcipulorum manſionem, aut ut ibi Prophetarum Dei effuſus erat ſanguis, falſorum Prophetarum damnaretur fallacia. Ita ferè Sanchez in illum locum.*

(d) Accipite mihi quatuor hydrias aquæ. Tertio hoc facite. *Cur hoc fecerit ELIAS, ſcribit S. Chryſoſtomus, referendus infrà* parte 5. cap. 4.

92. (e) Licebat autem ſtatim videre ignem deſuper deſcendentem, *è cœlo attractum ELIÆ ardenti, & plenâ fiducia oratione, ut ſic populus ad veri Dei cultum reverteretur. Altaris tunc à S. ELIA facti in Carmelo partem adhuc ſuo tempore extitiſſe teſtatur Beniaminus Tudelenſis Iudæus, in ſuo itinerario ſcripto ab annis circiter quingentis, per Ariam Montanum ex Hebræo in Latinum tranſlato, ubi agens de monte Carmeli.* In ſummo verò montis dorſo veſtigium extat altaris diruti, & combuſti in diebus Achab, cujus in ELIÆ hiſtoria illuſtris fit mentio. Eſtque aræ illius locus circularis quatuor ferè cubitorum diametro. Ejuſdem altaris meminit Balbinus in Epiſtola ad Imperatorem Antoninum.

(f) Dominus eſt Deus. *Sic ſupplex & adorabundus exclamabat populus viſo iſto prodigio, Deum ELIÆ ſolum verumque Deum profeſſus.*

Cur occidi curaverit Prophetas Baal.

93. (g) Jubet ELIAS, comprehendant illos falſos Prophetas: *ut ſcilicet illi idololatriæ cultores, Doctores atque ita ſacrilegi de terra ſublati populum ulteriùs non pervérterent: iſque fuit actus magni Zeli. Hinc S. Baſilius Homilia* 10. de invidia. ELIAS Zelotes quinquaginta ſupra quadringentos turpitudinis Sacerdotes, & quadringentos ſacrorum nemorum comedentes de menſa Jezabel, juſtâ ſapientique indignatione in totius Iſraël utilitatem, ut morte mulctarentur, effecit: *Idq; juſſu Dei, ut ipſe ait*: Iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. *Sic quoque* Moyſes omnium hominum manſuetiſſimus vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Princes juſtâ contra publicè fornicantes irâ, ut oportebat, uſus, protinùs utrumq; trucidavit. Samuel Regem Amalec juſtâ irâ in medium trahens, occidit. *Ita S. Baſilius ibidem.*

94. (i) ELIAS dixit ad Achab: aſcende, aderit ſonus pluviæ. *Pluviam ſuis precibus mox obtinendam ſciebat ex Dei revelatione: idque indicat Achabo.*

Humillima ejus oratio in Carmelo.

(k) Aſcendens Carmelum, & in terram reclinans, poſita facie inter genua *Vt ſcilicet attentiùs & ardentiùs oraret Deum pro pluvia ab eo promiſſa, ut eam ſtatim exhiberet. Hic enim geſtus ſignificabat humilitatem, & attentionem orantis ELIÆ & Dei miſericordiam, toto affectu implorantis. Ita Cornelius in illum locum, & alij*

(l) Cum ſepties rediiſſet, videt nubem condenſari. *Nubem illam typum fuiſſe Virginis Deiparæ, & puritatis ejus, atq; immunitatis à peccato originali tradunt Ioannes Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione primorum Monachorum, aliique alij plures. Vide hic infrà* parte 4. cap. 6.

CAPVT III.

Fuga ELIÆ: *mirabilis viſio in monte Horeb: unctio Hazael in Regem Syriæ, Iehu in Regem Iſraël, Eliſei in Prophetam.*

Iezabel furit in ELIAM.

95. (a) JEzabel autem, ne ſic quidem deſiſtit (a)
ab improbitate, neque vitium omni-
nò dimiſit: quoniam neque Æthiops nigro-
rem, aut Pardus varietates: ſed etiam poſt fa-
ctum miraculum iraſcebatur Prophetæ, & eò
magis, quòd intellexerat ſuos Prophetas, fuiſſe
ab eo interfectos: ei enim inſidiabatur, & mo-
liebatur ei malefacere, minitans ſi eum accipe-
ret, fore ut eum morte de medio tolleret, &
ſicut eorū, qui ab illo fuerant interfecti, illius

Qui fugit in deſertum.

poneret animam. (b) Quid ergo ELIAS? Timet (b)
mulierculam, (ſic enim de eo traditur) ut hu-
manam oſtendat naturam eſſe perturbationi
timoris obnoxiam, neq; ipſe aliud, quàm ſit,
exiſtimetur propter divina ſigna, quæ fecerat.
Quo tempore venit Berſabeæ, quæ eſt terra
Juda, & ambulat iter unius diei per illam ſo-
litudinem. Cumq; fuiſſet defeſſus ex itinere,
ſedit humi, veluti cum Deo miſerè expoſtu-
lans, & dicens: Accipe, Domine, à me animam
meam: quoniam non ſum melior, quàm Pa-
tres mei. Quem cùm corripuiſſet, ſomnus, (c) (c)
dormit jejunus prope quandam arborem. Et
(d) ecce quidam eum tetigit (Angelus autem (d)
Domini miſſus fuerat) & dicit ei: ſurge, &
come-

Ibi ab Angelo cibatur & confortatur.

comede quem ad caput vides ſubcineritium panem: juxta quem eſt etiam vas aquæ, quam bibas. Ille verò ſurrexit & comedit ea, quæ erant appoſita: & converſus, rursùs obdormiit. Rursùs ſecundò Angelus: ſurge, inquit, & iterum comede, grandis enim tibi reſtat via, quam es confecturus. Qui cùm jam co-
(e) mediſſet, & firmus valensque evaſiſſet, (e) permanſit de cætero jejunus totos quadraginta
(f) dies (f) donec venit ad montem Horeb, illic diverſaturus, & Deum compellaturus.

(g) 96. Cùm enim jam illuc veniſſet, (g) factum eſt protinùs ad eum verbum Domini: Quid tu hic agis Elia? veluti eum provocans ad reſpondendum. Ille verò: Zelans, inquit, zelatus ſum pro Domino, quòd te dereliquerunt filij Iſraël; altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut eam à me auferant. Rursùs autem, quæ audita fuerat, vox ei dicit: Cras egredieris, & ſtabis in monte coram Domino (h) Ecce ergo tranſibit Do-
(h) minus: & ecce ſpiritus validus, diſſolvens montes & conterens petras. Non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis; & poſt ignem vox auræ tenuis, & illic Dominus. Hæc cùm audiiſſet Elias, & à ſe veluti diſceſſiſſet (nam vel parva Dei viſio poteſt mentem ſede ſuà dimovere, nedùm talis Dei adventus, & præſentia, ſeu operatio) vultu operto egreditur, & ſtat in oſtio ſpeluncæ. Et vox rursùs extitit, quæ ei reſpondebat, dicens: Quid tu Elia? ſicut prius: Ille verò interno adhuc zelo incenſus, eadem recenſet, quæ priùs fuerat perſecutus: altarium, inquam, deſtructionem, Prophetarum everſionem, ſe ſolum fuiſſe relictum, ſeipſum quoque fuiſſe propemodùm cum aliis interfectum. Cujus animi ægritudinem conſolans, qui eſt dives in miſericordia: Ne putes, inquit, te ſolum eſſe relictum, neque manſiſſe ſolum à malo inta-
(i) ctum. Qui enim apud me manent, (i) numerantur ſeptem millia, qui genu numquàm flexerunt ante Baal, & nec animo, nec corpore tribuerunt ſimulacris adorationem.

Ei apparet Dominus in monte Oreb.

Zelum ſuum pro Dei honore declarat.

97. Poſtquàm autem quæ audita fuit vox,
(k) ad alia convertit Prophetam, nempè & (k) ad ungendum Regem Azaelem illum & Jehu, quin etiam Eliſeum in Prophetam qui etiam illi erat comes futurus: ipſe ea executurus, quæ ei imperata fuerant, abiit eò profecturus. Atque Eliſeum quidem invenit cum
(l) bobus arantem: erant enim ei duodecim juga. In quem (l) cùm injeciſſet pallium, ex ovilla
(m) pelle confectū, is (m) ſtatim omnibus relictis, & domo & agris, & bobus, illum eſt ſecutus, miniſtrans in omnibus, totus toti adhærens.

98 ANNOT (a) Jezabel autem ne ſic quidem deſiſtebat ab improbitate. *Auditis enim mirabilibus per* Eliam *geſtis, ut quòd ignem à cælo ſuper ſacrificium eduxerit, & poſt tantam ſiccitatem, pluviam impetraverit; quod ſummum eo tempore beneficium æſtimari poterat, per illa nihilò melior effecta, ſed è contrariò, & irâ inflammata, ob necem illatam ſuis falſis Prophetis, jurat in mortem ipſius ſancti Propheta* Eliæ, *qui propterea* timuit, & abiit quocumque eum ferebat voluntas.

Cur fugerit à Iezabele.

99. (b) Quid ergo Elias: Timet mulierculam? *Valdè mirum, ait Angelomus, quod* Elias *mira virtutis vir ignem de cælo trahit; quinquagenarios viros cum ſuis omnibus petitione ſubitâ concremavit; verbò cælos pluviis aperit, ſuſcitat mortuos, ventura prævidet: & tamen multò pavore unam mulierem fugit. Quid tàm mirabile! Theodoretus* quæſt. 47. *relatus in Gloſſa* Cur cum tantas habeat vires, ſolam timuit Jezabel? quoniam non ſolum erat Propheta, ſed etiam homo, & alioqui timor erat divinæ diſpenſationis. *Pulchrè ad hoc propoſitum S. Gregorius lib. 8. Moralium cap. 20. ſub iſto titulo.* Quod Deus viſitat hominem, cum in virtutibus provehit, & probat eum aliquando, cùm recedendo concuti tentatione permittit. *Ubi hæc.* Sic & Elias viſitatus diluculò, ſermone cœlos aperuit, & tamen probatus ſubitò, infirmus per deſerta fugiens unam mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium cœlum raptus ducitur, paradiſi penetrans ſecreta conſiderat: & tamen ad ſemetipſum rediens, contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris ſuſtinet, cujus in ſe rebellione fatigari ſpiritûs legem dolet. Diluculo ergo Deus hominem viſitat, ſed ſubitò viſitationem probat: quia & collatò munere ſublevat, & abſtractò, ad paululum, ipſum ſibi hominem demonſtrat. S. *Ambroſius libro de fuga ſeculi cap. 6. ſic de illa fuga;* Fugit Elias mulierem Jezabel, id eſt, effuſionem vanitatis. *Et infrà:* Utique non mulierem fugiebat Propheta tantus; ſed ſeculum. An mortem timebat, qui ſe obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: Recipe animam meam? tædium vitæ iſtius ſuſtinens, non cupiditatem; ſed fugiebat ſecularem illecebram, & converſationis maculoſæ contagionem, & impiæ ac prævaricatricis nationis ſacrilegia. *Ita ferè etiam S. Baſilius Homilia in Gordium Martyrem: de quo ſcribit:* Eliæ Prophetæ ſecutus exemplū; qui cùm Sidoniorum conſpiceret impietatem quotidiè invaleſcentem, in montis Oreb ſpeluncam ſeceſſit, ac ſeſe ab omni humana converſatione, ut Deum quæreret ac videret, abdicavit. Vidit tandem, quantum fas eſt homini mortali. *Cornelius à Lapide* (a) *hanc præcipuam fugæ cauſam aſſignat.* Quòd Elias timeret occidi è Jezabele, non quòd mortē metueret, ſed ne videretur ſuperatus, & victus à Jezabele, & cum ipſo vera Dei religio. Iezabel enim jactaſſet, ſe occidiſſe Eliam, & cum eo ſupplantaſſe Dei fidem, & cultum. Optat ergo à Deo ſibi mortem immitti, ne illa à Iezabele inferatur non tàm ſibi, quàm Dei cultui, & religioni. *Ibidem hanc adfert allegoricam rationem. Quod* Elias *ibi repræſentaverit infirmitatem Chriſti paventis in horto, nec non fugientis ſive ſe abſcondentis, ne lapidaretur.*

(a) In cap. XIX. lib. 3. Regum.

100. (c) Dormit jejunus prope quandam arborem. *Arbor illa erat Iuniperus. Tradunt Patres Iuniperum illam fuiſſe typum Chriſti, ad quam confugere debet fidelis, dum timore, aliâve tentatione impetitur.*

101. (d) Et ecce quidam eum tetigit Angelus. *Iacebat ſub ſpinoſa planta* Elias, *laſſò corpore, deficientibus viribus, nec humanum ſperari poterat ſubſidium: & ecce, Angelus è cælo cibum neceſſarium adfert. Sanè Deus adjutor eſt in tribulationibus, illis, qui in ipſo confidunt: & tunc propior, cùm longiùs abeſſe videntur humana ſolatia.*

102. (e) Permanſit de cætero jejunus totos quadraginta dies. *Totidem diebus jejunavit etiam Moyſes, & poſteà Chriſtus; cujus imitatione Eccleſia inſtituit jejunium Quadrageſimæ. De* Eliæ *jejunio multa ſcribunt Patres, undè quædam adducentur loco opportuniore.* (b)

(b) Part. 5. cap. 4.

103. (f) Donec venit ad montem Horeb. *Horeb idem eſt qui mons Sinai, ubi Moyſi data fuit lex, & cum Deo collocutus fuit, ac Dei pertranſeuntis gloriam vidit. Atque ita ibidem* Elias *pro lege Dei patiens, & pugnans, cum eodem quoque locutus fuit, & Deum conſpexit*

(g) Factum eſt ad eum verbum Domini: Quid hic agis Elia? Ille verò: zelans zelatus pro Domino. *Rationē fugæ reddit Propheta, videlicet zelum divini honoris, quò ſuccenſus, ut tolleretur cultus Baal, falſos Prophetas occidi curaverat, & ideo etiam ipſe quærebatur ad mortem.*

104. (h) Ecce ſpiritus validus, diſſolvens montes. Poſt ſpiritum commotio. Poſt commotionem ignis: *Eadem penè prodigia ibi tunc coram* Elia *acciderunt, quæ olim ibidem facta fuerant coram Moyſe, & populo Iſraelitico, quando data fuit lex. Sequitur:* Poſt ignem vox auræ tenuis: & illic Dominus. *Circa illum Textum, ſcribit S. Macharius* Hom. 6. Ecce, *inquit,* vox auræ tenuis, & in

Cur in voce auræ tenuis Dominus apparuerit Eliæ.

ea

ea Dominus. Liquet ergo, quod quies Domini ſita eſt in pace, & tranquillitate. *Et Tertullianus libro de patientia cap* 15. Sedet in throno ſpiritus ejus (*id eſt Dei*) mitiſſimi, & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilò livet, ſed eſt teneræ ſerenitatis apertus, & ſimplex, quem tertiò vidit ELIAS. *Additur.* Operuit vultum ſuum palliò: *videlicet in ſignum reverentiæ erga Deum, quaſi indignus, qui in eum aſpiceret.*

(i) Numerantur ſeptem millia, qui genua nunquàm flexerant ante Baal. *Dolebat, & conqueſtus erat* ELIAS, occiſos Prophetas Domini, & ſe ſolum relictum: *ſed eum Deus conſolatur, certiorem faciens, relicta ſeptem millia virorum, qui ab idololatria immunes erant.*

105. (k) Ad ungendum Regem Azaelem, & Iehu, quin etiam Eliſeum in Prophetam, *videlicet ut ſint neglecti divini cultûs vindices, Unde in* ELIÆ *laudibus Eccleſiaſtici* 48. *dicitur*: Qui ungis Reges ad pœnitentiam, *id eſt, ad pœnam, & ultionem impiorum. Iſtos autem tres verè & realiter ab* ELIA *unctos fuiſſe, tradit Sanchez in illum locum* (a) *ubi benè ſubdit*: Dicunt aliqui de his unctionibus nihil haberi certum in Scriptura ſacra; neque vident plurima omitti, quæ ſalvâ religione negari non poſſint, cum aliis locis tradita fuerint, aut ſaltem indicata. In his autem unctionibus ſatis eſt à Domino fuiſſe præceptas, ut credamus a tanto viro non fuiſſe omiſſas. *Id peculiariter declarat de Eliſeo, de quo ſubdit*: Unctio igitur fecit Prophetam Eliſeum; pallium autem contubernalem, & monachum.

(a) Sanchez ad verſ. 15. & 16.

(l) Cùm injeciſſet pallium ex ovilla pelle confectum. *Illud pallium eſt, de quo hic ſuprà* parte 1 cap 7. *Erat autem ex ovilla pelle confectum, atque ita albi coloris. Præter illud pallium, & ſubtùs illud habebat tunicam dictam Melotem, de quo ſanctus Paulus ad Hebræos XI.* Circuierunt in melotis. *Vide dicta* parte 1, capite 1, numero 28.

106. (m) Statim omnibus relictis, illum eſt ſecutus. *En exemplum promptiſſimæ, & verè religioſæ obedientiæ Eliſei, dum ad unam* ELIÆ *voculam, aut pallij injectionem ad Dei famulatum incaluit, & patri matrique valedicens, omnia, in proluſionem Evangelicæ paupertatis, abdicavit à ſe, atque contempſit. Sed de his uberiùs in vita ipſius Eliſei.*

CAPVT IV.

Achabo & Iezabeli ob injuſtam occiſionem Naboth, & occupationem vineæ ejus, ultio divina per S. ELIAM *prænunciata. Ochoziæ conſulenti Belzebub mors prædicta: duo quinquagenarij Principes cum ſuis militibus igne cœleſti abſumpti: tertius ob ſuam modeſtiam ſervatus.*

107. NOn parum deindè temporis præterierat, & (a) Rex Achab mente inſatiabili, vineam Naboth petiit ſibi dari ad faciendum hortum olerum. Ille verò non dedit, & quòd eam hæreditatem haberet à parentibus, & quòd tamquàm aliquid magnum, eam poſſideret vineam. Ille verò animi affectus ægritudine, uxori Jezabel renunciat id, quod factum fuerat. Illa verò, ut quæ ſciret & dolos ſtruère, & inſidias componere: Ne ſit tibi curæ, dicit marito: ego enim te Dominum vineæ efficiam, & medebor omninò dolori, quem ex ea re accipis. Scribit autem libellum nomine Achab, & ejus obſignatum ſignaculo: quem mittit ad eos, qui habitabant cum Naboth. Continebant autem ea, quæ ſcripta fuerant, ut & ipſi jejunarent, & in medio populi ſedere facerent Naboth. Deindè (b) adversùs eum duos falſos teſtes producerent, quòd is Deum & Regem benediceret (quod quidem videbatur eis eſſe execrandum) deindè ut lapidibus appeteretur, & mortis ſubiret ſupplicium. Et mali quidem vicini, Jezabelis conſilio, & actum compoſuerunt, & Naboth interemerunt, eum obruentes lapidibus. Poſtquàm autem impudens hæc audivit fœmina, marito dicit: ſurge, & eſto hæres vineæ: mortuus eſt enim Naboth, qui tibi non conceſſit, quod volebas. Achab autem, cùm reſciviſſet interfectum fuiſſe Naboth, dolore affectus, & diſrupit tunicam, & ſe ſacco induit, ſeu verè, ſeu fictè. Non enim receſſit ab ea, quam deſideravit, vinea: ſed ſtatim profectus eſt, ut eam poſſideret, & eandem omninò ſibi adſcriberet, quæ jam propter vineam perpetrata fuerat.

(a)

Iezabelis crudele facinus.

(b)

Achab vineam Naboth occupat injuſte.

108. Sed enim Dominus ſtatim dixit ELIÆ Thesbitæ: Dic hæc Achab, ei factus obviam: (c) quoniam occidiſti, & quæ non eſt fas, poſſediſti, ſcias, quòd in quo loco linxerunt canes ſanguinem interfecti, tuum quoque lingent. Quin etiam in eo lavabuntur meretrices. Et alia prætereà, quæ Propheta ſingulatim perſequitur. Qui quidem, cùm ei occurriſſet, ille, ut qui noſſet cur veniſſet: Num inveniſti me, inquit, inimice mi? Et autem dicit ELIAS: Inveni, quoniam malum feciſti in conſpectu Domini, & provocaſti eum ad iracundiam. Quamobrem exterminaberis, & eris deſertus ſimul cum domo tua, adeò ut omnes intereant, & nullus relinquatur, qui mingat ad parietem. Quin etiam tuum cadaver canes & cœli volucres ſimul edent, & paſcentur devorato ſanguine. Eadem autem, quæ tu, patietur quoque Jezabel; nam præter alia, in propugnaculo exedetur pariter à canibus, ut ſit ejus ſupplicium omnibus manifeſtum. Et Propheta quidem hæc dixit Achab; (d) ille autem cùm audiiſſet, & corde ſauciatur, & ſuam rumpit tunicam, corpus quoque affligens jejunio, & ſe ſacco cingens: quæ erant omnia ſigna internæ animæ compunctionis. Dicit itaque Dominus ELIÆ: Vidiſti quomodò compunctus ſit Achab à facie mea. Non inducam ergo malum in diebus ejus, ſed in diebus filij ejus, Quem cùm ipſe quoq; malus fuerit, & quæ ſunt deteriora, facere elegerit, è veſtigio etiam conſequetur juſtitia.

(c)

Ideo utrique ELIAS *triſtia nunciat.*

(d)

109. Non multum intercedit temporis, & moritur Achab. Imperium autem ſuſcipit ejus filius, qui vocabatur (e) Ochozias, vir impius, & qui Baal habebat pro Deo. Qui etiam, cùm in morbum incidiſſet, miſit ad eum ſciſcitatum, an à morbo convaleſceret: quin etiam (f) ad Myan Deam Actaron, ut ex ea ſciret, an ſanitatem eſſet perfectè recuperaturus. Quod Deus ægrè ferens, jubet ELIÆ, ut dicat iis, qui ab illo miſſi erant: Quoniam Rex veſter, Domino Deo derelicto, miſit ad inanimata de ſanitate, interrogaturus, ſciat fore: ut nec liberetur ab ægritudine, neque deſcendat ab eo lecto, in quo nunc jacet: ſed in eo

(e)

(f)

moriatur,

Duo quinquagenarij igne cœli abſumuntur.

moriatur, & abrumpat animam, ſuæ improbitatis colligens manipulos. Cùm his autem ELIAS in via occurriſſet, & quæ Deus dixerat, ad verbum renunciaſſet, ij reverſi omnia dixerunt Ochoziæ, nihil celantes eorum, quæ
(g) dicta fuerant. (g) Ille verò, cùm de ejus figura & forma, & zona eſſet ſciſcitatus, cognoviſſet autem eſſe ELIAM, (h) mittit ſtatim
(h) quinquagenarium cum iis, qui ei parebant, ut eum comprehenderent, & ad ipſum deducerent. (i) Ille autem cùm veniſſet, & ſolum
(i) in monte offendiſſet: O homo Dei, inquit illi, Rex te vocat: deſcende. Propheta autem:
(k) (k) ſi homo Dei, inquit, ego ſum, deſcendens ignis de cœlo, comedat te cum eo, qui te ſequitur, populo. Et protinùs ignis invadens juſſu viri juſti, omnes ſimul conſumpſit. Ochozias autem rurſùs alium miſit quinquagenarium: qui cùm ipſe quoque renunciaſſet Prophetæ ea, quæ Rex juſſerat, eaſdem quoque ſubiit pœnas, ut qui ipſe quoque fuerit ab igne conſumptus. Sed Rex inſipiens adhuc in ſuo cœpto perſeverabat: necdum ejus coercebatur voluntas. Quocirca nec deſtitit quidem tertium mittere quinquagenarium. Qui cum metu accedens ad Prophetam, illius apprehenſis pedibus, petiit veniam, quòd nolens eò veniſſet, & ei ſignificavit, quòd eum Rex accerſeret, ſupplex petens, ne eaſdem pœnas lueret, quas priores, nec divinitùs immiſſi & ardentis ignis fieret materia. Propheta autem juſſus ab Angelo deſcendere ad Regem, venit ad eum, illæſo conſervato quinquagenario. Cui etiam dixit, ut res ſe habebat: quoniam Deum quidem dereliquiſti, à Baal autem petiiſti auxilium, idolo inanima-
(l) to, & præterea (l) ſciſcitatus es muſcam Accaron, quæ ipſa quoque eſt moleſtum animal, quæ oritur ex ſtercore, ſcias fore, ut non deſcendas de lecto, in quo æger decubuiſti: quod etiam tibi nuper ſignificavi: ſed morte in illo moriaris, ut etiam tibi ſit ſupplicium inevitabile. Et ejus quidem fuit talis vitæ exitus. Tribuum autem quæ erant in Samaria Rex fuit ejus frater Hieroboam, ad quem etiam tranſlatum eſt imperium.

Ochozia idololatra moritur ut prænunciat ELIAS.

110. ANNOT (a) Rex Achab mente inſatiabili, vineam Naboth petiit. *Circa quæ eleganter S. Ambroſius libro de Naboth, ſeu Nabuthe cap. 2. declarans divitum, & ambitioſorum miſeram conditionem*, O dives, *inquit*, neſcis quàm pauper ſis, quàm inops tibi ipſi videaris, qui te divitem dicis? Quantò plus habueris, plus requiris? & quamquam acquiſieris, tamen tibi adhuc indiges. *Et poſt pauca:* Rex Achab in Iſrael erat, & pauper Naboth. Ille Regni opibus affluebat; iſte anguſti ſoli ceſpitem poſſidebat. Nihil pauper de divitis poſſeſſionibus concupivit; Rex ſibi egere viſus eſt, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper eſſe videtur, qui contentus eſt ſuò, an qui concupiſcit alienum?

111. (b) Adversùs eum duos falſos teſtes producerent lapidibus appeteretur. *En mulieris illius Iezabelis crudele facinus; nomine Regis litteras ſcribit, falſos teſtes adornari imperat, atque ita corruptò judiciò Optimates civitatis innocentem occiderunt Naboth, & etiam illius filios (ita notant Sanchez, Cornelius à Lapide, & alij in illum locum) ut ſic deficiente hærede, hæres eſſet Rex. Verè radix omnium malorum cupiditas: & impius, cum in profundum venerit, contemnit; ſed non ELIAS divinam ultionem prævidit.*

(c) Quoniam occidiſti... & poſſediſti,... canes ſanguinem tuum quoque lingent:... Eadem patietur Jezabel. *Quæ poſtea adimpleta fuerunt in Iezabele, ut refertur* lib. 4. Regum cap 9 *Quoad Achab jam dicetur.*

112. (d) Ille (*Achab*) cùm audiſſet, corde ſauciatur &c. *Achabi pœnitentiam veram & ſeriam fuiſſe cum dolore ob Deum offenſum cenſent S. Chryſoſtomus, Abulenſis, Sanchez, & alij nonnulli. Servilem duntaxat, & imperfectam fuiſſe magis placet Lyrano Cajetano, Cornelio, &c. utut ſit ea ſic Deo placuit, ut mox ELIÆ dixerit:* Vidiſti, quomodo compunctus ſit Achab &c. *Et partem de minaci vaticinio remiſerit, ut proptereà S Hieronymus* Epiſtola 30 *ad Oceanum agens de Achabi pœnitentia, exclamat de ea:* O felix pœnitentia, quæ ad ſe Dei traxit oculos; quâ furentem Dei ſententiam conſciso errore mutavit. *Pœnitentia ejus.*

(e) Ochozias vir impius. & qui Baal habebat pro Deo, *ſecutus exemplum parentum Achab & Iezabelis.*

113. (f) Ad Myan deam Accaron: *Dea Accaron Mya Latinè muſca, ſeu Myodes nuncupatur, de qua mox plura.*

(g) Ille cum cognoviſſet eſſe ELIAM: *ſcilicet ex deſcriptione Habitûs valde à cæteris diſtincti, Religioſi ſcilicet, ſeu Eremitici ex vili materia. Vide hic ſuprà* parte 1. capite 7.

114 (h) Mittit quinquagenarium, ut eum comprehenderent, *ad Regem deducturi invitum, & violenter, ſi ultrò non veniret, ut funeſti oraculi rationem redderet, & pœnas lueret. Ita communiter Interpretes in illum locum, & Ioſephus* libro 9 *Antiquitatum* cap. 1.

(i) Ille autem cum veniſſet, & ſolum in monte offendiſſet. *In ſacro Textu habetur:* Sedentique in vertice montis. *Ad quæ verba ſcribit Fernandez* viſione 9. Omnes interpretes per montem accipiunt Carmelum & cùm dicitur ibi ſedere, non intelligitur ſimplex ſeſſio, ſed permanſio habitationis ex more linguæ. *Quòd Carmelus primaria S. ELIÆ, & diſcipulorum ejus fuerit manſio dicitur in ſequentibus.*

115 (k) Si homo Dei ego ſum, deſcendens ignis de cœlo, comedat te. *Circa iſta ſic Abulenſis:* ELIAS oravit venire ignem de cœlo ſuper iſtos, a Deo motus ad hoc. Fuit autem motivum; quia iſti viri erant mali, & peccaverant in idololatria, & in multis aliis: Deus autem volebat eos occidere, & ad hoc movit ELIAM, ut oraret pro occiſione illorum. *Et Sanchez:* Fecit hoc non tam ſuo inſtinctus ſpiritu, quàm divino quod ſatis Dominus probavit, cùm ſtatim cohors illa cœleſti conflagravit incendio Quod ſanè Deus non feciſſet tam prompto, horribilique ſucceſſu, niſi ad illius aures grata acceſſiſſet ELIÆ deprecatio. Voluit autem Deus hoc loco oſtendere, quam amaret impensè, & quo in numero & pretio haberet ELIAM, cùm ad illius preces immittere voluit, & ſedare malum. *Ibi conſequenter uterque Auctor declarat pleniùs quòd S. ELIAS ſpeciali Dei juſſu, ſeu inſpiratione ignem de cœlo evocaverit: atque ita alio ſpiritu, & intentione quàm Apoſtoli Iacobus & Ioannes volebant ignem deſcendere ſuper Samaritanos, ex aliquo vindictæ ſpiritu, quos proptereà reprehendit Chriſtus. At ELIAS id petebat optabatque, quod revelante ſpiritu Deo placere cognoverat; imò, ut ea oraret in mandatis habebat, nihil de vindicta cogitabat, aut meditabatur aliquid indignum eo, quo intùs afflabatur ſpiritu. Eô prorſus modô, quô Apoſtolus Petrus mortem eſt imprecatus Ananiæ. Ita ipſi in eumdem ſenſum ſcribunt in illum textum Eſtius & alij, atque etiam S. Auguſtinus de ſermone Domini in Monte* Reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ ſancti, ſed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, *inquit.* *Dei juſſu ſeu in precatione quinquagenariis duobus maledixit.*

116. (l) Sciſcitatus es muſcam Accaron. *Erat igitur in Accaron idolum in muſcæ ſimilitudinem expreſſum, ſicut indicat S Gregorius Nazianzenus oratione 4. in Iulianum:* Nec muſcam querent, *inquit*, Deum Accaron. *Idem tradit Theodoretus quæſtione 3. agens de Moabitarum idolis,* Quid muſcâ odioſius? Sed tamen & ejus ſimulachrum Deum dixerunt: & Deo qui verè eſt Deus, relicto, muſcæ ſimulachrum de vita ſciſcitabantur, & quam viventem flabellis expellunt, ejus figuram Deum appellarunt *O ſtupenda & miſera humanæ mentis cæcitas. Sic etiam alij Gentiles vilibus & immundis* *Muſca Dea Accaron.*

mundi beſtiolis nomen, & honorem Deorum tribuiſſe conſtat: & quidem talpis, & veſpertilionibus divinum fuiſſe impenſum honorem teſtatur Iſaias cap. 2. Similis modo Ægyptij Apin Deum bovis capite & ſpecie, Annubin canis, Hammonem Arietis, vel, hirci, Æſculapium ſerpentis, alios Deos & idola leonis, equi, aquilæ, & avium forma finxerunt, & coluerunt. Sic & Deus Accaron caput, ſeu ſimilitudinem muſcæ habebat. Hinc Philaſtrius hæreſi 13. Accaronitas nuncupat Muſcaccarotas *ſeu* Myiaſtas *id est, muſcæ adoratores, & Deus Accaron, Beelzebub* Myiodes *&* Myiagrus *(ſeu ut habet hic Metaphraſtes* Mya *vocabatur, id eſt, Deus muſca, ſeu muſcarius, & everſor muſcarum, quibus Accaronitæ plurimum incommodabantur, & ideò iſtum Deum, ſeu Deam colebant.*

Ideò Accaronitæ vocati muſcæ adoratores

CAPVT V.

S. ELIÆ *pallio aquæ Iordanis diviſæ: reliqua ejus geſta & præconia compendio tradita.*

ELIAS manſit ſibus Prophetarũ; ſicco pede tranſit Iordanem.

117. Sed enim ELIAS qui abhinc verſabatur cum Eliſeo, quem etiam, ut dictum eſt, divino reſponſo unxit in Prophetam, erat deinceps cum illo, ſub eodem tecto ſimul, & eodem utens vitæ genere, & omninò inſeparabilis. Cùm autem eſſet igneos currus mox aſcenſurus, & cum eo, quod deorſum deprimit, pondere ad ſuperos venturus & aſſumendus, jam tandem tranſiens Galgala, & in Bethel venturus, ut cum ſe ſolo & Deo verſaretur, (a) jubet Eliſeo manere in Galgalis. Ille verò non parebat ei, nequè ab eo recedebat: ejus enim ſermones eum ceperant, & planè vinctum tenebant. Quamobrem invitus quidem, ſed eum tamen ſecum aſſumit ELIAS. Qui cùm ambo veniſſent in Bethel, & dies aliquot in eo loco ſimul verſati eſſent, rurſuſque ſtatuiſſet ELIAS ire Hiericho, iterùm præcipit Eliſeo, ne veniat cum ipſo. Ille autem, ſicut priùs, parére noluit, fuitque firmo & conſtanti animo, ut qui ſentiret ſe futurum quodammodo dubium & ancipitem, ſi ſe ſenſiſſet ſeparari à magiſtro. Quocircà cùm is neſciret, quid ageret, concedit ut ſecum rursùs veniret: quos etiam (b) ſequebantur alij quinquaginta. Ii verò erant Filij Prophetarum. Poſtquàm autem ELIAS appropinquavit Jordani, qui eò, quòd eſſet maximus fluviorum, & inſtar maris inundaret, non poterat tranſmitti: eum (c) cùm percuſſiſſet pallio, & in duas partes diviſiſſet, ſibi & Eliſeo iter reddit expeditum, & aridam facit eam, quæ eſt humida. Qui poſtquàm trajecit, pete, ait Eliſeo, quod vis tibi faciam, priuſquàm à te aſſumar. Ille autem dicit ei: (d) Fiat duplex ſpiritus tuus ſuper me. Is verò dixit: fuiſti durus in petendo: pro eo, quod eſt: fuit magna & difficilis tua petitio, & quæ non facilè poteſt concedi: attamen ſi videris me aſſumi, erit tibi ſicut petiiſti, ne ſit tua fides hebetior. His autem adhuc ambulantibus, & ſimul colloquentibus, (e) ecce currus igneus & equi ignei, & diviſerunt eos à ſe invicem. Et cùm currum aſcendiſſet ELIAS, aſſumptus eſt in cœlum in commotione, & quo nemo alius aſcenderat cum corpore: (f) conjunctam enim carnem non amiſit, ſed adhuc cum ea vivit.

Raptus ELIÆ mirabilis.

ELIÆ pallio Eliſeus Iordanem dividit.

118. Cùm eum autem vidiſſet Eliſeus aſcendentem: Pater mi, clamabat, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs: & dolore affectus, apprehendit veſtimenta ſua, & ea diſcidit. ELIAS verò pallium ſuum ad eum ex alto dejecit, ut vel ipſum videns acciperet conſolationem, & per ipſum faceret, quæ vellet. Poſtquàm enim illud accepit, reverſus ſtetit in margine fluvij. Et cùm non poſſet trajicere, percuſſit aquas pallio, imitans magiſtrum, & aquis ſtatim diviſis, per aridam tranſit in humida, ſicco pede præteriens Jordanem. Quem cùm, qui erant in Hiericho, ſic vidiſſent tranſiniſſe, dixerunt: (g) Revera quievit ſpiritus ELIÆ ſuper Eliſeum. Scit enim ille vel aſſumptus magna largiri iis, qui ei germanè & ſincerè adhærent, quoniam ille à Deo accepit omnium maxima, & quæ nullus alius. Cui enim conceſſum fuit cœlos claudere, aut aperire? Cui aquam continere, aut unquam deferre in terram? Cui aquâ excitare ignem ad ſacrificium, & id cum aqua conſumere? Quis alio igne binos urit quinquagenarios ad arguendum ſcelus? Quis ardenti zelo interficit Prophetas dedecoris, propter ea, quæ colebant, ſimulachra? Quis (ne multa dicam) Deum vidit in aura tenui, cùm inediâ ſe priùs attenuaſſet? Hæc enim omnia ſunt ſolius ELIÆ, & ejus, qui erat in eo, ſpiritûs.

Compendiũ ſingulariſſimorum privilegiorum ELIÆ.

119. Quæ ſunt autem majora, prætermiſit oratio, ne videretur dicere, quæ ſunt incredibilia, & à vulgo minimè admittenda. Qui (h) ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, ſed aſſumptus manet expers ſenij, qui, ut arbitror, (i) unà verſatur cum Angelis, quorum incorruptionem & materiæ vacuitatem per puram vitam eſt imitatus. De quo maximè à Davide quoque dictum eſt, (k) longitudine dierum eum eſſe impletum, & Dei ſalutare ei eſſe oſtenſum. Etenim is etiam cernitur in transfiguratione vultum Dei nudum adſpexiſſe, ſtans facie ad faciem. Porrò autem etiam in fine ſæculorum, quando Dei adveniet perfectum ſalutare, ipſe Deum venientem prædicabit ante alios, & aliis oſtendet ſcilicet, & multis divinis ſignis diem, qui eſt occultus, confirmabit & patefaciet. Cui nos etiam parati occurramus hunc diem habentes admirabilem, nobis complanantem eam, quæ ad illum ducit, ſemitam, & ad cœleſtia deducentem tabernacula: In Chriſto Jeſu Domino noſtro: cui gloria & potentia nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

120. ANNOT. (a) Jubet Eliſeo manere in Galgalis: *dicebat enim, ut habet Sacer Textus:* Sede hic. *ELIAS ex modeſtia & humilitate voluit occultare ſuum raptum, ideoque Eliſeum à ſe dimittere. Dona enim Dei, quæ pertinent ad aliqualem, inquit Abulenſis, perſonæ excellentiam, occultari debent, ne homines videantur in iis gloriari, quia Dei eſt ea manifeſtare, ut hic manifeſtavit raptum ELIÆ per Filios Prophetarum. Quocircà ELIAS non tam præcipit, quàm hortatur Eliſeum dicens:* Sede,

id

id eſt, mane hîc: non eſt neceſſe, ut me comiteris. Ita Cornelius à Lapide ad illa verba. Sed iſta typicè præſignaſſe Chriſtum, & Apoſtolos tradit Dionyſius Carthuſianus: Quemadmodùm, inquit, inſtante ELIÆ *translatione ivit ipſe cum Eliſæo, & viſitavit ſuos diſcipulos ſic Salvator paſſione ſua inſtante, aſſiduè adfuit ſuis Apoſtolis, perambulavitque Hiericho, & viſitavit Bethaniam. Et ſicut Eliſæus chorum præfigurans Apoſtolorum nequaquàm conſenſit ab* ELIA *nondùm tranſlato ſeparari, ſic beati Apoſtoli de ſeparatione Chriſti ab eis per paſſionem nec audire, nec intelligere aliquid potuerunt.*

121. (b) Sequebantur alii quinquaginta: Ii autem erant Filij Prophetarum. *Inde patet, Filios Prophetarum diſcipulos* S. ELIÆ *fuiſſe numeroſos, prout latiùs in ſequentibus; ubi declarabitur, iſtos à* S. ELIA *in vita Religioſa inſtructos, in obſervantia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſimul conventualiter vixiſſe.*

Qualiter ſicco pede ELIAS *& Eliſeus Iordanem tranſierunt.*

(c) Cum percuſſiſſet pallio, & in duas partes diviſiſſet: *ſcilicet percuſſit Iordanis aquas palliô involutô, velut ſi percuteret eas baculô, ad hoc, ut dividerentur.* Quæ diviſæ ſunt in utramque partem: *ſcilicet, quædam ſteterunt ad partem ſuperiorem, ſcilicet illæ, quæ fluebant de fonte Iordanis à parte Aquilonari, & aliæ longè receſſerunt, ſcilicet, quæ erant à parte Meridiana, & relicta eſt magna latitudo tranſitûs per alveum fluvij.* Et tranſierunt ambo per ſiccum, *ſcilicet diviſis aquis tranſierunt* ELIAS *& Eliſeus per alveum Iordanis ſiccum. Et in hoc fuit etiam aliud miraculum, quia non ſolum aquæ diviſæ ſunt, ſed etiam Deus ſubitò deſiccavit alveum fluvij, quia aliàs eſſet terra lutoſa, & non convenienter tranſirent per illam* ELIAS *& Eliſeus. Sic etiam fecit Deus, quando Iſraëlitæ tranſierunt per mare rubrum.*

122. (d) Fiat duplex ſpiritus tuus ſuper me. *Spiritum duplicem habuit* ELIAS, *id eſt ad duo, ad prophetiam, & ad miracula. Ita Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ in illum locum, & paſſim alij. Sed plura circa hoc in ſequentibus, præſertim in vita S. Eliſei.*

(e) Ecce currus igneus, & cum currum aſcendiſſet ELIAS, aſſumptus eſt in cœlum. *De raptu S.* ELIÆ, *& de loco, ad quem tranſlatus eſt, peculiariter tractabitur parte 3.*

(f) Conjunctam carnem non amiſit: ſed adhuc cum eâ vivit. *Ita Patres alij, qualem autem vitam ducat, dicetur* parte 3. cap. 4.

ELIÆ ſpiritus duplex in Eliſeo.

(g) Reverà quievit ſpiritus ELIÆ ſuper Eliſeum; *ſeu ut in Eccleſiaſtico legitur cap.* 48. In Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus. *Id novum, & magnum eſt* S. ELIÆ *encomium, quod ſcilicet tanti fuerit zeli, ut is non ſolùm ad præſentes, ſed & abſentes, ac futuros ſeſe extenderit, quodque rapiendus in cœlum, eum tranſtulerit in Eliſeum, ut is quaſi ſui Vicarius verum Dei cultum tueretur, certaretque contra idololatras, ac Iſraëlem in Dei religione, & pietate conſervaret. Quâ in re* ELIAS *fuit typus Chriſti, qui abiturus in cœlum Apoſtolos ſpiritu ſuô imbuit, ut Eccleſiam à ſe inchoatam promoverent, & per totum orbem propagarent. Porrò* ELIAS *communicando ſuum ſpiritum nihil de eo deperdidit, ſicut qui ſuâ face facem alteri accendit, nihil deperdit, ſed potiùs ſuum lumen multiplicat, & adauget: & qui charitatem ſuam, ac zelum aliis inſpirat, eum non minuit, ſed intendit. Ita Cornelius à Lapide in caput 48. Eccleſiaſtici.*

123. (h) Ne in hodiernum diem mortis fecit periculum; Manet expers ſenij, nec morbo, nec ſenectute deficit, *ut inquit S. Auguſtinus infrà referendus. Atque ita eſt ſenex ſine ſenio, mortalis ſine morte. Sed de his plura in ſequentibus. Porrò* S. ELIAM *mortem penitùs evaſiſſe cenſent varij apud Camartum* (a) *ex S. Hieronymo,* (b) *Aſt eum in mundum rediturum, & martyrium atque ita mortem ſubiturum certa eſt ſententia.* Vide infrà parte 4. capite 1 & 2.

(a) De S. ELIA cap. 3. ſect. 16.
(b) Epiſt. 152.

124. (i) Unà verſatur cum Angelis; *nam frequenti Angelorum viſitatione fruitur. Nonnulli autem exiſtimant ipſum cum Angelis in cœlo eſſe empyreo. Sed de loco, in quo nunc degit peculiariter diſſeretur in ſequentibus* parte 3. cap. 3. *ſicut & de hoc:* In fine ſæculorum prædicabit *parte 4. capite 2.*

125. (k) Longitudine dierum eum eſſe impletum, & Dei ſalutare ei eſſe oſtenſum. *Per hoc Auctor videtur innuere,* ELIAM *frui Dei viſione; nam ex mente paſſim omnium Interpretum, per* longitudinem dierum, *& ſalutare Dei, intelligitur cœleſtis gloria, in Dei intuitiva cognitione conſiſtens. Alios quoſdam ex antiquis, & recentioribus* ELIÆ *attribuentes Divinitatis intuitionem, refert Sanctius in* caput 2. libri 4. Regum. *Sed de his pleniùs in ſequentibus.*

Epitaphium S. ELIÆ,

Seu potiùs Elogium: utporè adhuc viventis, ad limen Carmelitanæ ſpeluncæ appendendum. Ex veteris Teſtamenti Annaliſta Jacobo Saliano *Tomo* 4. *Annalium, ad annum mundi* 3139.

Elogiorum S. ELIÆ compendium.

126. H*Anc aliquando ſpeluncam incoluit, viator, qui præter naturæ ordinem factus eſt paradiſi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus: magnum illud Prophetarum lumen* ELIAS *Thesbites, in veſte cilicina, in horrido ac neglecto capillo, in prophetico pallio, in melote, pelliceaq́ue zona. Hoc ille ſolum rigabat lachrymis, has tenebras divinarum illuſtrationum copiâ efficiebat illuſtres: ipſum denique informe, olidumq́ue antrum, precum ſuarum balſamo reddebat odoratum. Hîc ſpiritum fervoris vates hauriebat, quo decem Tribus ſacrilegæ impietatis reas, duorum & 40. menſium ſterilitate afflixit: quo impuriſſimæ vanitatis Architectos, Magos, Ariolos, Pſeudoprophetas, præſtigiarum convictos, ad octingentos & quinquaginta morti dedit: quo profanum ipſum Regem, in ſuam perniciem conjuratum, increpuit palàm; & verborum pondere afflictum, ad ſaccum & cineres, infimamq́ue compulit humilitatem. Hic ille eſt* ELIAS, *qui 40. dierum continenti jejunij proluſione uſus, ad bis mille quingentos & triginta quinque annos, jugem ad hanc diem, ac perpetem, cibi potúsq́ue abſtinentiam protraxit: ad illamq́ue protrahet diem, quo poſt rigata mortalium corda, tot menſium curriculo, quot olim terram ſterili ſiccitate damnaverat, in conſpectum ſe dabit omnium importuniſſimi, cruentiſſimiq́ue tyranni Antichriſti. A quo cum conſorte prædicationis Enocho, morti datus, poſt triduum redivivus recipietur in cœlum.*

127. *Hic eſt qui medios inter ſonora tempeſtatis fragores, & concuſſos, flagrantesq́ue in Horeb monte, ſuaviſſimæ auræ ſibilum, operto vultu pallio, attentus excepit: qui Reges unxit, ac Prophetas vindices injuriarum Dei: qui corda filiorum convertit ad Patres, imò ad omnium parentem Deum: & per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum & Religioſorum in Carmelo, totaq́ue Chananitide manipulos, ſui æmulos atque imitatores inſtituit, ad cœleſtem vitam, mundo ignotam, ac contemptam, traducendam adduxit, tot ſæculis ſuarum precum, quaſi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumq́ue varietates, conſtantes reddidit magni ſui Patriarchæ ſectatores. Abijt ab hominibus Ioſaphati Regis Iuda anno decimo nono, mundi ter milleſimo centeſimo undequadrageſimo. Poſt Enochi tranſlationem bis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo.*

VITÆ S. P. ELIÆ
PARS TERTIA

S. ELIÆ triumphalis, raptus, locus, & ſtatus ejus adhuc viventis, cultus, & efficacia patrocinij.

CAPUT PRIMUM.

S. ELIAS *diſcipulos ſuos per varia Collegia multiplicatos ante raptum ſuum viſitat, & in Eremiticæ vitæ Inſtituto confirmat.*

ELIAS viſitat diſcipulos ſuos.

128. F*Actum eſt autem, cùm levare vellet Dominus* ELIAM *per turbinem in cœlum, ibant* ELIAS *& Eliſeus de Galgalis.* Ita *libro 4. Regum cap. 2.* Ibi conſequenter refertur, quòd de Galgalis proceſſerint in Bethel, & indè in Jericho: priùs autem venerant de Carmelo in Galgala viſitando filios Prophetarum diſcipulos ſuos, in iſtis locis ſimul habitantes in Collegiis, de quibus, & illa viſitatione hæc habet Cornelius à Lapide in dictum locum: *Multa jam erant collegia in Galgalis, Bethel, Iericho, Carmelo &c. ab* ELIA *& aliis inſtituta, ideoq́;* ELIAS *ante raptum ea hîc viſitavit, ut ſuos alumnos in vera fide, & aſpero vita eremitica inſtituto confirmaret, ultimaq́; ſalutis & perfectionis monita eis daret, & Eliſeum ſucceſſorem ſuum promulgaret. Exhortationem* ELIÆ *ad eos graphicè hîc repræſentat Salianus. Porrò inter eos erant aliqui veri Prophetæ, qui hîc raptus* ELIÆ *revelationem à Deo acceperant, eamq́; Eliſeo, & aliis revelarunt.* Cur ELIAS per illa loca diſcurrerit, hanc, inter alias, rationem Toſtatus *quæſt. 13. in cap. 2. libri 4. Regum,* aſſignat: *Quia* ELIAS *erat Princeps Prophetarum omnium, qui erant tempore ſuo, & iſti erant commorantes per collegia ſicut viri religioſi ſimul. Voluit autem* ELIAS *viſitare nunc iſta tria collegia Prophetarum, quia ex quo nunc recedebat ab eis, volebat commendare ipſis aliqua, quæ facerent.*

In variis collegiis habitantes.

129. Ex præfata autem Saliani exhortatione eleganti, utiliter quædam hîc attexenda videntur: *Priuſquàm autem* (inquit, referens verba Joannis Ieroſolymitani) ELIAS *ab hoc mundo transferretur in Paradiſum voluptatis, fuit ei cura, imminente tranſlatione, Monachos Filios Prophetarum diſcipulos ſuos, ſigillatim viſitare, & de patre idoneo eis providere, qui eos omnes generaliter ejus loco regeret & gubernaret. Propter quod deſcendentes, ipſe & Eliſeus, de monte Carmeli venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & inde in Iericho. Nam in his locis habitabant viri religioſi, filij Prophetarum,* ELIÆ *diſcipuli: quos ipſe viſitans commonuit, ut de imminenti ejus corporali abſentia, triſtes non fierent. Sed nimirùm in adjutorio Altiſſimi, ut monet Regius Vates, habitarent, & in protectione Dei cœli commorarentur. Ipſis eum deinceps non defuturum; præteritorum enim experientiam, quid de futuris ſperandum eſſet, ſatis docere ſapientes.* Conſequenter orditur commonitionem, ſeu concionem ELIÆ ad ſuos: *Meminiſtis, ait, quanta tempeſtatis procella in nos, ante aliquot annos concitata fuerit ab Achabo Rege, dum in pœnam peregrini cultûs idolorum, Deus illi me denunciare juſſit ſiccitatem, indeq́; ſecuturam famem. Sed irritus fuit hic ejus conatus, Domino me ad torrentem Carith occultante canibus hiſce venaticis, humaniſſimeq́; protegente: atque adeò perpetuis prodigiis ſuſtentante. Cujus rei conſcij ſunt nonnulli veſtrûm, qui ad me tunc, metu illorum temporum confugiebatis, ne vos inundantis idololatriæ torrens violenter abriperet, ac diſſiparet eos, qui uno jam tum ſpiritu ac voluntate regebantur, & communem nobiſcum vitam, in religioſo Dei famulatu ambiebant. Quidni confidatis in Domino, Filij Prophetarum, quamvis ſpirante adhuc, ac rugiente immani illâ beſtiâ interfectrice Prophetarum, filij mihi longè cariſſimi, quos Deus ad gloriam ſui nominis convocavit, ut dies noctesq́; laudes ejus, ore manuq́; decantaretis. Num memoriam depoſuiſtis temporis illius, quo quinquageni in ſpeluncis latitantes, dum detonaret à Iezabela tempeſtas, à divina providentia veriùs multò, quàm Abdiæ benignitate protecti, ac nutriti fuiſtis, ut cæteris fame tabeſcentibus, nihil deeſſet vobis.*

Hortatur ad virtutes.

130. *Eliſeo diſciplinæ religioſæ præpoſito, ac magiſtro ſecundùm Deum obtemperabitis, quicumq́; in Carmelo, & in Bethele, & in Galgalis, & in Najoth, & ad Iordanem, & in Gabaa, cæteriſq́; locis divinæ militiæ, & religioſæ profeſſioni nomen dediſtis. Primum autem illud eſſe cupio ſive in mandatis, ſive in admonitionibus meis, ut omnem idolorum ſpurcitiam deteſtati, unius veri Dei cultum fideliter, conſtanterq́; amplectamini; illius legem, ceremonias, atque judicia, ſanctè, integrè, inviolatèq́; cuſtodiatis. Ab eo promiſſum in lege Meſſiam, cujus nonnullam nos quoq́; figuram geſſimus, ſingulari fide ac devotione, conſtantiâ, charitate, deſiderio præſtolemini, & intimis quotidiè precibus, more majorum à Deo flagitetis. Habete ergo in eo ſpem ſalutis veſtræ repoſitam, proq́; ejus accelerando adventu Deum indeſinenter precibus fatigate. Credo enim fore ut non deficiat in vobis, poſteriſq́; veſtris obſervationis ſancta propoſitum, donec veniat is, qui eſt expectatio gentium. A quo nova fient omnia; à quo ſtudium voluntariæ paupertatis, illibata caſtimonia, & obedientia ſpontè ſuſcepta mirabilia accipiet incrementa, adeò ut fervor vitæ arctioris, qui nunc paucis quibuſdam unius provinciæ oppidis, deſertiſq́; locis continetur, longè ſe indè lateq́; fundat, quacumque orbis terrarum patet.*

Obedientiam.

Verum Dei cultum.

131. *Pleriq́; invias, ſqualenteſq́; ſolitudines incolent, in quibus oberrabunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erit mundus, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ; ibi in ſepulchris, quaſi mortui ultrò condentur, & aurea cœlorum palatia, anguſtis carceribus mercabuntur. Alij communem in civitatibus, & cœnobiis vitam adamabunt, ut ſanctis ſociorum exemplis, ad omnem virtutem, eorum induſtria acuatur: ut tàm propriæ, quàm proxi-*

Ad religioſæ diſciplinæ perſeverantiam.

proximorum profectui, & commoditatibus ſerviant, & mutua inter ſe charitate devincti, illud regij Prophetæ oraculum incredibili animi exultatione decantare poſſint. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. *Hi ergo ſolitudinem in hominum frequentia reperient, & contemplationem cum actione attemperabunt; ut ubi ex divino fonte hauſerint in Eremo, eructent in populis ad eorum ſalutem. O quando exorientur aurea illa tempora, quoniam viſio in multis adhuc propagabitur dies.*

Supremæ ejus verba. *Vos autem filioli, quos poſtremum alloquor, ea quæ dixi vobis, in altum pectus dimittite, religioſam humilitatem diligite, corporis animiq; feroces, ac turbulentos motus, ſpiritûs fervore compeſcite, linguam cohibete. Mutua inter vos charitate, benevolentiâq; certate, pietate in Deum, & obſervantiâ apud præpoſitos, & majores natu, bono deniq; adverſus omnes exemplo.*

132. Hactenùs Salianus, addens: quòd *quæ cùm ſanctus Propheta, aut his potiùs multa meliora, fortioraq; dixiſſet, in amplexus ſingulorum ruit, eiſq; tanquam Dei Vicarius, atque amantiſſimus Pater, divinam benedictionem impertitur.* Salutatis ergo diſcipulis, qui erant in Carmelo, Galgalis, Bethel, & Jericho ELIAS & Eliſeus *ierunt ambo pariter*, versùs Jordanem: qui tactû pallij diviſus fuit in duas partes: ſicque pedibus ſiccis tranſierunt, ut jam antè dictum fuit.

CAPUT II.

Mirabilis S. ELIÆ *aſcenſus, in curru igneo ex ſacris Litteris & ſancto Chryſoſtomo.*

133. IN ſacro Textu ſic paucis traditur S.
ELIÆ triumphalis raptus, ELIÆ raptus: *Cumq; pergerent, & incedentes ſermocinarentur* (ELIAS ſcilicet & Eliſeus) *ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumq;: & aſcendit* ELIAS *per turbinem in cœlum: Eliſeus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga ejus. Et non vidit eum ampliùs: apprehenditq; veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et levavit pallium* ELIÆ, *quod ceciderat ei.* Cauſam tanti prodigij hanc aſſignat S. Ambroſius: *Meritò, ait, illum,* ſcilicet ELIAM, *dignum cœlo divina judicavit ſententia, ut cum ipſo raperetur corpore, quoniam cœleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſuperna uſum converſationis exhibebat in terris.* Servo ſuo Moyſi *apparuit Deus in flamma ignis.* Exodi 3. ſic Deus honoravit ELIAM, ut inter ignes intactus, ac cuſtoditus pergens in cœlum appareat, ut Dei gratia veluti cujuſdam divini ſimulachri umbram, ac ſuſpicionem præbere valeat.

eleganter à Chryſoſtomo deſcriptus. 134. De triumphali illo in cœlos raptu ELIÆ eleganter S. Chryſoſtomus *Homilia de Aſcenſione* ELIÆ iſta: *Apud quoſdam veteres reges moris erat, ut ſi quis fortiter pro rege feciſſet in bello, & corpus & animam periculis objicere non timuiſſet, curru, atque aliis regiæ dignitatis inſignibus donaretur. Igitur reges terreni atq; mortales ita ſibi devotiſſimos remunerare conſueverunt. Quantò magis omnipotens Deus, quia Rex regum, & Dominus Dominorum eſt,* ELIAM *ſuum tota ſe corporis & animæ devotione zelantem, poſt multorum laborum ſudores, poſt dirarum perſecutionum graviſſimas fatigationes, poſt tantorum bellorum magnas illuſtresq; victorias, optima de mundo, & diabolo ſpolia referentem igneo curru, atq; equis flammantibus impoſitum triumphali gloriâ præfulgente ad ſua regna voluit pervenire.*

135. *Oportebat namq; errantis populi rectorem, gubernatorem ſacrorum, moderatorem diſcrepantium voluptatum, Iſraëlis aurigam, qui ad jugum timoris Dei, quoniam ad laſcivos, & vagos animos revocavit, frænis, loriſq; adſtrinxit, & ad iter diſciplinæ recto tenore currendum, concordi quâdam copulatione compoſuit, ad regna cœleſtia curru atq; equis tranſvolaret erectus. Hinc Poëtas, atque pictores in figuranda Solis imagine exempla credo ſumpſiſſe. Qui curru atq; equis fulgentibus ipſe rutilans, atque radians, & fluctu Oceani ſublevatus inter præruptos montium ſcopulos evadens quaſi ad cœleſtia videtur aſcendere in ſimilitudinem luminis ejus indutus. Sol enim Græco ſermone Helios appellatur. Undè* ELIAS *verè Helios, quoniam curru, atque equis fulgentibus igne de oceani fluctu, id eſt, de mundi commotione: per montium ſcopulos, id eſt, per magnorum laborum difficultates progrediens ad cœleſtia devectus aſcendit. Hinc cœleſtis ignis non modò currum quadrigarum ſubpræbuit ad ſuperna, verum etiam juſſu ejus objectus ſæpè monſtratur. . . .*

Notabile de curru igneo.

ELIAS *verè* HELIOS, *id eſt Sol.*

136. *Igitur poſtremò currus ignei ſimul & equi provecturum de ſeculo Prophetam præſtolantur intenti. Qui opifex hunc currum, quæ manus illas rotas in orbis volumine circumegit, temonem protendit, jugum inſuper aptavit, cæteraq; compoſuit, cùm materies omnium unus ignis arderet? Quæ regio illos equos, quâve ſtirpe progenitos, quorum natura ignis deſtinavit? Si animalia dixeris, ignis occurrit: ſi ignem credideris, forma ſe animalis opponit. Aliud tibi forma, aliud tibi natura demonſtrat. Si animalia contrectare velis, ignis urit: ſi ignem refugis, animalia non credis. . . .*

De equis igneis & auriga.

137. *Quis hos ad* ELIAM *perduxerit equos, quis illis tam ſubitò curſum ſtatuit, quis iter ſuum in aere currentibus demonſtravit, quò currum dirigerent, ubi aer ille onus exponeret, nullus omninò præterquàm qui ſapit: ſoli autem equi ſubitò venerunt,* ELIAM *ut viderunt, ſubſiſtunt, & ut aſcenſuro currum præberent, terga ſpontè convertunt. Statim verò pio onere ſuſcepto, in auras ventoſq; proſiliunt, & rapidis per inane paſſibus aeris ſpatia corripiunt. Hoc illis aer, quod campus erat: hoc inane, quod terrenum: quod dicas, an aliter dicas. Ubi rogo alternos figunt pedes, dum citis ſaltibus glomerant curſus? quod eſt in aere ſolum, quod duro calcibus cornu feriunt? Ubi rotarum inſtabilis illa ſic currit inverſio, ut impetu globoſo continuò in ſemet volubilitate redeunte, radiorum tibi diſcrimine velox vertigo confusâ luce ſurripiat, ut omninò dubitare poſſis, an currant? Mirum proſus, & incredibile penè ſpectaculum equis currere ſupinis utiq; ad regna cœleſtia tendentibus. Stat ſecus auriga,*

Quomodo aerem tranſeant.

auriga, nec funditur, ſed omnia ignis erat, qui levitate naturæ & per inane diſcurrit, & ad ſuperna ſemper inſurgit. Hoc ipſum magis mirum eſt, tenue ac liquidum corpus ignis ſolidum auferre potuiſſe, at immutare non potuiſſe. Stat intrepidus ſuper ignem, ac rotam, nec incaleſcunt omninò veſtigia. Totum corpus ignis ambit, nec læditur, per colla, per latera, flamma diſcurrit innoxia … Ignis Prophetæ voluptatem tribuit hoſtibus minatus incendia. Hoc quò magis credas, Babylonius te caminus edoceat, qui uno, eodemq; momento juſſu refrigeria, injuſſu verò movebat incendia …

ELIAS qualiter ſe habeat in aſcenſu.

138. *Nunc jam dilectiſſimi, currus, equorumque igneorum, ut ſuperiùs propoſuimus, rationem breviter exponamus. Scriptum de Deo eſt: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem, horum natura cum ſit convertibilis, in eas ſe formas vertunt, quæ proſint cauſis, ob quas diriguntur neceſſaria. Diximus jam quibus ex cauſis oportuerit* ELIAM *ſic ad ſuperna transferri, & ideò hic ignis eſt, qui & miniſter Dei, & ipſius juſſione* ELIAM *levaturus ad cœlum, currus, & equorum forma executurus juſſa ſuſcepit.* Hactenus S. Chryſoſtomus. Ibi etiam eleganter (ſuo more) deſcribit, quòd, & qualiter *Principes tenebrarum ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus* (ut loquitur S. Paulus [a]) ſpiritus vagi, ſemperque exſomnes, aëreæ regioni immorantes, cùm tanto triumpho ELIAM in curru & equis coruſcantibus rutilà luce fulgentem, per aëra tranſeuntem conſpexêre, advolarint omnes, novum mirantes, & ſtupentes ſpectaculum, ac mente confusà turbati, nunc metu denſati in agmina, nunc diſperſi locum fugà turpi derelinquentes. Obviàm procurrere cupiebant, nec poterant: ſolita tela torquere conabantur, nec valebant: atque ita ſine congreſſione ſolo victi aſpectu ELIÆ, fortiſſimi bellatoris, eorumque jam antè ſæpè victoris.

(a) Epheſ. 6.

Dæmones occurrentes ſolo ELIÆ *aſpectu fugati.*

139. Quòd currus iſtius ignei vectores fuerint Angeli paſſim tradunt Interpretes: quodque ipſe currus igneus, & equi ignei nubes fuerit ſplendidiſſima, & rutilans, ac rubens, in currus equorumque ſimilitudinem efformata, quæ inter utrumque Prophetam pertranſiens alterum ab altero ſeparavit; & raptus eſt ELIAS ad currum igneum, ubi conſedit, Eliſeo ſolo humi remanente; ſtatimque conſurgens vehemens ventus, è terra extulit paulatim equos, atque currum, donec ab oculis ſpectantis, & inclamantis Eliſei, ſubducerentur: ſicque verum eſt, & à curru igneo, & à turbine venti, ELIAM abductum in cœlum, curru ferente, auferente vento, & Angelis, ſeu Angelo, quaſi aurigà moderante. Ita Salianus.

Angeli vectores currus ignei.

140. Aſcendens præfato modo S. ELIAS pallium ſuum demiſit, duplicis ſui ſpiritûs hæredi Eliſeo. *Non eſt autem ſuſpicandum,* inquit Abulenſis, (b) *quod pallium illud ceciderit quaſi caſu, quia* ELIAS *à Deo nunc rapiebatur, & ſi non expediret propter aliquid, quòd caderet pallium* ELIÆ, *non cecidiſſet.* Ita ille. Ibi conſequenter varias adfert rationes, cur pallium ELIÆ ceciderit: imprimis ut Eliſeus uteretur illo pallio, tanquam inſignio prophetali, ſcilicet, ut ſicut Eliſeus ſuccedebat in officio, & dignitate prophetandi, ita ſuccederet ei in pallio: nam ELIAS utebatur iſto pallio tanquàm quodam proprio inſignio. Secunda cauſa fuit: quia Eliſeus unctus fuit in Prophetam cum illo pallio, & nunc incepturus erat executionem officij prophetalis, ideò dignum erat, ut reciperet pallium illud ad officium prophetandi per quod ſuſceperat dignitatem, & auctoritatem prophetandi. Tertia ratio fuit ad magis confirmandum, quòd Eliſeus acceperat id, quod petiverat: nam Eliſeus petiverat duplicem ſpiritum ELIÆ, & ad hoc datum erat ei ſignum, quòd ſi videret ELIAM rapi, aſſequeretur petitionem ſuam. Quarta cauſa fuit ad operationem miraculorum: nam ELIAS operabatur miracula per illud pallium. Quinta cauſa fuit, ad indicandum aliis dignitatem Eliſei: quòd ſucceſſor, & duplicis ſpiritûs ELIÆ hæres eſſet; hinc Filij Prophetarum videntes Eliſeum indutum pallio ELIÆ, dixerunt: *Requievit ſpiritus* ELIÆ *ſuper Eliſeum*: & tamquàm ſuum Patrem & Superiorem *adoraverunt eum proni in terram*, adoratione ſcilicet duliæ, reverentiam Superioribus debitam ei exhibentes. Ita ferè Abulenſis: quæ ſic paucis eleganter complectitur Gaſpar Sanctius: (a) *Eodem pallio nunc duplicatum accipit ſpiritum, & quaſi alter creditur à ſe ipſo. Neque jam videtur Eliſeus, qui antè, ſed* ELIAS, *in quem videtur repentè transformatus, utpotè novus jam idoneus intelligentiæ, & miraculorum patrator egregius. Neq; fortuitò cecidit* ELIÆ *pallium, quaſi illud in diſceſſu aſcenſuq; ignei currûs, minùs ſervaſſet Propheta diligenter, ſed magno Dei conſilio, ut pignus haberet Eliſeus dati ſibi ſpiritûs.*

(b) Quæſt. 22. in cap. 2. lib. 4. Reg.

ELIAS cur pallium ſuum demiſerit.

Per illud Eliſæus duplicem recepit ſpiritum.

(a) In cap. 2. lib. 4. Reg.

141 ANNOT. De pallio S. ELIÆ *Ioannes Hildenſinus* in defenſorio Ordinis Carmelitani capite 1. *& Arnoldus Boſtius* in Speculo Hiſtoriali libro 7. cap. 33. *tradunt*, pallium illud S. ELIÆ in Carmelo aſſervatum fuiſſe uſque ad Annum Chriſti circiter 1290. *quando Achon, & Monaſterium montis Carmeli à Paganis igni tradita fuerunt, & tunc* cum aliis Ordinis monumentis vetuſtis incendiò periiſſe. *Partem autem aliquam illius pallij inter Reliquias Eccleſiæ Salvatoris in oppido Ovetenſi exiſtere ſcribit Lucius Marinæus* libro 5. rerum Hiſpaniæ. *In* Hiſtoriis, *ſeu* Chronicis quinque Epiſcoporum, Idacij nimirum, Iſidori Pacenſis, Sebaſtiani Salmanticenſis, Sampiri Aſturicenſis, & Pelagij Ovetenſis, *recognitis, & publicatis Pampilonæ anno* 1634. *per Prudentium de Sandoval Epiſcopum Pampelonenſem, ubi fol.* 50 *legitur iſte titulus*: De Arca reliquiarum è Toleto in Aſturias tranſlata. *Ibi conſequenter inter quàm plures reliquias in ea contentas, ſequentes recenſentur his verbis*: De Petra montis Sinai: de pallio ELIÆ. *Lucius Marinæus Siculus* lib 5. de rebus Hiſpaniæ edito 1533. fol. 32. *recenſens ſacras reliquias in arca ſancta templi Ovetenſis aſſervatas, ſcribit quoque haberi*: de pallio ELIÆ Prophetæ. *Extat typis edita ſchedula, quæ à Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Ovetenſis peregrinis porrigitur, ſacra ibi recondita lipſana recenſentibus: eaque integra legitur apud Ioannem Tamajo in* Martyrologio Hiſpano Tom 2 ad diem 13. Martij (*quâ feſtum reliquiarum Oveti quotannis agitur*) *fol.* 215. *In illa igitur catalogus reliquiarum intra arcam ſanctam repoſitarum, legitur; atque inter eas*: de Pallio ELIÆ Prophetæ. Ovetum, *Latinè*: Oviedo *Hiſpanicè civitas nobiliſſima, Eccleſiâ Cathedrali ornatâ, & caput Aſturiarum. Ioannes Iacobus Chiffletius* parte 2. Hiſt. Veſontionis pag. 109. *recenſens ſacras reliquias Eccleſiæ Veſontien.*

Veſtarium appoſuit: de Pallio ELIÆ Prophetæ. *Ægidius Gelenius* de Coloniæ magnitudine, &c. lib 4. in ſacris Faſtis ad diem 20. Julij pag. 707 *ait*: in monte Carmelo, & apud totum Ordinem Carmelitarum S ELIÆ Prophetæ: cujus pallij pars eſt Coloniæ apud Cœnobitas S Pantaleonis. *Peregrinus Merula Presbyter in* Sanctuario Cremonenſi, *edito Cremonæ* 1627. *agens de ſacris reliquiis, in Cathedrali templo aſſervatis, inter eas pag.* 3 *recenſitas, ponit Italicè*, Della Sedia di ELIA quando riſuſcitò il figliuolo della vedova: *quæ latinè ita ſonant*, ex Sede ELIÆ, cùm viduæ filium a mortuis reſuſcitavit. *Sub intelligere videtur auctor iſte ſedem, in qua, ante, vel poſt miraculum patratum ſedit, ſeu fulcrum, vel reclinatorium.*

CAPUT III.

Paradiſus terreſtris locus, in quo nunc degit ſanctus ELIAS.

142. DE loco, ad quem tranſlatus eſt S. ELIAS, hæc dumtaxat leguntur in ſacris Litteris: *Aſcendit* ELIAS *per turbinem in cœlum.* (a) Et: *receptus eſt in cœlum.* (b) Igitur S. ELIAS terram linquens aſcendit in cœlum. Sed aliud eſt cœlum empyreum, ſeu Beatorum: aliud eſt cœlum aëreum, in quo volitant aves, dictæ præterea *volucres cœli*. Certum eſt, S. ELIAM immediatè è terra tranſvectum in cœlum iſtud interius. Sed indè quò tranſlatus ſit, non exprimit ſacer Textus; nec hactenùs declaravit Eccleſia. Illum ad cœlum Beatorum in corpore, & anima raptum; & ibi quaſi cœlitem degere, opinati ſunt nonnulli relati à Cornelio in iſtum locum 4. *Regum* 2. Et à Lezana Tomo 1. Annalium Carmelitarum. Sed hoc minùs veriſimile videtur: tum quòd necdum ſit mortuus, ſed rediturus, ut pro Chriſto laboret certaturus contra Antichriſtum, & ab eo occidendus. Igitur in cœlo Beatorum non eſt: cùm nihil mortale ibi ſit, tùm quòd Chriſtus primus fuerit inter homines, qui cœlorum faſtigia penetravit, & eò viam aperuit. Ita S. Thomas *parte* 3. *quæſt.* 49. *articulo* 5. ubi reſolvit, quòd *Chriſtus ſua paſſione nobis januam cœli aperuerit*. Ibidem objicit: *Ante paſſionem Chriſti* ELIAS *raptus eſt in cœlum*: & reſpondet, eum ſublevatum non in cœlum empyreum, ſed aëreum, & ipſum cum Enoch rapto ad Paradiſum terreſtrem, ibi ſimul vivere uſque ad adventum Antichriſti. Igitur ex mente S. Thomæ S. ELIAS in Paradiſo terreſtri eſt (quod etiam variis locis aliis, ut mox dicetur, adſtruit) non in cœlo empyreo. Quòd autem S. Ambroſius libro *de Nabutha capite* 15. dicat ELIAM *victorem æternò præmiò coronari*, intelligendus de præmio non in poſſeſſione, ſed in certa cognita ſpe, qualis erat Patrum in Lymbo. Aut de inadæquato præmio, non de eſſentiali divinæ viſionis. Idem S. Ambroſius, & Patres aliqui aſſerentes S. ELIAM aſcendiſſe, aut tranſvectum in cœlum, intelligendi ſunt commodè de cœlo aëreo (prout disertè ſe explicant S. Gregorius mox referendus, & S. Thomas jam relatus) aut forſan Paradiſum locum deliciarum quodammodò cœlum nuncupant. Veriùs itaque exiſtimandum id, quod S. Gregorius *Homilia in Evangelia* ſcribit: *In veteri Teſtamento cognovimus: quod* ELIAS *ſit raptus in cœlum. Sed aliud eſt cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum terræ eſt proximum. Undè & aves cœli dicimus: quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaq; aereum* ELIAS *ſublevatus eſt: ut in ſecretam quandam terræ regionem repentè duceretur: ubi in magna jam carnis, & ſpiritûs quiete viveret: quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſolvat.* Locum autem illum, ad quem tranſlatus eſt S. ELIAS, & in quo felicem in magna quiete vitam ducit, eſſe Paradiſum diſertè adſtruunt paſſim Patres & Doctores, ut mox audiemus.

(a) Lib. 4. Reg cap. 2
(b) Lib. 1. Macb. cap. 2.

ELIAS *aſcendit in cœlum aëreum.*

Non empyreum.

143. Ipſum autem ſpecialiſſimò Dei miraculò adhuc vivere, & mortis debitum nondùm exoluiſſe, ut indubitatum & certiſſimum tradit etiam cæterorum Patrum & Doctorum, ac Interpretum veneranda caterva: ELIAS *non ex deceſſione vitæ, ſed ex tranſlatione venturus eſt, non corpori reſtituendus, de quo non eſt exemptus, ſed mundo reddendus, de quo non eſt tranſlatus.* Ità Tertullianus libro de anima *cap.* 35. & S. Hieronymus Epiſtolâ ad Pammachium: *Enoch tranſlatus eſt in carne,* ELIAS *carneus raptus eſt in cœlum, necdum mortui, & Paradiſi jam coloni, habent membra, cum quibus rapti ſunt atque tranſlati.* Idque Sacri Textûs confirmat auctoritas Malachiæ quarto: Ecce ego mittam vobis ELIAM &c. reſervatur enim ſuperſtes, ut Antichriſti tempore veniens, pro Chriſti fide teſtimonium perhibeat, fideles confirmet, & Judæos convertat, ac tandem unà cum Enoch conſorte ſuo *cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia* (Antichriſtus) *occidet eos*, atque ita martyriò conſumpti, de impio tyranno triumphabunt: prout latiùs *part.* 4. *cap.* 4. Si autem occidendi ſunt, ergo adhuc ſuperſtites inter vivos numerantur: & agunt vitam feliciſſimam in loco amœniſſimo, in quo Chriſtus per 40. dies inter Reſurrectionem, & Aſcenſionem ſæpius adfuiſſe eis, & altiſſima myſteria aperuiſſe, ac revelaſſe, cenſent plures. Sufficiant hic ea, quæ Tirinus in *Acta Apoſtolorum cap.* 1. ſcribit: *Fluentibus quadraginta diebus tempore quod à reviſendis inſtruendiſq; diſcipulis, reliquum erat, impendit oblectandis patribus, quos unà ſecum è limbo reduxerat. Impendit & ELIÆ atq; Henoch in Paradiſo præſentiâ ſuâ recreandis, inſtruendiſq; de omnibus, quæ olim ipſis adversùs Antichriſtum uſui eſſe poſſint, inquit Iuſtinus martyr, Irenæus, Nicephorus, S. Bonaventura, & S. Thomas.* Ita Tirinus.

Adhuc vivit.

Et necdum mortuus eſt.

Ipſi adfuit Chriſtus 40. diebus poſt reſurrectionem.

144. Communiſſima verò Patrum & Doctorum ſententia eſt, eos degere in Paradiſo terreſtri. Ita aſſerunt Lyranus *in caput* 2. *libri* 4. *Regum*, ubi: *Locus*, inquit, *ad quem deportatus fuit* ELIAS, *ſecundùm Doctores Catholicos, & Hebræos eſt Paradiſus terreſtris.* Et Abulenſis, ubi ſic, *Doctores Catholici omnes & tota fidelium Eccleſia credit, quòd Enoch tranſlatus fuerit in Paradiſum, ſicut* ELIAS: *& manent iſti duo in terreſtri Paradiſo, ut poſt pugnent & prædi-*

Locus, in quo degit, eſt paradiſus terreſtris.

cent contra Antichriſtum. (Illa tanquam certa ſupponit in aliis locis, præſertim in *caput 2. libri 4. Regum quæſt. 24. & 25*) Et Bellarminus libro de gratia primi hominis cap. 12. *Sententia*, ait, *eſt graviſſimorum Auctorum, Henoch, & Eliam tranſlatos eſſe in Paradiſum, undè expulſus fuit Adam.* Idem videtur ſatis perſpicuè indicare Eccleſiaſticus *cap. 44. verſ.* 16. his verbis: *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum*: in quem locum commentans Cornelius à Lapide, & diſſerens de loco, ad quem tranſlati ſunt Henoch & Elias, ita ſcribit: *Dico ergo, Paradiſum hunc eſſe in terra, ac videri terreſtrem illum, in quo primitùs à Deo collocatus fuit Adam. Probatur id primò, quia hunc in ſcriptura ſignificat communiter nomen* Paradiſus, *cùm ſimpliciter nominatur: nam alias aliquid additur, quo determinatur aliquid aliud. Secundò,*

Id perſuadens rationes.

quia Elias *& Henoch non ſunt in cælo, cùm necdum ſint mortui, multò minùs beati: non etiam ſunt in inferno; quia ille eſt carcer, & gehenna, non Paradiſus. Ergò ſunt in terra. Si in terra, ergo ſunt in paradiſo terreſtri, cùm nullus ſit locus melior & dignior eorum raptu & felici vita, tum ob loci puritatem & amœnitatem, tùm ob aeris temperiem & benignitatem. Tertiò, quia eò raptum eſſe Henoch, ac deinde* Eliam, *diſertè docent plurimi Patrum & Doctorum.* Ita ille.

Et Patrum auctorum.

145. Patres diſertè id adſtruentes ſunt S. Irenæus *libro 5. contra hæreſes cap. 5.* ubi hæc: Elias, *ſicut erat in plaſmatis ſubſtantia aſſumptus eſt, aſſumptionem Patrum prophetans.* Et infrà agens de loco, ad quem ipſe & Henoch tranſlati: *Vbi ergo primus poſitus eſt homo ſcilicet in Paradiſo: quemadmodùm Scriptura dicit: Et plantavit Deus paradiſum in Eden contra Orientem: & poſuit ibi hominem, quem plaſmavit, & indè projectus in hunc mundum non obediens. Quapropter dicunt presbiteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui tranſlati ſunt, illuc tranſlatos eſſe.* Juſtinus Philoſophus & martyr *in quæſt. ad Orthodoxos q.* 85. Tertull. *lib. adverſus Iudæos cap. 2. & lib. de anima cap. 35. & 50. & lib. de reſurrectione carnis cap.* 58. Clemens Romanus *lib. 5. conſtit. Apoſtol. cap.* 8. D. Cyprianus *lib. 3. de montibus Sion, & Sina.* D. Hieronymus *epiſt. 61. ad Pammachium* (ubi Eliam & Henoch vocat *colonos Paradiſi*) S. Iſidorus, S. Anſelmus, & alij plures relati à Cornelio, loco jam dicto, & à Lezana *Tomo 1.* Annalium Carmelitanorum. Iſtis adſtipulatur Dionyſius Carthuſianus in illa *Malachiæ capitis 4.* verba: *Ecce ego mittam vobis* Eliam *Prophetam* (ubi ſubdit: *Qui ſimul cum Enoch vivit in Paradiſo terreſtri*) Alij iſtos ſequentes tot ſunt, ut prolixum eſſet eos ſigillatim recenſere.

(a) In Explan. Cathol p. 1. explan. 1.

146. Itaque ex mente præfatorum Paradiſus aquis diluvij obrutus, aut corruptus non fuit. Hinc Felicianus Capitonus (a) *Refellendi etiam ſunt, qui aſſerere nituntur, poſt Adæ peccatum Paradiſum terreſtrem paulatim defeciſſe, & demùm aquarum inundatione diluvij omninò ſubverſum, & ſublatum: Quippè quòd Eccleſiæ traditio eſt Henoch &* Eliam *adhuc vivos ibi habitare, & uſq; ad tempora Antichriſti reſervari.* Auctorum quorumdam recentiorum rationibus in contrarium haud difficulter ſatisfit. Vide Dorotheum à S. Renato Commentario in libros Regum *lib 2. quæſt. 2.* Et ſanè quid vetat Deum ab aquis diluvij Paradiſum ſervaſſe intactum, ut in eo conſervaret Henoch, qui uti à culpa erat immunis, ſic congruebat, ut eſſet à pœna diluvij. Idque etiam rationi conſentaneum erat, illum locum totius Orbis principem, & amœniſſimum, aquis diluvij non deſtruendum: ſed cùm divina providentia hominum ſtatibus congrua deputaverit loca, Beatis, cœlum; damnatis, Barathrum; lymbum ſeparatis animabus; miſeram hanc mortalibus terram: innocentiæ ſtatui, deliciarum paradiſum Edem; & eandem viatoribus his in ſimili ſtatu, in quo fortunæ noſtræ miſeræ ſunt immunes. Etenim cur Paradiſus Cherubicô cuſtodiretur gladiô, ſi deſtruendus poſtmodùm? & ſi uſus, aut emolumenti nullius futurus, cur non protinùs everſus. Quod *Geneſis* 7. dicitur: *Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat*, intelligitur de alia terra ab hominibus peccatoribus inhabitata. Ad id quod objicit Pererius: Quomodò ergò de loco Paradiſi nihil eſt compertum? Reſpondet S. Thomas (a) rationem reddens, cur ignoretur, ubi ſit: *Quòd locus ille ſeclusus ſit à noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicujus æſtuoſæ regionis, quæ pertranſiri non poteſt.* Ita Doctor Angelicus: qui ſcribens in caput XI. Apocalypſis & illa verba: *Dabo duobus teſtibus meis*, exponens de Elia & Henoch: addit: *qui nunc ſunt in Paradiſo terreſtri.*

Satisfit rationib. in contrarium.

(a) P. 1. q. 102. art. 1.

CAPVT IV.

Status, ſeu conditio præſens Sancti Eliæ.

Feliciſſimè agit vitam cum Henoch.

147. Illud imprimìs certum eſt, S. Eliam (eadem eſt ratio de S. Henoch) fœliciſſimam agere vitam, atque eſſe in ſtatu longè diverſo, vivendique ratione multùm diſſimili ab hominibus in hoc mundo degentibus. Hinc Tertullianus de reſurrectione carnis cap. 58. *Neq; enim*, inquit, *corpora quæ corrumpuntur, illas aggravant animas, aut terrena inhabitatio ſenſus eorum tamquàm multa cogitantes, deprimit, qui cum Deo ambulaſſe noſcuntur. Factum (id eſt, ſublatum) impedimentum omne de medio, occaſio univerſa ſublata, materies nulla relicta eſt, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem; id eſt, Henoch ob hoc raptum Scriptura commemorat, nè fortè vincat malitia ſapientiam, & intellectus ejus, vel anima ultrà decipi valeat, aut mutari.* Longè igitur abſunt à pugna & ab his, quæ naturæ mortali exiſtimantur incommoda. Conformiter ſcribit S. Auguſtinus *lib. 9. Geneſis ad litteram cap.* 6. ubi agens de Elia & Henoch: *Nunc tamen in alia vita ſunt* (videlicet quàm ſit noſtra in hoc mundo) *ubi ante reſurrectionem carnis, antequàm animale corpus in puritate mutetur,*

nec

nec morbo, nec ſenectute deficiunt. Ferè eadem ſcribit *libro* 1. de peccatorum meritis *cap.*3.

148. Quantùm ad animam, an S. Elias (eadem eſt ratio de Henoch) divino fruantur aſpectu, variæ ſunt ſententiæ, & varij Patrum dicendi modi, qui rem dubiam relinquunt, & implexam, inquit Sanctius *in caput* 2. *libri* 4. *Regum.* Ubi quoſdam refert affirmativam ſuſtinentes: plures verò adducit Lezana *Tomo* 1. *Annalium Carmelitanorum.* (a) Imprimis id conſequenter exiſtimare debent, qui credunt eum in cœlum Beatorum tranſlatum. Præterea id innuere videntur Patres, qui ei attribuunt titulum *Beati*, qui ex uſu Eccleſiæ illis ſolis concedi ſolet, qui Dei viſione fruuntur. Denique alij etiam expreſsè id aſſerunt: quos inter videtur numerandus Metaphraſtes hîc ſuprà *parte* 2. *cap.* 5. dum ait: *Dei ſalutare ei eſſe oſtenſum.*

(a) Ad an. mundi 3139. n, 11.

An Dei viſione fruatur?

149. Communior autem ſententia eſt, eum beatificâ viſione nondùm potiri; ne ſcilicet, ſicut Chriſtus, viator, & comprehenſor æquè cenſeatur (quod ejuſdem Chriſti Servatoris propriiſſimum privilegium creditur) & quia illi obſtare videntur Sacræ Paginæ teſtimonia, quibus Deum videri in hac vita denegatur, qualia ſunt illud *Exodi* 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Quamvis iſta, & ſimilia non viderentur efficaciter urgere contra viſionem beatificam in mortali corpore; cùm Patres, & Scholaſtici Doctores non pauci aſſerant, aut certè improbabile non cenſeant, ipſum Eliam in monte Horeb, nec non Moyſen, & Paulum divinam vidiſſe eſſentiam: attamen ad modicum tempus. Id certum S. Eliam ſub finem mundi crudele martyrium, ipſamque mortem ſubiturum: illa autem non conveniunt iis, qui cœleſti beatitudine perfruuntur. Hinc conformiùs eſt doctrinæ Patrum, ipſum obtinere medium quodammodò ſtatum inter Beatos Dei aſpectu fruentes, & inter homines in hac mortali miſera vita degentes. Id S. Augyſtinus *libro* 9. *Geneſis ad litteram capite* 6. tradit: *Neque enim, arbitrandum eſt,* Eliam *vel ſic eſſe jam, ſicut erunt Sancti, quandò peractò operis die denarium accepturi ſunt; vel ſic quemadmodùm ſunt homines, qui ex hac vita nondùm migrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quamvis non habeat, quod ex hac vita rectè geſta in fine habiturus ſit.* Ita paſſim & alij Patres.

An adhuc mereatur.

150. Porrò ſi Dei viſione non fruatur, ad minùs tamen eximiis charitatis, & aliarum virtutum operibus (quibus exercendis per altiſſimam contemplationem, cui vacat, dirigitur) augmentum gratiæ & donorum in præſenti, & gloriæ pro futuro in patriæ ſtatu promereri negari non debet. Quo namque jure Deus juſtiſſimus, qui pronior ad præmiandum eſt, quàm ad puniendum, amiciſſimi ſui, & in altiſſimo ſanctitatis gradu conſtituti Eliæ in carne mortali, ad modum viatoris degentis, opera libera, bona, & ſupernaturalia ex gratiæ auxilio procedentia condignis præmiis, ſicut & aliorum juſtorum opera non decorabit? Quid obſtare poterit? Sanè dicunt graves aliqui Theologi, quia alioquin Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſuperabit merita. Infirma certè evaſiò, nec tàm doctis viris digna. Licet enim plures numerò, & duratione Eliæ actus boni futuri ſint, quam Deiparæ Virginis, intentione tamen, fervore, & charitatis ardore, quibus præcipuè circumſtantiis major, & copioſior ratio meriti deſumitur, opera B. Virginis eminentiora erunt, ac proindè magis meritoria. Hujus propterea ſententiæ propugnatores ſunt Abulenſis, Viegas, Henriquez, & plures alij. Ita Lezana *Tomo* 1. *Annalium, ad annum mundi* 3139. *nu.* 13. ubi loca prætatorum Auctorum indicat. Cornelius à Lapide quæſtionem hanc, an S. Elias ſit in ſtatu merendi, problematicè diſſerens, utriuſque ſententiæ rationem affert.

151. Philippus à Sanctiſſima Trinitate in Theologia Carmelitana (a) ſententiam affirmativam ſic probat: *Cum in ſancto* Elia *Propheta nunc concurrant omnes conditiones requiſitæ ad merendum nunc meretur* Et infrà: [Conditiones requiſitæ ad merendum, ſunt ſequentes: ſcilicet ex parte perſonæ merentis, quod ſit in gratia, & quòd ſit in via; ex parte actus meritorij, quòd ſit, verus actus liber, & quòd ſit directus in Deum finem ſupernaturalem directione actuali, aut ſaltem virtuali; & ex parte perſonæ, apud quam meretur, quòd ſit pactùm aut promiſſio; nec aliæ aſſignantur, ut habetur ex communi ſententia Theologorum. Sed omnes iſtæ conditiones concurrunt in S. Elia Propheta; nam certum eſt, quòd ſit in gratia, cùm ſit ſanctus, & ut talis ab Eccleſia cultus; eſt in via, pertinet enim ad Eccleſiam militantem, non verò ad triumphantem, nec ulla hucuſque eſt aſſignata media Eccleſia; inſuper actus ipſius ſunt liberi, & in Deum, finem ſupernaturalem, directi, de quo nullus dubitat, ac tandem reſpectu ejus currit pactum & promiſſio Dei, eo modo, quo reſpectu aliorum viatorum in ordine ad meritum; non enim apparet ulla ratio, cur Deus illud ſuſpenderit, imò apparet ratio, quòd non ſuſpenderit, ut ſtatim expendetur: Ergò S. Elias Propheta nunc meretur. Ita ille.] Quòd autem S. Elias cenſeri debeat viator, patet, quia nondùm eſt in termino, licèt non ſit purus viator: ſed id ad meritum non requiritur, ut patet in Chriſto; ſicut neque certamen pugnæ (ex paſſionibus, tentationibus, aut incommoditatibus vitæ hujus) ut patuit in Angelis viatoribus, & Adamo in ſtatu innocentiæ, prout rectè notat Gammacheus: (b) *Addimus non requiri ſimpliciter ad meritum eſſentialis beatitudinis, ut homo ſit in carne mortali, & paſſibili, ſed hoc contingere ſolùm per accidens: Probatur; etenim primi parentes poterant verè mereri, & de facto meruiſſent in ſtatu juſtitia originalis, nec tamen illorum corpora fuiſſent tunc mortis, & morbis obnoxia, ergo. Deindè Angeli meruerunt, dum eſſent adhuc viatores, nec tamen carne aliqua induti erant.*

(a) Quæſt. 5. art. 4.

Rationes probantes quod ſic.

(b) 1. 2. quæſt. 114. c. 2.

152. Hanc ſententiam de merito S. Eliæ inter cæteros latiſſimè, & accuratiſſimè pertractat, & ex ſacræ Scripturæ, ac Patrum

Aſſertis

Aſſertis ejus fundamenta eruit, eáque variis rationibus firmat Michaël Muñoz *in Propugnaculo* ELIÆ *lib.* 3. (a) ubi hæc inter cætera. [Cum ex D. Thoma (b) aliquis dicatur viator ex eo quòd in Beatitudinem tendat. Ille in via eſt, qui viam poteſt carpere, bonorum operum greſſibus ad Patriam cœlicam capeſcendam: ſive ab ea poſſit diſcedere per demerita, ut juſti, qui à gratia excidunt, ſivè non, ut confirmatus in gratia, qui in ea poteſt creſcere, non decreſcere. Ita Pſal. 83. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle Lacrymarum in loco quem poſuit.* Quibus greſſibus? *Ibunt de virtute in virtutem.* Quò? *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Quare eſſe in via, & eſſe in ſtatu merendi idem prorsùs eſt; quia eſſe in via, eſt poſſe in cæleſtem tendere Patriam, greſſus autem, ut diximus, noſtra ſunt merita. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad aquilonem, in quo loco ceciderit, ibi erit.* (c) Lignum homo eſt ex mente Patrum, qui dum ſtat in terra, germinare, & creſcere poteſt. Tempus quô anima in corpore eſt, ſicut lignum in terra, via eſt: arcanâ ſignificatione *cadere* mortem, *Auſter* ſtatum ſalutis, *Aquilo* damnationis denotat. Iſto igitur, atque plurimis aliis Scripturæ locis traditur, terminum vitæ hujus, eſſe etiam viæ, & meriti terminum: ſimul traditur: in toto hujus vitæ decurſu, uſque ad inſtans mortis tempus eſſe merendi, & in ſtatu viæ hominem ſubſiſtere, ut ad Patriam pergat. Ideo ſicut hæc propoſitio, ita eſt univerſaliter vera. *Poſt mortem nullum eſt tempus merendi*: ita hæc eſt univerſaliter vera. *In hac vita, uſque ad inſtans mortis, non eſt terminus, in quo homo non poßit mereri.* Præterea: omnes qui à Domino peregrinantur, & fide vivunt in corpore ante mortem naturalem, ſunt in via, & in ſtatu merendi, ut probatum eſt: ſed ad novum, & extraordinarium aſſerendum contra Canonem Scripturæ, Concilia, & Patres, magna debet premere auctoritas, agere momenta rationum, impellere neceſſitas, quæ hic non urgent. Deindè negare his Patribus meritū, videtur contra bonitatem Dei, detinentis illos in hac mortali vita uſque ad finem mundi, tunc verè morituros, privantisque per tam longum tempus viſione beatâ, qua ſecundùm legem ordinariam, ab Aſcenſione Chriſti potirentur; idque nullô ipſorum lucrô, ſed maximô detrimentô, ablatâ merendi facultate: quæ conceſſa eſt omnibus exiſtentibus in corpore ante mortem, liberè operantibus per fidem vivam formatâ charitate. Et indignum videtur divinâ magnificentiâ: quippe quæ ſoleat dona ſua nobis cumulare beneficiis, jacturamque ſuo nomine factam, multò amplioribus lucris compenſare. Sed & indignum divinâ fidelitate, quâ ipſe tenetur ſtare promiſſis. Indignum gratitudine Dei, quâ recepta in ſuum obſequium ſervitia rependere æquum eſt. Et juſtitiâ divinâ indignum, quâ, poſitô pactô, viventibus in carne ante mortem, præmia debet reddere ex juſtitiâ: *Ut ſit injuſtus Deus, ſi oblivißcatur operis noſtri*; ut dicebat Apoſtolus. (d) Nec eſt dicendum: per gratiam tranſlationis evertendam eſſe juſtitiam, ſed potiùs perficiendam; gratia enim non deſtruit, ſed rerum potius naturas perficit.

(a) Tit. 2. cap. 2.
(b) 3. p. q. 15. art. 10.
(c) Eccle. 11.
Rationes aliæ adſtruentes meritum S. ELIÆ.
(d) Ad Hebr. 6.

153. Inſuper: ex Patribus, & Theologis ſcimus iſtos duos ſanctos Viros confirmatos eſſe in gratia, ut non peccent: ergo ſi non eſſent confirmati in gratia, poſſent peccare: ergo habent ſtatum, in quo poterant demereri, ſi non eſſent confirmati in gratia. Sed ſtatus, in quo homines poſſunt demereri, eſt ſtatus, in quo poſſunt mereri, ut ex fide conſtat: ergo ſtatus, quem modò habent, eſt ſtatus merendi: quia confirmatio in gratia non extrahit hominem ab ſtatu merendi, ſed peccata impedit; ut in beata Virgine patet, & in Apoſtolis: ergo ſi in iſto ſtatu poſſent peccare non confirmati in gratia, & proindè cum gratiâ mereri; & confirmatio in illa non tollit ſtatum merendi, ſequitur eos eſſe in ſtatu merendi: etſi non poſſint peccare propter confirmationem in gratia, in ſenſu compoſito, ut Theologi clamant. Denique gratia non conſummata, quæ videlicet conjuncta non eſt cum actu beatitudinis, aut quæ non habet totam intenſionem, quam in ſubjecto habitura eſt, dat condignum valorem operibus juſtorum ad meritum condignum, ut ſuppono ex Theologia. Sed gratia iſtorum Patrum non eſt conſummata: cùm non ſit conjuncta cum actu viſionis Dei, neque habeat totam intenſionem, quam habitura eſt, cùm per martyrium ſit augenda: ergo opera eorum à gratia non conſummata habent valorē meriti condigni.] Hactenùs Michaël Muñoz, qui eadem latiùs proſequitur, & firmat, ac quorumdam in contrarium rationibus ſatisfacit.

154. Conſequenter declarat, quibus actibus meritoriis vitam fœliciſſimam ducant. [Dicendum, inquit, eſt, ipſos vitam innocentiſſimam in actibus virtutum Theologalium, ac Moralium, quarum, cum gratia, habent infuſos habitus, traducere: in precibus, orationibus, meditationibus, ac Dei laudibus: pro Eccleſiæ ſtatu, pro regulari Monaſtica, ac religioſa obſervantia preces fundentes: quia ex charitate nos diligunt vehementer, & noſcunt ea pericula in quibus verſamur, & quantùm divinis indigeamus auxiliis. Frequenter colloquiis frui Angelorum, divinarum fieri participes revelationum, ſermones inter ſe de Deo miſcere dulciſſimos, deque rebus Eccleſiæ & venturo Antichriſto, ſeſeque pariter communire ad vim Antichriſti retundendam, ad edocendos fideles, & ad graviſſima, ac acerbiſſima pro Chriſto perferenda tormenta: atque ſeipſos exercere in illis actibus ſpiritualibus, in quibus Adam in ſtatu innocentiæ occuparetur, vita ipſorum fœliciſſima oſtendit: docetque Bernardus *Serm. 6. de Aſcenſ.* ubi ſic: *Felices, qui ſoli jam Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Neq; corpora, quæ corrumpuntur illas aggravant animas, aut terrena inhabitatio ſeu eorum multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulaſſe*

Quos actus exerceant.
Colloquiis fruuntur Angelorum.

bulaſſe

bulaſſe noſcuntur. Iſta & alia ad idem propoſitum præfatus Auctor.

Expers eſt fomitum peccati.

155. Quoad fomitem peccati, & inordinationem potentiarum inferiorum contra rationem, ab illis immunes ſunt: quia in magna jam carnis, & ſpiritûs quiete vivunt. Aliter eſſent in ſtatu fœliciſſimo infœlices propter fomitem; ſecundum Apoſtolum ad Romanos (a) *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati. Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Ratione ergo ſtatûs fœliciſſimi, quo fruuntur, illo fomite carent. Nempè inordinatione appetitus inferioris contra rationem. Nec etiam venialiter eos peccare poſſe ex ſubreptione ſenſualitatis, id eſt, ex imperfecta deliberatione, per motum aliquem illam prævenientem: nec ex ſubito aliquo, & indeliberato rationis motu, conſtat ex hoc, quòd non tantùm ſenſualitas ſic eſt ſubjecta rationi, ut nec præveniat ejus imperium, & moderationem, nec detrectet: ſed quia ſic eſt ratio affecta, & divino munere ſic firmata, ut nullum in actum exeat abſque conſilio, deliberatione, & electione perfecta. Nec ardentiſſimus, quo flagrant, Dei amor, vel leviſſimum poteſt admittere actum Deo diſplicentem, qui ſanè actus talem ſtatum dedeceret. Ita idem Michael Muñoz *in propugnaculo* ELIÆ (b) & hæc de ſtatu animæ.

(a) C. 7. v. 23.

(b) Lib. 3. tit 9. cap. 1. art. 1.

156. Sed an, & quibus cibis veſcuntur? Quoad hoc ita S. Hieronymus: (c) *Henoch, inquit, tranſlatus eſt in carnem;* ELIAS *carneus raptus eſt in cœlum, necdùm mortui, & Paradiſi jam coloni: habent membra cum quibus rapti ſunt, atq; tranſlati: veſcuntur cœleſti pane, & ſaturantur omni verbo Dei.* Et pauló inferiùs: *Henoch & ELIAS tanto tempore in eadem permanent ætate, quâ rapti ſunt.* Conſequenter dicit, eos habere dentes & ventrem, *& tamen cibis non indigere.* Similiter ferè ſentit S. Epiphanius *hæreſi* 64. ita ſcribens: ELIAS inquit, *eſt adhuc in carne, carne autem ſpirituali, & non opus habente, ut per corvos nutriatur, velut cùm in hoc mundo fuit, & ut de torrente Carith bibat, & pellem ovilem induat; ſed ut nutriatur alio quodam ſpirituali alimento, cujus ſuppeditator eſt, qui occulta cognoſcit, & inviſibilia creavit Deus; ambroſiam quandam, ac incorruptibilem cibum habent.* S. Auguſtinus *libro de peccatorum meritis cap.* 3. ſic iſtis adſtipulatur: *Neq; enim ELIAS & Enoch per tàm longam ætatem ſenectute marcuerunt; nec tamen credo, eos jam in illam ſpiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis erit in reſurrectione, quæ in Domino prima præceſſit, niſi quia iſti fortaſſe nec his cibis egent, qui ſui conſumptione reficiunt; ſed ex quo tranſlati ſunt, ita vivunt, ut ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus, quibus ELIAS ex calice aquæ, & ex collyrida panis ſine cibo vixit. Aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita in Paradiſo fortaſſe paſcuntur, ſicut Adam, priuſquàm propter peccatum exire indè meruiſſet. Habebat enim, quantùm exiſtimo, de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.*

(c) Epiſt. ad Pammach.

An & quibus cibis veſcatur.

157. An ipſe, & Henoch in Paradiſo veſtiti ſint, & quomodò, non conſtat: Exiſtimare quis poſſet non inſipienter, eas nunc ſervatas eſſe veſtes integras prorsùs, quas illi in Paradiſum ab hominum conſortio diſtracti, ſecum abſtulerunt, neque excreviſſe ungues, & capillos, aut aliquid aliud, quod illis potuerit eſſe moleſtiæ. Sicut Iſraelitæ per annos quadraginta in deſerto veſtimenta ſervarunt inconſumpta, nec (ut Hieronymus *Epiſt.* 61. longè poſt medium) unguium, aut capillorum incrementa ſenſerunt. Ita ferè Abulenſis, & Gaſpar Sanchez *in cap.* 2. *libri* 4. *Regum.*

Quibus veſtiuntur.

CAPUT V.

Cultus Sanctorum magno Prophetæ ELIÆ *attribuitus mox à ſuo raptu, & deinceps ſemper: quomodò cognoſcat preces noſtras.*

158. MAgnus Propheta ELIAS Sanctorum cultu honoratus ſemper fuit in Eccleſia Græca, & Latina; imò etiam in veteri Teſtamento apud Hebræos, cùm ei tunc oratorium dicatum fuerit. Totius autem Synagogæ mentem fuiſſe ELIAM in eo ſtatu eſſe, ut invocari poſſit, habetur ex precationibus, quibus populus ille incredulus adhuc utitur, in quibus hæc: *Recordare obſecro* ELIÆ, *atque Eliſei.* Et rursùm: *Qui exaudiſti* ELIAM *in monte Carmelo, exaudi nos.* Sic quoque Eliſeus mox à raptu ELIÆ per merita ELIÆ Deum invocavit his verbis: (a) *Ubi eſt Deus* ELIÆ: alius textus habet: *Ubi eſt Deus, &* ELIAS. In quem locum ſic Cajetanus: *Ad merita* ELIÆ *invocanda apud Deum confugit.*

(a) 4. Reg. 2.

159. Adhæc Catholicè loquendo ſanctus Dei Propheta ELIAS à Deo canonizatus cenſeri debet, inquit Lezana in *Conſultò* 3. idque confirmat variorum auctoritatibus, ac imprimis Cardinalis Bellarmini, *de Sanctorum beatitudine capite* 7. ita ſcribentis: *Utiles eſſe Sanctos canonizari, his argumentis demonſtrari poteſt. Primò, quia Deus ipſe voluit à ſanctis ſcriptoribus annotari in particulari glorioſam vitam, & mortem eorum, qui tempore ipſorum floruerunt, ut patet de Eccleſiaſtico, qui* cap. 44. *& ſequentibus canonizavit plurimos Sanctos, ut Henoch, Noë, Abraham,* ELIAM *& Eliſeum, &c.* Ergo ex mente Bellarmini ELIAS à Deo per Eccleſiaſticum canonizatus eſt. De illa autem canonizatione veteris Teſtamenti agens Gaſpar Sanchez *in cap.* 44. *Eccleſiaſtici* ait: *Hæc fuit prima martyrum, Sanctorumq; canonizatio, quam deinde ſecuta eſt particularis illa, & ſolemnis, quæ de more fit à Pontificibus.* Iſtis omnibus attentis evidens eſt, quòd S. ELIAS jure meritò à fidelibus, colatur, invocetur, & ab Eccleſia officio Canonico celebretur.

S. ELIAS à Deo canonizatus.

160. Ad hoc propoſitum Philippus à SS. Trinitate Generalis Diſcalceatorum in *Theologia Carmelitana* (b) hanc ſtatuit aſſertionem:

(b) Quæſt. 5. art. 2.

Ideo ei debetur cultus Sanctorum. *Cùm* ELIAS *Propheta ſit in Sacra Scriptura declaratus authenticè Sanctus, & indefectibilis à Sanctitate, nunc poteſt coli ut Sanctus in divinis officiis.* Id conſequenter probat in hunc modum: [Et ſic de facto colitur auctoritate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non ſolùm in toto Ordine Carmelitano: ſed etiam in multis aliis locis, quem uſum laudabilem obſervat Orientalis Eccleſia. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quòd fuit erectum, & conſecratum templum ELIÆ Prophetæ ſtatim poſt raptum ejus ab ipſis diſcipulis in Carmelo commorantibus, in ipſomet monte, Carmelitanæ Religionis natali ſolo, ut refert Genebrardus *libro* 1. *Chronologia in Ioramo Rege Iſrael* ex aliis auctoribus antiquis: quod fuit ſingulare privilegium ELIÆ, nulli alteri ex Sanctis illis antiquæ legis Patriarchis, & Prophetis tempore Synagogæ conceſſum: non enim legitur in ſacra, vel prophana hiſtoria, templum fuiſſe dedicatum, vel Abrahæ patri eorum fidei, vel Moyſi legiſlatori. *ELIÆ ſoli in veteri lege dicatum templum.* Quod templum non ſolum fuit à Carmelitis frequentatum, ſed etiam ab exteris: ita ut in Sabbatis, calendis, & aliis ſolemnitatibus Judæi ad illud devotionis cauſâ accederent, ut manifeſtè colligitur ex 4. *Regum cap.* 4. nam cùm mulier Sunamitis peteret à marito, ut eam ſineret ire in montem Carmelum ad S. Eliſeum, Reſpondebat ei: *Quam ob cauſam vadis ad eum, hodie non ſunt calenda, neq; ſabbathum.* Poſt primum iſtud templum ELIÆ dictum *Dominicum*, fuerunt ſtatim in naſcenti Eccleſia in ejuſdem honorem alia erecta; & meritò, nam licèt ELIAS incœperit tempore Synagogæ, nunc tamen eſt filius ſanctiſſimus Eccleſiæ, cujus in fine mundi erit Apoſtolus, & martyr inclytus.] Et infrà: [Ille poteſt coli in divinis officiis ut Sanctus, cui dedicantur templa; nam Templa ſolis dumtaxat Sanctis poſſunt dedicari, & ideò Templa eis dedicantur, ut ſpecialiter in eis ſolitis divinis officiis colantur: ſed ELIÆ Prophetæ tàm in Synagoga olim, quàm etiam in Eccleſia plura fuerunt dedicata Templa: ergo ELIAS Propheta nunc poteſt coli ut Sanctus in divinis officiis.] Ibidem, agit de Templis ad honorem S. ELIÆ erectis, & ejuſdem cultu in variis orbis regionibus: & articulo ſequenti concludit: *Cùm* ELIAS *Propheta ſit in ſacra Scriptura declaratus authenticè Sanctus indefectibilis à ſanctitate, & aliundè exaudiat preces invocantium, poteſt à fidelibus invocari.* Idque probat ex continuato, & laudabili uſu Synagogæ, atquè Eccleſiæ tàm Orientalis, quàm Occidentalis, ac conſuetudine fidelium, etiam miraculoſis comprobata ſuccurſibus.

161. Cognoſcit autem S. ELIAS orationes, & deprecationes, & invocationes ad ipſum factas, per Dei, & Angelorum revelationes, illuſtrationes, & colloquia, quibus in eo fœliciſſimo ſtatu frequenter fruitur. *Quomodo orationes noſtras cognoſcat.* His enim ſupernaturalibus conſolationibus perfrui refragabitur nemo, & expreſsè concedunt Suarez (a) Gaſpar Sanctius (b) & alij. Aut etiam inſtar Angeli, vel ſpiritus ſibi manifeſtata agnoſcit. Ut ut ſit, ſive iſto, ſive illo, ſive utroque modo ELIAS orationes ad ipſum directas intelligat, res pro comperto eſt, Eccleſiæ ſtylo comprobata, ab hominibus invocari poſſe. Ipſum autem ſcire ea, quæ in hoc mundo geruntur, evidens eſt ex litteris, quas annis aliquot poſt raptum, è Paradiſo miſit ad Joram Regem Judæ, de quibus *libro* 2. *Paralip. cap.* 21. majori autem ratione id exiſtimandú circa Ordinem ſuum; ſcire nempè ea, quæ ipſum concernunt: noſſe quoque, qui & quandò, & qualiter eum invocent, aut ſe ei commendent. Etenim ſi S. Eliſeus adhuc in hac vita mortali exiſtens, & longè abſens à ſuo famulo Giezi viderit ipſum munera accipientem à Naaman, ut habetur *libro* 4. *Regum cap.* 5. Si tres tribuni injuſtè accuſati, ac condemnati, & nautæ in tempeſtate jactati ſe commendantes orationibus S. Nicolai longiſſimè abſentis, & adhuc viventis, exauditi fuerint? Si Sancti veteris Teſtamenti exiſtentes in limbo noverint, quæ gerebantur in terris, & ſui populi curam geſſerunt, pro eis oraverunt, & cùm Deo viſum eſſet, etiam eis opitulati ſunt, ac proindè meritò invocari & honorari poterant (ſic Jeremias, & Onias viſi ſunt orare pro populo Judæorum *lib.* 2. *Machab. cap. ultimo.*) Haud minori (quin & majori) fundamento id indubitanter aſſerendum de S. ELIA, fœliciſſimam vitam ducente in Paradiſo. Quia & optimæ notæ Theologi exiſtimant, etiam animas Purgatorij pro nobis orare, & impetrare; quandoquidem anima Paſchaſij, & S. Severini miracula operabantur, etiamſi in purgatorio degerent, ut patet ex S. Gregorio *lib.* 4. *Dialog. capite* 40. & Petro Damiano *in epiſtola de miraculis ſui temporis.* Ita Bellarminus *de Purgatorio lib*, 2. *cap.* 15. Hactenùs dicta confirmationem accipient ex mox ſequentibus. De cultu S. P. ELIÆ plura dicentur ad diem 20. Julij.

(a) To. 2. in 3. p disp. 55 ſect. 1.
(b) In c. 2. l. 4. Reg.

CAPUT VI.

Litteræ à S. ELIA *è Paradiſo miſſæ ad Ioram Regem Iſrael, Apparitiones ejus, patrocinium efficax.*

162. ANnis quinque poſt raptum S. P. ELIÆ pio Regi Joſaphat ſucceſſit impius Joram: qui mox occidit gladiô omnes fratres ſuos, & quoſdam de Principibus Iſraël, ambulavitque in viis perverſis Achab. *ELIAS poſt raptum litteras ex paradiſo miſit.* Ideò ELIAS ad ipſum litteras è Paradiſo miſit minaces, & antiquum zelum ſpirantes, & gravem morbum, ita ut viſcera egerat, donec in doloribus, & fœtoribus infœlicem animam exhalet: quæ mox evenerunt, prout refertur libro ſecundo Paralipomenon his verbis (a): *Allata autem ſunt ei litteræ ab* ELIA *Propheta*, &c. tranſmiſſæ videlicet Angelorum miniſterio, ſive per Eliſeum, aliumve Prophetam, vel virum fidelem. Itaque ſicut in transfiguratione

(a) Cap. 21.

ratione Chriſti apparuit Petro, Jacobo & Joanni [illegible] cum Moyſe, ſic & idem apparuit hic alicui viro, eique litteras à ſe ſcriptas ad Joram perferendas dedit. Ita Cornelius à Lapide in illum textum, ubi ex placito plurium, refert id contigiſſe anno nono poſt raptum. Indè ut veriſſimum eruitur, ELIAM in eo eſſe ſtatu, quo noſcit ea quæ in mundo geruntur, præſertim quæ ipſum concernunt, & eorum curam habere. Traditio etiam eſt inter Hebræos ELIAM hàc gratiâ donatum, ut nulla apud eos fiat circumciſio, cui ELIAS inviſibiliter præſens non adſit, ut videre eſt apud Kimchium *Malach. 4.* Galatinum *lib. 10. de arcanis cap. 6.* & Genebrardum *libro 1. Chronologiæ.* Galatinus *de arcanis lib. 17. cap. 12.* alias quaſdam apparitiones ELIÆ, & revelationes refert ex Judæorum placitis, quæ cùm non paucis ſint intermixta figmentis, ad certa & indubitata tranſeamus.

[margin: [illegible] hic gesta sunt.]

163. Celeberrima S. ELIÆ apparitio ea fuit, quæ à SS. Euangeliſtis Matthæo, Marco & Luca deſcribitur facta in monte Tabor unà cum Chriſto transfigurato: & quidem S. Matthæus (b) his verbis: *Apparuerunt illis* (Petro, Joanni, & Jacobo) *Moyſes, & ELIAS cum eo* (IESV) *loquentes.* Marcus verò *capite 9.* ſic: *Apparuit illis ELIAS cum Moyſe.* Et Lucas *cap. 9.* ita: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & ELIAS, viſi in majeſtate: & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* Cur cum Chriſto apparuerint Moyſes, & ELIAS hæc imprimis fuit cauſa, quòd Moyſes fuerit Legiſlator legis veteris: ELIAS verò princeps prophetiæ & Prophetarum: quare ipſe repræſentavit totum Prophetarum chorum. Hi ergo duo apparuerunt, ut oſtenderent Chriſtum verè eſſe Meſſiam, Salvatorem mundi à ſe in lege & Prophetis promiſſum. S. Thomas (c) exponens hiſtoriam transfigurationis has etiam inter cæteras adfert rationes: *Quia enim continuò IESVM accuſabant Iudæi, tamquàm tranſgreſſorem legis, & blaſphemum, Patris ſibi gloriam uſurpantem: ut oſtendatur ab utraq; accuſatione innoxius, eos qui in utroq; fulſerunt, in medium ducit, etenim Moyſes legem dedit, & ELIAS pro gloria Dei æmulator fuit. Alia ratio eſt, ut diſcant, quoniam mortis & vitæ poteſtatem habet, propter hoc & Moyſen qui morte defecerat, & ELIAM, qui nondùm mortem paſſus fuerat, in medium ducit.* Et poſt alia: *Sic ergo Dominus undique habuit teſtes ex cœlo vocem Patris, ex Paradiſo ELIAM, ex inferis Moyſen, ex hominibus Apoſtolos: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

[margin: (a) C. 17. Apparuit in monte Thabor.]

[margin: (b) In cap. 17. Matth.]

164. Tunc Moyſen pro populo Judaico oraſſe perhibet Origenes *homilia VII. ſuper Numeros*: ubi iſta: *Quem*, inquit, *oportebat orare ad Dominum pro ſanitate populi illius, niſi Moyſen? Moyſes orat pro illis. & fortè hoc erat, quòd cum Domino Ieſu colloquebatur, cùm in monte transformatus eſt, petens ab eo, ut cùm plenitudo gentium introiſſet, tunc omnis Iſraël ſalvus fieret.* Ita Origenes. *Æſtimandum planè non eſt, Moyſe pro populo ſuo, qui ſibi adeò rebellis, & cervicoſus ſemper extiterat, ſollicitante; ELIAM Carmeli Patriarcham, cœtum Fratrum ſuorum neglexiſſe, cui legiſlator fuerat & Præceptor*, inquit, Scriptor inſignis Arnoldus Boſtius, (a) argumentum deſumens, & concludens à ſimili. Sed hujus interceſſionis tunc à S. ELIA ad Chriſtum factæ habemus potioris auctoritatis firmiſſimum teſtimoniũ, nempè ipſius Reginæ cœli ſic ad S. Petrum Thomam Patriarcham Conſtantinopolitanum pro conſervatione ſui Ordinis tunc graviter afflicti orantem: *Confidito Petre Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſeculi eſt perſeveratura. ELIAS namque ejus Inſtitutor jam olim etiam à Filio meo id impetravit:* ſeu ut alia lectio habet: *Petre, ne timeas; quia durabit in finem Carmeli Religio noſtra; nam & pro ea ſupplicavit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus ELIAS in Transfiguratione, & impetravit.* Sed de iſtis plura alibi. (b)

[margin: (a) Lib. de Patron. B. V. Mariæ c. 12.]

[margin: (b) Tomo præcedenti num. 661. 66; & ſeq. & 1677.]

165. Altera S. ELIÆ viſibilis apparitio fuiſſe exiſtimatur in Chriſti glorioſâ aſcenſione, de qua Arnoldus Boſtius in eleganti Libro *de Patronatu B. Virginis cap. XI.* Etiam, inquit, cùm JESUS omnipotens hæc inferiora deſerere, & cœlũ conſcendere ſtatuiſſet, ELIAS & Enoch, (juxta quorumdam non incongruam opinionem) teſtes Aſcenſionis Dominicæ in Actibus Apoſtolorum veſtibus albis induti Apoſtolis leguntur adſtitiſſe. Nam cùm Chriſtus glorioſæ Reſurrectionis ſuæ die ſanctos Protoparentes Adam & Evam, cum ſobole ſua beata, quos ab inferni limbo eripuerat, in Paradiſum terreſtrem introduxit, & cum ELIA & Enoch paradiſicolis eos quadraginta diebus uſque ad Aſcenſionis ſuæ tempus dimiſerit: quid mirum, ſi tàm magnipendendæ catervæ, in qua & Carmelicolarum copioſus fuit numerus, ſe junxerint ELIAS & Enoch, ad Oliveti montem uſque cum eis procedentes; ut ipſi quoque Aſcenſionis Dominicæ teſtes eſſent, qui figura fuerunt:

[margin: In Chriſti aſcenſione teſtis adfuit, & viſus fuit.]

[margin: Adam, Eva, & alij poſt Chriſti reſurrect. in Paradiſo cum S. ELIA.]

Qui duo geſturi belli certamina cruda
Contra Antichriſtum geſtant vexilla Tonanti.

Præſertim cum prior ab eodem loco, præſens Moyſi in monte Thabor, advenerit, ut Chriſti divinitatem, & quem in Jeruſalem completurus erat amoris exceſſum Apoſtolis teſtaretur. Sanè utrumque Aſcenſionis Chriſti prænuntium fuiſſe tradit S. Gregorius Papa *Homilia 29. in Euangelia: Enoch*, inquit, *tranſlatus, atq; ad cœlum aereum ELIAS ſublevatus, aſcenſionem Dominicam uterq; deſignavit Aſcenſionis ergo ſuæ Dominus præuncios, & teſtes habuit.* Et S. Bernardus *Serm. 3.* de Aſcenſione Domini: *Nonne tibi videtur ELIAS aſcendentis Domini ſignare perſonam?*

166. Thomas Meſingamus *in florilegio Sanctorum cap. 19. vita S. Patritij* ſcribit, ſanctum Prophetam ELIAM invocatum à S. Patritio, Satanæ vexationi in membris torto, eidem apparuiſſe, & ab inimici preſſura liberaſſe, & artuum, ſenſuum, ac membrorum robur reſtituiſſe. Id quoque indicant illa hymni, ſeu proſæ, aut ſequentiæ de S. Patritio, ex vetuſto Miſſali manuſcripto, deprompta.

[margin: S. Patritius invocat S. ELIAM.]

Et ſic liberatur à Dæmonis preſſura.

Opprimens per triduum
Satan hunc vexavit,
Sed ELIAS *artuum*
Robur reparavit.

S. Eliæ apparitiones variæ.

167. Iſtam, & plures alias apparitiones refert Lezana *in Conſultis variis, Conſulto 3.* ubi inter alias hæc. { Quidam Perſa Chriſtianus, nomine *Anna* vidit in quiete S. ELIAM cum duobus aliis ad ſe venientem: præcipiebat autem illi, ut locum quendam, quem ei monſtrabat, luminibus, & incensò veneraretur. Alius viſo illudens, nocte ſequenti ab ELIA ſancto ſtrangulari ſe vidit: veniam popoſcit, ſubitòque liber extitit. Alius ſaxo percuſſus, & in auricula vulneratus, ſe commendaturus S. ELIÆ, venit ad dictum locum: ibi ſomno correptus vidit S. ELIAM tribus vicibus tangentem, & ſigno crucis ſignantem auriculam: quæ continuò curata fuit. Ibidem duo inter ſe litigantes pro arbitro jusjurandum in loco illo ELIÆ dicato elegerunt: alter falſum jurans, os ſibi versùs collum, & poſterius capitis retortum pro ſupplicio recepit: donec poſt ſex menſes humiliter in eodem loco ſanctum deprecatus ad priſtinam ſanitatem reſtituitur. Mulier etiam quædam Suriana Anna nomine, inter Chriſtianos illos ſolita cognatos inviſere, dum per portam domus exiret, ſanctum ELIAM habitu, & barbâ albicantibus obvium habuit, interrogatuſque quis eſſet; reſpondit: *Ego ſum* ELIAS: *meus locus eſt iſte.* Aliæ ejuſdem S. ELIÆ Apparitiones quandoq; in veſte candida & cum barba oblonga, & ordinariè in habitu Carmelitano, deſcribuntur ibidem. S. Tereſia *in libro fundationum cap. 25.* narrans vocationem Venerabilis Beatricis à Matre Dei (quæ prima fuit Novitia in Conventu Hiſpalenſi) refert, qualiter ei apparuerit venerandus ſenex, ſed vividus & vegetus, Carmelitani Ordinis veſtibus indutus: cujus oblonga barba filamentis argenteis conſtare videbatur. Rogata poſtmodum à ſuis Confeſſariis Beatrix, quis ille fuerit? Reſpondit S.P. ELIAM. Ita P. Franciſcus à S. Maria in *Hiſtoria Prophetica.* Memorabilis quoque eſt viſio, ſeu apparitio facta Venerabili Matri Annæ à S. Bartholomæo (ſociæ S Tereſiæ) relata *cap. 24 Vitæ ipſius,* ab ea ſuorum Superiorum mandato conſcriptæ, quòd nimirùm, tempore cujuſdam congregationis, ſeu Capituli Ordinis, in nube ſplendida viderit S. ELIAM *Patrem ſuum,* extendentem pallium ſuum ſupra Conventum Valliſoleti, in quo celebrabatur Capitulum; cujus ſucceſſus, & exitus, mirabilis fuit, ut ibidem declaratur.

Percelebris apparitio facta an. 1656

168. Inter omnes autem nuperas apparitiones & ſingularia ad invocationem S. ELIÆ præſtita beneficia, celebria, & notiſſima ſunt ea, quæ contigerunt anno Chriſti 1656. quando luctuoſæ peſtilentiæ facibus uſtulata ingemiſcebat Italia, & maximè formidabile illud incendium graſſaretur in regno Neapolitano, cunctam humanæ artis induſtriam vincens, ac naturalium remediorum efficaciam inanem reddens. Erat ibi in terra de Sperone, in viculo dependente à pago d'Avella Diœceſis Nolanæ, Eccleſia quædam vetuſta, derelicta, majori ex parte collapſa, olim Parochialis, dedicata S. Prophetæ ELIÆ: cujus locò, haud longè indè, alia erat ædificata. Reſtabat verò in illa priore pars quædam tecti, & altaris, nec non pictura, repræſentans S Prophetam ELIAM, ſub ſpecie Venerabilis ſenis veſtiti habitu coloris caſtanei (prout geſtant Religioſi in Ordine Carmelitano Reformati) & deſuper amicti palliô, ſeu cappâ albâ, abſque caputio: dextrâ tenentis gladium, & ſiniſtrâ flammas ignis. Ante iſtam Imaginem, quibuſdam diebus perſonæ nonnullæ devotæ lampadem accendebant, preceſque effundebant, ſancto ELIÆ ſe commendantes. Quàdam autem nocte Domino Jacobo Antonio Galeoto Paſtori novæ Eccleſiæ Parochialis de Sperone ſpectandum ſe præbuit ſenex, oblongâ & canâ barbâ, gravique vultu venerabilis, ac in cæteris talis, qualem dicta pictura repræſentat: Dicebatque: *Curam habeto Eccleſiæ meæ* (illius ſcilicet ruinoſæ) *& mihi cura erit impetrare à Deo, ut ceſſet peſtis.* Perplexus Parochus acceſſit Venerandum Dominum Joannem Fellecchia Decanum Eccleſiæ Cathedralis Nolanæ, & tùm Vicarium Capitularem Civitatis & Diœceſis Nolanæ: viſumque ei narravit: quod ille haud magnifaciens, Curatum ad ſuam remittit Parochiam, ut ibi peſte infectis aſſiſtat. Interim Sanctus non tardavit dictum præſtare favorem.

Sub qua figura apparuerit.

169. Etenim circa diem 23 Junij ejuſdem anni 1656. fœmina, quam peſtis invaſerat, & carbunculum in femore ejaculaverat, permota devotionis affectu erga S. ELIAM, ad iſtam ejus Eccleſiam prorepſit: ubi fuſis precibus, oleô è lampade ante iſtam imaginem appensà, partem affectam inungit: &, en, ſubitò convaleſcit: quod mox contigit in pluribus aliis, quos inter fuit R.P. Alexander Carracillo Societatis JESU, cui ferè inter mortuos habito oleum è Lampade S. ELIÆ fuit adhibitum: & mox convaluit. Et ex eo tempore in illis partibus nullus ultrà peſte ſublatus fuit, prout Paſtores, ſeu Curati Locorum teſtati fuerunt coram præfato Domino Decano Nolano. Dum iſta per urbes vicinas circumferuntur, Capuæ Reverendi Domini Canonici Eccleſiæ Cathedralis, & cæterarum Eccleſiarum collegiatarum Sacerdotes, nec non ejuſdem Urbis Senatus elegerunt Sanctum Prophetam ELIAM in Patronum, & Protectorem ſuæ inclytæ civitatis, atque exindè etiam ibi peſtilentiæ faces penitùs extinctæ fuêre, ita quidē, ut mox à facto voto ipſi S. Prophetæ, nullus ultrà peſte moreretur, prout notaverunt, & affirmaverunt Præfecti ſanitatis. Iſta omnia ex publicis & authenticis inſtrumentis pleniùs deſcripſimus in *Vinea Carmeli parte 2. capite ultimo,* & *parte 3.* ſub finem, ubi ex plurimis tunc in illa ſolemnitate Capuæ appenſis elogiis, anagrammatibus, & epigrammatibus quædam etiam relata ſunt, unum hic ſufficiat:

Ejus meritis peſtis mirabiliter profligatur.

Pone metum,
Quiſquis à morte times;
Elias adeſt:
Hunc mors ipſa timet,
Ut metuenda cunctis.
Scilicet à Thesbite manus abſtinuit,
Congreſſum nec tulit.
Ab ejus morte ipſa ſibi mortem metuit.
Morbum inter letalem
Lætus incedat
Eliæ cultor.
Etiamnum vivit, & vivit nobis.
Qui olei vel guttulâ
Ipſum colentes Campanos ſervabit cives.
Pone metum,
Quiſquis à morte times.

Ex hactenùs dictis confirmantur ea quæ capite præcedenti ſunt dicta de cultu S. Eliæ: & quòd ipſe hujus mundi rerum curam gerat, ipſiusque auxilium poſtulantibus præſto aſſiſtat. Rectèque ab Eccleſia univerſali invocari poſſe, & per officium Canonicum ejus interceſſionem exorari, ac Feſtum ſolemnizari.

170. ANNOT. *Apparitiones S. Eliæ in Carmelitano habitu plures aliæ factæ ſunt. Quoad eam, cujus mentio facta fuit jam ante, ex teſtimonio Venerabilis Matris Annæ à S. Bartholomæo, ab ipſamet ſcripto, pleniùs, & cum circumſtantiis illam commemorat eruditus ſcriptor Chryſoſtomus Henriquez, Ordinis Ciſtercienſis, in hiſtoria vitæ, virtutum, & miraculorum ejuſdem Ven. M. Annæ (a), & ex eo, atque ex ulteriori certificatione Thomas Aquinas à S. Joſepho in diſſertatione hiſtorico-Theologica de Patriarchatu S. Eliæ (b) ubi iſta:* Anno 1587 cum celebrandum eſſet capitulum illud, quod vocatum eſt Magnum, ut ſtatuerentur ea, quæ ad fovendam & conſervandam naſcentem Ordinis reformationem, ac nutriendam in ea pacem, unionem, charitatem, & monaſticam perfectionem, poterant neceſſaria judicari; atque ea de causâ, quæ nulli non videbitur graviſſima, ferventes, frequentesque in omnibus Monaſteriis, ad divinam opem implorandam, preces funderentur, . . . V. M. Anna à ſancto Bartholomæo, notiſſimæ virtutis, & altiſſimæ contemplationis Virgo, quæque ob eximias animi dotes, maximè verò puritatem admirabilem, ſanctæ Virgini Thereſiæ fuit chariſſima & in Cœnobiorum erectionibus individua comes, augente conſuetum precandi fervorem, pro Congregationis in qua vivebat præſenti neceſſitate, divinam pietatem ardentiſſimis deſideriis, precibusque ferventiſſimis ſollicitabat. Cumque die quâdam, accepto auguſtiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, ſuſpiriis, & precibus divinam bonitatem inſtantius pulſaret, apparuit illi nubes, quæ ardere, ignisque ſcintillas ejaculari videbatur, atque ex ea emergens ſanctus Pater Elias, qui expanſo ſuper Valliſoletanum Cœnobium, in quo congregati erant Patres, pallio, apertiſque brachiis videbatur eos velle amplexari, eiſque ſpiritum ſuum infundere. Neque certè caſſa aut inanis fuit viſio, Capitulum enim tanto fervore, tantâ voluntatum conſenſione, tanto denique boni communis, & avitæ perfectionis zelo celebratum fuiſſe conſtat, ut à Patribus, qui illud componebant, id miraculi loco haberetur, & Capitulum illud, Capitulum coeleste, & Capitulum Dei fuerit appellatum. *Ita ibi. Meritò ſubjungitur:* Quoniam ſanctiſſimus Propheta, dum in ea Carmeli renaſcentis neceſſitate, eo habitu, eoque corporis geſtu voluit conſpici, ſeſe Ordinis Principem & Parentem amantiſſimum ſatis ſuperque expreſſit. *Eadem etiam apparitio refertur in Hiſtoria generali Carmelitarum Diſcalceatorum (c) Romæ impreſſa an. 1648. atque alia ibi ante (d). Qualiter apparuerit in habitu Carmelitano Venerabili Catharinæ de Cardona, traditur à P. Franciſco à S. Maria, in Annalibus Carmelitarum Diſcalceatorum (a) atque etiam de aliis alibi (b). Peculiariter autem Michael Baptiſta de la Nuza, Regis Hiſpaniarum à conſiliis, Protonotarius regni Aragoniæ, in admirabili hiſtoria vitæ Venerabilis Virginis Franciſcæ à SS. Sacramento, plures refert S. P. Eliæ apparitiones in habitu Carmelitano. Tomo 4. operum Venerabilis P. Joannis à Jeſu Maria, in hiſtoria Miſſionum, in additamento (c) memoratur, frequenter in habitu Ordinis apparuiſſe in Perſide. Ibi igitur iſta:* Huc ſpectavit, & ſummoperè profuit, ea, quâ N. S. P. Elias apud Orientales populos, & Chriſtianos, & Mauros in veneratione eſt, famâ percelebris & præcellens exiſtimatione, eò quod ſæpiùs, variisque hominibus ipſo in noſtro Religioſo habitu comparuerit. *Et paulò infrà:* (d) his aliquoties etiam ſe videndum exhibuit S. P. N. Elias, ea in habitus forma, quâ induimur, priuſquàm umquam in illis terris comparuiſſemus, prout oculati teſtes, qui adhuc in vivis ſunt, non pauci, & cum quibus familiariter egi, conſtanter aſſerunt.

(a) Lib. 3. cap. 22.
(b) Parte 2. ſect. 11.
Apparitio S. Eliæ in nube.
(c) Lib. 3. cap. 35.
(d) Cap. 29.
(a) Tom. 1. lib. 4. c. 11.
(b) Lib. 3. c. 38. lib. 5. c. 46. Tom. 2. lib. 7. c. 50.
(c) Pag. 383. in fine impreſſ. Colon. an. 1650.
(d) Pag. 384.

171. *Quoad iſtam per publicè notam apparitionem S. P. Eliæ factam in Epiſcopatu Nolano, & profligatam ibi, ac in Archiepiſcopatu Capuano peſtem, anno 1656 meritis ejuſdem S. P. Eliæ, ea occaſio fuit, & motivum Eminentiſſimo Cardinali Meltio Archiepiſcopo Capuano, præſentando libellum ſupplicem, de quo in litteris, datis Romæ 12. May 1657. hujus tenoris ſequentis:* His diebus Eminentiſſimus Cardinalis Meltius Archiepiſcopus Capuanus, humiliter & enixè ſupplicavit ſuę Sanctitati, quatenùs concederet facultatem in ſua Archidiœceſi ſolemniter celebrandi feſtum S. Eliæ Prophetæ Patriarchæ ac inſtitutoris Ordinis Carmelitarum ac eligendi ipſum in Patronum ac protectorem dictæ Urbis ac Diœceſis, in recognitionem ac gratiarum actionem beneficii ejus meritis & patrocinio conſecuti, peſtis ſcilicet ibidem graſſantis extinctionis. Cùm enim Clero & Magiſtratui ejuſdem Civitatis innotuiſſet, plures peſtilentia correptos ſubitò convaluiſſe ac incolumitati fuiſſe redditos; dum ſe S. Eliæ commendaſſent, ac oleo ex lampade ante ejuſdem ſancti imaginem ardente fuiſſent peruncti, eidem ſancto Prophetæ voto ſe obſtrinxerunt, ac ſolemnem ad jam dictam in templo Carmelitarum imaginem ſupplicationem ſivè proceſſionē inſtituerunt, mox peſtis in Univerſa Civitate Capuana extincta eſt. Idem beneficium experta ſunt ejuſdem Sancti ope loca omnia vicina. Præterea cives Capuani promiſerunt pretioſiſſimum pallium, ſeu veſtem eidem S. offerre, ac dictam proceſſionem ad ejus imaginem ſingulis annis perpetuis futuris temporibus in gratiarum actionē frequentare. *Litteræ illæ miſſæ fuerunt Gratium in Styria, ad R. P. Paulum ab omnibus ſanctis Carmelitam Diſcalceatum (cujus mentio aliquoties fuit in Tomo præcedenti) (e) tunc ibi Vicarii officio fungentem, ſcriptæ, uti teſtatur, à viro maximæ* auctoritatis.

(e) Num. 1334. 2299.

DIGRESSIO.

Ad Prophetiam quandam attributam S. P. Eliæ, de duratione mundi ſex millibus annorum.

172. Sanctus Elias, *Prophetarum vertex, ſummus Princeps* paſſim nuncupatur, & ideò cum Moyſe, inter Legiſlatores primatum obtinente, adfuit Chriſto in transfiguratione, ut capite præcedenti dictum eſt. Prophetæ munus eſt, prædicere futura, & pandere ſecreta. Famem enim triennalem, cujus nulla erant indicia, Achabo Regi & Iſraelitis prænuntiavit. Viduæ Sarephthanæ farinæ atque olei multiplicationem ex oraculo repromiſit, futuram pluviam prædixit, ſicut & alia multa, quæ Eliſeo, Jehu, Azaeli, Achabo, Jezabeli, Ochoziæ ventura erant. Deinde multa cordium ſecreta aperuit. Et iſta inconcuſſæ certitudinis ſunt: quod ſequitur dumtaxat eſt probabile.

173. Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta libro 5. annotatione 190. circa illa Pſalmi 89 verba *Quoniam mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna, quæ præterit.*

De duratione mundi ſex millibus annorum.

terris. Patrum multorum demonſtrat eſſe ſententiam, præſentis ſæculi durationem ab orbe condito, ad diem judicij, concludendam ſpatiò ſex millium annorum. Ad ejus confirmationem adfert vulgatam quandà, attributam traditionem ſancto Prophetæ ELIÆ his verbis: *Setta a'phe ſene lebeve alma, vechad chareb, be alaphim tobu, be alaphim tora, be alaphim iemot Hamajciach:* hoc eſt: *ſex millia annorum erit mundus, & iterum deſtruetur: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Meſſiæ.* Id eſt, duo millia à condito mundo uſque ad Abraham, à quo incœpit lex circumciſionis, & inde duo millia uſque ad Chriſtum, & deniquè duo millia uſque ad mundi conſummationem. Quidam exiſtimarunt traditionem illam promanaſſe non ab ELIA Thesbite, ſed ab ejus diſcipulo Jona, quem à mortuis ad vitam revocarat, qui (juxta S. Hieronymum præfatione in Jonam) fuit filius viduæ Sareptanæ, nonnulli alteri cuipiam attribuendam putarunt. Sed ELIAM Prophetam propheticæ iſtius traditionis eſſe auctorem ſententia eſt Stratonici Cumarum Epiſcopi in Collectaneis, & aliorum apud Lezana *in Annalibus* (a) & *in Conſultis variis.* (b) Agit etiam de illa Prophetia Ægidius Camartus libro *de rebus geſtis* ELIÆ *cap. 6. ſect.* 10.

(a) Tom. 1. ad an. mundi 3129. n. 4.
(b) Conſult. 3. num. 121.

174. Cùm autem hic ſermo inciderit de ſex millibus durationis mundi non abs re erit, neque extra propoſitum patefacere hoc loco, quòd in hanc ſententiam conſpirare videantur Chriſtiani, Hebræi, Gentiles, Græci & Latini; ut videatur eſſe vetus communiſque traditio, ſicut declarat Sixtus Senenſis in *Bibliotheca ſancta* hîc ante citata, & Cornelius à Lapide *in caput* 10. *Apocalypſis.* In hunc ſenſum S. Hieronymus *in epiſtolari explicatione Pſalm.* 89. ad Cyprianum ad illum verſiculum: *Quoniam mille anni ante oculos tuos ſicut dies heſterna* ſcribit: *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco mille annos pro uno die ſolitos appellari, ut ſcilicet, quia mundus in ſex diebus fabricatus, ſex millibus tantùm annorum credatur ſubſiſtere, & poſteà venire ſeptenarium & octonarium numerum, in quo verus exercetur ſabbatiſmus* Ferè ſimilia habet S. Auguſtinus *libro* 20. *de civitate Dei cap.* 7. explicans illa verba Apocalypſis: *Donec conſummentur mille anni.* Irenæus *libro quinto adversùs hæreſes, cap. ultimo* in eandem ſententiam ſic loquitur: *Quotquot diebus hic factus eſt mundus, tot & millenis annis conſummatur. In ſex autem diebus conſummata ſunt, quæ facta ſunt. Manifeſtum eſt ergo, quoniam conſummatio illorum ſextus milleſimus annus eſt.* Aliorum auctoritates videri poterunt apud præfatum Sixtum

175. Iſtis conſonare videtur attributa S. Malachiæ Archiepiſcopo Prophetia de Romanis Pontificibus, à ſuo ævo uſque ad finem mundi, quos omnes ordine per ſymbola & emblemata depingit; quæ ſymbola explicuit, & ſingulis Pontificibus uſque ad Clementem VIII. appoſitè adaptavit Alfonius Ciacconus. Si vera ſit illa prophetia, & reſtantibus ſingulis aſſignentur novem, decem, undecim, aut duodecim anni, quibuſdam fortè plus, & pleriſque minus, pertinget eorum ſeries circiter ad annum à Chriſto nato bis milleſimum; duo autem annorum millia legis Evangelicæ juncta quatuor millibus anterioribus, conficerent ſex millia, quibus mundus duraturus putatur, juxta præfatam traditionem attributam S. P. N. ELIÆ; occaſione cujus iſta hîc obiter, & cum omnimoda dictorum ſubjectione judicio S. Romanæ Eccleſiæ. Ut autem omninò ea quæ infallibilis ſunt veritatis (cujuſmodi ſunt pleraque ex Sacro Textu allata hactenus) ſecernantur ab iis, quæ tam certa non ſunt, veluti iſta de tempore conſummationis mundi, ea tamen hic prætermittenda non videbantur, cùm Auctores non contemnendæ auctoritatis ea ut vera, aut certè non improbabilia ſuſcipiant, & Patres non exiſtiment abſurdum, id ELIÆ Prophetæ tribui.

176. Animadvertendum autem, quòd, ſuppoſitâ veritate iſtius traditionis, de duratione mundi ſex millibus annorum, iſti ſex millenarij non præcisè, & arithmeticè accipiendi, ſed moraliter hoc ſenſu, quod mundus duraturus ſit tantùm ſex millenarios annorum non plures, ac proindè non perventurus ſit ad ſepties milleſimum, ſed ante eum deſinet: an autem, & quot anni, vel ſimplices vel deni, vel etiam centeni poſt ſexies milleſimum futuri ſint, & excurſuri versùs ſepties milleſimum, uſque ad finem, aut etiam ſextus milleſimus (qui nunc volvitur) non omninò ſit complendus, hoc ignoramus: juxta illud Chriſti *Act.* 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Et Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo.*

VITÆ S. P. ELIÆ
PARS QVARTA

De futuro S. P. ELIÆ reditu, geſtis tempore Antichriſti, martyrio, & glorioſo in cœlos aſcenſu.

CAPVT PRIMVM.

S. ELIÆ *futurus regreſſus in mundum: per eum fideles confirmandi, Iudæi ad Chriſtum convertendi.*

177. MAlachias Propheta *capite* 4. de reditu S. ELIÆ ſub finem mundi, nos his certiores reddit verbis: *Ecce ego mittam vobis* ELIAM *Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *libro de Gentium vocatione capite* 5 (cujus titulus eſt: *in finem mundi in Chriſtum credituri ſunt Iudæi*) præfata Malachiæ verba exponens: *Malachias quoque*, inquit, *ante finem mundi* ELIAM *ſic dicit eſſe mittendum ad converſionem Iudæorum: Ecce ego mittam vobis* ELIAM *Prophetam &c. Ante adventum enim judicij, mittet Dominus* ELIAM, *ad convertendum cor filiorum ad cor Patriarcharum & Prophetarum: ut credat poſteritas eorum in Domino Ieſu Chriſto, quem illi prophetantes expectaverunt. Nam ſi hactenùs Iudæi rectè crederent, quid eſt, in quo per* ELIAM *converti eos in noviſſimo Propheta teſtatur?* Et infrà: *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum. Hoc in noviſſimis erit temporibus, quandò* ELIA *prædicante, convertetur Iudæa ad Chriſtum, ut ſit unum cum Iſrael ſpiritualiter, id eſt, cum populo gentium, jam Deum ex fide videntium, ponentem ſibimet caput unum, quod eſt Chriſtus, aſcendenteſque de terra, hoc eſt, à carnali terrenaq; ſpe ad promiſſa cœleſtia.*

178. Præfata Malachiæ verba ſic quoque de S. ELIA interpretantur Patres alij, Græci ac Latini relati à Cornelio à Lapide in iſtum locum: ubi notat in quibuſdam rationibus haberi ELIAM *Thesbitem* prout habet S. Auguſtinus mox adferendus, & Sibylla ita canens:

Tum quoque cœleſti curru devectus inibit,
Terras de cœlo Thesbites, ſignaq; trina
Oſtendet toti mundo vita pereuntis.

Idque

Et irrefragabili teſtimonio Chriſti.

179. Idque confirmatur irrefragabili teſtimonio Chriſti *Matthæi 17.* ELIAS *venturus eſt, & reſtituet omnia.* Ferè eadem habentur apud Marcum, & Lucam. Ad idem alludit Eccleſiaſticus *cap. 48.* ubi de S. ELIA *Thesbite: Qui ſcriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, & conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* S. Victorinus Epiſcopus Pictavienſis (a) [Martyrio coronatus An. Chriſti 303.] *in caput 7. Apocalypſis* etiam illa verba: *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi,* explicat de S. ELIA ita ſcribens: *Cùm Ioannes ait: Vidi alterum Angelum aſcendentem ab Oriente, ſolum* ELIAM *Prophetam dicit, qui anticipaturus eſt tempora Antichriſti, ad reſtituendas Eccleſias, & ſtabiliendas à magna, & intolerabili perſecutione.* Plura circa hæc videri poterunt in Commentario noſtri Joannis de Sylveira in iſtum locum. Iſtud igitur de S.P.N. ELIA ſaltem probabiliter: alia enim jam ante adducta certa ſunt, & indubitanter intelligenda de S. ELIA.

(a) Extat in Bibliothec. PP tom. 3. edit. Colon.

Cur ad id munus deſtinatus.

180. Ipſe autem ad hoc officium Præcurſoris ſecundi adventûs Chriſti à Deo deſtinatus eſt, tum ob ingentem zelum, quo opus erit in fine mundi, quando refrigeſcet charitas, & abundabit iniquitas. Mittetur ergo zeloſus ELIAS, ut cum Antichriſto confligat, ut perverſiſſimos illius ævi mores emendet, itaque viam ſternat Chriſto venturo. Quia enim ob zelum cœleſtem raptus eſt in cœlum: E cœlo ergò quaſi cœleſtis Chriſti è cœlo venturi teſtis adveniet. Tum quia ELIAS Propheta igneus, ut ignem inſtantem peccatoribus prænunciet, eoſque ad fidem & pœnitentiam accendat, quo hunc ignem evadant. Hinc de eo legitur: *Surrexit,* ELIAS *Propheta quaſi ignis.* Tùm quia ipſe Iſraëlis, & Judæorum fuit cuſtos, Propheta, Doctor, Protector, Apoſtolus. Veniet ergo, ut ſuos Judæos per tot ſæcula aberrantes à Deo, ad eum & Chriſtum reducat. Plures aliæ rationes videri poterunt apud Interpretes in illum locum.

Quomodò convertet cor patrum ad filios.

181. Dicitur autem, quòd *convertet cor patrum ad filios* excitando ſcilicet in filiis, idem cor, id eſt, eundem animum, fidem, deſiderium & devotionem erga Chriſtum, quod habuerunt eorum patres, ut eos filij imitententur & æmulentur. q.d. ELIAS ſuâ prædicatione reſtituet, & revocabit fidem & devotionem patrum, Patriarcharum ſcilicet & Prophetarum antiquorum erga venturum Meſſiam in filiis, id eſt poſteris. Ita Cornelius à Lapide *in caput 4. Malachiæ.* Circa præfata verba: *Convertet cor patrum ad filios,* ubi & hæc inter cætera: *Ex hoc ergo loco patet, Iudæos penè omnes in fine mundi convertendos eſſe ad Chriſtum, per* ELIAM. *Ita cenſet S. Chryſoſtomus* hom. 58. in Matth. ELIAS *inquit, reſtituet omnia, incredulitatem videlicet Iudæorum, qui tunc erunt reſidui, ad fidem convertet.* Et infrà: *Eſtq; hæc communis Patrum & Eccleſiæ traditio. Ubi nota, cùm ait Chriſtus.* ELIAS *reſtituet omnia, ſignificat ingentem tunc fore converſionem: ad hæc,* ELIAM *facturum pacem inter Iudæos & Gentes, tanto tempore diſcordes, ut uno fœdere in Chriſti fidem & Eccleſiam coëant: inſuper,* ELIAM *collapſos Cleri & populi mores reformaturum, ſuoq; Zelo Apoſtolico omnia ad avitum nitorem & primigenium ſplendorem quem habuit Eccleſia tempore Apoſtolorum, reparaturum, ut Chriſtiana religio & ſanctitas ubiq; mirificè ſplendeat & coruſcet.* Hæc ibi Cornelius, & aliquantò ante: *Quocirca Iudæi avidè exſpectabunt* ELIAM, *ut Chriſtum ab eo deſignatum amplectantur. Hinc Rabbinorum de* ELIA *gnome eſt;* TISBI, *id eſt,* ELIAS THESBITES, *ſolvet dura, hoc eſt, nodos omnes, & quæſtiones. Ad* ELIAM *enim remittunt, quidquid in Scriptura dubium & obſcurum incidit, uti refert Quinquarborem in Abbreviaturis Hebr. Imò Iudæi etiamnum, quoties aliquem circumcidunt, ponunt, ornantque* ELIÆ *ſellam, cenſentes eum in ſpiritu adeſſe, & zelari pro lege Domini, ut tradunt Rabbini in Thalmud.* Ita Cornelius.

Notabilia S. Auguſtini verba circa antedicta.

182. Iſta de converſione Judæorum per S. ELIAM Prophetam confirmat, & qualiter fiet, declarat ſanctus Auguſtinus *libro 20. de Civitate Dei capite 29.* cujus hic eſt titulus; *De adventu* ELIÆ *ante judicium, cujus prædicatione Scripturarum ſecreta reſerante Iudæi convertentur.* Ibi conſequenter hæc inter cætera: *Ecce ego mittam vobis* ELIAM *Thesbitem, antequàm veniat dies Domini magnus & illuſtris: qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum, ne fortè veniens percutiam terram penitùs. Per hunc* ELIAM *magnum mirabilemq; Prophetam expoſita ſibi lege, ultimo tempore ante judicium, Iudæos in Chriſtum verum id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibuſq; fidelium. Ipſe quippe ante adventum judicii Salvatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus: qui etiam nunc vivere non immeritò creditur. Curru namque igneo raptus eſt de rebus humanis, quod evidentiſſimè Scriptura teſtatur. Cùm venerit ergò exponendo legem ſpiritualiter, quam nunc Iudæi carnaliter ſapiunt: convertet cor patris ad filium, id eſt cor patrum ad filios. Singularem quippè pro numero plurali Interpretes Septuaginta poſuerunt. Et eſt ſenſus, ut etiam filij ſic intelligant legem, id eſt, Iudæi, quemadmodùm patres eam intellexerunt, id eſt Prophetæ, in quibus erat & ipſe Moyſes. Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cùm intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum: & cor filiorum ad patres eorum, dum in id quod ſenſerunt illi, conſentient & iſti.* Et infrà: *Quod verò ſequitur: & cor hominis ad proximum ſuum, id eſt, convertet* ELIAS *cor hominis ad proximum ſuum: quid melius intelligitur, quàm cor hominis ad hominem Chriſtum? Cùm enim ſit in forma Dei Deus noſter: formam ſervi accipiens, eſſe dignatus eſt etiam proximus noſter. Hoc ergo faciet* ELIAS.

Atque aliorum Patrum.

183. Ad idem intentum S. Gregorius *libro 11. Moralium capite 10.* ſcribit: ELIA *veniente promittitur, quòd reducat corda filiorum ad patres eorum, ut doctrina ſcilicet, quæ nunc à Iudæorum cordi ablata eſt, tunc miſerante Domino redeat, quando hoc intelligere de Domino cœperint filii, quod prædicaverunt Patres.* Alia ex eodem habes hic ſuprà *parte 1. capite 3.* Sic quoque S. Thomas *in Apocalypſim* ad illa verba: *Dabo*

duobus teſtibus meis ſubdit: *Temporibus Antichriſti, gentibus ad plenum ſuſceptis*, ELIA *& Enoch prædicantibus, quotquot ex plebe Iudaica fuerint inventi convertentur, & fideles quique roborati, in ſoliditate ſanctæ Eccleſiæ perſiſtent. Hoc etiam dicitur, ſicut dicit Gregorius de* ELIA *per Malachiam. Malach.* 1. *Ecce ego mittam vobis* ELIAM *Prophetam, &c.* Si quis quærat, quomodò tàm brevi tempore illa fieri poterunt? Reſpondent Doctor Suarez *parte* 3. *Tomo* 2. (a) *Diſput.* 55. *ſect.* 2. & cùm eo Cornelius à Lapide in caput XI. Apocalypſis *verſu* 5. quòd illud præſtiturus ſit unà cum ſocio ſuo Enoch, non tantùm verbo, ſed & ſcripto, & etiam cooperantibus diſcipulis. *Non eſt credendum,* ajunt, *Enoch &* ELIAM *ſemper ſimul inceſſuros: ſed veriſimilius eſt, eos ſeorſim diverſas regiones peragraturos, donec divino nutu in eum locum conveniant, ubi ſimul trucidandi ſunt. Denique credibile eſt non ſolùm verbo, ſed & ſcriptis conſolaturos, & confirmaturos fidelium animos; quos etiam plurimùm eriget fama virtutis eorum, & potentia adversùs Antichriſtum. Addunt quoque aliqui habituros diſcipulos, quos per univerſum mundum mittant.*

(a) Diſp. 55. ſect. 2.

CAPUT II.

Sancti ELIÆ *geſta prodigioſa tempore Antichriſti.*

Elias & Henoch adhuc vivunt.

184. EX hactenùs dictis habetur SS. ELIAM & Enoch adhuc eſſe ſuperſtites, ut ſub Antichriſti tempora redeant, ac in campum certaminis prodeant Anteſignani militiæ Chriſti, Eccleſiam propugnaturi, & ſecundi Servatoris Adventûs Præcurſores eximij. De quibus *capite XI. Apocalypſis* iſta: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ quotieſcumque voluerint. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur: & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus eſt terræ motus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia: & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli.*

Reditus eorum graphicè deſcribitur in Apocalypſi c. 11.

185. Patres, & Doctores omnes ferè conſentiunt unum ex iſtis duobus fore ELIAM: idque apertè convincunt varia Scripturæ loca relata & explicata capite præcedenti, videlicet ex Malachia Propheta, nec non ipſius Chriſti *apud Matthæum capite* 17. & *Marcum cap.* 9. atque etiam *Eccleſiaſticus* 48. è quibus certiſſimum habetur, ELIAM eſſe venturum ante diem judicij. De quo ſic S. Gregorius *in Iob. libro* 9. *capite* 4. ſcribit: *Duo illi Prædicatores eximij dilatâ morte ſubtracti ſunt, ut ad prædicationis uſum in fine revocentur. De quibus per Ioannem dicitur: Hi ſunt duæ olivæ & duo candelabra in conſpectu Domini terræ aſtantes. Quorum unum in Evangelio per ſemetipſam veritas pollicetur, dicens:* ELIAS *venturus eſt, & reſtituet omnia.* De altero pauci aliqui dubitarunt. Communiſſima tamen eſt ſententia tàm veterum quàm recentiorum fore Enoch, de quo *Geneſis* 5. Et *Eccleſiaſtici cap.* 44. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Non gentibus, quæ ſunt in paradiſo, ſed quæ degunt in hoc ſæculo, ut convertantur à viis ſuis peſſimis. Hinc ſanctus Ambroſius in Epiſtolam primam ad Corinthios ad illa capitis quarti verba: *Puto enim, Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, quaſi morti deſtinatos.* Subdit: *Hoc ideò perſona ſua deputat, quia ſemper in neceſſitate fuit, perſecutiones, & preſſuras ultra cæteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Enoch & ELIAS, qui ultimo tempore futuri ſunt Apoſtoli. Mitti enim habent ante Chriſtum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Eccleſias, ad reſiſtendum Antichriſto, quos & perſecutiones pati, & occidi lectio Apocalypſis teſtatur. Horum ergo tempus ſuo tempori comparavit Apoſtolus dicens: quaſi morti deſtinatos. Ad hoc enim venturi ſunt, ut occidantur. (Quia ſpectaculum facti ſumus huic mundo, & Angelis, & hominibus.) Quia erunt ſpectaculum & Enoch & ELIAS uſque adeo, ut corpora eorum in platea projiciantur in conſpectu totius populi infidelis.* Et S. Thomas (a) DABO DUOBUS TESTIBUS MEIS, *ſcilicet* ELIÆ *& Enoch, ut dicit Gloſſa, qui nunc ſunt in paradiſo terreſtri, & tunc, ſcilicet tempore Antichriſti, venient in publicum ad teſtificandum veritatem catholicam, & cùm ſuum teſtimonium finierint, interficiet eos Antichriſtus.* Ita paſſim Patres, & Interpretes alij.

Iſta de ELIA *dicta tradunt omnes Patres.*

Et ferè omnes quod etiam de Henoch.

(a) In cap. XI. Apoc.

186. Venient autem tempore regni, & perſecutionis Antichriſti, ut ipſi reſiſtant, & homines in vera fide confirment, & ſeductos reducant, tunc enim homines maximè dubitabunt in fide, tùm propter multa ſigna & prodigia, quæ faciet, quæ videbuntur hominibus vera miracula, & tamen erunt falſa ſecundùm operationem Satanæ. (b) Tum quia terroribus, & minis, & ſuppliciis, & precio, & multis aliis modis inducet homines ad ſe, ut deſerant fidem, ideò tunc maximè neceſſarij erunt viri ſpirituales, potentes in ſermone, & in operatione miraculorum, quales erunt

(b) 2. ad Theſſal. 2.

Cur venturi ſint.

erunt Elias, & Enoch. Ea enim eſt divini regiminis providentia, ut ingenti malo, de magno provideatur remedio. Ita olim etiam idem S. Elias miſſus tempore Achab, ut ejus, & Jezabelis impietatibus ſe opponeret, & ad debellandos idololatras, ac ad inſtituendum verum Dei cultum. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*, id eſt, quadraginta duobus menſibus ſolaribus, ſive annis tribus cum dimidio, minùs octodecim diebus *Amicti ſaccis*, id eſt, veſtimentis durioribus, & craſſioribus, ex mordenti, & aſpera materia contextis, vel ex aſperrimis ſetis, quæ vocantur cilicia, & quibus Prophetæ utebantur. Tali etiam veſte Elias primus fuiſſe uſus legitur, atque ejus exemplò Eliſeus, & reliquus Propheticus Senatus, de quibus S. Paulus *ad Hebræos XI. Circuierunt in melotis.*

Cur vocentur duæ olivæ.

187. *Hi ſunt duæ olivæ*, id eſt inſtar duarum olivarum ſeu olearum, pleni olivis: hæ enim pullulant ex radice. Eſt metonymia. Senſus eſt, q. d. Hi duo, ſcilicet Elias, & Enoch, inſtar duarum olivarum, ſunt ſucculenti, pingues & fertiles bonorum operum, quia multum fructum afferent in converſione Judæorum, ſicuti dictum cap. præcedenti. Per hoc etiam denotatur eorum ſplendor & miſericordia quà miſerati animarum pereuntium ſtragem, ſe ſuaque omnia cum vita pro Judæis ac hominum ſalute, æquè ac pro Dei Chriſtique gloria propugnanda impendent. Oliva eſt ſymbolum ubertatis (uberrimos autem fructus producet prædicatio Eliæ & Enoch) firmitatis, & conſtantiæ, cùm nec tempeſtate, nec carie, nec vetuſtate labefactetur, nec unquàm foliis viduetur. (Illi in Antichriſti perſecutione conſtantes erunt) pacis, & miſericordiæ: illi pacem Eccleſiæ futuram, ceſſante Antichriſti perſecutione, & Dei miſericordiam denuntiabunt.

Et duo candelabra.

188. *Duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Candelabra coram Deo, totoque mundo erunt ſplendore exempli, luce doctrinæ, & radiis miraculorum coruſcantia, & tempore maximè nubilo, ac tenebroſo mundum colluſtrantia. Ipſi igitur tanquàm bina magna candelabra, ac luminaria, ut præcurſores ſecundi Chriſti adventus, prælucebunt Domino venturo ad judicium, & homines ad viam ſalutis illuminabunt: ut Joannes Baptiſta primi adventûs extitit præcurſor, qui dictus eſt: *lucerna ardens & lucens.* (a) Illuminare his, qui in tenebris, & umbra mortis ſedent. Tuncque Elias mundo erit veluti fulgentiſſimus ſol: quem juxta S. Chryſoſtomum, & alios ſuprà relatos Eliæ nomen exprimit. Additur: *Stantes in conſpectu Domini*, quia per intimam contemplationem Deo adhærebunt, & per heroicas virtutes, firmi ac conſtantes erunt in Dei mandatis, paratique ſemper, & quaſi accincti ad quævis juſſa adimplenda. Sic etiam olim dicere ſolebat S. Elias: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto*: & in hoc aſſimilatur ſeptem primariis Angelis, ducibus, ac principibus totius militiæ cœleſtis, qui deſcribuntur *ſtantes in conſpectu Dei.* Apocal. 8.

(a) Joan. 5 v. 35.

Et cur ſtantes ante Dominum.

Quid denotent illa: Ignis exiet de ore eorum.

189. *Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum.* Non quòd realiter ignis exiet ab ore eorum, ſed quia verba orium eorum habebunt vim immittendi ignem in illos; alluditur hîc ad hiſtoriam. 4. *Reg.* 1. Quandò Elias duobus quinquagenariis miſſis ad eum comprehendendum dixit *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te*; moxque ignis de cœlo deſcendens devoravit eum cum omnibus ſuis. Undè Eccleſiaſticus *capit.* 48. de eo dicit: *Dejecit de cœlo ignem ter.* Sic quoque faciet in fine mundi; magnâ enim, & Apoſtolicâ libertate, ſeveritate, ac patientiâ circuibunt urbes & pagos, ac loca, Chriſtum prædicantes, & Antichriſti vitia detegentes, & præſertim in ſancta civitate Jeruſalem. Magiſtratus autem, miniſtri & diſcipuli Antichriſti tentabunt, in illos iniicere manus, & eos capere & occidere: ſed illi mox imperabunt, edicentque; veniat ignis de cœlo, & perdat hoſce Antechriſtianos; ac dicto ocyus ignis deſcendet & perdet eos. Ansbertus Abbas, & quidam alij textum illum moraliter exponunt de efficacia Prædicationis eorum, quâ inflammabunt corda auditorum, juxta illud *Pſal.* 104. quod dicitur de Joſeph: *Eloquium Domini inflammavit eum*, & *Pſal* 118. (a) *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Tantâ enim efficaciâ docendo, prędicando, arguendo, Elias, & Enoch deſtruent, & conſument errores Antichriſti, ac ſi ignis caderet ſuper eos, eoſque deſtruens, conſumens, ac in cineres redigens. *Habent poteſtatem claudendi cœlum* &c. *& percutiendi terram omni plagâ.* Iſtis denotatur ampla eorum poteſtas, à Deo data in ultionem impiorum, non ob ſuas injurias (nam ipſi alioqui patientiſſimi, miſericordiam & pietatem quàm maximè affectabunt, abſque omni paſſione odij, iræ, & furoris) ſed ex zelo Dei; quia verus Deus in ipſis contemnitur, & ſpernitur.

(a) V. 104.

Hactenùs dicta confirmat etiam auctoritas vetuſti Patres S. Ephræm Syri in Tractatu, *de Conſummatione ſeculi, & de Antichriſto*: ubi iſta: *Mittet miſericors Deus* Eliam *Thesbiten, & Enoch, qui palam populo prædicent, ne illi credant, audacter clamantes atque dicentes: Antichriſtus hic eſt atque ſeductor, & filius perditionis, ô homines, nullus illi prorsùs credat impio: nullus veſtrûm aurem tyranno præbeat Deo repugnanti: nullus veſtrum terreatur; citiſſimè enim deſtruetur, diſſolveturq́, poteſtas illius. Dominus ſanctus cum gloria formidabili; jam ecce de cœlo veniet, judicaturus omnes illos, qui ſignis Antichriſti crediderint, obedierintve.* Interpres, & Scholiaſtes in opera S. Ephræm Gerardus Voſſius, poſt præallata verba ſubdit: *Mittit Dominus* Eliam, *& Enoch* &c. *Quod* duo iſti Prophetæ tandem à Deo *optimo maximo ultimis illis temporibus mittendi ſint, qui Iudæos, tunc adhuc ſuperſtites, ad fidem & ovile Chriſti convocaturi ſunt, & pietatem humano generi, ac veram de Deo vero notitiam omnibus (ut dicit hic Ephrem, palam prædicabunt, mortaleſq́, ne timoris causâ credant Antichriſto, eiuſq́, obtemperent falſitati, ſeriò admonebunt, clariſſimum ſacræ Scripturæ patet teſtimonium, validiſſimiſq́, Pa-*

SS. Elias & Enoch prædicabunt contra Antichriſtum.

Id clarum eſt ex S. Scriptura teſtimonio, & Patrum auctoritate.

trum declaratur ſententiis. Et, ut ex multis pauca depromam, hos dixit Dominus per os Ioannis in Apocalypſi cap. 11. [*Dabo, inquit, teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis &c.*] *& qui illi duo teſtes propriè ſint, niſi Enoch & ELIAS; qui prophetabunt, id eſt, prædicabunt, ac docebunt, & ſcripturas interpretabuntur diebus mille, ducentis ſexaginta, id eſt, annis tribus cum dimidio, quanto videlicet tempore duratura eſt Antichriſti prædicatio: ſicut plerique ex Patribus illum locum convenienter interpretantur. Quin & Antichriſtum ipſum (ut auctor eſt Tertullianus libro de anima) duo illi teſtes ſuo tandem ſanguine extinguent. De Iudæis porrò ad Eccleſiam Chriſti per duos hoſce Prophetas convocandis, habes Malachiæ 4. ubi Dominus ſic loquitur. [Ecce ego mittam vobis ELIAM Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, &c.] & de hoc, vide Auguſtinum libro 20. de civit. Dei, ac libro 9. ſuper Geneſis* cap. 6. *& alibi. Confirmaturq́, idem diſertis verbis à Damaſceno,* lib. 4. *Orthodox.* fid. cap 27. *ubi ſub finem ſic enarrat: [Mittentur autem Enoch & ELIAS Thesbites, & convertent corda Patrum in filios, hoc eſt, Synagogam ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Apoſtolorum prædicationem, & ab illo interficientur. Et veniet Dominus ex cælo, quemadmodum Apoſtoli eum conſpexerunt euntem in cælum,* &c.]

CAPVT III.

De poteſtate ſpirituali, extraordinaria conferenda S. ELIÆ, *& de dignitate Apoſtolica.*

190. OCcaſione prædictorum huic loco congruit quæſtio, quam in Theologia Carmelitana (a) pertractat Philippus à SS. Trinitate Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum: *Vtrùm ſanctus* ELIAS *Propheta ſit habiturus in fine mundi ſpiritualem aliquam auctoritatem extraordinariam.* Et reſolvit: *Cùm ſanctus* ELIAS *ſit futurus in fine mundi verus Chriſti Apoſtolus, & Dux populi fidelis contra Antichriſtum; dicendum, quod ſicut habuit ſanctus* ELIAS *Propheta tempore Synagogæ auctoritatem ſive poteſtatem ſpiritualem extraordinariam. Sic illam habiturus eſt in ultimis Eccleſiæ temporibus.* Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quòd ELIAS & Enoch magnam ſunt habituri poteſtatem in patrandis miraculis; Undè ad libitum illa patrabunt, cùm ea neceſſaria crediderint eſſe ad confirmandos fideles, & ad terrendos Antichriſti miniſtros. Et infrà: Quærimus in præſenti, utrum ELIAS Propheta (& idem proportione ſervatâ dicendum de Enoch) ſit habiturus aliquam auctoritatem ſpiritualem extraordinariam in ordine ad inſtructionem, & ſalutem fidelium. Imprimis de auctoritate ſpirituali; nam certum eſt, quòd ex communi fidelium conſenſu & applauſu magnam habebunt auctoritatem temporalem; viſis enim eorum prodigiis, & amore ducti, & formidine pœnæ cuncti imperio ipſorum obedient: inquirimus etiam de auctoritate extraordinaria, cùm enim ſint Miſſionarij ita inclyti à Deo immediatè miſſi, ac tantò tempore præparati, debent habere ſaltem ordinariam auctoritatem Miſſionariis convenientem: & ita dubium procedit de auctoritate extraordinaria, quam concedunt communiter auctores fuiſſe communicatam à Chriſto Domino primitivis ſuis Apoſtolis.

(a) quæſt. 5. art. 5.

S. ELIAS magnam habebit poteſtatem ad facienda miracula & prodigia.

191. Auctoritatem illam extraordinariam infert præfatus Auctor ex poteſtate ſpirituali magna, & multiplici ac penitùs extraordinaria nulli alteri tunc conceſſa, ſaltem adæquatè, & quoad omnia ejus munia, quam habuit tempore Synagogæ, ut ex ipſis Sacris Litteris manifeſtè conſtat. Imprimìs expreſsô Dei mandatô juſſus recedere à turbis hominum, & ſe trahere ad ſolitudinem torrentis Carith his verbis: *Recede hinc*, ibi primus hominum novum vitæ genus, ſcilicet ſolitariæ & Monaſticæ inſtituit, & aliquantò poſt diſcipulos congregare cœpit (quos ad obſervantiam paupertatis, caſtitatis & obedientiæ ſuo exemplo & verbo induxit) quorum præcipuus fuit S. Eliſeus, quem expreſsô Dei mandatô ad ſui ſequelam, & Propheticam Monaſticam Religionem vocavit, & unxit, ac pallium ſuum ei impoſuit: atque ita Eliſeus relictis omnibus factus eſt Religioſus & Propheta. *Vnctio fecit Prophetam, pallium autem contubernalem & Monachum*, inquit Gaſpar Sanctius. Sed de his latiùs in ſequentibus. Secundò habuit quodammodò auctoritatem congregandi Concilia, ad determinandas res fidei, & ejuſdem oppugnatores caſtigandos, ut conſtat ex celeberrima illa congregatione coram Rege Achab in Carmelo: ubi facto inſigni miraculo determinavit Deum Iſraël eſſe ſolum Deum verum, & omnes Prophetas Baal occidit, ut refertur 3. *Regum cap.* 18. Hæc autem auctoritas eſt maxima, quæ Summo Pontifici competit, quam aliqui negant habuiſſe Summum Pontificem Synagogæ. Tertiò habuit auctoritatem erigendi altare, & ſacrificandi extra Hieruſalem poſt templi erectionem, ut habetur eodem loco, quam auctoritatem non habuit Summus Pontifex Synagogæ. Quartò habuit auctoritatem eligendi Reges, & relinquendi Prophetas ſucceſſores poſt ſe, ut habetur 3. *Regum* 19. Iſta & alia dictus auctor ibidem latius proſequitur: deindè infert: Dicimus igitur, quòd in ultimis Eccleſiæ temporibus ELIAS Propheta habebit omnem auctoritatem ſpiritualem extraordinariam, quam habuerunt alij à Petro jam electo Summo Pontifice Apoſtoli Chriſti: quæ auctoritas dicenda eſt in utriſque extraordinaria; tùm quia maxima, tùm quia quaſi delegata (ordinaria quippè reſidet penes Summum Pontificem:) hæc autem delegatio non erit ex commiſſione humana, ſed expreſſo Dei mandato, ut dicit ſanctus Paulus de ſua. Et probatur ex Sacra Scriptura, ex qua vel expreſsè habetur, vel manifeſtè colligitur ELIAM exerciturum tunc temporis hanc poteſtatem: & juxta hoc

Atque etiam poteſtatem ſpiritualem extraordinariam.

hoc exponitur illud *Eccleſiaſtici* 48. *Qui ſcriptus eſt in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Jacob.* Quòd ſcilicet ELIAS tunc erit judex temporum, & univerſalis advocatus fidelium, ſicut fuit tempore Synagogæ. Quod ſic confirmatur: ELIAS tempore Synagogæ habuit ſupra decem tribus Iſraël poteſtatem, & auctoritatem ſpiritualem extraordinariam ſuprà deſcriptam, ubi non videbatur tanta neceſſitas: ergo illam eſt habiturus in fine mundi, quandò erit major Eccleſiæ neceſſitas in turbulentis illis temporibus, ſæviente crudeliſſimâ Antichriſti perſecutione, ad quorum remedium reſervatus eſt ELIAS tamquàm miles Chriſti invictus, & dux fidelium.

Verus Chriſti Apoſtolus erit.

192. Hactenùs ex præfato P. Generali, qui in eodem opere *quaſt.* 4. *articulo* 4. (cujus hic eſt titulus: *Verum S. ELIAS Propheta ſit futurus verus Chriſti Apoſtolus.*) Hanc ſtatuit concluſionem: *Cùm* ELIAS *Propheta* (& idem de Enoch) *poteſtatem & juriſdictionem ſuper totam Eccleſiam immediatè à Deo receperit, cum facultate prædicandi fidem Chriſti in univerſo Orbe, eamq; miraculis confirmandi; eſt futurus verus Chriſti Apoſtolus.* Cujus Apoſtolatus erit glorioſiſſimus, tum ratione ſæviſſimi inimici, tum propter perſecutionem crudeliſſimam, tum propter certamina continua & periculoſiora, tum propter victoriam inſignem, & martyrium omnibus ſuis circumſtantiis inclytum. Ibi conſequenter conditiones requiſitæ, ut quis verus Chriſti Apoſtolus ſit, futuræ in S. ELIA, declarantur, & Patrum teſtimoniis Apoſtolatus SS. ELIÆ, & Enoch roboratur: imprimis S. Ambroſij ſub initium capitis præcedentis relati, ubi inter cætera: *Enoch & ELIAS ultimo tempore futuri ſunt Apoſtoli:* Et S. Anſelmi circa illa verba S. Pauli: *Puto quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit mundo, quibus nulli ſuccedent Apoſtoli tàm perfecti, tàm neceſſarij ſaluti hominum, quales apparebunt in noviſſimo tempore* ELIAS *& Enoch, quos Deus reſervat, ut filios Iſraël ab Antichriſti ſeductione liberent, nos oſtendit noviſſimos, id eſt, illis noviſſimis præconibus conſimiles.*

(a) In Collectan. Apocal. 11.

Habens à Deo auctoritatem ſuper totam Eccleſiam.

193. Celius Pannonius (a) ſic ad idem intentum: *Habebunt Enoch & ELIAS auctoritatem tamquàm ab ipſo Deo immediatè conſtituti, qui Eccleſiam Dei tunc moderabuntur juxta vaticinium hujus Scripturæ, ſicut olim Petrus & cum eo Paulus, Petrus in auctoritate ſedis, Paulus in auctoritate ſermonis, arbitror enim eandem illos tunc acturos à Deo poteſtatem ſuper Eccleſiam omnem, qualem modò habet Pontifex Romanus;* Cujus Doctoris dictum ſic intellige, ut concedatur Enoch & ELIÆ auctoritas ſupra totam Eccleſiam immediatè à Deo recepta, quæ ſit univerſalis & ſumma, qualis eſt auctoritas Summi Pontificis, quæ tamen non ſit in illis ſummè & abſque ſubordinatione, ut eſt in ſummo Pontifice, ſed ſit eidem Pontifici ſubordinata. Qualiter in principio Eccleſiæ fuit ſubordinata poteſtas cæterorum Apoſtolorum ſancto Petro conſtituto, Chriſti Vicario: aut quemadmodùm in Aaron & Moyſe juxta illud *Pſalmi* 98. *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus ejus*, ut probat Iuſtinianus (a) pluribus ſanctorum Patrum auctoritatibus: & non erant duo in Eccleſia capita: quia unius poteſtas erat ordinaria, & ab alia independens: altera quodammodò ſubordinata, ut ſaltem poſſet ab executione operis impediri, ſi judicaretur expediens. Sic in fine Orbis continget in poteſtate duorum, qui Apoſtolicâ poteſtate fungentur, ſubordinatâ uni poteſtati Capitis. Ita Michael Muñoz in *Propugnaculo* ELIÆ (b) Congruentiam, & neceſſitatem tantæ auctoritatis in SS. ELIA & Enoch, Malvenda *libro* 9. *de Antichriſto cap.* 5. exprimit: *Nam cùm*, inquit, *tunc maxima & ſuprema vis Antichriſti Eccleſiam ſit infeſtatura, quâ major nec fuit, nec erit, opus videtur, ut vires & præſidia gratiæ, quibus Chriſtianus cœtus Ducibus & Antiſignanis Enoch & ELIA ſe Antichriſti furori & invaſioni victor opponet, ſint quoque maxima ac plenè ingentia, quæ ſaltem Apoſtolica æquent.*

(a) Diſp. 1. de Apoſtol. c. 9. & 10.

(b) L. 3. tit. 3. cap. 1.

Antichriſti perſecutio erit ſæviſſima.

194. Quòd autem perſecutio per Antichriſtum ſæviſſima, & immaniſſima ſit futura, habetur ex auctoritate Sacrarum Litterarum, Patrum, & Interpretum. In Scripturis quidem de ea *Danielis* 12. prænunciatur: *Quòd tunc erit tempus, quale non fuit, ex quo Gentes eſſe cœperunt uſq; ad illud*, & à Chriſto dicitur *Matth.* 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modò, nec fiet*, & quòd *niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro:* & inſuper in Apocalypſi & alibi tàm terribilia, & horribilia de Antichriſti perſecutione dicuntur, quòd terrorem, ac horrorem omnibus cauſent: ſancti Patres verò & Expoſitores ſic exponunt paſſim crudelitatem, & ſævitiam hujus perſecutionis; quòd ejus comparatione perſecutiones anteriorum ſæculorum ſub tyrannis leves videri poſſint. *De fide certum eſt*, ait S. Auguſtinus (c) *Antichriſtum perſecuturum eſſe Eccleſiam, & fideles ac ſanctos acerbiùs & crudeliùs, quàm ab ullo unquàm tyranno tentati, aut afflicti fuerint; hoc eſt de fide, ait enim Chriſtus* Matth. 24. *erit tunc tribulatio magna, &c.* Pereira *lib.* 5. *in Danielem*, poſtquàm omnes præteritas Eccleſiæ perſecutiones adduxit; ſic ait: *Hæc autem omnia perſecutionis Antichriſti magnitudo, & atrocitas continebit: corporalis quidem omnium graviſſima tùm multitudine, tùm magnitudine tormentorum; nam quæ audivimus vel legimus fuiſſe ullo tempore Chriſtianis admota tormenta, ea fertur velut ludum, & jocum fuiſſe, prout erunt tormenta, quibus Chriſtianos torquebit Antichriſtus; verumtamen longè acrior, & exitialior erit perſecutio ſpiritualis.*

(c) lib. 20. de civit. Dei cap. 8. & 9.

Illi opponetur invictum ELIÆ *& Henochi Apoſtolicum pectus.*

195. Propterea igitur divina providentia pro temporum neceſſitate Eccleſiam ſuam viris idoneis numquàm deſtituens, ſicuti cùm primùm fuit Euangelium per totum Orbem divulgandum, adversùs ſummam potentiam oppoſuit invictum Apoſtolicum pectus; ita pro extrema illa acerbitate temporum reſervavit binos illos excellentiſſimos viros SS.

ELIAM, & Enoch Præcurſores ſecundi Adventûs ſui Apoſtolos noviſſimorum temporum, Reſtitutores omnium, Duces populi fidelis, inclytos Eccleſiæ Doctores. Plura ad hoc propoſitum videri poterunt apud dictum Philippum à SS. Trinitate, Patrem Acoſta *libro 3. de temporibus noviſſimis cap. 4.* Malvenda *libro 9. de Antichriſto cap. 9.* Michaelem Muñoz in *Propugnaculo* ELIÆ *libro 3. titulo 3. capite primo*, Dorotheum à S. Renato in *Commentario in Libros Regum, & Apocalypſis lib. 3. quæſtione XI. & sequent.*

CAPUT IV.

S. ELIÆ, ejuſque conſortis Enoch martyrium, & glorioſus in cœlum aſcenſus.

S. ELIÆ martyrium acerbiſſimum.

196. Sancti ELIAS & Enoch peracto prædicationis ſuæ officio, tempore à Deo definito, ut morte ac martyrio obſignent ſuum de veritate, & Chriſto teſtimonium, ſinent ſe vinci, & occidi *à beſtia* ſcilicet Antichriſto, qui ferus erit, & carnalis velut beſtia, non terrena, ſed infernalis; ideò additur, *quæ aſcendet de abyſſo.* Dæmones enim Antichriſtum poſſidebunt, & per eum agent, contra ELIAM, & Enoch, *faciendo adversùs eos bellum*, & adhibendo omnia dira, ac crudeliſſima tormenta, virgas, fuſtes, cruces, aculeos, candentes ferri laminas, vel cacabos, ungues ferreos, ſævas beſtias, fornaces ardentes, thermas ſuccenſas, venenatos ſerpentes, lapidum aggeres, vincula, carceres, &c.

Et vincet illos, corporaliter ſcilicet, non deterrendo; aut in ſuas partes trahendo, ſed occidendo eos, non quidem invitos, ſed maximè volentes, ac libenter, ſicut Chriſtus, mortem acceptantes. Genus mortis non exprimit Sacer Textus. Quidam veroſimiliter cenſent, ipſos in odium Chriſti crucifixi, quem prædicabunt, eodem in loco crucifigendos, & deindè depoſitos è cruce, inſepultos in plateas Civitatis Jeruſalem projiciendos. Id denotare videtur: *Ubi Dominus eorum crucifixus eſt*, ſcilicet Jeroſolymis: quæ ſpiritualiter vocatur *Sodoma*, ob nefandas libidines, & *Ægyptus* propter idololatriam, & ſuperſtitiones multiplices, & ſævam Chriſtianorum perſecutionem, tempore Antichriſti in ea regnantis. Præfata verba expendens Ægidius Camartus *libro de Geſtis* ELIÆ *cap. 6. ſect. 8.* ita ſcribit: *Poſſumus autem exiſtimare idcirco in recitatione martyrii* ELIÆ *fieri mentionem crucifixionis Chriſti, quia ſicuti Chriſtus acerbiſſimum mortis genus perpeſſus eſt; undè & Rex martyrum meritò appellatur; ita* ELIAS *crudeliſſimam pro Chriſti nomine mortem ſuſtinebit, bibetq; profundiùs de illius calice. Indè verò manifeſtum eſt,* ELIÆ *donandam eſſe triplicem illam aureolam, de qua Theologi noſtri diſſerunt, nempè Doctoris, Virginis, & Martyris.*

In loco, ubi Chriſtus crucifixus.

Inſepultos jacebunt triduo.

197. *Corpora eorum jacebunt in plateis civitatis, & non ſinent ea poni in monumentis* (quæ extrema eſt barbararum gentium crudelitas) tùm ad ignominiam, atque in ſignum magnorum criminum; tum ad inſultationem, ut Antichriſtus tamquàm victor in illis triumphet; tum ut omnes qui viderint, timeant eos imitari, & eis conformari. *Et videbunt de populis, tribubus, & linguis, & gentibus.* Erit enim in Jeruſalem colluvies populorũ, & concurſus ex omni ferè natione, utpotè ad regiam ſedem Antichriſti Monarchæ Orbis. *Et inhabitantes terram*, videlicet Jeruſalem & loca vicina; *gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur*, impij nempè, & miniſtri Antichriſti, anteà per illos Sanctos minaciter reprehenſi, &, ob pertinaciam plagis afflicti.

198. *Et poſt dies tres, & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos.* Igitur poſt tres dies cum dimidio anima eorum vivificans utraque reunietur ſuo corpori, ſicque redivivi reſurgent, Antichriſti aſſeclis, & aliis, qui ex toto Orbe illuc confluxerant inſpectantibus, ingenti cum timore, & tremore. Et magis perculſi erunt, dum *audient vocem magnam de cœlo dicentem eis: Aſcendite huc.* Ea autem vox dicitur futura *magna*, ut ab omni Jeroſolyma audiatur. Atque ita *aſcenderunt in cœlum in nube.* Efformabitur enim nubes, quæ facta proxima terræ, duos ſanctos Prophetas glorioſè circumdabit; & non dicitur, rapti ſunt; ſed *aſcenderunt*; quia jam reſuſcitati ad vitam immortalem, glorioſis induti corporibus, ſeipſos per dotem agilitatis ferre poterunt ad ſublime. Aſcendent itaque glorioſè in cœlum publicè coram omnibus, uti aſcendit Chriſtus: tuncque fiet ingens terræ-motus, quo decima pars Hieroſolymæ corruet, & ſeptem hominum millia occidentur: reliqui timore perculſi laudem & gloriam Deo dabunt. Hæc enim omnia, & ſingula ita diſertè enarrat Joannes, ut qui aliò ea torquere velit, vim verbis ejus faciat, neceſsè ſit. Ita à Lapide in iſtum locum.

Tum glorioſus reſurget & vapbiliter, in cœlum aſcendet.

S. ELIÆ martyrium quàm glorioſum.

199. Quàm glorioſum S. ELIÆ martyrium futurum ſit, perpenditur ex dignitate perſonæ ipſius, quæ patitur, ex qualitate, ac malitia tyranni, qui martyrium infert, ex cauſa ſive motivo ipſius martyrij, ex loco & ex tempore, ubi & quandò toleratur, ex magnitudine ac diuturnitate pœnarum, ac tandem ex miris ejus circumſtantiis & effectibus. Quoad dignitatem perſonæ, ELIAM eſſe ſanctiſſimum, habetur ex omnibus hactenùs dictis. Tyrannus, ſub quo paſſurus eſt, erit Antichriſtus, in Sacris Litteris nuncupatus *beſtia abyſſi, filius perditionis, antiqui ſerpentis diaboli germen.* Et hinc conjicere licet magnitudinem pœnarum ab ipſo crudeliſſimo Chriſtiani nominis hoſte infligendarum S. ELIÆ, in quem ſuis obſiſtentem impiiſſimis actibus omne crudelitatis imaginabile genus exercebit. Quantùm ad diuturnitatem pœnarum, & afflictionum, præter eas, quas ſub Achab & Jezabel paſſus eſt ELIAS, ſub

quibus

quibus velut Antichriſti præcurſoribus ſuum inchoavit martyrium, multoties nunc per apprehenſionem imaginariam à tot ſæculis crudeliſſima tunc futura patitur tormenta, eo modo, quo Chriſtus in horto ſua paſſus eſt. Cauſa, ſeu motivum martyrij erit gloria Dei, fides Chriſti, & honor Eccleſiæ: locus civitas Jeruſalem, ut & in hoc aſſimiletur Chriſto, ſicuti & in triduo mortis, atque in Reſurrectione glorioſa ante communem, atque in Aſcenſione mirabili in cœlum coram omnibus, prævià de cœlo voce illos vocante; quoad effectus martyrij, conſtat quod illud conſequetur terræ motus magnus, quo pars Jeruſalem corruet, ſeptem millia ſequacium Antichriſti obruet, & alij ex hoc ad Deum convertentur, ut ſic etiam in hoc Eliæ martyrium aſſimiletur paſſioni Chriſti: cujus ipſe Elias fuit typus perfectiſſimus in plurimus, & maximis, ut mox audiemus.

CAPUT V.

S. Elias Chriſti typus perfectiſſimus, ceu ſtella matutina lucis magnæ præambulum: eſtque epitome vitæ utriuſque.

Elias in rebus maximis Christi typus perfectiſſimus.

200. Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes inter encomia, & prærogativas S. P. Eliæ, peculiariter perpendunt, ipſum fuiſſe in rebus maximis, & præcipuis perfectiſſimum Chriſti Domini typum, & expreſſam imaginem: & quidem S. Auguſtinus *Serm. 201. de tempore*: ubi iſta: *Beatus* Elias *typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim* Elias *à Judæis perſecutionem paſſus eſt, ita & verus* Elias *Dominus noſter ab ipſis Judæis reprobatus eſt & contemptus.* Elias *reliquit gentem ſuam, & Chriſtus deſeruit Synagogam.* Elias *abiit in deſertum, & Chriſtus venit in mundum.* Elias *in deſerto corvis miniſtrantibus paſcebatur, & Chriſtus in deſerto mundi hujus gentium fide reficitur. Corvi enim illi Beato* Eliæ, *jubente Domino, qui miniſtrabant, gentium populum figurabant. Poſthac jubetur* Elias *proficiſci in Sareptam Sidoniorum, ut ibi paſcatur à vidua. Sic enim ad eum Dominus dixit: Vade in Sareptam Sidoniæ, ego mandavi viduæ, ut te paſcat ibi. Et quid fuit, quòd nulla Judæorum vidua Beato* Eliæ *cibum meruit miniſtrare, ſed ad viduam gentilem mittitur, ut ab ipſa paſcatur? Vidua enim iſta, ad quam Propheta mittitur, typum Eccleſiæ gerebat, ſicut & corvi illi, qui* Eliæ *miniſtraverant, figuram gentium habuerunt. Venit ergo* Elias *ad viduam, quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam. Veniente ergo* Elia *exiit vidua colligere duo ligna. Videte Fratres, quia non dixit tria, nec quatuor, nec unum tantummodò lignum, ſed duo ligna colligere voluit. Ideò duo ligna colligebat, quia in typo* Eliæ *Chriſtum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis myſterium deſiderabat agnoſcere. Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata eſt. Orante* Elia *filius viduæ ſuſcitatur; veniente Chriſto filius Eccleſiæ, id eſt, populus Chriſtianus de carcere mortis reducitur.* Elias *inclinatur in oratione, & vivificatur viduæ filius: & Chriſtus procumbit in paſſione, & ſuſcitatur populus Chriſtianus. Quòd tribus vicibus inclinatur, myſterium Trinitatis oſtenditur.* Hactenùs S. Auguſtinus, qui eadem latiùs ibi proſequitur ferè per totum ſermonem (undè etiam quædam producta ſunt hic ſuprà *parte 1. cap. 3.*) Similiter typicam illam comparationem inter Chriſtum Dominum, & S. Eliam declarant S. Cyprianus, Drogo ex Abbate Laudunenſi Ordinis S. Benedicti Epiſcopus Oſtienſis coævus S. Bernardo, eruditione, & ſanctitate conſpicuus, in ſermone inſigni de Sacramento Dominicæ Paſſionis, atque alij Patres, & Interpretes, peculiariter autem Berchorius, & ex eo Camartus *de Geſtis* Eliæ *cap. 6. ſect. 8.* ubi hæc inter cætera: *Non eſt alienum à ratione quòd Petrus Berchorius indicat illum majorem inter Prophetas excellentiam habere, qui magis Chriſto conformis eſt, qui ut ait Oſee,* in manu Prophetarum assimilatus est. Elias *verò in rebus maximis, & præcipuis Chriſtum quaſi ſi illius expreſſa fuiſſet imago, repræſentavit.*

Chriſtum inter & Eliam comparationem accuratiſſimam inſtituit Salianus:

201. Inter omnes autem accuratiſſimè typicam illam comparationem inter Chriſtum, & S. Eliam deducit Salianus in Annalibus veteris Teſtamenti, (a) ubi iſta: *Abiit ergo* Elias, *& per turbinem aſcendit in cœlum, mortis quodammodò (quamvis eâ nondum devictâ) triumphator. Abiit ab hominibus, & quamvis ſine morte, perindè tamen fuit tam ſuis, quam alienis, ac ſi jam vitam ſicut cæteri, cum morte commutaſſet. Hominem ergo, non ſecùs ac ſolemus præſtantes viros, Dei famulos vitâ functos, aliquo elogio, tametſi longè infra ſanctiſſ. Prophetæ meritum, commendemus; in eoq; illud unum de more attingamus, quod inſtar eſt omnium, quod primum eſt, atq; palmare, quòd in typo Chriſti Domini, & perquàm expreſſa ſimilitudine conſiſtit. Hoc enim unaquæq; res, in quovis genere ſine controverſia præſtantior eſt, quò magis acceſſerit ad id, quod maximum, primum, ac ſummum eſt. Quod enim à ſplendore Solis, aut calore ignis, aut ſereni cæli pulchritudine proximè abeſt, id illuſtriſſimum, calidiſſimum, ac pulcherrimum eſſe neceſſe eſt.* Hæc Salianus. En cætera, quæ ſubſequuntur ex eodem, & aliis præfatis, in compendium (brevitatis ſtudiò) contracta.

(a) Ad ann. mundi 3139. n. 33. & ſeq.

Utriuſque generatio & nativitas aſſimilatur.

202. Eliæ generatio in Scripturis ignota, & ipſe quaſi ſine patre & matre, ſine genealogia repentè apparet; ut ejus, qui ſine patre natus eſt in terris, ſine matre in cœlis, typus ſit generationis (quam nemo enarrare poteſt) Christi.

203. Eliam naſcentem *Angeli albicantes ſalutabant,* ut tradunt SS. Epiphanius, Iſidorus, & alij relati ſuprà. Militia cœleſtis exercitûs: Gloria in altissimis reſonabat, in nativitate Christi.

Utriuſque vita abſconſa:

204. Elias vixit ignotus, donec coram Rege, & ejus curia, & populo Iſraëlitico verbum Dei annuntiaret, & infligeret pœnam

peccatis. Sic abſconſam egit vitam ad annum uſque trigeſimum, quandò coram univerſo mundo verbum Dei annuntiare exorſus eſt ad pœnitentiam CHRISTVS.

Virginalis vita, paupertas, obedientia.

205. ELIAS Virgo, *virginitatis exemplar, & antesignanus Virginum*, ut inquit S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium. De Virgine natus, qui *ab Angelis adorabatur in cœlo, ut haberet Angelos & in terris, novam ſibi familiam* (ſcilicet Virginum Angelicam puritatem æmulantium) *ſuper terram ſibi inſtituit* CHRISTVS. Ita S. Hieronymus ibidem. Virginali caſtitati voluntariam magnamque paupertatem, & obedientiam conjunxit primus, propterea dicitur *Princeps Religioſorum*. Naſcens in ſtabulo, vivens non habendo ubi caput reclinaret, nudus in cruce moriens, ſtupendam exercuit & docuit paupertatem, atque obedientiam uſque ad mortem, atque ita *vitæ Religioſæ conſummator* CHRISTVS DOMINVS.

Zelus.

206. ELIAS Propheta *ſurrexit quaſi ignis*, & flagrantiſſimus Dei zelô dicebat: *zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt. Ignem in terram mittere veni.* Et illud Pſalmi: *zelus domus tuæ comedit me*, implevit CHRISTVS.

ELIAS paſcitur à vidua, Chriſtus à Martha & Magdalena.

207. ELIAS in fame ac ſterilitate paſcitur à vidua Sarephtana: cujus lugentis filium defunctum, & dicentis: *Ego cognovi, quia vir Dei es tu*, miſericordiâ motus, precibus vitæ reſtituit Paſtus in fame & paupertate à Martha & Magdalena, earum fratrem (quem lugebant) his verbis interpellatus: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi*, ex miſericordia, ad Patrem clamando, ad vitam revocavit CHRISTVS.

ELIAS reſuſcitando puerum præfiguravit Chriſtum.

208. ELIAS prædictum viduæ filium poſuit ſuper lectulum ſuum: & expandit ſe tribus vicibus ſuper eum & calefacta eſt caro pueri, & revixit, factuſque eſt ELIÆ diſcipulus. Mortuum ſpiritualiter hominem ſuper lectulum crucis exponens, ſeque tribus vicibus extendens (primùm in dextra, clavo configendo, deinde in ſiniſtra, ac denique in utroque pede) ardore charitatis incendit, vivere, & ſuæ diſciplinæ ſectatorem fecit CHRISTVS. Ad hoc propoſitum ſic præclarè S. Proſper (a) ELIAS, *ut mortuum parvulum ſuſcitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus IESVS ſeipſum exinanivit, formam ſervi accipiens: parvum ſe illi parvo coaptavit, ut efficeret illud corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Iacens ſuper ſe frigidum ſuo calore ſuccendit: ſimiliter & noſter Salvator mundum, à cujus calore, non eſt jam, qui ſe abſcondat; inſufflavit illi tertio jacenti, ut trina confeſſio infunderetur credenti.* Et notat Cornelius à Lapide, quòd ter ELIAS incubuit puero, eique ſeipſum coarctando admenſus eſt. Ter ſeipſum CHRISTUS coarctavit, & humanæ naturæ commenſus eſt. Primò in utero; ſecundò in præſepio; tertiò in cruce. Itaque mortuum genus humanum vivificavit, eique ſpiritum charitatis, paupertatis, & patientiæ inſpiravit.

(a) Part. 2. Prædict. c. 31.

Vterque pavore & triſtitiâ eſt affectus.

209. ELIAS, perſequente impiâ Jezabele, mortem vicinam arbitratus, triſtitiâ, tædio, & pavore anxius, relicto puero, ſolus perrexit in deſertum: & ibi ſe projiciens, ac orans ſuper morte ſua, Angelica viſione confortatus eſt. Imminente paſſione & morte crudeliſſimà, triſtitiâ mortiferâ languens, relictis diſcipulis ſolus in montis Oliveti ſolitudine orans ſuper morte ſua, ab Angelo apparente confortatus eſt CHRISTVS.

Pluviam fœcundantem dedit.

210. ELIAS devocat de cœlo pluviam, quâ fœcundetur terra, & ignem quo conſumantur ſacrificium, & impij homines. Pluviam voluntariam gratiarum cœleſtium ſegregavit hæreditati ſuæ, & ignem de cœlo vivificum Spiritum S. qui hominum corda Deo ſacrificet, & impietatem, & ignorantiam conſumat, de cœlo mittit CHRISTVS.

In deſerto 40. diebus jejunavit.

211. ELIAS in deſerto jejunat 40. dieb. & noctibus: deindè Angelicâ viſione, & cibo confortatur. Ductus à Spiritu in deſertum pari temporis ſpatio jejunavit, & poſteà Angelorum miniſterium accepit CHRISTVS.

Vtriuſque labores & tribulationes.

212. ELIÆ labores immenſi, & tribulationes inflictæ magnæ (de quibus S. Paulus ad Hebræos: *Circuierunt in melotis &c. afflicti, anguſtiati*) & tempore Antichriſti acerbiſſima ſubibit tormenta, de quibus jam ante. Sed pœnarum & tribulationum acerbitatem ſummam, ob quam ab Iſaia nuncupatur *Vir dolorum, & ſciens infirmitatem* (a) paſſus eſt caput omnium Martyrum CHRISTVS.

(a) Iſaiæ 53.

Vtriuſque in aliis comparatio.

213. ELIAS ſicco veſtigio tranſivit Jordanem unà cum diſcipulo & ſucceſſore ſuo Eliſeo. Siccis pedibus ſuprà mare cum diſcipulo, Vicario ſuo Petro, ambulavit CHRISTVS.

ELIAS excelluit in magna miraculorum operatione: unde Siracides: ELIAS *amplificatus eſt in mirabilibus ſuis*, ſed CHRISTUS miracula maxima & plurima fecit partim quidem ſcripta in Euangeliis, partim non ſcripta, de quibus Joannis ultimo; *ſunt autem & alia multa, quæ fecit IESVS, &c.*

214. ELIAS *ſcriptus eſt in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, reconciliare cor patris ad filium* (b) Sic multò magis *pacificat, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris:* (c) *per quem etiã reconciliationem accepimus:* (d) CHRISTVS. Janſenius *in Concordia in caput 17. Matthæi*; illa verba: ELIAS *quidem veniet, & reſtituet omnia* ita exponit: *Intelligendum eſt*, ait, *quod dicitur* ELIAS *omnia reſtauraturus, quomodò* CHRISTVS *dicitur à Paulo inſtauraſſe omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris; nimirùm quia homines, inter ſe, & cum Angelis diſſidentes, inter ſe, & cum Angelis, atq; Deo pacificavit. Si enim & ELIAS reſtituet, quando ad incredulos Iudæos gentibus credentibus veniet, & ad fidem Patriarcharum redire faciet.* Sed de his plura hic ſuprà capite primo hujus partis.

(b) Eccli. 48.
(c) Coloſ. 1
(d) Rom 5.

Vterque triumphali gloriâ in cœlum aſcendit.

215. ELIAS cum triumpho in curru igneo deducentibus Angelis aſcendit, & ad locum deſtinatum vectus eſt, regreſſurus ut contra Antichriſtum pugnet, & Judæorum reliquias ad verum Meſſiam convertat. Majori cum triumpho ſuper omnes cœlos aſcendit

toto

toto plaudente exercitu Angelorum, rediturus in pari majeſtate ad judicium, & ſpiritu oris ſui Antichriſtum interfecturus, & ſanctos ſecum ad vera gaudia traducturus Christus.

Vterque aſcendens quid dederit. 216. Elias duplicem diſcipulo ſuo promiſit, & impetravit ſpiritum, & aſcendens, in benevolentiæ monimentum pallium, quô induebatur, diſcipulo dimiſit. Tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem Spiritum ſanctum promiſit Apoſtolis, atque eô illos adimplevit: & corpus ſuum ſacroſanctum, quô quaſi habitu induta erat occulta Divinitas, diſcipulis ſuis infiniti amoris argumentum dedit, & reliquit Christus. Hinc S. Chryſoſtomus: (a) *Tamquàm maximam hæreditatem Eliſeus meloten ſuſcepit: etenim verè maxima fuit hæreditas, omni auro precioſior. Et erat poſt hæc duplex* Elias *ille, erat ſursùm* Elias, *& deorsùm* Elias. *Novi quod juſtum illum beatum putatis, & velletis quiq; eſſe ut ille. Quid igitur; ſi vobis demonſtravero quid aliud, quod illô multò majus omnes ſacris myſteriis imbuti recipimus?* Elias *nempè meloten diſcipulo reliquit. Filius autem Dei aſcendens, ſuam nobis carnem dimiſit* Christus.

(a) Hom. 11. ad Popul. Antioch.

Vtriuſque ſemen longævum. 217. Elias vidit ſemen longævum; nam lectos Prophetarum, & Religioſorum manipulos, ſui æmulos ac imitatores, magis incrementis amplificatos, ſuarum precum, quaſi facularũ ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumque varietates, conſtantes reddidit magni ſui Patriarchæ ſectatores. Sic, & incomparabiliter magis Apoſtolorum chorus, Martyrum omnium candidatus exercitus, ſanctiſſimorum omnium Præſulum, Doctorum, Religioſorum, Confeſſorum, Virginum, omniumque electorum catervæ parentem, principem, bonorumque omnium perennem fontem, & ſcaturiginem agnoſcunt & venerantur Christum: *cujus regni non erit finis.*

Similitudo & comparatio inter Chriſtum & Eliam qualis. 218. Animadvertendum, ſimilitudinem illam inter Christum & S. Eliam procedere ſolùm de Chriſto Domino, quatenùs eſt homo; nam Deo nulla creatura propriè dicitur ſimilis; cùm creatura tantùm analogicè cum Deo conveniat: quæ convenientia eſt valdè diminuta. Hinc homo dicitur *factus ad ſimilitudinem Dei*, non autem ſimilis Deo; atque ita ſimilitudo inter Chriſtum ſimpliciter conſideratum (videlicet ut Deus & homo) & S. Eliam analogica tantùm eſt, tamquàm typi perfectiſſimi, & imaginis optimè pictæ ad ſuum prototypon. Inter Chriſtum autem quatenùs homo, & S. Eliam ſimilitudo eſt in convenientia univoca in multis perfectionibus, privilegiis, & prærogativis. Quæ ſimilitudo etſi non perfecta, reddit tamen S. Eliam valdè commendabilem, & venerabilem cunctis. Cùm enim Chriſtus Dominus etiam ut homo ſit filius Dei naturalis, inde ſequitur, quòd ſit maxima perfectio in aliis Sanctis aſſimilari Chriſto, & eò major, quò major eſt ſimilitudo, quia alij Sancti ſunt filij Dei tantùm adoptivi, & filiatio adoptiva eſt quædam participatio filiationis naturalis, & hæc eſt exemplar filiationis adoptivæ: undè generaliter loquendo, tantò eſt perfectior filius adoptivus, quantò magis aſſimilatur filio naturali aliàs perfectiſſimo.

CAPVT VI.

S. Elias *ſacerrimæ Virginis Deiparæ ab originali peccato immunitatem in typo nubeculæ præcognovit, eamque nondum natam veneratus, & in duodecim privilegiis illi aſſimilatus fuit.*

219. Quòd S. Elias puriſſimam Virginem Deiparam, ejusque immunitatem ab omni peccato, Dei revelatione, præcognoverit, & nondùm natam veneratus fuerit, tradit imprimis vetuſtus Pater S. Methodius Epiſcopus Tyri, & Martyr (qui claruit tempore Diocletiani Imperatoris) *in homilia de Simeone & Anna*, ubi iſta: *Puriſſima*, inquit, *etiam tua* Elias *Propheta præſcius, atque imitator in ſpiritu cùm eſſet, vita illius ignifera ſibi coronam colligavit* &c. Poſt S. Methodium unô ferè ſæculô poſterior claruit Joannes Jeroſolymitanus: is in *Libro de Inſtitutione primorum Monachorum* revelationem S. Eliæ à Deo factam in typo nubeculæ luculenter deſcribit, dum refert, & explanat viſionem iſtius nubeculæ, in monte Carmeli apparentis Eliæ, quandò ibidem oranti pro impetranda pluvia, (a) apparuit *nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendens de mari.* Sanctiſſimam autem Virginem Dei Genitricem præfiguratam per nubem tradunt etiam Patres alij: & quidem S. Ambroſius: (b) *Hic eſt, qui venit in nube levi, ſicut dixit Propheta: Ecce Dominus ſedet ſuper nubem levem, & veniet in Ægyptum. Significans quòd in Ægyptum, id eſt, in afflictionem mundi hujus, veniret per Virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem ferebat: levem, quia Virgo erat.* Et B. Albertus Magnus: (c) *Nubecula parva*, inquit, *eſt Maria, parva per humilitatem, ſed immenſa per gratiam.* Puritatem Virginis Deiparæ & ejuſdem immunitatum ab originali labe ſignificatam per illam nubeculam (quæ de ponderoſo, & amaro mari levis & dulcis aſcendebat) & Ordinem Propheticum ab ipſo S. Elia tunc inſtitutum ad Deiparæ Virginis honorem, tradunt Hiſtorici, & Scriptores vetuſtiores & recentiores magno numero. Tunc enim prophetico ſpiritu Redemptorem mundi naſciturum intelligens de puriſſima Virgine, anhela trahens in longinquum ſuſpiria, totum ſe transfudit in amorem Virginis iſtius Deum parituræ, & ad honorem ac exemplum ejus, quaſi ad ſigilli ſpiritualis imaginem, Eliſeum, ac cæteros, quos advocaverat, ſecum, tamquàm Mariæ Præcurſores, continentiam virginitatis edocebat, unà cum obſervantia paupertatis & obedientiæ.

Conceptionis Immaculatæ Deiparæ myſterium novit S. Elias.

Revelatum ei in typo Nubeculæ.

(a) 1. Reg. 18.

(b) in Exhort. ad Virg.

(c) in Bibl. Mar. ad 3. Reg.

Ad ejuſdem honorem inchoavit Ordinem ſuum.

220. Iſti porrò Virgini puriſſimæ Elias in

S. ELIAS aſſimilatur Virgini Deiparæ in duodecim privilegiis.

in duodecim privilegiis aſſimilatus veraciter depredicatur. Iſta verò comparatio neutiquàm intelligenda eſt tamquam paris cum pari (cùm ſanctiſſima Virgo Deipara omnium Sanctorum dignitatem, & ſanctitatem quodammodò incomparabiliter tranſcendat, & ideo ei ſoli debetur cultus hyperduliæ) ſed vel analogica tamquàm typi perfectiſſimi, & imaginis pulcherrimæ cum ſuo prototypo, ſicut dictum eſt de Chriſto: vel ſi æquivoca, tamquàm perfecti in ordine inferiori cum perfectiſſimo in ordine ſuperiori. Equidem illa ſeu typica, ſeu vera (modò explicatò) non parùm commendat ipſum S. ELIAM. Ex dictis habetur, devotionem ad B. Virginem Deiparam primò originem ſumpſiſſe ab ipſo S. ELIA, & indè derivatam ad alios. Iſta quoque de Virginis illius puritate, præſaga, & prophetica cognitio ab ipſo S. ELIA manifeſtata Eliſeo, & aliis ſuis diſcipulis, ab iſtis conſequenter, perpetuà ſucceſſione quaſi per manus ſubſequentibus tradita fuit.

221 ANNOT. *De* Nubecula illa, *per quam* Deiparæ Virginis puritas, & immunitas ab omni peccato *manifeſtata fuit* S. ELIÆ *luculenter tractatum fuit in Tomo* 1 Speculi *hujus Parte* 1 *libro* 6 *cap.* 1 *num* 214. *& ſequent.* De Ordine Prophetico in Carmelo ad honorem ejuſdem Virginis Deum parituræ excitato agitur *ibidem num.* 217. & *peculiariter etiam ab Arnoldo Boſtio num.* 1547 *Conſequenter num.* 1654. *& ſequentibus accuratè, & eleganter explanat* duodecim privilegia, in quibus S. Propheta ELIAS quodammodo aſſimilatur ſacratiſſimæ Virgini Deiferæ. *Iſta omnia etiam à Ven. P. Lezana pertractata fuere hic ſuprà num.* 730 *& ſeq. Proptereà ulterior iſtorum tractatio, hic ſupervacanea eſſet.*

VITÆ S. P. ELIÆ.

PARS QVINTA

Speculum Religioſæ & perfectiſſimæ vitæ, omnigenarumque virtutum, reſplendens in S. P. ELIA.

(a) Cap. 1. vitæ S. Antonij

ELIAS exemplar Religioſorum omnium.

222. SPECVLVM *ad quod vitam ſuam componebant* S. Antonius (a) & alij olim veteres Monachi, erat vita magni Prophetæ ELIÆ. Ita etiam nunc ea Religioſis quibuſvis, peculiariter illis, qui hæreditariam ab eo ſucceſſionem tenent, eſſe poteſt, & debet inſtar exemplaris perfectiſſimi, à Deo primitùs propoſiti. Ipſe enim ELIAS, ſtuduit ſecundum formam per Deum ſibi traditam, pollere frugalitate paupertatis, uti abſtinentiâ, parſimoniæ, domare concupiſcentias carnis, nitere candore caſtitatis, abnegare libertatem voluntatis: ſeſe præbens ſuis diſcipulis exemplar quod inſpicerent, & imitarentur: ut videlicet ad imitationem ejus, ſeculo, ac terrenis omnibus ex totis præcordiis renunciantes, & carnales concupiſcentias, per continentiam, & abſtinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam ſuperiori humiliter ſubmittentes, mentes ſuas cum Deo per amorem perfectè unirent. Ita Joannes Jeroſolymitanus libro *De Inſtitutione primorum Monachorum*, ſub initium, luculenter iſta declarans ex ſacra Scriptura. Igitur benevole, & devote Lector, hanc Elianæ hiſtoriæ præcipuam, ſeu principaliter intentam (quia utiliſſimam) partem, ſingulari curâ, & diligentiâ elucubratam, peculiari etiam ſtudio, & devotione ſi revolveris, & virtutes in ea relucentes contemplatus fueris, ac per imitationem tuas feceris *faciendo ſecundum illud exemplar, quod tibi monſtratum eſt in* ELIA, *cum* eo etiam ad perfectionis culmen ſcandere, ac *in reſurrectione juſtorum pariter gaudere*, continget.

CAPVT PRIMVM.

Virtutes tres Religioſo Monaſtico Statui eſſentiales primùm à ſancto Propheta ELIA *exercitæ, & aliis traditæ.*

§. 1. *Paupertas voluntaria.*

Primus paupertatem, caſtitatem & obedientiam exercuit & docuit.

223. QUòd S. ELIAS primus voluntariam paupertatem, caſtitatem perpetuam, ac obedientiam integram exercuerit, & aliis obſervandas tradiderit, diſertè aſſerit Ægidius Camartus Generalis Minimorum, *libro de eſtu* ELIÆ *Prophetæ* (a) ubi diſſerens: *An* ELIAS *reliquos veteris Teſtamenti Prophetas ſuperaverit.* Hanc ſtatuit aſſertionem fundatam in auctoritate Patrum: ELIAM *omnium Monachorum parentem fuiſſe, qui tria eſſentialia Religionis vota primus ipſe opere adimplerit.* (a) C. 6. ſect. 2.

224. Quoad *Paupertatem voluntariam*, ab ea Chriſtus his verbis: *Beati pauperes ſpiritu* (b) exorſus eſt inſignem illum ſermonem in monte, eam primam inter octò Beatitudines, & radicem, ſeu baſim Euangelicæ perfectionis ſtatuens; utpotè ex diametro oppoſitam cupiditati (quæ *radix eſt omnium malorum*, ut teſtatur S. Apoſtolus Paulus (c) efficitque paupertas ut homo liber à mille curis & diſtractionibus, ac ſollicitudinibus, quas cauſant opes, & opum deſiderium, amorem ſuum avocet ab omni re creata, eumque totum, cum omni ſua ſpe in Deo creatore ſuo defigat, aſſiduè dicendo: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Pſalmo 15. *& pars mea Deus in æternum*, Pſalmo 72. In amore autem Dei perfecto conſiſtit ſumma virtutis, & hujus vitæ beatitudinis. Hinc eſt, quòd magnus Propheta ELIAS vir Euangelicus ante Euangelium (ut loquuntur S. Eucherius, & alij) ex ſpeciali Dei inſtinctu ab infantia divini honoris zelò ſuccenſus pauperrimam vitam amplexus fuerit, ſicut & ſacrarum Litterarum, & Patrum auctoritate edocemur. Paupertatem ejus ſummam teſtantur vilis, & pauperrima veſtis melotes, egeſtas cibi & potûs, quos quaſi mendicatim nunc à corvo, nunc à vidua, nunc ab Angelo accepit, habitaculi carentia: frequenter enim ſubdio degebat, veluti dum quadraginta

(b) Mat. 5.

(c) 1. ad Timoth. 6.

S. ELIAS à paupertate eſt fundamento incœpit.

ginta diebus & noctibus ambulavit in deſerto, & quandoque alias: ſubindè autem pro domo illi erat ſpecus ſive antrum in Carith, aut ſpelunca in monte Oreb, & potiſſimum in Carmelo. Cœlum pro tecto, humum pro thoro, ſolitudinem pro menſâ habebat, inquit S. Chryſoſtomus libro de virginitate. De Paupertate ejuſdem agit etiam *Homilia 57. in Matthæum.* Et *Homilia 2. ad populum Antiochenum,* ubi hæc: *Quid enim, dic mihi, ELIA pauperius? ſed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper hic erat: ipſam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi ſui magnitudine eſſe putavit inferiorem, nec philoſophia ſua dignam; ideò tantam paupertatem amplexatus eſt. Quòd ſi magna præſentia putaſſet, non ſolam meloten poſſediſſet: ſed ita vitæ vanitatem condemnavit, & tamquàm lutum projectum aurum omne deſpexit, ut præter amictum illum nihil amplius poſſideret. Idcirco rex pauperis indigebat, & nihil plus quàm meloten habentis inhiabat, qui tantum habebat auri: adeò ſplendidior trabea erat melote, & regalibus aulis juſti ſpelunca. Propterea & in cœlum aſcendens, nihil aliud quàm meloten diſcipulo reliquit. Cum hac inquit, cum diabolo pugnavi, & tu contra illum armatus hanc capias.* S. Baſilius *in caput 5. Iſaiæ* ita de eodem: *Nonnulli ſunt pauperes beati dicti, qui ardore tugendæ religioſæ paupertatis omnia contempſerunt; & ejuſmodi erat pauper ille Ioannes, ejuſmodi & ELIAS.*

(a) Enar. in Pſal XXXVI 225. S. Ambroſius (a) ſic magnam ELIÆ paupertatem adſtruit: ELIAS *ita indigus erat omnium, ut nihil haberet ſuum.* (b) ELIÆ *ſancto*

(b) l. 2. Offic. *panis ad victum deerat, ſi quæreretur: ſed non videbatur deeſſe, quia non quærebatur. Itaque diurnò*

Itidem S. Ambroſ. & alij. *corvorum obſequiò, manè panis, caro ad veſperam deferebatur. Numquid ideò minus beatus, quia pauper erat ſibi? minimè. Imò eò magis beatus, quia Deo dives.* Igitur S. ELIAS pauper, & dives: hinc idem S. Doctor *libro 3. Epiſtolarum, Epiſtola 18.* agens de veris divitiis, hoc ponit paradoxum: ELIAM pauperem divitem eſſe: *Nemo,* inquit, *eſt dives, qui, quod habet, hinc auferre non poteſt. Dives* ELIAS, *qui virtutum ſuarum theſauros curru igneo ſublimes ſedibus æthereis invexit.* Magnam S. ELIÆ, & diſcipulorum ejus paupertatem in exemplum etiam proponit S. Apoſtolus Paulus ſcribens ad Hebræos capite XI. *Circuierunt,* inquit, *in melotis, egentes, anguſtiati.* Iſta de S. ELIA, deſtituto rebus neceſſariis, & indigente pane quotidiano, ejusque diſcipulis dicta intelligunt Patres. Hinc Haymo in illum locum: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* ELIAM *in hoc loco debemus intelligere, & alios, qui taliter egerunt, & qui afflicti undiq; penuriis & tribulationibus anguſtiati, fide ſuſtinuerunt omnia, ut ad deſideriorum ſupernorum præmia poſſent pervenire.* Et infrà: *In ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ.* ELIAM *eximium Prophetarum hic vult intelligi, & Filios Prophetarum, qui temporibus Achab & Iezabelis fugati ſunt, eò quod voluiſſet eos Iezabel interficere.* Alia circa hæc habes hic ſuprà *parte 1. capite 2.* ſub finem.

226. Ad paupertatis culmen gradibus variis aſcenditur: ſummus eſt, non ſuperfluis tantùm, ſed & neceſſariis carere poſſe. Huc ELIAS pervenit, qui ſibi vel neceſſaria deeſſe non patienter ſolùm, ſed & hilariter tulit. Proptereà tempore famis non ad divites panibus abundare ſolitos, ſed ad pauperem viduam divertit. Iſtam autem paupertatem voluntariam amplexus fuit Dei juſſu; ſicut ex Sacro Textu tradit Joannes Jeroſolymitanus libro de inſtitutione primorum Monachorum *capite 9.* ubi hæc: ELIAS *itaque, audita à Deo præfata lege perveniendi ad perfectionem propheticam, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ.* Et infra: *Receſſit nutu Dei de terra, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui in ſolitudinem, relinquens de cætero mundanas divitias, non ſolum mente, ſed etiam opere: ne per domeſticam curam, aut per facultates, aut terrenas poſſeſſiones, impediretur à conſequutione perfectionis vitæ monaſticæ; ad quam per Deum tunc vocabatur ipſe.* Igitur S. ELIAS primus voluntariam amplexus paupertatem altiſſimam, pariter mundum pleniſſimè contempſit; & aliis idipſum imitandi exemplum dedit. Hinc S. Iſidorus, relatus hic ſuprà, auctoritate ſacræ Scripturæ adſtruit *Paupertatis ſtudium à S.* ELIA, ejusque diſcipulo *Eliſæo defluxiſſe,* & illos *converſationis illius eſſe Principes.* Atque ita Dominicus Gravina & alij ipſum Sanctum ELIAM nuncupant: *Paupertatis Prototypum.* Et hæc de paupertate ſufficiant.

ELIAS ad ſummum paupertatis culmen aſcendit.

§. 2 *Caſtitas virginalis perpetua.*

227. CAſtitas virginalis S. ELIÆ à præfato Camarto eodem libro *cap. 3. ſect. XI.* ſic Patrum teſtimoniis aſſeritur: ELIAS, inquit, *in perpetuo vixit cælibatu, nec ullis umquam matrimonij vinculis adſtrictus fuit. Quod communi conſenſu Patres omnes aſſerunt, Ignatius, Origenes, Iuſtinus, Athanaſius, Baſilius, Ephrem, Gregorius uterq; ſcilicet Nazianzenus, & Nyſſenus, Chryſoſtomus, Theodoretus. Ex Latinis verò Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus; Philaſtrius, Auguſtinus; adeoq; tota Theologorum ſchola: qui omnes unanimi conſenſu ex Scriptura auctoritate* ELIAM *Eremi incolam fuiſſe doceat, & procul à matrimonio viventem in perpetua virginitate.* Loca, ubi patres iſti Virginitatem S. ELIÆ aſſerunt, indicat ibidem, & etiam *cap. 6. ſect. 8.* ubi & hæc: ELIAS *illibatum virginitatis florem cuſtodivit. Is autem theſaurus adeò magnus eſt, ut ob hanc cauſam* ELIAS *miris laudibus ex communi Patrum ſententia celebretur.* Hinc S. Hieronymus *libro 1. contra Iovinianum* his in eum invehitur verbis: ELIAM *ergo quàm ſtultè in Catalogo poſuerit maritorum, me tacente manifeſtum eſt. Si enim Ioannes Baptiſta venit in ſpiritu & virtute* ELIÆ, *& Ioannes virgo eſt: utique non ſolùm in ſpiritu ejus venit, ſed etiam in corporis caſtitate.* Et *libro 2. contra eundem: Quod ſi contentioſè in Moyſe nuptias, in* ELIA *virginitatem dixerint demonſtrari, breviter audiant, Moyſen mortuum & ſepultum,* ELIAM *igneo curru raptum, ante immortalem eſſe (a) ad Euſtochium. cepiſſe quam mortuum.* Alio in loco (a) cum non

Virginalis caſtitatis ELIÆ aſſertores Patres omnes.

tantùm

tantùm *virginem*, ſed & *meſſorem virginum* nuncupat. Propterea S. Iſidorus *libro 2.* de origine officiorum *cap.* 43 ELIAM aſſerit *ſacræ virginitatis integritati primum ſtuduiſſe.* Idem Joannes Jeroſolymitanus *libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap* 9 tradit: *Ideo* ELIAS, *ut ſpiritu perfectè viveret, crucifixit carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis, mortificans membra peccati, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiſcentiam malam, alteri quodam modo præ anteceſſoribus. Quoniam, ut per puritatem caſtitatis, & incorruptionem ſuæ carnis æquaretur Angelis imitatione converſationis, ſeipſum propter Deum virginitate perpetuâ primus hominum ſponte decoravit.*

228. Sic quoque S. Gregorius Nyſſenus *Oratione* 7. *in Cantica ad caput* 4. ait: ELIAS *inſignia vitæ continentis exempla præbuit.* Similia Caſſianus *libro de Inſtitutis Monachorum*, ſcribit: *Prior* ELIAS, inquit, *qui in veteri Teſtamento virginitatis jam flores, caſtimoniæq́; præfigurabat exempla.* S. Epiphanius libro ſeu epiſtola ad Matidium, & alios, inſcripta *Ancoratus*, aſſerit, propter virginitatem eum promeruiſſe, quòd non vidit huc uſque mortem, ſicque typus ſit noſtræ reſurrectionis: ELIAS, inquit, *erat in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.* Idem *hæreſi* 58. explicans illa verba: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cœlorum:* dicit iſtos eſſe, *qui manſerunt in virginitate, neque tamen propriis manibus membra reſecuerunt, neque nuptias contraxerunt, ſed proprio corde decertarunt, & mirabiliter gloriam coronæ hujus certaminis abſtulerunt, qui corporibus mulierum non mixti ſunt, ſed in perfectiſſimo certamine decertaverunt. Velut etiam* ELIAS *in veteri Teſtamento reperitur.* Ferè eadem ſcribit *hæreſi* 63. ubi agens de virginitate: *Et* ELIAS *quidem,* inquit, *ferè penitùs in urbes non ingrediebatur, neque cum mulieribus converſabatur, verùm in ſolitudinibus degebat. Et Eliſeus, & Ioannes, & omnes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum rectè ſecundùm Evangelicam Domini ordinationem ſeipſos propter regnum Dei caſtraverunt.*

Virginalis caſtitatis prærogativa ELIÆ *promeruit triumphalem aſcenſum in cœlum.*

229. Propter illam caſtimoniæ prærogativam ipſum etiam peculiariter promeruiſſe triumphalem raptum aſſerit S. Ambroſius *libro primo de virginibus*, ubi tractans de virginitatis præſtantia: *Hæc*, inquit, *nubes, aëra, Angelos, ſideraq́; tranſgrediens, verbum Dei in ipſo ſinu Patris invênit, & toto hauſit pectore.** Et infrà: *Quis igitur neget, hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non facilè invenimus in terris? Niſi poſtquam Deus in hac terreni corporis membra deſcendit: tunc in utero virgo concepit.* Ibi conſequenter agens de S. ELIA nullis permiſto cupiditatibus carnis. *Ideò ergo*, ait, *curru raptus ad cœlum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus eſt præcurſor adventûs.* Conformiter ſcribit S. Ephrem Syrus *Parænesi prima* (a) *Donum optimum Monachis eſt virginitas, currus ipſum ad cœlos cum* ELIA *evehens.* Et *in Sermone de Transfiguratione: Aſpexit*, inquit, *virgo veteris Teſtamenti, virginem novi;* ELIAS *nimirùm Ioannem, qui aſcendit ſuper currum igneum, illum qui recubuit ſuper pectus flammeum.*

(a) Exhort. ad Monach.

Propterea etiam quia ipſe & ejus diſcipulus Eliſeus primi fuerunt perpetuæ virginitatis cultores, primi quoque promeruerunt eſſe mortuorum ſuſcitatores, ſicut eleganter, ſuo more exprimit Drexelius (a) *Duo*, inquit, *hujus ordinis viri* (caſtitatem profitentium) *longè Principes* ELIAS *& Eliſeus, qui ſalutarem Chriſti ortum diu anteà præceſſerunt, caſtimoniâ complexi, cœlibes vixerunt: iidem omnium ſoli mortuos in vitam reduxerunt. Nimirùm hoſtes univerſos, cacodæmonem, peccatum, ipſam mortem caſtitas triumphat.*

(a) Lib. de Roſis ſelect. virt. p. 1. cap. 10.

230. Ex aliorum Patrum, & Scriptorum illuſtrium aſſertis de ELIÆ virginali caſtitate accipe adhuc curſim nonnulla. S. Ignatius Martyr *in epiſtola ad Philadelphienſes* ELIAM & Eliſeum recenſet inter eos, *qui in caſtitate de vita exierunt.* S. Methodius relatus ſuprà tradit S. ELIAM *præcoum & imitatorem* fuiſſe *puritatis* Virginis Deiparæ. S. Chryſoſtomus *lib. de Virginitate* (b) per virginitatem eum Angelis aſſimilat: *Quâ re differebant ab Angelis* ELIAS, *Eliſeus, Ioannes, veri hi virginitatis amatores? nullâ, niſi quòd mortali naturâ conſtabant.* Et aliquantò poſt: *Virginitatem autem fuiſſe, quæ tales eos reddiderit, ex eo perſpicuum eſt. Nam ſi uxores habuiſſent, & liberos, haud facilè adducti eſſent, ut & in ſolitudine viverent, ſuas familias contemnerent, & reliqua, quæ neceſſaria eſſent ad vitam, non compararent. Nunc verò hi omnibus ſoluti vinculis, tamquàm in cœlo, ſic in terris diverſantes non parietibus, non tecto, non lecto, non menſâ, non alio ejus generis rebus indigebant; quin illis cœlum erat pro tecto, ſolum pro ſtrato, pro menſa ſolitudo, & quæ ſterilitas ſolitudinis, aliis famis effectrix videtur, ſanctis illis viris ſuppeditabat rerum omnium copiam.* Et poſt alia in laudem virginitatis & trium præfatarum virginum, tandem ſubjungit: *Qui virginitatem hodie colunt, tantùm abſunt ab* ELIA, *ab Eliſeo, ab Ioanne, quantùm terra diſtat à cœlo. Hæc* (virginitas) *generoſos illos viros in admirabilem vitam deduxit.* Sic quoque Dorotheus hîc ſuprà adductus propterea aſſerit: ELIAM *unam Angelorum, & hominum vitam oſtendiſſe,* Caſtitas enim Angelica virtus nuncupatur. S. Adelmus, ſeu Altelmus *libro primo de laude virginitatis:*

(b) Cap ſeu nu. LXXIX.

ELIAS *vates, quem terna volumina Regum*
Inſignem memorant virtutum, &c.
Virgo ſacer fuerat famâ per ſecula notus.

231. Abbas Trithemius libro de ortu, & laudibus Ordinis Carmelitani *capite* 2. ELIAS *Virgo, mente, & corpore, nullius corporei coitus macula invenitur fuiſſe permixtus, ſed tantâ puritate coram Deo, & hominibus emicuit, ut mortem jam per annos bis mille quadringentos triginta differre meruerit. Fratres autem Carmelitæ, ſancti Principis exemplo inſtructi, ad perpetuam ſe caſtitatem voto Religionis obligant.* Judocus Clichtoveus in Sermone, cujus initium eſt: *Quum dixerint vobis filii veſtri.* Et Jacobus Salianus in Annalibus veteris Teſtamenti *Tomo quarto* Virgi-

Virginitatem Sancti Eliæ Patrum teſtimoniis adſtruunt. Sic & Gaſpar Sanctius *in caput 17. libri 3. Regum*, ſcribit: *Virginitatem*, inquit, *coluiſſe perpetuam communis eſt veterum Patrum, conſtansq́; ſententia.* Et Cornelius à Lapide in idem caput: Eliam *perpetuam coluiſſe virginitatem conſentiunt Patres*, quos ibi conſequenter refert. Et hæc quidem aliquantò uberiùs producta ſunt ad retundendam efficacius Joviniani à S. Hieronymo redarguti ſtultitiam, & Gnoſticorum à S. Epiphanio rejectam impudentiam, ſimilisve farinæ hominum ſomnia.

§. 3. *Obedientia perfecta.*

Eliæ obedientia perfectiſſima & promptiſſima.

232. OBedientia S. P. Eliæ perfectiſſima, & promptiſſima etiam manifeſtis ſacri Textùs ſtabilitur teſtimoniis; ipſe enim *voluntati propriæ abrenuncians ſemper, Superiorum, id eſt, Dei voluntatem prorsùs ſecutus fuit, quemadmodùm de eo ſcriptum eſt: Abiit quocumq́; cum ferebat voluntas, ſcilicet Dei.* Ita Joannes Jeroſolymitanus præfato libro *capite* 9. (a) Eò igitur modô, quò in ſupremo Ordinis capite obedientia eſſe poteſt, in Elia fuit, prout præ cæteris accuratè perpendit noſter Joannes Sylveira *Commentariô in caput 11. Apocalypſis Quæſtione 17.* ubi hæc: [Profundè & altè conſidera, & invenies, quòd Deus pluſquàm decem præcepta impoſuit Eliæ: *Vade, & abſcondere in torrente Carith.* (b) Et ecce aliud: *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum; præcepi ibi mulieri viduæ.* Ibidem *num.* 9. Et aliud præceptum: *Vade, oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ* (c). Et ecce aliud: dormienti ſub Junipero ait ei Angelus: *Surge, comede, grandis tibi reſtat via* (d). Aliud mandatum: *Vade, & unges Hazaël regem ſuper Syriam* (e). Iterum aliud mandatum: *Et Iehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael* (f) Iterum aliud: *Eliſeum filium Saphat unges Prophetam pro te* (g). Aliud præceptum: *Surge, & aſcende in occurſum Regis Samariæ* qui ibant ad conſulendum Beëlzebub Deum Accaron (h). Et aliud mandatum circa quinquagenarium: *Locutus eſt Angelus Domini ad* Eliam, *deſcende cum eo, ne timeas* (i). Et aliud præceptum, quandò Elias obtulit illud holocauſtum in monte Carmeli, circa quod eſt magna difficultas inter Doctores: quomodò Elias potuerit ſacrificare: nam expreſsè prohibitum erat in lege veteri, ne quis extra tabernaculum ſacrificaret. (k) communiter reſpondent Abulenſis & alij, quòd Elias habuit diſpenſationem, & mandatum Dei, ibi ſacrificandi in Carmelo, ut ipſe apertè dixit in ſua oratione ad Deum: *Iuxta præceptum tuum, feci omnia verba hæc* (l). Ac proindè tot, & tantæ circumſtantiæ, quæ in illo ſacrificio interfuerunt, ut quòd eligeret vitulum, erigeret altare, circa foſſam effunderenturque duodecim hydriæ aquæ; omnia ſub præcepto ei impoſita ſunt; tamen ſi attentè textum legas, & conſideres, invenies, quòd Elias ad tot præcepta nihil reſpondit, nec locutus eſt, ſed ſemper obmuteſcens mandata adimplevit.

(a) De inſt. prim. Monach.
(b) 3. Reg. 17. n. 3.
(c) 3. Reg. 18. num. 1.
(d) 3. Reg. 19 n. 7.
(e) Ibid. n. 15.
(f) Ibid. n. 16.
(g) Ibid.
(h) 4. Reg. 1. n. 3.
(i) Ibid. n. 15.
(k) Levit. 17. n. 9.
(k) Deut. 12. n. 4.
(l) 3. Reg. 18.

233. Cùm tamen, quandò Deus amandavit Moyſen, tamquàm Legatum ad Pharaonem, pro dimittendo populum; ſtatim Moyſes reſpondit; multas proponens objectiones, & difficultates, ut per multa capita referuntur in Scriptura (a). Mandat Deus Samuelem in Bethlehem ad ungendum Davidem in regem, ſtatim contradicta opponit: *Quomodò vadam? audiet Saul, & interficiet me* (b). Cùm Iſaias eligitur ad prædicandum populo; ut pollutum labiis ſe excuſat: *Vir pollutus labiis ego ſum* (c). Jeremias, cum deſtinatur ad prophetizandum, ac docendum, indilatè excuſationem interponit; *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui* (d) Quid eſt, quòd iſti viri tàm ſancti ad unum mandatum divinum, multa objiciunt, & reſpondent: at Elias cum tot præcepta acceperit, nihil dixit, nihil reſpondit?

(a) Exod. 3. & 4
(b) Reg. 16. n. 2.
(c) Iſaiæ 16 n. 4.
(d) Ier. 1. n. 6.

Eliæ obedientia cathedra prototypon.

234. Conſidera. Alii, ut Moyſes, Samuel, Iſaias, Jeremias, viri ſanctiſſimi, ac magni Prophetæ; ſicut & Elias, vir ſanctus & Propheta; at Elias non ſolùm erat vir ſanctus, ac Propheta, ſed etiam erat Monachus, in quo inerat exemplar, ac prototypon religioſæ obedientiæ. Alii, quamvis ſancti & Prophetæ, dicunt, reſpondent; & ſuas objectiones proponunt; at Elias, cùm eſſet Monachus, exemplarque totius obedientiæ, ad tot mandata ſibi impoſita tacet, & nec unum verbum profert; vera enim obedientia omninò neſcit loqui, & reſpondere, ſed tantùm obedire, & exequi, quod ſibi eſt injunctum, ac imperatum. Perfecta obedientia non habet os, nec linguam, nec ſcit loqui, vel reſpondere, ſed tantùm dare manus, & inclinare caput, in exequendis mandatis.] Hactenus ex Sylveira. Hinc meritò Dominicus Gravina (e) eum nuncupat *obedientiæ prototypon*; & ab aliis dicitur: *exemplar obedientiæ.* Et S. Bernardinus: (f) *Redditur* Elias *commendabilis cum perfectione obedientiæ.* Propterea ipſe dictus fuit *Currus Iſrael*; quia ductilis in obediendo. *Currus qui ducitur, ponitur primò, & auriga qui ducit, ſecundò: ad oſtendendum, quòd ille benè ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo.* Ita Gloſſa: (g)

(e) in lib. Vox Turtur. p. 2. cap. 5.
(f) in Apocal. c. 18. Tom. 4.
(g) in cap. 9. lib. 1. Regum.

CAPUT II.

Sancti P. Eliæ *exercitia quotidiana, oratio, pſalmodia, meditatio, contemplatio, divinæ præſentiæ jugis conſideratio.*

§. 1. *De Oratione in genere, & ſpecialiter de vocali.*

Eliæ oratio aſſidua.

235. EſSentialibus Religioſi Statûs virtutibus Paupertati, Caſtitati, & obedientiæ perficiendis neceſſaria ſunt exercitia orationis, meditationis, contemplationis: iſtis (ſicut ſal carni) conſervandis, jungi debet, ve-

luti comes, mortificatio, nec non ſolitudinis ſtudium, & ſilentium. Quàm firmo, & amicabili nexu S. P. ELIAS iſta omnia conjunxerit, & in ſe incluſerit, pateſcet ex dicendis. Orationem ipſius cunctis in exemplum S. Jacobus Apoſtolus *in ſua Canonica capite* 5. proponit: *Multum valet deprecatio juſti aſſidua.* Id ſic declarat: ELIAS *homo erat ſimilis nobis, paſſibilis: & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſùm oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Dicitur *oratione oravit*, id eſt, ferventer oravit; hanc enim vim habet geminatio, ſicuti & illa, quâ oravit in ſuo ſacrificio; *Exaudi me Domine, exaudi me.* Camartus *libro de geſtis* ELIÆ *cap.* 9. *ſect.* 2. inter utilitates Elianæ hiſtoriæ hanc adfert: quòd exemplo S. ELIÆ diſcamus, quanta ſit orationis virtus, quàm præſentiſſimum adversùs ingruentia nobis mala antidotum, quàm ſedulò & quaſi aſſiduè ſit exercenda, & quo mentis fervore ab unoquoque fidelium coram Deo effundi debeat. *Deprecatio enim pauperis*, ait Eccleſiaſticus (a) *ex ore uſq; ad aures Dei perveniet, & judicium feſtinatò adveniet illi.* Et rursùs (b) *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Hæc autem, & ſequentia manifeſtè ad ELIAM ſpectant, cujus oratio tàm fervens fuit, tàm aſſidua, tàm humilis, ut cœlum clauderet, aperiret, ad inferni profunda penetraret, mortuos indè extraheret, ignem è cœlis ad terram ſemel atque iterum demitteret, ſpiritum duplicem Eliſeo pararet.

(a) Eccleſ. 21. 6.
(b) Eccl. 35. 21.

Iſtam orationis ejus, aſſociatæ, & roboratæ jejunio, virtutem admiratus ſanctus Ambroſius *Sermone* 38. ait: ELIAS *cùm eſſet clauſum humanis iniquitatibus cœlum, & nulla mundanis rebus deſuper pluviarum ſtillaret ubertas, atque omnia longa ſiccitatis ſqualore languerent, & eſſet fames magna univerſo generi humano (quoniam enim cœlum pluviam non dabat, nec terra pabulum germinabat) tunc* ELIAS *ſanctus reſeravit jejuniis ſuis cœlum, terram orationibus fœcundavit. Illius enim ſiccitatem convertit in pluviam, hujus ſterilitatem reſolvit in partum. Tanta enim ejus precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigavit, ut arida reviviſcerent, mortua reſurgerent, languentia ſanarentur.*

Ei jungebatur jejunium.

236. Oratio autem alia vocalis, alia mentalis eſt. Vocalis ea dicitur, quæ non animum tantùm, ſed & linguam occupat; quandò ſcilicet animus & lingua velut gemini Legati Deo ſe ſiſtunt, & cauſam ſuam junctâ operâ perorant. Si namque mens abſit, non eſt oratio, ſed inanis locutio, & modulatum Pſittaci carmen. Orationis veræ medulla ſpiritus eſt. Quantâ autem attentione, & reverentia ac inſtantia S. ELIAS oraverit, manifeſtum reddunt Sacræ Literæ. Legatur fervens illa ELIÆ deprecatio, quam in monte Carmelo ſacrificaturus fecit, nec non illud, quod in ipſius Carmeli vertice jejunus, & feſſus, totque, & tàm variis laboribus penè oppreſſus, dum cæteri epularentur, ſolus pro pluvia impetranda exhibuit. Taceo brevem, ſed ardoris & zeli redundantem orationem pro filij viduæ ſuſcitatione. Hæc enim omnia ſigna ſunt evidentiſſima, quàm indefeſſo ſtudio orandi Deum mens ELIÆ arſerit, inquit Camartus (a). Hinc S. Chryſoſtomus ſcribens *in Pſalmum* 129. ut nos deſides, & ex negligentia diſtractos tempore orationis, ad fervorem ac devotionem excitet, exemplum proponit S. ELIÆ: *Os quidem reſonat, cor verò eſt inane, & ſola eſt deſerta cogitatio. At ſancti non ſic orabant, ſed cum ſummo ſtudio, & maxima vehementia, ut etiam totum corpus inflecterent. Beatus itaque* ELIAS *orans primùm quidem quæſivit ſolitudinem, deinde cùm poſuiſſet caput inter genua, & ſeipſum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces. Si vis autem eum etiam videre rectum ſtantem in oratione, vide eum rursùs extenſum in cœlum, & ita extenſum, ut etiam ignem è cœlo dejiceret. Ita etiam quando voluit ſuſcitare filium viduæ, cùm totum ſeipſum expandiſſet, confecit eam reſurrectionem: non interrumpens, neque oſcitans ſicut nos; ſed animo in orando alacritate incenſus.* Singularem autem, & maximam attentionem, humilitatem, & reverentiam præ ſe tulit, quando *pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua* (b), ut hac difficili, & verecundâ corporis compoſitione, & ſitu, Deum quaſi cogeret.

(a) de geſtis ELIÆ c. 6. ſect. 6.

ELIÆ oratio humillima & attentiſſima exemplar omnibus.

(b) 3. Reg. 18.

237. Quia enim homo conſtat animâ ſpirituali, & inviſibili, & corpore materiali ſenſibili, non tantùm actibus internis orationis, meditationis, contemplationis, ſed & externis Deum ſuum laudare debet. Oratio autem vocalis alia eſt privata, cujuſmodi erat dum S. ELIAS in Carmelo prò pluvia Deum deprecabatur, & quando puerum viduæ reſuſcitavit: alia publica, à pluribus ſimul, cujuſmodi fiebat in Oratorio communi ad divinas laudes ſimul concinendas, ab ipſo S. Propheta in Carmelo conſtructo, prout habetur ex Joanne Jeroſolymitano Antiſtite in libro *de Inſtitutione primorum Monachorum capite* 19. ubi iſta: ELIAS *in Monte iſto* (Carmelo) *nedùm habitare elegit, verùm etiam domum orationi conſecratam appellatam Semnion, in eo ædificavit. Ad quod tribus vicibus quotidiè conveniebant Creatorem omnium Litaniis, & orationibus ſuppliciter placandum, &, ut unuſquiſq; eorum cum Propheta diceret: [Veſpere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam.]* De iſto Oratorio poſteà ipſi S. ELIÆ dedicato plura videri poterunt hic ſuprà *part.* 3. *cap.* 5. & hæc quidem de Oratione vocali.

ELIÆ Pſalmodia.

§. 2. *Oratio mentalis, Dei præſentia.*

238. MEditatio; linguâ ſilente cor evocat ad arcanum cum Deo colloquium. Secretius quid eſt contemplatio, ad hanc enim meditatio via eſt. Contemplari dicitur, qui collectis animi viribus, & affectionibus, divinæ naturæ quippiam cum admiratione mentis & delectatione ſtudet cognoſcere, cùm vel potentiam Dei, vel bonitatem, vel ſapientiam, vel charitatem ac largitatem, vel occulta Dei judicia, vel ſanctiſſimam illius voluntatem, ſummè peniſſimè inſpicienda. De ſublimi contemplatione S. P.

Meditatio & contemplatio quid?

ELIÆ

ELIÆ tractans S Gregorius Papa *libro 5 Moralium cap. 25. & 26.* ſub hoc titulo: *Quod per auram lenem Spiritus ſanctus accipiatur, cujus præſentiam ex ſubtilitate ſua* ELIAS *agnovit.* Ubi hæc inter alia: *Quia verò & in magna contemplatione ſublevati, ſubtile quid de æternitatis cognitione pertingimus, Sacra Hiſtoria verbis oſtenditur, cùm de cognitione Dei Propheta* ELIAS *edocetur.*

ELIAS *per miramque ſpiritualium deliciarum redundantiam promeruit,*

Quòd autem per contemplationis iſtius exercitium Deum, & Dei gloriam, quantùm fas eſt homini videre, promeruerit, tradunt paſſim Patres. Qua de re ſic S. Baſilius *Homilia 1. de jejunio* ſcribit: *Promeruit videre Dominum, quatenùs quidem homini videre datum eſt.* Et Abulenſis *in caput 17. Matthæi*; ELIAS *vidit gloriam Dei in igne, & commotione, & Spiritu auræ, quod aliquo modo pertinebat ad gloriam transfigurationis.* Per illam contemplationem quantâ deliciarum redundantiâ promeruerit à Deo cumulari ſic declarat Joannes Jeroſolymitanus libro *de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 9.* ELIÆ *cor, dum in deſerto ex fervente charitate intra ſe concaleret, & in meditatione ſua ignis divini amoris exardeſceret, guſtabat frequenter ineffabilem Dei Gloriam, & ſedebat, id eſt, quieſcebat, in torrente voluptatis divinæ, quo Deus potat diligentes ſe: dicente Propheta: Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sed quamvis ſatageret tunc* ELIAS *in contemplatione tam ineffabilium deliciarum aſſiduè requieſcere; oppreſſus tamen corruptibili corpore nequibat in eis diutiſſimè permanere. Qui ad ſemetipſum reverſus modò lætabatur in corde tacitè ex recordatione ſuavitatis guſtatæ, modò verò gemebat validè ex deſiderio, & fame guſtandi ſuavitatem dulcedinis tam jucundæ. Sic rursùm in ſpiritu raptus tranſibat* ELIAS *in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei: à cujus ubertate inebriabatur ipſe, & torrente voluptatis ejus potabatur.*

Et potiſſimè ex conſideratione divinæ præſentiæ.

239. Ineffabilis autem iſta lætitia, & jucunditas ſpiritualis potiſſimè profluebat ex conſideratione divinæ præſentiæ (dum identidem ore, & magis corde ingeminaret, *Vivit Dominus, in cujus conſpectu* ſeu *ante cujus vultum, ſto*) & in contemplatione bonitatis ejuſdem, pulchritudinis, ſuavitatis, cæterarumque perfectionum divinarum. In iſtas mentis oculos fixos habebat; & ideò dicebat, *ſe ſtare coram Deo*; nam ut idem ſcribit S. Gregorius (a): *Ibi ſtamus, ubi mentis oculos figimus: unde* ELIAS *ait: vivit Dominus in cujus conſpectu ſto: ibi utique ſtabat, ubi cor fixerat.* Hac ratione vitam agebat magis Angelicam quàm humanam. Hinc S. Chryſoſtomus (b) ELIAS *alter mundo, proximus cælo, Dei colloquio fruebatur.* Et Origenes (c) explicans illa S. Gabrielis Archangeli verba ad Zachariam patrem ſancti Joannis Baptiſtæ: *Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum,* ipſos (Gabrielem, & ELIAM) inter ſe æquiparat, quoad aſſiſtentiam coram Deo: ELIAS, inquit, *in corpore ſuper terram, & Gabriel ſine corpore in cælis, uterque ſimiliter ſe aſſiſtere dixerunt in conſpectu Dei, ubiq; enim eſt facies Dei.* Hanc continuam coram Deo converſationem, unam ex cauſis, cur cum corpore mirabiliter raptus ſit ex hoc mundo aſſignat S. Ambroſius (d): *Cum ipſo raptus eſt corpore, quoniam cæleſtem vitam vivebat in corpore, ac ſuperna uſum converſationis exhibebat in terris.* Ex hoc continuo divinæ præſentiæ exercitio magna cum reverentia jugiter ſe habebat: ELIAS *tamquam vir excellenter heroicus,* inquit Dionyſius Carthuſianus, *penſavit aſſiduè ſe jugiter in divinæ majeſtatis præſentia, atq; in divini cultûs intuitu eſſe, vivere, converſari, ideò ſe reverenter habuit coram Deo.* Propterea ad excellens hoc præſentiæ Dei exercitium ſe exemplo ELIÆ exſtimulabat S. Antonius, prout his verbis teſtatur S. Athanaſius (a): *Meminerat quoque* ELIÆ *Prophetæ dicentis: Vivit Dominus, cui adſto hodie ante ipſum; & diſſerebat, cur, hodie eſſet appoſitum, quia non computabat* ELIAS *præteritum tempus: ſed tamquàm quotidie in certamine conſtitutus, talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat dignum Dei eſſe conſpectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati ejus.*

(a) Lib. 2. ſup Ezech. Homil. 13.

(b) Serm. de S. Elia.

(c) Lib. 1. in Job.

(d) Lib. de Elia & jejun. c. 2.

(a) In vita S. Antonij.

CAPUT III.

Vitæ puritas, mortificatio, ſilentium, ſolitudo, fuga ſeculi, tentationum perpeſſio, & impugnatio, fuerunt comites orationis, & contemplationis in ſancto Patre ELIA.

§. 1. *Vitæ innocentia, ſui abnegatio.*

Vitæ puritas in ELIA.

240. Imprimis vitæ puritas neceſſaria eſt pro orationis & contemplationis dono in eminenti gradu obtinendo; ſicut enim in ſpeculo nitido reſplendet objectum oppoſitum, ita in anima pura Dei imago imprimitur; oratio enim, contemplatio, & omnis cum Deo communicatio eſt virtus caſtiſſima, ut eam vocat Dionyſius Areopagita, & quæ requirit purgatiſſimas & tranquilliſſimas mentes; quare abſente ab aliquo mentis tranquillitate, atque munditiâ, nec non & paſſionum pacatione (quæ tria à mortificatione proveniunt) neceſſè eſt, ut virtus orationis ſe abſcondat, & radius ille divinæ claritatis, quo Deum contemplamur, abſcedat. S. Gregorius Nyſſenus *Orat. 3. de beatitudine*, agens de SS. Joanne Baptiſta, & ELIA, utriuſque innocentiam ſic declarat: *Quod parvum aut magnum in vita illorum hiſtoria novit delictum? quid ergò utrum beatitudinis expertes eos eſſe oportuit, qui nec ab initio prorsùs ægrotaverunt, nec remedio hoc, luctu, inquam, ex pœnitentia opus habuerunt, an non abſurdum fuerit, tales à divina beatitudine repellere & alienos arbitrari, quia neque peccaverunt, neq; luctu peccatum ſanaverunt.* Id intelligendum ſaltem de peccatis venialibus cum plena deliberatione, non ita fortè de venialibus ex fragilitate, aut ſubreptione aliqua. Meritò à S. Gregorio Nyſſeno quoad vitæ puritatem junguntur ELIAS & Joannes Baptiſta, qui in ſpiritu ELIÆ venit, ut propterea quod de uno canit Eccleſia. *Antra deſerti teneris ſub annis, petiiſti &c. ne levi ſaltem maculare vitam*

ſemine poſſes, etiam de altero jure dici poſſit.

241 De veriſimili emundatione S. ELIÆ à peccato originali, ejusque ſanctificatione antequàm naſceretur, & confirmatione in gratia; ac conſequenter immunitate à peccatis gravioribus, eruditè & luculenter diſſerit Camartus. Undè quædam producta ſunt *parte prima cap.* 7. Id ex Sacris Litteris certum, quòd illius actiones à Spiritu ſancto fuerint divinitùs ordinatæ: imò & corpus cœlitùs gubernatum (ut ex dicendis capite ſequenti patefcet) atque ita à peccato & imperfectione immunis. *Quis abſonum*, inquit Michael Muñoz (a) *exiſtimabit dicere, ſic ejus actiones moderatas; ut in nullum grave peccatum inciderit, ſed in ſemel accepta gratia perſtiterit, ignis in conſpectu Dei ſemper ardens, & flamma ſurgens ut ignis? Propter quod Eccleſiaſticus capite* 48. *Amplificatum* commendat ELIAM *in mirabilibus ſuis: qui totus mirabilis poſſit præ omnibus gloriari. Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?*

(a) In Propug. Eliæ.

S. ELIAS *mortificationem & auſteritatem orationi ſociavit.*

242. Mortificationem, ſeu abnegationem ſui, conſiſtentem in diſcreta maceratione carnis, & in refrænatione paſſionum, ac interiorum animæ virium, & ſenſuum, etiam requiſitam orationis comitem, neceſſariam quoque ad conſervandam puritatem cordis, & corporis, quàm arcto & indiſſolubili vinculo S. P. ELIAS orationi ſociaverit, & vitam duxerit mortificatam, egentem, anguſtiatam, afflictam, aſperam & auſteram, habetur ex dictis ubi de ejus paupertate, & ſic paucis benè Lyranus *in caput ſecundum libri* 4. *Regum* declarat: ELIAS ASCENDENS DOMINUS *interpretatur, & benè dicitur* ASCENDENS DOMINUS, *quia nullus poteſt aſcendere per contemplationem in Deum, niſi fuerit Dominus ſenſibilium paſſionum.* Conformiter ſcribit Camartus libro de Geſtis ELIÆ *capite* 4. *ſect.* 10. ubi iſta: [Propheta noſter, qui cum Dei omnium Imperatoris & Regis nomine decoratus fuerit, hoc etiam præſtitit, ut & vita & moribus eo nomine digniſſimus appareret. De ELIA ſiquidem videtur egregiè ab Ambroſio dici (b): *Victor paſſionum, nec ullis captus illecebris, qui omnem iſtam ſecundùm corpus habitationem cœleſtis puritate converſationis obduxerat, mentem regens, carnem ſubjiciens, & regiâ quadam auctoritate caſtigans.* Et infra: *Ergo* ELIAS *vitia omnia compreſſit, ut Angelicam potiùs vitam in terris duceret quam humanam.*] Et cap. 3. *ſect.* 15. [ELIAS ab omnibus abſtinuit, & ex creatis rebus nec alimenta ipſa, nec quibus tegeretur (quod tamen permiſit Apoſtolus) aſſumpſit. Habitationem enim, cibum, domum, protectionem ab uno Deo accepit, ut ex illius hiſtoria manifeſtum eſt. Solent certè rerum terrenarum cupiditates animum ad ima deprimere, ut non immeritò dixerit Poeta:

(b) Lib. 1. de Cain cap. 2.

——— *corpus onuſtum*
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atq; affligit humi divinæ particulam auræ.]

243. Quinimò tam fortiter, conſtanter & generosè in hac palæſtra ſe geſſit, ut victoria de ſua carne, & de paſſionibus ſuis, atque ita ſimilitudo vitæ cum Angelis una fuerit ex cauſis tàm glorioſi triumphi, quo ſicuti Angeli è cœlis ad terram deſcendunt, ipſe ècontra tamquàm victor aſcenderit. Ita magnus Eccleſiæ Doctor S. Ambroſius *Sermone* 67. ubi hæc de S. ELIA: *Frequenter, inquit, audivimus Angelos ad homines deſcendiſſe, audire etiam cupimus, quando homines ad cœleſtia tranſmigravint. Manifeſta res eſt, & in promptu poſita.* ELIAS *magiſter Eliſei nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum eſt, & quadrigâ igneâ impoſitus quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, ſed ſecularium voluptatum. Siquidem graviores inimici ſunt pravi mores, quàm hoſtes infeſti, ut facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe quàm morum. Ergo* ELIAM *Angeli ad cœlum perferunt.*

§. 2. *Fuga Seculi, Solitudo, Tentationum Propulſatio.*

244. MOrtificationis pars, ſeu ei affinis eſt fuga ſeculi, & vanitatis, atque occaſionum, quæ pertrahere poſſunt ad peccatum, nec non tentationum reſiſtentia, de quibus præclarè idem S. Ambroſius libro integro, cui titulus, *De fuga ſeculi*, ubi *cap.* 2. hæc de S. P. ELIA: *Exul eſt mundi, fugitans corporis, fugitans paſſionum, qui abdicat ſe omnibus, ut ſolus remaneat, ſicut* ELIAS *dixit: [Et ego relictus ſum ſolus.] Sed non erat ſolus, cum quo erat Chriſtus. Et ipſe Dominus relictus eſt ſolus. Sed non ſum, inquit ſolus, quoniam Pater mecum eſt.* Et capite 6. *Deſertum fuga eſt bona, ad quod fugit* ELIAS *mulierem Iezabel, id eſt, effuſionem vanitatis, & fugit ad montem Oreb, quod ſignificat exſiccationem, ut ſiccaretur in eo carnalis profluvium vanitatis, & cognoſceret pleniùs Deum.* Et infrà: *Utique non mulierem fugiebat Propheta, ſed ſeculum, fugiebat ſecularem illecebram, & converſationis maculoſæ contagionem, & impiæ, ac prævaricatoris nationis ſacrilegia.*

S. ELIAS *fugit ſeculum, & occaſiones peccatorum.*

245. Solitudo itaque Orationis etiam comes & nutrix, & à peccatorum illecebris atque occaſionibus aſylum tutiſſimum eſt: & ideò S. Prophetæ ELIÆ peculiariter chara fuit: eaque ipſi ab ipſo Deo præcepta iſtis verbis: *Recede hinc*, ſcilicet à rebus caducis mundi & tranſitoriis: *& abſcondere in torrente Carith*, exindè ab urbibus ſe *elongavit fugiens, & manſit in ſolitudine* (a) Carith & deindè in deſerto Oreb, ac denique ſtabiliter in Carmelo. In ſolitudine igitur *adipe virtutum repleta fuit anima ejus.* Ita S. Ambroſius *libro* 10. *Epiſtolarum Epiſtola* 82. ELIAS, inquit, *introivit in ſpeluncam, & requievit ibi, & ſic poſteà miſſus eſt, ut ungeret Reges. Duratus igitur ad patientiam eſt ſolitudinum incolatu: & tamquàm paſtus ad virtutis adipalem agreſti alimentò proceſſit fortior.* Hinc veteres Patres, & Eremitæ, exemplo S. ELIÆ incitati ſunt ad incolendam Eremum. Sic de S. Antonio legitur (b): *Magni* ELIÆ *atque Eliſei, nec non & S. Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, ſecreta interioris eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari.* Sic quoque de S. Onuphrio ſcribit S. Hieronymus in ejus vita

(a) Pſal. 54.

ideo ſolitudinem amavit.

(b) In vita S. Antonii.

ipſum introducens loquentem: *Profectò vitam Beati Patris noſtri* ELIÆ, *venerabiles Fratres meos audivi frequenter laudare, qui ſe in eremo in tanta abſtinentia & oratione ſtuduit affligere; ut maximam virtutem à Domino meruiſſet accipere: & igneo curru tranſvectus, Spiritus ſancti dona, quæ habuerat, diſcipulo impartiri, ac adhuc longævus ſenio, mortis pœnam non videre.* Ita quoque S. Gregorius Nazianzenus oratione 13. *Pulchra res ſolitudo, & quies, idq; me docet* ELIÆ *Carmelus.* Ex iſtis patet, quòd olim Monachi exemplô S. ELIÆ tanquàm Patris, & Principis ſui ſeſe ad virtutes Monaſticas extimularent: de quo plura alibi.

Et ſilentium coluit. Silentium quoque orationi perficiendæ, imo & occaſionibus plurimorum peccatorum declinandis quam maximè confert. Idcirco S. Chryſoſtomus in cap. XI. ad Hebræos: *Poſſide in timore Dei ſilentium, neque tibi nocebunt ulla inimici tela. Silentium enim timori Dei conjunctum currus eſt igneus, poſſeſſorem ſuum in cœlum ſubvehens. Id tibi perſuadeat* ELIAS *Propheta, qui ſilentium unà cum timore Dei diligens aſſumptus eſt in cœlum.*

Tentationes, afflictiones, anguſtias perpeſſus fuit. 246. Quoad tentationes, ab iis nemo immunis: *Tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram.* Imo & ipſe Chriſtus tentari à diabolo, affligi dolore, triſtitiâ, pavore dignatus fuit. Chriſtum ceu typum præceſſit S. ELIAS, de quo, & ejus diſcipulis potiſſimè dictum à S. Paulo ad Hebræos XI. *anguſtiati, afflicti,* ut

(a) Cap. 1. habetur ex antedictis. (a) Tentatio etiam S. P. ELIAM probavit ad cuſtodiam humilitatis. Id præclarè declarat S. Gregorius, quòd videlicet Sancti, qui ad ſumma rapiuntur, ſubindè à Deo tentationibus reprimantur, idque declarat exemplo SS. ELIÆ Prophetæ, & Pauli Apoſtoli: *Quia,* inquit, *Sancti ipſi, qui ſancto ſublevante Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliquâ elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur: ut nequaquam tantùm proficere valeant, quantùm volunt: ſed ne extollantur ſuperbia, ſit in eis ipſarum quadam menſura virtutum. Hinc eſt enim, quòd* ELIAS *dum tot virtutibus in alta profeciſſet, quadam menſura ſuſpenſus eſt, dum Iezabel poſtmodum quamvis reginam, tamen mulierculam fugit. Perpendo quippè hunc mira virtute virum, ignem de cœlo trahere, & ſecundò quinquagenarios cum ſuis omnibus petitione ſubditâ concremare, verbo cœlos à pluviis claudere, verbo cœlos ad pluvias aperire, ſuſcitantem mortuos, ventura quoq; prævidentem, & ecce rurſus animo occurrit, quo pavore ante unam mulierculam fugerit. Conſidero virum timore perculſum, de manu Dei mortem petere, nec accipere: de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret, dicens: ſufficit mihi, tolle animam meam: neq; enim melior ſum quàm Patres mei. Unde ergo ſic potens, ut tot illas virtutes faciat? Undè ſic infirmus, ut ita fœminam pertimeſcat: niſi quia aqua appenduntur in menſura: ut ipſi ſancti Dei homines, & multum valeant per potentiam Dei, & rurſùm quadam menſurâ moderati ſint per infirmitatem ſuam? In illis virtutibus* ELIAS, *quid de Deo acceperat, in iſtis infirmitatibus quid de ſe eſſe poterat, agnoſcebat. Illa potentia virtus fuit, iſta infirmitas cuſtos virtutis. In illis virtutibus oſtendebat, quod acceperat: in iſtis infirmitatibus hoc quod acceperat, cuſtodiebat. In miraculis monſtrabatur* ELIAS, *in infirmitatibus ſervabatur. Sic Paulum video fluminum & latronum, civitatis & ſolitudinis, maris ac terræ pericula ſuſtinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, ſuſtinentem frigoris, & nuditatis ærumnam, ad Eccleſiarum cuſtodiam, vigilanter ſe ac paſtoraliter exercentem, ad tertium cœlum raptum, rurſumq; eum in paradiſum raptum, & audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: & tamen Satanæ angelo ad tentandum conceditur, orat ut eximi debeat. & non exauditur.* Et hæc in conſolationem eorum, qui tentationibus infeſtantur; cùm ab iis ſublimes mentes tantorum virorum impetitæ fuerint. Plura ad hoc intentum vide hic ſuprà *parte* 2. in notis ad caput tertium.

247. Sed cùm de tentationibus, quibus S. P. ELIAS probatus fuit, hic ſermo inciderit, lubet quoque videre, quibus contra eas præſidiis uſus fuerit: nempè fugâ, ut jam ante ex S. Ambroſio audivimus. Sic quoque S. Bernardus (a) *Per* ELIAM, inquit, *qui interpretatur* (a) Ser. 64. inter parvos
Dominus, vel Dominus fortis, intelligitur quilibet juſtus. qui perſecutionem patitur propter juſtitiam. Unde illud (b): *Beati qui perſecutionem patiuntur* (b) Matt. c. 5.
propter juſtitiam. Qui metuens Iezabel, id eſt, malitiam ſeculi, vel tyrannidem diaboli, ſurgit de tentatione peccaminum, & abit quocumq; eum tulerit voluntas à Domino ſibi collata. Iſtis concinit Hugo de S. Victore (c) *Timens,* inquit, ELIAS (c) Ser. 85. Inſtit. Monaſt.
minas Iezabel, relicto puero ſuo perrexit in deſertum, viam unius diei: & reſedit ſub junipero. Sancti viri ſublevante ſpiritu ad ſumma rapiuntur. Quamdiu verò in hac vita ſunt, ne ſuperbiant tentationibus reprimuntur. Hinc eſt quod ELIAS *cùm tot virtutibus profeciſſet, Iezabel poſtmodum quamvis reginam; tamen mulierculam, fugit: & qui mortuos ſuſcitabat, ventura prævidebat, alia quoq; præclara faciebat: timore perculſus de manu mulieris mortem fugit: de manu Dei mortem petiit, nec* *In tentationibus quibus armis & præſidiis uſus* ELIAS.
accepit. In virtutibus ELIÆ *potentia Dei pollebat: in infirmitatibus ſuis quid de ſe poterat, agnoſcebat. Ibi oſtendebat quod acceperat: hic quod acceperat, cuſtodiebat. In miraculis monſtrabatur: in infirmitatibus ſervabatur.* ELIAS *Propheta Domini, vitâ & miraculis clarus, quemlibet deſignat fidelem. Achab rex impius Domini & præceptorum ejus adverſarius, diabolum ſignificat, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ: & cui principatur in operibus culpa. Iezabel mulier impudica & ELIÆ ſemper inimica, immunditiam exprimit carnis, quæ ſemper juſtum perſequitur.* Ibi conſequenter hiſtoriam illam fugientis ELIÆ latè explicat pro inſtructione tentationibus impetitorum: peculiariter autem contra tentationes carnis exemplo S. ELIÆ fugiendum eſſe docet. *Tentationibus,* inquit, ELIAS, *id eſt, fidelis nonnunquam perterritus, quamvis virtutibus, & multis bonis operibus priùs claruit, timens tamen, ne occaſio veniat, & cum Iezabel, id eſt, luxuria occidat, obediens Apoſtolico conſilio, quod dicit: fugite fornicationem.*

248. Ad orationem quoque in omni *Orationi.*
tentatione, afflictione, omnique negotio potiſſi-

potiſſimè confugit S. ELIAS, ſicut patet ex dictis capite præcedenti. Iſtis junxit carnis macerationem (de qua etiam jam ante) & jejunium: exemplum nobis præbens, ſeu præfigurans, ut in tentationibus ad eadem arma confugiamus, prout nos inſtruit Seraphicus Doctor Bonaventura (a): *Homines carni dediti nec benè poſſunt tentationem diaboli vitare, nec bene cœleſtia contemplari. Undè in figura iſtorum* ELIAS *jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut ſcilicet perſecutionem Iezabel evaderet & ad montem Dei Oreb celeriter perveniret.* ELIAS *in figura ſignat animam benè abſtinentis: perſecutio Iezabel deſignat tentationem carnis: & mons Dei Oreb ſignificabat ſublimitatem contemplationis.* S. ELIAM à Deo edoctum tentationes jejunio peculiariter debellandas ſic quoque præclarè adſtruit S. Auguſtinus in *Serm. LXV.* de tempore (qui eſt ſecundus pro Dominica prima Quadrageſimæ) ubi hæc de jejunio, & ejus effectibus: *S.* ELIÆ *jejunanti etiam supernum deſcendit incendium. Et cùm eum Iezabel regina vellet occidere, & feſſus ſub arbore frondoſa jaceret in ſolitudine, Angelus ad eum mittitur, & dixit ei: ſume paululum panis & aquæ. Videte quanta ſit Dei clementia erga jejunantes, chariſſimi. Non ſufficiebat, quia Angelum ad jejunantem Dominus miſerat, qui eum ut cibum ſumeret, juberet: ſed etiam præcipit, ut longiùs fugiat perſequentem. Ait ergo: ſume paululum panis & aquæ. Quadraginta enim dierum jejunio perrecturus erat per deſertum uſq; ad monte Sina. Numquid enim Dominus, qui cœlum & terram fecerat, cujus omnis eſt creatura, non potuit in eremo per Angelum prandium mittere, ſicut Danieli in lacum leonum per Abacuc miſit? Sed ſciebat Deum Prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, ut jejunijs erudiens inſidiantis inimici tentamenta repelleret.* Sed de jejunio Sancti ELIÆ plura in ſequentibus.

(a) 2 dietæ ſalut. c. 6.

Et jejunio.

CAPUT IV.

Virtutes Cardinales, & illis annexæ animam ſancti ELIÆ *mirificè exornantes.*

§. 1. *Prudentia.*

249. IN quatuor virtutibus ſcilicet, *Prudentia, Iuſtitia, Fortitudine, & Temperantia tota boni operis ſtructura conſurgit*, inquit S. Gregorius, (b) & ideo Cardinales dicuntur; quæ quàm indiſſolubili, & amicabili nexu celſum perfectionis ædificium conſtruxerint in anima magni Prophetæ ELIÆ pateſcet, ſingulas expendenti. *Prudentia eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum, ait* S. Auguſtinus (c). Eſtque virtutum omnium gubernatrix: nam, ut princeps Theologus loquitur, *virtutes omnes adjuvat, & in omnibus operatur.* Muneris ejus potiſſimùm eſt omnia in homine ordinare, cogitationes, ne extra Deum temerè vagentur; affectus, ne circa res conditas nimiùm occupentur; voluntatem, ne à Deo avertatur; intentionem, ne illi mala miſceatur. Sic & verba, factaque omnia, geſtus omnis, & inceſſus à Prudentia ad moderationem reducendus eſt. Ea omnia quàm maximè competebant ſancto ELIÆ: cujus actiones Dei inſtinctu aut mandato expreſſo à Spiritu ſancto fuiſſe divinitus ordinatas, ipſe de ſe teſtatur dicens: (a) *Iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Nec tantùm animam, ſed & corpus ejus fuiſſe cœlitus directum, non obſcurè etiam traditur in ipſis Sacris Litteris. Proptereà Gregorius Nyſſenus (b) ELIAM cum Joanne conferens concludit. *Quid parvum, aut magnum in vita illorum hiſtoria novit delictum?* Cum ex ipſâ ELIÆ hiſtoria conſtet, omnes illius actiones à Spiritu ſancto fuiſſe divinitùs ordinatas: immò & corpus cœlitùs gubernatum. Proptereà ei Abdias timens dicebat: *Cùm receſſero à te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro.* Et poſt raptum, putantes Filij Prophetarum, quod *Spiritus Domini tulerit eum in unum montium, aut in unam vallium*, eum quæſierunt. Adeo familiare erat ELIÆ à Spiritu Dei etiam corporaliter regi. Hinc etiam legimus, *facta eſt ſuper* ELIAM *manus Domini, accinctiq; lumbis currebat ante Achab.* (c) Ex iſtis locis etiam Abulenſis, Sanctius, & alij concludunt ELIAM non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs à Spiritu Domini fuiſſe raptum, & ad diverſa loca tranſlatum. Ex dictis falſa evincitur accuſatio Joannis Calvini apud Fevardentium (d) & paucorum aliorum de ELIÆ nimis vehementi Zelo, & aliis nonnullis defectibus: cùm ea quæ dixit & fecit, fuerint ex divino mandato expreſſo, ſeu internâ Spiritus ſancti inſpiratione, & directione: & propter ardentiſſimum zelum ſingulariſſimis à Deo prærogativis ſit decoratus, & eximiis encomiis, tum in ſacro Textu, tum à Patribus commendatus.

(b) Lib. 2. Moral. cap. 36.

(c) Lib. 83. quæſt. q. 61.

ELIÆ prudentia.

(a) 3. Reg. 18.

(b) orat. 6. de beatitud.

(c) 3. Reg. 18. 46.

(d) in Theomachia lib. 9. c. 3.

250. Prudentia ejus etiam ſingulariter reſplenduit, quòd tantâ verborum efficaciâ duriſſimum cor Achabi, ELIÆ offenſiſſimi (ita *ut gens, aut regnum non eſſet quò non miſerat, requirens eum*, (e) ut eum morti traderet) ſic permoverit, & emollierit, ut populum omnem Iſrael, & Prophetas Baal, ac Prophetas lucorum curaverit convocari in montem Carmeli, juxta placitum ELIÆ. Eâdem prudentiâ ſolus ipſe 850. Prophetis Baal & Lucorum perſuaſit, ut primi ſacrificium offerrent; atque ita nihil facientes, efficacius erroris convincerentur. Prudentia illius etiam ſingulariter effulſit in erectione altaris ſui, & foſſione aquæ ductus, & terna quatuor hydriarum effuſione ſuper ſacrificium, & ligna, ita ut aquæ currerent circa altare, & foſſa aquæ ductus repleretur. Id enim (præter myſticam ſignificationem) etiam contulit magnoperè; ne ſuſpicio alicujus doli circa ſuum ſacrificium eſſet, prout animadvertit S. Chryſoſtomus *in Homil.* de S. Petro Apoſtolo & S. Propheta ELIA longè poſt medium, ubi hæc: *Fecerunt Sacerdotes infames altare, & cœperunt invocare Baal, dicentes: Exaudi nos Baal, exaudi nos. Cùm verò multo clamore edito, nemo*

(e) 3. Reg. 18.

Ejus prudentia in Sacrificio.

mo eſſet, qui exaudiret (non enim erat vox, neq; auditio) expectabat ELIAS, *patientiam retinens, donec illi orarent. Cùm autem vidiſſet multam eſſe illorum moram, & intenſos clamores, neque quemquam exaudire, irridens illos: Clamate, inquit, quàm maximè poteſtis, nam fortè dormit Deus veſter. Poſthac cùm meridies eſſet, & tempus proceſſiſſet: Concede, inquit* ELIAS, *ut faciam holocauſtum meum: cumq; feciſſet altare, & impoſuiſſet ligna, dixit: Adferte aquam circa Altare: adferte, inquit, bis tantùm, & ter tantum. Fecerunt hoc miniſtri. Velim conſideres, quare ab* ELIA *hoc factum ſit. Quoniam erroris mos eſt veritati propria vitia objicere. Id quod faciunt meretrices, anticipant enim ipſæ, & ingenuas fœminas meretrices vocant, ut non habeant, illæ quod convitij objiciant. Propterea etiam in hac re ſapienter ſe geſſit* ELIAS. *Attende quæſo, quod dicturus ſum: vidi enim ipſe, quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam ſunt ex inferiore altaris parte, & fovea quædam obſcura: deſcendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem ſufflant ad ſacrificium conficiendum, ita ut multi decepti cœleſtem eſſe ignem illum exiſtiment. Ne igitur &* ELIAS *in ſuſpicionem veniret, quòd & ipſe aliquid tale machinatus eſſet, aquam effudit, ut aqua illa nulla eſſe infra altare foramina oſtenderet: ubi enim foramen aqua invenerit, illic aqua non conſiſtit, ſed per foramina ipſa defluat neceſſe eſt. Implevit igitur altare.*

251. Admiratur & expendit idem S. Pater Chryſoſtomus in eadem homilia prudentem & diſcretum S. ELIÆ modum converſandi cum vidua Sarephtana ſcribens: *Da mihi, inquit, paululum aquæ, ut bibam. Animadverte ſapientiam* ELIÆ, *quemadmodum non ſtatim ad majus aliquid petendum venit, ſed ad id, quod erat vilius. Non dixit, da mihi panem, ſed da mihi aquam. Priùs aquam petit, conjecturâ colligens, quòd ſi aquæ facultatem habuerit, poſſit & panis facultatem habere. Da mihi, inquit, paululum aquæ. Abiit vidua, aquam tulit: quam cùm ille bibiſſet, animum auxit, & ait: ſume mihi & buccellam panis, ut comedam.* Exemplum ſanè notabile & diſcretionis, & parcimoniæ, *da mihi*, inquit, *pauxillum aquæ*, non vinum, non alium oblectantem potum, nec multum, ſed *pauxillum aquæ* petit: & deinde in cibum poſtulat, non multum, nec obſonium, ſed duntaxat *buccellam panis*, & quidem *ſubcinericiũ*, qui ſcilicet prunis ferventique cineri toſtus, non deliciis, ſed ſoli neceſſitati ſervit.

Diſcretio ejus ſingularis.

252. Prudentiæ ſupernaturali in S. ELIA, juncta, ſeu identificata fuit Sapientia donum Spiritus ſancti, *quâ ſecundum regulas divinas homo de omnibus dijudicare poteſt*, ut eam definit S. Thomas (a) & iſti etiam ſociatus fuit ſermo ſapientiæ & ſcientiæ, hoc eſt ſublimis cognitio rerum divinarum, & humanarum, ad aliorum eruditionem, ut meritò de eo ſcribat Generalis Minimorum Camartus *de Geſtis* ELIÆ *cap. 4. ſect. 9.* ELIAM *Doctorum omnium aleph ſeu maris alpha, id eſt, principem meritò appellandum conſtat, tùm ex geſtis coram omni Iſraele, quem convertit ad Dominum, tum ex gerendis; cum ſervetur adhuc vivus, ut convertat corda patrum ad filios, ut Malachias & Eccleſiaſticus ſcribunt, & edocturus non ipſos Iudæos tantùm, ſed præterea univerſum orbem.* Et capite 6. ſect. 1. *Illud etiam præterire non debet, quòd cùm Hebræi cenſeant ſeptem fuiſſe annoſiſſimos homines ſpiritu propheticò claros, qui veluti ſapientiæ antiſtites univerſa mundi ſæcula, & quæ præceſſerunt, & quæ ſequentur ad uſque orbis interitum permetiuntur; ut homines in Dei cultu erudiant,* ELIAM *inter paucos hoſce ſapientes tempore quidem poſtremum, ſed virtute, doctrinâ, zelo, miraculis, vitæ longævitate præcipuum conſtituunt.*

(a) 2. 2. qu. 45. art. 1.

Sapientia ejus donum Spiritus S.

§. 2. *Iuſtitia, & virtutes cognatæ.*

253. IUſtitia *virtus eſt, perpetua, & conſtanti voluntate jus ſuum unicuique tribuens:* ad quam reducitur Religio *Deo debitum cultum & reverentiam exhibens:* quod admirabili cum zelô (ut capite ſequenti dicetur) præſtitit magnus ille Zelotes: de ejus eximia devotione, & erga Deum reverentia dictum jam ante, & mox dicetur. Quoad juſtitiam erga proximum, ejus violatæ occaſione ELIAS dixit ad Achab, eum increpans, de occupata vinea Naboth, ejuſdemque interfectione: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti. In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum: & ait Achab ad* ELIAM; *Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: inveni, eò quòd venundatus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini.* Intuere hîc, & admirare, ob læſam juſtitiam, libertatem ELIÆ, qui Achab regem in faciem objurgat, eique objectat, quod ſit peccati mancipium, ideoque extremam perniciem denunciat.

Iuſtitia ejus in ELIA.

254. *Gratitudo* Juſtitiæ cognata eſt virtus, cujus officium eſt, *beneficium acceptum cumulatè remunerare.* Gratitudini affinis eſt *miſericordia, miſeris & afflictis ſuccurrens*, nec non *clementia;* quæ *lenitas eſt ſuperioris erga inferiorem*, atque *benignitas & manſuetudo*, quæ *conformitas eſt cum omnibus in iis, quæ fieri poſſunt ſecundùm Deum.* S. Chryſoſtomus (a) virtutes iſtas declarat à S. ELIA exercitas in vidua Sarephtana, cui pro buccella panis & paululo aquæ & olei cumulatiſſimè vices rependit & exhibuit miſericordiam profluentem in uberes pietatis fontes: *Abiit*, inquit, *beatus* ELIAS *ad illam viduam præſentibus facultatibus inopem, non amplius quàm pugillum farinæ habentem.* Et ibi ſuprà: *Tunc ergo* ELIAS *vir, cui totus erat mundus inferior, ad illam inopem viduam venit. Noſtis Fratres, ſolitas viduarum anguſtias, & omiſſis Propheta divitibus, qui etiam in tempore famis ſolent panibus abundare, deſcendens à monte ad iſtam pauperem venit. Quare ergo vir ille, qui in verbo ignem de cœlo eduxerat, non ſimiliter ipſe ſibi panes depoſuit? Numquid non poterat? Utique poterat. Sed non hoc facit, ne preparata ad bonum opus vidua, hoſpitalitatis mercedibus privaretur, ut & illam modicum pugillum farinæ & ſtillicidium olei more Prophetæ ſuſcepti, vidua domus multiplicatâ benedictione rependeret, non enim pro ſua tantùm requie ad eam miſſus eſt Propheta, ut ab inope paſce-*

(a) In ſerm. decollat. Joannis Baptiſt.

Gratitudo ejus.

paſceretur: quantùm ut egentem paſceret. Beneficium deindè beneficio, & clementiæ clementiam addidit, iſlam ad veri Dei notitiam, & cultum perducendo, & ejuſdem filium defunctum à faucibus mortis eripiendo: quod fuit beneficium ſine exemplo anteriori; nam anteà ab orbe condito mortuus nullus ad vitam revocatus legitur. Animadvertendum etiam, quòd pro pauxillo aquæ abundantiam præſtiterit olei: *Lecythus*, inquit, *olei non minuetur.* Oleum eſt ſymbolum miſericordiæ, pietatis, ac benignitatis. Propterea S. Joannes in Apocalypſi *cap.* 11. de S. ELIA & conſorte ejus Henocho ſcribit: *Hi ſunt duæ olivæ.* Et Drogo Oſtienſis Epiſcopus ELIAM *piiſſimum* nuncupat (a). Sic quoque S. Propheta gratum & beneficum ſe præſtitit Abdiæ, qui centum ſuis diſcipulis quinquagenis & quinquagenis cibum in neceſſitate præſtando vitam reſtauraverat, propterea eidem & quinquaginta ſuis vitam clementer ſervavit. Sic & Eliſeo diſcipulo ob præſtitum obſequium, optionem dedit poſtulandi quod vellet: cumque rem difficilem, & maximam (duplicem ſcilicet ipſius ſpiritum) petiiſſet, ſuis meritis poſtulatum præſtitit. Nunc quoque in Paradiſo exiſtens ſuis devotis & ſupplicibus quàm benignè ſuccurrat, habetur ex dictis *part.* 3. *Cap.* 5. & 6.

(a) In ſerm. 1. de Paſſ. Domin.

ELIÆ aſperitas vera erat pietas.

255. Quòd verò ſubindè in factis & verbis aſperior fuiſſe videatur, etiam ex multa proceſſiſſe pietate, ut populos ad Deum & ſalutem adduceret, animadvertunt Patres. Sic ſanctus Baſilius Seleucienſis *oratione de* S. ELIA ponderans illa verba: *Nec erit ros, nec pluvia, niſi juxta verba oris mei:* exclamat: *O ira pietatis plena!* Totum enim in illo erat pietas & clementia erga animas, quarum ſalutem expetebat. Sic Chriſtus, qui mitis & manſuetus inſtar agni prædicatur, ſubindè zelum exercuit, & cùm venerit ut Judex multò magis exercebit, ſicut ELIAS, qui ipſius Chriſti multipliciter fuit typus, eritque Adventus ejus ſecundi Præcurſor.

§. 3. *Fortitudo.*

256. FOrtitudo inter Cardinales tertium obtinens locum, eſt *virtus non facilè obſtupeſcibilis à timoribus, qui ſunt circa mortem.* Ita S. Thomas (b). Cujus duplex eſt actus, unus intrepidè aggredi pericula, alter & principalis, præſentia mortis pericula magno conſtantique animo ſuſtinere. Quàm fuerit ELIAS intrepidus contra Achab, Jezabel, Ochoziam, & Baalitas, eum ad mortem perquirentes, teſtantur ejus geſta & verba cum illis, & mox audiemus. Fortitudinis etiam eſt aggredi quod arduum, & heroicos exercere actus, ac pati quod durum. Quàm heroicum ejus facinus, dum ſolus ipſe & unicus in certamen properat intrepidus, non cum uno Goliath, ſed adversùs quadringentos quinquaginta Prophetas Baal, & quadringentos Prophetas lucorum, id eſt, 850. Propterea, & quia tam graves ab Achabo & Idololatris ſuſtinuit perſecutiones, & tàm generosè ipſorum impietati reſiſtit, meritò illi convenit nomen ELIAS; id enim idem eſt juxta S. Hieronymum, S. Iſidorum, & alios quod *fortis Dominus*, vel *Deus Dominus.* Etenim ſicut Moyſes à Domino conſtitutus eſt Deus Pharaonis (*Exod.* 7.) ſic ab eodem ELIAS conſtitutus eſt Deus Achabi & Jezabelis: ſicut enim Moyſes decem plagas cœleſtes & terreſtres infligens Pharaoni, coëgit eum dimittere Hebræos: ſic & ELIAS omnia elementa commovit per ſtupenda miracula; quaſi eorum eſſet Deus & Dominus, quibus Achab & Baalitas perculit, imò occidit, inquit à Lapide *in caput* 17. *libri tertii Regum.* Ut meritò de illo ſcribat Camartus (a): *Invictus animo fuit in arguendis & corripiendis ſceleribus, ita ut adversùs impietatem capitale bellum inſtituiſſe videretur. Sciunt id Achab & Iezabel, quos ſæpè graviſſimis verbis & minis coarguit; ſciunt Pſeudoprophetæ Baal, ſciunt bis quinquaginta milites, quibus præter verborum minas gladium quoque & ignem ſcelerum ultorem adhibuit. Scit Ochozias rex, cui infractâ mente & conſtanti mortem paulo poſt futuram prænunciavit.* Iſta autem omnia fecit, & dixit magna cum auctoritate, & ſecuritate.

(b) 2. 2. q. 123. art. 4.

Ejus fortitudo & invictus animus.

(a) De geſtis ELIÆ cap. 6. ſect. 6.

257. Propterea S. Gregorius *lib.* 7. *Moralium cap.* 22. declarans, quanta ſit ſecuritas ſervorum Dei, & in reprehendendis vitiis auctoritas premens eos, quos attolli per elationem conſpiciunt, in exemplum adducit S. ELIAM. *Hinc eſt*, inquit, *quòd Achab ſuperbus idolorum ſervitio ſubactus, cum increpare* ELIAM *præſumeret, dicens: Tu ne es vir ille, qui conturbas Iſrael?* ELIAS *protinùs ſuperbi regis ſtultitiam, objurgationis liberâ auctoritate percuſſit, dicens: Non ego turbavi Iſrael: ſed tu & domus Patris tui, & qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Quòd autem id non ex mentis elatione dixerit, conſequenter declarat capite ſequenti: *Sed quia ſancti viri ad verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipſi patenter indicant, qui ſubditi deſuntq; aliis & quantâ humilitate polleant: & erga eos, quos redarguunt, quantâ charitate ferveant, manifeſtant.* Et infra: *Quomodò* ELIAS *ſuperbo regi increpationis verba per tumorem intulit, qui ante ejus currum humiliter cucurrit? ſicut ſcriptum eſt: accinctiſque lumbis currebat ante Achab.*

258. *Fortitudinis etiam eſt, pravas animi cupidines omnes edomare, & frangere*, nec non oculos, aures, linguam, manus continere, nec mundi illecebris illaqueari, nec minas nec tormenta metuere. Ideò S. P. ELIAS *ſtuduit ſecundùm formam per Deum ſibi traditam pollere frugalitate paupertatis, ut abſtinentia parſimoniæ, domare concupiſcentias carnis, nitere candore caſtitatis, abnegare libertatem voluntatis*, ut ſcribit Joannes Jeroſolymitanus (b): metuque mortis intrepidus fuit: inquit S. Iſidorus, & in eo potiſſimèm ſita eſt patientia, fortitudini affinis; & ejuſdem pars potentialis. Ad patientiam autem pertinet mala ab aliis illata æquanimiter perpeti. In malis autem

(b) De Inſtit. Monach. c. 16.

quæ

quæ ab aliis inferuntur, difficillima ſunt ad ſuſtinendum illa, quæ concernunt pericula mortis. Ita Sanctus Thomas in Summa (a)
(a) 2. 2. q. 136. art. 4
Ad mortem requiſitus fuit S. ELIAS ab Achab, & Jezabele, ita quidem, ut Abdias ad ELIAM
(b) 3. Reg. 18.
diceret (b): *Vivit Dominus Deus tuus; quia non eſt gens, aut regnum, quo non miſerit Dominus meus te requirens*, ſcilicet ad mortem. Ita Hugo & Sanctius in illum locum. Propterea ELIAM ejusque diſcipulos in exemplum patientiæ & tolerantiæ perſecutionum proponit S. Paulus ſcribens ad Hebræos de illis, quòd fuerint
(c) Part. 5. c. 1. & 3.
anguſtiati, afflicti. Vide hic ſuprà. (c)

§. 4 *Temperantia, & virtutes annexa.*

259. TEmperantia virtus Cardinalis *hominem inclinat ad moderationem, & temperiem rationi congruentem*: moderaturque appetitum in his, quæ hominem alliciunt in bonis ſenſibilibus, præcipuè autem in tactu, & guſtu, loco regulæ in aſſumendis repudiandisque neceſſitatem vitæ præſentis ſequens: nam ut ſcribit S. Auguſtinus (d): *Habet vir*
(d) S. Aug. lib. de morib. Eccleſ. c. 2.
temperans in rebus hujus vitæ regulam utroque teſtamento firmatam, ut eorum nihil diligat: nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.
ELIÆ temperantia.
Quoad concupiſcentias & delectationes tactûs, ab iis prorsùs immunem fuiſſe, & vitam caſtiſſimam, ac virginalem duxiſſe S. ELIAM manifeſtú eſt ex dictis *capite primo*. Quantùm ad moderationem in cibis ac potibus etiam eam & abſtinentiam in ſummo gradu exercuit, & aſſecutus fuit S. ELIAS: qui ut ſcribit S. Nilus in Aſceterio: *Montem Carmelum deſertum, & ferarum plenum incolebat & præter arbores nullum habebat victus ſolatium.* Eſt autem ſecundùm
(e) 22. q. 146.
S. Thomam (e) Abſtinentia pars ſubjectiva temperantiæ; *quâ quis à cibo quantùm decet & oportet, habitâ ratione valetudinis & propria perſona, aliarumque perſonarum, cum quibus vivit, ſeſe abſtinet.* Abſtinentiæ actus eſt *Jejunium*, aſſumptum *ad carnis macerationem & mentis in Deum elevationem, & culparum expiationem.* In hac
Et jejunii.
virtute quàm maximè excelluit, ac toti mundo, ut imitationis exemplum, & admirationis ſubjectum ſe præbuit S. ELIAS: & eo mediante Deo gratiſſimus ſtupenda miracula patravit, prout variis locis egregiè declarat S. Ambroſius, peculiariter vero libro de jejunio, & ELIA, ubi capite 2. ita: *Magna*, inquit, *virtus eſt jejunium, & ut humanis magis quàm divinis utar exemplis, ELIÆ jejuno ore vox emiſſa cœlum clauſit ſacrilego populo Judæorum.* Et infra: *Quid ejus reliqua contexam? Jejunus filium viduæ ab inferis reſuſcitavit. Jejunus pluvias ore depoſuit; jejunus ignes de cœlo: jejunus curru raptus eſt ad cœlum, & quadraginta dierum jejunio divinam acquiſivit præſentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. Jejuno ore ſtatuit fluenta Jordanis, & redundantem fluminis alveum repentè ſiccatum, pulverulento tranſmeavit veſtigio.* Et
à Patribus celebratum magnum encomium.
capite 3. *Hoc ad Deum gradu citius pervenitur; hoc gradu* ELIAS *aſcendit, antequam curru*

hanc hereditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cœlum abiens diſcipulo dereliquit. In hac virtute & ſpiritu ELIÆ *venit Joannes.* Aliis etiam locis S. ELIÆ jejunium magnis laudibus adornat. Sic etiam S. Auguſtinus, & S. Bonaventura relati capite præcedenti, & S. Baſilius Magnus *Homilia* de laudibus jejunii, in qua iſta: *Jejunium* ELIAM *magni illius miraculi ſpectatorem fecit, qui quum quadraginta dierum jejunio reſurgaſſet animam, ita demùm in ſpelunca, quæ eſt in Choreb, promeruit videre Dominum, quatenus quidem homini videre datum eſt. Jejunans viduæ filium ſuum reſtituit, adverſùs ipſam etiam mortem robuſtus factus per jejunium. Vox ab ore jejuno proficiſcens, populo tranſgreſſori clauſit cœlum; annos tres ac menſes ſex: Vt enim indomitum obſtinatorum, duraque cervice Deo rebellium cor emolliret, voluit & ſeipſum ea calamitate cum cæteris condemnare. Propterea vivit Dominus; ſi erit aqua ſuper terram, niſi per os meum. Et adegit omnem populum ad jejunium; ingraveſcente fame; videlicet ut malitiam; quam à deliciis vitaque diſſoluta contraxerant, abſtinentiâ corrigerent.* Ferè eadem ſcribit oratione 5. de jejunio [illegible]

260. Temperantiæ partes, ſeu virtutes ei annexæ ſunt modeſtia, & humilitas. Modeſtiæ munus eſt *corporales motus & geſtus, atque etiam actiones tàm interiores quàm externas; & quæ ad veſtitum cultumque corporis ſpectant, beneſtè decenterque moderari.* Ita S. Thomas (a): *Humilitas* temperantiæ ſeu modeſtiæ pars, ſive (a) 2. 2. q. 163.
eis annexa *virtus eſt, cognoſcens proprium defectum, & dirigens, moderans, ac frænans animum; ne feratur ſupra ſe*: eſtque poſt Theologicas, & intellectuales excellentiſſima, & potiſſima; utpotè omnium fundamentum, & comes individua; in quibuſvis benefactis præcedens; comitans; & ſubſequens. Hinc ab exordio eam amplexus fuit S. ELIAS; in pauperrimo; Humilitas
& viliſſimo veſtitu, victu, & habitatione; ut ELIÆ.
patet ex dictis. *Humilitatis eſt, cognoſcere, & fateri proprium defectum, & nihilum ſuum*, & ideo cæteris ſe non præferre. Magnus ELIAS, quamvis continuerit cœlum verbo ſuo clauſum, & rursùm oratione aperuerit, atque ſuis precibus ſuper ſacrificium è cœlo tàm mirabiliter ignem reduxiſſet, ac alia mirabilia patraſſet nihilominùs ſe aliis ſuis fratribus Prophetis non meliorem exiſtimabat: hinc ſic Deum alloquebatur: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm patres mei.* Ex humilitate, & honoris causâ, eos ſuos *Patres*, appellat. Humilitatem ſummam præ ſe tulit in monte Carmeli orans pro pluvia in humillimo corporis ſitu, caput ſuum inter genua reclinans. Eo enim modo eſt embryo, ſeu fœtus in maternis adhuc viſceribus incluſus, conglobatus videlicet in ſeip- Humilitas
ſum, eâ ſpecie, quâ nulla videtur fingi poſſe & reverentia in orá-
miſerior. Id Ariſtoteles *libro ſeptimo hiſtoriæ* tione erga
animalium cap. 8. teſtatur: *Homo in ſemet conglo-* Deum.
batus ſic geſtatur ut naſus inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.

261. Ex humilitate etiam in mirabili illa viſione ſibi exhibita in ſpelunca montis Oreb

operuit vultum ſuum pallio, & ex reverentia erga Deum, quaſi indignus, qui gloriam ejus tranſeuntem aſpiceret. Ita Abulenſis, Cornelius, & alij *in caput 19. libri tertij Regum*, & S. Gregorius *lib. 5. Moralium cap. 26.* ubi iſta: *Poſt auram tenuis ſibilum vultum ſuum Propheta operuit pallio; quia in ipſa ſubtiliſſima contemplatione veritatis, quantâ ignorantiâ homo contegatur, agnoſcit. Vultus namq; pallium ſuperducere eſt, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex conſideratione propria infirmitatis velare, ut nequaquàm intelligentiæ oculos ultra ſe præcipitanter aperiat, ſed ad hoc, quod deprehendere non audeat, reverenter claudere.* Ex humilitate ante currum Regis Achab humiliter cucurrit: *Accinctisq; lumbis currebat ante Achab*, ut officium honorarium præſtaret regi ſuo, eum ſtipando, præeundo, præcurrendo. Ita Cornelius à Lapide. Etiam causâ humilitatis fugit à Jezabele. *Cauſa*, inquit Abulenſis, *quare Deus interdum elevat corda ſanctorum, ita ut non timeant reges horrendos, & immania pericula, & interdum non movet eos, ſed timent ſicut cæteri homines, eſt, ut non eleventur in quamdam præſumptionem, & elationem cordis, videntes, quòd Deus in omnibus magnificat illos. Expedit enim viris ſanctis ſervare humilitatem, & iſta conſiſtit maximè in hoc, quòd homo proprios defectus cognoſcat tàm naturales, quàm perſonales, & ob hoc expedit, ut interdum viri ſancti relinquantur à Deo inter fluctus adverſitatum hujus ſæculi, & tunc ad ſeipſos redeuntes cognoſcunt quantùm poſſunt, ſe infirmos eſſe, niſi quantùm Deus eis dederit adjuvando, & tunc magnificant Deum conſiſtentes in adverſitate magis, quàm magnificaturi eſſent, ſi ſemper ad grandia eos Deus elevaret: ſic enim dicit de ſe beatus Paulus, quòd ne magnitudo revelationum extollat eum, datus eſt ſibi Angelus ſathanæ, qui eum colaphizet.* (a) Plura circa hoc propoſitum dicta ſunt capite præcedenti.

(a) 2. ad Corinth XI.

262. Denique ex humilitate, & animi demiſſione noluit habere teſtem ſuæ glorioſæ transfigurationis; ne intimum quidem ſocium, diſcipulum ac ſucceſſorem Eliſeum, inquit Salianus (b). Idem ſcribunt paſſim alij in *caput 2. libri quarti* Regum ad illa verba: *Sede hic* (id eſt mane, ſeu ſubſiſte hic, dum ego pergo ulteriùs) ter repetita. Dionyſius Carthuſianus: ELIAS *jam erat elevandus in cœlum, qui tantùm ſuam excellentiam, quantum in ſe erat, maluiſſet celare quemadmodum Chriſtus peractis quibuſdam miraculis præcepit, ne vulgarentur* Gaſpar Sanctius: *Cum* ELIAS *noſſet abeundem ſibi eſſe ex hominum convictu, & hoc aſcenſu quodam admirabili ac novo, voluit illum non ſolùm Prophetis aliis, quos ille tamquàm filios ad omnem pietatem inſtituerat, ſed etiam Eliſeo, quo magis utebatur familiariter, eſſe celatum. Juſſit ergo illum ſedere, & aliquamdiu ſubſiſtere:* Et Cornelius à Lapide: ELIAS *ex modeſtia & humilitate voluit occultare ſuum raptum, ideoq; Eliſeum à ſe dimittere. Dona enim Dei, quæ pertinent ad aliqualem, inquit Abulenſis, excellentiam occultari debent, ne homines videantur in eis gloriari, quæ Deus ea manifeſtare, uti hic manifeſtavit raptum* ELIÆ *per filios Prophetarum.*

(b) ad an. mundi 3133. n. 17

Ex humilitate optabat non habere teſtem glorioſi raptus.

CAPUT V.

Virtutes Theologicæ, & flagrantiſſimus zelus magni Prophetæ ELIÆ.

§. 1. *Fides & Spes.*

263. INterpretantur Patres (ut ſuperiùs audivimus) nomen ELIÆ, ut idem ſit quod *Dominus Deus*, aut juxta alios *Deus Dominus*, vel *Deus meus Dominus*; ipſe enim Angelicam in terris vitam, & quodammodò divinam duxit, alienam à vitiis (cui proindè hæc Euſebij Emiſſeni appropriat Camartus (a): *Sumi vas plenum balſamo admixtionem liquoris alter us reſpuit & penitus excludit. Ita in eum nihil ſæcularis macula introire poterat, in quo ſanctitatis plenitudo vigebat.*) & decoratam magis virtutum ſplendoribus in heroico gradu, atque inprimis tribus illis virtutibus, quarum immediatum objectum Deus ipſe eſt, & ideò Theologicæ ſeu divinæ nuncupantur, videlicet præſtanti fide, firmiſſimâ ſpe & ardentiſſimâ charitate, & flagrantiſſimo zelo honoris divini.

(a) c. 3. ſect. 17.

Quoad fidem meritò ab Iſidoro nuncupatur: *fide ſummus*; in fide enim, ceu fundamento, omnem ſpiritualis ſuæ ſtructuræ exercitationem firmavit, Dei immenſam majeſtatem, ſibi intimè in omni loco præſentem firmiſſimè imaginando: hinc identidem eructabat: *Vivit Deus, in cujus conſpectu ſto*, ex cujus directione, atque ad illius honorem omnem vitam ſtudioſiſſimè componens. Fides ejus quàm maximè commendatur, quòd pro ea, & cultu unius veri Dei omnia ſua opera peculiariter direxerit, & graviſſimas perſecutiones ſuſtinuerit ab Achabo, Jezabele, & Baalitis, & tolerabit ab Antichriſto, & tandem pro fide vitam profundet. Cumque ejus tempore populus Iſraeliticus Baalitarum errore deceptus à vera fide in horrendum idololatriæ ſcelus, & quaſi in palpabiles tenebras prolapſus eſſet, nullis pepercit laboribus, quævis contempſit pericula, ut eum ad unius Dei fidem, & cultum reduceret: quod & fecit in Carmelo, ubi omnis populus cadens in terram conclamabat: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* (b)

ELIAS *fide ſummus. Præſertim de Deo ubique præſente.*

264. Spem & fiduciam magni ELIÆ ſic commendat S. Baſilius Homilia in divites avaros: *Carmelum, ait, mons ſublimis ac deſertus eſt. ELIAM habuit, cui viaticum cibusq; fuit ſpes in Deo.* Et Oratione XI. de patientia; & tolerantia: ELIAS *agebat in Carmelo monte, alto & inhabitabili, ac penitùs deſerto. At is animam loco omnium habebat, & vitam ſuam ſuſtentabat eâ ſpe, quam in Domino collocaverat. Sic verò vitam degens, fame non eſt confectus, ſed & volucres, & illæ quidem maximè rapaces ac voraces, cibos afferebant, alimentumq; homini juſſo hæ aves miniſtrabant, quæ alienos cibos diripere ſolent: Domini enim juſſu, naturam immutaverant, & factæ cuſtodes panis, ac carnium erant.* Cùm enim

(b) 3 Reg. 18

Fiducia plena.

humana

humana deficerent ſubſidia, ſe divinæ committebat providentiæ. Propterea Eliam *ſanctum famis tempore per corvum Dominus paſcebat: & quem perſequebantur homines, ei ſubveniebant aves.* Ita S. Auguſtinus *Sermone* 146. *Confidebat plus quam homo, elevabat enim cor ejus Deus, ut omnia infra ſe poſita reputaret, etiam horrendos reges & immania pericula:* inquit Abulenſis.

Fide & ſpe admiranda patravit.

265. Fides & ſpes, ſi perfectæ ſint, mira operantur, præſertim in adverſis, & in arduis Dei gloriam concernentibus. Sicut enim impetuoſitas fluminis tunc apparet magis quandò invehit obſtaculum, ſic fides & ſpes in repagulis magnorum attentatorum; ita etiam fides & ſpes Eliæ adverſantibus Regibus, & numeroſâ turbâ falſorum Prophetarum, qui populo in decipulam erant, magis firmatæ in Deo, & erectæ fuerunt: nec obſtinati repugnantium animi in deſperationem, ſeu puſillanimitatem egerunt Eliam, ſed eum fide & ſpe majori roboratum ad majores exanthlandos labores, & molimina incitarunt. Itaque fide plenus credidit, & ſpe firmiſſimâ indubitanter tenuit, per ſe fieri poſſe, & futurum, in caſtigationem, & conſequenter emendationem errantis populi, verbo ſuo cœlum ne plueret continendum, ac rursùs reſerandum, ignem ſuper ſacrificium, & ſuper impios è cœlo educendum, & quod factum fuerit ab orbe condito numquàm ſuis præſtandum precibus, ut ſcilicet defunctus vitæ redderetur. En fidei, & ſpei mirabiles effectus.

§. *Ardentiſſima charitas, & zelus.*

266. Charitas virtutum omnium præſtantiſſima, ignis ille eſt, de quo Salvator (a) *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Ignis ille eſt charitas, zelus, devotio, fervor, prout explicant S. Ambroſius, Origenes, Euthymius, Theophylactus, à Lapide, & alij in illum locum. Et id confirmat Eccleſia in Sabbatho Pentecoſtes ſub Miſſa, ita orans: *Illo nos igne, quæſumus Domine, Spiritus ſanctus inflammet, quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.* Hoc igne quàm maximè ardebat S. Elias (in plurimis perfectiſſimus Chriſti typus) de quo ſic ſacer Textus (b): *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat.* Seu, ut habet Syriacus: *Et verbum ejus ardens quaſi clibanus ſuccenſus.* Iſtis igneus Eliæ animus ad Deum, ignea charitas, igneus zelus denotantur. Amor ille Eliæ igneus & divinus ſemper inſtar ignis furſùm aſcendit binis alis, de quibus S. Ambroſius *libro de Iacob & anima capite* 8. Ibi ſic: *Bona igitur charitas habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora & corda Sanctorum & exurit quidquid materiale atque terrenum eſt, quidquid verò ſyncerum eſt, probat, & quod contigerit ſuo igne, meliorat. Hunc ignem in terras miſit Dominus Ieſus, & refulſit fides, accenſa devotio, illuminata eſt charitas, juſtitia reſplenduit . . . His alis evolavit* Elias, *curru igneo, & equis igneis ad ſuperna tranſlatus.*

(a) Luc. 12.

(b) Eccli. 48.

Charitas Eliæ ardens quaſi ignis,

267. Amor divinus actuoſiſſimus eſt, ſemper paratus magna pro Deo facere, & dura pati, eſtque *fortis ut mors dilectio* (a) dilectio S. Eliæ quàm fortis fuerit, & quàm magna pro Deo fecerit, & dura ſuſtinuerit, & ab Antichriſto tolerabit, habetur ex dictis. Divini amoris effectus eſt, *Deiformis intentio*, actiones omnes exactiſſime, & perfectiſſimè dirigens ad Deum, ut ei ſoli placeat, nec ulli alteri niſi propter Deum. Nec in ulla re propriam ſpectat gloriam, aut commodum. Aſſiduum rectæ Deiformis intentionis canticum eſt: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Sic S. Elias in cunctis actionibus ſuis Deum ejuſque beneplacitum & honorem ſibi propoſitum habuit, numquam propriam gloriam, aut commoditatem, ſed Dei honorem reſpexit: hinc rogatus à Deo: *Quid hic agis* Elia? illicò reſpondit, *ſe zelare pro Domino Deo exercituum.* Hinc dum quidpiam ſciret eſſe ad Dei obſequium, & honorem, quantumvis arduum eſſet, poſtpoſitis quibuſvis corporis incommodis, magno animo exequebatur. Ita poſt ſacrificium in Carmelo & longam concertationem, & ſententiam mortis latam, & executioni mandatam in octingentos quinquaginta falſos Prophetas, & prolixam orationem in vertice Carmeli pro pluvia, licèt eſſet jejunus, feſſus & debilis, attamen ex interna illuſtratione, ſeu inſpiratione cognoſcens Dei beneplacitum, currebat, imò præcurrebat currum Achab, qui tamen concitatis equis celerrimè properabat, ut pluviam evaderet: Ita refertur *libro* 3. *Regum capite* 18. ſub finem. Sic & aliàs 40. diebus, & 40. noctibus ſine cibo & potu, ſub dio ambulavit.

(a) Cant. 8.

Charitas Eliæ actuoſiſſima.

zelant pro Deo exercituum.

268. Charitas in ſe virtus unica eſt, quâ Deus propter ſe, & proximus propter Deum diligitur. Igitur bina habet objecta. Amorem Elianum erga proximum etiam flagrantiſſimum declarat omnium penè Patrum conſenſus, qui Eliam ut eximium & efficaciſſimum divini verbi præconem nobis inſinuant, cujus præcipuum eſt officium, animas & corda in Dei Amorem pellicere, imò & rebelles voluntates ad Deum compellere, ut impleatur illud Chriſti (b), *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Illum etiam in finem perfectiſſimam Religioſæ vitæ rationem in obſervantia paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, quam, Deo mandante, ipſe primus inivit, etiam aliis tradidit, fuitque Inſtitutor, & parens plurimorum collegiorum ſacrorum, in quibus iſtam vitæ ſublimioris normam introduxit, atque etiam exemplo, & verbo ad prædicationis zeloſæ munus, atque ad converſionem proximorum ſuos inſtruxit diſcipulos, in iſtis collegiis habitantes, *ut doctrinâ, vitæ ſanctimoniâ, miraculis, ſpiritu prophetico, longâ ſucceſſionis ſerie Iſraëlitas erudirent,* inquit Camartus (c). Prætereà ipſe per ſe univerſum populum in divinæ legis obſequio verbis & miraculis continuit, & quidem palàm in omnium oculis.

Ejuſdem flagrans amor pro ſalute proximi.

(b) Luc. 14.

(c) de geſtis Eliæ cap. 6. ſect. 6.

269. Id variis locis eleganter declarat S.

Chryſoſtomus Eliam nuncupans Iſraelis aurigam, qui & ſeſſos portaret, & ambulare non valentes celeri curſu per virtutis iter adduceret, qui cœlorum rationem poneret in terris, atque ad unam divinæ bonitatis abyſſum peccantes, pœnitentes, miſeros, pauperes, divites toto conatu revocaret. Item, quòd iram Dei avertit, & errantem populum à Dei cultura ad Dei latriam revocavit. Conjungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per Eliam una concordia inter Deum & hominem. Plura ex eodem ad hoc intentum adducta ſunt hic ſupra. Similia de magni Eliæ prædicatione, & charitate erga proximum exercita ſcribunt Patres alij, & paſſim Interpretes, peculiariter Cornelius à Lapide in caput 4. Malachiæ, ſic: Elias fuit dux & anteſignanus Prophetarum tum tempore, tum dignitate, tùm ſanctitate, tùm libertate & efficaciâ prædicandi, tùm rerum geſtarum gloriâ. Unde repræſentat totum chorum Prophetarum, ait ſanctus Hieronymus, qui Chriſto ejuſq; teſtimonium perhibet &c. Elias Iſraelis & Judæorum fuit cuſtos, Propheta, Doctor, Protector, Apoſtolus. Et in caput 48. Eccleſiaſtici, illa verba: Surrexit Elias Propheta quaſi ignis explicans: Elias ardens ut ignis, repræſentabat Apoſtolos, corde igneo & linguis igneis à ſpiritu ſancto acceptis in Pentecoſte, evangelizantes toto orbe magnalia Dei & Chriſti. Unde de iis dixerat Chriſtus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Et infrà: Elias igitur fuit typus Apoſtolorum, qui quaſi ſagittæ igneæ fuerunt, ex arcu Chriſti crucifixi validiſſimè tenſo ejaculatæ, orbem ferventes & accendentes amore Dei. Et aliquantò poſt: Elias repræſentat viros zeloſos, reformationis & morum ſtudioſos, ac præſertim ferventes Doctores & prædicatores, qui ſuo ardore alios ſuccendunt, juxta illud Jeremiæ 20. factus eſt (ſermo Domini) in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens: nimirum:

Ardeat orator, ſi vult accendere plebem.

Idem in caput 18. libri tertii Regum ſcribit: Tempore Eliæ & Eliſei in Carmelo fuiſſe Oratorium vel Synagogam, ad quam feſtis diebus populus conveniret, tùm orationis cauſa, tùm ut Eliam, Eliſeum & ſimiles concionatores audiret.

Quanta præſtiterit pro populo Iſraelitico.

270. Igitur duplex fuit magni Prophetæ Eliæ ſpiritus: primarius quidem, ſtare in conſpectu Dei per orationem, meditationem, contemplationem, aſſociatam mortificatione, & vitæ auſteritate: ſecundarius verò de contemplationis vertice deſcendere per tempora ad prædicandum, & proximorum ſalutem procurandam. Illo in ſpiritu utroque Eliam magiſtrum ſecuti ſunt S. Eliſeus & filij Prophetarum, & in eodem venit S. Joannes Baptiſta, de quo S. Lucas cap. 1. Evangelij teſtatur: Quòd Chriſtum præceſſerit in ſpiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum. Ibidem ſequitur, quòd etiam puer fuerit in deſertis, ubi ad inſtar Eliæ in magna vitæ auſteritate vacavit contemplationi. Plura ad hoc intentum habes hic ſuprà.

Duplex Eliæ ſpiritus contemplativus & activus ad ſalutem proximi.

271. Zelus divini honoris eſt vehemens amor ſeu animi æſtus ex indignatione de iis concepta, quæ indignè fiunt adverſus Deum, quem amamus, ſive ut eum deſcribit S. Ambroſius (a): Zelus ergo charitas eſt. Denique valida eſt ſicut mors charitas, durus ſicut inferi zelus, quem vita hujus nulla vincit illecebra. Durus ſicut inferi, per quem peccato morimur ut vivamus. Aurum igne probatum. Zelus, hic eſt fidei vapor, devotionis fervor, qui nos, velut ſuavem cibum in Chriſto emollit & format. Zelo fides acquiritur. Zelo pudicitia poſſidetur. Dominus quoque Jeſus ait: Zelus domus tuæ comedit me. Inter omnes magni Prophetæ Eliæ virtutes zelus divini honoris principatum tenuit, & identidem reciprocare coegit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael. Propterea etiam potiſſimè dignus fuit tàm glorioſo triumpho currus ignei, ut Scriptura teſtatur his verbis (b): Elias dum zelat zelum legis receptus eſt in cælum. Ita quoque S. Ambroſius loco ante citato (c), zelum habuit Elias, & ideò raptus ad cælum eſt. Et Sermone 7. Elias propter zelum Dei, curru elevatus in aerem, cæleſtis ſedis hoſpitium novi generis acquiſivit incolatu. Sic & S. Chryſoſtomus ſermone primo de Elia in fine, cauſam raptus Eliæ dat nimium ejus zelum, ne eo perderetur & periret orbis, ſic enim Deum induxit loquentem ad Eliam: Quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, aſcende quaſi in cælum; ego autem in terra peregrinus ero. Nam ſi diu tibi manendum in terris, pronedium humanum genus, quod continuò à te plectitur, aboleretur. Dein tranſi in cælos, O Elia, non poteſt ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales poſthàc habiturus es: inter Angelorum choros habitare te faciam. Et Abbas Rupertus de victoria verbi Dei (d): O igitur perfectum odium & ſanctum boni zeli incendium, cujus dignitatem cæli teſtificati ſunt, continendo ad ejus imperium, & rurſùs dando terris pluviæ beneficium. Amplius autem mittendo currum igneum cum equis igneis ad ſublevandum victorem emeritum, & potentem divinitatis amicum.

(a) Serm. 18 in Pſ. 118.

Eliæ zelus ſummè admirabilis.

(b) 1 Machab. 2.

(c) Serm. 18. in Pſ. 118.

(d) lib. 5. cap. 14.

272. Magni, & ardentiſſimi zeli effectus duo ſunt. Alter vitia funditùs elidere, urere, conſumere, & vitioſis hominibus tribulationes aliquas inferre, ut corrigantur. Sic David (e), In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum (f): Vidi prævaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hoc quidem ut olim præſtitit Elias dum ſceleratos homines vitæque penitùs deſperatæ ferro ac flammis interemit (g), ſic & in fine mundi cùm adverſus Antichriſti furorem præliaturus adveniet, iterum præſtabit. Impios enim divini honoris zelo motus conſumet: Zelus enim & furor viri (ait Salomon [h]) non parcet, nec acquieſcet cujuſquam precibus, neque ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Alter flagrantiſſimi zeli effectus eſt pœnitentes conſolari, atque in eis divini amoris ignem accendere. Hoc etiam abundè præſtitit Elias, qui cum à Deo ignem ſuper ſacrificium impetrare vellet (i), adjecit ea ſe intentione tantum miraculum poſtulare, ut populi

Zeli effectus duo.

(e) Pſal. 100.

(f) Pſal. 118.

(g) 3. Reg. 18 & 4 Reg. 1.

(h) Prov. 6. 34.

(i) 3 Reg. 18. 37.

corda

corda ad Deum converterentur. Quod quidem facto impletum eſt, poſtquam enim ignis è cœlo miſſus ſacrificium conſumpſit, populus in faciem procidit exclamans, Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus. Addit etiam Metaphraſtes (a) Achabum ipſum cœleſti illo igne mollitum totum in fletus & lachrymas converſum fuiſſe. Idem denuò efficiet Elias cùm in fine mundi advenerit. Tunc enim, ut eſt apud Malachiam, (b) *Convertet cor patrum in filios.* Et ut addit Eccleſiaſticus (c): *Lenibit iracundiam Domini, & reſtituet tribus Iſrael.* Ita Camartus Generalis Minimorum (d).

(a) In commentarium geſtarum Eliæ.
(b) Malach. 4. 6.
(c) Eccl. 48. 10.
(d) De geſtis Eliæ cap 5 ſect. 7

273. Ardens ille Eliæ zelus etiam alios, qui cum ipſo converſabantur, ſuccendit, de quibus legitur (e): *Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.* Hinc diſce (inquit Cornelius à Lapide circa iſtum locum) quàm ſalutare & beatum ſit verſari cum viris eximiis, ſapientiâ & zelo plenis: hi enim ſuum zelum & ſpiritum ſibi familiaribus affricant, & quaſi inhalant. Sicut enim ſtipula, ſi accedat ad ignem, ab eo caleſcit, & tandem ignitur: ſic pariter qui ad virum igne divino flagrantem accedit, eodem accenditur & inflammatur. Ita Eliſeus & Filij Prophetarum verſantes cum Elia, ejus zelum & heroicos animos imbiberunt, & factis expreſſerunt. De magno S. Eliæ zelo iſta hìc ſufficiant; cùm plura ſparſim in antecedentibus de eo ſint dicta. Tandem pro coronide hìc opportunè apponendum videtur inſigne elogium, ſeu elogiorum plurimorum compendium ex Venerabili Patre Joanne Baptiſta de Lezana *Tomo I. Annalium Carmelitarum ad annum mundi* 3139. *ante Christi ortum* 914.

(e) Eccl. 48. Eliæ zelus etiam alios accendit.

ELOGIVM.

Ad terreſtris Paradiſi januam appendendum.

274. *Hic ſtat, ô viator, cœlicus ille divini honoris zelotes ELIAS, ſpiritu duplex, puritate ſimplex, virtutibus dives, terreſtri mammonâ pauperrimus, Deo amiciſſimus, Diabolo inimicus, bonis amabilis, impiis formidabilis, ante Chriſtum natus, cum Chriſto converſatus, poſt Chriſtum contra Antichriſtum reſervatus; Patriarcha eximius, Propheta celeberrimus, Sacerdos magnus, Monachus, Monachorum Pater, virgo cœlebs, unicus Phœnix.*

Eliæ elogiũ inſigne.

Chriſti

Apoſtolus veluti futurus, Martyr, Præcurſor, Anteſignanus, Propugnator ſtrenuus, veritatis præco, Eccleſiaſtes ferventiſſimus, annoſus ſine carie, ſenex ſine ſenio, mortalis ſine morte, cibatus ſine cibo, longævus ſine ærumnis, & ad viginti quinque annorum ſecula, ô mirum dictu! vitam ſanctiſſimam protrahens.

Qui

Verberavit Tyrannos, neci dedit ſacrilegos, cœlos ſiccitate clauſit, rurſumq; aperuit, Reges unxit, Prophetas vindices inſtituit; ab Angelis in ortu denunciatus, in Carith cibatus, in Horeb ſalutatus, ubi medios inter ſonoræ tempeſtatis fragores & concuſſos flagrantes montes ſuaviſſimæ ſub auræ ſibilo Deum operto vultu, prout fas eſt, attentus excepit.

Cujus

Virente hydria farinæ non defecit, vas olei perpetuo fonte manavit, ignis de cœlo ter venit, Leæna Baalita canum laniena periit, Iordanis aquæ ſcinduntur, Prophetæ ſpiritus datur; mortuus homo primò ab inferis revectus auram ſpirat, mundusq; in conſummatione ad factorem ſuum revertetur.

Cui

Deus honorem, Chriſtus claritatem, Baptiſta Ioannes dignitatem, Angeli obſequium, Cœli, & elementa obedientiam, Prophetarum cunei, lectiq; Religioſorum manipuli reverentiam, magnus ejus diſcipulus Eliſeus miniſterium, corvi quoq; panem, & carnes, veſperè præbebant.

Quem

Raptum mirabiliter, per aera ſublevatum, curru & equis igneis evectum, magnifico triumpho, ſplendidiſſimo trophæo, nimiùm coruſcâ luce micantem in hunc amœnitatis, & deliciarum hortum tanquam mundi prodigium, orbis miraculum; gratia & natura monſtrum terra poſſidet, cœlum expectat, eccleſia colit, & totus veneratur orbis vitâ ſuperſtitem.

FVNDA-

FUNDAMENTA DUODECIM

QUIBUS SUPERSTRUITUR TOTIUS MONASTICES, ET PECULIARITER CARMELITANÆ RELIGIONIS ANTIQUITAS, AC CONTINUATA SUCCESSIO.

In iiſdem ſtabilitur veritas, & reſplendet evidentia Iuris, quô Carmelitano Ordini aſſeruntur ſancti veteres Monachi, Eremitæ, Anachoretæ, & Virgines ſacræ, de quibus agitur in hac parte IV.

Supplicatio ad Lectorem benevolum.

LEctor benevolus, & Chriſtianæ mentis ſupplicatur, ut, antequàm tranſeat ad ſubſequentia, placeat aliquam oculorum operam commodare rationibus hiſce proximè ſequentibus; ut in ſtatera recti judicii appenſis fundamentis, animus præviè inſtructus, judicium prudenter, ferat de illis, quæ illis ſuperſtruuntur.

Scriptoris munus.

275. Scriptoris hiſtorici munus eſt, hiſtoriam, quam tradendam ſuſcipit, dare integram, munitam fulcris veritatis: ſic ut non omittat notabile eam concernens, nec aliena arripiat: & ſi quæ ſint dubiæ auctoritatis, aüt dumtaxat veriſimilia, aut ut talia aliquibus videri poſſint; eorum reddat rationem. Sermo noſter proceſſurus ad ſanctos hujus Ordinis, quaſi in bivio ſe conſtitutum reperiens, diu ſubſtitit anceps, quò ſe converteret: hinc Domeſtici, & alij complures tradunt, Religioſos, Monachos, & Eremitas omnes, aut pleroſque in veteri Lege, nec non in primis Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis, uſque tempora S. Baſilij, S. Auguſtini, S. Benedicti; & non paucos, etiam poſt iſtos, fuiſſe magni Prophetæ Eliæ poſteros, & ſucceſſores, aut certè æmulatores: atque ita jure meritò Ordini huic quàdam ratione accenſendos. Iſthinc exteris nonnullis id mirum apparet; quia à Scriptoribus non appellantur Carmelitæ: atque ita, ſi Carmelitanæ hiſtoriæ eos accenſeamus, falcem in meſſem alienam miſiſſe videbimur. Præterea, ſuppoſitâ veritate aſſertionis iſtius, quòd Monachi veteris Teſtamenti, & etiam in novæ Legis prioribus ſæculis fuerint ſucceſſores, & poſteri, aut certè æmulatores S. Prophetæ Eliæ; & hâc ratione alieni non ſint à Carmelitana hiſtoria, ſi de omnibus iſtis ſigillatim tractandum, & eorum omnium vitæ, & geſta inſerenda huic operi, haudquaquam unus ſufficeret Tomus, aſt volumina aliquot implerentur: nec vires pertenues labori iſti pares ſunt. Quid igitur opus facto? & quâ viâ capeſſendum, & deinceps proſequendum iter?

Auctoris animus hic anceps, & cur:

Quâ ratione determinandus in alteram partem.

276. Id præſtandum, quod viator in bivio conſtitutus, facit: ſciſcitatur, quæ via tendat ad terminum optatum. Scriptioni noſtræ præſtitutus finis immediatus, eſt veritas; mediatus autem hoc loco, per Sanctorum exempla incitare ad virtutes, quas in ſe ipſi expreſſerunt: aſt hic poſterior fundatur in priore; debile enim eſt motivum, quod in veritate fundatum, ſedem non habeat. Itaque de veritate ſolicitudo noſtra hic imprimis invigilare debet: & libranda momenta rationum, atque auctoritatum circa Monachos veteres, & adhibendi conſiliarij, an, & qualiter de illis tractandum. Conſultis itaque viris in Carmelitana hiſtoria peculiariter verſatis; ex eorum ſententia, fundamenta, quibus præfata aſſertio innititur, de Monachis antiquis, ſtatuuntur; quæ quilibet expendere, & ponderare, atque ita judicium ferre poterit. Ex iſtis etiam fundamentis, tamquàm præmiſſis, inferetur concluſio, ac tandem decernetur, an, & qualiter in hoc opere de Monachis iſtis antiquis agendum erit.

FUNDAMENTUM PRIMUM.

S. Propheta Elias, & ejus hæres ſpiritualis S. Eliſeus, atque utriuſque diſcipuli Religioſi, Monachi, & Eremitæ fuerunt:

SS. Elias, & Eliſeus veri nominis Monachi:

277. ID triplici argumento convincitur: *primò* ex S. Scriptura, *ſecundò* auctoritate Patrum, *tertiò* ratione indè deductâ. Et quidem Paupertatem (ſummum Monaſticæ profeſſionis fundamentum à Patribus, & Doctoribus celebratum) ipſos amplexatos; perſpicuè habetur ex ipſis ſacris litteris: de S. Patre Elia jam ante audivimus in ejus vita *parte* 5. *cap.* 1. & de S. Eliſeo videbimus infra ad diem XIV. Junij in ejus vita (a). Utroque etiam loco, ex Scriptura ſacra, utriuſque caſtitas & obedientia declarantur: & quidem etiam Filiorum Prophetarum, atque eorumdem paupertas, caſtitas, obedientia, & vita monaſterialis, ſeu cœnobialis, collegialis, ſic ut pariter commanerent, & cohabitarent ſimul in uno loco, in caſtitate, extra cujuſvis fœminæ conſortium, ſub uno Superiore Eliſeo eos dirigente, ſicuti modò Prælati Religioſorum, clarè adſtruitur libro

Id probatur ex S. Scriptura.

(a) In Manipulo virtutum cap. 1.

4. Regum

4. Regum cap. 4. iſtis verbis: *Filij Prophetarum habitabant coram eo,* ſcilicet Eliſeo, patre, & principe illorum omnium; & ex iſtis *capite 6. Dixerunt autem Filij Prophetarum ad Eliſeum: ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis.* Quòd iſti fuerint multi numero, habetur ex iiſdem locis; nam in uno loco erant *coram Eliſeo,* Superiore, & Patre, *centum.* In Jericho ad minus erant *quinquaginta* ſicut exprimit ſacer Textus *cap. 2. libri 4. Regum.* Iſtos omnes commemorat, commendat, & in exemplum proponit S. Apoſtolus Paulus his verbis: (a) *Circuierunt in melotis … egentes … in ſolitudinibus,* &c. Vide ſuprà in vita S. P. Eliæ *parte 1. capite 1.*

(a) Hebr. XI.

In qua voluntaria vita conventualis.

278. Itaque vita illorum communis, conventualis, cœnobialis, habetur ex eo, quòd ſimul *coram eo* (Eliſeo) *habitarent,* & ſimul veſcerentur, ſicut patet dicto *cap. 4. libri 4. Regum.* Ibidem etiam declaratur ipſorum paupertas in cibo; cùm polenta, & herbis agreſtibus veſcerentur; & quidem ex eleëmoſynis: *Vir quidam venit deferens viro Dei viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera:* paupertas etiam in habitatione; nam ne domos quidem habebant, ſed ligna excidentes, ſibi tuguria, caſaſque conſtruebant, inquit Theodoretus. S. Hieronymus vocat *caſulas.* Vide hic ſuprà (b) Paupertatem in habitu teſtantur melotæ; melota enim veſtis erat vilis, hiſpida, de pilis animalium: quibus eos fuiſſe uſos habetur etiam ex ſupradictis. (c) Caſtitatem eorum colligunt Patres, quòd inter tot viros, nulla fuerit fœmina, quæ vel culinæ curam haberet. Hinc S. Hieronymus *Virgo Elias, Virgo Eliſeus, Virgines multi Filij Prophetarum.* Obedientia ipſorum erga Eliſeum, Superiorem ſuum habetur ex eo, quòd poſt raptum S. Eliæ, ejus loco S. Eliſeum tamquàm ſuum Superiorem, ſigno adorationis receperint, & deindè non niſi ejus nutu iverint ad Jordanem, ut novas ibi manſiones eremiticas, caſulas conſtruerent. Ex jam dictis patet, quòd iſtorum S. Eliæ, S. Eliſei, & Filiorum Prophetarum vita monaſtica æquè, & magis diſtricta fuerit, quàm hoc tempore, aut etiam temporibus S. Antonij, & S. Hilarionis: atque ita totius Monaſticês exemplar, ac idæa expreſſiſſima, ſicut in *Compendioſa Inſtructione de Inſtituto, & Antiquitate Carmelitani Ordinis ſub finem Conſtitutionum ſtrictioris obſervantiæ,* ſic paucis verbis eleganter, & energicè declaratur: *An non exhibet auguſta Regum hiſtoria, amborum ſacri veſtimenti in tunicâ, zonâ, pallio, à propbanâ multitudine diſcrimina? in victu jejunij, ſilentij, ſolitudinis, zeli, pœnitentiæ ſpecimina? in Cellulis lectuli, menſæ, ſellæ, candelabri tenuem ſupellectilem? in omni demum vitâ Paupertatis, Obedientiæ, Caſtitatis, Sodalitij, verbo abſolvam, totius aſcetices expreſſiſſimam Ideam?* Plura ad idem propoſitum videri poterunt in Tomo præcedenti. (d)

(b) In vita S. Eliæ, p. 1. cap. 1. nu. 28.

(c) Ibidem.

Paupertas, caſtitas, & obedientia,

Et totius Monaſtices exemplar.

(d) N. 1292. & ſequent.

279. Hinc Patres in Scripturæ ſanctæ auctoritate ſe fundantes, expreſſiſſimis terminis aſſeveranter tradunt: *Auctoritate Scripturarum, Eliam, Eliſeum, & Filios Prophetarum Monachos in antiquo teſtamento, veraciter Monachos, Principes, Auctores converſationis monaſticæ,* & ipſos *hujus profeſſionis fundaſſe primordia.* Ita S. Hieronymus *in Epiſtola ad Paulinum,* S. Iſidorus *Libro 2. de origine officiorum cap. 15.* S. Macharius *in Sermone ad Monachos* Joannes Caſſianus *de Inſtitutis Monachorum libro 1. cap. 2.* Joannes Jeroſolymitanus *de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 2.* & alij plurimi, relati in *Tomo præcedenti parte 2. Speculi hujus in Synopſi 1. per totam.* Idem tradunt de ipſorum diſcipulis & poſteris, *Filiis Prophetarum* nuncupatis. Hinc Rupertus Abbas *in c. 4. Cant.* tractans de S. Elia, ſcribit: *Primus auctor & inſtitutor eorum, qui dicti ſunt Filij Prophetarum, quos fuiſſe Monachos in veteri Teſtamento conſentit auctoritas Patrum venerabilium.* Iſtos omnes veri nominis Religioſos, & Monachos fuiſſe, habetur etiam ex eo, quòd, juxta S. Dionyſium, & alios, Monachi ſic dicti ſint à *vita indiviſibili & ſingulari, in qua Deo uni ſunt intenti.* Religioſi autem propriè dicuntur, qui *toti divino cultui addicti, & præ cæteris fidelibus arctius Deo relegati ſunt,* ſcilicèt nexu paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ: quarum obſervantiam perfectam, & in eminenti gradu fuiſſe in SS. Elia, & Eliſeo, habetur ex utriuſque vita (a); eamdem autem vitæ rationem æmulabantur eorum diſcipuli. Quòd autem iſta ſervaverint ex aliquali voto, habetur quoque ex *præcedenti Tomo variis locis.* (b) Aliorum etiam Religioſorum, monaſticorum inſtitutorum obſervantiam, orationis, meditationis, exercitij divinæ præſentiæ, ſilentij, conſtat etiam ex ipſa S. Scriptura: indè quædam adferentur jam proximè. Porrò jam dicta de Monachatu in veteri Lege, & deinceps dicenda, intelligimus, & intelligi cupimus conformiter proteſtationi à nobis factæ *in Tomo* præcedenti, parte ſecunda Speculi hujus, Synopſi ſecunda ſub initium. (c)

Patres Auctoritate S. Scripturæ aſſerunt S. Eliam & diſcipulos, Monachos:

Et quia toti Deo relegati.

(a) De S. Elia vide hic ſuprà n. 223. & ſeq.

(b) Num. 1376. & ſeq.

(c) Num. 1358.

FUNDAMENTUM SECUNDUM.

Religioſum Monaſticum Inſtitutum à S. Propheta Elia plantatum, à S. Eliſeo ejus diſcipulo rigatum, & in utriuſque diſcipulis Filiis Prophetarum, Eſſenis, Therapeutis, &c. propagatum, continuâ ſucceſſionis ſerie perſtitit uſque ad Chriſti Salvatoris adventum.

Succeſſio continuata poſterorum S. Eliæ,

280. Ista luculenter, & perſpicuè tradita ſunt in præcedenti Tomo, in *prima parte Speculi hujus:* & quidem *libro 3. cap. 5.* declaratur, *Quòd multi hujus Religionis Patres, tam veteris, quàm novæ Legis, fuit jugiter converſati monaſticè in monte Carmeli, ad imitationem Eliæ: & quâ ratione omnes hujus Religionis profeſſores appellentur Carmelitæ; quamvis non omnes manſerint in Carmeli monte.* Ibi, & *libro ſequenti cap. 6. & 7.* traditur ſucceſſio Ordinis Prophetici in Carmelo, & aliis locis, & ſta-

Ex Scriptoribus ſtabilita.

Ex Scripturis ſtabilita. & ſtabilitur iſtis Scripturæ ſacræ locis: *Iuſtitia in Charmel* (ſeu Carmelo) *ſedebit. Et opus juſtitiæ erit pax, & cultus juſtitiæ ſilentium.* Ita Iſaiæ 32. *Et habitantes ſoli, in ſaltu, in medio Carmeli:* ut habetur *Michea* 7 Iſta de S. Eliæ poſteris dicta eſſe, diffusè declarat Joannes Jeroſolymitanus *libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap.* 26 videri etiam poterit Tomo præcedenti (a). *(a) N. 173. & ſeq.* Vivebat Michæas poſt annum mundi ter milleſimum treceenteſimum, ante Chriſtum verò circiter ſeptingenteſimum quinquageſimum, annis plus quam ducentis poſt raptum S. Eliæ: ergo tunc adhuc erant *habitantes ſoli, in medio Carmeli.* Iſta autem intelligi de Religioſis, ſolitariis habitantibus in Carmelo, manifeſtum apparet ex ſingulis verbis, videlicet, *habitantes ſoli*: & iterum: *in ſaltu*, id eſt, loco inculto, ſilveſtri, ac denique: *in medio Carmeli*, ubi *cultus juſtitiæ ſilentium* erat. Iſaias etiam circa idem tempus prophetavit. Ad iſtos viros Religioſos ſolitarios venit Pythagoras celeberrimi nominis Philoſophus annis ante Chriſti nativitatem quingentis, & aliquantò plus: poſt raptum S. Eliæ fere annis quadringentis. Ibi autem aliquamdiu moratus fuit. Ita refert Jamblichus Chalcedonenſis Philoſophus, *in ejus vita cap.* 3. cujus verba ſunt: *Pythagoras Carmelum conſcendit.* *Ab Ægyptiis quibuſdam nautis opportuniſſimè in littora, quæ ſubſunt Carmelo, monti Phœniciæ, appellentibus, transvectus fuit Pythagoras: ubi ſolus in templo, ut plurimùm, degebat* Etiam per illa verba in Actis Apoſtolorum (b) *Vos eſtis Filij Prophetarum*: & iſta (c) *Erant viri Religioſi ex omni natione*, intelligi Filios Prophetarum ſucceſſores SS. Prophetarum Eliæ & Eliſei exiſtentes temporibus Apoſtolorum, luculenter ex vetuſtis Scriptoribus declaratum eſt in Tomo præcedenti variis locis (d) Et quidem illa: *Filij Prophetarum* in Scriptura numquàm directa ad totum populum Iſraeliticum, ſed tantum ad diſcipulos, & ſucceſſores SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei oſtenſum etiam ibi eſt (e). Ita quoque per illa ad S Eliam: *Prophetas facis ſucceſſores poſt te* (f) Thomas Waldenſis infra referendus, & alij plures exponunt de poſteris & ſucceſſoribus ejus. Conformiter de iſtis loquuntur Pontifices in ſuis Bullis, aſſerentes, Carmelitas modernos *hæreditariam ſucceſſionem tenere à SS. Prophetis Elia, & Eliſeo.* (g)

(b) Act. 3.
(c) Act. 2.
(d) N. 206. & 778.
(e) N. 206.
(f) Eccli. 48.
(g) Ita Sixtus IV. Julius II Gregorius XIII. in Bullis Ordini conceſſis.

281. De continuatione, & ſucceſſione poſterorum S. Eliæ in Carmelo, & aliis Terræ ſanctæ locis uſq; ad Chriſti adventum tractat etiam totus Tomus primus Annalium Carmelitarum. Etiam in hoc Speculo *Tomo præcedenti parte* 1. *libro* 5. agitur de identitate hujus Ordinis ſub Lege veteri, & nova: ac qualiter ejus alumni baptizati, & fidem Evangelicam amplexati fuerint, atque eamdem prædicaverint. *De tranſitu Eliani Inſtituti à Lege veteri ad novam.* Et quidem CAP. 1. declaratur: *Quod licèt ex profeſſoribus hujus Religionis aliqui olim fuerint Iudæi, & alij poſtea Chriſtiani, hoc tamen non deroget hujus Religionis identitati.* CAP. 2. oſtenditur, *Quòd S. Ioannes Baptiſta fuerit eximius hujus Religionis cultor, & in monaſtica vita Eremitica perfectiſſimus Eliæ imitator.* CAPITE 4. refertur: *Quòd temporibus imperij Tiberij profeſſores hujus Religionis, Iudæos diverſarum Nationum ad eam traxerint, & manſionem in Ieruſalem habuerint.* CAP. 5. *Quòd durante Lege veteri cultores hujus Religionis annis ſingulis, in Ieruſalem tribus vicibus convenire ſolerent, & anno quo Chriſtus aſcendit in cælum, ipſi omnes prope domum Apoſtolorum in monte Sion manerent.* CAP. 6. *Quod profeſſores hujus Religionis ad domum Apoſtolorum die Pentecoſtes acceſſerint, & plerique eorum ab Apoſtolis tunc baptizati fuerint.* CAP. 7. *Quòd reſidui hujus Religionis alumni ad veram fidem baptiſmi Chriſti pervenerint, & eos Apoſtoli poſtmodùm baptizaverint.* CAP. 8. traditur: *Quòd Religioſi prædicti per Apoſtolos in doctrina Evangelij in allegoriis Legis veteris eruditi, per Phœnicem, & Paleſtinam fidem Chriſti prædicaverint.*

282. Et iſta omnia illuſtrium plurimorum Scriptorum auctoritatibus ſtabiliuntur: aliquot obiter audiviſſe ſat erit: *Ioſephi Antiocheni vetuſti authoris teſtimonium, de Carmeli incolis.* Joſephus Antiochenus (qui juxta Poſſevinum, & alios, vixit vicinus temporibus Apoſtolorum, circa annum Chriſti 130). *in Speculo perfectæ militiæ primitivæ Eccleſiæ cap* 12 ſic meminit poſterorum S. Eliæ in Carmelo; *Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum coadjutores. Surrexerunt ſtrenuiſſimi, Viri ſolitarij, contemplationiq; dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſei ſequaces, qui de monte Carmeli deſcendentes, per Galilæam. Samariam, & Iudæam, fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt.* Thomas Waldenſis celebratiſſimi nominis, & venerandæ auctoritatis Doctor, *Ex Thoma Waldenſi.* in *Doctrinali antiquitatum fidei, & Eccleſiæ Catholicæ, Tomo* 1. *lib.* 3. *articulo* 1. *cap.* 4. cùm oſtendiſſet, quòd *S. Elias, S. Eliſeus, & Filij Prophetarum ſint Monachorum, ac Religioſorum Inſtitutores, & Anteſignani*; monaſticæ inſtitutionis à S. Elia inchoatæ ſucceſſionem ſic perſpicuè paucis complectitur: *Providens* (Elias) *ab initio, ut ſanctæ Religionis ſucceſſio ſemper ſtaret, ſecundum quod Sapiens Eliam alloquens, dixit:* [*Prophetas facis ſucceſſores poſt te. Qui raptus es in Turbine ignis*] *Eccleſiaſtici* 48. *Succeſſio continua Eliana poſteritatis uſque ad tempora Apoſtolorũ, compendioſè tradita,* *Primum quidem ſtatuit eos multos, & poſt eum Eliſeus in monte Carmelo: qui ad tantum numerum devenerunt, ut ſpatioſum illud deſertum non poſſet eis ſufficere. Vndè venientes ad Eliſeum præceptorem ſuum, dixerunt:* [*Ecce locus, in quo habitamus coram te anguſtus eſt nobis, eamus uſque ad Iordanem, & tollamus ſinguli de ſilva materias ſingulas, ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum; qui dixit: Ite,*] 4. *Reg.* 6. *Et ſic tandem multi manſerunt ibidem juxta littus Iordanis. Quidam autem manſerunt in Carmelo, quidam in monte Ephraim; multi etiam in ſuburbiis Civitatum Regulares tractabant obſervantias, maximè autem in Galgala, quem locum frequentabat Samuel, in Bethel quoque multi manſerunt; in Ieruſalem, in Sarepta, in Samaria, & Iericho, ſeu Ierichunte, Civitatibus, ut proceſſivè patet* 3. *Reg. &* 4. *& manſit hæc Religio Prophetarum continuò uſque ad adventum Chriſti, & deinceps facti ſunt Principes religioſæ militiæ Chriſtianæ.*

283. Abbas Trithemius in libro *de ortu, & progreſſu Carmelitani Ordinis cap.* 3. cujus titulus *Et ex Abbate Trithemio.*

titulus eſt: *De converſatione Filiorum Prophetarum, aliorumq́; Eremitarum ante Nativitatem Chriſti in monte Carmelo*: *cap.* 2. etiam illam ſucceſſionem hiſce tradit verbis: *A tempore ſiquidem Eliæ & Eliſei Prophetarum Dei, uſque ad Chriſti nativitatem plures montem Carmeli, amore ſolitudinis, incoluerunt, ſicut ex veterum hiſtoriis apertè demonſtratur.* Liber ille Trithemij habetur in *Tomo præcedenti, parte* 2. eſtque ordine duodecimus. Aubertus Miræus in libro, cui titulum præfixit: *Ordinis Carmelitani ab Elia primùm inchoati &c. Origo & Incrementa*: ſub initium Ordinis, inſtitutionem & ſucceſſionem perſpicuè & compendioſè tradit, his, inter cætera, verbis: *Anno ante Chriſti ortum circiter nongenteſimo triceſimo Elias Propheta clariſſimus in Carmelo, Syriæ monte, quem cultu ſuo fecit inſignem, prima inſtituti Monaſtici fundamenta jecit: qua graviſſimorum Patrum conſenſio eſt.* Et infrà, de ejus diſcipulis, ac poſteris: *Illi verò Prophetarum Filij, Eſſenivè Palæſtinam incolentes (quemadmodum & Eſſeni poſteà in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam inſtitutionem uſque ad Virginis partum produxerunt.* Conformiter ſcribit Jacobus Salianus in Epitaphio S. Eliæ, ubi iſta de ejus diſcipulis, & poſteris (a) *Tot ſeculis . . . tot inter rerum, locorum, temporumq́; varietates, conſtantes reddidit, magni ſui Patriarchæ ſectatores.* Iſta aliorum plurimorum auctoritatibus corroborata videri poterunt in Tomo præcedenti variis locis (b) & in *Carmeli Armamentario, Scutis* 8. 9. & 10. quorum tituli ſunt: *Sanctiſſimus Propheta Dei Elias ſuum Filiorum Prophetarum, Eſſenorum &c. Ordinem religioſum fundavit in monte Carmelo, in Galilæa ſito . . . Filij Prophetarum, Eſſeni &c. veri nominis Monachi, floruerunt ſaltem uſque ad tempora Chriſti . . . Filij Prophetarum, Eſſeni, &c. veri nominis Monachi, ſacroſanctum Ieſu Chriſti Euangeliũ audierunt, acceptarunt, baptizati ſunt, & in diſſeminanda fide Euangelica coadjutores Apoſtolorum fuerunt*: & iſta quidem peculiariter de ſucceſſione poſterorum S. Eliæ in Carmelo. De ſucceſſione continuata Filiorum Prophetarum, Eſſenorum, Therapeutarum &c. circa Jordanem, circa Hiericho, & in locis vicinis, ubi poſtea ædificatæ fuerunt manſiones monaſticæ dictæ *Lauræ* peculiariter agetur *Fundamento* 4. & 5.

Ac Auberto Miræo.

Et aliis,

(a) Ad an. mundi 3139.

(b) N. 449. & 459 & alibi ſæpè.

FUNDAMENTUM III.

Eſſeni in veteri Lege, longè ante Chriſti Nativitatem, & ſeculis aliquot poſt eam, Religioſæ Monaſticæ vitæ exercitatores, & continuatores: tenaces, & propagatores Eliani Inſtituti.

284. IMprimis Judæorum hiſtoriographus Joſephus variis locis adſtruit Eſſenorum exiſtentiam ſeculis aliquot ante Chriſti Nativitatem, *libro* 13. *Antiquitatum cap.* 8. agens de Jonatha, & Machabæis, ſcribit, eodem tempore fuiſſe Eſſenos. Et *libro* 13. *Antiquitatum cap.* 9. meminit Eſſenorum exiſtentium tempore Jonathæ Pontificis & Antiochi Regis, & tempore Hircani, & filij ejus Ariſtobuli. Ibi etiam (a) ſcribit de præfato Juda Eſſæo & Propheta. *Admirari poteſt quilibet & Iudam Eſſæum genere, qui numquàm in his quæ prædixit, mentitus eſt.* Ita habet impreſſio Pariſienſis anni 1528. Et libro 18. c. 2. ſcribit, *eos à multis retrò ſeculis* (alia verſio habet *à valdè antiquo tempore*) *extitiſſe*, & ibi infra: *multis jam ſeculis tritos.* Joſepho concinunt Plinius, & Solinus: (eorum verba adferentur infrà fundamento 5.) quos ſi auſcultemus, dicere neceſſe eſt, fuiſſe Eſſenos planè antiquiſſimos, dum ſcribunt, eos extitiſſe *per ſeculorum millia*: quibus ſimilia, aut ferè eadem ſcribit Joſephus Flavius, ut jam audivimus, nempè floruiſſe *à multis retrò ſeculis*: quæ verba tempora longiſſima denotant.

Eſſenorum exiſtentia longè ante Chriſti Nativitat.

(a) Lib. 13. Antiquit. c. 18. impreſ. Pariſ. 1528. In alia impreſ. c. 19.

285. Hinc meritò Nicolaus Serarius *in Tribæreſio lib.* 3. *c.* 9. Druſium, & quoſdam alios, iſta Plinij, & Solini verba ad alium detorquentes ſenſum, refellit. Idem Serarius *capiti* 10. hunc præfigit titulum: *Poſſintnè Eſſeni Monachorum, aliorumq́; Chriſtianorum Religioſorum inchoatores, & exemplaria quædam cenſeri?* Et reſpondet: *Poſſunt ſanè, cùm generatim, tum ſpeciatim.* Quòd Eſſeni Religioſi fuerint, probat auctoritatibus Patrum. Ad idem propoſitum *libro eodem c.* 18. ſcribit: *Et ſi Elias, & Eliſeus rectè noſtrorum quandoque Monachorum conditores appellantur, ut ex S. Hieronymo nuper audivimus; Cur Eſſeni veteres poſteriorum iſtorum Duces vocari non queant?* Ibidem & alibi Serarius Eſſenorum antiquitatem, & exiſtentiam confirmat.

Eſſeni Chriſtianorum Monachorum exemplaria.

286. Iſtis adſtipulantur alij illuſtres Scriptores, Gilbertus Genebrardus *libro* 1. *Chronographiæ ad annum mundi* 3272. ſic de S. Eliſei poſteris, Eſſenis: *Eliſeus miris, & inuſitatis operibus inſignis* 4. *Reg.* 12. *&c. conſtruxit cellas Prophetis in Ierichuntis ſolitudine: manavit Inſtitutum, & loci Religio ad poſteros: fuitq́; deſertum hoc uſque ad Engaddi ab Eſſenis habitatum hominibus continentia incredibilis.* Et *libro* 2. *ad annum mundi* 3911. ad tempus perfidi Alcimi: *Aſidæos (id eſt Eſſæos quaſi ſanctos, Hoſidim Hebr.) ſexaginta occidit Alcimus* 1. *Machab.* 7. *Erant ergo ante Machabæos, & Phariſæos Eſſeni, de quibus Plinius lib.* 5. Dominicus Soto (b) ita ſcribit: *Ioſephus, & Solinus referunt, ante Chriſti adventum, Eſſenorum Collegium in deſerto Iudeæ, more noſtrorum Anachoretarum, ſanctiſſimam deguiſſe vitam, ab uxoribus prorsùs, & ab omni conſpectu feminèo remotiſſimam: quorum inſtitutum ſecutus eſt Ioannes Baptiſta.* Adrianus Adrianius *libro de origine Monaſtices cap.* 2. ubi hæc de Eſſenis: *Iudæorum meliores Eliæ, atque Eliſei diſcipuli Heſſeni . . . qui quidem diverſis in locis temporum decurſu admodùm multiplicati uſque ad Chriſti Domini tempora in prima ſua Inſtitutione vitæq́; ſpiritualis amplexu multis annorum centuriis conſtantiſſimè perſtiterunt.* Sic quoque Aubertus Miræus in libro cui titulus: *De ortu, & incremento Ordinis Carmelitani ab Elia inchoati ſub initium*: hæc de origine, & ſucceſſione Eſſenorum tradit:

Eſſeni ſucceſſores Eliſei in ſolitudine Ierich.

ante Machabæos,

(b) In 4. Sent. diſt. 30 quæſt. 2. art. 1.

Iudæorum meliores, Eliæ, & Eliſei diſcipuli,

Ex Palæſtina traducti in Ægyptum:

tradit: *Nec Palæſtina, Syriavè tantùm finibus cœleſtis inſtitutio circumſcripta eſt; in Ægyptum enim temporis excurſu, lectiſſima gentis colonia, quos Eſſenos nuncupabant, deducta ſunt, ut Eliæ imitatione Alexandria quoque clareſceret.* Iſtos autem Eſſenos *miris exemplis cœptam inſtitutionem produxiſſe uſque ad Virginis partum*, jam ante ex eodem audivimus. Ita quoque Jacobus Boulducus Ordinis Capucinorum, benè meritus de antiquitate Eccleſiæ veteris Legis, in erudito opere, *de Eccleſia ante legem libro 1. cap. 13.* declarat: *Prophetas, qui dicebantur Enoſcas, poſtea dictos Eſſæos, vel Eſſenos.* Indè, & ex aliis fundamentis, eruit eorum probitatem, ſanctæ vitæ converſationem, atque antiquitatem. Inter cætera hæc ibi ad propoſitum:

Chriſti doctrinam libenter receperunt:

Conſultè credit Abulenſis, ab Eſſenis libenter Chriſti receptam doctrinam, quos ne verbo quidem Chriſtus reprehendiſſe umquàm legitur: cùm Phariſæos & Saducæos creberrimè, aſperrimè, juſtiſſiméq; arguerit. Imò, propter piiſſimum, ſanctiſſimum, & antiquiſſimum filiorum Dei, ad Chriſtum venturum naturalem Dei filium, Analogiam habens, inſtitutum, tamdiu, tamq; fideliter, ac religioſè ſervatum in eis: facilè crediderim, Chriſtum ipſum, & Ioannem ejus præcurſorem Eſſenorum duxiſſe vitam. Jacobus Tirinus *in cap. 3. Matthæi* Eſſenorum pietatem & antiquitatem his adſtruit verbis:

Antiquiſſimi, & religioſiſſimi:

Omnium ut antiquiſſimi, ita & religioſiſſimi erant Eſſeni. Et *in caput 10. Numerorum* cum Serario, S. Nilo, & Suida refert: *Rechabitas eoſdem fuiſſe cum Eſſenis; ac ab his vitam Anachoreticam, ac Monaſticam ad Chriſtianos derivatam eſſe.* Plura de antiquitate Eſſenorum videri poterunt apud Leżana *in Annalibus Tomo 1. & 2. in apparatu, & decurſu operis:* videantur indices, verbo: *Eſſeni.* Eorum antiquitas etiam ex jam dicendis confirmabitur.

Continuati ſeculis aliquot poſt Chriſti aſcenſionem:

287. Quòd Eſſeni fuerint poſteri SS. Prophetarum Eliæ & Eliſei, ejuſdemque inſtituti tenaces veri nominis Monachi, ſæculis aliquot poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem continuati, magis illuſtrandum & confirmandum eſt; & quidem quòd SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei fuerint poſteri, habetur ex jam adductis auctoritatibus Serarij, Genobrardi, Adriani Adrianij, Miræi, Boulduci: ſimiliter quòd vitam Religioſam, & monaſticam egerint; & in primis ſæculis Chriſtianæ fidei doctrinam propagaverint: id etiam Cornelius à Lapide in argumento ad Euangelium S. Marci his tradit verbis:

Exemplar (uere perfectionis religioſæ:

Eſſæi, id eſt, ſancti, & pij, cognominati ſunt. Hi enim quaſi primi Religioſi, in tanta puritate, pietate, & ſanctitate vixerunt, ut toti Orbi eſſent admirationi, cæteriſque Eccleſiis eſſent perfectionis exemplar, & ſpeculum, adeò, ut eos mirificè laudet Ioſephus, & Philo lib. de Therapeutis. Et paulò infrà: *Atque hac de cauſa Eſſæi, ſe ex Alexandria per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Vndè factum, ut ibi eſſent plurima Monachorum & Anachoretarum examina, qui angelicam in terris vitam agebant, idque duravit per plura ſecula, ut patet ex S. Hieronymo, vitis Patrum, Evagrio, Palladio, Caſſiano, & aliis.* Iſtis concinit Joannes Carthagena (a) qui cùm auctoritatibus ſtabiliuiſſet S. Eliæ & Eliſei poſteros, & veri nominis Monachos, ſubjungit: *Caſſianus lib. 1. de inſtitutis renunciantium, ferè per totum, Monachos Ægypti, & Palæſtinæ ab Elia, & Eliſeo, Filiiſq; Prophetarum originem ducere, ſæpè docet, ac repetit, cui ſubſcribunt Nicephorus lib. 8. cap. 39. & Sozomenus lib. 1. cap 11. & Hieronymus ad Ruſticum, & Paulinum: ergo ſi Ægyptij aſcetæ, ſive Monachi ab Elia, & Eliſeo ortum habuerunt, & hi præterea ab Eſſenis diſciplinam ſuſcepere vivendi, eorumq; ſucceſſores extiterunt, neceſſariò fatendum erit, Eſſenos etiam ab Elia, & Eliſeo, ſive Filiis Prophetarum, eorum ſucceſſoribus promanaſſe: quod præterea demonſtrat nominis Etymologia; nam licèt demus Eſſenos à vita ſanctitate eſſe nuncupatos, quod voluit Chryſoſtomus hom. 44. in Acta Apoſtolorum, idq; Philo in libro, cujus titulus eſt, quod liber ſit probus, apertè ſignificat: tamen ſi nominis Etymologia attentè conſideretur, Eſſenos, ſive Eſſæos, ut alij volunt, ab Eliſeo potiùs dictos, quaſi Eliſenos; veriùs apparet, quæ denominatio placuit etiam doctiſſimo Henrico Enriquez, noſtri temporis auctori gravi, ac perdocto.*

288. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius in *Actis Sanctorum* ad 17. Januarij, *in commentario prævio ad vitam S. Antonij* §. 3. cujus titulus eſt: *de exercitatione monaſtica ab Eſſenis derivata & propagata,* conformiter ſcribunt: *Exordium eorum ab Eſſæis, ex Philone, lib. de vita contemplativa, repetunt S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccl. in Marco & Philone; S. Epiphanius hæreſi 29. Euſebius, Caſſianus, Sozomenus, Nicephorus, Beda, aliiq;, quos citat & ſequitur Baronius Tom. 1. an. Ch. 69. num. 3. & 4. Bellarminus tom. 2. Controverſ. lib. 2. de Monachis cap. 5. & Proſper Stellartius de fundamine ordinum monaſticorum cap. 6. & 7. quod nos XXV. Aprilis fuſius diſcutiemus in Actis S. Marci.*

Et propagatores vitæ monaſticæ.

Quod huc facit, extra mœnia in hortis, & villis ſolitarij degebant, ac ſacras ædes habebant, quæ σεμνεῖα vocabant, & μοναστήρια, in quibus ſanctæ vitæ miſteriis dabatur opera: idq; circum Alexandriam ad ſtagnum Mariam, imò per ſingulas Præfecturas, καθ' ἕκαστον τῶν καλουμένων νόμων. Ex horum poſteris fuit S. Frontonius apud Nitriam Abbas ſeptuaginta Fratrum, tertio decimo anno imperij Antonini Imperatoris, circiter an. Chriſti 150. Indè habetur, Eſſenos, aut eorum poſteros perſtitiſſe uſque ad medium ſeculi ſecundi (ad annum centeſimum quinquageſimum) ſub idem tempus circa Heliopolim *in monaſterio Heleni Monachi, quos Eſſenos vocat Philo perpetuis vacabant precibus & canticis.* Ita Surius *in vita S. Eugeniæ* ad diem 25. Decembris, in notis marginalibus. Inter Eſſenos Monachos iſtos vitam mirabilem egit S. Eugenia cum ſuis Eunuchis, de quibus Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 188. iſta: *Eugenia,* inquit, *in Chriſtum credens nuptias averſata, unà cum fidelibus Eunuchis Protho, & Hyacintho, virili habitu delituit inter Monachos, quos Eſſenos à Philone dictos eſſe, ſuperiùs demonſtravimus.* Eſſenos fuiſſe veri nominis Monachos, & ab illis monaſticam vitam derivatam, inculcat etiam alibi, ita ſcribens: (a) *Porrò ipſorum Monachorum Inſtitutum non recens, ſed ab initio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe*

Florebant adhuc ſeculo ſecundo.

(a) In Not. Martyrol. Rom. die 19. Octob.

vigniſſe ex his; quæ ſcribit Philo de Eſſæis, facilè colliges.

Inſtituta eorum continuata ad ſeculum quartum & quintum.

289. Eſſenorum inſtituta perduraſſe, & continuata fuiſſe uſque ad ſeculum quartum, & quintum, ſuadet primò, quòd Tripartita hiſtoria Sozomeni, Socratis, & Theodoreti *lib.1. cap.11.* dum de Eſſenis Philonianis loquitur, è quorum ſchola adſtruit fuiſſe Antonium, Paulum Simplicem, Ammonium, & Theodorum, inquit: *Converſationem talem introducit* (Philo) *qualem & nos nunc apud Ægyptiorum Monachos eſſe conſpicimus.* Si enim illud *nunc* expendamus; & tempus ad quod refertur, quintum nempe Chriſti ſæculum, innoteſcet clarè, multis poſt Baſilium annis Eſſenos perſtitiſſe. Secundò, quòd Georgius Cedrenus, qui circa annum 1057. vivebat, & Græcè ſcripſit compendium hiſtoriarum, de Eſſenis, apud ipſum *Eſſæis*, loquitur tamquam de præſentibus ſuo ævo, ut legenti liquidum erit. Undè ſubdit: *Conſequuntur hoc multi ipſorum perpetuâ exercitatione, atque puritate.* Eadem animadvertet Lector in Georgio, Peccatore dicto, *in Chronico* ex Græco latinitati donato per Leonem Allatium. Ita Lezana *in Apparatu ad Tom. 3. Annalium Carmelitarum*: apud eundem plura videri poterunt de Eſſenis *Tom.2.* & 1. utrobique *in Apparatu*, atque etiam in decurſu utriuſque, videantur indices verbo *Eſſeni.*

Auctoritas Eccleſiæ, nec non Philonis, S. Hieronymi, S. Epiphanij, Palladij, Bollandi &c. confirmans hactenùs dicta.

290. HActenùs dicta de Eſſenis, Monachis, confirmat quoquè auctoritas Eccleſiæ, in officio Eccleſiaſtico die 25. Aprilis feſto S. Marci Euangeliſtæ, ubi *ad matutinum lectione 6.* iſtat *Philo diſertiſſimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum converſatione ſcripſit.* Et iſta deſumpta ſunt ex S. Hieronymo, libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de S. Marco; & paulò infrà agens de ipſo Philone: *Philo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere ſacerdotum, idcircò à nobis inter ſcriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia, in noſtrorum laude verſatus eſt, non ſolùm eos ibi, ſed in multis quoque provinciis eſſe memorans, & habitacula eorum dicens monaſteria.* Quòd autem iſtud monaſticum Inſtitutum, de quo Philo, agens de Eſſenis, continuatum fuerit uſque ad ipſius S. Hieronymi tempora, ſatis indicat ipſe ad Euſtochium (a) deſcribens rationem vitæ Monachorum ſui temporis, quam tradit eandem ſicut Eſſenorum, de quibus Philo: *Tales,* inquit, *Philo, Platonici ſermonis imitator, tales Ioſephus, Græcus Livius, in ſecunda Iudaica captivitatis hiſtoria Eſſenos refert.* Porrò S. Marcus prædicans circa Alexandriam, & ibi reperiens ex Palæſtina traductos Eſſenos, ſolitariam religioſam vitam ducentes, & hinc tamquàm terram optimè diſpoſitam, ad recipienda Euangelicæ prædicationis ſemina, eis tradidit & Chriſtianæ fidei documenta, & pariter inſtruxit ad ſublimiorem monaſticæ profeſſionis perfectionem. Non enim S. Marcus Eſſeños (jam ante ſeculis aliquot exiſtentes) primùm ſic inſtituit, quaſi tunc ab eo originem haberent; ſed eorum inſtituta ſolitariæ vitæ ad ſublimiorem evexit perfectionem: & quia iſti majori ex parte Judæi erant (ex Judæa traducti) ideo de illis, tamquàm in ſuæ gentis laudem Philo de illorum converſatione librum edidit.

Eccleſia, & S. Hieronymi teſtimonium de libro Philonis, in quo de Eſſenis:

(a) Epiſt. 22 de cuſtodia Virginitatis.

291. Philonis iſte liber nuncupatur: *De vita contemplativa ſupplicum*, in quo peculiariter tractat de Eſſeis, qui juxta ſtagnum *Mariam* nuncupatum; morabantur; & eos etiam vocat, *Therapeutas* (quod nomen à S. Dionyſio Areopagita; aliiſque Patribus attribuitur Monachis) Ibi autem, inter cætera; iſta de Eſſeis: *Poſtquàm de Eſſæis diſſeruimus; qui vitam activam exercent; omnibus, aut quod minus invidioſum dictu eſt, pleriſque feliciùs: ordo poſtulat, ut deinceps dicamus quæ dicenda ſunt de contemplationi deditis . . . Non debet enim hujuſmodi virorum virtus eximia cauſam præbere ſilentij . . . Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò ut abſoluta probitatis receptum à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfecturas ſingulas, præſertim circùm Alexandriam; ex omnibus autem locis optimus quiſque Therapeutarum tamquam in hujus generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptiſſimum; ſitum ad ſtagnum* MARIAM *in terreno colle acclivi leniter, tutum ſimul & laudatum, ab aëris temperie.*

292. De Philone, & iſto ejus libro agens S. Epiphanius, (a) iſta, inter alia, ſcribit: *Qui* (Philo) *horum converſationem, & laudes horum exequens, & monaſteria ipſorum in vicinia circùm* MARIAM *paludem recenſens, non de aliis quibuſdam narravit, quàm de Chriſtianis. Hic enim cùm eſſet in regione* (MAREOTIM *autem locum appellant*) *& deductus eſſet ab ipſis ad monaſteria ejus loci, magnam utilitatem aſſecutus eſt.* Ita S. Epiphanius. Quòd autem Monachi iſti, à Philone, & aliis nuncupati *Eſſeni*, & *Therapeutæ*. in iiſdem locis, in Ægypto circa Alexandriam, nominatim circùm ſtagnum MARIAM, continuati fuerint uſque ad finem ſeculi quarti; habetur ex Vitis Patrum (b) & oculato teſte Palladio, *in Lauſiaca hiſtoria*, & *Heraclian Paradiſo*, ubi iſta: *Cum per triennium in monaſteriis* (*quæ circa Alexandriam ſita ſunt*) *commoratus fuiſſem, & optimos illic viros abſtinentia virtutibus adornatos uſque ad duo millia hominum, ſanctiſſimoſque, vidiſſem; indè deſcendens; ad montem, cui Nitria nomen eſt, veni. In medio autem iſtius montis & Alexandrinæ civitatis, interiacet lacus, qui* MARIÆ *vocabulo nominatur . . . In quo monte degebant quinque millia (ut arbitror) virorum*, id eſt, Monachorum. Eſſeni autem, Therapeutæ, & Monachi iſti Ægyptij, ejuſdem fuerunt Inſtituti ſeu normæ vitæ ſolitariæ & monaſticæ cum Palæſtinæis, ſicut plenius declarabitur Fundamento V.

(a) Lib. 1. contra hæreſes, hæreſi 29.

S. Epiphanij traditio de eodem Philonis libro.

(b) Lib. 8. cap. 7.

Præ-

(a) In Comment. prævio ad vitã S. Antonij §. 3. nu. 12.

293. Præfati PP. Bollandus, & Henſchenius ibi conſequenter (a) ex S. Dionyſio Epiſcopo Alexandrino eruunt quoque, Eſſenorum inſtituta perſtitiſſe uſque ad tempora S. Antonij: & veriſimiliter, magiſtrum S. Antonij fuiſſe unum ex eis; ibi igitur iſta: *Ibermen montem Eſſæi aſſignat potiſſimùm Ortelius. Imò ibidem, & maximè in Arſenoite Nomo, ad tempora uſque S. Antonij hanc conſuetudinem perdurâſſe, prorſùs perſuadet S. Dionyſij Epiſcopi Alexandrini liber 1. de prom ſſis apud Euſebium lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 19. ubi Fratrum conſtantiam, ſtudium veritatis, facile obſequium, & prudentiam ſupra modum admiratur, quòd tàm præclaro ordine, & tantâ cum modeſtia rogabant, diſceptabant, illiq; aſſentiebantur, &c.... Hos autem Fratres apud Arſenoïtas potiſſimùm in ſingulis pagis tradit conſediſſe, variiſq; pſalmis & hymnis Deum laudaſſe... Obijt ipſe circa Gallieni Imperatoris annum XII cùm S. Antonius ſub parentum educaretur diſciplina: adeoq; ſenex ille, quem S. Antonius nactus eſt vitæ ſolitariæ pædagogum ex iis erat fortaſſis, quibuſcum S. Dionyſius collocutus. Inter monaſteria Ægypti quæ priuſquàm ulla Antonius admirabilis ſuæ philoſophiæ collegia contraheret, erecta fuerunt, cenſeri poſſunt ſancta monaſteria à Iuliano & Baſiliſſa inſtituta: in quibus erat S. Iulianus ſanctæ congregationis circiter decem millium Monachorum Pater,* (conſequenter etiam iſti omnes Eſſeni erant, ſeu Eſſenorum Inſtituta tenentes.) De aliis Monachorum numeroſis congregationibus ante S. Antonium quædam infrà adferentur *Fundamento XII.*

Bollandus & Henſchenius de Eſſenis tempore S. Antonij.

294. Teſtimonium præfatum Eccleſiæ, & conſequenter adducta ex S. Hieronymo, Epiphanio, Palladio, Bollando & Henſchenio, indubitatum reddunt, quòd Eſſeni fuerint orthodoxæ fidei, & Monachi, ac monaſticæ converſationis propagatores (imo *perfectionis exemplar, & ſpeculum*, ſicut ſcribit Cornelius b) & quòd iſtud Inſtitutum eorum fuerit continuâ ſucceſſione derivatum uſque ad tempora S. Antonij, & S. Hieronymi, ac Palladij. Iſta autem collata cum antecedentibus certum faciunt, quòd antiquus iſte monaſticæ converſationis ritus, ab Eſſenis ad poſteros ſic traductus, quem ipſi à Filiis Prophetarum acceperant (ſicut jam ante ſtabilitum eſt) demùm tamquàm in fontale principium primum referendum ſit ad SS. Prophetas Eliam, & Eliſeum.

(b) Hic paulò ante.

FUNDAMENTUM IV.

Identitatem, ac ſucceſſionem continuatam Inſtituti Eliani, & Filiorum Prophetarum, ac Eſſenorum, nec non Monachorum in primis ſeculis poſt Chriſtum etiam confirmat identitas locorum.

295. CONſtat *ex libri* 4. *Regum capite* 2. S. Eliam habuiſſe ſuæ exercitationis Conventus in, aut prope Galgala, Bethel, & Jericho, valde numeroſos; cùm ex uno (*quinquaginta viri de Filiis Prophetarum ſecuti ſint*: & *ex cap.* 6. quòd juxta Jordanem ædificaverint quoque monaſticas manſiones, de quibus S. Hieronymus *in Epiſt. ad Ruſticum* ſcribit: *Filij Prophetarum quos Monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Iordanis.* Ibidem, & in locis vicinis eoſdem Filios Prophetarum, & Eſſenos continuatos tradit Genebrardus, ſcilicet *in Iericbuntis ſolitudine, & in deſerto Engaddi.* Haud longè indè etiam erat deſertum *Thecue*, cujus mentio eſt *cap. 9. lib. 1. Machabæorum* illis verbis: *Fugerunt in deſertum Thecue, & ſederunt ad aquam lacûs Aſphar*: qui juxta Lyranum, Dionyſium Carthuſianum, & alios, idem eſt quod mare mortuum: eſtque in Paleſtina haud longè à Jordane; illum autem locum cùm Plinius deſcripſiſſet, ſubdit: *Ab occidente littore Eſſeni.* Et Solinus Plinij veluti Scholiaſtes: *Interiora Iudææ, quæ Occidentem continentur, Eſſeni tenent. &c.* De iiſdem Eſſenis Paleſtinam & Judæam incolentibus Philo in libro: *Quòd omnis probus ſit liber*, agit, ubi inter alià: *Nec Paleſtina Syriaq; deeſt hoc genus hominum virtutem ſectantium.* Circa illud deſertum *Thecue* erat Oppidum *Engadda*, de quo ibidem Plinius: *Infra hos* (Eſſæos) *Engadda Oppidum fuit.* Adrichomius *in deſcriptione Terræ ſanctæ* (a) hæc habet de eodem deſerto: *Quarentena deſertum inter Ieruſalem & Iericho incipit juxta Anathot, & extenditur ſupra Galgala, uſque ad deſertum Thecue. & Engaddi, juxta mare mortuum. Hic commoratus eſt Ioannes Baptiſta, &c.* Et Guilielmus Poſtellus *libro Coſmographiæ, in deſcriptione Syriæ*, in qua circa torrentem Ciſon hæc: *Ad illius ripas juxta montem Carmelum, qui nunc Carmene eſt, locus eſt celebris, in quo falſos Prophetas divinâ ultione occidit Elias, qui ſui monumenta etiamnum in fine occiduo ipſius montis ſervat Carmelitarum; unde in totum Orbem Ordo ſerpſit*: deindè de Jericho & locis viciniis: *Indè brevi verſùs ortum itinere eſt Iericho, palmetis, aquiſque medicatis, ac ſuis claræ ruinis, habens à regione Galgala, ubi fuit prima Iudæorum caſtrametatio: inde Eſſenorum gens, commendata caſtitatis, erat in occidua Aſphaltidis parte: infra quos erat Engheddi, & Maceda caſtrum.* In iſtis autem partibus continuatos, & ſummæ vitæ, ac ſanctitate Monachos diutiſſimè commoratos, juxta Thecue, teſtatur quoque Caſſianus (b) *Collatione 6. cap. 1.* ubi iſta: *In Paleſtinæ partibus juxta Thecue vicum, qui Amos Prophetam meruit procreare, ſolitudo vaſtiſſima eſt uſque ad Arabiam, ac mare mortuum, quò ingreſſa deficiunt fluenta Iordanis, & cineres Sodomorum ampliſſimâ extenſione porrecta. In hac ſumma vitæ, ac ſanctitatis Monachi diutiſſimè commorantes, repentè ſunt à diſcurrentibus Saracenorum Latrunculis interempti.* De iſtis ſermo erit hic infra ad diem 20. Maij. Circa illa loca etiam eſt Quarantena deſertum. Ibi autem fuiſſe conventum, ſeu manſionem hujus Ordinis, habetur ex dictis Tomo præcedenti (c). Deſertum iſtud etiam erat vicinum Galgalæ (ubi etiam fuit conventus Filiorum Prophetarum) de quo

S. Eliæ, & Eliſei diſcipuli & Eſſeni, eadem loca inhabitarunt.

(a) In Beniamin n. 97.

(b) Collat. 6.

In eiſdem continuati & ſuccedentes Monachi.

(c) N. 402.

iſta

(a) In deſcript. Terræ S. p. 1. c. 7. §. 28.

iſta Brocardus (a) *Ex Galgala*, inquit, *ad dimidiam leucam, tendendo in Iericho, ad dexteram juxta viam eſt mons, dictus Quarantena; ubi Salvator mundi quadraginta diebus & noctibus cibum nullum ſumpſit: altus eſt nimis, & aſcenſu difficilis. Sub Quarantana ferè jactu duorum arcuum oritur fons Eliſei.*

S. Chariton ibi tres Lauras conſtruxit:

296. Iſtis etiam in locis fuerunt *Laura Pharan, itemq; Succa veteris: atque, cum tertia, ad Iordanem à S. Charitone extructa: Illa ſex milliaribus versùs Orientem viâ Hierichuntinâ diſtabat Ieroſolymis, à vico, decem inde ſtadiis ad ſolem orientem ſito, appellata. Hac erat in antè dicta ultra Thecue ſolitudine, circa quam Thecoïtarum monaſterium fuit, ſive Thecoum; atque ex ejus ruinis Laura nova, in qua Cyrillus vitam S. Euthymij conſcripſit, paulò poſt annum Chr. 500. extructa eſt. Haud ab ea longè ad ſpeluncam Saülis, in eremo olim Engaddi, tum* ☧ *dicta, monaſterium S. Euthymius conſtruxit. At non diu iſthic moratus eſt. Ad viam Hierichuntinam potiſſimam vitæ partem exegit; primò in cella extra Lauram Pharan, poſt in cœnobio inferiore, cui S. Theoctiſtum præfecerat, decem millibus paſſuum à ſancta civitate; denique in Laura, quæ S. Euthymij dicta eſt, atque ab inferiore S. Theoctiſti cœnobio tribus millibus paſſuum versùs Meridiem diſtabat ad dexteram viæ Hierichuntinæ.* Ita præfati PP. Bollandus, & Henſchenius ſcribentes de S. Euthymio (b). Porrò præfatus S. Chariton in Terra S. circa Hiericho, & Jordanem, ubi tres illas Lauras erexit, claruit circa annum Chriſti ducenteſimum ſeptuageſimum quintum, & ſequentibus, ſicut videre licebit in Annalibus Baronij, & Lezanæ, ad iſtum, & ſequentes annos. Ante ipſum etiam S. Charitonem iiſdem in locis Religioſos Monachos, ſolitarios vixiſſe, habetur ex ejuſdem vita, in qua refertur, quod ipſe Chariton pecuniam acquiſitam à latronibus, partim *iis qui in ſolitudine agebant patribus diſtribuerit. Erant autem tunc rari, & non valdè magno numero; qui ipſi quoque tempore perſecutionis patria præferebant ſolitudinem, & ſparſim verſabantur in ſpeluncis arundineti, quod ſitum eſt prope mare mortuum.* Undè patet, quòd monaſticum inſtitutum in iſtis partibus, licèt valdè diminutum, non tamen extinctum, ſed ſemper continuatum fuerit, etiam inter ſæviſſimas perſecutiones, quales tunc erant: & ipſe S. Chariton dicto anno ducenteſimo ſeptuageſimo quinto nervis crudeliter cæſus, & lampadibus circa pectus uſtulatus fuit.

ibi ſucceſſerunt S. Euthymius, & alij:

(b) ad diem XX Januar.

Circa ea loca Monachi ante S. Charitonem.

297. Animadvertendum peculiariter hic, quòd loca illa à præfatis Patribus Bollando, & Henſchenio nominata, ubi S. Chariton Lauras ſuas illas tres condidit, *Iordanis, via Hierichuntina, Thecue ſolitudo, Engaddi eremus*, & cujus jam facta mentio ex vita S. Charitonis *ſolitudo prope mare mortuum*, ſicut & *Quarantana deſertum*, & *Galgala*, & locus ubi eſt *fons Eliſei*, haud longè ab invicem diſtent, ſicut colligitur ex Caſſiano, Adrichomio Poſtello, & Brocardo, jam ante adductis. Et in iſtis locis manſiones habuerunt Diſcipuli S. Eliæ, & S. Eliſei, Filij Prophetarum, & Eſſeni, ſicut etiam ex ante dictis habetur, & irrefragabile teſtimonium perhibet liber quartus Regum *cap.* 2. 4. & 6. Ibidem, etiam inter ſæviſſimas perſecutiones, aliquos perſtitiſſe adhuc Anachoretas, & Monachos uſque ad S. Charitonem, jam ante ex ejus vita audivimus. Ibidem poſt S. Charitonem ſucceſſerunt etiam S. Euthymius, S. Theodoſius, S. Sabas, & alij plurimi ſancti Martyres, variis temporibus cæſi à Saracenis; de quibus agetur in ſequentibus.

Atque ita ibidem à tempore S. Eliæ continuatio ſucceſſio.

298. Ex hactenùs dictis patet, quòd præcipuæ manſiones Eſſenorum, & Monachorum in primis ſeculis poſt Chriſtum in Palæſtina, fuerint in pleriſque locis, quæ SS. Prophetæ Elias & Eliſeus, ac Filij Prophetarum incoluerunt. Identitatem illam locorum, ſeu ſucceſſionem Eſſenorum Ægypti à Palæſtinæis derivatorum, & Monachorum ſubſequentium in iiſdem locis etiam in Ægypto, præſertim circa Alexandriam, & circum ſtagnum *Mariam* etiam jam ante audivimus ex Philone, & S. Epiphanio, & Palladio, quibus alij conformiter ſcribunt. Atque ita de iſtis omnibus concluditur, unius, ejuſdemque Inſtituti, ac Religionis inter ſe, & cum aliis in iiſdem locis ſuccedentibus, cenſendos, ſicut in Annalibus Carmelitarum *Tomo* 2. & 3. variis locis oſtendit Lezana, peculiariter autem *in Apparatu ad Tom.* 3. ubi *capite* 1. poſt adducta nonnulla ex Clemente Reynero (è quo eadem quædam, & etiam alia adferentur hic infrà) tandem ſic concludit: *Pro comperto namque eſt tum Philoſophiæ decreto, tum legum civilium ſtatuto, ad unitatem communitatis cujuſlibet ſufficere non interpolatam, & interruptam ſucceſſionem. Sic ignis unus dicitur, qui ſine intermiſſione ſubſtitutis lignorum fomentis alitur. Sic fluvius quoque, etiamſi per annorum myriades fluat; dummodò interruptus non fuerit, idem fluvius dicitur. Sic quoque Pomponius §. Si grege ff. de legat. dicit: Si grege legato aliquâ pecora vivo teſtatore mortua eſſent, inq; eorum locâ alia eſſent ſubſtituta, eundem gregem videri, etſi diminutum ex eo pecus eſſet, & velut unus bos ſupereſſet, eum vendicari poſſe, quamvis grex deſiiſſet eſſe. Sic & Alphenus in l. proponebatur, ff. de judic. aſſerit: Legionem eandem haberi ex qua multi deceſſiſſent, quorum in locum alij ſubjecti eſſent.* (Aliis etiam juribus id ibi confirmatur, & indè concluditur) *Cùm igitur noſtri noviſſimi Carmelitæ à vetuſtiſſimis illis Patribus originem per ſucceſſionem nunquàm interruptam, ut Reynerus, ait, trahant, unius, & ejuſdem Inſtituti cum ipſis cenſeri debent.*

Inde concluditur, iſtos omnes unius ejuſdemque Inſtituti fuiſſe.

FUN-

FUNDAMENTUM V.

Identitas Inſtituti Eſſenorum, & Anachoretarum, ac Monachorum veterum tam in Palæſtina quàm in Ægypto, eruitur quoque ex eadem ratione vivendi.

299. IN iſtis locis eadem inſtituta quæ in primordiis Eccleſiæ ab Eſſenis, & Therapeutis (ſic enim tunc Monachos nuncupatos fuiſſe, jam ante audivimus) obſervata fuiſſe, & continuata ad uſque tempora ſua tradit idem Caſſianus in *præfatione ad Caſtorem Epiſcopum*, loquens enim de Monachorum inſtitutis: *Ea*, inquit, *ſecundùm eam, quam vidimus monaſteriorum Regulam per Ægyptum, & Palæſtinam antiquitùs fundatorum, vel adjiciam, vel recidam, nequaquam credens rationabilius quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuiſſe, quàm illa ſunt inſtituta, quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ à Sanctis, ac ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos uſque perdurant.* Quod etiam perſpicuè adſtruunt PP. Bollandus, & Henſchenius (a) his verbis: *Eadem ratio vivendi Anachoretis in hiſce Lauris, quæ Nitrienſibus Anachoretis in Ægypto, deſcripta à Palladio in Hiſtoria Lauſiaca cap. 69. & Ruffino lib. 2. de Vitis Patrum cap. 21. [Habitant, inquit Palladius, locum deſertum, & habent cellas magno inter ſe intervallo disjunctas, ut nullus poſſit procul agnoſci ab altero, neque citò videri, nec vox audiri; ſed degunt in multa quiete, unuſquiſque per ſe incluſus. Solùm autem Sabbatho & Dominico congregantur in Eccleſiis, & ſe invicem excipiunt.]* Iſta etiam confirmat P. Lezana *Tomo 3. Annalium Carmelitarum*, (b) tractans de S. Euthymio, de quo iſta: *Ex loco, in quo is S. Monachus exercebatur, aliiſq; circumſtantiis inferiùs expendendis, elicitur, non aliud ipſum Inſtitutum, niſi pervetuſtum Elianum, & Eſſenum amplexatum fuiſſe. Unde jure, meritoq; inter Ordinis noſtri aſſeclas eum accenſent de exteris Scriptoribus Ægidius Gelenus.* Ibidem citans iſtum locum P. Bollandi, addit Lezana: *Expreſſis verbis fatetur* (P. Bollandus) *eandem vitæ rationem obſervatam fuiſſe in Lauris Euthymii, & aliorum, quæ obſervata fuit in Nitrienſibus Ægypti: cùm ex dictis Tomo præcedenti conſtare queat, Nitrienſes hos Eliam pro aſcetica diſciplina magiſtro cognoviſſe.* De iſto S. Euthymio peculiariter agitur hìc infrà ad diem XX. Januarij. Quòd autem Nitrienſes Monachi fuerint Eſſeni, aut Eſſenorum ſoboles, ſatis evidenter videtur concludi ex identitate loci, & exercitiorum. Hinc Lezana elucidans geſta Amonis Archimandritæ in monte Nitriæ (c) *Monachos*, inquit, *Nitrienſes hujus Amon in eo monte veſtigia ſectantes ex Eſſenorum ſchola fuiſſe, manifeſtè deduci ex iis quæ de illis habet Palladius.* Id ibi latiùs proſequitur.

Palæſtinis, & Ægyptiis Anachoretis Monachis eadem fuit ratio vivendi.

(a) ad diem XX. Januarij, in vita S. Euthymij in Comment. prævio § 1. n. 4.

(b) ad an. 419 & 420.

Derivata à S. Elia, Eliſeo, & Eſſenis.

(c) Tom 3. Annal. Car. ad an. 296. n. 5.

300. In Palæſtina igitur ſub initium ſeculi quinti, proximè poſt annum Chriſti 400. florere cœpit prætatus S. Euthymius, & unà cum illo S. Theoctiſtus, & alij monaſticæ obſervantiæ diſtrictioris cultores celebres. Quoad S. Euthymium, is natus Melitenæ, Armeniæ civitate, anno Chriſti 377. Hieroſolymam abiit ſub initium ſeculi quinti, anno 406. ætatis 29. & pervenit ad Pharam Lauram, quæ ſex milliaribus diſtat Hieroſolymis (ſcilicet viâ Hierichuntinâ verſùs Orientem, ſicut antè audivimus.) Cùm autem quinque annos tranſegiſſet in Pharan, illinc recedit cum Theoctiſto. Illos, inter cæteros, ſecuti ſunt Monachi aliqui ex Pharan, & in aliis Terræ ſanctæ locis monaſteria & Lauras conſtruxerunt: in quibus omnibus eadem erat vitæ ratio, quæ apud Nitrienſes, ſicut jam audivimus ex præfatis PP Bollando, & Henſchenio: *Eadem* ajunt *ratio vivendi Anachoretis in hiſce Lauris, quæ Nitrienſibus Anachoretis in Ægypto.* Et conſequenter (ex antedictis) omnes iſti Inſtituta tenebant Eſſenorum. Seculo uno, & ampliùs, Euthymium preceſſit S. Chariton, qui ſub finem ſeculi tertij (circa annum Chriſti 277.) condidit in Palæſtina tres Lauras (ſicut jam ante audivimus) in quibus eadem erat vitæ ratio, indè continuata, & traducta uſque ad S. Euthymium. Ante S. Charitonem quoque alij Patres Monachi præceſſerunt, etiam in Terra ſancta, ſicut etiam ante vidimus, ex vita S. Charitonis.

Succeſſio Monachorum in Palæſtina (retrogrado ordine) à Chriſto uſq; poſt an. 400.

301. Seculo anteriori, (ſecundo ſcilicet) ſub Trajano Imperatore ſcribebat Cajus Solinus *in Polyhiſtoria cap. 36.* ubi iſta: *Interiora Judææ Eſſeni tenent, qui præditi memorabili diſciplinâ, receſſerunt à ritu gentium univerſarum, majeſtatis (ut reor) providentiâ, ad hunc morem deſtinati. Nulla ibi fœmina. Venere ſe penitùs abdicarunt. Pecuniam neſciunt. Palmis victitant.* Et ſeculo primo, ſub Veſpaſiano Imperatore Plinius *libro 5. Hiſtor. natural. cap. 17.* deſcribens regionem Terræ ſanctæ circa Jordanem (ubi fuerunt manſiones Filiorum Prophetarum, & Eremitarum montis Carmeli) de Eſſenis ſubdit: *Ab Occidente littore Eſſeni fugitant, gens ſola, & in toto orbe, præter cæteras, mira: ſine ulla fœmina, omni venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renaſcitur largè frequentantibus, quos vitâ feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitant. Ita per ſeculorum millia (incredibile dictu) gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur; tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Sub idem tempus de Monachis in Terra ſancta, ſcribebat S. Dionyſius Areopagita, *in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 6.* ubi monaſticam vitam his, inter cætera, commendat verbis: *Perficiendorum autem*, inquit, *omnium altior Ordo, Monachorum eſt ſacra diſpoſitio, omni quidem mundata purgatione, univerſaliq; virtute, & perfectiſſimâ propriarum actionum caſtitate.* Et infrà: *Indè divini Duces noſtri nominationibus eos ſacris dignati ſunt, alii quidem Therapeutas, alij autem Monachos ipſos nominantes ex Dei puro miniſterio & famulatu, & non partitâ, & ſingulari vitâ, tanquam unificante eos in ſeparabilium ſacris complicationibus in Deiformem unitatem, & amicam*

In locis ubi Filij Proph. & Eſſeni habitarunt.

Deo conſummationem. Illo igitur tempore greges erant Monachorum, quos eoſdem eſſe cum Eſſenis, de quibus Philo, colligitur ex verbo *Therapeuta*, quo, tam Philo, quà ipſe S. Dionyſius utitur. Inter iſtos Therapeutas, ſeu Eſſenos eminebant Caius & Damoclus, ad quos ipſe S. Dionyſius epiſt. aliquot ſcripſit.

302. Quòd autem S. Chariton, & S. Euthymius (ac conſequenter S. Theoctiſtus, S. Sabas, & alij Laurarum cultores) ejuſdem fuerint Inſtituti, eruit quoque Lezana ex utriuſque vita, cùm enim de utroque egiſſet, ſubjungit (a) *Hîc ſiſtat lector, & animadvertat hanc Lauram Pharam appellatam eamdem videri, ac Lauram Pharus in iis ſimiliter partibus à S. Charitone erectam, juxta dicta Tomo præcedenti ſub anno 277. & indè eliciat, ejuſdem Eſſeni, & Eliani Inſtituti aſſeclam Euthymium extitiſſe.* Ita ibi Lezana, & paulò infrà de eodem S. Euthymio agens: *Fundavit etiam cum Domitiano diſcipulo monaſteria alia circa mare mortuum; quo etiam denotatur, vitam Propheticam amplexatum fuiſſe, cùm ea loca quæreret, ubi Prophetarum Filij Eliæ diſcipuli, & poſtea Eſſeni, manſiones habuerunt, juxta dicta Tomis præcedentibus.* De aliis Monachis tempore perſecutionis habitantibus in ſpeluncis prope mare mortuum, jam ante audivimus ex vita S. Charitonis.

(a) Tom. 3. Annal. Car. ad an. 419. num. 4.

303. Ex Palæſtina tranſeuntes ad Ægyptum, etiam ibi eandem Inſtitutorum monaſticorum rationem fuiſſe, quæ in Palæſtina, habetur ex jam dictis, & fidus, oculatus teſtis Palladius nos certiores reddit in Hiſtoria Lauſaica. Dicit enim: *Alios quidem ex ipſis verſari in contemplatione, alios verò in actione.* Deindè *quòd in loco habitent deſerto, & habeant cellas magno inter ſe intervallo disjunctas.* Item *quòd ſolùm Sabbatho, & Dominico congregentur in Eccleſiis* (ſicut jam ante ex PP. Bollando, & Henſchenio audivimus). Hæ verò notæ, ſunt, quaſi teſſeræ Eſſeni inſtituti ex iis, quæ de Eſſenis ſcribunt Philo, & Ioſephus. Identitas illa inſtituti Monachorum in Palæſtina, & Ægypto etiam confirmatur ex Caſſiano verbis jam ante relatis.

Palæſtinorum Monachorum inſtituta olim eadem quæ in Ægypto,

304. Ex Palæſtina, & Ægypto tranſmeantes in Europam, etiam ibi comperiemus variis in regionibus Monachos, & eremitas traductos ex Palæſtinæis, & Ægyptiis, iſtorum eadem inſtituta tenentes. Id in primis habetur ex præfato Joanne Caſſiano, qui in præfatione ad Caſtorem Epiſcopum, præfixâ libris, *de Inſtitutis cœnobiorum* expreſſis verbis tradit, eumdem ritum vivendi Patrum Palæſtinæ, & Ægypti etiam Galliarum partibus invectum fuiſſe (ſicut jam ſtatim ex eo audivimus) Dicit: *Monaſteriorum Regulam per Ægyptum, vel Palæſtinam antiquitus Fundatorum, &c. in Occiduis Galliarum partibus &c.* addítque, *Inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ à Sanctis, ac ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos uſque perdurant.* Quòd autem Inſtituta Monachorum Palæſtinæ, & Ægypti, atque etiam in Galliis tempore Caſſiani promanaverint à SS. Prophetis Elia, & Eliſeo, perſpicuè conſtat ex iis, quæ ſcripſit immediatè ferè poſt, videlicet *libro* 1. *Inſtitutorum cap.* 2. & *Collatione* 18. *cap.* 6. In priori enim loco dicit: *Monaſticæ profeſſionis fundaſſe primordia Eliam, & Eliſeum:* in poſteriori vero: *Anachoretas imitatores eſſe Eliæ, & Eliſei.* Eliani ergo Inſtituti fuerunt.

& in variis locis Europæ,

derivata à SS. Elia, & Eliſeo.

305. Quoad Angliam, & Scotiam Clemens Reynerus Benedictinæ Anglicæ Congregationis alumnus, & ſcriptor eruditus, in libro, cui titulus eſt: *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia, tractatu* 1. *ſectione* 1. variis locis (a) luculenter probat, in partibus Britanniæ, & Scotiæ fuiſſe Monachos, qui Ægyptiorum, & Palæſtinorum vivendi ritum, non Baſilianum, Auguſtinienſem, multò minùs Benedictinum æmulabantur; addens: poſt tempora aliquot Benedictinum Inſtitutum, per Auguſtinum, à D. Gregorio Papa illuc miſſum, in illis partibus introductum fuiſſe. Et quidem §. 12. ſcribit: *Ante Auguſtinum* (cum videlicet quem S. Gregorius Papa ad Anglos miſit) *Monachos Glaſtonienſis Eccleſiæ (atque par eſt ſanè credere etiam cæteros) more Ægyptienſium Monachorum vitam inſtituiſſe.* Et infrà: *His temporibus in monaſterio Glaſtonienſi cæpit primo eadem regula exerceri, quod prius fuerat more cœnobiorum Ægypti.* Idem corroborat ex eo quòd *iſti Monachi Britones, colore veſtium albicante, ſeu nativo ipſius velleris, qui ad albedinem plerumque accedit, utebantur in veſtibus.* Hæc enim veluti propria teſſera Monachorum illorum erat, qui, utpote Eſſeni Ordinis, hoc colore, ſicut Eſſeni ipſi habitûs induebantur. Subjungit propterea §. 18. de eiſdem Monachis loquens. *Vera eſt ergo Gulielmi Malmesburienſis ſententia . . . ante Auguſtini adventum in Angliam, Monachos Britanniæ, & Scotiæ, ſeu Hiberniæ more Ægyptienſium Monachorum vitam inſtituiſſe; hoc eſt rigidiorem illum modum vivendi, quo Monachi per Ægyptum, & Palæſtinam ſeſe exercebant, uſurpaſſe, quod ex ipſa hiſtoria Sanctorum Hibernienſium, & Britannorum Columbæ, Brendani, Davidis, Gildæ manifeſtè cuivis patet.* Et infrà: *Procul dubiò Monachi Britones, & Scoti juxta inſtituta Palæſtinorum, Ægyptiorumque Monachorum (eadem enim fuit in utriſque illis provinciis Monachorum diſciplina) vitam ſuam gubernabant ſine regula ſcripta, per ſolas traditiones Patrum ſuorum.* Idem proſequitur § 20. ubi inter cætera iſta: *Quos autem ſanctiſſimos Monachos animadvertimus, vel ante D. Benedictum vixiſſe, vel poſt ipſum qui illius regulam profeſſi non videntur fuiſſe, quamvis fortè colore tantùm habitus, & pauciſſimis obſervantiis ab ejus inſtituto differentes, noſtri tamen Ordinis eſſe non putamus. Unde nec Scotos, Britannosque, majoris Inſulæ Britanniæ incolas, ante tempora Auguſtini, prædicationemque, ut diximus Vuilfridi, Cuthberti, & Egberti, noſtro numero adjiciendos putamus; nec eos etiam qui in Hibernia exercebantur, donec à Sede Apoſtolica, Monachiſque Angliæ correcti Catholicum Paſſcha, tonſuramque Monachorum Romanorum receperunt: quia nimirùm quantumvis moribus, & aſceſis, ſeu exercitationis genere parum aut nihil à noſtris diſtabant, regulam tamen S. Benedicti nondum ſuſceperant. Similî contrà nec eos qui ante D. Patrem Benedictum vivebant, ſive*

(a) § 12. 14. & 18.

Inſtituta eadem olim fuerunt in monaſteriis Angliæ.

in Lirinenſi, & Agaunenſi, aut Maſsilienſi clariſsimis cœnobiis Galliarum, ſive per monaſteria Italiæ, aut Ægypti vel Syriæ, arrogamus tamquam Ordinis noſtri communitates. Cujus autem Inſtituti fuerint tradit ibi conſequenter, videlicet Carmelitani iſta ſcribens de Carmelitis: *Qui* (Carmelitæ) *cùm reverà à Monachis Syriæ Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe derivent* (*à Carmeli enim monaſteriis in Angliam, ut poſtea videbimus, ab Anglia in reliquas provincias ſeſe dilataverunt*) *meritò antiqui Monachatûs Ægyptij, Palæſtiniq; profeſſores tamquam Patres ſuos, Ordiniſq; ſui ſydera colunt & venerantur.* Alia quædam ex eodem, ad hoc idem intentum adferentur *Fundamento 6.*

Indè concluditur Monachos iſtos veteres ab Eſſenis, & Filiis Proph. derivatos.

306. Ex jam poſitis fundamentis, nonnè habetur, veteres iſtos Monachos Palæſtinæ, & Ægypti, eoſdem fuiſſe cum Eſſenis, aut Eſſenorum, atque etiam Filiorum Prophetarum ſobolem, & conſequenter Inſtituti Eliani? Omnium judicio, nemine reclamante, omnes Monachi, qui à tempore S. Benedicti, continuatâ ſerie pluſquàm mille annorum, vixerunt in Caſſino, & aliis quibuſvis monaſteriis à Caſſino derivatis, ſub regula, & vitæ monaſticæ ratione à S. Benedicto inchoata, cenſentur Ordinis Benedictini: ita quoq; qui à tempore S. Brunonis, in Carthuſia & alibi, Carthuſienſes: à tempore S. Norberti in Præmonſtrato, Præmonſtratenſes: & ſic de aliis. Eodem jure, omnes illi, qui à temporibus SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei, eadem loca incoluerunt, & indè ad alia propagati ſunt ſub iiſdem Inſtitutis, ſolitariam monaſticam vitam agentes, eandemque vitæ rationem tenentes, cenſendi ſucceſſores, & poſteri iſtorum SS. Prophetarum.

307. Nec obſtat, ſi forte intereà ſucceſſu temporis aliquæ fuerunt factæ mutationes, in nonnullis inſtitutis, decretis, &c. Sic in Ordine S. Benedicti in Lætienſi Abbatia celebri, atque in aliis non paucis, aliquæ fuerunt factæ mutationes: ita & in aliis Ordinibus: nec ideo cenſetur tolli identitas Ordinis. Nonnè eadem nunc, quæ à mille ſexcentis annis, eſt Eccleſia? licet in Concilio Tridentino, & aliis anterioribus varia fuerint edita decreta, & factæ ſucceſſivè quædam mutationes? An non omnium judicio, nunc eadem eſt Roma, idem Regnum Hiſpaniæ, idem Franciæ, & ſic de aliis, quæ à mille annis: & tamen intereà ſucceſſive multæ in illis factæ variationes. Quòd SS. Prophetæ Elias, & Eliſeus, & eorum diſcipuli Filij Prophetarum, vitam Religioſam, ſolitariam, Monaſticam egerint circa Jericho, circa Jordanem, ubi ſitæ ſunt manſiones monaſticæ, dictæ *Lauræ*, & quòd ibi monaſticum iſtud inſtitutum continuatum fuerit etiam ſequentibus ſeculis, jam ante vidimus. Ejuſdem omninò Inſtituti erant (ſicut etiam ante audivimus) Monachi Ægypti, ab Eſſenis derivati. Iſti igitur omnes, an non pleno jure, Eliano, Eliſeno ſeu Eſſeno & conſequenter Carmelitano Inſtituto accenſendi ſunt ſaltem, & ad minùs, imitatione? Id confirmabitur etiam ex omnibus ſequentibus fundamentis, ſimul collatis.

FUNDAMENTUM VI.

In primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis Monaſticum, & Eremiticum inſtitutum unicum erat, & indiviſum: & Monachi, Therapeutæ, Anachoretæ, fuerunt Monaſtices, ſeu vitæ Religioſæ à S. Elia inchoatæ, per Filios Prophetarũ, & Eſſenos continuatæ, ac propagatæ cultores; quidam ſucceſſione, quidam dumtaxat imitatione.

308. Iſtud tamquàm unum ex fundamentis Carmel. hiſtoriæ ſtatuunt omnes præcipui ejus Scriptores: & perſpicuè etiã traditur à Patribus: & quidem à S. Iſidoro (a) indagante, quis fuerit primus Auctor vitæ monaſticæ: *Quantum*, inquit, *attinet ad auctoritatem veterum ſcripturarum, hujus propoſiti Principes Elias & diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt, ſive Filij Prophetarum, qui habitabant in ſolitudine: urbibuſq; relictis, faciebant ſibi caſulas prope fluenta Jordanis. Hujus etiam propoſiti in Euangelio Joannes Baptiſta auctor extitit, qui eremum ſolùm incoluit, locuſtis tantùm, & agreſti melle nutritus. Jam demùm progeniti ſunt converſationis hujus nobiliſsimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macharius, cæteriq; Patres, quorum exemplis per univerſum mundum adolevit ſancta inſtitutio Monachorum.* Omninò ſimilia habet S. Hieronymus *in Epiſt. ad Paulinum* & Joannes Jeroſolymitanus in libro *de Inſtitutione primorum Monachorum cap.16* ubi ſimiliter agens de primo Auctore Monaſticæ converſationis, inter cætera habet iſta: *Ab hoc Propheta Dei Elia, tamquàm à primordiali, & principali Monachorum auctore exemplariter emanavit: & primò quidem in præmemoratos viros Filios Prophetarum, ejus diſcipulos; deindè ab illis, in cæteros.* Ita ille. Plura videri poterunt in *Tomo præcedenti parte prima libro 2. cap. 8.*

(a) Lib 2. de orig. offic. c.15.

S. Elias primus princeps monaſtices, ac etiam Ioan. Bap.

Cæteri ſunt principes ſecundarij.

Elias igitur primus eſt fons inſtituti monaſtici,

309. Itaque Monaſticum Religioſum Inſtitutum à ſanctiſſimo Propheta tamquàm fonte, originaliter ſcaturiens, per Filios Prophetarum, Rechabitas, Aſſidæos, & Eſſenos continuatum, uſque ad Chriſtum (à quo perfectionis complementum accepit) per SS. Apoſtolos quoque verbo & exemplo commendatum, inſtar fluminis, cujuſdam indeſinenti fluxu, intra ſui alvei limites ſe continentis, tandem ſic auctis quaſi in immenſum Monachis & monaſteriis; veluti quandoque flumina acceſſione torrentium, dum nimium redundant, in plures ſe ſecant partes & canales. Et uſque ad tempora S. Baſilij, S. Antonij, & aliorum, Monaſticum Inſtitutum unicum erat, ſicut pleniùs tradunt, & declarant alij Ordinis Hiſtorici: & quidem Palæonydorus *in Faſciculo tripartito libello primo cap. 2.* videri poterit *in præcedenti Tomo* (b). Et in Notatione prævia ante libellum primum

(b) Num. 945.

(c) Sed

(a) N. 965. & ſequent. uſque ad 969.

(a) Sed iſta ibi ſuccinctè tradita, hîc magis ſtabilienda videntur.

Ideo in primis poſt Chriſtum ſeculis omnes Monachi Eliæ poſteri aut imitatores erant:

310. Inter omnes autem luculenter, & perſpicuè illa pertractat Annaliſta Ordinis Lezana *Tomo 2. Annalium, in Apparatu cap. 7.* cujus hic eſt titulus: *Omnes & ſinguli Monachi, & Anachoretæ poſt Chriſtum in quatuor primis ſeculis, ante Baſilij præſertim Inſtitutionem viventes, ad Propheticum & Elianum Inſtitutum quadamtenùs ſpectant:* videlicet quidam *ſucceſſione*, alij autem dumtaxat *imitatione*. Quòd autem omnes Monachi, Eremitæ, & Anachoretæ illis temporibus Eliæ, & Eliſei Prophetarum Inſtitutum imitati fuerint, *tam pro comperto doctis cunctis eſſe debet, ut vix in dubium revocari poßit*; inquit Lezana ibì conſequenter. Quod quia operæ-pretium eſt cognoſcere, id ſuccinctè hîc declarandum eſt, aliquot indè depromptis auctoritatibus Patrum, & illuſtrium Scriptorum, adſtruentium Eliam & Eliſeum Monachorum Principes, & duces, ac properreà adhortantium Monachos omnes, ut eos tamquàm ſuæ converſationis exemplaria inſpicerent, & imitarentur.

Id auctoritatibus Patrum confirmatur,

311. Ita quidem S. Macharius *in ſermone ad Monachos*; eos monet, & hortatur: *Eliam, & Eliſeum, ac Filios Prophetarum, quos conſtat veraciter veteris Teſtamenti Monachos, imitari.* Gregorius Nyſſenus *in cap. 4. Cantici Canticorum*, agens de Elia, ait: *Omnes quotquot ad exempla Vatis illius* (Eliæ) *vitam ſuam inſtituunt, ornamentum Eccleſiæ ſunt gregatim.* Divus Hieronymus *Epiſtola ad Paulinum* Monachorum *Principem Eliam*, nuncupat; ſcilicet quem ut Anteſignanum Monachi imitari debent. S. Auguſtinus (ſeu alius ſub ejus nomine) *in ſermone 59. ad Fratres in Eremo* ſcribit: *Pax vobis Fratres . . . . ſuis cum Elia*; ipſum ſcilicet æmulantes. Caſſianus de habitu Monachorum ſcribit: debere eum eſſe ſimilem iis, quem geſtarunt *Elias, & Eliſeus, qui Monaſticæ profeſſionis fundavêre primordia.* Antiochus Monachus *homilia* 89. ait: *Monachus Eliæ comperitur eſſe imitator.* S. Iſidorus Hiſpalenſis, loco jam ante citato adſtruit, *Eliam Propoſiti Monaſtici Principem.* Idem de Eremitis ſcribit ibidem eos vivere *ad imitationem Eliæ.* Dicto loco Annalium videri poterunt alia ſimilia plura; quibus etiam addantur ſequentia. S. Athanaſij *in Epiſtola ad Dracontium Monachum*, & S. Marciani (de quo Theodoretus *in vitis Patrum cap. 3.*) ad Euſebium ſimiliter Monachum, ipſis in exemplum, quod imitarentur, proponentium S. Eliam Prophetam. Sancti Ephrem

(b) Serm. ad Monach.

(b) hortantis Monachos, ne ſplendido veſtium ornatu utantur: *Memor*, inquit, *quomodo ovinis pellibus indutus Elias.* Dionyſij cognomento exigui (c) ſcribentis *B. Antonium* [illegible] *Eliæ æmulatorem extitiſſe.* S. Chryſoſtomi (d) hortantis Monachos: *ita eis præparata ſint* (veſtes ſcilicet) *ut beatiſſimus Angelus ille Elias, dico, Eliſeo*: & ipſis Eliam, & Eliſeum; tamquàm vitæ Monaſticæ prototypos proponentis. Sozomeni (e) de Monachis: [illegible] *Theſbites pellibus ſe induebat.* Sancti Thomæ (f) circa *veſtes, & egreſſum Religioſorum ad palatia*

(c) In vita S. Pachomij
(d) Homil. 64. in Matth.
(e) Lib. 33. hiſtor. Eccl. c. 14.
(f) 2. 2. q. 187. art. 6.

proponentis *exempla S. Eliæ, & S. Eliſei.* Aliis ſimilibus pluribus referendis (ne prolixiores ſimus, & alibi relata, & referenda recantillemus) ſuperſedemus.

Et etiam aliorum ſtabilitur.

312. Ex Scriptoribus recentioribus non pauci idipſum tradunt, videlicet, *quod Monachi prioribus Eccleſiæ ſeculis Elianum Inſtitutum* [illegible] *rint.* Imprimìs ad id alludit Annaliſtarum Princeps Cardinalis Baronius, dum *ad Annum* 340. §. . . . *At quibuſdam* agens de Monachis ejus ævi, illos *Eliæ* & Joannis Baptiſtæ æmulatores ſtatuit. Hæc ejus ſunt verba de antiquis Monachis: *Erat quidem in Oriente ſummum illud vivendi genus inſtar Eliæ, ac Ioannis Baptiſtæ.* Iſta ſatis innuunt, ipſos Eliæ ſectatores fuiſſe. Id diſertè adſtruit illuſtris Scriptor Laurentius Beyerlinck de Carmelitano Ordine his verbis (a) *Conſtat ex* [illegible] *de antiquitate hujus Ordinis; quomodò primæva ſua fundamenta ad Eliam, & Eliſeum referat, tandemq; per Filios eorum ſpirituales creverit inſtar lucis ſplendentis, & ad perfectum diem paulatim devenientis. Si quidem ab Apoſtolis Chriſti Evangelium edocti illius ſectatores primordiis naſcentis Eccleſiæ, ſuprà illius candelabrum etiam poſiti fuêre, normamq; ab Eliâ præſcriptam, & à Filiis Prophetarum tot ſeculis obſervatam, ſtrenuè ſibi ſervandam exiſtimarunt, adjectis illis, quæ Lege Evangelicâ addenda cenſuerunt viri Sancti, & Apoſtolici. Itaque non aliam vivendi normam, quàm veterem illam amplexi fuerunt primis quadringentis annis.* Quibus ſatis indicatur numeroſiſſimam Monachorum propaginem illis temporibus *inſtar Eliæ* (ut Baronius) ſive *ad normam ab Elia* præſcriptam viventes Eliæ Sectatores fuiſſe. Perſpicuè etiam adſtipulatur Aubertus Miræus, Eccleſiæ Antuerpienſis Decanus (b) *Quidquid Oriens, Auſterq; primores; quorum genere Monachorum cœtus glorjantur, tradidêre, quidquid etiam ab Oriente in Occidentem extat invectum, non minima ex parte inſtitutionis Eliæ quædam expolitio, & ad nationes diverſas coaptatio eſt, ſive contemplationis ſtudium, ſive ſolitudinem, ſive auſteritatem, ſive paupertatem velimus expendere.* In eundem ſenſum ſcribit, Joannes de Carthagena: (c) *Nemo eſt, qui ſcripto, nedùm conjectura aſſequatur, quot ab Eliâ in ſpeluncis, cavernis, montibus, & deſertis Ægypti, & Thebaide, & aliarum regionum Monaſticam vitam profeßi, Eliani Inſtituti fuerint cultores, ac hujus Sacræ Religionis Filij. Undè Trithemius lib. 1. c. 12. de laudibus Carmelitarum ait: Tot ſancti ſub Ordine Carmelitano fuerunt, ut penitùs enumerari nequeant. Etenim ſi quis ſtellas cœli dinumeret, & Sanctos, hujus Ordinis numerare poterit.* Interim tamen ſtrictè loquendo, ſoli illi cenſendi ſunt Carmelitæ, ſive Ordinis Prophetici Eliani Profeſſores, qui directam & continuam, (ſeu ut loquuntur Pontifices) *hæreditariam tenent ſucceſſionem à S. Prophetâ Elia* per Filios Prophetarum, Aſſidæos, & Eſſenos deſcendentes, Carmelum, aliave loca Palæſtinæ, ad quæ ipſius Eliæ Inſtitutum propagatum eſt, incoluerunt: ubi & fundatorum dictæ Religionis virtuoſa exempla imitantes, normam vivendi, à S. Propheta Elia traditam ſervabant.

(a) In Theatro vitæ humanæ tom. 6. lib. 14. Verbo Religio.
(b) Lib. de Orig. & incrementis Ord. Carmelit. ſub init.
(c) Lib. 17. homil. 3. ſub medium.

bant. Iſti itaque *Succeſſione*, cæteri autem dumtaxat *imitatione* Eliani Inſtituti debent cenſeri. Id luculenter declarat præfatus Annaliſta Ordinis Lezana *in Apparatu ad tom. 2. Annalium cap. 7.* & etiam *in Apparatu ad tom. 3. cap. 2.* ſub finem.

313. Iſta etiam quaſi ex profeſſio tractat, & prolixè demonſtrat eruditus ſcriptor Ordinis S. Benedicti Clemens Reynerus *de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia* (a) ubi iſta: *Ponamus autem primo loco, quod veriſſimum arbitramur, omnes olim Monachos ut illius nominis communione, ita etiam modo vivendi, & fine exercitationis inter ſe conveniſſe, ut pro una eademq; ſpecie religioſorum, ſeu votis aſtrictorum haberentur; ſicut diverſo omnes Eccleſiaſticos, ſæculares etiam hodie communis nomine, eademq; ut ſic dicam, ſpecie Clericorum comprehendimus. Quare, ſicut cujuſcumque Eccleſiæ Clerici ſæculares, in quamcumque alterius provinciæ Eccleſiam devenerint, non cenſentur tamen habere diverſi generis clericatum; ita & Monachi eodem penitùs modo, quacumque incederent, non reputabantur diverſi generis Monachatum gerere. Differebant quidem nonnullis cæremoniis, varietatibusq; victûs, & veſtitûs, & mortificationum, pro qualitate locorum, & regionũ: quæ ut non omnes ejuſdem erant temperaturæ, ita nec eundem ferebant victûs veſtitûsq; modum: quæ varietas etiam in Clericis inveniebatur neceſſariò; nec tamen, ut diximus, diverſum faciebat clericatum, ut proindè etiam diverſum non efficeret Monachatum. Iam finis quoque immediatus omnibus Monachis unus idemque tunc erat propoſitum, nempè fuga ſæculi, mortificatio ſui, contemplatio Dei.* Et infra: *Qui verò ſeparati convictu plebis & ſæcularium, arctioribus votis aſtricti, poſſeſſionibus, proprioq; abrenunciabant, ſub nutu & directione Abbatis, ij omnes Monachorum nomine cenſebantur; & ſive ſub Magno Antonio, ſive ſub Pachomio, ſive ſub Baſilio exercerentur, pro diſtincto tamen genere non habebantur; ſed ſicut Clericus quiſpiam Athanaſij, aut Chryſoſtomi, aut Romanæ Eccleſiæ, non erat diſſimilis clericatus à reliquis per orbem terrarum Clericis: ita nec Monachus Pachomij, aut Antonij, aut Hilarionis, aut Baſilij, diſtincto Monachatus ordine cenſebatur.* Et poſt alia ad idem intentum: *Nec eos qui ante D. Patrem Benedictum vivebant, ſive in Lerinenſi & Agaunenſi, aut Maſſilienſi clariſſimis cœnobiis Galliarum, ſive per monaſteria Italiæ, aut Ægypti vel Syriæ, arrogamus tamquàm Ordinis noſtri communitates: quia regula noſtra, quæ anima eſt & forma Ordinis noſtri, non fuere ſubjecta; utrumque S. Benedictus ipſe regulam ſcribens, non magis ſuos ab illis diſtinctos Monachos videatur arbitratus (nec revera ante hanc à regulæ profeſſione ortam diſtinctionem fuerunt) quàm nunc ſint Clerici ſæculares horum temporum ab illis qui antiquis primitivæ Eccleſiæ temporibus floruerunt. Quare propter eamdem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui ultra regulæ noſtræ legislatorem Benedictum natales noſtros non arceſſimus) ſuo tamen jure videntur facere Carmelitæ, qui cùm reverà à Monachis Syriæ Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe derivent ... meritò antiqui Monachatûs Ægypti, Palæſtiniq; profeſſores tamquàm Patres ſuos, Ordiniſq; ſui ſydera colunt, & venerantur ... Atque hæc ideo libentiùs de Carmelitis tam fuſè diximus; quia ſicut eos Syria Angliæ, ita Anglia reliquo Occidenti dedit. Vndè conſtat & veriſimilitudo ſententiæ, quam ſuperiùs de primis Monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Ægypto & Palæſtina in Britannicas inſulas Monachatum detuliſſe: & illud etiam quod antea diſputavimus, meritò Carmelitas, cùm ſucceſſionem minimè interruptam ab antiquis Palæſtinæ Monachis deducant, earundem provinciarum Sanctos antiquos ſuo Ordini adſcribere.*

(a) Tract. 1. ſect. 1. §. 20.

Monachiſmus olim unicus & indiviſus,

Sicut unus eſt Clericatus.

Lerinenſis monaſterij & alij Monachi olim cujus fuerint Inſtituti.

Carmelit. Ordinis cenſentur.

314. Hoc ipſum eruditus auctor Michael Muñoz *in propugnaculo Eliæ* (a) confirmat in hunc modum: *Verùm, quia non eſt tunc Monaſtica propagata Religio, adinſtar Monarchiæ unius, ſub uno Capite, per modum unius corporis moralis; cùm ſingulis cœnobiis independentes præeſſent Abbates; ideo hiſtorici vetuſtiores, non ut de unâ tantum Religione, de Inſtitutione ſunt locuti Elianâ; ſed de Inſtitutis diverſorum Cœnobiorum, quamvis, ut à primâ ſcaturigine fontis Eliæ, cuncta in Regulâ imitationis vitæ Prophetæ convenirent, tractatus de Monachis ediderunt; cum neque in Conciliis Generalibus, aut Nationalibus, neque in Pontificum decretis, neque in hiſtoriis Eccleſiaſticis, aut profanis, neque in Chronologiis, vel Martyrologiis, neque in Regulis Monachorum, neque in vitis Sanctorum, aut in exhortationibus Monaſticis reperiatur, prioribus ſeculis diſtinctio Religionum, aut diverſitas Monachorum, ſed uniformitas Regulæ, imitationis vitæ Eliæ, unitas habitus, diſtincti à ſeculari; Melotarum, & pellium, nominum communium identitas, cum eodem Ariſtocratico regimine, aut Democratico moderamine. Quare qui Monachorum tunc ſunt Patres, & Magiſtri celebrati, non Inſtitutores, ſed Inſtauratores, aut in diverſis Provinciis propagatores, & Monaſteriorum Fundatores ſunt habiti; quia omnes ad exemplum Eliæ ſuos componebant mores, quem ut primum Monaſtici Inſtituti ſuſpiciebant auctorem.* Conformiter ſcribit P. Petrus Waſtelius (b) *Quamvis fortaſsè antiqui Palæſtinæ, aliorumve locorum Monachi Inſtituti Carmelitici, ſeu Monaſticæ diſciplinæ ab Elia inſtitutæ, non preciſè nominaverint ſe Carmelitas, potuiſſe eorum alios Sinaitas, Taboritas, & aliis nominibus appellari, abſque verorum Carmeli Incolarum ullo præjudicio, modò faterentur imitari ſe cum illis, ex propoſito, Eliæ diſciplinam.* Et paulò ante, ſub medium Articuli: *Inſtabis denuò, ſi unum omnium eorum, atque Carmeli Incolarum fuit Inſtitutum, quinàm fiat, ut à Scriptoribus non ſint dicti Carmelitæ? Si hoc importunitùs urges, peto, undè fiat, Monachos S. Benedicti, ut nunc quidem, dum tanta habetur ratio diſtinctionis, appellari Caſſinenſes à Caſſino, ubi S. Benedictus fundavit primum Monaſterium, Ordinis caput? Pars enim dumtaxat appellatur Caſſinenſes, alij verò Camaldulenſes, alij Cluniacenſes; & rursùs nominibus variis ſubdiviſis. Affligemienſes, Marchianenſes Aquicinctini, &c. & à Sanctis ipſis ductâ appellatione, Vedaſtini, Amandini, S. Petri, S. Bertini Monachi &c. Hâc tamen non obſtante appellationum diverſitate, unius omnes manent*

(a) Lib. 4. tit. 2. cap. 2 art. 7. n. 3.

Veritas Inſtituti monaſtici olim, & origo à S. Elia magis illuſtratur.

(b) Lib. 1. Vindic. ſect. 5.

Cur non omnes dicerentur tunc Carmelitæ.

Monachi olim, & modò variè nuncupati à locis & Sanctis &c.

manent Inſtituti; videlicet Caſſini à S. Benedicto fundati. Non igitur mirum videri debet, quòd vetuſtis illis, de quibus dixi, temporibus, dum pleraque adhuc eſſent indiſtincta, & incompoſita, etſi multi Carmelitici Inſtitutis adhærerent, ſub uno Patrono Eliâ militantes, non tamen fortè ab uno Carmelo fuerint nuncupati. Hæc, & alia ibi ad intentum habet Waſtelius.

315. Ex hactenùs dictis eccui non ſufficienter perſuaſum erit, Monachos, Eremitas, & Anachoretas in primis poſt Chriſtum ſeculis Elianum coluiſſe inſtitutum? licèt non omnes propriè, & ſtrictè loquendo S. Eliæ fuerint *poſteri*, & *ſucceſſores* (præſertim poſt tempora S. Antonij, S. Baſilij, S. Auguſtini, &c.) Sed aliqui tales, alij autem dumtaxat *æmulatores*, ſeu *imitatores*. Quinam autem *ſucceſſione* & ſtrictè loquendo *Eliani*, & conſequenter *Carmelitæ* cenſeri debeant, ſic benè declarat præfatus Waſtelius (a) *Interrogatum quoddam eſt noſtrorum Fratrum: Quæ via commodiſſima ſit, ad internoſcenda monaſteria inſtituti S. Eliæ in Palæſtina, & Ægypto; ſive quænam à Filiis olim Prophetarum derivata ſint; ut non promiſcuè quidquid eſt veterum temporum adſcribatur uni Carmelitano Ordini. Licèt enim verum ſit, quod canit Baptiſta Mantuanus eglogâ* 10.

(a) Sect. 5. art. 13.

Quomodò diſcernendũ, qui poſteri Eliæ ſucceſſione & qui tantùm imitatione.

Paſtores alij quotquot per rura vagantur
Omnia, ſunt rivi noſtris de fontibus orti:
Nos dedimus leges:

tamen, ut ipſe ſui prudens ſatis inſinuat Poëta, imitatione & exemplo multi quoque à S. Eliæ inſtitutionem habere dici poſſunt, in teſtimonium vitæ Deo gratæ; ſive ratione generali Monachiſmi, non autem jure antiquitatis, aut ſucceſſionis proximè eum jungit,

paſcendi oſtendimus artem:
Nos radix, alij rami; ſed nos quoque rami;
A veteri radice Patrum.

316. Reſpondet deindè ulteriùs ipſe Waſtelius: *Inveſtigandum ſcilicet quæ loca olim fuerint, etiam in nova Lege, inhabitata ab Eſſæis; deindè reminiſcendam unitatem priorem eſſe diviſione, & radicem, ſive truncum ramis; aliud quoque eſſe ramos per quamdam aſſimilationem generalem abſque æſtimatione temporis, vel loci; aliud verò ramos per extenſionem, aut ſurculi inſitionem, ſive palmitis de vinea tranſplantationem. Tametſi enim alienari contingat ob ſpatiorum intercapedinem mutuam communicationem; adeoq; cœnobia ſive cellia, nomen amittere prima ſua olim plantationis, & ortus; reipsâ tamen, quatenùs res omnes ducuntur ad ſua principia, negare non poterunt antiquam ſuam nativitatem. Quomodò rivi fluendo de fonte, ſenſim quidem nomen amittunt; per juſtitiam nihilominùs artis Geometricæ, etiam ſi quis nolit, reducuntur ad ſuum fontem. Similitudinem commodiſſimam inſtituto affert Dn. Card. Baronius cap. 9. præludiorum in Martyrologium Romanum, petitam à Martyrologiis, quorum primarium Romanum dicitur, alia Hieronymi, Bedæ, vel Flori; Vſuardi, Adonis, Gillimani. Ubi, inquam, per continuam delineationem devenire non poteſt ad ipſum S. Eliam per veteres Eſſæos, ſive Aſſidæos; Filioſq; Prophetarum, abſque dubio non ſunt illi habendi in Carmelitis, ſive filiis S. Eliæ, etiamſi forſitan primus inſtitutor alicujus familiæ; vel Ordinis anteà de familia fuiſſet Ordinis antiqui.* Ita S. Antonius, S. Hilarion, S. Baſilius, quamvis directè deſcenderint ab Eſſæis (de S. Antonio id perſpicuè ſatis innuunt PP. Bollandus & Henſchenius hic ſuprà (a) attamen eorum diſcipuli, & poſteri directè Vineæ Carmelitanæ palmites non cenſendi; Eadem eſt ratio diſcipulorum, & poſterorum S. Auguſtini, S. Benedicti, &c. Quia videlicet communi hominum æſtimatione palmites Vineæ alterius (quamvis ex Eliana propagatæ quâdam ratione) nam ſicut olim Chriſtiani omnes unius erant Eccleſiæ, antequàm in populis diceretur: *Ego ſum Pauli, ego Apollo ego autem Cephæ*; & tunc autem cœpit diverſitas, ſeu diſtinctio Eccleſiarum, ſive Diœceſium, & parochiarum. Ita quoque omnes Filij Prophetarum; Eſſeni, Therapeutæ, Monachi, Eremitæ, Anachoretæ &c. unius Religioſi Ordinis fuerunt, antequàm diceretur in populis: *Ego ſum Antonii, Ego Baſilij, ego Auguſtini, ego Benedicti.* Atque ita tunc incœpit diverſitas Ordinum Religioſorum. *E diverſo verò*, inquit Waſtelius ibidem, *recta delineatio Carmelitano Ordini adſcribit omnia, & ſingula loca Palæſtinæ, ad quæ S. Eliæ inſtitutum propagatum eſt, vel ab ipſo Eliæ primùm, vel Eliſeo, vel Filiis Prophetarum, vel Aſſidæis ſive Eſſæis; neque tamen hujus poſtremæ denominationis omnibus, ſed ab iis quatenùs Hebræorum Eſſæi poſt Chriſti prædicationem inſtitutum ſuum Chriſtianum in cœptis ſuis ſedibus continuârunt, aut etiam extenderunt ad poſteros: ſecundùm enim hos fines terminatur & inſtitutionis, & legitimæ ſucceſſionis ratio. Quòd poſtremum quidem addo, quò pleniùs inſtitutus S. Eliæ quiſque profeſſor expendat ſe officium Eccleſiaſticum jure legere de ſanctis Dionyſio Pont. Rom. Serapione, Spiridione, Eufroſyna, & Eufraſia, uti Religioſis è veteri inſtituto Eſſæorum.* (Eadem eſt ratio de S. Teleſphoro, S Cyrillo Alexandrino, S. Anaſtaſio, & aliis) Proſequitur Waſtelius, de Eſſæis in Ægypto, circa Alexandriam, eos etiam directe ſpectare ad Ordinem Carmelitanum, videlicet *habitationem illam, quam deſcribebat olim Philo potiſſimè eſſe circùm Alexandriam, florem autem totius gregis ad dictum lacum* (Mariam) *Ex quibus demquè cognoſcere ſit antiquã in Ordine Carmelitano traditionem eſſe, quòd Eſſæi, de quibus agit Philo in libro de vita contemplativa, fuerint ex Eſſæorum antiquis converſis ad fidem Chriſtianam.* Hactenùs ex Waſtelio.

(a) Fundam. 3.

Incolentes ſucceſſivè eadem loca, quæ lim. & diſcipuli ejus ſub eadem vitæ ratione, ſunt tiani ſucceſſiones

De talibus jure legitur Eccleſ. officium,

317. Eadem eruditè pertractat & confirmat P. Franciſcus Bonæ Spei in *Carmeli Armamentario Scuto XIII.* cujus titulus eſt: *Omnes Religioſi & Eremitæ, Filij Prophetarum & Eſſeni, Carmelitæ, ſive Fratres D. Virginis de monte Carmelo, & ſancti Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, &c. fuerunt unius ejuſdemq; Filiorum Prophetarum, Eſſenorum, &c. Ordinis Religioſi, donec ſancti Antonius, Pachomius, Baſi-*

lius, Benedictus &c. ſuos dicerent, quos in vita Religioſa inſtruxerant, ita ut dicerentur in populi ſpecialis Ordinis S. Antonij, S. Pachomij, S. Benedicti, &c. reſpectivè diverſi. Indè quædam delibata ſunt in Tomo præcedenti (a). Cui iſta, & hactenus dicta non ſufficiunt, fontem iſtum adeat, & uberiores hauriat latices ſapientiæ pro diſcernendis Elianis ſucceſſoribus & æmulatoribus: de quibus tandem fidenter ſic concludimus; Religioſos, Therapeutas, Monachos, Anachoretas omnes qui eamdem vitæ rationem tenuerunt, ſicut Filij Prophetarum (illis traditam primitùs à S. Elia, & conſequenter à S. Eliſeo) nec non Eſſæi, idque in iiſdem locis ubi iſti habitaverunt, (v. gr. in Carmelo, circa Jordanem, circa Jericho, & in locis vicinis) aut qui ab iſtis directè, & immediatè proceſſerunt (veluti Eſſæi circa Alexandriam, præſertim circa lacum Mariam) conſtanter aſſerimus, iſtos omnes directè ſpectare ad Ordinem Carmelitanum Elianum, tamquàm poſteros & ſucceſſores in iiſdem locis, & ratione vivendi. Et ut tale; Ordo hic ſibi vendicat jure poſſeſſionis, & ſucceſſionis (ſicut omnes in Caſſino hactenùs habitantes, ſine controverſia Benedictini: in Carthuſia Carthuſienſes, & ita de aliis) & exiſtimamus non ſinè injuria nobis eos auferri poſſe, & nos à poſſeſſione exturbari, niſi perſpicuè demonſtretur, iſtos, relicto veteri inſtituto, ad aliud recentius (S. Baſilij, S. Auguſtini, S. Benedicti, &c.) tranſiviſſe. Verùm iſtos omnes non recentius, ſed vetus Inſtitutum tenuiſſe, & eamdem vitæ rationem obſervaſſe, habetur ex dictis Fundamento III. IV. & V.

(a) Num. 1392. & ſeq.

Quia directè ſpectant ad Carmelitanum Ordinem.

318. Tandem (quoniam pro Carmelitanæ hiſtoriæ intelligentia plurimùm intereſt, poſſe diſcernere inter eos, qui propriè, & ſtrictè loquendo fuerunt S. Eliæ nedùm æmulatores, ſed & ſucceſſores, & inter eos, qui tales non fuerunt) pro hactenùs dictorum colophone, ſeu Synopſi addimus ex præfato P. Lezanæ (b) *Maneat ergo, ut firma, inconcuſſaq; veritas, quatuor ſæculorum poſt Chriſtum Monachos, ſeu Anachoretas æmulatores, ſeu imitatores dici debere ſanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei, ac proindè ad eorum propheticum, ſeu Elianum inſtitutum ſpectaſſe, imitatione ſaltem. An etiam ſucceſſione? Ita equidem; ſi de pluribus (non de omnibus) ipſorum ſit ſermo; cùm conſtet ipſos, nedùm Eliæ inſtitutum æmulatos fuiſſe, ſed & in Eliadum bonis, veluti heredes ſubſtitutos fuiſſe, in quo, ut diximus, ratio ſucceſſionis poſita eſt. Etenim ex ipſis multos Carmeli Eliani montis arva incoluiſſe, pro comperto habetur. Hi ſunt inter alios Agabus Propheta, Enochus de Amatim, Baſilides, Hilarion, Eutitius, Baſilius Magnus, Eubolus, Caprafius, Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes, & Cyrillus Alexandrinus, quos in ſequentibus commemorabimus. Deindè plures ex ipſis Iordanis fluenta colebant, eâ præſertim parte, quâ lacus Aſphaltites cernitur, Thecua, Engaddi, Quarentena vel Ierichuntis ſolitudo. Cùm autem hæc loca ab Eſſenis culta fuerint, manifeſtè indè elicitur Eſſenorum poſteros etiam quoad ſucceſſionem in ipſorum poſſeſſionibus dici debere. Idem pari jure aſſeri oportet de illis, qui loca Galgala, Bethel, Iericho, Gabaa, Cariathiarim, Naioth, Maſpha, Ephraim, & Sarepta, incoluiſſe noſcuntur; cùm in his quoque ſuas manſiones habuiſſe Eliam, Eliſeum, aut Filios Prophetarum, ex iis, quæ Tom. 1. ad annum 3154. dicta manent, pro comperto habeatur. Ac ſimiliter de illis, qui Ægypti loca inhabitabant, quæ olim Eſſenorum, ipſorum in Monachatu Ducum, coloniæ fuerant, ut puta lacus Mariæ dictus, & ſimilia.* Hæc ibi Lezana: qui conſequenter eadem confirmat ex eodem veſtium genere, & ex aliis principiis, ac plurimorum auctoritatibus.

(b) Tom. 2. Annal. in Appar. c. 7. n. 15. & 16.

Eliani ſtrictè, & ſucceſſione qui, ulteriùs declaratur:

319. Eadem etiam tradit in *Apparatu ad Tom. 3. Annalium, cap. 3.* ubi iſta ſic modificat: *Non omnes, & ſingulos monaſticæ vitæ profeſſores huic claſsi Elianorum, ſeu Eſſenorum inſtituto accenſemus; ſed eos dumtaxat, quos ſub ſpeciali vexillo alicujus Patriarchæ Religionum, Baſilij nempè, Auguſtini, vel Benedicti non militaſſe comperimus; alioquin propriis parentibus prolem adjudicamus, ſingulis, quæ ſua ſunt ſuo jure remittentes.* Quod præcipue intelligendum de illis, qui poſt S. Baſilium, S. Auguſtinum, & S. Benedictum vixerunt; nam (juxta hactenùs dicta) anteriores omnes Eliani fuerunt, aut *ſucceſſione*, aut *imitatione*. Ibidem Lezana tradit, iſtos omnes, qui *ſucceſſione* Elianæ monaſtices poſteri fuerunt ſtrictè loquendo *Carmelitas* dici poſſe: alios autem qui dumtaxat *imitatione*, non propriè *Carmelitas*, ſed potiùs *Elianı, Eſſeni Ordinis cultores*. Quòd autem priores illi (qui ſcilicet, ſive in Carmelo, ſive in aliis locis, ubi S. Elias, & Filij Prophetarum; ac Eſſeni habitarunt, ſucceſſerunt in eadem vitæ ratione) etiam in rigore ſermonis, & propriiſſimè poſſe dici Carmelitas, alibi (a) confirmat, ex totius Eccleſiæ, & Ordinum omnium uſu. Addit tamen: *Ut tamen quorumdam philautiæ, quâ nihil glorioſum de exteris famulis audire patiuntur, quin potiùs occultâ quâdam animi inflatione ipſas deſpiciunt, temnunt, vilipendunt, utcumque parcamus, eos ſolùm, quos Carmeli habitatores aliquamdiu fuiſſe oſtendere poterimus, Carmelitas vocabimus, reliquos verò ejuſdem Inſtituti ſectatores, Prophetici, ſeu Eliani Ordinis aſſeclas, ſeu profeſſores dumtaxat dicemus.* Ita quoque & nos in ſequentibus.

Tales propriè loquendo Carmelitæ dici poſſunt.

(a) Tom. 2. Annal. in Appar. c. 5. num. 30.

FUN-

FUNDAMENTUM VII.

Regula, ſeu norma vitæ monaſticæ in Carmelo, duobus millibus annorum, & ultra, eadem quæ Eſſenorum, & Monachorum veterum Palæſtinæ in Lauris, & aliis pleriſque locis, nec non in Ægypto circa Alexandriam, & montem Nitriæ.

Vita ratio eadem in Carmelo, quæ inter Monachos veteres Palæſtinæ & Ægypti:

320. IDentitatem Inſtitutorum in Monachis antiquis Palæſtinæ, & Ægypti, nec non Eſſenorum, jam audivimus ex S. Hieronymo, Palladio, Ruffino, Bollando, Henſchenio, & Lezana: eamdem quoque fuiſſe in Carmelo à temporibus SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei, uſque ad ſeculum duodecimum à Chriſto nato perſpexiſſe juvabit; ut indè manifeſtius fiat, Monachos iſtos veteres tàm in Ægypto, quàm in Palæſtina, poſteros fuiſſe, & ſucceſſores, aut ſaltem æmulatores converſationis monaſticæ à S. Elia in Carmelo inchoatæ, & ab ejus poſteris continuatæ. In primis, norma vitæ monaſticæ in Eſſenis contemplativis, & veteribus iſtis Monachis Palæſtinæ in Lauris (de quibus in vita S. Charitonis, S. Euthymij, S. Sabæ, S. Theodoſij) & in Ægypto (apud Nitrienſes, & circùm locum *Mariæ* & alibi) erāt, habitare in cellis ſeparatis, ſicut jam ante audivimus, ſeu in congregationibus, ſive Lauris: ſingulis præerat Superior unus, qui *Pater*, ſeu *Abbas*, (ſubindè *Archimandrita*, aut *Hegumenus*,) vocabatur; apud Eſſenos dicebatur etiam ſubinde *Præfectus*, *Curator*. Religioſi autem, Monachi, & Eremitæ, renuntiatis mundanis, in obſervantia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, Deo ſoli vacabant. Exercitia eorum præcipua in cellis; erant, orare, meditari, contemplari: & etiam certis horis Deo laudes, pſalmos, & cantica concinere: etiam quibuſdam horis operi manuali incumbebant. Silentij autem erānt obſervantiſſimi. Congregationes ſolemnes habebant Dominicis & quibuſdam in locis Sabbatis, & Dominicis. Eſſeni in veteri Lege, & in primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ Sabbatis faciebant collationes ſpirituales, & ſacra myſteria celebrabant.

Qualis ea fuerit.

321. Eadem fuiſſe inſtituta SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei, ac Filiorum Prophetarum pro comperto eſt, tum ex Scriptura ſacra, tum ex aliis authenticis ſcriptis. Scriptura quidem tradit, Filios Prophetarum ſibi ædificaſſe locum ad habitandum in deſerto, ſeu ſilva circa Jordanem: ita *cap. 6. libri 4. Regum*: de quibus ſcribens S. Hieronymus (a) ait eos ibi *ædificaſſe cellulas*. In Carmelo autem ſimiles fuiſſe cellulas, habetur ex dictis *Tomo præcedenti* variis locis, præſertim *parte 1. libro 4. cap. 5. & 6.* & ex Jacobo de Vitriaco mox adducendo. Quòd autem ſoli, ſeu ſolitarij, in cellulis diſtinctis habitarent, nonnè perſpicuè iſta Michææ 7. verba: *Habitantes ſoli, in ſaltu, in medio Carmeli.* Haud opus videtur ullà gloſsà, ubi verba ſunt omninò clara. Iſta autem conſuetudo habitationis ſolitariæ, *in ſaltu, in medio Carmeli*, in cellis ſeparatis, non circumdatis aliquo communi muro, ſeu ſepto, perſeveravit uſque ad annum Chriſti quadringenteſimum duodecimum, circa quem oculatus teſtis (quondam Carmeli incola) Joannes Jeroſolymitanus, *in libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 25.* iſta ſcribit; *In eremo dicti montis* (Carmeli) *præcipuè ad exemplum, & imitationem illius ſancti viri & ſolitarij Eliæ Prophetæ, prædicti Religioſi ſecundùm formam, per Deum Eliæ traditam, in juſtitia Prophetica vitæ monaſticæ, Domino Deo Iſrael devotâ mente jugiter ſervierunt: ubi religioſam vitam ſolitariam ſigillatim in modicis tabernaculis, & ſpeluncis, ac cavernis, atque cellis, continuè, & inceſſanter duxerunt juxta fontem Eliæ, ob ejus ſanctitatem, & loci devotionem, ac majorem ſervandæ vitæ Eremiticæ opportunitatem.* Exindè autem ſic ibidem continuati fuerunt uſque ad tempora Aymerici Patriarchæ Antiocheni, & Alberti Patriarchæ Jeroſolymitani, ſicut teſtatur S. Cyrillus Conſtantinopolitanus, tunc in Carmelo degens. Vide Tomo præcedenti *parte 1 libro 8. cap. 2.* & ibi in Annotationibus (a) Conformiter Jacobus de Vitriaco (qui eodem tempore floruit) iſta de Carmelitis ſcribit: (b) *Ad exemplum, & imitationem ſancti viri, & ſolitarij Eliæ Prophetæ, in monte Carmelo vitam ſolitariam ducebant, in alvearibus modicarum cellularum, tamquàm apes Domini, dulcedinem ſpiritualem mellificantes.* Aymericus Patriarcha prætatus intendebat quidem cellas omnes muro alto circulariter includere: ſed morte præventus non abſoluit: ſed id demùm præſtitit Albertus Patriarcha Jeroſolymitanus, quando ex priore Regulâ, breviorem, & magis determinatam fecit, & monaſterium ab Aymerico inchoatum abſoluit: ſed equidem obſervatum fuit, ut *ſinguli ſingulas haberent cellulas ſeparatas* ſicut in ipſa Regula exprimitur. Videatur Tomo præcedenti. (c)

In Carmelo cellulæ erant ſeparatæ,

(a) Epiſt. ad Ruſtic.

(a) N. 100. 311 & 312.

(b) In Hiſt. Jeroſol. c. 52.

(c) N. 116. & 310 & 312.

322. Singulis locis præerat unus Superior: olim nuncupatus *Pater*, ſeu Syriaco nomine *Abba*: (pro ut latiùs *fundamento ſequenti*) ſub quo in obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis obſervantia degebant. Exercitia eorum erant *die ac nocte in lege Domini meditari, & in orationibus vigilare*, certis horis convenire ad Dei laudes concinendas. Silentium autem illis erat in magna veneratione. Iſta omnia perſpicere licebit in *Tomo præcedenti.* (d) Quòd Sabbatis in Carmelo (eadem eſt ratio de aliis locis tempore veteris Legis) convenire conſueverint, eruunt Doctores ex *capite 4. libri 4. Regum*, exponentes illa verba: *Hodie non ſunt calendæ, nec Sabbatum* ſicut videre licèt in *Tomo præcedenti.* (e) In nova autem Lege temporibus Apoſtolorum adhuc inter illos Filios Prophetarum, Eſſenos &c. conſuetudo illa conveniendi Sabbatis vigebat, ſicut ex Philone

Abba vocabatur Superior:

Oratio, meditatio, Dei laudatio, ſilentium in Carmelo:

(d) N. 116, 118.

(e) N. 196. & 160.

Olim Sabbatis congregabantur.

ſone habetur, & ex Cardinali Baronio *Tomo 1. Annalium, ad annum Chriſti* 64. ubi agens de Eſſenis, & Sabbato ab illis obſervato in primordiis Eccleſiæ, ſcribit: *Quòd ſi & obſervationem diei Sabbati Philo in Eſſenis commendat, haud mirum eſt; cum & Apoſtolos etiam Iudaizaſſe, eorum acta teſtentur.* Et ante Baronium Arnoldus Boſtius libro *de Patronatu B. Virginis cap.* 3. (a) ubi iſta: *Veluti cæteros Iſraelitici generis Chriſtianos ſanctiſſima Dei Matris Mariæ, & Apoſtolorum (quibus Philo convixit) tempore, Iudaicis adhuc Inſtitutionibus, & Legis obſervationibus licenter adhæſiſſe. Non enim lex vetus mala fuit: quemadmodum Idololatria; & ideò neque ſubitò repellenda, ſed debuit cum honore ſepeliri Synagoga; ut tempore ſuo bona fuiſſe palàm oſtenderetur.* Deinceps verò loco Sabbati, congregatio illa habita fuit Dominicis: hinc S. Albertus in Regula Ordinis: *Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractetis: ubi etiam exceſſus, & culpæ Fratrum, ſi quæ in aliquo deprehenſa fuerint, charitate mediâ corrigantur.* Poſtmodùm à tempore quo Ordo inter quatuor Mendicantes recenſitus fuit (propter impedimenta alia eo die occurrentia) in hodiernum uſque tempus alio die (ordinariè feriâ 6.) celebratur iſta congregatio, in qua præſcriptum eſt Prælato, ut ſedens in cathedra prope altare Capituli, vel Oratorij, exponat in modum brevis exhortationis aliquid de Regulâ, vel ſtatutis, aut de re aliâ ad ſpiritualem profectum pertinente. Deindè dicuntur culpæ, ac *de cuſtodia Ordinis*, ſeu de meliori domûs regimine tractatur.

(a) Vide Tomo præced. num. 1569. Pag. 389.

Sed poſtea Dominicis.

323. Ex jam dictis patet, quòd in Carmelo eodem fuerint vitæ religioſæ Monaſticæ norma, & obſervantia quæ inter Eſſenos, & Monachos veteres Palæſtinæ, & Ægypti: Undè etiam concluditur identitas Inſtitutorum, & originis: quòd, inquam, ab eadem ſcaturigine, ex eodem fonte omnes profluxerint: quod adhuc confirmabitur ex dicendis, præſertim *Fundamento IX.*

FUNDAMENTUM VIII.

Carmelitanæ Obſervantiæ veteris, olim in Terra ſancta, & modernæ in Europa, differentia quadruplex, manente Identitate ſubſtantiali Religionis, & convenientiâ in cæteris ſubſtantialibus.

324. INcidet fortè cuipiam cogitatio, quòd eadem non ſit Religio Carmelitana prout olim fuit in Terra ſancta, & viguit in veteri Lege, ac in primis ſeculis poſt Chriſti adventum, & quæ nunc; eò quòd jam in nonnullis aliæ ſint obſervantiæ quàm olim; propterea neceſſarium eſt, annotare hoc loco, in quibus conſiſtat differentia illa, & ulteriùs, declarandum eſt, differentiam illam non officere identitati morali Religionis quoad ſubſtantiam.

325. Differentia prima eſt, quoad nomenclaturam Superiorum, ſeu Rectorum Ordinis; nam olim Superioris nomenclatura erat *Pater*, ſeu Syriacè *Abba*: circa hoc mutatio facta fuit ſub annum Chriſti milleſſimum centeſimum quadrageſimum primum, quandò Aymericus Patriarcha Antiochenus, Apoſtolicæ Sedis Legatus in partibus Orientis, propter multitudinem Europæorum in Carmelo habitantium, ſtatuit, ut relicto nomine Syriaco *Abba*, deinceps Superior Latino, & Europæo nomine diceretur *Prior*, & ut qui in Carmelo ſparſim, & diviſim habitabant, magis cœnobialiter viverent: ita tradunt hiſtorici Carmelitani: ſatis erit audiviſſe hic S. Cyrillum temporibus Aymerici præfati vicinum, imò & coævum: is in libro *de proceſſu, & Regulis Ordinis* ſic ad propoſitum: *Erat antè in diebus illis Patriarcha Antiochenus & in Terra ſancta Apoſtolicæ Sedis Legatus*, & infrà: *ſtatuit enim, quod ex ipſis unus, qui diceretur Prior, deinceps eis ita præeſſet, ut quilibet aliorum obedientiam ei devoveret, ſub cura cujus & regimine, omnes viverent. Quibus licèt anteà ſemper unus ex eis præeſſet, quem Abba linguâ Syrâ, & Patrem Latinâ appellabant &c.* Ita quoque Joannes Palæonydorus *in Faſciculo Tripartito* (a) ubi iſta. *Præcedentes autem noſtri Ordinis Patres, quibus in caſtitate & paupertate obediebant, in veteri Teſtamento Iudæorum, modò, Prophetæ appellati ſunt, & ipſi Filij Prophetarum. In primitiva verò Eccleſia novi Teſtamenti Archiphilaces, id eſt Rectores & Præpoſiti, Monachi & maximè Abbates, id eſt Patres uſque ad prædicti Bertholdi viri doctiſſimi atque ſanctiſſimi tempora ſunt nuncupati.* Rationem, cur anteà Superiores Ordinis nuncuparentur *Abba*, ſubjungit: *Nam, ante eum Abbates noſtri, id eſt Patres, omnes fuerunt Hebræi, vel Græci*: Eadem tradunt cæteri hiſtorici Ordinis. Itaque à tempore præfati Aymerici Patriarchæ, & deinceps obſervatum fuit in hoc Ordine, & *factum, ut more Latinorum Monachorum collegialiter ſimulque degerent, relictoque Græco, Syriacove ſupremæ inter eos dignitatis nomine, impoſterùm Carmelitarum primas, Latino vocabulo (Latina Eccleſiâ ſic diſponente) Prior Generalis appellaretur. Et prorsùs mirabili modo accidit, ut Occidentalibus Monachis, Orientale, & Orientalibus (quales Carmelitæ) Occidentale nomen obtigerit. Benedictina enim Religionis (quæ in Occidente ortum habet) Primates, vocantur Abbates, quod prorsùs Græcum, ſeu Orientale vocabulum eſt.* Ita Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*, (b) Animadvertendum hic peculiariter, externos nonnullos ex ignorantia mutationis iſtius nomenclaturæ hæſitare circa Sanctos nonnullos antiquos Ordinis hujus, eò quòd in illorum Actis legatur Superior nuncupatus *Abba* vel *Abbas*, exiſtimantes non fuiſſe Ordinis hujus, in quo nunc Superiores vocantur *Priores*. Sed id non magis officit identitati Ordinis hujus, quàm identitati Religionis Chriſtianæ, quòd ejus profeſſores olim dicerentur *Fratres*, poſteà *Chriſtiani* nuncupati: aut quod Patres *Prædicatores*

Carmelit. Ordinis olim & modò differentia prima:

Superior olim Abba *nunc* Prior *dicitur.*

(a) Libello 3. cap. 1. in Tomo præced. n. 1029.

(b) Littera B ſub titulo *Bertholdus*.

Error aliquorum circa ſanctos Ordinis Carmelit.

veteres. alicubi dicantur *Iacobini*, & *PP. Minimi* etiam nominentur *Recollecti*.

Differentia 2. 326. Differentia ſecunda normæ religioſæ olim in Carmelo, & quæ nunc viget, habetur ex antedictis, quòd videlicet olim ante tempora Aymerici Antiocheni, & Alberti Jeroſolymitani Patriarcharum, tùm ſub veteri, tùm ſub novâ Lege Carmelicolæ, & ejuſdem Inſtituti Monachi, ſeu Eremitæ paſſim etiam alibi in aliis eremis commorantes, magis ſolitariam, quàm cœnobiticam vitam degebant, habitantes in antris, cavernis, ſeu cellis ab invicem diſtantibus, ſeptò, ſeu muro, non incluſis; ſicut olim Monachi veteres in Ægypto, & in Palæſtina, præſertim in locis nuncupatis Laura (a) Aymericus autem & Albertus judicarunt magis expediens, ut deinceps magis cœnobialiter, in loco ſeu monaſterio circulariter muro alto circumdato ſimul morarentur, ſicut plenius declaratum eſt in *Tomo præcedenti parte 1. libro 8. cap. 2.* & præſertim *in Annotationibus.*

(a) Vide Tom præced. n. 116

Differentia 3. 327. Differentia tertia eſt, quoad locum, & modum refectionis; nam in veteri Lege quandoque gregatim, & conventualiter habitaſſe, & in uno communi loco comediſſe, habetur *ex libro quarto Regum capite 4.* ſub finem: deindè ſucceſſu temporis, aut etiam eodem tempore, in diverſis locis, ſinguli in ſuis cellis ſeorſim, & ſigillatim comederunt, ſicut pro comperto eſt ex ipſa primitiva Regula S. Alberti, in qua iſta: *Ex his quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique … prout unicuique opus fuerit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum: ita tamen, ut, ſicut præmiſſum eſt, in deputatis cellulis ſinguli maneant, & ex his, quæ ſibi diſtributa fuerint, ſingulariter vivant.* Poſteà autem anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo (circa quem Ordo aſſumptus fuit, ut eſſet unus ex quatuor mendicantibus) Innocentii quarti, Summi Pontificis auctoritate ſic mutatum fuit, & Regulæ inſertum: *Ita tamen ut in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint, communiter, aliquam lectionem ſacræ Scripturæ audiendo, &c. ſumatis.* Rationem mutationis iſtius videre licebit in Tomo præcedenti (b) & iſta quidem tria præcipua ſunt diſcrimina normæ religioſæ & monaſticæ in Carmelo, & aliis Terræ ſanctæ locis, ab ea quæ modo eſt:

(b) Num. 363.

Differentia 4. quibus addendum etiàm quartum, quòd olim Ordo magis fuerit Eremiticus quàm Cœnobiticus, & magis addictus ſolitudini, orationi, ac contemplationi: nunc autem è contra: ideo, quod auctoritate Eccleſiæ Ordo aſſumptus ſit inter quatuor Mendicantes, magis eſt cœnobiticus: & quòd olim quandoque ex charitate nonnulli præſtabant, vacando ſaluti animarum, nunc Ordo tenetur, & obligatur, ex fine, & peculiari inſtituto Ordinum Mendicantium.

Carmelitici Ord. pars prima, & eſſentialis ſemper eadem. 328. Manet tamen ſemper prima Carmelitici Inſtituti pars ſita in oratione, meditatione, contemplatione, ſicut declaratur in *Conſtitutionibus ſtrictioris obſervantiæ* à Summis Pontificibus confirmatis, in quibus *parte 1. cap. 14.* ſub initium: *Illud in primis mentibus noſtris altiſſimè imprimatur, orationem eſſe Religioſi animam, quâ deficiente, hanc deficere, & vigente, vigere neceſſe eſt. Quod quidem in ſacro Ordine noſtro adeò verum exiſtit, ut primam & potiſſimam Inſtituti noſtri partem, in Oratione & Contemplatione ſitam eſſe profiteamur.* Id pleniùs explicatur in *Compendioſa Inſtructione de Inſtituto &c. Ordinis Carmelitarum* ſub finem iſtarum Conſtitutionum, ubi iſta: *Prima namque ac primaria noſtri pars Inſtituti eſt, quæ quaſi Religionis Carmeliticæ eſſentialis, perpetuòq; inhærens, traductum ab Elia ſpiritum, in toto corpore conſervat: nec ullo unquam temporum decurſu, Dei gratia adjutrice, extingui patietur. Finis nimirum ille primarius, qui in Orationis ſtudio, continua cum Deo converſatione, atque intima unione, nec non perpetuâ cum interna, tum externa ſui ipſius mortificatione ſitus eſt.* Et infrà: *In quo quidem primario fine, & Ordinis ſpiritu, nihil unquam imminutum, aut mitigatum fuit … Nihil proſrſùs mitigatum unquàm de ſecretiori contemplatione, ſolitudinis amore, operationis aſſiduitate ad evitandas otii tentationes, de orationе ſilentii cultu &c.* Porrò ob mutationes in quatuor præfatis punctis factas, falleretur, qui jam diverſum in ſubſtantia exiſtimaret Ordinem, & non eundem; cùm iſta ſint accidentalia. Ità in quolibet Regno, urbe, navi, legione, grege, homine, ſucceſſivè mutationes fiunt, manente identitate ſubſtantiali, ſeu morali; nam moraliter nunc eadem eſt Urbs Roma, quæ erat ante duo millia annorum: & ita de aliis.

FUNDAMENTUM IX.

Carmeli Religio à prima ſua inſtitutione, ſemper habuit duplices profeſſores, videlicet vitæ anachoreticæ, & cœnobiticæ: & manſiones monaſticas, tam in eremis, quàm in urbibus: eadem vitæ ratio etiam fuit inter Monachos Palæſtinæ, & Ægypti, ac Eſſenos.

329. ARnoldus Boſtius *in Speculo hiſtoriali* (cujus ſummaria inſerta ſunt Tomo præcedenti) (a) *libro 7.* ſub initiū, hoc ſtatuit tamquàm unum ex fundamentis Carmelitanæ hiſtoriæ ſeu clavem quâ reſerare, & introſpicere liceat penetralia ejuſdem: *Imprimis*, inquit, *notandum eſt; quod dictus ſacer Ordo ab ejus initio uſque in præſens, ſub triplici differentia floruerit; nam in tempore veteris Legis ſub alia differentia fuit, quàm in tempore novæ Legis, & in alia poſt recuperationem Terræ ſanctæ, per Godefridum Ducem Bulonienſem: cæterum in quacumque differentia præfatus Ordo cenſeatur extitiſſe, ſemper habuit duplices profeſſores, nempè Anachoreticæ vitæ & cœnobiticæ Religionis.* Eadem tradunt cæteri præſtantiores hiſtorici Ordinis hujus. De triplici iſta differentia tractat

(a) Num. 1131. & ſeq.

Carmeli Ordo in triplici differentia, habuit profeſſores vitæ ſolitariæ & cœnobiticæ.

M Palæo-

Palæonydorus *in Faſciculo Tripartito*; ſub initium *cap.* 2. cujus initium eſt: *Carmelitana Religionis, ſubſtantialiter ejuſdem, ſtatus triplex.*
(a) Num. 943. & ſeq. Videatur Tomo præcedenti (a) Lezana autem totius Carmelitici, & Eliani inſtituti curſum à primo ſuo Inſtitutore Elia uſque in præſens tempus, in octo diverſos ſtatus convenienter diſtribuit ſub initium Tomi primi
(b) Pag 149 & 150. Annalium. (b)

330. Quòd olim Ordo ſemper habuerit manſiones in eremis, & etiam in urbibus profeſſores, videlicet *Anachoretica vita, & Cænobitica Religionis*, de veteri Lege nobis te-
Et manſiones in eremis, ac in villis, & civitatibus. ſtimonium perhibet Scriptura ſacra, quòd SS. Prophetæ Elias, & Eliſeus, atque eorum diſcipuli Filij Prophetarum manſiones, ſeu collegia habuerint, in Carmelo, & circa Jordanem, & in monte Effraim, nec non in civitatibus (ſeu ſuburbiis) Galgala, Bethel; Jericho, & Samaria. Quoad hiſtoricos Ordinis, primus locus debetur Joanni Jeroſolymitano, qui in libro *de Inſtitutione primorum Monachorum* ſcripto an. Chriſti CCCCXII. tradit, quòd *licèt Elias, & Eliſeus, cum cæteris ejuſdem propoſiti Religioſis viris, Filii Prophetarum, manerent, præcipuè in eremis; jubente tamen Deo, propter utilitatem ſui populi; civitates, & villas interdùm frequentabant, miracula in populis operantes, & futura eis prædicentes, vitiaq; hominum caſtigantes, & eos ad Deum revocantes, atque ad ſuam propheticam religionem multos attrahentes. Vndè in ſuburbanis quarumdam civitatum, & villarum terra promiſſionis, maximè autem in Galgala, & in Bethel, & in Hiericho, & in Samaria habuerunt cuneos Filiorum Prophetarum, Virorum religioſorum.* Id ibi conſequenter pleniùs declarat, quomodò juniores ibi inſtruerentur, & majorem adepti perfectionem, ad eremum transferrentur. Videatur *Tomo præce-*
(c) Num. 125. & ſeq. *denti parte 1. libro 3. cap. 7.* (c)

Proxime ſubſequitur S. Cyrillus, qui ſanctitate, & doctrinâ floruit ante, & poſt annum Chriſti MCC. is *in Epiſtola*, ſeu *libro ad Euſebium de proceſſu, & Regula Ordinis* ſcribens de ſtatu Ordinis in perſecutione excitata ſub Homar circa annum Chriſti 639. ait: *Illo itaque tempore quamvis pauci, verumtamen probatiſſimi Monachi noſtræ Religionis, dimiſſis manſionibus quas habebant in urbibus, & villis, hunc Carmeli montem non deſerentes, jugiter in eo, & in quibuſdam aliis eremis Terræ ſanctæ permanſerunt, ſub diſciplina monaſtica vita eremitica, per Eliam Prophetam inſtituta.* Ita eodem Tomo
(d) Nu. 291. *parte 1. libro 8. cap. 1.* (d)

331. Conformiter loquitur Guilielmus de Sanvico, incola, & prior Carmeli circa annum Chriſti MCCLXXX. *in Chronica Ordinis cap. 1.* ſub initium, ubi expreſsè tradit *quòd Religioſi Carmelitæ in Terrâ ſanctâ olim habitare conſueverint tam in urbibus quàm in eremis, & quòd circà annum Chriſti 639. propter moleſtias à Saracenis compulſi fuerint manſiones, quas in urbibus habebant, dimittere; & solùm in monte Carmeli & in quibuſdam aliis Terræ ſanctæ ſolitudinibus reſidere.* Vide *Tomo præcedenti parte 1.*
(e) Num. 409, *libro 9. cap. 1.* (e) Ita quoque Scriptor illuſtris Sibertus de Beka *in Tractatu ſuper Regulam Ordinis Carmelitani*, ubi iſta: *Ab antiquo, ſcilicet à tempore Prophetæ Eliæ, & cæterorum Patrum Legis veteris, licuit profeſſoribus hujus Ordinis habitare extrà montem Carmeli, & in aliis eremis, & in civitatibus, ac villis.* Vide *Tomo præcedenti parte 1. libro 8. cap. 6.* (a) plura in eodem To- (a) Num. 361.
mo videri poterunt ad hoc intentum variis locis (b). Animadvertendum tamen, quòd (b) Nu. 125. & 127. 372. 404.
olim manſiones in urbibus rariores eſſent, frequentiores autem in eremis; ubi non erant per modum monaſterij, ſub clauſura (ſaltem ordinariè) ſicuti hoc tempore: at Congregationes erant cellularum, non aliquô ſeptô, ſeu muro cinctarum: erantque hinc indè ab invicem localiter diſtantes. Congregationes illæ Cellularum ſuccedentibus temporibus nuncupatæ fuerunt *Mandræ*, atque etiam quibuſdam in locis *Lauræ*. Iſta omnia pleniùs tradita videri poterunt in Annalibus Ordinis per Ven. P. Lezanam *Tomo 1, 2. & 3.* variis locis.

332. Habuit itaque Carmeli Religio, in Terra ſancta, in Carmelo, & aliis eremis manſiones varij generis, videlicet aliquas quidem in civitatibus, ſed plures in eremis: & ibi quaſdam, per modum conventûs, alias longè ab invicem ſeparatas: quales etiam fuiſſe in Ægypto, habetur ex Sozomeno, & *In Lauris Palæſtinæ & inter Monachos Ægypti partim anachoretica partim cænobitica vita agebatur.*
Nicephoro: Sozomenus quidem libro 6. hiſtoriæ cap. 31. agens de Monachis, & monaſteriis in Ægypto, præſertim circa montem Nitriæ (Eſſenorum antiquam manſionem circa Alexandriam, ubi etiam eſt ſtagnum *Maria* nuncupatum: vide ſupra Fundamento IV. in fine) iſta, inter cætera, ſcribit: *Non exigua quidem hominum multitudo ibi monaſticam diſciplinam exercebat. Erant namque monaſteria circiter quinquaginta contigua, quorum pars conventus, pars homines ſeparatim ab aliis degentes habebat. Porrò autem cùm iter facias in interiorem ſolitudinem; ibi eſt alius locus, qui à Nitria abeſt ſtadia ferè ſeptuaginta, cui nomen erat Cellia: in eo ſunt cellæ Monachorum permultæ ſparſim poſitæ: quâ de cauſa hoc nomen habuit. Tantùm inter ſe diſtant, ut qui in ipſis habitant, neque videre ſe inter ipſos, neque audire omninò poſſint.* Hæc Sozomenus, eademque paulò fuſius Nicephorus *lib. 11. hiſtoriæ cap. 38.* Ex jam dictis etiam magis ſtabilitur Fundamentum VI. quòd eadem fuerit norma vitæ monaſticæ, olim in Carmelo, & inter Eſſenos, ac veteres Monachos Nitrienſes, & alios Ægyptios, ac Palæſtinæos. Quòd autem olim etiam in veteri Lege, inter Filios Prophetarum eadem omnino fuerit vitæ monaſticæ ratio, perſpicuum eſt, ex præfato libro *de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 22.* ubi iſta: *Quos ad ſuam propheticam religionem tra-*
Ita quoque inter Filios Prophetarum. *here poterant, primò quidem in his conventibus faciebant erudiri, & in diſciplina Prophetica, & in rudimentis religioſa vita monaſtica; ut eos paulatim à converſatione urbium diſtraherent; quos poſtmodùm ad eremos transferebant.*

333. Quòd etiam talis vitæ ratio fuerit in aliis locis Palæſtinæ, præſertim in mona-

ſticis manſionibus, quæ *Lauræ* vocabantur, apparet in vita S. Sabæ, in qua iſta: *Ægrotabat quidem divinus Saluſtius* (Patriarcha Jeroſolymitanus) *& corpore erat malè affectus; ad eum verò conveniunt omnes, qui erant in ſolitudine: ipſe autem communi ſuffragio eorum, qui ſimul convenerant, ſtatuit, ut monaſteriis, quæ erant circa ſanctam civitatem, præeſſent Sabas & Theodoſius, ij, quos præſens vobis oſtendit narratio. Ab illo ergò tempore Theodoſius quidem, iis, qui communiter vivebant: Sabas autem iis, qui cum nemine congrediebantur, & erant omninò ſeparati, præerant.* Erant igitur ibi duplicis generis Monachi (ejuſdem tamen Inſtituti) aliqui cœnobiticam, alij anachoreticam vitam ducentes. Eadem vitæ ratio erat in Ægypti monaſteriis antiquiſſimæ fundationis, quorum meminit Severus Sulpitius (a) *Haud longè*, inquiens, *ab eremo contigua Nilo multa ſunt monaſteria: habitant uno loco plerumque centum.* Et paulo infra: *Ex his ſi qui majorem virtutem mente conceperint, ut agant ſolitariam vitam, ſe ad eremum conferunt.*

(a) Lib. 1. Dialog.

Et Eſſenis.

334. Quòd etiam eadem illa vitæ ratio fuerit inter Eſſenos, ſcribit oculatus teſtis Philo in libro *de vita contemplativa.* Ex quibus omnibus, quaſi manu palpatur, eamdem fuiſſe vitæ rationem, & eadem Inſtituta Filiorum Prophetarum, Eſſenorum, & veterum Monachorum Palæſtinæ & Ægypti: hæc quoque conferantur cum dictis *Fundamento III. & IV. & V. ac VII.* Hinc quoque eruitur (ſimul & ex omnibus antè dictis) iſtam monaſticæ, & anachoreticæ vitæ rationem primùm exercitam à diſcipulis S. Eliæ Filiis Prophetarum, ac deindè ab Eſſenis: & ſic derivatam ad præfatos Monachos Palæſtinæ, & Ægypti, Eſſenorum, & Filiorum Prophetarum ſucceſſores.

Iſtorum igitur omnium fuit eadem vitæ ratio.

FUNDAMENTUM X.

Olim tempore veteris Legis, inter Filios Prophetarum, Rechabitas, Eſſenos, &c. aliqui tria vota monaſtica ſervabant, alij dumtaxat unum, alterumve, aut dumtaxat quaſdam religioſas obſervantias, juxta ſtatum ſuum: veluti nunc Tertiarij Ordinum Religioſorum: qui autem paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſervabant ex voto, veri nominis Religioſi cenſendi ſunt.

335. THomas Waldenſis *in Doctrinali fidei* (b) demonſtrans eamdem fuiſſe Religionem, in veteri, & nova Lege, in Lege naturæ adumbratam, deinde à Prophetis inceptam, & profeſſam, & in Lege gratiæ perfectam, ac continuatam, ac per totum Orbem propagatam; ſimul etiam diverſitatem indicat in ritibus, & obſervantiis, ita ſcribens: *Quidam paupertatem iſtam tenentes, uxoribus utebantur; & quidam uxoribus utentes, & paupertatem tenentes, & degentes ſub obedientia, vino abrenunciabant, & domibus, quod nos omittimus: & cæteri omiſerunt, & cætera talia, quæ nec tunc ſine cauſa fiebant, nec jam ſine cauſa omittimus.* Eâ varietate non obſtante, identitatem Inſtituti ſic conſequenter confirmat: *Sicut ergo variatis ritibus Religionis Chriſti communis per varias mundi ætates eadem non minùs manſit in ſubſtantia: ſic variatis ritibus Religionis peculiaris, Religio eadem manet in ſubſtantia. Sed hoc ergo ſatis eſt, probaſſe ſcilicet à primævo tempore fuiſſe Religionem quandam peculiarem ſegregatam à vulgo, ſicut arctioris profeſſionis, ita longè meritis altioris, laudatam à Deo, probatam à cuncto vulgo, exercitatam à ſanctiſſimis Patribus, profeſſam à Prophetis, continuatam ab Apoſtolis, inſtitutam ab Evangeliſtis: ex cujus fonte demùm rivi Religionis ejuſdem continuabant alluvione ſinceriſſimâ per tres Orbis partes Aſiam, Europam, & Africam, ſanctiſſimis atteſtantibus ſine omni chronographo Doctoribus ſupradictis.*

(b) Tom. 1. lib 3 art. 1. c. 10.

Religioſorum veteris Legis & novæ differentia, manente identitate ſubſtantiali.

336. Iſtud peculiariter illuſtrat Lezana *Tomo 1. Annalium* variis locis: & quidem *in Apparatu cap. 4.* (a) agens de caſtitate Filiorum Prophetarum, eam probat auctoritatibus Patrum, Ignatij, Hieronymi, & aliorum (Hieronymi quidem iſtis ſuprà adductis verbis (b) *Virgo Elias, virgo Eliſeus, virgines multi Filij Prophetarum.*) Et iterum infra: (c) *Etſi enim aliqui ex illis virginitatem, vel caſtitatem, etiam ex aliquali voto, & perpetuam coluiſſent, ut eo loco dictum eſt, non tamen omnes; alij namque uxores ducebant, & carnales filios procreabant. Propterea etenim S. Hieronymus ad Euſtochium dicebat: Virgines multi Filij Prophetarum, quia non omnes tales erant. Ij ergo, qui tria vota ſervabant, ad inſtar Religioſorum cenſendi ſunt, etſi non perfecti, aut tales ſicut in lege Evangelica, propter ibidem dicta. Alij verò qui unum, vel duo tantùm non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, analogicè veluti Religioſi nuncupari poſſent: quia (ut inquit idem Waldenſis) Religioſi dicebantur omnes, quia ſingulariter præ aliis concivibus, vel toto modo, vel alio æquivalenti divino cultui ſe dederunt. Dici etiam poſſent omnes illi ejuſdem Ordinis Prophetici ad modum, quo Tertiarij Ordinum Mendicantium viri, vel fœminæ dicuntur ejuſdem Ordinis cum illa Religione, cujus ſunt Tertiarij, etiamſi tria vota non emittant, nec verè Religioſum ſtatum profiteantur.* Quod dicit Lezana, *eos qui tria vota ſervabant, ad inſtar Religioſorum cenſendos, etſi non perfectos, aut tales, ſicut in lege Evangelica*, ideo ſcribit, *ut denotet, non fuiſſe Monachatum tunc cum ea ſolemnitate, perfectione, & poteſtate clavium, prout in lege gratiæ.* Erat tamen perfectus ſubſtantialiter, conſiſtens in iſtis tribus, Paupertate, Caſtitate, & Obedientia, aliquo voto firmatis, ſicut pleniùs oſtenſum eſt Tomo præcedenti (d) Alia circa jam dicta videri poterunt in *Tomo præcedenti parte 1. libro 4. in Annotatione ad cap. 4.* circa illa *capitis 4. libri 4. Regum* verba: *Mulier quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſeum*, &c. Ejus conju-

(a) Num. 9.

(b) ex Epiſt. ad Euſtoch.

(c) Lezana ad an. mundi 3140. n. 4.

Filij Prophetarum multi virgines, alij qui matrimonio juncti:

Et hi non erant abſolutè Religioſi:

Sed ſecundum quid veluti nunc Tertiarij.

(d) N. 1358. & 1376 ac ſeq & alibi

 gem

gem ſuiſſe Abdiam Prophetam tradunt Joſephus *libro 9. cap. 2.* Theodoretus, Lyranus, Abulenſis, atque alij in iſtum locum *libri 4. Regum.* Et etiam hic infra *ad diem XIX. Novembris*, ubi agetur de S. Abdia, diſcipulo S. Eliæ: qui ſi manſerit cum uxore, non propriè *Religioſus*, ſed quaſi *Religioſus*, veluti nunc ſunt Tertiarij Ordinum Religioſorum.

FUNDAMENTUM XI.

Inter Eſſenos S. Eliæ poſtèros, & æmulatores, etiam fuerunt Virgines ſacræ, idem ſervantes Inſtitutum, præſertim in Lege Euangelicâ.

Eſſenorum Inſtitutum etiam habuit virgines mulieres:

337. ETiam fœminas fuiſſe Inſtituti Eſſeni monaſtici ſectatrices teſtatur Philo in libro *de vitâ contemplativâ*, ubi loquens *de Eſſenis contemplativis*, eos vocat *Therapeutas*, & *Therapeutides*, hoc eſt, *Curatores*, & *Curatrices*, & iterum de illis: *ſeparatis virorum, & mulierum cœtibus, nam mulieres quoque ſimul auſcultant ex more dumtaxat, quæ Inſtitutum idem ſectantur.* Ibidem tradit, eas eſſe *Virgines non coactâ caſtitate, ſed ſponte continentes præ amore ſapientiæ, cujus ſtudio per totam vitam contempſerunt voluptates corporis, nimirùm divinæ non mortalis prolis cupidæ, quàm ſola Deo chara anima ex ſeipſis pariunt, excipientes pro ſemine intelligibiles patris radios.*

Quæ Therapeutæ dicebantur.

Quoad nomina *Therapeutæ* & *Therapeutides*, denotant idem quod *Cultores*, *Curatores*, & *Cultrices*, *Curatrices*, ſive à curandis moribus, & animabus, ſive à colendo Deo, ſicut tradunt Philo ibidem, Euſebius, Nicephorus, & alij tractantes de Eſſenis.

Quòd etiam in veteri Lege viguerit inſtitutum quoddam religioſarum fœminarum ſatis indicat Gilbertus Genebrardus *in Tractatulo de dogmatibus fidei*, cujus initium eſt: *Quintâ ætate pietas, & religio floret, & illuſtratur per innumerabiles Prophetas*, ſub titulo: RELIGIOSORUM VITA, ET VOTA, ET INSTITUTA VARIA: *ubi ſic ſcribit: Filij Prophetarum in Bethel, in Iericho &c. Elias vir piloſus, zonâ pelliceâ accinctus, & Eliſeus hanc vitam illuſtrarunt:* & infrà: *Holda Prophetiſſa, quaſi Abbatiſſa habitans in Mille, id eſt Collegio, vel domo doctrinæ.*

In veteri Lege aliquæ, caſtitatem ſervabant ad tempus.

Verùm licèt ſimul, collegialiter, aliquæ vixerint, quæ tamen caſtitatem perpetuam non ſervarunt (quod ſatis conſtat de Holda, quæ dicitur uxor Sellum) non abſolutè Religioſæ, ſeu Moniales veteris Legis, ſed potiùs quaſi Religioſæ, dici poſſunt: ſicut de quibuſdam Rechabitis, aut Filiis Prophetarum, de quibus jam paulò ante.

338. Probabilè verò omninò eſt, etiam in veteri Lege aliquas virgines, ſeu viduas, collegialiter in caſtitate vixiſſe: ut varij colligunt, ex illis Machabæorum (a) verbis. *Virgines, quæ concluſæ erant, percurrebant ad Oniam.* De quibus S. Ambroſius, (b) ſcribit: *Etiam in templo Ieroſolymis fuiſſe legimus virgines deputatas.* Et Torniellus: (c) *Oportet*, inquit, *in templo extitiſſe locum, ſeu loca quædam, ad perpetuam, vel temporalem quarumdam virginum, mulierumq; Religioſarum habitationem, &c.* Salianus quoque (a) de iſtis ſcribens, ait: *Videntur enim fuiſſe, quantum rudia illa tempora ferebant, quaſi Montales, Domino conſecratæ.* Claudius Spinceus *libro de continentia* iſtis ſic adſtipulatur: *Vt in Anna Phanuelis antè diximus, Hebræorum ritu Deo conſecratæ, ejuſq; cultui miniſtrantes tùm quædam virgines tùm viduæ nuptiis non elocabantur.* Quòd & Petrus Creſpeſius *in Summa Catholicæ fidei* multorum auctoritatibus declarat.

(a) L. 2. c 3

(b) Lib. de Virgin.

(c) ſub an. mundi 4030. n. 14.

(a) To. 3. ad ann. mundi 1909. n. 10.

SS. Virgo Deipara primiceria Virginum.

Animadvertendum autem, illa nullatenùs adverſari teſtimoniis Patrum, quæ Beatiſſimam Virginem Deiparam primiceriam caſtitatis, & virginitatis nuncupant; Dicendum enim; iſtas virgines non niſi ad tempus voviſſe virginitatem; cum Beatiſſ. Virgo ad perpetuam virginitatem, fœminarum prima ſe Deo conſecraverit; vel ipſarum votum ſolùm fuiſſe conditionatum, & imperfectum, quatenùs rudis illa lex patiebatur; Beatiſſimæ autem Virginis omninò, & undequaquè, omnibuſque numeris abſolutum. Plura ad hoc propoſitum dicta ſunt Tomo præcedenti Poſtquàm autem ipſa Regina Virginum, Virginitatis vexillum extulit, mox & aliæ quàm plurimæ ſecutæ ſunt.

Virginum ſacrarum monaſteria in primordiis Eccleſiæ.

339. Quòd autem collegialiter, ſeu recluſæ, in monaſteriis, ab exordio Eccleſiæ extiterint Virgines, in primis conſtat ex Philone jam ante adducto; & confirmatur ex Cardinali Bellarmino *Tomo 1. controverſiarum libro de Monachis cap. 5.* ubi ex Patribus oſtendit, in primitiva Eccleſia viguiſſe Inſtitutum Monaſticum: *Quintò probatur ex Philone Iudæo, qui etiam Dionyſio Areopagita fuit antiquior. Philo igitur, libro de vita contemplativa ſupplicum, prolixè admodùm deſcribit vitam, & mores Monachorum, & Sacrarum Virginum.* Ibidem paulò ſuperiùs hæc habet: *Tertiò probatur ex Cypriano, & Tertulliano, qui etiam antiquiores Dionyſio Papa fuerunt, ſcribit enim Tertullianus librum de velandis Virginibus, & Cyprianus, Tertullianum ſecutus, ſcribit librum ejuſdem argumenti, quem de habitu Virginum inſcripſit.* Uterque autem loquitur de Virginibus religioſis, & per ſolemnem profeſſionem Deo conſecratis. Nam Tertullianus diſtinguit in eo libro inter Virgines mundi, id eſt ſeculares, & Virgines Dei, id eſt Sanctimoniales. Et ſanè tempore Apoſtolorum, ac ſeculis proximè ſequentibus, monaſteria non pauca Virginum fuiſſe, indubitatum quoque eſt ex iis quæ habet Cardinalis Baronius *ad annum 301.* ubi *ex Sanctorum Martyrum Actis fideliſſimis*, ut loquitur, mentionem facit *de Aſceteriis*, ſeu *Monaſteriis*: de quibus ſubjungit: *Errore decepti multi putant, non niſi à temporibus Conſtantini fuiſſe ejuſmodi res, & nomen inventum: nam præter illa, quæ ſuperiùs dicta ſunt, cùm de Eſſenis actum eſt, & quæ de exiſtentibus temporibus Apoſtolorum Collegiis Virginum teſtificatione Ignatij, à nobis etiam paulò ante citati, narravimus, &c.* Ibi conſequenter cùm ex Euſebio de Aſceteriis virorum egiſſet, ſubjungit: *Quod ſi virorum,*

rium; multò magis ſanè ſacrarum Virginum erant, quas timor, facilis lapſus, & Virgineus pudor magis includi debere ſuadent. Sub medium ſeculi ſecundi, Pius Primus hoc edidit Decretum, circa Virginum, ſeu Sanctimonialium conſecrationem: *Virgines non velentur ante viginti quinque annos ætatis, niſi fortè neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis. Et non ſunt conſecrandæ, niſi in Epiphania, & in Albis Paſchæ, & in Apoſtolorum Natalitiis, niſi causâ mortis urgente. Habetur Tom. 1. Conciliorum* inter Decreta Pij Primi.

340. De S. Eudocia, & Charitina, ac monaſterio ſacrarum Virginum in ſolitudine Cœleſyriæ, ſeu Phœnicis, haud longè à Carmelo, ſub finem primi ſeculi, & initium ſecundi quædam dicentur infra ad diem 1. Martij. Seculo tertio etiam fuiſſe plura ſacrarum Virginum monaſteria, habetur ex Actis & Martyrio Sanctorum Indæ, & Domnæ, & multitudinis viginti millium martyrum, in ſæviſſima perſecutione Maximiani Imperatoris. Illa habent Simeon Metaphraſtes, & Aloyſius Lipomanus, ac Surius *ad diem 26. Decembris.* Annotat autem Surius, martyrium illud contigiſſe *anno* 290. In iſtis igitur Actis iſta de monaſteriis Virginum: *Maximianus verò Domnam quoque quærebat . . . & cùm eam non inveniret, furebat communiter in omnia monaſteria. Atque ſacra quidem omnia monaſteria crudeliter diruebantur: Virgines verò turpiter probris afficiebantur. Virgines proh dolor, quas ne maſculorum quidem oculis videri erat unquam tolerandum.* Quomodò autem plæreque fugâ ſibi conſuluerint, refertur ibi conſequenter, & de aliis quomodò Dei protectione præſervatæ fuerint. *Non enim neglexit Deus, qui natus eſt ex virgine, ipſas virgines vel in medio lictorum conſervare, & quomodò fidem, ita etiam continentiam ipſas prodere non permittere. Inter eas autem tamquàm inter claras & lucidas ſtellas, una mirandum in modum reſplendebat inſtar lunæ, & pulchritudine, & genere & virtute aliis præſtans. Ea verò vocabatur Theophila.*

Virginum monaſteria plura ſeculo tertio.

341. Iſtas autem in primis poſt Chriſtum ſeculis fuiſſe ejuſdem Inſtituti cum Eſſenis, habetur ex præfatis Philone, Bellarmino, & Baronio: ex quo etiàm antè audivimus *de Eugenia inter Monachos à Philone Eſſenos dictos, deliteſcente.* Hinc ſequitur, (& eſt ſtabilitum in fundamentis prajactis) illas accenſendas Inſtituto Eliano. Id à Lezana *Tomo 2. Annalium* variis locis confirmatur hac ratione: Quòd in primitiva Eccleſia, ante Religionum multiplicitatem, & diviſionem, unicum dumtaxat in Orbe Monachale Inſtitutum vigeret, à Prophetis inchoatum à Chriſto ſimilitudine vitæ, ac verbis commendatum, & conſummatum, ab Apoſtolis prafticatum, & ab Eſſenis, ac Elianis propagatum. Inter illuſtriores Eliani Carmelitici Inſtituti alumnas ſunt, S. Euphroſyna (cujus vita hic ſequitur ad diem XI. Februarij) S. Euphraſia (de qua ad diem XIII. Martij) S. Eugenia (de qua ad diem XXV. Decembris) S. Syncletica, Sara, & aliæ, de quibus *in Annalibus Carmelitanis,* & etiam de illuſtrioribus nonnullis agetur in ſequentibus.

Virgines ſacræ olim cultrices Eſſeni, Eliani Inſtituti.

FUNDAMENTUM XII.

Religioſi monaſtici ſtatus prima ſcaturigo, & fons, indeſinentis fluxûs uſq; in præſens, magnus Propheta Elias. Hinc de antiquitate, & ſanctitate Religioſi monaſtici ſtatus, mendacia Hæreticorum manifeſtata, & exploſa, ac Dogma Catholicum ſtabilitum.

342. EX hactenùs dictis reſplendet veritas, de antiquitate, & ſanctitate Religioſi monaſtici Status, in veteri Lege inchoati à magno Propheta Elia, & per ejus diſcipulos, & poſteros (ſucceſſu temporis variis nomenclaturis deſignatos, *Filios Prophetarum, Eſſenos, Therapeutas, Monachos,* & aliis) propagati. Eſt autem Religioſus monaſticus Status inſtar fontis, & fluminis in Eccleſia Dei, cui non immeritò applicari poſſunt iſta *Geneſis 2.* verba: *Fons aſcendebat è terrâ irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Et illa: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui indè dividitur in quatuor capita.* Fons & fluvius irrigans univerſam Eccleſiam omnigenæ ſcientiæ & ſanctitatis fluentis, non immeritò dici poteſt Status Religioſus Monaſticus, ſicut judicabit; credo, qui legerit in præcedenti Tomo caput XI. ex Arnoldi Boſtij libro *de Patronatu B. Virginis* (a) Sicut autem cujuſvis fluminis aliquod eſt initium, fons, ſeu ſcaturigo prima: ita quoque myſtici hujus fluminis, Status Religioſi ſcaturigo aliqua, & fons primus exiſtit, quem indagando, eſſe S. Eliam Prophetam, quamvis ex hactenùs dictis multifariè probatum ſit, operæ pretium erit, inſiſtendo metaphoræ fluminis (retrogrado flexu, à præſenti tempore uſque ad S. Eliam procedendo) id ad oculum demonſtrare, ſic ut veritas quaſi manibus palpari poſſit, ad detegenda manifeſtiùs mendacia hæreticorum, nuncupantium Religioſum Monaſticum ſtatum *Novellam vanitatem,* & ad confirmandum Eccleſiæ Catholicæ dogma de ſanctitate, & perfectione iſtius Statûs.

Religioſus Monaſtic. Status inſtar fluvij irrigantis.

(a) Num. 1622. & ſeq.

Cujus fons, & ſcaturigo S. Elias.

343. Seculis quinque poſterioribus fontes particulares, & Inſtitutores, ac Patriarchæ Ordinum Religioſorum intereà exortorum fuerunt, ſuperiori quidem ſæculo S. Ignatius Auctor inclytæ Societatis Jeſu, in ſacro œcumenico Concilio Tridentino, & à Summis Pontificibus approbatæ, & laudatæ. Sub idem ferè tempus S. Philippus Nerius Congregationem inſtituit Oratorij, virorum eruditiſſimorum fœcundam Matrem: & B. Joannes Dei, Ordinem inchoavit Fratrum, qui infirmos curant: & S. Thereſia Mater extitit Carmelitarum Diſcalceatorum, & Diſcalceatarum. Aliquantò antè Ven. P. Matthæus Baſci

Fundatores Ordinum Religioſorum.

Baſci Capuccinorum Ordinem religioſiſſimum, arctiorem paupertatem profitentem auſpicatus fuit. Aliquantò anterior fuit B. Joanna Annuntiatarum Virginum ſub propria Regula Fundatrix: ante duo ſecula S. Franciſcus de Paula Ordinis Minimorum. Seculo anteriori initium habuerunt Ordines S. Brigittæ, ab ipſâ S. Brigitta, Jeſuatorum à S. Joanne Columbino, & aliquot alij ab aliis.

344. Ab hinc annis ferè quingentis mundo illuxerunt quaſi gemini in firmamento, ſidera fulgentiſſima, S. Dominicus, & S. Franciſcus, Auctores, ac Fundatores celeberrimorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, de quibus *& evidens ex eis utilitate Eccleſiæ univerſali proveniente* in Oecumenico Concilio Lugdunenſi. Aliquantò ante S. Joannes Mattha Ordinem erexit Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum. Hos præceſſerunt S. Norbertus Præmonſtratenſis candidi Ordinis Fundator: S. Bernardus Ciſtercienſis à B. Roberto inchoati, magnificus reparator & propagator: S. Bruno Carthuſienſis Ordinis auſpicator. Iſtos omnes prævivit S. Benedictus in Europa longè ante mille annos: & hunc S Auguſtinus in Africa: hunc quoque S. Baſilius in Cappadocia, ab hinc annis mille trecentis, Regularum propriarum ab Eccleſia approbatarum conditores.

345. Sed & ante illos Monachorum exercitus præceſſerunt, præſertim in Ægypto ſub S. Antonio, ac deindè S. Pachomio, in Palæſtina ſub S. Hilarione. Et iſti à nonnullis reputati ſunt primi Monachi, ac Monachorum primi auctores ab hinc annis circiter mille quadringentis. Verumtamen ante iſtos extitiſſe etiam numeroſiſſimos greges Monachorum, evidens eſt ex Eccleſiaſticis hiſtoriis; & quidem tempore Diocletiani & Maximiniani S. Julianus Pater fuit decem millium Monachorum, ſicut ex Actis teſtatiſſimis videre licebit apud PP. Bollandum & Henſchenium *in Actis Sanctorum ad diem IX. Januarij.* Iſtis ſuppar fuit in Palæſtina, ante S. Hilarionem vel natum, S. Chariton cum ſuis, in tribus Lauris, inter Jeroſolymam, & Jericho: S. Sabbas, & Elias, & alij XXXVI. Monachi in monte Sina martyres ſub Diocletiano: & S. Nicon cum 199. aliis Monachis in monte Gani etiam Martyres, & alij alibi. Et quidem omnes iſti ſeculo tertio monaſticem illuſtrarunt. Ante iſtos ſeculo ſecundo plura fuiſſe monaſteria, habetur ex Actis S. Eugeniæ Virginis & Martyris, in quibus mentio eſt variorum monaſteriorum idque circa annum Chriſti 188. Sub idem tempus S. Frontonius cum ſeptuaginta Monachis degebat in deſerto. Et ante iſtos, in primo ſeculo, ſub finem, imperantibus Domitiano, & Nerva, in Phœnicia Libani, ſeu Cœleſyria (haud longè à Carmelo) degebat B. Germanus Pater 70. Monachorum, & 30. Virginum monialium, in monaſterio, ſito in ſolitudine: & ſub initium ſæculi ſecundi ſub Trajano Imperatore S. Eudocia Martyr ibidem ſanctitate claruit in Gynæceo, ſeu monaſterio triginta Virginum ſubjecto regimini præfati B. Germani, ſicut legitur in ejus vita *in Actis Sanctorum* PP. Bollandi, Henſchenij, & Papebrochij *ad diem primam Martij.* Ibi autem *cap.* 9. iſta: *Habebat porrò B. Germanus ſuo regimini ſubjectos in cœnobio Monachos ſeptuaginta; & in aſceterio non longè indè remoto, virgines triginta; inter quas admiſſa B. Eudocia, omni ſtatim virtutum laude præ cunctis excelluit.* Et quidem hæc omnia ex hiſtoriis certiſſimis; ut mirum ſit hæreticos (quoſdam etiam Catholicos) ſic cæcutiiſſe quaſi in luce meridiana, ut monaſticæ profeſſionis antiquitatem intra ætatem SS. præfatorum Pauli, Antonij, & Hilarionis coarctarint.

Monachi plurimi ante S. Antonium.

In primis tribus ſeculis poſt Chriſtum.

346. Et ſic tandem devenimus ad Monachos primitivæ Eccleſiæ, nuncupatos *Eſſenos, Therapeutas*, atque etiam aliis nominibus inſignitos, qui maximè claruerunt in Ægypto circa Alexandriam, ſub S. Marco Evangeliſta, celebrati etiam à Philone Judæo: atque in Palæſtina: & illi S. Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerunt: utrobique ab Apoſtolis Chriſtianæ fidei præceptis imbuti, & eorum deindè in prædicatione Evangelij cooperatores effecti. Quæ omnia præſtantiſſimorum ſcriptorum auctoritate tradita, & ſtabilita ſunt in antecedentibus. Inter eos S. Joannes Baptiſta primatum tenuit; eum enim inter Eſſenos vixiſſe, & eandem vitam duxiſſe, tradunt auctores non incelebres: videatur hic ante *Fundamento* 4. ſed de ipſo mox ſermo redibit, cùm quædam præceſſerint de Chriſto Domino, & Senatu Apoſtolico. Apoſtolos enim *relinquentes omnia*, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ex voto ſectatores fuiſſe, ex ſacris litteris eruunt, & tradunt Patres, ac Doctores: peculiariter S. Hieronymus circa iſta verba: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: In illo ergo [omnia] vide diſcipulorum, & paupertatem, & caſtitatem: & in illo [ſecuti ſumus te] perfectam diſcipulorum obedientiam agnoſce.* Quorum votum Auguſtinus exprimit (a) dicens: *Hoc votum potentiſſimi voverunt.* Et D. Thomas (b) *Non eſt ambigendum, quin Apoſtoli voverint omnia, quæ ad perfectionis ſtatum pertinent, quando Chriſtum, omnibus relictis, ſecuti ſunt.*

Apoſtoli tria Religionis monaſt. vota ſervarunt.

(a) Lib. 19. de civit. Dei c. 4.
(b) 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3 & q. 188. a. 7.

Religioſæ monaſticæ vitæ perfectiſſima cauſa efficiens, exemplaris, finalis, & meritoria Chriſtus Dominus: quem in ea, veluti ſolem, binæ ſtellæ matutinæ, præceſſerunt magnus Propheta Elias, & in virtute, & ſpiritu ejus S. Joannes Baptiſta.

347. CHriſtus Dominus Religioſam monaſticam vitam quàm maximè verbis commendavit, & perfectiſſimè exercuit, atque ita perfecit, & in perfectione continuavit:

Chriſtus Religioſam monaſticam vitam exercuit, & perfecit.

mavit: eſtque ejuſdem cauſa efficiens, exemplaris, finalis, & meritoria: ita ut ab eo tamquàm à ſole, lumen ſuum veluti ſidera, participent Religioſi, Monachi, & eremitæ omnes, tam in nova, quàm in veteri Lege: Ipſum autem tamquàm binæ ſtellæ matutinæ præceſſerunt S. Joannes Baptiſta, & S. Propheta Elias. Imprimis Chriſtus cùm ab anno duodecimo ad trigeſimum vitam egiſſet abſconſam, in Nazareth in domo matris ſuæ, tempus traducens partim orando, & Deum laudando, partim operando, & fabrilem artem exercendo, tandem ſeceſſit in deſertum. Ibi autem: *Quid faciebat Rex Regum & Dominus Dominantium, factus incola in deſerto, humanâ conſolatione privatus, ſqualidâ facie, ab inedia, & jejunio cruciatus* ... *Carebat lectulo, nec pulvinar ſupponebatur Divino capiti humanitùs quieſcenti. Sedile non erat ei; terra verò ſtratum erat; & feſſa membra non operiebatur nocturno tempore pannis. Carebat tugurio, nullas habebat ædiculas, nec aliquo tecto tegebatur ab intemperie aeris.* Ita Simon de Caſſia, ſcientiâ, & ſanctitate venerandus (a). An duriorem vitam in deſerto hactenùs Monachus, eremita, aut anachoreta egit?

Vitam egit abſconſam.

Qualis ejus converſatio in deſerto:

(a) Lib. 4. de geſtis Salvatoris c. 4.

348. Totâ etiam vitâ reliquâ exemplar ſe præbuit ſummum paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, cæterarumque monaſticarum virtutum. Quoad paupertatem, natus in ſtabulo vixit quoque ita inops, ut *non haberet, ubi caput reclinaret*, & tandem nudus mortuus eſt in cruce. An umquàm alicujus tanta paupertas? Obedientiam exercuit erga Matrem, & Joſephum, *ſubditus illis*, ſicut teſtatur ſanctum Euangelium (b) imò *factus eſt obediens uſque ad mortem* (c) Caſtitatis cultor, & amator tantus fuit, ut matrem non niſi virginem habere voluerit. Et quia pro caſtitatis cuſtodia neceſſarium eſt, non neceſſarias frequentes cum mulieribus familiaritates vitare, ipſe (in quem nec peccatum ullum, nec inordinati motus cadere poterant) ſingulariſſimum exhibuit exemplum ad hoc propoſitum, numquàm ſolus cum ſola colloquendo, niſi cum Muliere Samaritana, idque pro ejus ſalute, & converſione, & quidem in loco publico. Attamen expreſsè notat Euangeliſta: *& mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* In quem locum Cornelius à Lapide ſcribit: *Cyprianus & alij reſpondent, inſolitum fuiſſe Chriſto ſeorſim loqui cum muliere, idq́; hoc fine, ut caſtitatis, & honeſtatis omnibus fidelibus, ſed maximè Clericis, ſacerdotibus, prædicatoribus, & Religioſis daret exemplum. Nam rectè ait Sapiens: De veſtimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri* (d). Et (e) *A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur.* Poſtquàm diſcipulos habere cœpit, cum eis vixit in communi, ſicut modò Religioſi: cæteras quoque monaſticas virtutes exercuit, peculiariter orationis, ſolitudinis, ſilentij, frequenter ad montes, deſerta, & ſolitaria loca ſecedens, & ibi quandoque *pernoctans in oratione Dei*, ſicut ex Euangelica atteſtatione edocemur. En jam exemplar abſolutiſſimum Religioſæ monaſticæ converſationis in Chriſto: qui eadem (pauperta-

Tota ejus vita exemplar paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ:

(b) Lucæ 2.

(c) Philip. 2.

Caſtitatis autem exemplum ſingulare præbuit Monachis, & Clericis,

Mulierum familiaritatem vitandæ:

(d) Eccli. 42. v. 13.

(e) Cap. 25. v. 33.

Vixit in communione cum Apoſtolis,

tem, & omnium abdicationem; caſtitatem, obedientiam, ſuæque voluntatis renuntiationem, jugem orationem, ſilentium, & multiloquij vitationem) verbis ſæpè inculcavit.

349. Chriſtum autem præceſſit Joannes Baptiſta *in ſpiritu, & virtute Eliæ*, & conſequenter etiam ipſe Elias. Et quidem S. Joannem Baptiſtam veniſſe *in ſpiritu, & virtute Eliæ*, quodque in ſolitudinis cultu, veſtitus ratione, & victus parcitate imitatus fuerit, & expreſſerit ipſum Eliam, etiam ex Euangelicâ atteſtatione habetur. Joannis vivendi normam *ad inſtar Eliæ* fuiſſe Religioſam, variis in locis oſtenditur Euangelij, in quibus de ejus vita ſolitaria, auſtera, ac pœnitenti, in caſtitate, paupertate, & obedientia agitur. Habitus erat de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos: cibus autem locuſtæ, & mel ſilveſtre. De caſtitate ejus, obedientia, & paupertate, nolo multus eſſe, quia multi ſunt ea de re ſancti Patres, qui ideò exiſtimant, Joannem in ſacro codice, *Angelum* compellatum; quòd Angelorum inſtar, caſtiſſimus, divitiarum aſpernator, atque obſequentiſſimus Dei miniſter eorum cenſeatur, qui faciunt voluntatem ejus. Iſti igitur duo præceſſerunt Chriſtum tamquàm binæ ſtellæ matutinæ ſolem; præceſſerunt, inquam, etiam in ratione Religioſæ monaſticæ ſolitariæ vitæ, ut patet ex dictis; uterque enim vixit in deſertis, ſoli Deo vacans, in paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ obſervantia, in orationis, & internæ cum Deo converſationis exercitiis, quæ perfectiſſimorum Monachorum ſunt. In eadem iſta exercitatione uterque habuit etiam diſcipulos, Elias quidem Eliſeum, & Filios Prophetarum: quibus ſucceſſerunt Eſſeni (vide *Fundamento III. & IV.*) Diſcipulorum autem Joannis frequenter meminit ſacrum Euangelium

Chriſtum in exercitatione monaſtica præceſſerunt S. Ioan. Bapt. & Elias,

Binæ ſtellæ matutinæ ſolem.

350. Sed an in Chriſto, Elia, & Joanne Baptiſta etiam fuerit votum, quod ad eſſentiam ſtatus Religioſi requiritur? Queſtionem iſtam ſolvit Thomas Waldenſis *in Doctrinali fidei* (a) ubi oſtendit, in quo conſiſtat eſſentia Religionis: *Religio Chriſti*, inquit, *perfecta, eſt ſpecialis, & ſtricta regula charitatis, voti ſolemni emiſſione profeſſa, vel æquivalenter.* Quid autem ſit *æquivalenter*, ibidem ſuperiùs ſic declarat: *Quid autem dicitur eſſe illud, quod æquivalet voto? dico quod eſt divinus inſtinctus immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis profeſſor fuit Elias, talis etiam erat Ioannes Baptiſta: qui quamvis non vovebant vocaliter aliquam regulam charitatis, habebant tamen inſtinctum Dei immobilitantem eorum affectus converſos in Deum. Et illa æquivalet voto; quia tota ratio eſt in non mobilitante affectum ex ſe pronum pervertì. Talem etiam inſtinctum habebat Chriſtus; ex ſpeciali illapſu Deitatis unita loco voti, ſicut & claram viſionem loco fidei, & immediatam intuitionem loco ſpei.* Et alibi: *Chriſtus numquam vovit, ſicut neque habuit fidem, neque ſpem, propter imperfectionem inclusam in eis: habuit autem aliquid æquivalens, ſcilicet divinum inſtinctum immobilitantem affectum tendentem in Deum ex ſpeciali illapſu Deitatis, unita*

(a) Tom. 1. l. 3.

Votum eſt de eſſentia Religionis monaſticæ,

Votum an, & qualiter fuerit in Chriſto, Elia, & Ioan. Bap.

loco voti, cujus tota ratio eſt, in non mobilitante affectum. Quoad vota S. Joannis Baptiſtæ, Doctor illuſtris Franciſcus Suarez probat (a) Baptiſtam emiſiſſe tria Religioſa vota. *Quia Patres teſtantur Ioannem Monaſticam vitam egiſſe, atque Monachorum Principem fuiſſe: dicunt, vera Religionis eſſe profeſſorem, quæ in tribus conſiliorum votis conſiſtit. Sed quod de Ioanne aſſerverant, id de Elia Monachatu Patres ſimul affirmantes ergò ſi ex hujuſmodi dictis Patrum ſequitur vera Ioannis in tribus votis Religio, pariter ſequitur in Elia. Minor latiſſimè in Patribus comprobatur. Conſequentia conſpicua eſt: quia æquiparatorum eadem eſt ratio: nec alia aſſignari poteſt cauſa, ob quam potiùs Elias à Patribus celebretur Auctor Monaſticès, quàm anteriores Religioſi Henoch, Samuel, &c. niſi quia illi uxorati verum religioſum ſtatum profeſſi non ſunt: Elias autem caſtam cælibemq; vitam in paupertate, & obedientia gerens, verus extitit Monachorum parens, & primus in exercitio Auctor ſubſtantiæ religioſi ſtatus; cum anteriores accidentia invenerint Religionis.* Ita Michael Muñoz *in Propugnaculo Eliæ* (b) Sed de votis Eliæ latiùs actum Tomo præcedenti (c).

(a) Tom. 2. 3 p q 38. art. 1. diſp. 24. & ſect. 6.

(b) Lib. 2. tit. 2 cap. 2 art. 4.

(c) N 1376 & ſeq.

351. Ex hactenùs dictis, habetur (contra Hereticos) religioſæ monaſticæ vitæ antiquitas, continuata ſucceſſio, & ſanctitas: antiquitas quidem, & ſucceſſio continuata; quippe, Dei juſſu, inchoata, & inſtituta per magnum, & ſanctiſſimum Prophetam Eliam: & indè conſequenter per Filios Prophetarum, Eſſenos, Therapeutas, Aſcetas, & aliis nominibus nuncupatos, tradita, & continuata uſque in præſens. Sanctitas quoque evidenter patet, cùm ea ipſa vita habuerit exercitatores ſanctiſſimos præfatos omnes, & alios penè innumeros, quos ad ſanctitatis culmen evexit: ſed ejus ſanctitas præcipuum habet teſtimonium ab ipſo Sancto Sanctorum Chriſto: qui (ut jam perſpeximus) hanc vitam verbo, & exemplo quàm maximè commendavit, & exercendo ſanctificavit, ac in perfectione conſummavit.

Religioſæ monaſticæ vitæ antiquitas & ſanctitas.

Concluſio, & Reſolutio de methodo in ſequentibus ſervanda.

352. QUemadmodùm ex præmiſſis ritè diſpoſitis, legitimâ ſequelâ infertur concluſio, an non pari ratione in præjactis fundamentis ſolidè ſuperſtruitur, ac in illis firmiter ſtatuitur iſta aſſertio:

Monachi veteres in primis Eccleſiæ ſeculis fuerunt ſancti Prophetæ Eliæ poſteri, & ſucceſſores, aut illius religioſæ, monaſticæ, eremiticæ vitæ æmulatores: atque ita ab Eliana hiſtoria haud ſunt alieni: ſed ejuſdem legitimum ſubjectum; videlicet quidam directè tamquàm hæreditariâ ſucceſſione, ut Pontifices loquuntur, à S. Elia, per filios Prophetarum, Eſſenos, &c. procedentes, alij autem veluti ejuſdem Inſtituti æmulatores, & cultores.

Monachi veteres fuerunt Eliæ poſteri, aut æmulatores:

353. Ut concluſionis iſtius veritas evidentior fiat, aliquantò uberiùs illam propoſitam audiviſſe juvabit. Magnus Propheta Elias, nec non duplicis ſpiritus ejus hæres S. Eliſeus (ſicuti & is qui *in ſpiritu, & virtute Eliæ* venit S. Joannes Baptiſta) veri nominis Eremitæ, & Monachi fuerunt: Eremitarum, & Monachorum Principes, auctoritate Scripturarum, à Patribus nuncupati, utpotè viventes ſoli in ſolitudinibus, egentes, in ſumma paupertate, perpetua caſtitate, ac obedientia perfecta, toti Deo, & divino cultui dediti (vide ſuprà *Fundamento* 1) Eandem vitæ ſolitariæ, religioſæ monaſticæ rationem tenuerunt diſcipuli eorum, nuncupati *Filij Prophetarum*, ac deinde *Rechabitæ, Aſſidæi, Eſſeni, Therapeutæ* &c. & iſti continuati fuerunt uſque ad Chriſti adventum, quorum inſtitutum arripuit, & perfecit S. Joannes Baptiſta *in ſpiritu, & virtute Eliæ*, ſolitariam monaſticam vitam à S. Elia inſtitutam exercens: deindè in prædicatione Evangelicæ veritatis Apoſtolorum fuerunt coadjutores (vide hic ante *Fundamento* 2.) Exindè iſti Eſſeni, Therapeutæ, Aſcetæ viri Religioſi, & aliis nomenclaturis expreſſi, etiam in Ægyptum propagati, ibi, ſicut & in Palæſtina, ac deindè etiam alibi, Monaſticen propagarunt, & continuarunt uſquead tempora S. Antonij, S. Hilarionis, S. Baſilij, S. Auguſtini &c. eandem, unam, ſimilem ubique vitæ rationem à S. Elia inchoatam, & præmonſtratam, & exercitam æmulantes (ſicut ex ante dictis *Fundamento* 3. 4. 5. *& ſequentibus* habetur.) Eadem autem religioſæ ſolitariæ vitæ norma obſervata fuit in Carmelo, & aliis Terræ S. eremis, à temporibus SS. Eliæ, & Eliſei & deinceps, annis plùs quàm bis mille (vide *Fundamento* 8.) Ergo omnes iſti à S. Elia, tamquàm fonte, emanantes, & jugi, indeficienti fluxu procedentes, ad ipſum tamquàm ſcaturiginem, & caput ſunt referendi.

Illud pleniùs declaratur.

354. Ex omnibus iſtis etiam infertur, quòd de iſtis jure meritò tractari poſſit, & debeat, in Eliana Carmelitana hiſtoria. PP. Prædicatores meritiſſimè; Summis Pontificibus, & Cardinalibus probantibus, toto applaudente mundo, S. Roſam ſibi, & conſequenter ſuis hiſtoriis, vendicant; quia ſacri iſtius Ordinis Tertiaria, & ita S. Dominici, & vitæ ab eo inſtitutæ æmulatrix. Lucas Waddingus in *Annalibus*; & Henricus Sedulius *in Seraphica hiſtoria*, jure meritò, & legitimè tractant de S. Ivone Presbytero, S. Eliſabetha vidua, Regis Hungariæ filia, S. Elzeario Comite, atque aliis tamquàm Tertij Ordinis S. Franciſci, & eatenùs S. Franciſci, & Regulæ ejus æmulatoribus, quantùm ſtatus eorum permiſit. Hac ratione ſolemniter S. Franciſcum

Proptereà iſti omnes ad Elianam hiſtoriam ſpectant.

cum de Sales colunt PP. Minimi. Haud minori (an non etiam potiori) jure, & fundamento, iſti veteres Monachi qui aut directâ ſucceſſione Inſtitutorum in iiſdem locis, aut indè derivatis, poſteri fuerunt S. Eliæ Prophetæ, aut ejuſdem æmulatores in Religioſæ monaſticæ ſolitariæ vitæ exercitatione, ab Eliana Carmelitana hiſtoria nequaquàm alieni ſunt, ſed ejuſdem legitimum ſubjectum?

Sanctorum Ord. Carm. vitæ cur hic ſimul prodeant:

355. Cùm autem magnæ ſit utilitatis, Vitas, & Geſta Sanctorum ſcribere; ut poſteris ſint in exemplum ſimilis converſationis (ſicut *in Præfatione* ſub initium hujus partis perſpicere licet) pro uſu, inſtructione, & conſolatione Fratrum noſtrorum, exhibentur hic conſequenter in uno volumine, (ne opus ſit per diverſa vagari, aut etiam fruſtra quærantur, dum alia volumina ubi habentur, ad manum non fuerint) Vitæ, & Acta Sanctorum Ordinis hujus, qui ut tales auctoritate Apoſtolicâ per totum Ordinem coluntur officio canonico, & paucorum aliorum, qui tantùm in particularibus locis cultum habent, ut B. Joanna de Rhegio in civitate Rhegienſi, B. Archangela de Trino Mantuæ: aut qui licèt cultum publicum non habeant, attamen ab immemoriali tempore *Sancti*, aut *Beati* titulo decorati fuerunt; ut Sancta, ſeu Beata Angela Bohema, B. Staniſlaus Bidigoſtia Polonus, B. Franciſcus de Senis, atque alij.

De veteribus ſanctis Eliæ poſteris, aut æmulatoribus qualiter agetur.

356. Quoad veteres Monachos, & Anachoretas, in primis Eccleſiæ ſeculis, ac etiam ſequentibus, qui ubi SS. Prophetæ Elias & Eliſeus, aut Filij Prophetarum manſiones ſuas habuerunt in iiſdem locis habitantes, ſucceſſerunt, & ita quaſi *ſucceſſione* Eliani, aut Eſſeni Inſtituti fuiſſe conſtat (v. gr. circa Carmelum, Jericho, Galgala, & in monaſteriis nuncupatis Lauræ, & nonnullis aliis Terræ ſanctæ locis) & qui ab iſtis ad alia loca fuere propagati (ſicuti illi Eſſeni, qui circùm Alexandriam apud ſtagnum *Mariam*, & Nitriam monaſticen egerunt, procedentes, & traducti ab Eſſenis, ſeu Eſſæis Palæſtinæis) aut quos ſpeciali ratione magni Prophetæ Eliæ æmulatores fuiſſe, elicitur ex illorum vita, ſeu actis (ita S. Antonius dicitur æmulatus fuiſſe S. Eliam, & ad ejus exemplum ſuam vitam compoſuiſſe, ſic & alij) & illi, ſi non ſtrictè *ſucceſſione* poſteri Eliani ſint, ſunt tamen Eliani *imitatione*, juxta modum explicatum Fundamento VI. Quamvis de iſtis tamquàm de Eliana ſobole jure tractari poſſit; cùm tamen illi ſint quaſi innumeri (quo ſenſu Abbas Trithemius, in libro *de Ordine Carmelitano cap.* 12. agens de Sanctis ejuſdem, ſcripſit: *Si quis ſtellas cœli dinumeret, & hujus Ordinis Sanctos dinumerare poterit*: (de cujus aſſerti veritate videri poterit in Tomo præcedenti *a*) cùm, inquam, tam multi ſint, ut ne quidem numerus à quopiam facilè iniri poſſit, iſtorum omnium Vitis, & Actis aliquot implerentur volumina; & tenues vires labori iſti longè impares exiſtunt: nec etiam id neceſſarium; cùm illa apud alios reperiri poſſint, videlicet in Vitis Patrum, apud Metaphraſtem, Surium, & in Actis Sanctorum Bollandi, & Henſchenij &c. atque etiam peculiariter in Annalibus hujus Ordinis ſufficienter tractetur. Hinc de præcipuis dumtaxat compendiosè in hoc opere agetur, declarando, quòd, & quâ ratione tenuerint vetus Elianum, Eſſenum Inſtitutum, quod unicum, indiviſum, in primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis viguit, ac etiam deinceps variis in locis continuatum fuit (ſicut jam ante vidimus.) Et ne ſcriptio ſterilis ſit; aſt fructuoſa, aliquod etiam ſpirituale ferculum, virtutis cujuſpiam excellentis plerumque libabitur.

(a) Parte 2. libro 12. cap. 12 nu. 1325. & 1328.

Objectioni cuidam ſatis-fit.

357. VEteres Scriptores tractantes de Monachis in Palæſtina, & Ægypto degentibus, eos non nuncupant Carmelitas: nec de Monachis Carmelitis, aut culto à Monachis Carmelo apud eos mentio eſt: ergo tunc non erant Carmelitæ.

Quoad priorem iſtius difficultatis partem, Arnoldus Boſtius *in Speculo hiſtoriali* ſic ei ſatisfacit (a) *Iſti utique non incongruè videntur Carmelitæ cenſeri, qui omnes hujus Religionis veri ſectatores tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur ſe humiliter ſequi illam ſanctam & Propheticam inſtitutionem vitæ monaſticæ, quam Propheta Dei Elias ſervavit; & verbo pariter & exemplo diſcipulis ſuis tradidit in eremo montis Carmeli. Eodem etiam modo Cluniacenſes Carthuſienſes, & Ciſtercienſes in diverſis remotis partibus habitantes, dicuntur, & appellantur à locis, in quibus eorum Religio ſumpſit exordium. Quòd autem Hiſtoriographi eos non Carmelitas, ſed ſimpliciter Monachos nominaverint, aut Eremitas, hoc ex eo utique factum eſt, quia tum non erat tanta varietas, & diſtinctio Religioſorum in Dei Eccleſia, nec etiam tam diverſus eorum vivendi modus, ſicut in præſentia eſt, ſed omnes fuiſſe imitatos, præcipuè in fundamentalibus illam Eremiticam vitam, quam Deus per Eliam Prophetam docuit in Carmelo, nullus eſt qui ambigit Chriſtianus.* Plura in hujus rei confirmationem videantur hìc ſuprà *Fundamento VI.* ubi iſti difficultati pleniùs ſatisfactum.

(a) Lib. 4. c. 2.

Carmelitæ qui poſſint vocari.

Cur veteres Scriptores non ſic nuncupaverint.

358. Quantùm ad poſteriorem Objectionis partem, Lezana (b), inter alia, reſpondet: *Cæterùm præterquàm quòd hujuſmodi argumentatio ob debilitatem negativæ auctoritatis, quâ petitur, prorsùs claudicat, plura ad ipſam retundendam ſuppetunt. Et primò: cùm Gregorius Nazianzenus hujus temporis decor in Apologetico dixit: [Eliæ Carmelum animo agitabam] ſeu, ut Bilibaldus reddidit: [Carmelum præferebam;] & cum in Oratione de fovenda paupertate dixit: [Pulchra ſunt ſolitudo, & quies, quod me Elias docet Carmelus;] & cum alter ipſi compar Gregorius, Nyſſenus nempe, in orat. de S. Baptiſmate ſcripſit: [Quæro Eliæ Prophetæ Carmelum,] procul dubiò non propter rupes, ſaxa, arbuſta, plantas, quæ in Carmelo erant ab iis piiſſimis Patribus meditata hæc fuere:* Iſta, & alia plura ibi Lezana. De S. Eliæ diſcipulis, & poſteris

(b) Tom. 3. Annal. ad an. Chr. 444. n. 14. & ſeq.

De Carmelo, & Elia Patres ſcribentes.

in Carmelo vitam ſolitariam agentibus temporibus Apoſtolorum, teſtimonium Joſephi Antiocheni (qui vixit ſub initium ſeculi ſecundi) adductum eſt hìc ſuprà *Fundamento* 2. ubi etiam quædam delibata ſunt ex libro Joannis Jeroſolymitani (qui claruit ante, & poſt annum Chriſti quadringenteſimum) *de Inſtitutione primorum Monachorum*: in quo diffusè tractatur de ſucceſſoribus S. Eliæ in Carmelo.

359. Jam dictis (pro omnimoda ſatisfactione prætactæ difficultatis) addimus, & ulteriùs declaramus, veteres Monachos Palæſtinæ in Lauris, & in Ægypto (à Cardinale Baronio, & aliis nuncupatos *Eſſenos*, eamdem cum Eſſenis vitæ rationem tenentes) fuiſſe Elianos, atque ita etiam Carmelitis accenſendos; quia referri non poſſunt ad Inſtitutum, aliud, aut S. Baſilij, aut S. Auguſtini, aut S. Benedicti; tum quòd plures iſtos præceſſerint? In Palæſtina quidem in tribus Lauris à S. Charitone extructis, & circa mare mortuum ipſe S. Chariton cum ſuis, & alij ante ipſum. (Vide ſupra a) In Ægypto autem circa locum *Mariam*, tempore Philonis, de quibus etiam S. Epiphanius, & Palladius hìc ſuprà (b) nec non in locis vicinis, ubi S. Fronto circa annum Chriſti 170. cum ſuis degebat: tum quòd iſti Monachi Palæſtinæi, & Ægyptij duriorem illum ritum vitæ antiquorum Monachorum obſervaverint: & prætereà iſti omnes partim Anachoreticam (imò magis Anachoreticam) agerent. At S. Baſilius, S. Auguſtinus, S. Benedictus, *duriorem* illorum *antiquorum Monachorum ritum* temperatum, & magis cœnobialem præſcripſerunt. Dicere autem, quòd poſteà ſucceſſu temporis in illis locis Inſtitutum S. Baſilij, aut S. Baſilij, aut S. Auguſtini, aut S. Benedicti invectum fuerit, gratis dicitur; cùm non referatur, quandò, & qualiter id contigerit; atque ita vetus iſtud Elianum Inſtitutum manet in poſſeſſione.

(a) N. 296.
(b) Fund. 4.

360. Prætereà ex vitis SS. Charitonis, Euthymij, Theodoſij, Sabæ, & aliorum, qui in Lauris habitarunt, nec non Ægyptiorum Monachorum, ex Palladio & aliis, propatulum eſt, *duriorem* illum antiquorum *Monachorum ritum* illis in partibus continuatum uſque ad ſeculum quintum, & ſextum à Chriſto nato; atque ita non S. Baſilij, &c. Eamdem, inquam, vitæ ſolitariæ rationem ibi obſervatam, quam Eſſeni ſervarunt, atque etiam ante ipſos Filij Prophetarum, olim in iiſdem locis monaſticè converſantes tenuerunt.

361. Animadvertendum denique, quòd in Annalibus, & hiſtoriis Eccleſiaſticis, ubi agitur de Monachis, paſſim, & frequentiſſimè non exprimatur, cujus in particulari fuerint Ordinis, ſeu Inſtituti, an S. Baſilij, an S. Auguſtini, an S. Benedicti, an veteris Eliani, & Eſſeni. Fuiſſe alicujus in particulari, certum eſt: cujus autem, colligendum eſt ex circumſtantiis locorum, & rationis vivendi: ſicut nos de veteribus Monachis Palæſtinæ, ex identitate locorum, & rationis vivendi, cum Filiis Prophetarum, & Eſſenis. Ita quoque de S. Gregorio Magno, de Ven. Beda, & aliis plurimis in Martyrologiis, Eccleſiaſticis hiſtoriis, & Actis Sanctorum, non exprimitur, quòd fuerint Ordinis S. Benedicti, quos tamen Trithemius, & alij hiſtoriographi Benedictini ſacro ſuo Inſtituto vendicant.

Scrupulus alius amovetur.

362. Quantùm ad ſcrupulum iſtum, quo nonnulli in Carmelitanæ hiſtoriæ lectione cæſpitant, aut offenduntur, quòd Superiores Ordinis Carmelitani nunc dicantur *Priores*: olim autem veterum Monachorum Præpoſitis tribuebatur nomenclatura *Abba*, is remotus eſt per ea quæ dicta ſunt *Fundamento* 8. quibus addimus ea quæ de iſtius nomenclaturæ ratione ſcribit S. Iſidorus Hiſpalenſis (a) *Abba autem Syrum nomen, ſignificat in Latinum Pater: quod Paulus Romanis ſcribens expoſuit, dicens [in quo clamamus Abba Pater] in uno nomine duabus uſus linguis. Dicit enim [Abbà] Syro nomine [patrem,] & rursùs latinè nominat, id eſt [Patrem.]* Hinc S. Eliſeus ſanctum Eliam Superiorem ac magiſtrum ſuum inclamabat: (b) *Pater mi, Pater mi*: poſt cujus raptum ipſe Eliſeus à Filiis Prophetarum in *Patrem* receptus fuit, ſicut declarat Joannes Jeroſolymitanus (c) *Recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum Patrem. Præbuerunt autem ex hoc actu formam ſuis ſucceſſoribus, ut quandò ab eis erit ablatus Pater eorum præcipuus ... omni ſollicitudine unanimiter ſtudeant illum ex eis in Patrem ſuper ſe ponere, qui præcedat cæteros in ſpiritu & virtute Eliæ.* Sic etiam Eſſenorum (à Filiis Prophetarum procedentium ut habetur ex *Fundamento* Archimandritæ, ſeu Præpoſiti *Patrum* titulo vocabantur. Conſtat id ex D. Hieronymi verbis *epiſtola ad Euſtochium* illis verbis: *Completis orationibus, cunctiſque reſidentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit diſputare.* Eſſenorum autem poſterorum Prælatos nuncupatos *Patres & Abbates*, vulgariſſimum tum in vitis Patrum, tum in iis qui de ipſis ſcripſerunt, inquit Lezana (d) Mos ille in Carmelitano Ordine nuncupandi Superiorem, *Patrem*, ſeu Syriacè *Abba*, quàm diu perſtiterit, & quando ejus loco introductum fuerit nomen *Prior*, habetur ex dictis eodem *Fundamento* 8. & ex *Tomo præcedenti*. (e) Animadvertendum tamen, quòd olim in quibuſdam locis Superioribus tributa fuerint quandoque etiam iſta nomina: *Archimandrita*, *Cœnobiarcha*, & etiam *Prior*: ſed ita in locis quibuſdam particularibus: commune enim, & generale nomen Superioris erat *Pater*, ſeu *Abba*.

Abba, & Pater nomenclatura olim Superiorum Ordinis Carmelit.

(a) Lib. 7. origin. cap. 13.
(b) 4. Reg. 2.
(c) Lib. de Inſtit. prim. Monach. cap. 25.
(d) Tom. 1. Annal. in Appar. cap. 4. num. 19.
(e) Parte 1. lib 8 cap 2. num. 300. & 307.

363. Hactenùs dicta in hoc Tractatu Fundamentali, ſeu Fundamentis XII. pleniùs pertractata reperiet lector in *Carmeli Armamentario* R. P. Franciſci Bonæ Spei *in parte priore* continente Scuta XVII. In altera autem, cui titulus eſt: *Pharetra & tela amicorum diſſidentium* cuivis ferè ſcrupulo, dubio, & difficultati uſque in præſens tempus à quopiam motæ circa hiſtoriam Carmelitanam, luci-

luculenter ſatis fit. Præcipua quædam indè delibata ſunt in *Tomo præcedenti, part. 2. Appendice ſecunda.* Cui iſta non ſufficiunt, adire poterit ipſum fontem, undè rivuli iſti derivati ſunt. Sed nunc de iſtis ſatis; Quicumque enim Tractatum hunc,& Fundamenta XII. attentâ mente legerit, & animo paſſionis alicujus,ſeu æmulationis fuligine non tincto perpenderit, an non cenſebit Monachos veteres, in primis poſt Chriſtum ſeculis, fuiſſe magni Prophetæ Eliæ quâdam ratione poſteros, videlicet, aut *ſucceſſione*, aut *imitatione*, modo explicato in *Fundamento* 6. atque ita ad Carmelitanam hiſtoriam quadamtenùs ſpectare? Qui (prædictis omnibus non obſtantibus) id negare voluerit,videat,an non ſit de numero eorum, de quibus Baptiſta Mantuanus, *in Apologia contra eos, qui detrahunt Ordini Carmelitarum*, ubi, inter alia ad hoc propoſitum, iſta: *Nos reſpiciebat Hieronymus, cùm dicebat: Princeps noſter Elias, Dux noſter Eliſeus, duces noſtri Filij Prophetarum. Quid ſi dicerem ipſum Hieronymum, ipſum quoque Baſilium, qui Monachis Orientalibus regulam ſcripſit, fuiſſe de noſtris? Riderent fortè iſti, qui quòd cæci ſunt, & hiſtoriarum penitùs ignari, nos appellant gentem obſcuram: Cæcis omnia videntur obſcura: tamen hæc vera eſſe, auctores idonei prodiderunt*; Hæc Mantuanus. (a)

(a) Vide Tomo præced. n.853.

Quantæ certitudinis cenſenda Fundamenta jam jacta, atque etiam illa, quæ eiſdem ſuperſtruuntur: & Summarium omnium hactenùs dictorum.

364. TAnta eſt in præjactis Fundamentis firmitas credibilitatis, quantam reſpectivè merentur Scriptura ſacra, Pontifices Romani, Patres, & illuſtres Scriptores, undè ſingula deſumpta: aut ſicut merentur concluſiones Theologicæ, Philoſophicæ, & Hiſtoricæ, è ſuis reſpectivè principiis eductæ. FUNDAMENTUM PRIMUM *de vita ſolitaria, eremitica, monaſtica magni Prophetæ Eliæ, S. Eliſei, ac eorundem diſcipulorum Filiorum Prophetarum* ſtabilitur in auctoritatibus Scripturæ ſacræ, Patrum, & illuſtrium Scriptorum. FUNDAMENTUM II. *De ſucceſſione poſteritatis iſtorum uſque ad Chriſti Domini adventum, ac deinceps*, etiam ſolidatum eſt teſtimoniis Scripturarum, & aſſertis Summorum Pontificum.

365. FUNDAMENTUM III. ET IV. *De Eſſenorum antiquitate: quòd fuerint Monachi, poſteri Filiorum Prophetarum, & conſequenter SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei, monaſticiq; propagatores, & continuatores in primis poſt Chriſtum ſeculis*, innituntur auctoritatibus Scriptorum præſtantiſſimorum Philonis & Joſephi Judæorum, Euſebij Cæſarienſis, S. Epiphanij, S. Hieronymi, Genebrardi, Dominici Soto, Cardinalis Baronij, Cornelij à Lapide, Auberti Miræi, Jacobi Bolduci, Bollandi & Henſchenij &c. non quòd ſinguli omnia illa ſimul de Eſſenis tradant: ſed alij iſta, alij alia: & ex omnibus ſimul junctis educitur, tamquàm ex præmiſſis, concluſio.

366. FUNDAMENTUM *de identitate inſtituti Filiorum Prophetarum, Eſſenorum, & Monachorum in primis ſeculis poſt Chriſtum, tum in Palæſtina, tum in Ægypto, & alibi*; atque etiàm alia ſubſequentia, ſimiliter fundatur in ſcriptis Palladij, Caſſiani, & aliorum Auctorum illuſtrium. An non igitur Fundamenta illa & morali certitudine vera, & ſolida omninò cenſenda? & itidem firmæ aſſertiones quæ illis innituntur? videlicet quòd Sancti, de quibus hìc conſequenter agitur, fuerint ſectati Elianū Inſtitutū, aut *ſucceſſione* (qui in iiſdem locis, ubi S. Elias & diſcipuli ejus manſiones habuerunt, ſucceſſerunt, & eandè vitæ religioſæ ſolitariæ monaſticæ normam ſervarunt, quales ſunt plerique in Palæſtina: aut ab iſtis immediatè proceſſerunt & traducti ſunt, eandem vivendi rationem ſervantes, quales ſunt Ægyptij) aut certè *æmulatione*, ſeu *imitatione*.

367. In iſtis igitur omnibus ſimul junctis, tamquàm ſolidis fundamentis, ſuperſtruitur: & ex illis, tamquàm præmiſſis, benè diſpoſitis, legitimè, ut credimus, concluditur, quòd Monachi, Eremitæ, & Anachoretæ, in præfatis locis (Carmelo, circa Jericho, & Jordanem, ac locis vicinis) & etiam alibi degentes, ab iſtis derivati (in Ægypto circa lacum *Mariam*, montem Nitriæ, &c.) eandem vitæ rationem inter ſe ſervantes, qualem etiam habuerant olim Filij Prophetarum, & Eſſeni, omnes fuerint unius, ejuſdemque Inſtituti, primordialiter promanantis à Magno Propheta Elia, à cujus proindè hiſtoria iſti haud quaquàm arcendi ſunt. Itaquè producturi vitas, & Acta Sanctorum Ordinis Carmeli (pro Patre, & Inſtitutore recolentes ipſum S. Eliam) etiam de iſtis Sanctis veteribus Monachis aliquot præcipuis, præſertim qui in iiſdem præfatis locis vixerunt, quædam libabimus, ſuccinctè declarando (remiſſivè ad Fundamenta præjacta) quo jure de illis hìc agatur. Et ſic nunc ſecuri, divino freti auxilio, & Sanctorum iſtorum omnium confiſi ſuffragiis, in rem ingredimur.

IANVARIVS.

DE SANCTIS ALIQVOT

Monaſtici, Eliani, Eſſeni Inſtituti cultoribus, in cœlum evocatis prioribus Januarij diebus.

DIE I. ET V. IANUARII.

368. I*Anuarius quamvis plerumq; ſterilis plantarum materialium, fœcundiſſimus tamen eſt fructuum ſpiritualium, Sanctorum videlicet, peculiariter ex monaſtico germine, & quidem Eliana, Eſſena, & Carmelitana propagine. Imprimis die 1. menſis hujus, S.* EUPHROSYNA *candore virginitatis, virtute abſtinentia, & miraculorum gloriâ clarens, cœleſti paradiſo inſerta eſt: ſed propter ſolemnitates hâc die, & frequentibus occurrentes, feſtum ejus tranſlatum eſt auctoritate Apoſtolica Sedis ad diem XIII. Februarij, quo ſub ritu duplici celebratur in toto Ordine Carmelitano tamquam ejuſdem germen, & ad illum diem dabimus vitam ejus. Eadem dies etiam cœlo dedit S.* BASILIVM, *cognomine Magnum, qui Monaſticen, imò & Eccleſiam univerſam doctrinâ, & ſapientiâ, omnibuſq; virtutibus mirabiliter illuſtravit. Celebritas ejus potiſſimùm recolitur die XIV. Iunij, ſed in Ordine Carmelitano, die ſequenti: ad quem annotabitur, an, & quo jure Eliano Inſtituto accenſendus. Die 5. S.* TELESPHORVS *(ex Anachoretico Eliano Inſtituto, ad ſacroſanctum Pontificatûs ſolium ſublimatus) illuſtri martyrio ſempiternam coronam adeptus eſt. Eccleſia auctoritate per totum Carmeli Ordinem feſto duplici (hinc tranſlato, ratione vigiliæ & feſti ac Octavæ Epiphaniæ) colitur die XXX. Ianuarij: & ibi traduntur, ac illuſtrantur geſta ejus.*

S. Euphroſyna Ord. Carm. obiit 1. Ian.

Colitur 13. Febr.

S. Baſilius etiam deceſſit 1. Ian.

S. Teleſph. Martyrizatus 5. Ian.

Colitur 30. Ian.

369. *Eodem die ad cæleſtis ſponſi virgineum thalamum evolavit S.* SYNCLETICA *ſub Conſtantino Magno, cujus memoria in Martyrologio Romano, ad hunc diem, his commemoratur verbis:* Alexandriæ S. Syncleticæ, cujus res præclarè geſtas S. Athanaſius litterarum monumentis commendavit. *In Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 337. ſic de eâ Lezana:* Item ad hoc tempus referenda clariſſima virgo Syncletices, noſtri Prophetici Inſtituti cultrix, & altrix celeberrima ... S. Athanaſius ejus vitam pro ſanctarum fœminarum exemplo, ſicut & vitam Antonij pro Monachorum inſtructione conſcripſit ... De ea in Luitprandi fragmentis hæc cernuntur: [Videre potui vitam S. Syncleticês virginis, & Abbatiſſæ Ægyptiæ (cujus dies feſtus eſt quinta Januarij) hanc ſcripſit S. Pontifex Athanaſius, ut quemadmodùm Monachi habent Speculum in Antonio, ſacræ virgines eam tamquàm Speculum intuerentur. Dicitur fuiſſe mulierum virginum profeſſionis Propheticæ, & Carmeliticæ Parens.] *De iſto Luitprandi opere Lezana iſta annotat alibi*(a) Quòd licèt quidam de iſtius operis auctoritate dubitent, humanam tamen, ſicut & alias non canonicas hiſtorias, mereri fidem: idque non ſolùm ſuadet, quòd Tamajus in principio aſſerit, ſcilicet quòd ex variorum exemplarium fide recenſita fuerint (quo denotatur non unum, ſed plura ipſorum exemplaria extare) ſed quòd plura, quæ in ipſis continentur, in Dextro, Marco Maximo, Helca, & Juliano Petri, ac in ipſius Luitprandi Chronico, cui prorsùs in ſtylo, varietate, & compendio ſimilia ſunt, comprehendantur. *Quidquid ſit de auctoritate operis iſtius, fundamentum præcipuum iſtam ſanctam Syncleticam adſcribendi Eliano Carmelitano Inſtituto, habetur in Tractatu ſupra poſito* Fundamento X. *& ex auctoritate Hiſtoricorum Ordinis hujus, Arnoldi Boſtij, Palæonydori & aliorum, apud Lezana dicto loco, ubi & iſta:* Supponunt fuiſſe etiam Prioriſſam, ſeu Præfectam monaſterij Monialium S. Sepulchri Jeroſolymitani à D. Helena erecti, poſt Mariam illam primam Præfectam, de qua ſub anno 326 dictum: ſive ad hoc fuerit ab Helena vocata, ſive ipſa caſu aliquo Jeroſolymam advenerit.

S. Synclet. terras liquit 5. Ianuarij:

Eliani Inſtituti cultrix:

(a) Tom. 2. Annal. ad an. Chr. 40. n. 13.

370. *In Menæis Græcorum vita ejus compendium hoc extat:*

Syncletica vitæ ſervitutem deſerens
Convivit electis Dei ſerva in polo.

Hæc illuſtri genere orta, claraque opibus, & in Deum pietate, propter ſplendorem generis copiamque divitiarum à multis in ſponſam & uxorem petebatur: ſed illa toto deſiderio in Deum ferebatur. Undè demùm omnibus mundi curis abdicatis, ſe totam ad religioſas exercitationes ſtudiaque tranſtulit. Hoſtem autem nacta adverſarium, priuſquàm à corporis vinculis ſolveretur, animo jam tum peregrinabatur ad Deum. Sub finem autem vitæ ab generis humani hoſte exagitata eſt. Nam quemadmodùm magnus ille Jobus, cum ingentis corporis morbis conflictata, & verberibus & cicatricibus corpus depaſtum eſt. Deceſſit, cùm annum ageret octogeſimum; quo ipſo tempore nihil unquam de ſolitis exercitationibus præteritæ vitæ remiſit, ſed ex ipſo certamine laborum ad Dominum emigravit. *Vitam ejus præclarè ſcriptam à S. Athanaſio, quam interiiſſe exiſtimabat Cardinalis Baronius, notis illuſtratam habent PP. Bollandus, & Henſchenius ad diem quintam Ianuarij. In ea multa ſacrarum Virginum documenta invenies*

S. Syncletica exemplar ſingulare patientiæ in morbis.

licet,

lector, circa charitatem, temperantiam, caſtitatem, recluſionem, paupertatem voluntariam, humilitatem obedientiam, & alias Monialium Deo ſacrarum virtutes: quas ſicut docuit, ita & exercuit, præſertim patientiam; nam febri hecticâ, tabe in pulmone, gingiva putredine, ingenti fœtore, uſu vocis, & acerbis aliis morbis afflicta, ſanctiſſimè ſpiritum Deo reddidit. In præfata vita, & in Vitis Patrum ſelectiſſimæ ſententiæ, ſeu Apophtegmata ipſius referuntur. Vnum atque alterum hîc delibaſſe ſat erit.

Apophtegmata aliquot S. Syncleticæ;

Dixit ſancta Syncletica: Si in monaſterio cum aliis verſaris, non mutes locum: læderis enim, ſi facias hoc. Etenim ſicut gallina ſi dereliquerit ova ſua fota, ſine pullis ea exire facit: ita Monachus vel virgo frigeſcit & mortificatur in fide, de loco ad locum tranſeundo. . . .

Morbi patienter tolerati animam purgant & probant.

Quamvis concidatur corpus, & febribus validis inflammetur, inſuper etiam intolerabili ſiti affligatur; ſiquidem peccator es qui hæc ſuſtines, recordare futuri ſæculi pœnas, & æternum ignem, & judicialia tormenta: & ita non deficies ad ea quæ in præſenti contingunt, inſuper & gaude, quia viſitavit te Deus. Et illud famoſiſſimum dictum in lingua habeto, id eſt, [Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me.] Si ferrum es, per adhibitum tibi ignem amittes æruginem. Quod ſi juſtus es, & hæc pateris, de magno ad majora promoveris. Aurum es, ſed per ignem probatior eris. *Iſta & alia videri poterunt in Vitis Patrum, & in ipſius vita.* (a)

(a) Apud Bolland. & Henſch ad diem 5. Januarij.

371. *Eâdem die V. Ianuarij) ad cœleſtem gloriã tranſiit* S. SIMEON STYLITA; *de quo hæc leguntur in Annalibus Carmelitanis* (b) Ad hoc etiam tempus, prudenti computu, ex Cedreno in Compendio, Theodoreto, & aliis, refertur mors pretioſiſſima Sancti illius Simeonis Stylitæ. *Et paulò infra traditur*, Hunc eminentiſſimæ ſanctitatis virum Eliani Inſtituti aſſeclam fuiſſe, ſicut & alios ejus ævi Aſcetas, Monachos, Anachoretas, & Eremitas. *Ita Lezana, qui illa latiùs proſequitur, & ibi, ac antecedentibus præcipua ejus geſta deſcribit. Vitam ejus, tamquàm Eliani Inſtituti ſectatoris habet Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali, libro 5. cap. 74. & ſequentibus. Ipſum in monaſterio Elianum Inſtitutum coluiſſe, confirmant quoque dicta ſuperiùs in XII. Fundamentis, præſertim Fundamento VI. Triplicem hujus Sancti vitam, commentario prævio, & notationibus illuſtratam exhibent iidem Bollandus, & Henſchenius, in Actis Sanctorum ad hunc diem: ad quem Romano Martyrol. ejus inſcriptio legitur, his verbis:* Antiochiæ S. Simeonis Monachi, qui in columna ſtans, multos annos vixit, undè & Stylitæ cognomen accepit: cujus vita & converſatio extitit admirabilis.

(b) Ad an. 458. nu. 4.

372. *Vitæ ejus compendium hoc eſt: Puer oves paſcit. In templo ſententiam Evangelicam audiens, convertitur, & monaſterium ingreditur. Iejunat integrâ hebdomadâ. Fune palmeo lumbos cingit. Lacum ſiccum pro domicilio eligit. Deinde annis multis in columna ſtat, expoſitus ardori ſolis, pluvia, nivi, ventorum inſultibus annis 28. quadrageſimam ſine cibo tranſigit: ſtans interdiu, & noctu, per totam quadrageſimam perdurat. Afflicti à Simeone læti redeunt. Ex omnibus orbis partibus ad Simeonem concurritur. Imago ejus Romæ paſſim in officinarum veſtibulis ad præſidium conſtituitur. Barbari in ſe invicem irruunt, ut quiſque Simeonis benedictionem præripere͏t. Curat paralyticum poſt abjurationem impietatis. Prædicit ſterilitatem & peſtem, item bruchi irruptionem, & irruptionem Perſarum ac Scytharum. Regina Perſarum oleum benedictum à Simeone maximi doni loco habet. Regina Iſmaëlitarum filium impetrat. Miraculis aliis plurimis claret. Multas quotidie adorationes Deo offert. In feſtis publicis totâ nocte, dieq; orat. Quotidiana ejus exercitia erant orare meditari, docere, exhortari, lites componere: Gentiles, Iudæos, hæreticos expugnat. Stans moritur. Variæ eduntur curationes ad reliquias ejus, & tumulum.*

373. *Lezana ad annum 379. ubi tractat de ejus pueritia, ingreſſu in monaſterium, & præcipuis aliquot geſtis ejus, iſta ſpecialiter anno at:* Admirabilis ille Simeon, Monachus, Stylita cognominatus à columna, in quà ſtans pluribus annis, toti mundo portentoſiſſimum ſanctitatis prodigium extitit. . . Animadvertat Lector, ne fabuloſa reputet, quæ de hoc Simeone dicuntur; ea nota fuiſſe toti fermè orbi, & Spiritûs ſancti gratiâ ſpecialiſſimâ propoſitum fuiſſe à Deo ſingulariſſimum pœnitentiæ, & mortificationis portentum, ad excitandum torporem hominum, prout Bellarminus contra Magdeburgenſes, & Calvinianos, dixit; vel confundendum imperfectorum Religioſorum mollitiem, qui modicis ſuarum Religionum auſteritatibus difficiles ſe exhibent.

VI. JANUARII.

DE S. PETRO THOMA
PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO, (a)

(a) An. 1366.

ET

S. ANDREA CORSINO
EPISCOPO FESULANO. (b)

(b) Et 1373.

Eximiis ſacræ Virginis Mariæ cultoribus.

374. IOannes *Molanus* in Auctario ad Uſuardi Martyrologium, *ad hunc diem ſcribit*: Octavo Idus Januarii . . . Apud Famaguſtam civitatem Cypri, BEATI PETRI THOMASII, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Doctoris percelebris, Ordinis Carmeli profeſſoris, qui poſt plures de ſacræ Crucis inimicis victorias, poſtque plures conſcriptos libros,

S. Petri Thomæ elogium:

ac patrata miracula, die ac horâ à ſe præſignatis, feliciter obdormivit. Civitate Florentiâ, BEATI ANDREÆ CARMELITÆ, Præſulis Feſulani, odore virtutifero, longè, latèque fulgurante, ſplendeſcentis. *Et infra in annotationibus, de utriuſque vita:* PETRI THOMÆ, ſive THOMASII, vitam ſcripſerunt, Philippus Mazerius Cancellarius Regis Cypri, & Joannes Faventinus, nondùm impreſſi. Andreæ verò CORSINI vita, qui Feſularum fuit propè Florentiam Epiſcopus, doctè & eleganter conſcripta eſt apud Surium. *Vita S. Petri Thomæ,* per Philippum Mazerium, *& S. Andreæ apud Surium, notationibus luculentis illuſtrata extat in Actis Sanctorum per PP. Bollandum & Henſchenium* (a) *In Martyrologio antiquo Ordinis Carmelitani: In Hagiologio, ſeu Martyrologio Ioannis Gillemani,* (b) *& Martyrologiis nonnullis aliis, ferè eadem leguntur.*

(a) Ad 29. & 30. Ianuarij.

(b) Vide Tomo præced n. 1705.

(c) Lib. 1. Rubr. 33.

Inter ipſum, & Deiparâ correlativus affectus:

375. *In Martyrologio Ordinis inſerto Ceremoniali* (c) *ſic ad eundem diem utriuſque vitæ Synopſis traditur:* Die quinta Januarij. Epiphania Domini. In Cypro Inſula Natale S. Petri Thomæ Ordinis Carmelitarum, morum integritate, & vitæ ſanctitate inſignis, ac in declamandis ad Populum concionibus, pro eo quo valebat Angelico ingenio, celeberrimi. Qui poſtquàm habitu ſacræ Religionis fuit indutus, ſeipſum, & ſtudia omnia Virgini Matri dicavit, ab eaque deindè plurimas revelationes ſuſcepit. Hic primùm Epiſcopus Pacenſis,* deinde Archiepiſcopus Cretenſis, noviſſimè Patriarcha Conſtantinopolitanus effectus Alexandriam Legatus profectus eſt. Ac poſt multa conſcripta volumina, ingentiaque virtutum opera patrata; ut eſt illa Bononienſis univerſitas, quæ tali fundatore primario lætiſſimè exultat, Famaguſtæ migravit ad Chriſtum. Ejus corpus in conventu ſuæ Religionis ſepultum, multis claret miraculis, ſicut & claruerat in vita; ſingulariterque à loci illius incolis pro morbo Epidimiæ, & Peſtilentiæ imploratur. *Hæc ibi: immediatè ſequitur.*

* Leg. Patenſis.

Similiter inter eundem, & S. Andream Corſinum.

Florentiæ depoſitio S. Andreæ Epiſcopi Feſulani ejuſdem Ordinis Carmelitarum, Genitricis Dei ardentiſſimi amatoris, cui fuit priùs promiſſus quàm natus, à qua ad cœlum vocatus fuit. Hic, divinâ revelatione cogente, Epiſcopatu ſuſcepto; in pervigili cura animarum, prædicando, hortando, & ſuæ eximiæ ſanctitatis exempla præbendo, totus fuit: & poſt plura conſcripta volumina; propè infinita, eaque eximia ſigna patrata, evolavit ad cœlum. Cujus corpus magna cum veneratione, & Populi devotione ibi integrum, ac ſi nunc migraſſet, aſſervatur, multis miraculis fulgens. *Iſta præfulgida Carmelitani Ordinis ſidera pari ortu, & progreſſu, in Eccleſiæ firmamento claruerunt, & eodem ferè tempore (eodem quidem die VI. Ianuarij ſed non eodem anno: S. Petrus Thomas anno MCCCLXVI. ſanctus Andreas Corſinus anno MCCCLXXIII.) mundo huic occiderunt, & cœlo illuxerunt. Propter ſolemnitatem Epiphaniæ, & Octavæ ejuſdem, atque alia feſta ſubſequentia, auctoritate Sedis Apoſtolicæ tranſlatum eſt utriuſque feſtum; S. Petri Thomæ ad XXIX. Ianuarij. S. Andreæ Corſini ad diem IV. Februarij: & ad iſtos dies eorum Acta ſubſequuntur.*

IX. JANUARII.

Sub Diocletiano.

DE S. IULIANO

PATRE DECEM MILLIUM MONACHORUM,

ET

S. BASILISSA.

MATRE PLURIMARUM SACRARUM VIRGINUM.

Omnes iſti, juxta Cardinalem Baronium & alios (a) *ad ipſum Eliæ,* Eſſenorum inſtituta tenebant.

(a) Vid ſup. Fundam. 3. 4. 5. & 6.

376. V*Enerabilis Beda, S. Ado Epiſcopus Vienenſis in Galliæ; B. Notkerus, Ioannes Molanus, in Martyrologiis ad diem IX. Ianuarij, Menæa Græcorum, ad VIII. Ianuarij, & quædam Martyrologia, ac faſti ad alium diem, celebri memoriâ commemorant iſtos Sanctos. Beda quidem hiſce verbis:* Apud Antiochiam S. Juliani Martyris, & Baſiliſſæ conjugis ejus. Hi itaque ſanctiſſimo voto caſti conjuges, aliquot annis pariter vixerunt, carnem ſuam virginem Chriſto ſervantes, & monaſteria de rebus ſuis inſtituerunt, ut ad decem millia Monachorum Pater B. Julianus fieret; Baſiliſſa verò multarum Virginum Mater: quarum multitudinem cùm jam victricem præmiſiſſet ad Dominum, ipſa converſatione vitæ probatiſſima, inter verba orationis migravit ad Dominum. Julianus verò poſtmodùm à Marciano Præſide, per innumerabilia tormenta & cruciatus, ad ultimum feriri juſſus eſt, cum Antonio Presbytero, & Marcionella, & Celſo puero filio ejus. *Conformiter ſcribunt alij. Eorum acta miraculis plena, ſcripta ab iis, qui interfuerunt, extant apud Metaphraſtem, Lipomanum, Surium, & inſigni commentario, ac notationibus illuſtrata, apud Bollandum & Henſchenium, ad diem IX. Ianuarij.*

S. Iulianus & S. Baſiliſſa conjuges, virgines:

Iulianus poſtea Pater 10000 Monachorum:

S. Baſiliſſa Mater ſacr. Virginum:

377. *Sed quorſum iſti in Carmelitanam referuntur hiſtoriam? Id conſobit lector, ponderatis ſuprà poſitis Fundamentis. Et quidem ſi, ut habet Metaphraſtes, Lipomanus, & Surius, circa Antiochiam Syriæ metropolim (haud ita longè à Carmelo)*

Eliane mod naſtede cul tores.

melo) iſti vitam egerunt monaſticam; ex dictis ſuprà in XII. Fundamentis conſtat, in iſtis partibus & temporibus præcipuè viguiſſe Elianum Monaſticum Inſtitutum: ſi autem fuerit Antiochia Ægypti (ſicut exprimit Rabanus in ſuo Martyrologio) etiam in Ægypto, traductam ex Syria, & Palæſtina monaſticam converſationem ejuſdem Inſtituti ibi viguiſſe, conſtat ex ſuprà poſitis Fundamentis. (a)

(a) Fund 3. 4. 5. & 6.

378. *Sed ut juxta promiſſum noſtrum ſuprà* (b) *utilitatis cujuſpiam hinc carpenda libamen aliquod hic ſit, en paucas aliquot, ſed aureas à S. Iuliano datas inſtitutiones, quibus quilibet ad perfectionem, & ſanctitatem pervenire queat, videlicet:* Si quis primùm elaboraverit, ut ſe ab omnibus actionibus hujus ſeculi faciat alienum, & ſolam vocem Domini audiat, imperantis & dicentis: [Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me:] ita ut nihil amori Chriſti præponat, nihilque aliud deſideret, niſi quod ipſe Dominus promittit...: Qui ante omnia pauperum curam ſollicitè gerit, qui contentus eſt eſurire, ut alij reficiantur.... Qui malum pro malo non reddit, qui iracundiæ tempus non reſervat, qui impatientiam patientiâ ſuperat: & qui non dicitur ſanctus, antequàm ſit; & elaborat, ut ſit. Qui illatas ſibi injurias pro laude deputant, qui ſibi injuriæ tempus non reſervant, qui reconciliant ſe proximo, & proximum ſibi, & ſic offerunt munera Chriſto: denique qui humilitatem obtinent, quæ eſt culmen omnium bonorum. *Ita in Actis S. Iuliani* (c) *quibus addimus paucula verba Auctoris vitæ iſtius.* Peto igitur à vobis qui hæc lecturi eſtis, ut attentis animis audiatis, quàm glorioſum ſit terrena hæc derelinquere, quò per anguſtam ſanctorum hominum viam contendentes, illorum inſtitutionem aſſequi poſſimus... Velim fidem verbis noſtris habeatis, ut id facientes, diſcatis, qualis merces fidelibus hominibus parata ſit: *ſicut videmus contigiſſe* S. *Iuliano, & S. Baſiliſſæ, deſpicientibus terrenas, tranſitorias voluptates, & nunc pro eis ineffabiles æternas delicias obtinentibus,* potatis torrente voluptatis Dei. (a)

(b) N. 355.

Inſtructiones utiliſſimæ à S. Iuliano.

(c) Apud Surium, & Bolland.

Monitum aureum de deſpectu terrenorum.

(a) Pſal. 35.

ANNOTATIO.

Pro jam dictis, & ſequentibus.

379. Præfatos Sanctos, & alios veteres, de quibus in ſequentibus, cultores fuiſſe monaſtici Eliani Inſtituti, ſtabilitum eſt in *Fundamentis XII* præcedentibus: nam in 1. 2. 3. & 12. declaratum, & firmatum eſt, quòd vitæ ſolitariæ Religioſum monaſticum Inſtitutum, in obſervantia paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, ſilentij, ſolitudinis, orationis, contemplationis, &c à S Propheta Elia fuerit inchoatum, & per diſcipulos ejus Filios Prophetarum, ac deindè per Eſſenos continuatâ ſucceſſione conſervatum, ac propagatum. In *Fundamentis* 4. 5. & 6 firmiter ſuperſtructa eſt iſta aſſertio: *Quòd in primis poſt Chriſtum ſeculis, Monachi & Anachoretæ, tàm in Palæſtina, præſertim habitantes in Lauris quàm etiam in Ægypto, eandem habuerint vitæ rationem*, INSTAR ELIÆ ſicut loquitur Cardinalis Baronius (b) videlicet, *ſucceſſione*, aut *imitatione*, vitam monaſticam anachoreticam à S Elia inchoatam ſectantes. Hinc conſectarium eſt, omnes iſtos quâdam ratione, & jure ſpectare ad Elianam Carmelitanam hiſtoriam ſanctoralem, ſaltem *imitatione*, ſicut infra audiemus de S Antonio, ipſum fuiſſe *Eliæ æmulatorem*, & quòd *ex ejus inſtituto exemplum ceperit*: eadem eſt ratio aliorum veterum Monachorum: ſicut auctoritatibus Patrum, & Scriptorum plurimorum declaratum eſt ſuprà *Fundamento VI.*

S. Iulianus, & veteres Monachi ſectatores Elianæ inſtitutionis.

(b) in Annal. an. 340. § 11 quibuſnam.

An. Chr. 529.

XI. JANUARII.

DE S. THEODOSIO COENOBIARCHA IN PALÆSTINA,

In locis ubi olim diſcipuli, & poſteri S. Eliæ, Filij Prophetarum, & Eſſeni habitarunt.

380. IN *Martyrologio Romano ad diem XI. Ianuarij legitur:* In Cappadocia in vicò Magariaſſo ſancti Theodoſij cœnobiarchæ, qui multa pro fide Catholica paſſus, in pace tandem quievit. *Dicitur: in Cappadocia, &c. quia ibi natus: ſed inde profectus in Palæſtinam, ibi vitam ſolitariam, in ſpelunca quadam, egit, ac deindè cœnobiticam in ampliſſimo monaſterio, quod ipſe ædificavit in loco divinitùs ſibi oſtenſo. Cardinalis Baronius ad præfata Martyrologij verba ſubdit:* Spectatiſſimus fuit, non tantùm ob exactam vitæ monaſticæ exercitationem, verùm etiam ob egregios labores, pro fide Catholica adversùs Acephalos hæreticos, exantlatos. Florere cœpit temporibus Leonis Imperatoris, pervenitque uſque ad tempora Juſtiniani, cum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præeſſet Petrus, qui ejus funus curavit. Extant ejus res geſtæ omni acceptatione digniſſimæ, à Metaphraſte ex antiquioribus monumentis deſcriptæ, quas habet Lipom. Tom. 5. & Sur. Tom. 1. *Illas eaſdem cum manuſcripto Græco collatas; commentario prævio, & notationibus illuſtratas exhibent PP. Bollandus, & Henſchenius ad diem XI. Ianuarij, ubi de ſitu monaſterij iſtius S. Theodoſij iſta:* In parte Lauræ, quæ vergit ad Occidentem, conſtituerat monaſterium, quod vitæ communiter degendæ conveniebat, diſtans à Laura (S. Sabæ) trigintaquinque ſtadiis, id eſt ferè ſeſquimilliario Belgico, ſeu quatuor millibus paſſuum. Lauram hoc ferè tempore vocabant Monachorum manſiones, ſeu cellas, quas additis propriis nominibus diſcernebant, ut Lauram S. Euthymij, S. Sabæ, Pharan, &c. Origo ejus videtur repetenda à fluvio Laura, qui regioni vicinæ, quam præterfluit, & monaſteriis in ea ædificatis nomen dedit.

S. Iulianus ſolitariam, monaſticam vitam exercet in Palæſtina:

Monaſterio magnifica,

381. *Iſtas autem monaſticas manſiones, nuncupatas* Lauras, *fuiſſe in locis, in quibus olim etiam morati vitam ſolitariam egerunt SS. Propheta Elias, Eliſeus, Filij Prophetarum, Eſſeni, Therapeutæ,*

Illis in locis habitavit, ubi olim diſcipuli S. Eliæ:

tradunt

ſub eadem vitæ ratione;

tradunt iidem Patres Agiographi, & Auctores alij adducti hic ſuprà Fundamento IV. Ex dictis ibidem, & in Fundamentis ſequentibus etiam habetur, quòd iſtorum Monachorum, ſi Lauræ iſtis, nec non Ægyptiorum, idem fuerit Inſtitutum, continuatum ſaltem uſque ad ſeculum à Chriſto nato quartum, & quintum. Et hinc infertur, ipſum, & alios iſtorum locorum Monachos, Elianum, Eſſenum Inſtitutum (de quo peculiariter actum eſt Fundamento III. IV. V. & VI.) tenuiſſe. Plura ad hoc propoſitum videri etiam poterunt hîc infrà ad diem XX. Ianuarij, ubi de S. Euthymio, & ad diem IV. Decembris, ubi de S. Saba: cum quo ipſi S. Theodoſio magna interceſſit familiaritas, ſicut in vita S. Sabæ legitur his verbis: Erant enim magno inter ſe amore conjuncti divinus Sabas, & hic B. Theodoſius: & uterque alterius voluntatem præferebat voluntati ſuæ, imò verò voluntatem alterius putabat eſſe ſuam; cùm Chriſti amor eos ſic conjunxiſſet, & ut idem ſentirent, eis perſuaſiſſet. *Paulò poſt ſequitur:* Ad eum (*Saluſtium Patriarcham Hieroſolymitanum*) conveniunt omnes, qui erant in ſolitudine: ipſe autem communi ſuffragio eorum qui ſimul convenerant, ſtatuit, ut monaſteriis, quæ erant circa ſanctam civitatem, præeſſent Sabas & Theodoſius, ij, quos præſens vobis oſtendit narratio. Ab illo ergo tempore Theodoſius quidem iis, qui communiter vivebant: Sabas autem iis, qui cum nemine congrediebantur & erant omninò ſeparati, præerant. *Quòd olim in Palæſtina in Carmelitano Ordine duplicis generis fuerint exercitatores, videlicet anachoretica, & cœnobitica vita, habetur ex dictis Fundamento IX.*

ſcilicet à S. Elia derivatū:

Familiaritas ejus magna cum S. Saba:

Qui Anachoretis præerat, Theodoſius autem Cœnobitis.

382. *Sed ut (quod potiſſimè in hoc opere de* Sanctis *nobis propoſitum eſt) aliquid ſpiritualis alimonia exhibeamus ex vita S. Theodoſij, en bina fercula virtutum, quibus, inter ceteras, ſingulariter ſuis, & nobis legentibus præfulſit, videlicet Amoris Dei, & Abſtinentia diſtricta, ſed diſcreta ad finem vitæ.* Precipuè autem captus amore divinæ dilectionis. Ejus enim ſuavi jaculo ſic erat illius ſauciata anima, & ita ejus inſolubilibus adſtringebatur vinculis, ut excelſum illud & divinum præceptum, [Diligēs Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua] re ipsà ab eo impleretur: quod quidem, non aliter fieri potuerit, niſi omnes naturales animæ facultates ad nihil aliud, quod adſit, contendant, niſi ad ſolum Creatoris deſiderium. Has, inquam, intelligentes animæ operationes, ut muſicæ peritus, pius Theodoſius concinnè & numeroſè movens ad ea, quæ oportet, & quandò, & quantùm oportet, & ut par eſt, unamquamque conjungens, omnium harmoniarum numeroſiſſimam & jucundiſſimam effecit ſuæ vitæ temperaturam; unum ſolum ſcopum ſibi proponens, ut ex Deo à ſe omnia fierent, & nihil ab eo diſſentiret, & diſcreparet. Quis ventri ita imperavit, aut eum abſtinentiæ legibus habuit magis obedientem? Qui eo utebatur non ſecùs ac ancillâ, cibum ſumente, quando ipſe juberet; ſumente, inquam, cibum, non quantum ipſe vellet, ſed quantum ſufficeret ad continendum vinculum naturalis conjunctionis... Atque corporis quidem in juventute ad libidines incitationem ſic pulchrè effecit conquieſcere. Hanc autem abſtinentiæ legem non ſtatuit ſimul abiicere cum flore juventutis, neque eam repulit tamquàm adhuc inutilem & minimè neceſſariam, ſed conſervavit uſque ad profundiſſimam ſenectutem, augens, & non remittens: & non ſecùs ac quemdam ſocium navigationis, qui unà navigavit in hyeme & tempeſtate, multorumque laborum & ærumnarum fuit particeps, cum jam fuerit in portu, erubeſcens amandare. *Ita in vita ejus.*

Amoris Dei, intentionis perſſ. & diſtricta ac diſcreta abſtinentia exemplum in S. Iuliano.

383. *Ad eundem diem in Martyrologio Romano ibi ſubſequitur:* In Thebaide ſancti Palæmonis Abbatis, magiſtri S. Pachomij. *Annotat ibi Baronius:* Hujus res geſtæ habentur intextæ in vita S. Pachomij: *de quo agetur hîc infra ad diem XIV. Maij, & ibi occaſionaliter de S. Palæmone.*

S. Palæmon

XII. JANUARII.

An. 416. obyt.

DE IOANNE HIEROSOLYMITANO EPISCOPO XLIV.

Ex Carmeli incola, & Patre Religioſorum inibi, aſſumpto.

384. IN *percelebri Opere* Acta Sanctorum *ad diem XII. Ianuarij, PP. Bollandus, & Henſchenius iſtis eum commemorant verbis:* (a) S. Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, memoratur hoc die à Molano in addit. ad Uſuard. à Galeſinio, (qui addit: cujus res divinæ leguntur) Ferrario & aliis. Accepimus inſtituti Eliani virum perquàm eruditum commentarium meditari quo Joannis II. Epiſcopi Hieroſolymitani 44. ſanctitatem & publicam venerationem aſſerat. Ante eum fuit Joannes, ſeptimus ejus Sedis, qui ultimis Trajani vixit temporibus. *Ita iſti. Verba Molani ad eundem diem ſunt:* Pridie Idus Januarij: *& infra:* S. Joannis, Epiſcopi Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, Ordinis Carmeli profeſſoris. (a) *Ita ille, Eccleſiaſticæ antiquitatis eximius illuſtrator, ſicut teſtatur Cardinalis Baronius* (b): Equidem, *inquit,* tanti viri, de Eccleſia Dei, & veritate Catholica optimè meriti, nec brevem ſchedulam deperire æquanimiter patior; *ideo, & quia in Carmelitana hiſtoria peculiariter verſatus, Sanctos plures hujus Ordinis ſuo inſerit Martyrologio, ſeu Auctario iſti ad Uſuardum, undè plura adducuntur in hoc opere.*

(a) Tom. 1. pag. 719. impreſ. Antuerp. an. 1643.

Martyrologia de Ioan. Hieroſol.

(a) Molan. ad Uſuardi Martyrol. impreſ. Antu. an. 1583.

(b) In Præl. ad Martyrol. Rom. c. 9.

Ioan. Molani inſigne elogium.

385. *S. Cyrillus (cujus vita ſequitur hîc infra ad diem VI Martij) tractans* de proceſſu, & Regulis Ordinis Carmelitani, *iſta inter cætera, de præfato Ioanne ſcribit:* (c) Fuit autem tempore Archadij & Honorij Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religioſorum, quidam vir miræ virtutis, & perfectionis,

(c) Vide Tomo præced. n. 289.

S. Cyrilli teſtimonium

nis, Joannes nomine... Qui tandem propter ejus ſanctitatem in Pontificem Jeroſolymitanæ Eccleſiæ ſublimatus, Apoſtolo Jacobo in Epiſcopatu ejuſdem Eccleſiæ quadrageſimus quartus ſucceſſit. *Nuncupatur* Pater *(id eſt Superior) ita enim (Syriacè* Abba*) olim vocari ſolitos Superiores, ſeu Rectores in Carmelitano Ordine, habetur ex dictu hic ſuprà Fundamento* 8. *Tomo præcedenti, frequens fuit Ioannis hujus mentio: ſatis erit, hic præcipua loca annotaſſe ad marginem* (a). *Plura de illo, & ſcriptis ejus videri poterunt in tribus libris* Vindiciarum *P. Petri Waſtelij apud Lezana Tomo* 2. & 3. Annalium Carmelitarum *(inſpiciantur indices) nec non in libro* de Viſione Eliæ, *& binis Tractatibus illis annexis, per P. Franciſcum Bonæ Spei. Plenior tractatio de ipſo, & ſcriptis ejus viſa eſt reponenda ſub finem Quartæ partis hujus Speculi Carmelitani. De tranſlatione Reliquiarum S. Stephani per iſtum Ioannem factâ agitur* ad diem 3. Auguſti. *In inventionis, ſeu tranſlationis iſtius hiſtoria à S. Gamaliele, & S. Luciano vocatur identidem* Sanctus: *quo titulo etiam decoratus fuit à S. Zoſimo Romano Pontifice, S. Auguſtino, & alijs referendis infrà* (b). *Ab alijs autem* beatus, divinus, admirabilis, inſignis, *nuncupatur.* (c)

(a) Num. 2. & ſeq. & n. 289. 290. 591. 860. 876. 994 & ſeq.

(b) ſub finem huius 4. partis.
(c) Ibidem referentur.

XIV. JANUARII.

DE SS. XXXVIII. MONACHIS MARTYRIB. IN MONTE SINA, ET ALIIS PLVRIMIS, IN LOCIS VICINIS,

SVB DIOCLET. & SECVLO V.

Vbi olim moratus fuit S. Propheta Elias, & templum ei dicatum, ac monaſterium.

Sinaitæ Monachi martyres:

386. IN *Martyrologio Romano ad diem XIV. Ianuarij iſti celebrantur his verbis:* In monte Sina Sanctorum triginta octo Monachorum à Saracenis ob Chriſti fidem interfectorum. *Et in Menologio Henrici Caniſij:* Certamen ſanctorum Patrum in Sina interfectorum à Saracenis temporibus Diocletiani, & Petri Alexandrini: fuère autem interfecti XXXVIII. ex quibus Heſaias & Sabas &c. *Ferè eadem habent Molanus, & Menologium Græcorum. Plura de iſtis videri poterunt apud PP. Bollandum, & Henſchenium in Actis Sanctorum, ad eandem diem, ad quem etiam tractant* DE SS. MONACHIS MARTYRIBUS THEODULO PRESBYTERO, PAULO, JOANNE, PROCLO, HYPATIO, ISAAC, MACARIO, MARCO, BENIAMIN, ELIA, ET ALIIS, JUXTA SINA MONTEM IN ARABIA. *De quibus paulò infrà:* Horum certamen S. Nilus Monachus deſcripſit, à ſe oculis ſpectatum, ſcilicet in Hiſtoria cædis SS. Patrum in Sina: *in qua de Inſtituto vitæ illorum iſta, inter cætera:*

diſtrictâ eorum monaſtica vita vacans,

Qui autem vitam ſolitariam exercent & quietam, cùm pauca quædam loca elegerint ſolitudinis, ubi poſſint neceſſitatem corporis utcumque recreare aquæ abundantiâ, alij quidem fixis tuguriis, alij vero abſconſi in antris & ſpeluncis, ſic vivunt virtutem perſequentes. Et pauci quidem norunt alimentum ex frumento, nempè qui ſterilem ſolitudinem poſſunt cogere ſtudio & diligentiâ, ut producat frumentum: qui parvo quodam ligone parùm terræ, ejuſque malæ operantur, & quantum cogit uſus ad vivendum cum egeſtate. Multi autem veſcuntur crudis oleribus & baccis... Propterea alij quidem cibum capiunt die Dominico, totos ſeptem dies jejuni permanentes: alij verò tempus dimidiant, bis in hebdomada alimenta recreantes: alij verò poſt unam diem. Et hi quidem omnes per hoc ſtudium abſtinentiæ oſtendunt, ſe id diligere, quod nullius indiget, & propemodùm ſe contendere cum vitâ Angelorum...

quod victum?

In ſilentio & disjunctis cellis:

387. Faciunt autem ſuas habitationes non ſibi invicem propinquas, ſed ſatis procul diſtantes; ut qui viginti & eo ampliùs ſtadia abſint alius ab alio: non propter odium (quomodò enim, qui ſic inter ſe affecti ſunt, ut dictum eſt?) ſed in magna quiete & ſilentio volentes mores inſtituere ac formare ad id, quod Deo placet, & ſtudentes cum Deo indiviſam habere conſuetudinem... Divinis itaque communicant Sacramentis, & ſe invicem excipiunt convivio exercitationis eorum, quæ convenit, eloquiorum & ſe invicem inſtruunt adhortationibus, quæ ad mores pertinent... Ideo imperitos, & qui ad luctam nunc primùm accedunt, pulchrè inſtituentes qui ad certamen rectè ſunt inſtituti, per abſtinentiam quidem fortiter conſulunt reſiſtere vitio gulæ. Nam qui ciborum ſe dedit voluptati, facilè proſternitur, ab eo, quod eſt ſub ventre, vitio, eo quod à minore vincatur, majorem caſum pollicens. Et hæc quidem, ut diximus, ſuadent iis; qui ſunt adhuc recentiores, ij qui jam ſunt provecti, & longo tempore & exercitatione conſecuti ſunt ſatis magnam earum rerum experientiam... Et ideo animo cogitantes cives illius ſolitudinis, Moyſen, inquam, & Eliam, magno ſtudio contendunt exercere... Porrò autem inclytus quoque Elias huc venit fugiens Jezabel: & cùm in hac terra dormiiſſet, experrectus invenit panem ſubcinericium, & vas aquæ. Hanc ille habitavit ſpeluncam, melote corpus indutus, antiquo ſuorum majorum indumento: & hic vidit Deum in aura tenui, vocem audivit denuntiantem ea quæ viſa fuerant.

Gula deditus facilè proſternitur.

Sinaitæ Monachis exemplum S. Eliæ propoſitum habent:

388. *Eodem etiam die in iiſdem Actis agitur:* DE SANCTIS XLIII. MARTYRIBUS MONACHIS COENOBII RAITHU IN ARABIA. *Variis locis, & temporibus alios multos Monachos in pri-*

Monachi alij plures martyres:

mis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis in Chriſti confeſſione glorioſè triumphaſſe, conſtat ex iſtis Cardinalis Baronij in Annotationibus ad Martyrologium Romanum ad diem 19. Octobris, ad illa: In Ægypto S. Vari &c. Complures Monachos ſub Maximiano martyrio coronatos eſſe, non tantùm ex Martyrologiis, & Menologiis expreſſum habes, ſed & apud Euſebium Hiſtoriæ libro octavo. Ex iſtis conjicere licet multitudinem martyrum Monachorum, atque etiam ex dictis ſupra ad diem XI. Januarij de S. Iuliano, & decem millibus Monachorum, & ex dicendis ad XX. Martij, ac ad XXVI. Maij.

Eliana vita ſectatores.

389. Iſtos autem omnes fuiſſe ſectatos Elianum & Eſſenum Inſtitutum, ſtabilitum eſt ſupra in XII. Fundamentis ibi locatis, & fundatis (inibi dicta opùs non eſt hic repetere; cùm vertendo paginas aliquot, inſpicere liceat.) Peculiariter autem iſtos omnes in monte Sina, aut circa etiam perſuadet ipſe locus, quem incolebant, vicinus montis Horeb, manſione ipſius S. Prophetæ, & mirabili divinâ viſione, quâ ibidem clarificatus fuit, nobilitato: ubi ad ejuſdem memoriam & honorem templum fuit erectum, de quo Bellonius lib. 2. cap. 63. ita ſcribit: Templum extructum eo loco, quo Elias commoratus eſſe dicitur. Et inſuper, quòd S. Prophetam, & ejus virtutes æmularentur: & quòd ſervarent idem vitæ inſtitutum, ſicut Eſſeni, & Monachi Palæſtinæ, ac Ægyptij, ab Eſſenis procedentes (quod pleniùs declaratum eſt ſuprà Fundamento 3. 4. & 5.) De Sacello S. Eliæ in ſacro

S. Eliæ dicatum templum,

In monte Sina, ſeu Horeb,

monte Horeb ſcribit quoque Franciſcus Quareſmius in Hiſtoria Terræ ſanctæ (a) ubi duas aſſignat rationes Sacelli iſtius S. Eliæ dicati: Quia, ut legimus 3. Reg. 19. Elias fugiens impiæ Jezabelis perſecutionem, pane, potuque Angelico confortatus, in fortitudine illius quadraginta dierum & noctium itinere venit ad hunc montem. Et poſt pauca: Quoniam ſacri illius montis cultor fuit, & Eremita, & divinus Vates. Capite ſequenti agit de Eccleſia quadraginta Martyrum ſancti montis Sinai: & ex vetuſto Manuſcripto locorum Terræ ſanctæ, hæc adfert verba: Item in pede montis Sinai eſt Eccleſia quadraginta Martyrum & monaſterium; & eſt ibi viridarium pulcherrimum. An iſta Eccleſia eadem ſit cum præfato Templo in monte Horeb, dicato S. Eliæ, & iſtis Martyribus, dubitari poteſt; quia Horeb & Sina montes vicini, ſeu contigui ſunt; aut potius unus mons, ſicut Cornelius à Lapide in iſta Exodi 3. verba: Venit ad montem Dei Horeb, ſcribit: Horeb hic eſt Sina mons: qui dicitur Horeb, à ſiccitate, vel ſolitudine. Idem dicitur Sina à ruborum copia ... Notat tamen Adrichomius & alij, Horeb propriè eſſe partem, vel jugum eminens montis Sina. De alio monaſterio S. Eliæ Prophetæ, circa Bethleem, propè quod in rupe eſt effigies ipſius S. Eliæ Prophetæ, velut in molli cera impreſſa, agetur infra, ad diem 20. Iulij, ubi de cultu S. Prophetæ Eliæ.

(a) Tom 2. lib. 8. c. 2. peregrin. 5.

Ubi ſolitariam vitam egit.

Sina, & Horeb unus mons.

XV. JANUARII.

DE FESTO NOMINIS IESV.

390. Feſtum hoc ſolemni ritu celebratur in hoc Ordine, præſertim in Conventibus Noviſiatuum, & Seminariorum, ſeu Profeſſorij; ut parvulus IESVS Deus propoſitus junioribus Fratribus, illis ſit exemplar omnium virtutum, quod imitari ſatagant: & identidem inſpicientes, faciant ſecundum exemplar (a) nempe ſicut IESVS proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines (b), ita & ipſi ſatagant ire de virtute in virtutem (c). Ideo hôc locô convenienter aliqua de iſta ſolemnitate, & devotione ad ſanctiſſimum nomen, & ad ipſum Puerum IESV dicenda videntur: & quidem quomodò IESVS profecerit, & nos eum imitando, proficere debeamus, ſic declarat noſter S. Cyrillus (cujus vita hic ſequitur ad diem XXVIII Ianuarij) in præclaro opere nuncupato, Theſaurus, in quo, libro 10. cap. 7. iſta ad propoſitum: Videntibus, atque audientibus eum, ſapientiorem, gratioremque in dies ſe præbebat, idcircò dicitur profeciſſe. Ita detegendo ſeipſum in dies, non ipſe, ſed qui mirabantur ipſum, atque amabant, proficiebant. Tropologicè Damaſcenus, lib. 3. de fide, cap. 22. Chriſtus, inquit, proficit ſapientiâ & gratiâ, non in ſe, ſed in ſuis membris, ſcilicet Chriſtianis. Sic & Cyrillus jam citatus. Ideo enim profecit ipſe majores virtutum actus indies edendo, ut nos idem facere doceret. Tota enim vita noſtra continuus vel eſt profectus, vel defectus. Cùm enim non proficit, tum deficit, ut ergò non deficiat, ſemper proficiat, oportet: uti fusè docet S. Bernardus epiſt. 253. ubi inter alia, ait. Numquàm juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, numquàm dicit, ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam, ita ut ſi ſemper viveret, ſemper quantùm in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Et illud pro junioribus Religioſis (imò planè & omnibus omninò) optimum eſt monitum, hôc die à IESV addiſcendum, & ejus praxis, efflagitanda ab eo, & executioni mandanda. Præcipuè in hoc quod de eo legitur: (a) Cœpit Ieſus facere videlicet exactè obſervare & adimplere legem, (b) & quæ placita ſunt ei (Patri Cœleſti) facere ſemper (c) & alibi dicebat: cibus meus eſt ut faciam voluntatem Patris mei (d) Optima autem ratio eſt, & ſecura ſimul via perveniendi ad religioſam perfectionem, & faciendi quæ Deo placita ſunt ſemper, eſt in Novitio, & quocumque etiam Religioſo profeſſo incipere facere, & adimplere legem, Regulas videlicet ſuas etiam minimas magnifaciendo, ſolicitè [illegible]; [illegible] exacta obſervantia perfectio Religioſi conſiſtit: & Deo gratiſſima eſt: ac ſic ſemper certus eſt (nec errare poteſt) ſe ſemper facere voluntatem Patris. O quàm felix Novitius, & Religioſus, qui in hoc,

(a) Exod. 25.

(b) Luc. 2.

(c) Pſal. 83.

IESVS quomodò profecerit, & nos proficere debeamus.

(a) Act. 1.

(b) Mat. 5.

(c) Ioan. 8.

(d) Ioan. 4.

Jeſum imitatur! O quam feliciter ſolemnitatem nominis JESV *celebrat, qui in eo iſtud firmiter proponit, & executioni mandare ſatagit!*

391. *Devotio autem ad ſacratiſſimum nomen* IESV *haud recens eſt, ſed incœpit à temporibus Apoſtolorum.* JESV nomen *ita* S. Paulo in deliciis erat, velut mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Undè illud in paucis ſuis, parvisque epiſtolis iterat ducenties decies novies. *Ita*

(a) in Effigie S. Pauli, dote 5. ante Act. Apoſt. *Cornelius à Lapide* (a) *In virtute ejus* SS. *Apoſtoli mira patrabant. Sic* claudo ex utero matris (b)

(b) Act. 3. *S. Petrus dedit* integram ſanitatem *per illa verba:* In nomine JESV CHRISTI NAZARENI ſurge, & ambula. *De quo nomine ipſe pronuntiabat:* Nec

JESV nomen invocantibus in morte, cur Indulg. plen. conceſſa? enim aliud nomen eſt ſub cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri. *Propterea ad ſacratiſſimi nominis illius devotionem incitantes Summi Pontifices, Indulgentias plenarias paſſim concedunt, in articulo mortis, ore, aut (ſi non poſſint) corde invocantibus nomen* JESU; *nam per illud* oportet nos ſalvos fieri, *& ejus invocatio fugat dæmones, tempore mortis præcipuè infeſtantes. Quàm efficax remedium, & præſentiſſimum ſubſidium in tentationibus ſit invocatio nominis* JESV, *ſuos edocuit S. Antonius, cujus jam morituri extrema ferè verba ad diſcipulos hæc erant:* Varias dæmonum noſtis

dæmones efficaciter pellit. inſidias, vidiſtis eorum & impetus feroces, & vires effeminatas. JESVM ſuſpirate, & credulitatem nominis ejus veſtris figite mentibus, & à certa fide univerſi dæmones fugabuntur. *Invocato etiam nomine* JESV, *dæmoniacos liberavit.* Invocatò nomine JESV, cùm vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus, unà cum expulſis dæmonibus vana præſentium Philoſophorum confutata ſapientia eſt. *De S. Hilarione refert S. Hieronymus in vita ejus, quòd cùm nocte quâdam infeſtiſſimas pateretur infeſtationes dæmonum rugientium, mugientium,* &c. ex improviſo, ſplendente lunâ, cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere; cumquè inclamaſſet JESVM, ante oculos ejus repentinô terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt.

(c) Hom. 4. de laud. S. Pauli. 392. *Hinc S. Chryſoſtomus* (c) *de S. Paulo, ſcribit:* Si JESVM invoces Nazarenum, velut ab igne repentè diffugit dæmon. *Et S. Iuſtinus*

(d) de verit. Chriſt. relig. (d) Ejus nominis (JESV) potentiam dæmones tremunt & reformidant. *Ratio eſt, quia à* JESV *victus & proſtratus eſt dæmon.* JESVM *ergo & crucem ejus horret, ſicut canis horret baculum, quo*

Cur nomen illud horreant. *percuſſus eſt. Chriſtus S. Mariam Magdalenam de Pazzis ſic in quadam revelatione inſtruit:* Adeò tremenda eſt dæmoni repræſentatio hæc, ut ſolummodò verbi mei nomen audiendo, terreatur, ut meus ait Apoſtolus. In nomine JESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ideoque aio, hoc meum eſſe, arma eſſe defenſiva, ad hoſtem offendendum, quo offenſo, tamquàm propugnaculum irruptione certantium, faciliter vincere poteritis. *Amor autem iſtius S. Virginis erga* JESVM, *quô cor ejus æſtuabat, tantus erat, ut*

S. Maria Magd. de Pazzi eximia devotio erga Jeſum. *eam ſæpè de ſic exclamare cogeret:* O Jeſu, amor meus, amo te ex toto corde meo! ô amor, quàm parùm notus es, & amatus! Si non invenis qui te amet, veni ad me, & te amabo: amo te, & te amare deſidero, quantùm amabilis es. *Subindè ſic ſe compellabat:* Magdalena, an amorem non amas? Imò amor me facit viventem mori, & morientem vivere. *Verbis etiam ferventiſſimis quandoq; ſorores ſuas ad amorem erga* JESVM *extimulabat. Amor autem ille erga Ieſum in ipſa, ſicut & in* S. *Tereſia (de qua ſtatim) & in plurimis aliis, fuit ſicut fons, aut canalis, undè divina omnia chariſmata promanabant. Virtute, & invocatione ſancti hujus nominis frequenter etiam corporales infirmitates depulſas legimus in Actis Apoſtolorum, & vitis* Sanctorum. S. *Andreas Corſinus devotus nominis* JESU, *eo invocato, hydropicum ſanavit; & cæco viſum impetravit.*

393. S. *Tereſia ex ſingulariſſima devotione erga hoc benedictum nomen, nuncupari voluit* TERESIA à JESV: *ut ſic ſemper ejus memor eſſet, atque ita divino inflammaretur amore (ad quem efficaciter nomen illud piè recogitatum excitat) qui in tantum exarſit in ea, ut ignitò jaculò viderit Angelum ſibi præcordia tranſverberantem, & magis divini amoris incendiô, quàm vi morbi anima ejus à corpore ſeparata fuerit.* similiter S. Tereſia. *Tereſiam (tamquam Eliam Eliſeus) imitando venerab. Ioannes à Cruce,* Ioannis à Cruce. *etiam parvuli (ſed tamen maximi, & immenſæ majeſtatis) Dei* JESV *amantiſſimus fuit, ita quidem, ut aliquandò, cum teneriore ſubſultans gaudiô hæreret totus amplexibus in imagine pueri dulciſſimi* JESV, *& cantaret:* Si me amores occidere debeant, amore moriamur. *Amor flores incolit, ait Plato: hic verò & flores incolebat & ignes. Atque ita imitabatur* S. *Auguſtinum amoris* JESV *jaculo in corde tranſfixum, ſic dulciter* JESUM *alloquentem:* Amo, JESV, amorem tuum, qui amore amoris mei deſcendiſti in uterum Virginis, & amorem tuum amori meo copulaſti, humiliando te, ſublimando me, conjungendo lumen æternitatis tuæ limo mortalitatis meæ. *Mirabilis quoque fuit erga Puerum* JESUM *devotio* Franciſci à Puero JESU *nuncupati etiam Carmelitæ Diſcalceati Laici, in cujus vita refertur,* Illum, Franciſci à Puero Ieſu. in die Natali Chriſti, pauperibus, convivium inſtruere conſueviſſe. Annô quôdam anguſtæ valde annonæ, dùm alij ſolitum, eleëmoſynæ convivium deſperarent, JESUM oravit parvulum: & ecce ad fores ignotus homo cum aureis eam in rem illi largè datis, & additâ exhortatione, ut ne conſuetam JESV eleëmoſynam omitteret. Bos deerat. Adfuit, qui bovem dedit: neque pretium aliud poſtulavit, quàm pro ſe orari. Aliàs, eandem in rem pinguem Caſus mirabilis in bove. bovem emerat in agro ab ignoto viro; cui pretium omne numeravit, & bovem ſibi ante Natales Chriſti ferias ſiſti juſſit. Ridebat alter ſimpliciorem viri mentem, quod nummos dediſſet ignoto, nec bovem accepiſſet. Ante Natales Chriſti ferias ab invito, & nec bovem, nec pecuniam daturo Domino emptus ille bos profugit Complutum, ad illum, cujus verè jam erat. Secutus bovem Dominus, ibi aſſecutus eſt, ubi jam occidebatur, utpotè pretiô depoſitô emptus; & faſſus eſt bovis Dominus, ſe bovem illum dolo malo retinere voluiſſe, nec potuiſſe, tametſi manſuetiſſimum, ultrò enim quaſi ad JESU victimam

O 2 prope-

properaſſe. Ergò uterque in templum ad pueri IESU genua ſupplices abière, Franciſcus gratias pro beneficio ut referret, alter ille, ut culpam pœnitentiâ expiaret. *Ita Ioannes Nadaſi in libro cui titulus* Annus Pueri IESV Dei (a)

(a) Hebd. 15. ex ejus vita l. 1. c. 56.

394. *Novitiorum duorum juvenum devotio erga puerum* IESUM, *duplici miraculô remunerata, in Conventu Ilerdenſi in Cathalonia; memoratur in Annalibus Carmelitanis* (b): *ubi, inter cætera, iſta:* Extat & in majori Sacello Eccleſiæ venerabilis Sanctiſſimæ Dei Genitricis Imago dulciſſimum Infantem brachiis amplexantis, de qua ſolemne hoc miraculum piæ devotionis erga Filium & Matrem incentivum præſtans, enarratur. Fuerunt retrò actis annis ab eo tempore, quo hæc ſcribimus, duo in hoc Conventu Novitij, ætate tenelli, moribus ſimplices, & devoti, qui eo puerulum IESUM, quem Diva Virgo tunc in Clauſtri Sacello repoſita, manibus geſtabat, affectu proſequebantur, ut crebriùs, quam ſibi pro victu portionem, vel pitantiam conventus tribuebat, ad Altare Virginis devoventes, puerili ſimplicitate, S. Infanti quaſi comedendam offerrent. *Ibi conſequenter refertur ſingularis gratia Novitiis illis propterea præſtita in vita, & altera poſt beatam mortem. Devotionem illam iſtorum Novitiorum erga puerum* IESUM, *FF. Novitij (imò & alij quicumque) imitari poſſunt hâc ratione, ut ſubindè, cum diſcretione, (virtutum moderatrice) portionis ſuæ partem, aut particulam aliquam, appetitui gratiorem, ſeſe mortificando, ad honorem pueri* IESU, *relinquant. Plura ad perſuadendam & excitandam devotionem erga illud ſacerrimum nomen haud opus eſt huc adducere; cùm abundè ſufficiant attentè recitata, & devotè recogitata ea, quæ leguntur in hodierno Officio ad Matutinum in primo Nocturno, ex Actibus Apoſtolorum, & in 2. ac 3. ex S. Bernardo, ac in Hymnis ad Veſperas, Matutinum, & Laudes. Hactenùs etiam dicta compendiô nos docet S. Mater Eccleſia, in iſta Oratione ad Miſſam de hoc ſancto Nomine:* Deus qui glorioſiſſimum Nomen IESU CHRISTI unigeniti filij tui feciſti fidelibus tuis ſummô ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile, concede propitiùs, ut omnes, qui hoc Nomen IESUS devotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti ſæculo percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis jubilationis obtineant in cœlis, &c.

(b) Tom. 4. ad an. 1278.

Novitiorum duorum devotio ad IESUM *duplici miraculo remunerata:*

praxis utilis & facilis eam imitandi.

XVII. JANUARII.

DE S. ANTONIO
MAGNI PROPHETÆ ELIÆ ÆMULATORE.

AN. CHR. 356. *deceſſit.*

395. S. *Athanaſius in vita* S. ANTONII *ſub initium teſtatur de eo:* Igitur S. Antonius ſecum reputans, oportere Dei famulum ex inſtituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud ſpeculum vitam ſuam debere componere. *Paulò antè de eo dixerat:* Meminerat quoque Eliæ Prophetæ dicentis: Vivit Dominus, cui adſto hodie ante ipſum: & diſſerebat, cur, hodie eſſet appoſitum, quia non computabat Elias præteritum tempus: ſed tamquàm quotidie in certamine conſtitutus, talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat dignum Dei eſſe conſpectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati ejus. *Conformiter ſcribitur in vita S. Pachomij, ſub initium, ubi iſta:* Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita, qui magni Eliæ, atque Eliſei, nec non & S. Joannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, &c. *Etiam in veſte S. Antonius imitatus fuit S. Eliam, deferens melotam, ſeu veſtem ex pilis animalium: habuit etiam chlamydem pelliceam, cingulum, ſeu zonam pelliceam, & alias veſtes deſcriptas à Caſſiano libro 1. Inſtitutorum: ubi dicit:* Hoc habitu ambulaſſe, qui in veteri Teſtamento profeſſionis hujus fundavere primordia, Eliam ſcilicet, & Eliſeum, &c. *Ita quoque alij Monachi, ſicut in monaſtica converſatione, in veſte quoque S. Eliam imitati fuerunt:* Ad exemplum Eliæ pellibus ſe induebant, *teſtatur Sozomenus* (c) *Propterea in Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 254. meritò ſcribitur.* Huic anno Chriſti 254. numerandus jure venit Natalitius decantantiſſimi illius Antonij Ægyptij Abbatis ... Ejus porrò hiſtoriam noſtris Annalibus inſeri debuiſſe, nulli verè docto dubium afferre poteſt. Pro comperto enim cunctis eſt, Antonium magni Eliæ ſectatorem fuiſſe, Eſſenorum Inſtituti æmulatorem (propagatorem imò) ac Prophetici Ordinis cultorem. Id primò ſtatuit S. Athanaſius dicens: Igitur S. Antonius ... ex inſtituto magni Eliæ, &c. Et Auctor vitæ S. Pachomij ... ac Caſſianus, qui idem de Paulo, Antonio, & aliis Anachoretis aſtruit. Undè noſtris eum accenſent non ſolùm Carmelitæ hiſtorici.

S. Antonius ſectatus fuit inſtituta magni Eliæ,

fundatoris monaſticæ profeſſionis;

(c) Lib. 3. cap. 13.

Ideo hiſtoria ejus Annalibus Carm. inſeritur.

396. *Caſſianus autem* (a) *iſta ſcribit ad propoſitum:* De hoc perfectorum numero, &, ut ita dixerim, fœcundiſſima radice, ſanctorum etiam Anachoretarum poſt hæc flores, fructuſque prolati ſunt. Cujus profeſſionis principes hos, quos paulò ante memoravimus, ſanctum videlicet Paulum, vel Antonium, novimus extitiſſe ... Ad imitationem ſcilicet Joannis Baptiſtæ, qui in eremo totâ permanſit ætate: Heliæ quoque & Heliſei, atque illorum de quibus Apoſtolus ita commemorat: Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſti[illegible], afflicti, quibus dignus non erat mun[illegible] ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cavernis terræ. *Verba [illegible] ad Hebræos XI.*

(a) Collat. 18. cap. 6.

dicta

dicta de SS. Elia, Eliſeo, & Filiis Prophetarum, habetur ex dictis ſupra (a). *Alardus Gazæus* in commentario ad Caſſianum, *explicans præfata verba:* Eliæ quoque, & Eliſei, &c. *ſcribit:* Eliam, Eliſeum, & Joannem Baptiſtam Eremitas & Principes Eremitarum nuncupant SS. Patres, Baſilius in epiſt. ad Chilonem, Nazianzenus in apologia poſtquàm ex fuga rediiſſet, Chryſoſtomus homil. 69. in Matthæum, Hieronymus epiſt. 13. ad Paulinum, & epiſt. 22. ad Euſtochium, Sozomenus lib. 1. hiſtor. cap. 12. Iſidorus lib. 2. cap. 15. de Officiis.

(a) In vita S. Eliæ cap. 2.

Elias Princeps Eremitarum primus.

397. *Itaque S. Antonius, & S. Paulus Principes fuerunt monaſticæ exercitationis, ſed Principes ſecundarij, eò quod ab iis, præſertim a S. Antonio,* omnium incitata ſint ſtudia, *ut ſcribit S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ. Primarij autem fuere S. Propheta Elias, S. Eliſeus, S. Joannes Baptiſta; quos tamquàm Principes, & prima monaſticæ, ac eremiticæ vitæ exemplaria ſuſpexerunt S. Antonius, & alij veteres Monachi. (Vide hìc ſuprà Fundamento 3.) Porrò vita religioſa monaſtica à S. Elia inchoata, & per Filios Prophetarum, Eſſenos, Therapeutas fuit continuata uſque ad tempora S. Antonij: ante quem non tantùm Monachi multi, ſed etiam Monachorum greges numeroſiſſimi fuerunt, ſicut jam ante vidimus in vita S. Iuliani, & pleniùs hìc ſupra Fundamento XII. & hiſce verbis perſpicuè tradunt PP. Bollandus, & Henſchenius* (b) Monachi, & anachoretæ in Ægypto ante S. Antonium: Eſſæi ſub S. Marco Euangeliſta: S. Frontonius, aliique Nitriæ: Arſenoitæ ſub S. Dionyſio Epiſcopo Alexandrino: SS. Julianus, Baſiliſſa, aliique Antinoi: Martyres Sinaitæ. *Sed perſecutionibus ſæviſſimis tyrannorum, præſertim ſub Diocletiano, & Maximiano valdè fuerunt diminuti, & monaſteria everſa, tunc quando ſub eodem Diocletiano centum quadraginta quatuor millia fidelium in Thebaide martyrio coronata ſunt; & ſeptingenta in exilium acta, ſicut iidem Auctores referunt ibidem, & XI. Ianuarij in vita SS. Iuliani & Baſiliſſæ, in Commentario prævio §. 1. Hinc ſcribit S. Athanaſius:* Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monaſteria. *Erant tamen adhuc etiam paulo ante S. Antonium, & monaſteria & Monachi; nam ipſe S. Antonius magiſtrum habuit* ſenem quemdam, vitam ſolitariam à prima ſectatum ætate.

S. Paulus, & S. Antonius ſecundarij;

Nam ante illos Monachi plurimi:

(b) ad 17. Jan. in vita S. Ant. §. 3.

Poſteà perſecutionibus diminuti,

ſed non extincti.

398. *Et inſuper ipſe Antonius incipiens, aliorum præcedentium Monachorum attendebat, & in ſe exprimebat virtutes.* Et primò quidem incipiens etiam ipſe, in locis paullulùm à villa remotioribus manebat: exinde autem, ſi quem vigilantem in hoc ſtudio compererat, procedens, quærebat ut apis prudentiſſima: nec ad habitaculum ſuum antè remeabat, niſi ejus, quem cupiebat, frueretur aſpectibus: & ſic, tamquàm munere mellis accepto, abibat ad ſua ... Sic ſuam vitam inſtituens, ab univerſis fratribus puro diligebatur affectu: & omnibus, ad quos ſtudio diſcendi pergebat, obediens, proprias ſingulorum gratias hauriebat: hujus continentiam; jucunditatem illius ſectabatur: iſtius lenitatem; illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur induſtriam. Et hoc ita faciebat, ut cùm omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen carus eſſet. Nam & vicini, & Monachi, ad quos ſæpè veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant: indultisque naturæ vocabulis, quidam ut filium, alij ut fratrem diligebant.

S. Antonius aliorum omnium nobiles imitando ad ſummam perfectionem pervenit;

399. *En jam ad noſtrum propoſitum magnum Antonium magni Prophetæ Eliæ æmulatorem: & pro noſtra inſtructione bina virtutum exempla utiliſſima brevi compendiò ad perfectionem ducentia; videlicet; conſiderare, & imitando ſuas facere virtutes aliorum; ac (ad imitationem S. Eliæ Prophetæ,)* continuò talem ſe præbere, qualem dignum eſt Dei conſpectibus, *dicendo identidem:* Vivit Dominus, cui adſto hodie ante ipſum. *De peculiari ejus devotione ad benedictum nomen* JESV *jam paulò ante audivimus* (a) *Eamdem vitæ rationem etiam ſectatos fuiſſe, & conſequenter* magnum Prophetam Eliam æmulatos, & ad ejus exemplum vitam ſuam compoſuiſſe *pleroſque diſcipulos S. Antonij, perſuadet quoque ratio: de quibus proinde meritò Lezana Tomo 2. Annalium ad annum Chriſti 333.* Ad hæc tempora, in quibus Antonij ſanctitas Orbi toti fulgebat, ut propterea plures ipſi imbuendi in diſcipulos traderentur, commemorandi veniunt aliqui ex ipſis; ejuſdem ſanè Eliani inſtituto cum ſuo Magiſtro, & idcircò à nobis non omittendi. Plures recenſet Bollandus. Præcipui autem ejus alumni numerantur tres, Sarmata, Amathas, & Macarius à D. Hieronymo, & Heriberto Roſwedio: *De iſtis, & aliis ſigillatim non agemus in ſequentibus; tum ne prolixius hoc opus evadat; tum quod de illis ſufficienter tractetur dicto Tomo 2. Annalium, & pleniùs in Vitis Patrum, & Actis Sanctorum.*

In Dei præſentia jugiter verſabatur.

(a) de feſto Nom. Jesv n. 393.

XIX. JANUARII.

An. 272. obiit.

VITA S. DIONISII PAPÆ

Ex ordine Prophetico Eliano, B. Virg. Mariæ de monte Carmeli.

PROLEGOMENA.

§. 1. *Epitome vitæ S. Dionyſij: & undè oriundus; quàm diu Pontifex.*

400. *Inter præſtantiores Univerſalis Eccleſiæ Catholicæ Rectores & Paſtores meritò referendus ſanctus Dionyſius, qui in magna temporum varietate, partim inter horrendas perſecutionum procellas, partim inter impias variarum hæreſum hydras, ſociatis in ſe fortitudine, & ſingulari prudentiâ; Eccleſiæ gubernacula tenuit, ac direxit: eamq; vitæ ſanctitate, doctrinæ ornamentis, & utiliſſimis inſtitutis, quoad Parochiarum & Diœceſum diſtinctionem decoravit, ampliavit, & ſtabilivit, ac hæreſes exurgentes profligavit.*

S. Dionyſius inter præcipuos Pontifices:

401. *Perbrevis epitome vitæ ejus hæc duntaxat extat in Pontificali Romano, & apud Aloyſium Lipomanum:* Dionyſius ex Monacho, cujus generationem reperire non potuimus, ſedit annos ſex, menſes duos, dies quatuor. Fuit temporibus Galieni, ex die undecimo Kalendarum Auguſti; Æmiliano; & Baſſo Conſulibus, uſque in diem ſeptimum Kalendarum Januarij, Conſulatus Claudij, & Paterni. Hic presbyteris Eccleſias diviſit, & cœmeteria, parochiasque, & diœceſes conſtituit. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros duodecim, Diaconos ſex, Epiſcopos per diverſa loca numero ſeptem. Qui etiam ſepultus eſt in cœmeterio Calixti, viâ Appiâ, ſexto Kalendas Januarij. Et ceſſavit Epiſcopatus dies quinque. *Vita autem ejus prolixiùs ſcripta non habetur. Ejus memoria inſerta eſt Martyrologiis Romano, & aliis, ad diem XXVIII. Decembris, ſicut mox audiemus.*

Vita ejus epitome,

402. *Scripſerunt verò de illo alij plurimi: cur igitur hîc de eo locum non habebit id, quod prudenter monent magni Agiographi Ioannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius in Præfatione generali in Vitas Sanctorum* (a). Cùm maximorum etiam Sanctorum, & quidem plurimorum, mandata litteris acta non ſint, aliorum interciderint; extet tamen utrorumque frequens apud Scriptores memoria; cur non licebit hîc geſta eorum, ex iiſdem accepta Scriptoribus, commemorare? *Ita etiam illi hactenus practicant. Sic quoque ex Scriptoribus geſta S. Dionyſij accepta, & digeſta hîc prodeunt. Similiter conſequenter de S. Cyrillo Alexandrino, & S. Teleſphoro Papa, & aliis nonnullis agetur.*

(a) Cap. 1. §. 7.

Prolixiùs digeſta eſt ex Scriptoribus aliis:

403. *Quoad Parentelam ſeu originem S. Dionyſij differunt Scriptores: Græcum natione fuiſſe tradunt plures: nonnulli Syrum fuiſſe exiſtimant. Plura circa hæc Lezana* tomo 2. Annalium Carmelitarum (b) *ubi & hos ex Mantuano adducit verſus de S. Dionyſio*

(b) ad an. 249.

Undè ortus;

Hic erat occultus Chriſti de gente Sacerdos,
Graius enim, dudùm Carmelo à monte profectus,
Vertice Carpathiis alto qui prominet undis.
&c.

Id certum, fuiſſe Monachum: non Ordinis S. Baſilij, aut S. Auguſtini, aut S. Benedicti; cùm longè ante iſtos vel natus, & Monachus; & Pontifex fuerit, ſed Prophetici Eliani, ſive ex Eſſenis: quorum Inſtitutum in primis Eccleſiæ ſeculis celebre fuiſſe, ex Patribus, & Hiſtoricis luculenter demonſtrat Lezana dicto Tomo 2. Annalium in Apparatu *peculiaritèr* cap. 7. *& in decurſu operis. Ita etiam ſtabilita ſunt hic ſuprà in XII. Fundamentis, Fundamento 3. 4. 5. & 6. ac ſeq.*

ex Monachis Inſtituti Eliani: Summ. Pontifex.

404. *Quantùm ad tempus quò Eccleſiæ præfuit non parùm diſcrepant Auctores, dum alij plures, alij pauciores aſſignant annos. Veriſimilius eſt id quod in officio Eccleſiaſtico, à Sacra Congregatione Cardinalium approbato legitur:* Sediſſe annos undecim, menſes tres; & dies quatuordecim. *Electus enim fuit die duodecimâ Septembris anni CCLXI. (quæ erat trigeſima-quinta à martyrio S. Sixti Papæ paſſi die quintâ Auguſti ejuſdem anni CCLXI.) & deceſſit die 26. Decembris anno CCLXXII. prout in Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronij, & Carmelitanis refertur: & à Baronio ejus ſupputationis ratio datur. Atque ità invenies numerum annorum, menſium, ac dierum, jam dictum. Vita & acta ejus à præſtantibus Scriptoribus partialitèr exarata, in unum collecta, & digeſta hîc prodeunt, præmiſſis nonnullis elogiis, inter quæ prima auctoritatis locus debetur Martyrologio Romano, & Officio Canonico à S. Congregatione Cardinalium approbato.*

Quanto tempore Eccleſiæ præfuerit.

§. 2. *Elogia quædam, & teſtimonia ſanctitatis, nec non Monachatûs illius: obitèr aliqua ejus geſta attinguntur.*

405. *Martyrologium Romanum ad diem 26. Decembris his verbis S. Dionyſium commemorat.* Romæ via Appia depoſitio ſancti Dionyſij Papæ, qui multis pro Eccleſia impenſis laboribus, fidei documentis clarus effulſit. *Cardinalis Baronius ibi in Notis:* Uſuardus de eodem hâc die, Beda autem poſtridiè &c. *& To. 2. Annalium ad an. Chriſti CCLXI.* Subſtitutus eſt in locum ejus (*ſancti Sixti*) die duodecimâ Septembris Dionyſius ex Monacho; ſolitariam enim vitam aliquandò egit.

Monachatus ejus confirmatur auctoritate Baronij.

406. *Officium Canonicum à S. Congregatione Cardinalium approbatum in* Lection. 4. ad Matutinum S. *Dionyſij vitam ſolitariam, & Monachalem ex Inſtituto Eliano perſpicuè exprimit his verbis.* Dionyſius imitatus ſanctiſſimos illos Monaſtici Inſtituti Duces, qui ædificatis ſibi caſulis propè fluenta Jordanis, & turbis Urbium derelictis, herbis agreſtibus victitabant, Anachoreticam, ſeu Monaſticam, & verè Propheticam vitam aliquamdiu egit.

Officij Eccl. approbati.

Ibi

Ibi conſequenter ſub compendio referuntur præcipua ejus geſta, de quibus extenſius in ſequentibus.

Genebrardi, 407. *Gilbertus Genebrardus in Chronographia ad annum Chriſti* CCLXVII. S. Dionyſius Græcus, ex Monacho, Papa. *Ibidem in altera columna*: Undè apparet in prima Eccleſia, inter medias perſecutiones extitiſſe, qui hoc ſanctum Inſtitutum (*ſcilicet vitæ Monaſticæ*) profiterentur. *Nec tantùm paucos aliquot; ſed numeroſos monachorum greges etiam illis temporibus floruiſſe pro comperto eſt ex eo, quòd illis temporibus unus S. Iulianus Pater erat, decem millium Monachorum. Sanè hôc tempore in una magna Provincia vix tantus numerus reperitur. Genebrardus ibi etiam annotat*, per S. Dionyſium Papam Parœcias, & Diœceſes diſtinctas. *Peculiariter circa Diœceſes Cameracenſem, & Atrebatenſem mentionem quoque facit vetuſtus Auctor Baldericus, mox referendus.*

Platina, 408. *Platina de Vitis Pontificum*: Ex Monacho Pontifex creatus, presbyteris Eccleſias, & cœmeteria in Urbe Roma ſtatim diviſit. Parochias, & Diœceſis foris diſtribuit, quo quiſque finibus ſuis, limitibuſve contentus eſſet. *Onuphrius Panuinus in Chronico Pontificum Romanorum*: Sanctus Dionyſius Monachus Imperatoribus, Cæſaribus Valeriano, Gallieno, & Aurelio Claudio &c.

Petri Lucij, 409. *Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana* In antiquiſſimis picturis, & ſculpturis æneis B. Dionyſius Papa tamquàm Carmelitanæ Vineæ palmes cernitur. Neque cuiquam abſurdum videri debet, ſi omne Monachorum genus ab ipſâ Syria, in qua eſt Carmelus, dicamus originem traxiſſe. Graviter enim errant, qui Monachorum nomen ſeu appellationem ab ipſius Baſilij in Oriente, & Benedicti in Occidente temporibus in uſu loquendi fuiſſe dicunt. (*Id ex eo confirmat, quòd S. Dionyſius Monachus, iſtos duos ſanctos Monachorum Patriarchas diu præceſſerit, ſicut & milleni alij, prout ex actis præfati Iuliani, atque aliorum habetur.*) Non eſt dicendus primus ſui nominis, cùm nullus adhuc poſt ipſum tali nomine appellatus ſit. *Hæc Lucius.*

Laurentij Beyerlinck. 410. *Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ verbo* Religioſus, Religio; *ſcribit*: Ordo Carmelitarum dedit in Cathedra Apoſtolica Dionyſium, *ferè eadem habent Ioannes Carthagena, Nicolaus Manerbius, Ægidius Gelenius; & plures alij relati à Lezana in Annalibus* (a)

(a) In Annal. ad an. 242.

Aub. Miræi. 411. *Aubertus Miræus libro. de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani cap.* 7. S. Dionyſius . . . Monaſticam & verè Propheticam vitam aliquamdiu egit: indè ad Summum Pontificatum aſſumptus. *Et infrà*: fuit hic ſanctiſſimus Pontifex primus, qui ex Monachis ad univerſalem Chriſti Eccleſiam gubernandam fuit aſſumptus; quod utique non ſine ſpeciali Dei providentia contigiſſe æquum eſt exiſtimare. Ut videlicet, quemadmodum ſacer Carmeli Ordo (cujus hic Sanctus alumnus exſtiterat) eſt omnium primus, antiquitate cæteris præeminens, ita primus ex Religioſis Pontifex Romanus, ex eodem Ordine antiquiſſimo diligeretur. *Quod dicitur* primus ex Monachis Pontifex *id ſic accipiendum, prout Monachus condiſtinguitur ab Anachoreta, id eſt habitante in cellula remotâ ab hominum converſatione, qualis aliquamdiu fuit S. Teleſphorus (de quo mox poſt, ad diem XXX. Ianuarij) Animadvertendum hic, quòd olim in Carmelitano Ordine & vita ſolitaria ſeu Anachoretica, & ſocialis, ſeu Monaſtica, id eſt viventium in Congregatione, ſimul viguerint, prout videre licebit ſupra Fundamento IX. Notandum quoque, nonnullos exiſtimare, pleroſque Summos Pontifices, & Epiſcopos in primis Eccleſiæ ſeculis Regulares fuiſſe. Id ſuſtinet Gabriel Pennottus* (a) *de quo aſſerto quid ſentiendum ſit, non diſquirimus; ſaltem id de S. Dionyſio, & de S. Teleſphoro aſſirmamus.* Sanè fuiſſe Monachiſmum, ſeminarium in Eccleſia Dei ſanctiſſimorum Epiſcoporum; ex quo Baſilij, Gregorij, Chryſoſtomi, & alij tàm in Oriente, quàm in Occidente viri ſpectatiſſimi prodiêre, *aſtruit Cardinalis Baronius* (b), *& varijs ex S. Athanaſio additis exemplis comprobat.*

(a) In Tripart. hiſt. Canonic. Reg. l. 3. c. 52.

(b) ad an. 328.

412. *Lezana in Annalibus Carmelit. Tomo 2. varijs locis* (c) *tractans de S. Dionyſio Papa, ipſum fuiſſe Monachum Eliani Carmelitani Inſtituti confirmat, tum auctoritate Sacræ Congregationis Rituum, ipſum inter Divos Ordinis hujus referentis, nec non multorum Scriptorum, quorum plerique ipſum* Monachum, *ſeu* Anachoretam *appellant, alij autem de cœtu Carmelitis accenſent; tùm hâc ratione* (d) quia conſonat communis, & concors Hiſtoricorum, ac Chronologicorum conſenſio, qui eum cùm Monachum, tum Anachoretam compellant. Nullus enim vel mediocritèr eruditus inficiari poterit quin illi omnes, qui eô ævô, ſaltèm ante diviſionem Religionum, Antonij, Hilarionis, & Baſilij ætatem in Monachiſmo, aut Anachoretiſmo effulsêre, ſolùm à primo hujus Inſtituti fonte Elia, Eliſeo, & Filiis Prophetarum, (qui verbis relatis à S. Cóngregatione indigitantur) Joanne Baptiſta, & Eſſenis Marci Diſcipulis originem traxerit, ac proindè Elianæ ſcholæ in Carmelo ab eodem Elia erectæ profeſſores nominari debeant. *Deinde etiam hæc habet ad propoſitum.* (e) Sub hoc tamen tempore Dionyſius Græcus, de quo ann. 247. dictum, Monachiſmum exercebat, etiam in Carmelo ipſo, prout ex Nicolao Harlemenſi in Chronic. affert Munozius. *Et infra*: Quòd porrò Carmeli Religioni accenſeri debeat; præter dicta ſub anno 247. ſingularitèr confirmat cæleſtis quædam viſio viro magnæ opinionis, ſanctæ vitæ, quem, etſi ſciens, non nomine proprio refero. Is enim in quadam Ordinis noſtri Fratrum proceſſione ſibi per viſum Divinitùs demonſtratà hunc Dionyſium veluti Præſidem agnovit, & quòd cum aliis, quibus præibat, ad Eccleſiam quandam Ordinis eum deferrent. *Alia quæ intentum corroborent, videri poterunt hîc ſuprà in XII. Fundamentis, & etiam infrà ad diem XXX. Ianuarij, in Notis ad vitam S. Teleſphori. Iſtis circa Monachatum S. Dionyſij teſtimoniis quædam de geſtis ejuſdem non paſſim obvia ſubnectenda hôc locò videntur.*

(c) ad an. 247 & 258. & 272.

(d) ad an. 247.

Monachus fuit inſtituti Carmelit.

(e) ad an. 258.

413. *Baldericus Epiſcopus Noviomenſis & Tornacenſis*

S. Dionyſius univerſis Provinciis Diœceſes diſtribuit: *nacenſis* in Chronico ſuo *de Cameracena; Atrebatenſiq; Diœceſi*: Duæ illæ fuerunt matres Eccleſiæ ſedes; quod facilè ex deſcriptionibus Dionyſij Papæ perpenditur, qui univerſis Provinciis ſingulas ſedes propriis terminis diſcrevit: ſicut etiam Hincmarus Epiſcopus in ſuis libris diffinivit. *Igitur non tantum Romæ, ſed in aliis* (Univerſis *ſcribit ille*) Provinciis *S. Dionyſius Papa Sedes conſtituit. Et quidem de Cameracenſi, & Atrebatenſi fidem faciunt quoque vetera Atrebatenſis Eccleſiæ monumenta, relata in hiſtoria Morinorum.* (a) *Sed de iſtis plurà hîc infrà cap. 4. Vitæ, & ibi in Notis.*

(a) in Not. ad l. 2. c. 11.

414. *Iacobus Malbrancq Societatis Ieſu in hiſtoria Morinorum lib. 2. cap. 11. ſpecialia S. Dionyſij Papæ geſta iſta refert.* Dionyſius, *inquit*, Pontifex à Valeriani ignominioſiſſima apud Perſas ſervitute conſeneſcentis, dein excoriati, nece, meliora nactus tempora, optimam Reipublicæ juvandæ rationem iniit. Cùm enim Gallienus Imperij conſors, miſerò Collegæ, ut ait Oroſius, permotus exemplò, pacem Eccleſiis trepidâ ſatisfactione reſtituiſſet, Pontifici integrum fuit ſenſim per diverſas Europæ Provincias erigere Diœceſes, nec non egregium Romæ huic Inſtituto ſeminarium adaptare, ubi ingens virorum tùm à pietate, tùm ab eruditione inſtructorum copia ſuppetebat. Conjectis in hanc paleſtram oculis Fuſcianus & Victoricus, ambo à prænobili Romanaque ſtirpe oriundi; genus, opes, corporis venuſtatem, quibus ſe primarios inter commendare poterant, ſunt aſpernati, ut virtutem ſolam maximo labore & ſtudio capeſſerent... Neque ambo Dionyſium latebant, qui ſeminario ſuo haud idoneas magis plantas exoptans, eos illorum adſcribebat numero, qui virtutibus doctrinæ arma jungerent, quibus Idololatriæ infamevitium expugnaretur: Alienæ ſalutis cupido ac zelus Pontificiis hortamentis accenſus eſt, ſed præcipuè Nobilium illic virorum, ſeſe paritèr animorum obſequiis devoventium, contubernio. *Hæc ibi in hiſtoria Morinorum: conſequenter refertur: quòd S. Dionyſius Papa in Galliam, & Belgium ad populos quondam Morinos nuncupatos deſtinaverit duos præfatos, & alios decem viros Apoſtolicos, qui fidem & Evangelium ibi prædicarent: prout latiùs infrà. Seminarium autem illud Romæ à S. Dionyſio adaptatum, fuiſſe monaſterium, ſeu per modum monaſterij (juxta formam vitæ Monaſticæ quam ipſe anteà exercuerat) exiſtimant nonnulli: & veriſimile eſt.*

Alia ejus geſta.

Duodecim viros Apoſtolicos in Galliam, & Belgium deſtinavit:

§. 3. *Cultus S. Dionyſij: an Martyr.*

Martyris cultum aliquandò ei tributum: 415. C*Vltum Martyris olim eum habuiſſe teſtantur Kalendaria quædam vetuſtiora hujus Ordinis: & quidem in Kalendario Breviarij anno 1574. typis rubricatis hæc leguntur:* Decima quarta Januarij Dionyſij Papæ & Martyris, Ordinis noſtri, duplex. *Et in Kalendario Miſſalis anni 1574. ad diem 14. Ianuarij:* S. Dionyſij Papæ & Martyris Ordinis noſtri, duplex. *Introitus* Sacerdotes ejus induant &c. *Oratio:* Miſericordiæ tuæ remediis quæſumus Domine vitia noſtra curentur, &c. *Etiam à Petro de Natalibus, atque aliis nonnullis Scriptoribus* Martyr *nuncupatur. Veriſimilius tamen eſt, eum non violentâ, ſed naturali morte deceſſiſſe. Et ideò etiam nunc tamquàm* Confeſſor *in Carmelitano Ordine colitur officio duplici, à S. Congregatione Cardinalium probato, & aliquoties recognito, pro die XIX. Ianuarij, quo in Miſſalibus, & Breviariis:* S. Dionyſij Papæ, & Confeſſoris.

Colitur ut Confeſſor in Ord. Carm. die 19. Ian.

416. *Porrò Martyris nomen olim tribui quandoque conſuevit non ſolùm iis, qui violentâ morte pro Chriſto paſſi occumbebant, ſed & iis quoque qui fidei confeſſionis ergò cruciamenta ſubiiſſent; inter quos accenſeri poterat Dionyſius, qui pluribus exantlatis laboribus inter Eccleſiæ perſecutiones tolerandas, & hæreticorum errores profligandos vitam finiit: Hinc habetur ratio, cur de S. Dionyſio Papa, aliquando ſub* Martyris *titulo, officium fuerit celebratum. Etſi enim violentâ morte extremum diem non clauſerit, ut proptereà meritò ſolùm inter Confeſſores cenſeri debeat; quia tamen pro Eccleſia multa perpeſſus fuit, laboreq; tolerati accelerâſſe credantur mortem; ideò, Majorum conſuetudine perſpectâ, inſigniri poterat* Martyris *nomine. Ad hoc propoſitum Onuphrius Panvinus in Notis ad Platinam de vitis Pontificum agens de S. Hygino, & etiam occaſionaliter de SS. Anacleto, Eleutherio, Zepherino, Dionyſio &c.* Porrò autem, *inquit* omnes hi Pontifices fortè Martyres dicuntur, quod etſi violentâ morte non deceſſerint, multa tamen pro Chriſti confeſſione à furente plebe, & iniquis Magiſtratibus, qui perpetuum in Chriſtianos odium retinebant, paſſi ſint: ſed ejuſmodi à Beato Cypriano Confeſſores video appellari. *Ita ille. Plura ad hoc intentum adferentur hîc infrà ad diem XXIX. Ianuarij in vita* S. Petri Thomæ. (a)

Martyris titulus datus nonnullis non violentâ morte ſublatis.

(a) In Prologo §. 3.

VITA ET ACTA,

Ex libro Pontificali, S. Athanaſio, officio Canonico approbato, Platina, Gilberto Genebrardo, & Annalibus Eccleſ. ac Carmelitanis.

CAP. I.

S. Dionyſij vita Monaſtica, ad ſummum Pontificatum ſublimatio tempore ſæviſſimæ perſecutionis.

417. DIonyſius à juventute ſtudio litterarum humanarum, ac divinarum deditus in illis tantum profecit, ut ad celſum eruditionis pervenerit culmen. Perpendens autem mundi & rerum hujus ſeculi vanitatem, ac inſufficientiam doctrinæ niſi ea ſociam habeat pietatem; hanc ut adipiſceretur animum adjecit ad palæſtram ſpiritualem, in qua tamquam viva exemplaria, quibus ſe confor-

S. Dionyſius ſcientiæ pietatem conjungit.

Ex Brev. Carm. approbato.

Ex Brev. Carm. approbato. Vitam Monaſticā amplectitur,

conformaret proſpiciens ſanctiſſimos illos Monaſtici inſtituti Duces, qui ædificatis ſibi caſulis propè fluenta Jordanis, & turbis Urbium derelictis, herbis agreſtibus victitabant, Anachoreticam, ſeu Monaſticam, & verè propheticam vitam aliquamdiu egit.

(a) Pontifex creatur,

418. Indè poſt ſancti Sixti Papæ martyrium in ejus locum ſucceſſit. Conſecratus fuit (a) ab Oſtienſi Epiſcopo, Maximo: & deinceps id obſervatum fuit. Sanè quidem antiqui moris fuiſſe, ut Romanus Epiſcopus conſecraretur ab Epiſcopo Oſtienſi, auctor eſt S. Auguſtinus in Breviculo collationum cum Donatiſtis.

(b) ſæviente graviſſimâ perſecutione, ſub Valeriano Imp.

419. Sæviebat eò tempore (b) graviſſima in Chriſtianos perſecutio ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus: quæ (excitata ab ipſo Valeriano, per Ægyptium quemdam magum depravato, & furore in Chriſtianos exagitato) octava ordine numeratur à S. Hieronymo, S. Auguſtino, & aliis: ea adeò dira fuit, ut Dionyſius Alexandrinus tempora illa omnium infeliciſſima de Antichriſto prædicta, in Valeriano putaret eſſe expleta. Inter complures tunc in variis Orbis partibus effectos illuſtres Chriſti Martyres fuere dictus S. Sixtus Papa cum ſociis, clariſſimus quoque Athleta Levita Laurentius, & Carthaginenſis Eccleſiæ lumen Cyprianus Epiſcopus, atque alii, de quibus in Annalibus Eccleſiaſticis, & Carmelitanis.

In qua boni Paſtoris partes egit S. Dionyſius:

420. Intereà ſedulus Pontifex Dionyſius Paſtoris boni partes explens, non deſtitit ovibus ſuis invigilare, omnem paternalem exhibendo ſollicitudinem prædicando, baptizando, Sacramentaque alia adminiſtrando, conſolando, & confortando ad martyrium, prout quoque poſteà fecit in perſecutione per Claudium renovatâ: in qua etiam Romæ quàm-plurimi martyrij coronam adepti ſunt, hortante & corroborante ipſo S. Dionyſiò Papâ, ac inter eos illi de quibus in Martyrologio Romano ad diem 25. Octobris iſta leguntur. [Romæ natalis Sanctorum quadraginta ſex Militum, qui ſimul baptizati à Dionyſio Papa, mox jubente Claudio Imperatore decollati ſunt, ac viâ Salariâ ſepulti: ubi & alij Martyres centum viginti & unus poſiti ſunt; inter quos fuerunt quatuor Milites Chriſti, Theodoſius, Lucius, Marcus, & Petrus.] In eorum actis ſcribitur etiam uxores ipſorum (abſdubiè pariter à S. Dionyſio Papa baptizatas) ſimul cum maritis paſſas. Atque ità cum viris triumphavit numeroſus quoque fœmineus, fragilis alioqui, ſexûs.

multos ad martyrium corroborat.

Valerianus ex Divina ultione,

421. Poſt tres autem annos & ſex menſes, ſecundò ſancti Dionyſij Papæ, annò, perſecutionis iſtius acerbæ, ipſe ejus, præcipuus auctor Valerianus Chriſtiani ſanguinis pœnas condignas dedit; nam captus à Sapore Perſarum Rege, & in Perſidem abductus, quamdiu vixit more mancipij habitus eſt; Sapores enim ipsô incurvatò, pede calcans ejus cervicem, quaſi ſuppedaneo uſus ſubſellio, equum conſcendere conſuevit: tandemque cute excoriatus fuit, & ſalitus, atque ità monumentum reliquit ſempiternum ſui infortunij, nec non Divinæ ultionis in Eccleſiæ perſecutores. Gallienus autem Valeriani filius, ſolus Imperiò potitus clementiùs ſe geſſit; quantumvis enim ferox, & in Chriſtianos crudelis, paternâ tamen clade, velut prodigiò, perterritus, & exemplò correctus, edictis vulgatis furentem in Chriſtianos perſecutionem compreſſit; ac ea quæ Chriſtianæ Religionis ſunt liberè exequi conceſſit, per litteras ad S. Dionyſium, cæteroſque Epiſcopos datas, hujus tenoris. [Imperator Cæſar Publius, Licinius Gallienus Pius, Fortunatus Auguſtus; Dionyſio, & Pinnæ, & Demetrio, & cæteris Epiſcopis ſalutem. Meæ munificentiæ beneficium per univerſum Orbem divulgari præcepi: ut qui loca religioſa, quæ ſpectant ad Chriſtianos, poſſident, ab illis ſtatim diſcedant. Et propterea vos litterarum mearum exemplari uti poteritis: quò nemo deinceps vobis quidquam faceſſat moleſtiæ. Atque iſtud quidem, ut nunc liberè, & pro arbitratu à vobis expleri queat; jam pridem à me erat conceſſum. His de cauſis Aurelius Cyrenius, qui ſummam rerum ſecundùm me adminiſtrat, litterarum etiam exemplar conſervabit.] Hæc Gallienus Imperator. Atque ità in Eccleſia Chriſtiana poſt ſævam illam tempeſtatem ſubitò eſt ſubſecuta amabilis ſerenitas.

captus extremam, alitus:

Gallienus exemplo iſto mitior, perſecutionem compreſſit:

ſcribit S. Dionyſio & aliis Epiſcopis.

Vid. Euſeb. l. 7. c. 14. & Baron ad an. 262.

ANNOT. (a) *S. Dionyſium conſecratum à Maximo Oſtienſi Epiſcopo, traditur in Actis S. Laurentij, & à Baronio in Annalibus ad an.* 261.

(b) Graviſſima in Chriſtianos perſecutio. *De illa videri poterunt liber 7. Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij, acta martyrij S. Cypriani Carthaginenſis, & aliorum SS. Martyrum, in illa perſecutione interemptorum, ſed potiſſimè Annales Eccleſiaſtici Cardinalis Baronij Tomo 2. ab anno 259. ad 262. De pace poſtmodùm Eccleſiæ reddita ſub Gallieno Valeriani filio agitur apud Euſebium eodem libro 7. cap. 14. & ex iſtis ſunt deprompta jam antè dicta.*

CAP. II.

Sanctus Dionyſius Papa cauſam examinat Dionyſij Alexandrini: proptereà Concilium cogit: ipſum abſolvit.

Diſſipata inſtaurat,

422. Reſtitutâ itaque ſub Gallieno Eccleſiæ pace S. Dionyſius Papa ſe totum convertit, ad inſtauranda ea, quæ in immani illa Valeriani perſecutione diſſipata erant. Imprimis cùm Pentapolitani Epiſcopi nonnulli Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum tamquàm de fide non rectè ſentientem in myſterio SS. Trinitatis, circa perſonarum diſtinctionem, atquè etiam circa conſubſtantialitatem Filij cum Patre ad primarium Antiſtitum omnium Judicem Romanum Epiſcopum Dionyſium detuliſſent: magni autem negotium ponderis videretur; tùm naturâ ſui, quòd de ſublimi illa imperceptibili, ac ineffabili agendum eſſet Divina ſubſtantia in perſonarum Trinitate diſtincta: tùm quòd primi omnium, poſt ipſum Romanum

Concilium congregat,

manum Epiſcopum, Antiſtitis in Eccleſia Catholica eſſet cauſa tractanda; Romæ coëgit Concilium Epiſcoporum; in quo expoſitâ à majoribus traditâ ſincerâ fide, ac ſtabilitâ; ipſum Dionyſium Alexandrinum quid de ea re ipſe ſentiret, ut litteris declararet, Dionyſius Papa, paritèrque Synodus univerſa commonuit.

In cauſa Dionyſij Alexandrini,

423. Paruit accuſatus Epiſcopus, epiſtolam, ſeu librum Apologeticum ſcribens ad ipſum Romanum Pontificem Dionyſium, apud eum cauſam ſuam agens, & poſtulans ut objecta ſibi indicarentur, & deindè evidentèr declarans, ac profitens, ſe neutiquàm ſentire, nec unquam verbo vel ſcripto tradidiſſe (prout ipſi obtrudebatur) quòd Dei Verbum opus, vel creatura, vel factitium aliquod eſſet: ſed ècontrà ex una parte ſe ſentire, & docuiſſe Catholicam veritatem, nempè Chriſti humanitatem diſtinctam, & minorem Divinâ naturâ, ac Patris perſonalitate: & conſequentèr Filium Dei à Patre quoad perſonalitatem atque etiam quoad naturam humanam (non quoad naturam Divinam) verè, & realitèr diſtinctum: atque ita Patrem, & Filium duas eſſe perſonas, & conſequentèr Dei Filium, non autem Patrem (ſicut Sabelliani impiè fabulabantur), pro nobis natum, & paſſum: ex altera verò parte ſe credere, & docuiſſe, quòd Verbum ſit paternæ ſubſtantiæ germen, Patremque inſtar fontis, & Filium quaſi fluvium qui ex fonte gignatur. Prætereà quòd Filius ſit ſplendor æternæ lucis (Patris) & quia ſplendor eſt æternæ lucis, omnibus modis ipſe quoque æternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, certum eſt & ſplendorem ſemper exiſtere: eò enim lucem eſſe, quòd ſplendeat, intelligitur; non enim fieri poteſt, ut lux non luceat. Deniquè, quòd Filius verè ſit Patri conſubſtantialis, prout ſancta Nicœna Synodus poſtea declaravit contra impia dogmata Arrij.

qui accuſationis ſuæ cauſa, & fidei rationem reddit,

Verbum divinum quid ſit, catholica doctrina,

424. Hæc omnia manifeſta ſunt ex Epiſtolis, & libris quatuor Apologeticis ipſius Dionyſij Alexandrini, ad Romanum Præſulem Dionyſium (de quibus hæc S. Hieronymus. [Quatuor item libros de eodem argumento (nempè contra Sabellij hæreſim) compoſuit, quos gentili ſuo Dionyſio, qui Romanus erat Epiſcopus, dedicavit.] Nec non ex S. Athanaſio de ſententia Dionyſij contra Arrianos, & libro contra hæreſes Arrij.

S. Hieron. libro de Script. Eccleſ. in Dionyſio Alex.

Causâ igitur Dionyſij Alexandrini ſic in controverſiam deductâ, & Romæ in pleno Epiſcoporum conventu agitata, & oppugnantibus cum accuſatoribus, atque ipſo, iterùm atque iterùm miſſis Romam defenſionibus, ſe purgante, atque defendente, maturo conſilio fuit declarata, eique adjudicata: & Dionyſij Romani Pontificis judiciali ſententiâ ipſe abſolutus extitit.

& Pontificis judiciali ſententiâ abſolvitur.

ANNOT. *De cauſa præfata Dionyſij Alexandrini delata ad Dionyſium Romanum Pontificem, Concilio Romano propterea habito, reſcripto Dionyſij Alexandrini pro ſua defenſione, & ejus abſolutione in pleno Epiſcoporum conventu, plura videri poterunt in Annalibus Eccleſ. Cardinalis Baronij ad an. 263. undè omnia ferè iſtius capitis 2. deſumpta ſunt.*

CAP. III.

Sabellij per Dionyſium Papam profligata hæreſis: inter eam, & Arrianam media ſtrata via: Pauli Samoſateni fracta ſuperbia, & damnati errores.

425. EXtremis repreſſis perſecutionum tempeſtatibus tempore S. Dionyſij Papæ, ut jam dictum eſt, domeſticæ Eccleſiam turbines jactarunt, ſuſcitatæ ſcilicet per varios exurgentes Hereſiarchas. Hinc Sabellius (a) in Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemus, Trinitatem negans, Perſonarumque diſtinctionem explodens, unam tantum perſonam in ea prædicabat. Undè conſequentèr varia alia abſurda deducebantur. (a)

426. Impietati iſti ſeſe generosè oppoſuit S. Dionyſius Pontifex Romanus, cum dogmate ſuo impium Hæreſiarcham damnando, & anathematizando, & inſupèr contra illius ſectatores Hæreticos Sabellianos edidit commentarium; quem S. Athanaſius citat, cum ait [En tibi rursùm alterum Dionyſium Romanum Epiſcopum, ità in ſcriptis ſuis contra Sabellianos, eoſque qui talia dicunt, expoſtulantem, &c.] Rursùs verò ne occaſione vitandæ hæreſis Sabellianæ in contrariam quis præceps ferretur ſententiam, quâ non tantum perſonâ ſed & naturâ diſtingueret à Patre Filium (quod fecerunt poſteà Arriani) adversùs ejuſmodi oppoſitam illi impietatem commentarium elucubravit, cujus his verbis idem Athanaſius meminit: [Porrò ex Dionyſij Romani Epiſcopi voluminibus contra eos, qui Filium, Dei opus, aut creaturam aſſeverant, ſcriptis clarè oſtenditur, hæreſim Chriſto rebellium Arrianorum non tunc jam primùm, ſed olim ab omnibus damnatam fuiſſe.] Hæc Athanaſius. Ex quibus planè videas ipſum Dionyſium Romanum Pontificem, ut quiſque declinaret extrema, mediam ac planè regiam ſtraviſſe viam: atque, perindè ac optimus in exercitu Imperator, ſic cornui dextro periclitanti tuliſſe ſuppetias, ut tamen incolumitati ſiniſtri conſultum in omnibus eſſe voluerit: atque ità in hunc modum ſinceræ fidei veritati omni ex parte eſſe proſpectum. Ità Cardinalis Baronius.

Sabellij damnat hæreſim,

& inter eam ac Arrianam,

mediam, & tutam ſternit viam.

Baron. ad an. 263.

427. Iſthinc iiſdem temporibus Paulus Samoſatenus (b) Epiſcopus Antiochenus elatus mente, excidit à veritate, & ab Orthodoxa fide naufragus eſt factus, adulterinas, & alienas ab Eccleſia doctrinas, nefarias pleraſque tradens ſententias, etiam circa SS. Trinitatis myſterium, & præcipuè circa Chriſti Divinitatem, blaſphemans ipſum non fuiſſe ante Mariam: & ſolùm communi naturâ eſſe cum homine præditum, ejuſque in Sacramento Euchariſtiæ vivificum ſanguinem eſſe corruptibilem, prout habetur ex ſcriptis prænominati Dionyſij Alexandrini, impudentem (b)

Pauli Samoſateni nefaria doctrina,

iſtum

illas profligat S. Dionyſius:

iſtum Hæreſiarcham impugnantis: quem ſimilitèr S. Dionyſius Papa duplici Antiochiæ coacto Concilio tamquàm peſtem, & perniciem gregis Chriſti condemnavit, ejusque hæreſes, etiam editis commentariis, profligavit. Hinc S. Athanaſius [Duo Dionyſij Samoſatenſem ſuſtulere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præſul erat.] Meritò autem priori loco ponit Dionyſium Romanum Epiſcopum; eò quòd ipſe hujus operis præcipuus architectus fuerit. Ideò etiam Patres Concilij ſecundi Antiocheni epiſtolam Synodicam ad omnes Orbis Epiſcopos, contra Pauli Samoſateni errores, primo loco, & nominatim Dionyſio Romano Pontifici inſcripſerunt.

Athan. lib. de Synod.

428. Sed iſtud peculiaritèr admirandum hîc occurrit, quòd ipſe Imperator Aurelianus (c) quamvis Ethnicus, ipſius Dionyſij Romani Pontificis, aliorumque Epiſcoporum ſententiam contra Paulum Samoſatenum ratam decreverit; cùm enim Paulus damnatus, à ſede depoſitus, ex Epiſcopali domo exire nollet, rogatus Aurelianus, quid eſſet agendum: præcepit, ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Urbis Romæ & Italiæ Epiſcopi (quorum primus erat S. Dionyſius) per litteras tribuendam præſcriberent. Atque ità Paulus ille cum ſummo dedecore, ſæcularis Imperij, ac poteſtatis auctoritate ab Eccleſia penitùs extruditur. Uſque adeò enim innotuerat Romani Pontificis toto Orbe poteſtas, ut & Ethnicos non lateret, aliorum Epiſcoporum ſententias eas eſſe ratas, quas auctoritas Romani Pontificis confirmaſſet. At quoniam ſciebat Imperator, ab eodem Pontifice in eandem cauſam fuiſſe congregatos Italiæ Epiſcopos Romæ ad Synodum ad tanti ponderis cauſam examinandam: idcircò dixit in ſuo decreto, id eſſe debere ratum, quod unà cum Romano Epiſcopo Italiæ Chriſtiani decernerent.

(c) *Cujus ſententiam ratam decrevit Aurelianus Imperator.*

ANNOT. (a) Sabellij *hæreſes accuratè deſcribit, & refellit ex Scripturis, & Patribus noſter Guido de Perpiniano libro de hæreſibus cap.* 40 *quod eſt,* de errore Noëtanorum, & Sabellianorum.

(b) Pauli Samoſateni (*ſeu* Paulinianorum) *hæreſes commemorat, & refutat idem Guido ibi conſequenter cap.* 42.

(c) Decretum Aureliani Imp. contra Paulum Samoſatenum, *& quomodò Eccleſia Romana primatum agnoverit, videndus Euſebius in Eccleſ. hiſtoria lib.* 7. *cap.* 24.

De damnatione hæreſum Sabellij, & Pauli Samoſateni per ſanctum Dionyſium Romanum Pontificem, & ejuſdem commentariis contra illas hæreſes plura videri poterunt apud Cardinalem Baronium ad annum 263. *&* 265.

CAP. IV.

Parochiæ Urbis Romanæ, atque etiam alibi Diœceſes à S. Dionyſio Papa diviſæ, & definitæ.

429. Inter complura Eccleſiæ utilia à ſancto Dionyſio Papa ſancita, illud peculiaritèr in libro de Romanis Pontificibus ſcriptum habetur; Quòd presbyteris Romanis (qui Cardinales poſtea appellati ſunt) Parœcias Urbis diſtribuit, itemque Epiſcopis Diœceſes, ut ſe quiſque certis contineret limitibus. Tale aliquid accidit in vetere Synagoga, ſcribente Joſepho lib. 7. cap. 9. Ante Davidem quiſque Levita undecumquè veniſſet Hieroſolymam, quolibet tempore habebat poteſtatem ingerendi ſe miniſterio citra diſcrimen. Sed poſteà David in 24. ordines miniſtros templi diſtinxit, vetuitque ne alij aliorum ordinem perturbarent.

Parœcias, & Diœceſes diſtribuit S. Dionyſius:

Ordinum diſtinctio in veteri Eccleſia,

430. Quin imò & in cœleſti Hierarchia diverſi Angelorum ſunt Ordines: hinc meritò ei conformatur Eccleſiaſtica Hierarchia: & hanc ſuæ ordinationis circa diviſionem illam parochiarum & Diœceſium rationem quoque ipſe S. Dionyſius allegat in ſua Epiſtola decretali ad Severum Epiſcopum Cordubenſem, in qua iſta, inter cætera: [Dionyſius Epiſcopus Severo Epiſcopo ſalutem. Olim, & ab initio, tantàm percepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem univerſali Eccleſiæ, auxiliante Dominò, ſubvenire, & quidquid nocivum eſt; auctoritate Apoſtolicâ, corrigere, & emendare. Ad hoc enim divinæ diſpenſationis proviſio gradus, & diverſos conſtituit ordines eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diverſitate contextio; & rectè officiorum generaretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia verò creatura in una, eâdemque æqualitate gubernari, vel vivere non poteſt, cœleſtium militiarum exemplar nos inſtruit; quia dum ſint angeli, ſint archangeli, liquet, quia non æquales ſunt, ſed in poteſtate, & ordine, ſicut noſti, differt alter ab altero. Si ergò inter eos, qui ſine peccato ſunt, iſtâ conſtat eſſe diſtinctionē, quis hominum abnuat, huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc etenim pax & charitas, mutuà ſe vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placitâ dilectione ſinceritas.] Hæc Dionyſius ad Severum. Porrò ab Eccleſia, Eccleſiæque Pontificibus ad ſuperioris ætatis conſuetudines & decreta quandòquè exigentibus occurrentibus occaſionibus, nonnulla adduntur. Nam Eccleſia perpetuò proficit, & pro natis occaſionibus nova aliqua

& in cœleſti Hierarchia.

Rom. Pont. auctoritatem habet univerſalis Eccleſiæ.

in qua neceſſaria eſt diverſitas ordinum.

 pietati

pietati commoda profert. Sic Salomon minimè contentus Moyſis & ſuperiorum temporum ſimplicitate, ad illius exemplar, quantumvis à Deo præſcriptum, innumera adjecit.

Diœceſes, & parœcias cur diviſerit S. Dionyſius.

431. Animadvertendum tamen quòd etiam à S. Dionyſij anteceſſoribus Romanis Pontificibus, ſuis limitibus diſtinctæ fuerint Parœciæ, & Diœceſes, ac diviſæ presbyteris, & Epiſcopis. At cùm in perſecutione Valeriani Epiſcopi & Presbyteri ab Eccleſiis eſſent avulſi, & complures martyriò vità functi, eaſdem iterum ipſe S. Dionyſius, tranquilliora nactus tempora, diviſit, ac pro ratione diſtribuit. Inſupèr de Chriſtiana Religione dilatanda, & propaganda ſeriò cogitans, animadvertit Diœceſes à ſuis prædeceſſoribus inſtitutas nimiùm extendi, ut benè & commodè ab uno Epiſcopo, creſcente jam indies fidelium numerò, adminiſtrari poſſint. Re maturè perpensâ antiquas illas (a) Diœceſes, & Parœcias, ſeu parochias reſtrinxit, novis, iiſque arctioribus limitibus terminavit, novaſque Diœceſes intra antiquarum nimium extentos terminos inſtituit, idque conformitèr ad diſtinctionem civilem Romanorum Imperatorum, ut civitates Epiſcopales, eandem habe-rent juriſdictionem in ſpiritualibus, quam habebant in civilibus.

(a) Baron. ad an. 270.

Definitio iſta Diœceſium etiam in Hiſpania, & Gallia facta fuit.

432. Quòd verò iſta diviſio, & definitio non tantùm Romæ, & in Italia, ſed etiam in Hiſpania, & alibi facta fuerit à S. Dionyſio Papa, habetur ex antedictis, & mox dicendis de Gallia, & Belgiò, ac ex præfata ipſius Epiſtola decretali ad Severum Epiſcopum Cordubenſem, in qua inter cætera iſta: [Dionyſius Epiſcopus &c. tantam percepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem univerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubvenire.] Et infrà: [Hanc quoque normam, chariſſime, te, & omnes Epiſcopos ſequi convenit, & quod tibi ſcribitur, omnibus quibuscumque potueris, notum facias, ut non ſpecialis, ſed generalis fiat iſta præceptio:] Hæc Dionyſius Papa. Igitur S. Dionyſius habens auctoritatem univerſalis Eccleſiæ (ut ipſe ſcribit) generalem facit præceptionem. Ad varias etiam Regiones Euangelij prædicandi causâ Viros Apoſtolicos in doctrina Euangelica ritè inſtitutos, deſtinavit, & quidem in Galliam, & Belgium ſanctos (b) Fuſcianum, & Victoricum Morinorum Apoſtolos, nec non ſanctos Rufinum, Valerium, Quintinum, Criſpinum, Criſpinianum, Lucianum, Piatum (ſeu Piatonem) Chryſolium, Marcellinum, Albinum: quibus ſingulis ſuus fuit aſſignatus diſtrictus.

S. Dion. in Galliam, & Belgium viros Apoſt. deſtinavit. (b)

433. ANNOT. (a) Diœceſes, & Parochias reſtrinxit. *Id habetur ex libro Pontificali, & libro 1. Conciliorum (ubi de S. Dionyſio) Platina, Baronio, & aliis.*

Id confirmatur ex vetuſtis Eccleſiarum monumentis.

(b) *De SS. Fuſciano, Victorico, Piato & Morinorum Apoſtolis à S. Dionyſio Papa eò miſſis, accuratè tractat R. P. Iacobus Malbranc Societatis Ieſu, in hiſtoria Morinorum lib. 2. cap. XI. & in Scholiis: ubi etiam tradit, ipſum* S. Dionyſium Papam definiviſſe Diœceſes Cameracenſem, & Atrebatenſem, paritèr Taruanam, & Bononicam, ex vetuſtis Eccleſiarum illarum monumentis. *Ibidem de illa Diœceſium depatitione, atque Apoſtolicâ præfatorum miſſione, ita ſubjungit:* Videtur autem Pontifex (ut pulchrè in ſua aſſertione de S. Piato probat Pleſſius) quoniam Parœcias, ſeu Diœceſes ab ipſo in Gallia definitas erant occupaturi, quos in Sacerdotes extulerant, etiam charactere Epiſcopali inſigniviſſe. Quippè eâ ætate non ſemper ſponſo ſponſa jungebatur, ſimul cum ipſa inauguratione, Eccleſia, at ſæpiùs ad varias miſſiones, & Provincias pro obvia magis Chriſtiani gregis neceſſitate obeundas (uti de SS. Firmino, Silvino, & aliis multis legere eſt apud Antiquos) deſtinabantur. Definitarum quidem Diœceſium unam, aut alteram cuique aſſignari voluit. *Hac ille. Alia ad hoc propoſitum vide hîc ſuprà in Prolegomenis § 2. num. 413. Ex dictis habetur, quòd Galli & Belgæ viciniſque fidei Chriſtianæ debitores Dionyſio noſtro Pontifici maximo agnoſcere debeamus, & quòd illi debeatur Galliæ, & Belgij Apoſtolatus nomine, ſicut magno Gregorio etiam Pontifici, Anglorum.*

434. *In Scholiis ad dictum caput XI. libri 2. iſta annotantur:* De illa diſtinctione Parœciarum, & appellatione etiam vetera Eccleſiæ Atrebatenſis monumenta ſic habent: [Dionyſius Papa juxta Chronicorum fidem 263. annis fuit ante Hormiſdam (quem tempore S. Vedaſti conſtat Romæ ſedem tenuiſſe) inter cæteras Urbes Atrebatum atque Cameracum adſcriptas, cùm ſuiſque Parœciis diſtinctas reliquit:] *Et infrà in indice:* [Dionyſius Papa Definit Diœceſes Cameracenſem & Atrebatenſem, paritèr Taruanam, & Bononicam.] *Eadem tradit P. Heribertus Roſweydus, etiam Societatis Ieſu in Eccleſiaſtica hiſtoria Belgica, ad annum Chriſti 270. ubi iſta:* Anno Domini 270. S. Dionyſius Romanus Pontifex parœcias totius Chriſtianiſmi diſtinxit, atque congrua in ordinem diſtribuit. *Et infra:* Has inter recenſentur Cameracenſis, & Atrebatenſis, ſicut conſtat ex vetuſtis Regiſtris Eccleſiæ Atrebatenſis. *Itaque & D. Dionyſius Mudzaert Ordinis Præmonſtratenſis in Eccleſiaſtica hiſtoria ad eundem annum: ubi idem cenſet de Eccleſiis (ſeu Diœceſibus) Tungrenſi, & Colonienſi, ſeparatis à Treverenſi, licèt id non ſtatim executioni mandatum ſit.*

CAPUT V.

Salutaria S. Dionyſij Papæ documenta, utiliſſima pro Rectoribus tam Eccleſiaſticis, quam politicis: ſanctus ejus obitus, & cultus.

435. Regiminis regulam, quam ipſe ſervabat, hanc Severo Epiſcopo Cordubenſi practicandam præſcripſit. [Hæc itaque, Frater chariſſime, quæ pro affectu ſacerdotalis nominis, & honoris impendimus, tibi, tuiſque ſubditis, & omnibus tenenda, & aliis nuntianda, atque prædicanda mandamus, quibus & pietas ad utilitatem, & ſit ad fructum dilectio. Undè objurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſolando, prodeſſe, quibus poſſumus, feſtinemus. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, pravis aculeus. Timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuet, deſides hortando ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur, ut quia Doctores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus. Simus in cuſtodia vigilantes, aditum contra hoſtis inſidias, ſolliciti muniamus. Et ſi quandò perditam ovem de commiſſis gregibus error abduxerit, toto

Prælati boni regula optima.

toto illam annisu ad cauſas Dominicas revocare contendamus; ut de paſtoris nomine, quod habemus, non ſupplicium, ſed præmium conſequamur. Quia ergo in his omnibus divinæ gratiæ adjutorium opus eſt, Omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda, & velle tribuat, & poſſe concedat, atque in ea nos via, cum fructu boni operis, quam ſe paſtor paſtorum eſſe teſtatus eſt, dirigat, ut ſine quo nihil agere poſſumus, per ipſum implere omnia valeamus.] Hactenus Dionyſius Papa ad Severum Epiſcopum.

Regula alia etiam pro omnibus Superioribus.

436. Urbanum autem Præfectum his inſtruxit monitis: [Tuam hortamur dilectionem, ut bonum, quod cœpiſti, ſemper implere non differas, quia non laudatur initium, ſed finis. Sapientiam etiam te hortamur diligere & ſcrutari, ut rationabiliter & ſapienter diſponas & judices ea, quæ tibi commiſſa ſunt, dicente Domino per Prophetam: Erudimini, qui judicatis terram. Time ergo Deum, & mandata ejus ſerva, & dilige eum totis viſceribus, & proximum tuum ſicut te ipſum. Deus altiſſimus creavit ſapientiam in Spiritu ſancto. Et vidit, & dinumeravit, & menſus eſt. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem. Secundùm datum ſuum præbuit illam diligentibus ſe. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudine dierum. Timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis ſapientia. Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos, & eos evertet viriliter. Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis, & remiſſus in operibus tuis. Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi. Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. His fultus ſcripturarum auctoritatibus, ſemper ſta rectus, & à via veritatis ne avertaris, ut gratiam Dei ſemper acquiras, & bonorum hominum amicitiâ ſemper fruaris, tantòque tua facilius ab amore hujus ſeculi mens excat, quantò & impellitur, dum vocatur.] Et iſta ad Urbanum, omnibus etiam Superioribus perutilia.

S. Dionyſius Pontifex annis undecim &c.

437. Tandem verò ſedulus hic Pontifex Dionyſius, pro Eccleſia Dei adversùs hæreticos, & perſecutores plurimis laboribus exantlatis, feliciter migravit ad Dominum anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cùm ſediſſet annos undecim, menſes tres, & dies quatuordecim; ſepultusque eſt in Cœmeterio Calixti viâ Appiâ. Fecit ordinationes duas menſe Decembri, quibus creavit Presbyteros duodecim, Diaconos ſex, Epiſcopos per diverſa loca ſeptem. Incidit autem pretioſa magni Pontificis hujus mors in diem vigeſimam ſextam Decembris. Feſtivitas tamen ſub ritu duplici per totum Carmeli Ordinem quondam die XIV. Januarij ſolemnizabatur, nunc verò die XIX. ejuſdem, tranſlata propter Feſta, & Octavas intereà occurrentes.

Obiit 26. Decemb.

ANNOT. *Epiſtola iſta dua, ad Severum Epiſcopum & Urbanum Præfectum integra extant Tomo 1. Conciliorum fol. XCVIII impreſ. Colon an. 1559*

De anno obitus, & tempore Pontificatus S. Dionyſij peculiariter tractat Baronius ad an. Chriſti 272 ſub finem. Vide hic ſuprà in Prolegomenis, §. 1. ſub finem.

XX. JANUARII.

An. 473. obiit (alij an. alium notant.)

DE S. EUTHYMIO THEOPHORO,

Incola locorum, ubi diſcipuli SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei, Filij Prophetarum, & Eſſeni, habitarunt, & eandem vitæ rationem tenuerunt.

438. DEcimo tertio Kalendas Februarij (*id eſt, vigeſima Januarii*) ſancti, & Theophori Patris, Euthymij magni. *Ita Joannes Molanus in Martyrologio. In Annalibus Carmelitanis* (a) *de eo iſta leguntur*: [Unus, Deo providente, inter alios clariſſimus hoc tempore in partibus illis fulgebat. Is erat S. Euthymius Abbas, cujus vitam, & hiſtoriam latè proſequitur Cyrillus Monachus ejuſdem temporis, à Metaphraſte in paraphraſim redditam, & apud Surium Tom. 1. pro die 20. Januarij, & Joannem Bollandum in Actis Sanctorum Tom. 2. pro eadem die inſertam, à nobisque, vel compendiosè recitandam, eò quod ex loco, in quo is ſanctus Monachus exercebatur, aliisque circumſtantiis infectis expendendis, elicitur, non aliud ipſum Inſtitutum, niſi pervetuſtum Elianum, & Eſſenum amplexatum fuiſſe. *Et poſt alia ad vos confirmandum.* Fundavit etiam cum Domitiano diſcipulo monaſteria alia circa mare mortuum; quo etiam denotatur, vitam Propheticam amplexatum fuiſſe, cùm ea loca quæreret, ubi Prophetarum filij Eliæ diſcipuli; & poſtea Eſſeni, manſiones habuerunt.

(a) Ad an. 419.

S. Euthymius Eliani Inſtituti cultor,

In locis ubi diſcipuli S. Eliæ habitarunt:

439. *Iſta magis ſtabilita videre licebit in XII. Fundamentis ſuprà poſitis, præſertim Fundamento IV. ubi etiam (ex PP. Bollando, & Henſchenio) ſermo fuit de S. Euthymio, habitante primum in Laura Pharan, haud longè à Jordane, & deinde in eremo Engaddi monaſterium erigente, ſed ad vitam Heremiticam potiſſimam vitæ partem agente. Ibidem etiam eandem vitæ rationem ſervarunt S. Theoctiſtus ejus S. Sabbas, & alij diſcipuli ejus: atque ita etiam illi eorundi ſucceſſores (in loco & Inſtituti) Eliſeorum Prophetarum, & Eſſenorum. In iſtis enim locis Filij Prophetarum Eliæ diſcipuli,*

Id pleniùs declaratum eſt ſuprà Fundam. 3. & 4.

& poſtea Eſſeni, etiam Therapeutæ nuncupati habitarunt: ſicut pleniùs declaratum eſt Fundamento III. & IV. illuc, ne hic prolixiores ſimus, remittimus lectorem, qui ex dictis hîc & ibi perſpiciet, cur, & quo jure hîc de iſto S. Euthymio mentio fiat. Sed ut aliquid utilitatis majoris ex ejus vita referamus, indè paucula delibamus (plura expetens adeat præfatos vitæ ejus ſcriptores.)

Vita ejus compendiò:

440. S. *Euthymius parentibus ſterilibus cœlitùs promiſſus, natus eſt Meliteni in Armenia: adoleſcens annorum viginti profectus in Palæſtinam, pervenit ad Lauram, nuncupatam* Pharan, *olim à* S.*Charitone extructam. Cum Theoctiſto quinquennio manſit in* Pharan, *ac deinde in ſpelunca: & ibi herbis agreſtibus (ſicut olim Filij Prophetarum) victitabant, habentes deinde etiam ſocios ejuſdem vitæ Marinum & Lucam, qui magnum illum Theodoſium cœnobiarcham (de quo hîc ſupra ad diem XI. Ianuarij) ad monaſticam perduxerunt perfectionem.*

ratio vitæ monaſticæ eadem quæ Filiis Proph.

Deindè monaſterium, ſeu Lauram *conſtruebat S. Euthymius, regularia ibi tradens documenta, de obedientia, humilitate, propriæ voluntatis abnegatione, ſilentio ſervando, armis ſpiritualibus utendis, & alia, ſicut in libro de inſtitutione primorum Monachorum deſcripta, à Filiis Prophetarum obſervata fuerunt, ac etiam ab Eſſenis practicata.*

S. Geraſimus ejus ſocius,

Similis vivendi ratio fuit in Laura, & cœnobio S. *Geraſimi, de quo in ipſius S. Euthymij vita iſtaz* Hic ergo magnus Geraſimus, qui Jordanis ſolitudinis civis fuit, ſimul & patronus, cùm maximam illic Lauram, quæ non pauciores, quàm ſeptuaginta anachoretas habebat, conſtruxiſſet, & prætereà cœnobium in medio ejus optimè collocaſſet; curabat, ut qui introducebantur quidem Monachi, manerent in cœnobio, & vitam monaſticam exercerent; qui autem crebris & longis ſe laboribus exercuerant, & ad perfectionis menſuras jam pervenerant, eos in iis, quæ vocantur, cellis collocans, ſub hac jubebat vivere regula; ut quinque dies hebdomadæ unuſquiſque in ſua cella ſileret, nihil guſtans, quod eſſet eſculentum, niſi panem & aquam & dactylos; ſabbatho autem & Dominicâ venientes in Eccleſiam, cùm participarint ſanctificata, coacto uterentur in cœnobio, & ſumerent parum vini. In cella verò nulli permittebatur aut ignem accendere, aut coctum guſtare. Paupertas autem tantæ erat eis curæ, quantæ nihil aliud: & humilitate maximè ornabantur. Unuſquiſque verò laborem ſuarum manuum, qui per hebdomadam ab eis factus fuerat, ſabbatho ferens in cœnobium, circa veſperam Dominicæ, hebdomadæ ſumptus rursùs accipiens, panes, inquam, & dactylos, & aquam in vaſe aliquo, & palmas, rursùs redibat in cellam. *Agebant itaque partim vitam anachoreticam, partim cœnobiticam, qualis olim inter Filios Prophetarum, & Eſſenos, ac Religioſos Carmelitas uſitata fuit, ſicut declaratum eſt hîc ſuprà Fundamento X.*

conſtruit Lauram:

in qua partim erant cœnobitæ partim anachoretæ:

qualis ubi vivendi norma.

441. *Sub eodem etiam* S. *Euthymio tyrocinium vitæ monaſticæ egit* S. *Sabas. Inter cæteràs eximias* S. *Euthymij virtutes, ſingulariter eminuerunt abſtinentia, ſilentij obſervantia, & vigilantia; nam in ejus vita legitur,* quòd nemo eum umquàm viderit comedentem, niſi ſabbathò, aut die Dominico; non cum aliquibus colloquentem, & nullo modo quempiam convenientem, niſi fortè uſus aliquis poſtularet, ut eum conveniret; numquam ſuper latus cubantem, ſed nunc quidem ſedentem, & parùm oculis conniventem, nunc autem funem, qui ab aliquo angulo tecti cellæ dependebat, ambabus tenentem manibus, & ſic ſomnum aliquem moderatè guſtantem. *Singulariter etiam in eo refulſit Zelus fidei orthodoxæ contra Neſtorium, & pro defenſione doctrinæ S. Cyrilli, nec non pro Synodo Chalcedonenſi: propterea in Martyrologio Romano, illô decoratur elogio:* In Palæſtina natalis ſancti Euthymij abbatis, qui zelo Catholicæ diſciplinæ, & virtute miraculorum, tempore Marciani Imperatoris in Eccleſia floruit. *Ex dictis, collatis cum illis, quæ ſupra in duodecim Fundamentis dicta ſunt, præſertim Fundamento IV. V. & ſeq. ſatis patet, omnes iſtos, iiſdem in locis, ubi olim Filij Prophetarum, & Eſſeni morati ſunt, eandem vitæ rationem ſervantes, conſequenter ejuſdem etiam fuiſſe Inſtituti.*

S. Euthymij virtutes eximiæ,

zelus fidei orthod.

XXII. JANUARII.

AN. 627

VITA S. ANASTASII MARTYRIS,

Ordinis Beatiſſimæ Virg. Mariæ de monte Carmeli.

PROLEGOMENA.

§. 1. *S. Anaſtaſius Monachus Eliani Carmelitici Inſtituti: Epitome, & chronologia vitæ ejus: devotio erga Deiparam.*

S. Anaſtaſius inter præcipuos Ordinis Carm. Sanctos colitur.

442. I*Nter illuſtriores Ordinis hujus ſanctos Martyres habetur* S. *Anaſtaſius, cujus proindè memoria, per totum annum (extra tempus Paſchale, & Octavas) Dominicis, & feſtis omnibus non duplicibus, ac feriis, memoria fit unà cum aliis præcipuis Sanctis, bis per diem, ſcilicet in Laudibus, & Veſperis, hiſce precibus:* Chriſti pia gratia Sanctos ſublimavit, quos Beatæ Virginis Ordo propagavit: nos eorum meritis petimus adjuvari, atque ſuis precibus Deo commendari. Omnipotens, & Clementiſſime Deus, qui montis Carmeli Ordinem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Genitricis Filij tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacrato titulo inſignitum, Sanctorum tuorum Patris noſtri Eliæ, ac Eliſei Prophetarum, Angeli, & Anaſtaſij Marty-

Martyrum meritis decorato, &c. *Feſtum ejus per totum Ordinem ſ[illegible], varii etiam locis, ob ſingularem ad eum [illegible] devotionem peculiari ſolemnitate, & apparatu celebratur ad diem XXII. Ianuarij: in qua olim iſta Oratio, ſeu Collecta in Officio Canonico recitari ſolebat:* Deus in te ſperantium fortitudo, qui ſancto Anaſtaſio Monacho Inſtituta Eliæ profitenti auxilium gratiæ tuæ ad vincula, & verbera cum ſeptuaginta aliis pro Chriſti Religione conſtanter ſuſtinenda præſtitiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, ut in exequendis mandatis tuis, eorum precibus, & voluntate tibi, & actione placeamus. Per Dominum, &c. *Nunc autem in Officio à S. Congregatione Rituum approbato anno 1609. ſub Paulo V. & anno 1628. ſub Urbano VIII. hæc aliquantum variata, ad horas, & ad Miſſam canitur:* Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam Martyrii palmam B. Anaſtaſium evocaſti; quæſumus, &c.

443. *Vita ejus, illuſtre martyrium, & miracula, inſerta extant in Annalibus Ordinis hujus, in quibus imprimis iſta:* (a) Spectat maximè ad hiſtoriam noſtram S. Anaſtaſius nobilis Perſa, qui in Perſarum exercitu hoc tempore cum Sai Duce militans, ſuos relinquens, Chriſti fidem, & Carmelæam Eliæ Religionem, ac tandem martyrij palmam ſuſcepit. *Ipſum* Carmeli vineæ palmitem, & Eliæ ſobolem extitiſſe, *confirmatur etiam ibi; tum ex Kalendariis Ordinis quibus ut talis inſcribitur, tum auctoritate Scriptorum hiſtoricorum Ordinis & externorum (quos ibi allegat Lezana) & peculiariter ex Officio Canonico, auctoritate Eccleſiæ approbato ad diem XXII. Ianuarij, quo in Miſſalibus, & Breviariis Ordinis hujus legitur:* In feſto S. Anaſtaſij Martyris, Ordinis noſtri, Duplex minus.

(a) ad an. 618. n. 2.

444. *De ejus ex mago in Chriſtianum converſione, & Carmelitici Ordinis Monachatu, & martyrio ſcribunt Palæonydorus in Faſciculo tripartito (b) & Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali libro 5. cap. 79. ubi iſta:* Heraclij quintô annô permittente Domino flagellari populū ſuum per ſævitiam Paganorum; Coſdroas Rex Perſarum multam partem Reipublicæ Romanæ cepit, multaque terrarum regna ſuo Imperio ſubjugavit, devaſtavitque Damaſcum, Jeroſolymam, & venerabilia loca, & Eccleſias incendit, ac nonaginta millia virorum ac mulierum occidit, populorum captivans copias unà cum Patriarcha Jeroſolymitano Zacharia. Attamen territus de Sepulchro Domini rediens, partem ſanctæ Crucis, quam S. Helena ibidem reliquerat, in Perſidem aſportavit. Eâdem tempeſtate S. Anaſtaſius Perſa ex mago Chriſtianus, & Monachus effectus in monaſterio Carmelitanæ Religionis. *Martyrium ejus ſic ſuccinctè traditur:* Ab eiſdem Perſis cum cæteris perductus in Perſidem captivus. Hic igitur poſt verbera, vincula & carceres; poſt diutinam appenſionem per unam manum, tandem abſciſſo capite, cum aliis ſeptuaginta martyrizatus eſt. Primò namque juſſus eſt deorsùm poni; ac lignum ſuper tibias ejus imponi, [illegible] viros [illegible] ſuper [illegible] partem [illegible] dolores [illegible] ſimiliter [illegible] ſuſpen[illegible] & ſaxum magnum ad pedem ligari, & ſic dereliqui. Tandem cum aliis, ut dictum eſt, ſeptuaginta, miſſis in gutture funibus, ſuffocatus eſt, & poſt [illegible]. Sequenti [illegible] die [illegible] in [illegible] carceris [illegible] lantes ad invicem pagani, dicente uno ad alium: Scis quare venerunt canes, & ſederunt juxta corpus [illegible] Monachi, & non contingebant illud, ſed cuſtodiebant? Aliô autem dicente: Et ego [illegible] ſupplevi vigiliam meam, & [illegible] in domum meam, [illegible] ſicut ſtellam ſuper pavimentum lucidam, & pergens, ut viderem quid eſſet, ſtellam [illegible] non vidi, ſed corpus illius Monachi ibidem jacens reperi. Cuſtodibus hæc dicentibus, Chriſtiani qui in carcere erant, audientes, aliis retulerunt. Proindè ſublatæ reliquiæ ſacri corporis ejus primo Jeroſolymis ad monaſterium ſuum transferuntur; deindè Romam delatæ, venerationem habent in monaſterio B. Pauli Apoſtoli ad Aquas Salvias. Feſtum hujus S. Martyris celebratur 22. die Januarij.

(b) Lib. 2 c. 9. vide To. præced. n. 1013.

S. Anaſtaſij vita compendium ex Arn. Boſtio.

Martyrium.

Stella [illegible] *reperitur.*

445. *Quod Boſtius hic ſupra ſcribit:* Heraclij anno quintô, &c. *convenit cum Chronico Alexandrino, ubi iſta:* Annô Heraclij quintô, Indictione tertiâ, Saan (*qui aliis Saës dicitur*) Perſarum Exarchus Chalcedonem uſque populabundus excurrit. *Is erat annus Chriſti 614. Tunc quoque Cosroës Ægyptum occupavit, & alia loca (ſicut refertur in Breviario Hiſtorico Nicephori Patriarchæ) & Hieroſolymam, ac Terram ſanctam. Cardinalis Baronius ad iſtum annum 614. hiſtoriam illam lugubrem plenius deſcribit, ſic inter cætera.* Jam vero qui auditur ab Oriente luctus, & quæ Hieroſolymis clamat vox ſanguinis, in ſe ſtylum convertit. Hoc ſiquidem annô quintô Heraclij Imperatoris à Coſrhöe Perſarum Rege Syriâ cum Exercitu devaſtante, ſacroſancta Hieroſolymitana civitas capitur, & qui in ea erant Chriſtiani, captivi miſerè ducti ſunt, Judæiſque vili pretio venundati, qui ab ipſis non more gentium in ſervitute retenti ſunt, ſed diverſis, innumeriſque afflicti ſuppliciis, diré admodum necati. Luctuoſa quidem hiſtoria, luguhriſque tragœdia, quæ tamen quàm breviſſimè in Annalibus à Theophane ita reperitur eſſe ſcripta: [Annô quintô Imperij Heraclij, ceperunt Perſæ Jordanem bellô, & Palæſtinam, & ſanctam civitatem, & multos in ea per Judæorum manus interfecerunt, id eſt, (ut quidam ajunt) millia nonaginta. Iſti enim ementes Chriſtianos, prout unuſquiſque habere poterat, occidebant eos. Zachariam verò Hieroſolymitanum Præſulem comprehenſum, & pretioſa & vivifica ligna S. Crucis cum multâ prædâ abduxerunt in Perſidem.] Hæc Annales, paucis his verbis dignam ingenti volumine hiſtoriam perſtringentes.

Chaldræi captus Ieruſalem.

Chriſtiani dirè trucidati ad 90 millia.

446. *Eô tamen annô non contigit converſio S. Anaſtaſij, ſed Heraclij annô decimô, qui erat annus*

Chronologia vitæ S. Anaſtaſij.

annis Chriſti 619. & ſequenti annô 620. Chriſtianam amplexus fidem, baptizatus fuit, & monaſticam vitam amplexatus fuit, in qua ſe exercuit annis ſeptem, uſque ad annum Chriſti 627. quo comprehenſus, & tortus fuit ſæpiùs, ac denique martyriô coronatus annô 628. Martyrium autem ejus duravit circiter novem, aut decem menſium; nam feſtô Reſurrectionis Chriſti annô 627. viſionem habuit de ſuo martyrio (ſicut cap. 2. vitæ ejus refertur) & tunc receptis ſanctis Sacramentis, diſceſſit, ac viſitatis ſanctis locis, mox comprehenſus fuit, & ſæpè tortus Cæſareæ in Palæſtina: ubi manſit uſque ad feſtum Exaltationis S. Crucis: poſteà fuit ductus in Perſidem: ubi etiam ſæpè crudeliter cruciatus agonizavit uſque ad annum 628. (qui erat Heraclij annus XVIII.) diem XXII. Ianuarij. Ejus autem meritis die ſextâ poſt, ſcilicet XXVIII. Ianuarij maximus ille Chriſtiani nominis hoſtis, & Chriſtianarum ditionum helluo, Turcarum prodromus, Choſdroës interemptus fuit à proprio filio: & tunc ſancta Crux reddita fuit. Animadvertendum, quòd S. Cyrillus (de quo infra ad diem VI. Martij) in libro de proceſſu, & Regula Ordinis Carmelitani, Hieroſolymitanæ & Terræ ſanctæ devaſtationem per Choſdroëm referat ad annum Chriſti 617. Et iſta hìc loco annotanda videbantur, pro intelligentia Chronologiæ vitæ S. Anaſtaſij.

Devotio ejus ſingularis ad B. Virg. Mariam.

447. Inter cæteras virtutes, ſingulariter addictus fuit devotioni erga B. Virginem Deiparam; Cùm enim hic Ordo, peculiariter ſit dicatus ipſi B. Virgini Dei Genitrici Mariæ, & ideò etiam in omnibus, aut pleriſque Sanctis, Ordinis hujus alumnis, ſingularis devotio ad illam reſplendeat; hinc etiam S. Anaſtaſius aggreſſurus difficillimum certamen martyrij, ad illud ſe præparaturus, manſit in domo Beatæ, & intemeratæ Dei Genitricis Mariæ diebus duobus; ita legitur in vita priore apud P. Bollandum: in alterâ apud eundem habetur: In Æde prædicandæ Deiparæ Mariæ duos dies moratus eſt. Apud Metaphraſtem, Surium, & Baronium, & hic infrà: In templo Deiparæ Virginis duobus diebus moratur.

(a) Ad an. 618. n. 4.

448. Quoad monaſterium, in quo S. Anaſtaſius monaſticen amplexus fuit, differens Lezana, (a) iſta habet: Quodnam porrò fuerit hoc Elianorum Cœnobium, in quo Anaſtaſius nomen dedit, diſquiri oportet. Etenim ex noſtris quidam dixerunt, fuiſſe monaſterium illud Jeroſolymitanum, quod erat antiqua Ordinis poſſeſſio, juxta portam Auream dictam, de quo in præcedenti Tomo nonnulla dicta. Rectiùs tamen; & conformiùs ad hiſtoriam hujus Sancti, quam ex Metaphraſte, & Beda referunt Surius, & Bollandus, ſentit Coria fuiſſe Lauram aliquam ex illis, quæ juxta S. Civitatem ab antiquis temporibus extructæ erant, de quibus plura in ſuperioribus. Addit tamen fuiſſe Lauram S. Sabæ; quod eſt veriſſimum, ſiquidem in Menologio Græcorum expreſsè dicitur: [Factus Monachus in monaſterio S. Sabæ.] Quod latè, & doctè proſequitur Bollandus relatus. Placet & id, quod ſubjungit Coria, nempè Anaſtaſium noſtrum, antequàm Jeroſolymam veniſſet, Chalcedonem appuliſſe, & indè Carmeli Anachoretas viſitaſſe, & ab ipſis in fide Chriſtiana, & Monaſtica diſciplina inſtrui cœpiſſe, & pòſt Jeroſolymis ipſorum Inſtitutis ſe nuncupaſſe. Favet ad intentum Collecta illa ſuperius relata, & à S. Rituum Congregatione pro eo approbata, ibi: [Qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam Martyrij palmam Beatum Anaſtaſium evocaſti.] Etſi in alio quoque ſenſu, congruentiori forſan, hæc in ſequentibus, explicabimus. Videlicet ad annum 626. & 627. ubi (cùm de ejus martyrio agitur) iſta: Queis conjungimus ex viſione illa, quam habuit, dum in ſuo monaſterio ageret, de poculo ſibi in quodam Monte propinato, quo ſibi martyrij calicem bibendum autumavit; non incongruè elici poſſe, hunc montem Carmelum noſtrum fuiſſe; nedùm quia ejus Inſtitutum profitebatur, ſed & quia viciniſſimus eſt Cæſareæ Paleſtinæ, ubi à Perſis primò carceri mancipatus eſt, & traditus Duci Marzabano, ita ut poſt Dioſpolis, Charizim, & Sacrorum variorum locorum viſitationem, Carmelum multis ſibi titulis locum ſacrum inviſerit, & indè Cæſaream remeaverit, à Dèo vocatus ad ſubeundam Martyrij palmam. Cui noſtræ exiſtimationi aptè congruit Collecta illa pro ipſius Officio à S. Rituum Congregatione noſtratibus conceſſa: [Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine,] &c.

Monaſterii S. Anaſtaſij quodnam fuerit.

S. Anaſtaſius viſitavit Carmelum.

449. Monaſticam igitur vitam S. Anaſtaſius egit in monaſterio S. Sabæ (ſicut exprimit Menologium Græcorum) ſito in Palæſtina, haud longè à Ieroſolymis, inter Ieroſolymam, & Bethlèem, nuncupato. Laura, hoc enim nomine olim vocabantur monaſteria varia in Palæſtina, ſic appellari cæpta ſub annum Chriſti CCLXXV. tempore S. Charitonis, qui monaſterium ædificavit, quod Laura, & Pharus dicebatur: qualia poſtmodùm etiam in Palæſtina conſtructa fuere à S. Euthymio, & S. Saba quæ eorum nominibus diſcernebantur, ut Laura S. Euthymij, S. Sabæ, &c. Quod autem monaſterium Pharus, ſeu Phara, Laura fuerit in Palæſtina; exprimitur in vita S. Euthymij cap. 2. apud Bollandum ad diem 20. Ianuarij, ubi iſta: Pervenit ad Pharam Lauram; quæ ſex milliaribus diſtat Hieroſolymis. De iſta Laura differens Lezana, iſta annotat: Hìc ſiſtat lector, & animadvertat, hanc Lauram Pharam appellatam, eamdem videri, ac Lauram Pharus, in iis ſimiliter partibus à S. Carithone erectam ... Cùm etiam Chariton nullam aliam vitæ rationem ſectari potuerit, niſi vetuſtam Elianam, ſeu Eſſenam, utpotè qui nihil commune habuit cum Antonio, Hilarione, Baſilio, aut aliis, qui poſt ipſum Monaſticen coluêre: Iſta autem monaſteria, ſeu eremiticas, monaſticas manſiones in eremis fuiſſe pervetuſti Inſtituti Eliani, & Eſſeni, variis locis traditur, inculcatur, declaratur ab eodem P. Lezana in Annalibus Carmelitanis Tomo 2. & 3. In illis enim erat Inſtitutum, quale ſectatus fuit S. Chariton, qui nihil commune habuit cum S. Antonio, S. Hilarione, S. Baſilio, aut aliis qui poſt ipſum Monaſticen coluere; nam S. Chariton eos omnes præceſſit. Plura hoc ſubjectum confirmantia, habes ſupra Fundamento 3. & 4. ac 5. Animadvertendum quoque, quòd tunc Ordinis

hujus

hujus Superiores vocarentur ABBA, *id eſt*, PATER, *ſicut tradunt S.Cyrillus & alij Ordinis hiſtorici, & videre licebit in Tomo præcedenti Speculi hujus* (a) *& hic ſuprà Fundamento 4. & 5. In iſtis autem XII. Fundamentis plura videri poterunt pro confirmatione jam dictorum, de monaſtica vita S. Anaſtaſij, ex inſtituto Eliano Carmelitano. Vt autem conſtet, quanti apud Deum ſit meriti S. Anaſtaſius, & quàm authentica ſcripta vitæ, martyrij, & miraculorum ejus; proderit de iſtis hic audiviſſe præcipua auctoritatis teſtimonia quædam.*

(a) Nu.300. & 307.

§. 2. *Sanctitatis, & magni apud Deum meriti teſtimonia de Divo Anastaſio.*

450. M*Artyrologium Romanum ad diem XXII. Ianuarij*: Romæ ad Aquas ſalvias S. Anaſtaſij Perſæ, Monachi, qui poſt plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæſarea Palæſtinæ perpeſſus fuerat, à Coſrhoe Perſarum Rege multis pœnis affectus, ad ultimum decollatus eſt, cùm prius ſeptuaginta ſocios in fluenta demerſos ad martyrium præmiſiſſet. Ejus caput Romam delatum eſt, unà cum veneranda ejus imagine, cujus aſpectu fugari dæmones, morboſque curari, Acta ſecundi Concilij Nicæni teſtantur.

Aſpectu Imaginis S. Anaſtaſij Dæmones fugati, morbi curati.

451. *Menologium Græcorum ad diem XV. Ianuarij*: Natalis S.Martyris Anaſtaſij Perſæ. Hic fuit Rege Perſarum Choſroë, Romanorum autem Heraclio: patriam habuit Razech; qui cùm Hieroſolymam eſſet profectus, ibi accepto baptiſmate, factus Monachus in monaſterio S. Sabæ, omnemque vitæ monaſticæ exercitationem aſſecutus; martyrij ſubeundi deſiderio affectus, Cæſaream Palæſtinæ ſe contulit: ubi cùm vidiſſet magos quoſdam, eoſque irrideret, ab illis detentus, ad Barſabanam ductus, variè cruciatus eſt; poſtremò actus ad Regem Perſarum, vehementiùs ab eo cruciatur, ipſius collo ita laqueo aſtricto, ut reſpirandi facultatem non haberet: poſtremò ſecuri percutitur, capite pro Chriſti fide abſciſſo. *Quanta autem in veneratione apud Græcos fuerit, eruitur quoque ex titulo iſto à Surio ejus vitæ præfixo*: Vita, & Martyrium ſancti Patris noſtri Anaſtaſij. *Titulus iſte*: S. Pater noſter, *dumtaxat præſtantioribus Sanctis attribui legitur.*

Epitome vitæ S. Anaſtaſij, ex Menologio Græcorum.

452. *Beda Venerabilis in Martyrologio, inſerto* Actis Sanctorum (b) *PP. Bollandi, &c. (de quibus mox)* [Ad Aquas-ſalvias S. Anaſtaſij Monachi & Martyris de Perſida: qui poſt plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæſarea Palæſtinæ perpeſſus fuerat à Perſis; poſtremò in Perſide multâ pœnâ affectus, atque ad ultimum decollatus eſt à Rege eorum Choſroë.] *Latiùs iſta referuntur in ejuſdem* Martyrologio, *Tomo 3. operum ejus, atque etiam in ejuſdem* Chronico, *ſeu* libello, de ſex ætatibus mundi (c) *Tomo 2. ubi iſta* (d) Anaſtaſius Perſa Monachus nobile pro Chriſto martyrium patitur, qui natus in Perſide, magicas à patre puer artes diſcebat; ſed ubi à captivis Chriſtianis Chriſti nomen ac-ceperat, in eum mox animo toto converſus; relictâ Perſide, Chalcedoniam, Hierapolimque Chriſtum quærens, ac deindè Hieroſolymam petit, &c. *Conſequenter tradit, quomodò ibi fuerit baptizatus, ac deinde monaſticam vitam ſuſceperit, & poſt 7. annos ſubierit martyrium, de quo iſta*: Tandem mittitur Perſidem ad regem eorum Choſronem, à quo tertiò per intervalla temporis verberatus, ad extremum unâ ſuſpenſus manu, per tres horas diei, ſic decollatus cum aliis LXX. martyrium complevit. Mox tunicâ ejus indutus quidam dæmoniacus, curatus eſt.

(b) Tom 2. Martij ſub initium.

(c) ad ann. mundi 4565.

(d) Tom. 2. pag. 115. edit. Colon. an. 1612.

S. Anaſtaſij tunicâ dæmoniacus liberatus,

453. *Vsuardus ad XXII. Ianuarij*: Romæ ad Aquas Salvias, ſancti Anaſtaſij Monachi & Martyris: qui poſt plurima tormenta, carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæſarea Palæſtinæ perpeſſus fuerat, à Perſis poſtremò multâ pœnâ affectus, atque ad ultimum decollatus eſt, cum aliis ſeptuaginta. *Annotat Molanus, in ſuo ad iſtud Martyrologium Auctario*: Septima Synodus (*quæ fuit 2. Nicæna*) Actione quartâ prolixè Anaſtaſij meminit, tam ex libro vitæ, quàm ex libro miraculorum. *Hinc patet, quàm ſint authentici bini libri vitæ, & Miraculorum S. Anaſtaſij: quibus teſtimonium perhibet Oecumenicum Concilium.*

Nicænum Concilium perhibet teſtimonium de vita, & miraculis S. Anaſtaſij.

454. *Cardinalis Baronius* in Annalibus (a) Ex Actis ſanctiſſimi martyris Anaſtaſij Perſæ, quæ quidem non à Metaphraſte ſcripta fuêre, ſed deſcripta potiùs; & ante ipſum Metaphraſtem cognita, probataque in ſacroſancto Nicæno poſteriori Concilio, & à Latinis, ut fide digniſſima, recepta. *Iſta igitur Acta* fide digniſſima, *atque iterùm de iiſdem infra* (b) S. Anaſtaſius Perſa, poſt iteratam ſæpè anno ſuperiori confeſſionem, Cæſareà Palæſtinæ ad Coſrhoem Regem in Perſidem miſſus, magnâ animi conſtantiâ poſt dira tormenta martyrium conſummavit. Quomodò autem ea acciderint, ejus Acta omni fide poſteris tradita, docent: quæ cùm dubium non ſit, ſcripta eſſe ab ejuſdem temporis auctore, alterum de duobus eum fuiſſe, mihi facilè perſuadeo; vel Antiochum Monachum, quem hujus temporis ſcriptorem in eo argumento verſatum vidimus, dum ſcilicet aliorum Monachorum tunc à Saracenis occiſorum, hiſtoriam texuit ad Euſtatium ſcribens; aut Sophronium, qui (ut dicemus) paulò poſt factus eſt Hieroſolymitanus Epiſcopus, & ipſe eodem tempore claruit inter Scriptores Eccleſiaſticos. Quidquid ſit, ſicuti martyr in tanta caligine toti orbi Chriſtiano glorioſus effulſit, ita pariter res ab eo præclarè geſtæ, ſcriptis mandatæ, ubique vulgatæ, atque receptæ innotuere. *Ibi conſequenter declarat, quomodo* Crucis gloria fulſerit in Anaſtaſio, eandemque confitendo, ſanguine illuſtrarit, conſpicuamque morte reddiderit, & poſt mortem, quot miraculis, tot fulgoribus decorarit, è qua ipſe omnem eſſet fortitudinem conſecutus: *& quòd* jam mortuus pugnaverit pro Romanis: Victus, inquit, à Martyre Coſrhoës, jam facilè erat ſuperandus ab Imperatore: ſiquidem adversùs eum

(a) Ad an. Chr. 614.

(b) Ad an. 627.

Acta S. Anaſtaſij fide digniſſima:

à quo ſcripta:

per eum S. Crucis gloria magnopere fulſit.

pro Heraclio pugnaturus Anaſtaſius moriens exurrexit: quod patefecit eventus, *videlicet celeberrima victoria à Chriſtianis, meritis S. Anaſtaſij obtenta, quam ibi Cardinalis proſequitur.*

455. *PP. Ioannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius, in Actis Sanctorum ad XXII. Ianuarij:* Glorioſi Martyris Anaſtaſij Perſæ celebratiſſima mox, ab illius cæde, hiſtoria fuit, duplici tractatu comprehenſa: alter ejus ad Chriſtiana ſacra converſionem, vitam monaſticam, ſuſceptum pro Chriſto certamen, continebat; alter reliquiarum translationem, plurimaque per eas facta miracula. Utrique præclaram auctoritatē attribuerunt CCCL. Patres in ſeptima Synodo Oecumenica Nicæ anno Chriſti DCCLXXXVII. poſt obitum S. Anaſtaſij CLIX. congregati, præſidentibus Legatis Hadriani Romani Pontificis Petris duobus, altero Archipresbytero, altero Presbytero. *Ibi conſequenter, præmiſſo inſigni Commentario, ſeu Notationibus, duplicem ejus vitæ hiſtoriam, ex veteribus Latinis, atque etiam Græcis MSS. latinè redditis, exhibent, & Notis illuſtrant: quibus adjungunt XVII. miracula à teſte oculato ſcripta ex veteri MS. latinè reddita.*

Patres 350. auctoritatem attribuunt Actis S. Anaſtaſij.

ACTA ET MARTYRIUM

An. Chr. 628. martyrium S. Anaſtaſij.

S.P.N. ANASTASII PERSÆ

Ex Simeone Metaphraſte, & Laurentio Surio, recitata, & probata in Concilio Nicæno poſteriore ut Baronius Tomo VIII. habet. (a)

(a) Ita Surius ad diem 22. Januarij.

CAPVT PRIMVM.

S. Anaſtaſij patria, & ad Chriſtum converſio.

456. (a) Cùm magna civitas Hieroſolymorum capta fuiſſet à rege Perſarum, & ſacra illa loca quæ mei Chriſti vidêre converſationem, & cruci affixionem, & reſurrectionem, Medorum lanceæ & igni, iis, quos ipſe novit, modis eſſent tradita, & multa alia capta ſunt cum civitate, & ſalutis quoque noſtræ quoque trophæum, mortis ſolutio, peccati internecio: lignum inquàm, vivificæ crucis, illinc tranſlatum eſt in Perſidem: quod quidem mihi videtur divinioris eſſe gratiæ, & ejus, qui eſt crucifixus, ſolius diſpenſationis, quæ ſæpè novit etiam per adverſarios ea contexere, quæ ſunt meliora & utiliora. Poſtquàm enim ſalutaris crux Domini hoſtilibus capta fuit manibus, & in Perſidem, ut diximus, in ea captivitate captiva abducta eſt à Barbaris, imitatur eum, qui in ea fuit affixus, Chriſtum: vel potiùs ipſa Perſicam evertit & ſpoliat falſam religionem, & quæ ſe dignæ erant, captivas abducit animas, verè laudabili; & longè pulcherrimà captivitate: aut ut magis propriè dicam, à captivitate revocat, & eis rurſum primam reſtituit libertatem. Simul ac enim ingreditur Perſidem, eam ſtatim totam illuſtrans radiis ſuæ gratiæ, ferit quidem animas infidelium, non ſecùs ac ſol, qui laborantem oculum ingreditur: fideles autem non ſecus ac fulgur quoddam apparens in tenebris, revocat. Ex quibus fuit unus is, qui nobis nunc eſt propoſitus Anaſtaſius, & ſi nondùm quidem cultu, ſed jam moribus & inſtituto: qui proceſſit quidem è vico, qui vocabatur Raſnuni: eſt verò regionis Razech, quæ ſita eſt in Perſide. Erat autem nomen ejus moribus conveniens; & ex reipſa magis cognitum. Is enim vocabatur Magundat. Erat enim illius Bau filius, qui erat in re magica præſtantiſſimus; & eruditiſſimus. Qui cùm præeſſet communi ludo literario, & multos haberet adoleſcentes ad eum ventitantes, captos amore præſtigiarum, & cùm in hoc ſolùm omne ſuum ſtudium poneret, nempè in rei magicæ exercitatione, in filio maximè arte utitur, & rem magicam eum tam diligenter docet; ut in ejus cognitione patri nihil eſſet reliquum; quod non notum quoque eſſet filio.

(a) Hieroſolyma capta à Choſroe;

S. Crux in Perſidem tranſlata,

S. Anaſtaſij converſionis occaſio:

patria ejus &

magicam artem exercet, & docet:

457. Cùm adoleſcentiæ autem ætatem jam attingeret, & rex Choſroë novum exercitum in Perſide colligeret, ipſe quoque cum aliis refertur in numerum tyronum. Quoniam verò veneranda crux Domini totum agitabat, & perturbabat Perſidem; infidelibus quidem horrorem & terrorem incutiens, fidelibus autem ſuaviter admodùm & placidè illuceſcens: de ea quidem fama quædam per omnes pervadebat, fama, inquam, quæ pauló craſſiùs & indoctiùs prædicabat, Chriſtianorum Deum adeſſe Perſis. Ad quam hic adoleſcens repentè fuit accenſus animo. Jam enim occultè eum tangebat ille ignis, quem Chriſtus venit jacere ſuper terram: qui quidem non ſinebat quieſcere pulchram illius adoleſcentiam, ſed ſtatim omnes obibat partes, de eo ſciſcitans, quàm vehementiſſimè poterat, & diligentiſſimè. Cùm audiret autem ab omnibus, eam eſſe crucem; in qua Chriſtus Dei filius, qui à Chriſtianis adoratur, fuit crucifixus, veluti ignem igni adjecit, & quæſtioni conjunxit quæſtionem, & ex reſponſione accepit occaſionem alterius interrogationis; & multò magis ſitiebat diſcere, quemadmodùm è cœlo quidem deſcenderit, cùm ſit Deus: & quemadmodùm etiam factus ſit homo, & cur etiam ſit ad crucem condemnatus, & à quibus, & an ſit ad cœlum reverſus, undè deſcenderat. Cùm autem ei à piis annuntiaretur carnis ſuſceptæ divini conſilij myſterium, aures quidem pietatis ſemina libenter ſuſcipiebant: anima verò producebat ſenſim ſpicam fidei, & ei deſiderium paulatim innaſcebatur, ſubibatque æmulatio ejus perpeſſionum: quæ cùm in ejus anima aucta & amplificata eſſent, eum informant, & inſtituunt ad optimum vitæ [illegible] inque & [illegible]

fit miles;

Crucis Chriſti myſterium audiens, ad pietatem movetur:

cupit fieri Chriſtianus:

inſignem teſtem, Martyrem, inquam, efficiunt, ut jam procedens declarabit oratio. Erat enim ei quidam frater genere & commilito: ambo (b) autem relati in numerum exercitûs (b) Sain, veneruntque uſque ad inclytam Chalcedonem. Cùm autem divinus Heraclius irruptione factâ in Perſidem; contra Sain retraxiſſet, rurſùm Perſa reditum aggreſſus eſt, & in ſuam regionem vehementi ſtudio eſt reverſus. *exercitum deſerit.* Exercitum autem Perſicum relinquit Anaſtaſius, & refertur in alium multò meliorem & Diviniorem. Relinquit verò ſuum fratrem & commilitionem, ut ei placeret qui exercitum collegerat, & eum ſolum poſſet ſemper ſequi, & conſerere manus cum ſolis ejus hoſtibus.

argentarij artem exercet: 458. Et primùm quidem cùm veniſſet Hierapolim, divertit ad quemdam Perſam Chriſtianum, arte argenti conflatorem: & cùm artem conflandi argenti exercuiſſet, manus quidem habebat intentas operi, animus autem ſemper & cogitatio in Dei amore verſabatur, & alebatur: eùmque ſibi adhuc magis accendebat, & ab ipſo rursùs inflammabatur vehementiùs. Quamobrem eum rogabat ille beatus, ut divinum baptiſmum conſequeretur, & omninò à prioribus ſordibus expurgaretur, & ab illa labe præſtigiarum: ut non ſolùm voluntate & electione, ſed animâ quoque, & corpore eſſet purgatus, & fieret Chriſti partis, quam deſiderabat, illius ſignatus ſignaculo. Cùm ille autem ex Perſis timeret periculum, & ideo morando rem differret in futurum, interim quidem ad divina templa aditione magnum ſuum ſolabatur deſiderium; & cùm argenti conflatore ad ipſa adeunte, ipſe quoque ſimul adibat, & cum orante ſimul orabat: *Imagines ſanctorum videns magis exardeſcit in pietate:* & cùm ſanctorum miracula & certamina videret deſcripta in parietibus, de iis admodùm diligenter rogabat. Cùm verò audiviſſet, qualis eis vita, mores, virtus, & qualia propter Chriſtum certamina; & qualem apud ipſum rursùs fiduciam eis liceret conſequi; non poterat ampliùs continere id, quod ejus parturiebat animus, ſed ſtatuit proficiſci Hieroſolymam; & baptiſmum illic conſequi. Cùm ergo in ſanctam perveniſſet civitatem; & acceſſiſſet in domum cujuſdam; qui ipſe *abit Hieroſolymam:* quoque argenti conflandi exercebat artem, ei aperit cauſam ſui adventûs, nempè quòd vellet traduci ad pietatem, & verum Dei cultum, & ad Chriſtum adduci per baptiſmum. Ille autem eum adducit ad Eliam, ſanctæ reſurrectionis ſanctiſſimum presbyterum: qui cùm *baptizatur:* ſupinis, ut dicitur, juvenem manibus accepiſſet, de eo refert ad Modeſtum, qui ſedi præerat Apoſtolicæ: & ſic divinum baptiſmum aſſequitur, & venerandæ crucis verè pulcher fructus oſtenditur, & Anaſtaſius, nomine transmutato, appellatur, ſumptâ denominatione à revocatione, & ad meliora mutatione à priori infidelitate, & præſtigiis. Unà autem cum eo (c) baptizatur quoque quidam (c) alius, qui erat ejuſdem etiam patriæ & regionis, cujus Anaſtaſius: qui fuit ejus quoque ſocius in ferendo pro Chriſto martyrio, & eaſdem eſt Edeſſæ coronas conſecutus.

459. ANNOT. (a) Cùm magna civitas Hieroſolymorum capta fuiſſet: *videlicèt annò Chriſti 614. (aut juxta S. Cyrillum, annò 617) ſicut ſupra in Prolegomenis § 1 audivimus.*

(b) Sain: *alias* Saen, *&* Saan Exarchon, *ſeu Præfectum belli in exercitu Choſdroes, de quo hic ante in Prolegomenis.*

(c) Et quidam alius: *ita quoque in Græco*: Cum alio; *in alio exemplari, apud Bollandum legitur*: cum aliis, qui & ipſi de eadem regione erant.

CAPUT II.

Monaſtica S. Anaſtaſij vita, Profectus in virtutibus, tentationes dæmonis; Martyrij deſiderium.

460. Cùm autem manſiſſet Anaſtaſius octoginta dies apud Presbyterum, quibus non licet egredi eos, qui modò fuere illuminati, rogavit eum divinus Elias, quidnam de ſe deinceps velit. Ille autem rogavit, ut habitum conſequeretur monaſticum. *fit Monachus:* Cùm verò ad hoc quoque annuiſſet Presbyter (jam enim veluti ex quadam pellucida veſte, & ex decoro habitu & ſtatu oſtendebatur nobilitas animæ, & quali virtute futurus eſſet Anaſtaſius: & ideo ipſe facilè ceſſit ejus precibus) vehit cum eo poſt Divini myſterii celebrationem ad (a) monaſterium S. Anaſtaſii, ut ejus (a) quoque fieret manſionis particeps, cujus futurus erat virtutis ſocius, ſicut etiam nominis. Atque monaſterium quidem ad quartum lapidem erat remotum à ſancta civitate: ei autem præerat Juſtinus, vir & alioqui clarus, & boni ſpiritûs variis donis ornatus. Quem cùm ſimul cum multis quoque aliis rogaſſet presbyter, in monaſterium admiſſus eſt Anaſtaſius, anno decimo imperij Heraclij illius egregij & fidelis. Tradit verò Juſtinus Anaſtaſium *Diſcit literas:* uni ex ſuis diſcipulis, viro valdè prudenti, & virtutis amanti. Qui cùm eum & Græcas docuiſſet literas, & pſalterium, ejusque inſtitutionem animadvertiſſet, jam rectè ſe habere ad vitam monaſticam, tonſis ſtatim ejus capillis, & in eo factis omnibus, quæ lex poſtulat, eum habitu induit monaſtico, & ex habitu hoc facit Anaſtaſium, quod prius re erat & moribus: vel potius moribus convenientem & cognatum tradit habitum, & in eum deinceps erat affectus, ut in filium è ſuis genitum viſceribus. Adeò pulchra res eſt virtus, ut quæ cum aliis & virtutis ſtudioſos in amore conjungere, & tantam poſſit ingenerare benevolentiam, quantam nulla omninò alia cognatio.

461. Ex illo tempore apud monaſterium vitam cum conventu egit Anaſtaſius. *perfecta ejus converſatio:* Porrò autem ei quoque fuerunt diverſi credita miniſteria: nec erat ſolùm in eis utiliſſimus, ſed etiam in actione virtutis diligentiſſimus. Nam cùm & culinæ, & horti miniſterio ſuam daret operam, & rectè ſe gereret in labore manuû, à Fratrum ſynaxi numquàm aberat, & ante alios ſacrorum myſteriorum celebrationi inter

lectioni pia valdè deditus:

intererat. In divinarum autem ſcripturarum lectione, & maximè vitæ ſanctorum Patrum, totus erat affixus, & aures, ut dicitur, arrigebat ad audiendum, eratque mente vigilans, & omnia memoriâ colligebat: ut etiamſi quid diceretur, quod ingenij ejus captum ſuperaret, non negligeret, neque lucrum per ſocordiam amitteret: ſed potiùs accederet ad Fratres, qui eum doctrinâ ſuperabant, & qui poſſent talia explanare, & lubenter cum eo inquirere, & ſic meditando venerari, quidquid eum latebat.

lectis Martyrum actis martyrij deſiderio inflammatur:

Cùm autem apud ſe legeret victorias inſignium martyrum, trophæa, & certamina, libros aſpergebat lachrymis, ſignificans ſuum in patiendo conſenſum; ſeque cum eis moleſtiâ affici, & zeli eſſe ſocium: & beatos quidem ſanctos pronunciabat propter finem: mirabatur verò eorum tolerantiam. Deindè id, quod erat ei ab initio congenitum, deſiderium martyrij, & zelum ardentiorem afficiebat, ut qui accenderetur ſuâ cum prioribus converſatione, & orabat, ut ipſe quoque tales pro Chriſto ſubiret perpeſſiones. Quocircà nulli rei alteri ſibi vacandum eſſe cenſebat, niſi ſoli eorum lectioni.

tentatur graviter à dæmone:

Cùm ergo ſeptem annos in monaſterio tranſegiſſet Anaſtaſius; videre ejus in virtute augmentum non ferens pater invidiæ, ſed tantùm, & tam conſtantem ardentemq; ejus impetum, & ſtudium volens omni ratione retardare; ei paternam doctrinam revocavit in memoriam, & fœtida illa verba præſtigiarum, & ejuſmodi inſultibus ejus animæ turrim conabatur labefactare. Is autem illius non ignorans inſidias, adversùs

tentationem aperit magiſtro:

eum ſupernum invocat auxilium turrem fortitudinis, ut dicam cum divino Davide, à facie inimici. Deindè etiam cum calidis lachrymis magiſtro ſignificat maligni injuriam & petulantiam. Ille verò cum ex eo, quod eſſet paſſus, poſſet etiam tutò docere, ubi pulcherrima ei dediſſet monita, & deindè etiam fudiſſet preces, in toto conventu fratrum; &

& ſic liberatur:

rogaſſet pro diſcipulo, liberavit eum à gravi illa impulſione.

viſione monetur de martyrio ſubeundo.

462. Fit autem aliud quoque dignum, quod mandetur memoriæ & ſcriptioni. Noctu dormienti Anaſtaſio in ſomniis ei tale quid apparet. Videbatur montem quemdam excelſum aſcendiſſe, ad eum autem acceſſiſſe quiſpiam porrigens vini poculum, auro ornatum, & gemmis, & dixiſſe: Accipe, bibe. Cumque id accepiſſet, ſtatim bibiſſe: potus autem ejus animæ latenter inſtillavit dulcedinem, adeò, ut vel in ſomniis intelligeret Anaſtaſius, ſomnium ſignificare deſideratum à ſe finem martyrij. E ſomno itaque protinùs excitatus, alacris & lætus venit ad Eccleſiam, ut qui ea quæ ſperabantur, haberet in manibus. Jam enim vocabat tempus congregationem, pro dicendis hymnis nocturnis, & celebrando venerabili feſto Chriſti reſurrectionis. Erat enim dies Dominicus, primus omnium & maximus. Cùm ſic ergo veniſſet ad congregationem, & ſuum accepiſſet Magiſtrum, & ſolus eſſet cum ipſo ingreſſus in id, quod dicitur Diaconium, procidit ad ejus pedes, profuſis eos lachrymis irrigans, & eum rogans in contritione cordis, ut pro ipſo communem omnium rogaret Dominum, ut qui eſſet propediem ad illum receſſurus.

viſum magiſtro declarat:

Deindè etiam ea loquitur quæ dici ſolent ab exeuntibus, & iis, qui peregrè proficiſcuntur. Scio, dicens, ſancte Pater, quot pro me miſero labores ſuſtinuiſti, & quòd ſæpè & in multis moleſtiâ affeci tua in me paterna & amantia viſcera, & quòd per te lucem mei viderunt oculi, lucem veram, lucem agnitionis, & à graviſſimis liberatus ſum tenebris. Quocircà ne ceſſes, qui es fidelis ſervus, clementem, ac benignum perpetuò pro me orare Dominum.

463. Ad hæc ille reſpondens: Quid hoc autem eſt; inquit, & undenam hoc evaſerit manifeſtum, quod tu in præſentia poſtremum à nobis diſceſſum ſuſcepturus? Ille verò refert ei ſomnium, cum quàm maxima poteſt affectione, & affirmat ſe omninò haud ita multò poſt moriturum, ſive hac communi & omnibus æquali morte, ſive aliquâ aliâ; & alio modo, moriturum autem omninò. Neſciebat enim, quonam modo aperiret arcanum, quod ſcilicet martyrij deſiderium ejus animo inhæſiſſet, ad quod ille referebat ſomnia. Verebatur enim, ne fortè ab eo corriperetur, & ſic refrigeſceret ardor ejus animi, & à tantis opibus, & theſauro excideret. Tunc ergo Anaſtaſius, cùm eum Præceptor ejus multis & piis monitis eſſet conſolatus, matutinas Pſalmodias Deo reddit cum fratribus. Deindè etiam cùm ſacrum celebraretur myſterium, divinis communicat Sacramentis: & cùm

ſacris precibus, & perceptis Sacramentis martyrij deſiderio abijt.

unà cum fratribus communis menſæ fuiſſet particeps, ſomnumque parum vidiſſet, & ſurrexiſſet, quoniam neſciebat quemadmodùm poſſet extinguere egregium illum amorem decertandi propter Chriſtum, ſed ab eo cor ejus vehementer accenderetur, clam egreditur monaſterio, nihil ſecum ferens præter ea, quibus neceſſariò opus habebat ad tegumentum corporis.

ANNOT. Monaſterium S. Anaſtaſij: *Ita, fortè per prolepſin, ſeu præoccupationem: quòd ſcilicet poſteà fuit dictum* S. Anaſtaſij: *ſicut, ſi diceretur:* Corpus S. Bartholomæi Romæ collocatum eſt in Eccleſia S. Bartholomæi: *videlicet S. Adelberti, poſtea nuncupata* S. Bartholomæi. *Monaſterium igitur illud fuit unum ex illis, quæ dicebantur* Lauræ: *&, ut ex Menologio Græcorum habetur* S. Sabæ. *Lauras illas fuiſſe poſterorum S. Eliæ, utpote ubi diſcipuli S. Eliæ habitarunt, & poſt illos alij ſucceſſores, ſub eâdem vitæ monaſticæ ratione, habetur ex dictis ſupra Fundamento III, IV. & V. & confirmatur Fundamento VI.*

CAPVT III.

Præparatio ad Martyrium, imploratione Deiparæ Virginis, & aliorum ſanctorum, Captivitas, varia Cæſarea illata tormenta, magna Martyris conſtantia, & patientiâ.

464. ET primùm quidem cùm veniſſet Dioſpolim, & deindè etiam in mon-

in Deiparæ templo diebus 2 orat. deinde in S. Euphemiæ;

montem, qui dicitur Garizim, orationis gratiâ, & adorationis: & deindè etiam ad cætera, quæ illic ſunt, loca veneranda acceſſiſſet, & perveniſſet uſque ad Cæſaream Palæſtinæ, in templo Deiparæ Virginis duobus diebus moratur: & exindè eum rursùs excipit templum omni ex parte laudandæ Euphemiæ, veluti quodam viæ duce utentem clanculùm, qui planè ejus dirigebat greſſus ad martyrium. Nam cùm accederet, ut diximus, ad templum illius ſemper laudandæ Euphemiæ, vidit quoſdam Perſarum magos occupatos in quibuſdam præſtigiis: zeloque protinùs concitatur ejus animus. Sciebat enim, quàm ea res eſſet impia & ſcelerata, eò quòd ipſe quoque in illa improba arte eſſet verſatus. Quænam, inquit, tanta caligo veſtris offuſa eſt oculis, ut ne ea quidem aſpiciatis, quæ ante veſtros pedes ſita ſunt, quemadmodùm in univerſum ſcilicet eſt deceptio, quæ veſtram levitatem ludificatur & facilitatem, & eorum, quos vos rursùs ad eumdem vobiſcum corripitis interitum? Hanc illi admirati in dicendo libertatem, & audaciam, rogarunt, quiſnam eſſet, & quid eum impuliſſet, ut hæc diceret. Ille autem: Fui ego quoque, inquit, aliquandò vobis ſimilis & eodem falſus errore, & iiſdem dedi operam præſtigiis. Hæc audacter dixit, cùm nihil eum puderet ſuæ, quam ab ineunte ætate acceperat, impietatis, & ſordium vitæ prioris: ſed potiùs gloriaretur, quòd in fidem eſſet tranſlatus, & ſacro eſſet baptiſmo ablutus. Deindè prolixâ cœpit uti oratione, rem eſſe execrandam arguens, & quàm eſſet inſigniter abſurda, aperiens, & ſic paulatim ſeipſum eis exemplum adducens, & ſimiliter eos invitans ad meliorem mutationem. Illi autem non ſolùm ad hæc fuère ſurdis ſimiles, ſed eum etiam vehementer rogarunt, ne tam impudenter, quæ ſunt apud Perſas præclara, contemneret, & in vulgus irridenda proponeret. Exindè ille verè egregius & deſiderabilis Anaſtaſius feſtinabat ad delectabile & jucundum martyrij hoſpitium.

Perſas exercentes magicam arguit:

magiæ impietatem declarat:

comprehenditur:

465. Cùm non longè autem à ſe remotum eum quidam vidiſſent ex iis, qui dicuntur à Perſis Caballarii, ſedentes apud Derbas, ſicut etiã conſueverunt: (hoc autem eſt prætorium ejus, qui apud ipſos dicitur Sellarius) certè hic eſt delator, dixerunt inter ſe ſermone Perſico. Ille verò cùm verbum ſenſiſſet, & linguam non ignoraſſet, ut qui ipſe quoque eſſet Perſa, & in eadem voce, quâ illi, eruditus; eos torvè & acriter intuens, non ſum delator, inquit. Sunt hæc, inquit, nugæ & ineptiæ: ſed potiùs ſervus Jeſu Chriſti, & vobis quidem melior: ſiquidem ego quoque fui aliquando, ſicut vos, & in Caballariorum numerum fui relatus. Hæc cùm illi audiſſent, & è cathedra ſtatim exiliſſent, eum detinuerunt. Deindè cùm (a) Sellario quoque fuiſſet annunciatum, egreditur etiam ille ex prætorio: & cùm quiſnam is eſſet, interrogaſſet, & undenam veniret, & quæ ad ipſum pertinebant, diligenter examinaſſet, dat ſervandum

(a)

Anaſtaſium in cuſtodia tutiſſima. In qua jam jam tres dies incluſus, neque cibum, neque potum, neque aliquid aliud ab eis omninò accipere ſuſtinuit: ſed ſic omninò jejunus detentus eſt in cuſtodia, ut qui futurorum pro Chriſto periculorum aleretur ſolâ expectatione. Cùm autem jam rediiſſet (b) Marzabanas ex peregrinatione, (neque enim tunc erat Cæſareæ) & de Anaſtaſio ſignificaſſet Sellarius, vinctus ſtatim adducitur Martyr in prætorium. Interim verò dum Marzabanas erat in aliquibus aliis curis occupatus, agnoſcit aliquis ex piis Anaſtaſium, qui eum in venerando templo Deiparæ adſpexerat. Cùm ergo ſic eum agnoviſſet in prætorio, & eum interrogaſſet, quânam de causâ illic adeſſet, ejus ſcopum & inſtitutum laudans, & eum in nomine beatum pronuncians, ejus promptum & alacrem animum magis confirmat in rebus gravibus & aſperis, ut neque propter Chriſtum timeret vincula, nec tormenta, nec mortem: ſed Marzabanæ reſponderet ſtrenuè & juveniliter. Certè etiam cùm fuit ad tyrannum introductus, nec genu quidem flexit, ut ſemper mos eſt Perſis adorationem reddere majoribus: ſed generoſum, & qui in ſervitutem redigi non poterat, animum per externa ſignificabat.

in carcere triduò ſine cibo:

(b)

animatur à quodam Chriſtiano:

ſiſtitur Marzabanæ,

466. Cùm ergo fixis oculis eum ſatis eſſet intuitus Marzabanas, partim quidem, ut conſtanti aſpectu terrorem ei incuteret, partim autem, ut eum conſideraret diligentiùs, rogavit eum, quiſnam eſſet, & cuias. Ille verò: Verus ſum Chriſtianus, reſpondit. Quòd ſi velis etiam ſcire, cuias ſim, ſum quidem Perſa genere, ex regione Raeech, vico autem Raſnuni: qui ipſe quoque fui aliquandò Caballarius, & in rebus magicis exercitatus: cùmque ſic eſſem miniſter tenebrarum, potui, ut vides, tranſire ad lucem è tenebris, & diſcere veritatem. Marzabanas autem, cùm nondùm feciſſet periculum, quàm eſſet generoſus athleta: ſed putaret rem eſſe facilem, & expeditam, eum à ſua ea traducere ſententia, cœpit illius mentem non ſecùs ac parvi alicujus pueri parvis tentare promiſſionibus: ille verè parvi & abjecti animi, deſiſte, dicens, ab hoc errore, ad patriam religionem. (c) Si enim ſic feceris, dabo tibi equos & nummos, & multa alia bona. Martyr autem cœlum intuens, abſit, inquit, Rex Chriſte, ut beatam tuam fallam confeſſionem. Propter quæ eum tamquàm volens pudore afficere, Marzabanas, quid autem, placetne tibi, inquit, hoc habitu indui, quo nunc es indutus? Ille verò, non minoris, reſpondit, eum facio, quam tu hanc tuam dignitatem. Quamobrem ille irâ commotus, certè tu, inquit, uteris cohabitante dæmone, neque aliud per te ipſum loqueris, quàm quod ipſe tibi ſuggeſſerit. Ad ea martyr: Quandò eram, inquit, in errore, malè honorans impietatem, aut potiùs ab illa affectus ignominiâ, tunc gravis dæmon mecum cohabitabat. Nunc habeo ipſum Chriſtum cohabitantem, qui tuos expellit dæmones. Cùm autem adjeciſſet Marzabanas, quid ergo non times, inquit,

fidem Chriſti conſtanter profitetur:

variè tentatur:

(c)

quit, ne hæc ad regem referantur, ille verò acerbè te cruci affigat? Quomodò, inquit, hominem timuerim, qui eſt patibilis, & in quem cadit interitus? Nam etſi corpus ſuperaverit, capi tamen non poteſt anima, & ei non poſſunt omninò parari inſidiæ.

crudeliter ligatur. 467. Hæc ergò non ferens Marzabanas, jubet ferreis collaribus collum & alterum ex pedibus ſubjectum, & ductum ad ergaſtulum, illic lapides cogi ferre graviſſimos. Quod quidem cùm ejus juſſu factum eſſet, & ad ferendos lapides ſemper ſanctus, manus afferret, manus ſanctas, manus quæ multum poterant apud Deum, corporeis laboribus plura erant, quæ extrinſecùs ei afferebantur. Multi enim ex Perſis ad eum accedentes, & maximè ex iis, qui orti erant ex eodem vico, ex quo Anaſtaſius, veluti proprium reputantes dedecus, quæ in illum fiebant, exprobrationem adverſùs proximum, ut cum divino David dicam, ſumebant: Cur hoc feciſti? dicentes. Cur antiquam nobilitatem generis affeciſti contumeliâ, effectus Chriſtianus, & tantam nobis inuſſiſti ignominiam? propterea in vincula conjectus, & maleficorũ damnatus ſupplicio? quod quidem noſtri ferre non poſſunt oculi. Cum *& dirè cæditur.* his autem gravibus linguæ verberibus, manuum quoque beato verbera infligebant, vehementer verberantes, atque barbam vellentes, & ejus veſtimenta lacerantes, & lapides, quos quatuor ſimul conjuncti ferebant, eos ſoli Anaſtaſio ferendos imponebant: adeò ut ipſe rurſùs loqui viſus ſit cum Davide: Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam. Idque cùm *ac crudeliter tractatur:* ne ferre quidem per ſe poſſet ferrum, quod erat collo & pedi ejus impoſitum: ſed ſub eodem ferro alius quoque cum martyre pedem haberet vinctum. Quæ quidem ei nectebant omninò multiplicem coronam martyrij. Habes, ſi vis, alios quoque dolores, & occaſiones aliarum coronarum: hoc ipſum inquam, quòd in conſpectu eorum, qui ipſum noverant, hæc & multa alia probra ab eis pateretur, quæ jam priùs dicta ſunt: à quibus adeò manſit nihil affectus, ut ea putaret potiùs encomia propter Chriſtum, quàm cor ejus ab eis morderetur aliquid.

468. Marzabanas ergò, redeundum eſt enim ad orationis conſequentiam, ratus fore, ut *tentatur iterum à Marzabana:* martyr aliquid remitteret de magna illa conſtantia propter eam, quæ interceſſerat, afflictionem, cùm eum rurſùs ad ſe produxiſſet: Si verè es, inquit, mago patre natus, (hoc enim de teipſo ipſe ſignificaſti) & linguam illorum libris ſatis exercuiſti, nobis quoque loquere aliquid ex magicis, ut nos quoq; de tua ſcientia feramus teſtimonium. Ille autem & os, & labra, & mentem maculari & pollui exiſti- *ad Deum mente conversus minas contemnit.* mans, ſi horum alicujus meminiſſet: O Servator, inquit, qui es meus Dominus, & communis omnium opifex, nè mihi des omninò ut tale quid aut loquar, aut audiam. Quæ cùm perverſus ille ægrè tuliſſet, & planè deſperans, ex ſe nihil haberet quod faceret, Martyri rurſùs veluti quamdam larvam regem inten-tat. Et cur tu, inquit in eiſdem perſiſtis? Ad priorem convertere religionem. Scias enim fore, ut de te ad regem referatur. Ille autem ſciens nihil referre, an ab ipſo, an à rege puniretur, quandoquidem ambobus inhumanitas una eſt & ſævitia: fac, inquit, quod vis. Fortè enim jam ſcripſiſti, & reſponſum accepiſti. Is verò exiſtimans ſeipſum ita eſſe perterriturum, Ego, quidem, inquit, nihil de eo adhuc ſcripſi, ſed jam, ut vides, ſcribere aggredior. Hoc martyri nullam omninò attulit curam, aut ſollicitudinem. Quomodò enim, cùm potiùs gauderet ſe pati propter Chriſtum, & plagas quidem remunerationes, damnum autem putaret remiſſionem, & eorum, qui caſtigabant ipſum miſericordiam? Quid autem oportebat eum talem regem curare, qui ad Chriſtum ſolùm adſpiciebat, & eum verum eſſe regem & Deum crediderat? Ille ergò, ſicut dixi, nihil ambigens. Qualeſcumque, inquit, volueris, & quomodocumque de me ſcribe literas. Chriſtianus enim ego: & rurſùs fateor, ſum Chriſtianus.

469. Quamobrem cùm Dux ſpem abje- *clava ictibus* ciſſet omnium, quæ poſſent illum perſuadere, *dirè verberatur:* ad vim rurſùs revertitur, jubetque humi extenſum Martyrem tamdiu verberari, donec profiteretur facere, quod juberetur. Ille autem quod jubebatur quidem, æquo animo & lubenti ſuſcepit: ſolummodò lictorum manibus, ut ab illis extenderetur, teneri non ſuſtinuit: Sinite me; dicens: Non opus habeo ullo, qui me teneat. Nam hoc ipſum, Pati ſcilicet *mirabilis* propter Chriſtum, nequaquàm eſt involunta- *ejus patientia.* rium: ſed quod ego non minùs, quam aquam æſtate ſitio, & quod magis, quàm ullas voluptates & delicias amplector. Cùm ergò pronus humi cecidiſſet, & ipſe ſeipſum ſenſùm extendiſſet, tam crebris, & tam continentibus verberabatur clavæ ictibus, quàm imber deorſùm cadit: cùm ab inimicis ſolam illam petiiſſet gratiam; ut exueret venerandum Monachorum amictum, & nudis verberaretur *rogat, ne religioſa* carnibus. Nè is, inquit, unà cum meis mem- *veſtis probro* bri probro afficiatur. Sic ille non ſolam vitæ *afficiatur.* et Deo inſtitutionem, ſed etiam ejus ſigna omni honore afficiebat. Sed ille quidem diu tam crudeliter torquebatur, cùm nec ab ullo omninò teneretur, nec premeretur, & non ſe transferrè aut omninò movere prohiberetur: ſed ipſe ſeipſum validè teneret, & immobiliter, non vi manuum, ſed animi, & naturæ neceſſitatem vincens neceſſitate liberi arbitrij, & acres corporis dolores acri vincens Dei deſiderio, & præſentes moleſtias conſolans ſpe futurorum.

ANNOT. (a) Sellario, *id eſt* Tribunis, *ſeu* Ductor equitum, *ſeu* unus ex officiariis primis exercitûs

(b) Marzabanas: *ita quoque in Græco, ſed in alio exemplari, apud Bollandum*: Barzabanas

(c) Deſiſte ab hoc errore, ad patuam religionem. *Ibi videtur deeſſe* revertere, *aut* convertere: *quod in utraque vita apud Bollandum legitur.*

CAP. IV.

CAPUT IV.

Iteratis vicibus maceratio in carcere: ſancta Martyris exercitia ibi: viſitatio Angelica: invictus ejus animus alios ad martyrium confortans.

Inſidiat Marzabanas,

470. Cùm adversùs hæc ſtultus ille Dux nihil ſapientius poſſet excogitare, quod tantæ fortitudini opponeret & tolerantiæ, ei rursùs quoquè regem intentabat. & rogabat, ut perſuaderetur athleta. Nam de te, inquit, ipſi regi ſignificabo, perinde ac ſi uni puero utre terrorem afferret, ut dicitur. Ille autem eadem, quæ prius, reſpondet, & quod ejus animo placeret, juſſit facere. Quocirca ille quoque rursùs rogabat ſimiliter. Deindè dicens: Non times regem? Quamobrem, inquit Martyr, & quid ejuſmodi ſum ab eo paſſurus? An non, inquit, ipſe quoque homo eſt, in quem idem interitus cadit; & mors eadem? Quemnam ergò me oportet magis timere, eumne qui æquè atque ego interit? an eum, qui ſemper eſt, & qui cœlum; & terram; & quæcumque ſub adſpectum cadunt, & percipiuntur intelligentiâ ad hoc ut eſſent, produxit? Cùm ergò vidiſſet Dux rursùs inutilem fuiſſe ſuum conatum, cùm in conſtantia pro pietate nulli cederet Anaſtaſius, rursùs Athletam transmittit in cuſtodiam. Quomodò autem ſolet quis, quod vult, facilè expectare, poſt aliquot dies rursùs ſanctum educit è carcere, adhuc aliquâ ei ſpe blandiente: & acceptis, inquit, magicis ſacrifica, ne te ſtulte hâc luce prives. Martyr autem, Quibus, inquit, me jubes diis ſacrificare? Ille verò: igni, inquit, & Soli, & Lunæ. Ergò etiam montibus, inquit Martyr, & collibus, & pecoribus, & omni ſervituti hominum, quibus imperare juſſi ſumus ab opifice; non autem eis potius parere, ut vos vultis, non tamquàm propter nos factis utentes, ſed perindè, ac ſi nos propter ea producti eſſemus, ità ea honorantes, & deos turpiter nominantes. Cùm his verbis Martyr Ducem obſtupefeciſſet, rursùs abductus eſt in carcerem hoc prætextu, quaſi deeſſet, quod reſponderet, damnatus ad carcerem. Abductus eſt ergo, & decore confeſſionis glorians, & vinculis propter Chriſtum.

irridens Deos Perſarum,

ita ut obſtupeſceret Marzabanas:

471. Cùm autem de eo reſciviſſet is, cui in monaſterio fuerat credita ejus animæ cura: qualem, inquam, productus ad Præſidem ſæpè oſtendiſſet confeſſionem; & quemadmodùm ipſe conſtituiſſet omnia pati pro pietate, ipſe quoque cum alio cœtu Monachorum repletus eſt lætitiâ: ipſe etiam putabat ſe eſſe unà cum Anaſtaſio, & in membris illius decertare: & cùm non poſſet opem ferre ſuâ præſentiâ, opem ferebat precibus & atramento. Et partim quidem Deum vehementiſſimè rogabat cum tota fraternitate, ut pulchrè per martyrium ei perficeretur ſtadium: partim autem duobus quoque miſſis fratribus, promptum & alacrem ejus animum magis auxit. Interea vero dum Martyr cuſtodiebatur in carcere, divinis verbis & ſententiis ſe oblectabat aſſiduè, & neque nox ejus ad Deum hymnos, neque gravium illorum vinculorum, & reliquæ afflictionis labores eos interrumpebant. Quin etiam cùm quidam juvenis, qui captus fuerat propter aliquod maleficium, cum Martyre haberet collum & pedem colligatum; noctu ſurgens ſanctus, ut Deo conſuetas redderet glorificationes, & ei nollet afferre moleſtiam, ſed ut dormiret & quieſceret, curam gereret, collum ad jacentem inclinabat, & pedem illius pedi admovebat, ne extenſis catenis injucundum & moleſtum ei ſomnum efficeret. Unà autem nocte aliquando eum pſallentem quidam ex iis, qui erant vincti in cuſtodia, exaudiit, Hebræus quidem religione, isque valde inſignis: mitis verò ac manſuetus, & valdè bonis moribus. Qui cùm beatum illum vidiſſet interdiu quidem vexari portandis lapidibus, noctis autem quietem rursus interrumpi ſtando; & orando; & nihil omninò remittere de ſua conſtantia, neque defeſſa membra paululùm recreare; cogitabat apud ſe, quiſnam hic eſſet, & quænam ei obtigiſſet adeò robuſta natura, tamque firma ac valida, laboribusque minime cedens & inexpugnabilis.

duo ex ſuis fratribus Monachis ad eum miſſi, ad ſolandum:

exercitia ejus ſancta in carcere:

472. Ille itaque fixis oculis adſpiciens Martyrem matutinos hymnos decantantem, & totâ mente ad Deum peregrinantem, & qui vel ante martyrium rapiebatur cum corpore, videt quoſdam repentè candidatos, & pallio ſacràque illâ omninò veſte, & venerando indumento Pontificum amictos, veluti quamdam ex ſe lucem emittere, lucem viſu quidem jucundiſſimam, ad explicandum autem non facilem; vel potiùs ad videndum quidem majorem, quàm ut ea humanus poſſit conſpectus aſſequi, aut quàm ulla quod viderit referre narratio: idque obſcurâ nocte, cùm luna non luceret, ſanctum virum in orbem circumdantes. Quos cum Angelos eſſe putaſſet, ſicut erant reverà, paulò poſt videt etiam martyrem, qui eundem ſplendorem, & ſimilem illis habebat amictum. Deindè etiam quidam adoleſcens; ſpecie & pulchritudine eximius, ſuſpenſum dexterâ geſtans thuribulum, in magna; quæ erat circa ipſum gloria Angelorum, ſtabat ante martyrem ſuffumigans. Cùm ille ergò hæc videret, & cor haberet perculſum novitate ſpectaculi, erat quidem perplexus animo, adeo, ut eum etiam excitàrit, qui propè dormiebat, (erat autem is Chriſtianus, cui fuerat commiſſa præfectura Scytopolis) & ſocium fecerit tanti ſpectaculi. Manus autem nequaquam ſequebatur, ſed attentâ quidem mente & fixis oculis attendebat iis, quæ videbantur: erat verò corpore immobilis & mutus, ſive repentinâ illà admiratione eum reddente immobilem, ſive Deo etiam aliquid aliud diſpenſante, & providente ſapientiùs & occultiùs. Cùm tamen

Angeli aſſiſtere ipſi conſpiciuntur:

& ipſe Martyr ſplendet ut Angelus:

men is qui erat propinquus, ſe vix tandem proximè admoviſſet, (non poterat enim uti pedibus & manibus) conturbatus ille, ex eo cauſam rogat. Ille autem timore perculſus, ei viſionem indicans: & vides, dicens, vides? non priùs verbum abſolverat, quàm viſio evanuerit. Atque præſidi quidem, cùm ad videndum ſpectaculum totos defixiſſet oculos, nihil licebat videre: vinctus autem ille, omnia ſingulatim ei narrabat cum voluptate & admiratione. Et hæc quidem, ne piæ animæ tanto priventur miraculo. Nobis autem rursùs quoque via procedat oratio martyrij, ſuam ſervans conſequentiam.

Jubetur Chriſtum negare, ſaltem privatim,

473. Poſtquàm enim videns Marzabanas eſſe planè Martyrem immobilem, & non solùm unam mortem, ſed etiam, ſi fieri poſſet, plures paratum eſſe pro pietate alacriter ſuſcipere, ad regem Choſroën de eo retuliſſet, & quemadmodùm eſſet is tractandus, ab illo didiciſſet, cùm ipſum è carcere accerſiviſſet, eum ſuo adſpectu non dignatus, ſignificat per eum, qui dicitur Meizoteros, id eſt, major: Ecce, inquit, rex tibi imperat, ut quoniam fieri non poteſt, ut ſis omninò impius, verbo ſolùm abjures Chriſtianiſmum, & ſtatim ſolvêris è carcere, & à vinculis: & de cætero ſive velis eſſe Monachus, ſive Caballarius, hoc ſitum erit in tuo arbitrio. Martyr autem rursùs reſpondens: abſit, inquit, ô Chriſte Servator, ut negem tuam pro Trinitate confeſſionem, neque animo, nec labris.

ſcelus deteſtatus Chriſti invocat,

Poſtquàm autem poſt multas alias Præſidis machinationes, ne ſic quidem pulchram illam remitteret conſtantiam, & dicendi libertatem, hanc ei poſtremam adhibet periclitationem. Hæc cùm per Majorem rursùs ſignificaſſet: Scio, inquit, quòd cùm te multorum pudeat intuitus, & maximè eorum, qui ſunt ex eàdem regione, & tribu, ea de cauſa in eorum oculis ne hoc quidem facis leve & expeditum, ut verbo ſolùm tuam inficieris religionem. Quid enim, inquit, ea ex re detrimenti accipitur, cùm cor non ſimul loquatur? Quoniam verò de juſſu regis hic agitur, quem non licet cuiquam omninò repellere: ſi quod eſt hoc multò levius, hoc dixeris in meo conſpectu & quorundam duorum Sellariorum, liber eſto à carcere & ſuppliciis: quæ cum ille dixiſſet, fudit preces Anaſtaſius prioribus ſimiles, dicens: Neque tu me videris, neque ullus alius: non ô rex, & Deus, ne ſpecie quidem tuum nomen, neque in ſomnis, aut ullo alio modo negantem.

inſuperabilis, & invictus ejus animus

474. Cum ergo videret præſes, quòd adversùs tam fortem, & tam excelſum animum nihil per ſe efficeret, reſque ea & ſuas vires ſuperaret, & modum dignitatis, cùm beatum in ſuum conſpectum adduxiſſet: Ecce juſſus ſum, inquit, in ferreis vinculis te in Perſidem tranſmittere ad regem. Martyr autem: Ego, inquit, ſi mihi à te permitteretur etiam abſque ullis vinculis illuc accederem. Quid enim in me opus eſt vinculis, qui lubenter patior propter Chriſtum ad quem ſcilicet mittor? cùm eum ergo tunc quoque judex ſic vidiſſet affectum, & neque minis cedentem, neque ineſcatum blanditiis, planèque inſuperabilem & inexpugnabilem, cùm ei & duobus aliis ex piis injeciſſet ſignaculum, tradit in carcerem publicum, ut qui poſt quintum diem iter eſſent inituri. Cùm interim autem veniſſet feſtum venerabile, vivifici, inquam, ligni Exaltationis, & ipſe admirabilis Anaſtaſius, & duo ex fratribus, qui ad eum acceſſerunt, & qui eamdem, quam ille, notam Judicis acceperant, & quidam alij viri pij, qui erant in civitate, cùm totam illam noctem celebraſſent precibus & pſalmodiis, effecerunt, ut qui erant in carcere, omnium ſuorum malorum obliviſcerentur: perindè ac ſi verſarentur in domo eorùm qui feſtum celebrarent, non in carcere.

Feſto Exaltationis S. Crucis,

Manè vero ad Marzabanam ingreſſus (a) Comerciarius, vir pius & qui ſciebat miſereri animarum affectarum moleſtiâ, & conſolari in afflictionibus, rogat Præſidem, ut ex carcere ſolvatur Anaſtaſius; ut ipſe poſſit intereſſe feſto Chriſtianorum:

(a) permittitur ire ad templum Chriſtianorum

475. Cùm ille autem hoc conceſſiſſet, & veniſſet Martyr in Eccleſiam, conſolatio; gaudium; & lætitia circumfuſa fuit piorum animis; eos enim nuper invaſerat triſtitia & mæror, propterea quod quæ dici nequeunt ei infligerentur moleſtiæ. Multi autem erant jam ſocordes in pietate, & veniebant in periculum, ne ſtatim caperentur miſerabiliter laqueis inimici, cùm non eſſet qui redimeret, nec qui daret ſalutem; ſeu erigeret cadentes, & victas eorum animas. Cùm verò ſacer Anaſtaſius tunc eſſet ingreſſus Eccleſiam tantus eos zelus ſubit pro pietate & vel ex ſolo ejus aſpectu ſic eſt cor eorum inflammatum; ut non ſolùm ipſi parati eſſent ad mortem pro Chriſto, & pietate ſubeundam, ſed ejus etiam vincula deoſcularentur: & deſiderij lacrymas eis inſtillantes, ei animum adderent laudibus, & adhortationibus, ejuſque magis accenderent, & inflammarent amorem Martyrij. Et hæc quidem aliqui, qui jam erant labefactati tempore, & contumeliis, & jam ſpectabant mutationem, & ejus quod eſt honeſtum proditionem, non ſolùm viri, ſed etiam mulieres. Naturæ enim non eſt hic differentia, propterea quòd ſit communis electio & inſtitutum. Sic tunc fuit populo feſtum duplex: unum quidem diei præfiniti, alterum autem adventûs martyris. Nam poſtquàm ſacrum quidem fuit celebratum myſterium, Comerciario non dimittente, ſed martyrem vehementer urgente & rogante, ut ad illius domum veniret: putabat enim vel ſolum illius adventum impertiri poſſe ſanctificationem: partim quidem ille cedens, partim autem coactus, cum duobus monaſterij fratribus illuc accedit: ubi cùm ſe invicem in convivio accepiſſent, & lætificaſſent, in cuſtodiam lubenter revertuntur.

mutantur ejus conſpectu confirmantur:

lætus redit ad carcerem:

ANNOT. (a) Comerciarius: *apud Bollandum eſt:* Diſpoſitor quidam Reipublicæ.

CAP. V.

CAPVT V.

Abductio in Perſidem: atrocia ibi illata tormenta, patienter, ſummâ animi fortitudine tolerata.

476. Cùm jam autem dies veniſſet præſtitutus, egreditur è civitate Cæſareæ cum duobus illis viris Chriſti amantiſſimis, qui ipſi quoque aliqua de cauſa fuerant appetiti calumniis: lacrymis, adhortationibus, ejulatibus, gratiarum actionibus, lamentationibusque & precibus multis eum proſequentibus, non ſolùm ex Perſis, qui cum Anaſtaſio ſcilicet communem habebant patriam & ſanguinem, ſed etiam ex noſtratibus & alienigenis. *mittitur in Perſidem:* Communem enim eſſe orbitatem, illius ducebant ſeparationem: ſicut rursùs etiam proprium unusquisque honorem, adiiciam autem gloriæ quoque coronam, ejus pro pietate conſtantiam & confeſſionem. Quocircà utraque tunc conveniebant: & civitati diviſi erant animi duobus animi motibus. Alter autem ex fratribus unà cùm Martyre profectus eſt in Perſidem, & eſt unà peregrinatus: quoniam ita juſſerat Præfectus, partim quidem, ut ei ſubminiſtrarentur neceſſaria, & ut ejus conſolaretur animú, qui premebatur tantâ malorum perpeſſione: partim autem, ut cùm apud hunc virum præclarum ſemper adeſſet, & ejus videret omnia, poſſet illa poſteà apertè Præfecto narrare, & fraternitati, non quæ ab alio audiviſſet, ſed quæ ipſe vidiſſet, & quorum haberet teſtes ſuos oculos. *in itinere magno afficitur honore, de quo ipſe dolet:* Atque qui viæ quidem erant continentes vici & civitates, per quas ille obiens tranſibat, ita eum venientem excipiebant, & diſcedentem proſequebantur, ac deducebant, & utrumque cum tanta pietate & reverentia, ut ipſe ſuſpectum habens nimium honorem, nè de ea, quam illinc à Deo expectabat, gloria aliquid detraheret, ſcripſerit Hierapoli ad Prefectum monaſterij, ut pro eo Deum rogaret, ut pro his conſervaretur non condemnatus in eo, quod illic eſt judicio: & ſcripſerit etiam apud Tigrim fluvium, rogans ſimiliter, ut pro eo oraret, ut inflexibiliter; & citra ullum lapſum ab eo martyrij curſus conſummaretur.

477. Cùm jam autem perveniſſet in Perſidem, datur in cuſtodiam, ſitam in quodam prædio, quod vocatur Batſaloë, quæ ad ſextum lapidem diſtat à Diſcartha, in quo rex verſabatur Choſröe. Qui verò cum eo erat frater, in domo (a) Cortacti, qui erat illius Jeſdin filius, fuit hoſpitio acceptus. *(a)* Et carcer quidem Martyrem habuit cum maleficis. *juſſu Choſroïs examinatur:* Cùm autem poſt aliquot dies de eo fuiſſet relatum ad Choſröen, ille miſſo uno ex magiſtratibus, eum rogavit quiſnam eſſet, & cujas & quidnam eum moviſſet, ut patriam relinqueret religionem. Is verò per quemdam reſpondet interpretem. Nam ne voce quidem Perſicâ volebat uti ampliùs, ut qui eam abjuraſſet linguam unà cum religione, aut linguæ potiùs eſſet infenſus propter falſam religionem. Reſpondit ergò, Quoniam, dicens, veſter Deorum cultus eſt manifeſtum exitium, & error dæmonum. Quem quidem cùm ipſe aliquando ſequerer, ſuper luce commutavi tenebras, & die noctem, & ſole obſcuram caliginem, illi Deo me dedicans, qui eſt cœli & terræ, & omnium quæ videntur, & mente percipiuntur, opifex. *Deorum inanitatem & veram Chriſti religionem animoſe oſtendit:* Cui magiſtratus: Mirer, inquit, non eum, quem vos Chriſtiani colitis, cruci Judæi affixére? Quomodò ergo Perſicæ religioni Chriſtianorum res prætuliſti? Martyr autem, Quòd fuerit quidem, inquit, à Judæis crucifixus, ipſe quoque aſſentior: ſed ſuâ ſponte, & pro nobis ingratis, & qui ſumus beneficij accepti immemores. Ejus enim benignitatis, & clementiæ eſt hoc vel maximè admirabile, quòd cùm eſſet Deus & Servator omnium, & opifex hujus univerſi, non ſolùm propter nos ſervi formam accepit, cùm de cœlo deſcendiſſet: ſed etiam pro nobis crucem volens ſubiit, & mortem, ut noſtrum peccatum tolleret; quod ex maligni inſidiis & fraudibus inflictum erat hominibus. Vos autem inimicum prætuliſtis; qui ſtultè illius fraudes hodiernum uſque in diem ſequimini, & Soli ſacrificatis, & igni, & Lunæ, nullam nè Chriſti quidem cædis, ſi non alterius, ducentes rationem.

478. Reſpondens autem Magiſtratus, Quid tibi, inquit, cum his ſtultis verbis, & ſupervacaneis? *munera oblata ſpernit:* Ecce enim tibi à rege inſignes dignitates, & zonæ aureæ, & equi, & quæcumque illuſtria, & glorioſa ſunt parata. Agedum ergò, patriam ſuſcipe religionem. Ad hæc Martyr: Mihi, inquit, ò Præſes, quæ hîc ſunt jucunda, valdeque expetenda & invidioſa: nomen ſcilicet, delitiæ, & divitiæ, & ſplendor; jam ſunt diu ab hinc contemptui, ut qui vitam ſuſceperim monaſticam; & à ſola ſpe, quam illinc concepi, pendeam. Hujus rei etiam antequàm loquar, hic venerandus Monachorum habitus, & hic vilis pannus eſt certus nuntius. Quomodò ergo ea, in quæ omne ſtudium, omnemque meam curam contuli, & ſolicitudinem, ea quæ nunc habeo contemptui, regis qui eſt ad tempus; & in quem cadit interitus; inductus promiſſionibus? Ad quæ cùm non haberet Magiſtratus quid diceret, reducit ad eum, qui miſerat è cuſtodia, ei linguâ omnia ſignificans. Qua de cauſa ille non leviter indignatus, jubet cum ſuaſione vim quoque adhibere, & verbis etiam miſcere ſupplicia. Sequenti autem die, cùm rursùs Magiſtratus veniſſet ad cuſtodiam, ea quæ imperata fuerant, cœpit reipsâ exequi, & juſſit, ut per vim protruſum illinc athletam abducerent: ipſe quoque multas minas intentans, vehementique inſultu, & tumultu ſe fortem & ſtrenuam illam animam perterrefacturum exiſtimans. *minas contemnit:* Ille verò nihil effœminatum, nihil quod ſit puſilli, & abjecti animi; & nihil quod ſit indignum iis quæ

præceſſerant, præ ſe ferens, cùm illa conſueta, & jucundiſſima morum ſimplicitate, nè labores, inquit, neque defatigeris Domine Præſes: mihi enim, qui ſum mei Chriſti gratiâ confirmatus, non perſuadebis, ut à pietate deficiam; fac ergò quæcumque vis, à nullo abſtinens.

479. Hanc Anaſtaſij cum prudentia conſtantiam nulla moderatio excepit aut humanitas, ſed vinctus, more Perſico, virgis cædebatur crudeliter. Cùm is autem verberaretur, hæc decantabat Magiſtratus. Cùm maximis regis donis & honoribus perſuaderi non ſuſtinueris, ad hæc ſis deinceps paratus. Sic enim te quotidiè verberans, conſumam plagis. Ille autem cùm eum juberet rursùs, quæ vellet facere, jubet Martyri relaxato à vinculis, cùm extenſus eſſet ſupinus, lignis medias intercipi tibias, utraque autem eorum extrema premere viros aliquot robuſtos, qui & corporum magnitudine, & ætatis vigore præſtarent. Martyr autem, cùm ſic ejus tibiæ premerentur, uſque ad oſſa, magno, & excelſo animo & planè philoſophico tolerabat. Quod quidem cum vidiſſet Magiſtratus, & cognoviſſet ſe ex eo magis augere ejus patientiæ & tolerantiæ conſtantiam, rursùs in tutiſſimam eum tradit cuſtodiam, ut de eo rursùs referret ad regem. Cùm is autem, cui erat commiſſa cura carceris, Sellarius, eſſet religione Chriſtianus, & ideo eorum miſereretur, qui pro pietate laborabant, & eò quod eſt bonum & honeſtum, & eis, qui vellent ex Chriſtianis, concederet ingreſſum, interdiù ingrediens ſine ulla prohibitione frater monaſterij, qui cum Martyre ſolverat ex Cæſarea, conſolabatur illam aſperam & tetram in carcere habitationem, & quos ex plagis ſenſerat dolores, & quas ex vinculis, & alia malorum perpeſſione acceperat moleſtias. Multi quoque alij viri pij, cum quibus illius quoque Jeſdin filij ad eum ingredientes, ad ſpecioſos ejus pedes, & bona apertè euangelizantes, procidebant, & vincula deoſculabantur, & rogabant, ut ab eo aliquas conſequerentur preces, & benedictiones. Cùm is autem hæc omninò minimè admitteret, (ille enim toto ſemper animo, & mente humanæ gloriæ, hujus, inquam vanæ & infidæ & fallacis, & quæ nihil habet firmum ac ſtabile, reſecabat occaſiones) ipſi vinculis ceram immittentes quæ ex illis exprimebatur effigiem, tamquàm maximum aliquod remedium, & ſalutare ad omnem morbum & dolorem ſolvendum efferebant.

crudeliter cæditur:

& immaniter cruciatur:

Chriſtiani eum conſolantur, & honorant:

honorem deteſtatur:

480. Non multum temporis intercèſſit, & rursùs veniens ille Magiſtratus in cuſtodiam, an juſſis cederet regiis, fruſtrà interrogabat, aut potiùs quærens occaſionem gratificandi animo crudeliſſimo, qui pœnas cupiebat ſumere. Cùm is autem non parùm ægrè tuliſſet interrogationem, & magnâ contentione & motione capitis id quod ſæpè dixerat, nunc quoque reſpondiſſet: Scito, me Chriſto & pietati nihil eſſe prælaturum, jubet eum rursùs quoque clavis verberari, ſicut prius. Cùm verò viri ſtatuam potius quam virum viſi eſſent verberare, quantùm licuit conijcere ex eo, quòd eſſet ejus animus planè inflexibilis, eò quidem relicto in cuſtodia, recedit Magiſtratus, & aliquot interjectis diebus, ad eum revertitur, varias artes, & rationes excogitans: & nunc quidem minis & promiſſis, nunc autem minis & ſuppliciis eum revocans ad negandam pietatem. Cum autem idem eſſet Anaſtaſius, & nec his inclinaretur, nec illis deliniretur, prioribus vinculis, & plagis eſt traditus. Deindè cùm fuiſſet relaxatus à vinculis, ex altera manu ſuſpenditur, cùm lapis graviſſimi ponderis eſſet alligatus alteri ex pedibus. Cùm eum ergò ſic pendentem & ſic diviſum duabus horis reliquiſſet Magiſtratus, videretque robur ac firmitatem minimè diſſolvi Martyri, illum quidem remittit: ad regem autem reverſus, immutabilem ejus mentem ſignificat, & ſummam animi fortitudinem. Ipſe quoque ei conſulit, ne ampliùs periculum faciat in Anaſtaſio, nec permittat, ut tanta altitudo & magnitudo imperij ab unius viri conſtantiæ videatur ſuperata.

fuſtibus iterum verberatur:

ex altera manu ſuſpenditur, ſaxo graviſſimo alteri pedi alligato:

ſumma ejus animi fortitudo:

ANNOT. (a) Corracti: *apud Bollandum cap 5:* Cortacii filij Deieldin primi Depoſitoris publicæ rei Perſarum, qui erat Chriſtianus *inferiùs autem cap 6. nuncupantur:* Iheſdin, & Caeſdin: *& iſti etiam corpus Martyris à tortoribus* redemerunt non paucis pecuniis, *& etiam* munda lintea dederunt, *quibus corpus S. Anaſtaſij fuit involutum.*

CAP. VI.

Vltima ſupplicia S. Anaſtaſio, & ſociis illata: corpus S. Martyris illæſum à canibus, ſtellâ radiante, demonſtratum.

481. HInc cùm omnem ſpem ſuperandi Martyris rex abjeciſſet, mittit poſt decimum quintum diem, & dictum Magiſtratum, & quoſdam alios ex ſubditis, ut non ſolùm ſanctum, ſed multos quoque alios Chriſtianos cum eo interimerent. Illi autem cùm veniſſent in carcerem, expellunt Chriſtianos captivos non pauciores, quàm ſeptuaginta, unà cum Martyre: cum quibus erant ij quoque, qui cum Anaſtaſio Cæſareæ damnati fuerant ad cuſtodiam, ſignaculique, & vinculorum fuerant ei ſocij: quos cùm eduxiſſent ex prædio Berſaloës, in quo fuerat carcer ædificatus, & ad fluvium ſtatuiſſent, eos ſingulatim dividentes, & eorum collo funem inijcientes: & miſerabiliter ante oculos Martyris (a) ſuffocantes, ſancto in undoquoque (a) ſubmergendo dicebant: Cur vis, ſicut unus ex his, violenter tolli de medio, & non potiùs regi parêre, & priorem conſequi felicitatem? Ille autem cùm his mentem adhibuiſſet, & in cœlum oculos ſuſtuliſſet, & Deo ingentes egiſſet gratias, quòd jam pro ipſo mortem videret eſſe ſubeundam: deindè ad illos quoque converſus: Ego, inquit, pro Chriſti mei charitate, ardentique & vehementi in eum amore, expectabam omne

Chriſtiani 70 necantur in conſpectu S. Anaſtaſij:

(a)

mem-

qui membratim conſcindi optat: membrum minutatim conſcindi, expectans novam aliquam, & inauditam mortem. Quoniam autem hæc eſt ea, quam vos mihi minamini, ago tibi gratias ſoli Deo meo, & Servatori Chriſto, quòd morte, quæ uſque adeò vacat omni labore & moleſtiâ, quam quidem paulò poſt ipſa quoque attuliſſet natura, me voluiſti emere honorem martyrij. Cùm hæc dixiſſet, & hæc ultima verba præclarè eſſet locutus, (a) æquali morte ſic quoque eſt conſummatus.

caput abſcinditur: 482. Carnifices autem, cùm ſacrum illud caput amputaſſent, ut eum eſſe interfectum oſtenderent, ad regem deferunt. Sellarium vero, qui præerat cuſtodiæ carceris, cum eſſet Chriſtianus, & ſciret Martyrum honorare corpora, vellet autem ſancti tollere reliquias, & eas ſeparare ab aliis, nè tantum lateret bonum, permixtum cum cæteris corporibus, prohibuère carnifices. Cùm filiis autem Jeſdin annuntiata fuiſſet viri conſummatio, ad quam euntem Martyrem illorum pueri conſequebantur, & illi ſerviebant, ij pecuniâ *redimitur corpus:* corrumpunt carnificum diligentiam, & ut corpus ſibi liceret in loco ſeparato deponere, non paucis emunt pecuniis. Deindè is quoque Monachus, qui cum Martyre exceſſerat è Cæſarea, & cum decertante ad finem uſque manſerat, cujus etiam ſæpiùs fecimus mentionem, cùm & pueros filiorum Jeſdin, & quoſdam ex iis, qui illic erant, Monachis in noctem ſequentem aſſumpſiſſet, & ut Martyris corpus piè & ſanctè componeret, veniſſet (ô quomodò, ô Chriſte laudabo miraculorum tuorum magnitudinem?) invenit canes alia quidem corpora toto ore exedentes; ab hoc autem ſolò ſe abſtinentes, ut quod non ſubiiceretur ampliùs legibus corporis. Jam enim erat pulchritudinis corona in manu Dei (divinus dixit Eſaias) & diadema regni in manu Dei ejus. Cùm ſuſtuliſſet ergo corpus Martyris, & mundis linteis, quæ dedère filij Jeſdin pro ultimis corporis exequiis, mundas illas, & ſanctas involviſſet reliquias, in Sergij Martyris monaſterio, quod ad unum lapidem diſtabat à vico, deponit decimo ſeptimo quidem anno imperij Pij Heraclij, viceſimo autem ſecundo menſis Januarij. Is enim fuit dies, qui vidit deceſſum Martyris.

quod à canibus intactum ſervatur mirabiliter:

fertur ad monaſterium S. Sergij:

483. Sequenti autem die, duos ex iis, qui erant in cuſtodia, licuit audire hæc inter ſe narrantes. Dicebat enim unus alteri: Vidiſti, quemadmodùm canes, qui heri venerunt, reliquis quidem corporibus ſe cupidè impleverunt, abſtinuerunt autem à ſolo corpore illius Monachi: & quemadmodùm poſtquàm ſe aliis exſatiaſſent, propè illud ſedentes, viſi ſunt potiùs eſſe cuſtodes, horis deinceps duabus neque recedentes, neque corpus tangentes? Alter autem rursùs excipiens orationem: Ego verò, inquit, cùm veſpere ex ſpecula in domum reverterer, videbar mihi videre ſtellam quamdam terram tangentem, jucundum quemdam, & perſpicuum ſplendorem emittentem. Spectaculi itaque novitate obſtupefactus, quòd ſcilicet non ſicut aliæ, ſed humiliùs, & terræ viciniùs reſplenderet, vado, ut videam quidnam ſit illud, quod apparuerat. Cùm autem propè fui illum locum, illam quidem ſtellam videre non poteram; ſed ſolùm corpus Monachi, quod jacebat ſuper terram. Hæc cùm narrarent, & mirarentur milites, quidam ex Chriſtianis captivis, qui exercitati erant in lingua Perſica, quâ tunc illi inter ſe utebantur, intellexerunt ea quæ dicebantur. Ex quibus duo quidam relaxati à cuſtodia poſt interemptum regem Coſroën, una cum multis aliis venerunt in ſanctam civitatem, quibus quidem martyr cum una cum eis eſſet in carcere, de ſua conſummatione, & de eorum liberatione, & de ſævi perſecutoris, & tyranni potius quam regis interfectione, veriſſimè prædixerat, ſic apertè dicens: Sciatis fratres mei, me boni quidem Dei gratiâ cras eſſe conſummandum: Vos autem paucis poſt diebus liberandos, quando rex iniquiſſimus, & ſceleratiſſimus fuerit interemptus. Cæterùm vobis, cùm Deo omnino regente & ducente, in ſanctam fueritis reverſi civitatem, curæ erit ad Abbatis Anaſtaſij vos conferre monaſterium, & eos noſtro nomine ſalutare, & omnia annuntiare patri meo & fratribus. Has prædictiones cùm illi non ſolùm audiviſſent, ſed effectum etiam vidiſſent conſecutas, ultima mandata martyris non neglexère: ſed venire ad monaſterium, pluris quàm ipſum facientes reditum, & ita ut erant feſſi ex itinere, cum ſuo viatico venientes in monaſterium, expoſuerunt omnia fraternitati.

ſtella radiante colluſtratur.

Choſdroës mors, & à S. Anaſtaſio prædicta:

quæ paulò poſt acciderunt.

484. Frater autem, cujus ſæpè facta eſt mentio (ad eum enim ex conſequentia nos rursùs reducit oratio) cùm corpus Martyris piè, & cum eo, quo par eſt, martyrem honore, & reverentiâ depoſuiſſet in magni Sergij monaſterio: ipſe quidem aliquantùm temporis ibi eſt moratus, quemadmodùm ad eum, qui miſit, & fratres ſalvus ſine periculo perveniret, conſiderans. Decimo autem die, poſtquàm depoſitæ fuerunt reliquiæ, eò venit cum exercitu rex alius, non qualis is, qui priùs dictus eſt, perſecutor; & religioni infeſtus, & in ſcelere eximius, & planè profligatus: ſed valdè æquus & manſuetus, pietateque & humanitate illi planè contrarius. Quos cùm lubenter vidiſſet Monachus in externa regione, tamquàm quaſdam lucernas in tenebris, à cura de reditu, & ægritudinis onere mox reſpirans, & veluti animi pondere levatus, ut qui fraternitatem, & monaſterium ſe eſſe propediem viſurum ſperaret, linguâ eos Græcâ alloquitur, eâ ratione ſui notitiam aperiens. Illi autem cùm noviſſent eum eſſe Chriſtianum, quod quidem rarum eſt apud Perſas, (hoc enim & Monachorum ſignificabat indumentum & ſermo) rogarunt illum, cur illic moraretur. Cùm is vero eis ſingulatim de beato expoſuiſſet Anaſtaſio, illi partim quidem deſiderio martyris, partim autem Monachi moti miſericordiâ, cùm

virum in ſuâ accepiſſent tabernacula, tectique & menſæ ſocium eum deinceps feciſſent, & ut decet Chriſtianos, & martyrum amantes, in eum affecti eſſent, eduxerunt ipſum per Armeniam.

485. Qui cùm poſt annum perveniſſet ad monaſterium, Præfecto & fratribus jucundiſſimum lauramque & magnificum exhibuit epulum, nempe de S. Anaſtaſio narrationem, ut qui etiam attulerit monaſticum illius colobium, quo indutus erat in ipſâ reſolutione: nec attulerit ſolum, ſed ſimul etiam mira quædam narraverit. Dicebat enim, fuiſſe quemdam fratrem in monaſterio, in quo poſitæ erant reliquiæ, ætate juvenem, qui à maligno ſpiritu detinebatur. Cùm autem Præfectus à me ſæpè petiiſſet colobium, & hoc ſimul atque accepiſſet, juvenem induiſſet, (ò celerem viſitationem, ò promptiſſimum auxilium) ſtatim exuit dæmonem, ut qui ſicut frigus calori, vel luci tenebræ, huic Martyris panno facilè ceſſiſſet: in gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem decet omnis honor, & adoratio, nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Colobio S. Anaſtaſij dæmon ab obſeſſo fugatur.*

486. ANNOT. (a) æquali morte eſt conſummatus? *videlicèt ſicut illi 70* ſuffocati, & ſubmerſi.

(b) Cùm factum illud caput amputaſſent: *itaque S. Anaſtaſius primùm fuit ſuffocatus, & ſubmerſus (ſicut alij 70.) & deinde caput abſciſſum fuit.*

(c) Sciatis . . . me . . ., cras conſummandum. . . *In aliis legitur*: Ego craſtinâ die vitam finio: vos poſt paucos dies liberabimini, & iniquus impiusque Rex Choſroës interficietur. *Sicut prædixerat, ita iſta contigerunt: die ſequenti martyriô ipſe* conſummatus *fuit: die ſexto poſt (28. Januarij) Choſdroes occiſus fuit: & decimô die à martyrio (die 1. Februarij) iſtuc venit religioſiſſimus Imperator Heraclius: & tùnc Chriſtiani omnes, à Choſdroe captivi, liberati fuerunt. Plura circa hæc videri poterunt apud P. Bollandum in Commentario prævio ad vitam S. Anaſtaſij §. 2. & quædam etiam hîc ſuprà in Prolegomenis §. 1.*

(d) Collobium *Monachorum veterum Palæſtinæ & Ægypti veſtis quædam erat, de qua iſta Roſweydus in Onomaſtico poſt Vitas Patrum*: Colobium, veſtis cucullæ ſimilis, niſi quod cucullô caret. Papias Vocabuliſta: Colobium genus veſtis dictum, quia longum eſt, & ſine manicis, hôc antiqui utebantur. *Hinc etiam confirmatur (de quo pleniùs in Prolegomenis §. 1.) Lauram, ſeu Monaſterium S. Anaſtaſij fuiſſe Inſtituti veteris Monachorum, de quibus hîc ſuprà, in Fundamentis XII. Fundamento 3. 4. & 5. Cæterùm in Benedictino, & Canonicorum Regularium ſacris Religionibus Colobiorum uſus non eſt, ſicuti nec Caputiorum griſei coloris, quale fuiſſe S. Anaſtaſij, teſtatur ipſa ſacri ejus capitis caputiati effigies: hinc, inquam, ſtabilitur quoque, ipſum fuiſſe Inſtituti Eliani Carmelitani, in quo etiam nunc caputiorum ſimilium eſt uſus, & olim etiam erat colobiorum.*

MIRACULA S. ANASTASII

CAPUT I.

Virtus magna à Deo conceſſa S. Anaſtaſio adversùs Dæmones.

487. Imaginis S. Anaſtaſij aſpectu fugari Dæmones, acta ſecundi Concilij Nicæni teſtari, *jam antè audivimus. Cardinalis Baronius in Annalibus (a) tradit, quàm celebris propterea olim fuerit devotio ad S. Anaſtaſium*: Eſt ſanè mentio in Actione quartâ Nicænæ poſterioris Synodi (ut ſuperius dictum eſt) de capite & imagine S. Anaſtaſij Martyris Romam delatis, & ad Aquas Salvias collocatis, teſtante pariter ibi Joanne Epiſcopo Tauromeniæ in Sicilia, ex ea inſula mitti ſolitos Romam arreptos à dæmone, ad ejus martyris venerandas reliquias, ut curarentur. Magnam enim à Deo recens martyr virtutem acceperat adversùs dæmones, adeò ut ejus nomen, non in Oriente ſolùm, ſed & in Occidente celeberrimum eſſet. *Ibi conſequenter ex actis publicis refert hiſtoriam miraculi percelebris de Virgine ſacra arreptitia, à Diaboli vexatione liberata meritis S. Anaſtaſij; quam hîc abbreviatam exhibuiſſe, ſat erit. Sic igitur ibi.* [Imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Anaſtaſio Magno Imperatore annô primo, & poſt Conſulatum ejuſdem ſerenitatis anno primo, temporibus ſanctiſſimi, & beatiſſimi & Apoſtolici ſummique Pontificis Conſtantini Papæ urbis Romæ . . . Accidit autem, ut poſtquam impleſſet puella in monaſterio menſes decem & octo, ille invidus hoſtis antiquus humani generis immiſerit ſe in puellam, & cœperit eam vexare, & ſtimulare. Et cùm multi opus ſuum offerrent, ut facerent filacteria ad eiiciendum dæmonem, ipſe (*Pater puellæ*) nullo pacto acquievit; ſed precibus, & lacrymis ad Deum converſus, in ipſo habebat fiduciam, & ab ipſo petebat auxilium, dicens: Surgam, & ibo ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ad ſanctum martyrem ejus Anaſtaſium . . . Interrogatus autem inter alia, quomodò auſus eſſet ingredi in vas Deo conſecratum, ubi & corpus, & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti introivit? Reſpondit: Quidam me conjuravit, ut ingrederer in iſtud corpus, & introivi. Inter hæc eiicientes caput beati martyris de paropſide argentea, impoſuerunt ſuper caput puellæ. (a) *Ad an. 713.* *S. Anaſtaſij magna virtus adversùs dæmones.* *Puella à dæmone poſſeſſa:* *Deus & S. Anaſtaſius invocantur.*

488. Tunc clamabat dæmon: Non poteſt me eiicere cynophagus iſte, quia Monachus erat, & ego conjuratione accepi per coronam meam, non egreſſurum de hoc corpore. Cùm autem thymiama adoleretur, exſufflabat fumum dæmon, eò quod ſibi malè oleret, cumque ab uno exſtantibus lutum ejus naribus adorandum offerretur, ſibi illum odorem placere, dicebat. Cùm autem interrogaretur, quis eum conjuraſſet, ut in puellam ingrederetur, dicere noluit nomen ejus, ſed quomodò id accidiſſet, id profeſſus eſt dicens: Ille adoleſcens, qui eam in matrimonium poſtulavit, abiit in Siciliam ad quemdam locum, qui dicitur Marathonitus & ibi fecit conjurationem in nomine meo, & ligavit in folia ficus, & tulit ſecum: & dum ambularet iſta ad balneum, jactavit eam ante ipſam viam, ut eam calcaret ligaturam. Illâ horâ ingreſſus ſum in eam; ſed die illâ non eam læſi, neque volutavi. Fuit id die ſecundâ menſis Auguſti, Indictione undecimâ. Die autem ſecundâ Sept. cœpi cum ea ludere, atque exagitare, & ſtimulare . . . *Thymiama dæmoni moleſtum.* *Dæmon quomodò in puellam intraverit:*

Per-

489. *Pergunt Acta plura dicere de Diabolo exorcistas irridente, & martyrem Anaſtaſium blaſphemante, quod eſſet impotens ipſum ejicere, & de opprobriis & contumeliis jactatis ab eo in Monachos, Epiſcopos, atque presbyteros, aliosq; ſacros Dei miniſtros...* Tandem verò cùm compleſſent in exorcismis in baſilica ſancti Joannis dies viginti quinque, ipsâ ultimâ nocte, horâ quaſi ſecundâ venit nequiſſimus, & per os puellæ hæc exclamare cœpit, dicens: Ecce dico vobis: quia Maria, & Paulus, & Andreas obtulerunt iſtius mali ſenis Epiſcopi & Monachorum lacrymas ante Nazarenum: qui dedit poteſtatem Anaſtaſio, ut veniat, & ejiciat me de corpore iſto in Kalendis Novembris... Tertiâ verò deindè die, ipſis ſcilicet Kal. Novemb. ducta eſt puella, ut priùs, ante altare, & venit omnis congregatio Monachorum: & dum omnes flecterent genua, & dicerent, Kyrie eleyſon, & cum, tunc cœpiſſet ſæviùs dæmon agitare puellam, confeſſus eſt, ſe vehementiſſimè torqueri ab Anaſtaſio, qui præſens eſſet: adeoque fuit violentus motus peſſimi dæmonis in puellam, ut eam in aera elevaret, ſuſpenſamque teneret pedibus ſursùm, & capite deorsùm verſo... Dicentibus illi: Exi, & recede maledicte de creatura Dei, & ſponsâ Chriſti. Tunc dæmon dixit: Ligatum me habet Anaſtaſius, quia uſque in veſperum in me pœnas exercere vult...

torquetur à S. Anaſtaſio.

490. Cùm jam appropinquaret hora egrediendi, tunc cœpit dæmon clamare: Quid me crucias, Anaſtaſi? Scio, quia ſanctus es. *Subjungit Baronius: Iſta extorſit ab invito Deus, ut idem peſſimus dæmon, qui multa jactaſſet in opprobrium martyris, cùm eum deridens, atque ſubſannans, ab ipſo cruciatibus affectus, fateri cogeretur, id quòd eſſet Sanctus Deo acceptus: nam & clamabat rurſum, cum ejulatu:* Væ, væ mihi, ſancte Anaſtaſi, quid in te peccavi? Crucia illum, per quem ingreſſus ſum in iſtud corpus. Tunc iterùm flectebat ſe puella, lævâ, atque dexterâ ut ſolent, qui flagellantur, propter immenſum dolorem, facere: atque clamat, ut parceret, eò quod exire ſe velle promitteret. Et rursùm poſt modicum intervallum clamans: Exeo, & juro per eum, quem tu veneraris, & adoras, quòd non perjuro. Et rursùs, interpoſitâ morâ, cum ejulatu clamans, dicebat: Per quod portas, juro, quod exeo, & numquàm in hoc corpus revertar: Heu me, Heu me, quia veni in deriſum coram hominibus. Et iterùm clamans, dicebat: Sancte Anaſtaſi, exeo, & numquàm in presbyteros tuos, & diaconos tuos, & Monachos tuos injuriam facio. Et ecce, dico, atque confiteor, quòd nihil ſum, ſpiritus nequam, & immundus ſum, ventus ſum: ubi invenero verum Chriſtianum, effugio ab ipſo, nec aliquid illi mali facere poſſum. Et flentibus nobis, dæmon dicebat: Nolite flere: quia cùm videt S. Anaſtaſius vos flentes, majora in me tormenta exercet. Sed ecce, ſicut intravi, egredior, & numquàm revertar ampliùs in hoc corpus. Dicentibus quibuſdam de fratribus: Ne facias quippiam mali, cùm egrederis. Ille reſpondit: Sic mihi præcepit S. Anaſtaſius, ut ſine aliqua læſione relinquam corpus illud. Sic cruciatus eſt dæmon ab ipſo S. Anaſtaſio uſque ad horam tertiam noctis, confitente dæmone, ad ſuum cruciatum non permiſſum antea exire. Tunc puella inclinans ſe ante altare, ſic ſtetit per ſpatium dimidiæ horæ; & elevans ſe, ſanæ mentis, & libera ſtans ante ipſum altare, ſuſcepit corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti: & ſic ſalva puella, cum patre reverſa eſt; dantes quippes laudes Deo. *Hactenus ex Actu Acta publicata Baronius.*

conſitetur ſuam vilitatem:

meritis S. Anaſtaſij ſine læſione puella egreditur.

491. *In Actu Quarto Concilij Nicæni ſecundi (quod fuit septimum œcum menicum) Actione 4. ubi fit mentio Imaginis S. Anaſtaſij; de alia muliere Sicula iſta inſerta leguntur:* In Sicilia muliercula cum dæmonio vexaretur, Romam profecta ad Imaginem ſanctiſſimam ſupradictam, ſanata eſt. *Ita ibi: verſimiliter miraculum idem eſt, de quo Cardinalis Baronius agens de Actu S. Anaſtaſij, ubi iſta:* Habetur illic inſuper poſt eadem acta elegans hiſtoria de arreptitia puella, virtute martyris liberata Romæ in Eccleſia S. Mariæ ad Aquas Salvias: eo nomine olim ea Eccleſia dicebatur, quæ poſtea ob illata illuc ſanctorũ pignora Vincentij & Anaſtaſij, illorum nomine dicta eſt. *In libro Miraculorum S. Anaſtaſij, etiã approbato à dicto œcumenico Concilio Nicæno, memoratur quoque filia cujuſdam mulieris Aſcalone graviter ab immundo ſpiritu afflicta, & meritis S. Anaſtaſij liberata. Et iſta de mulieribus energumenis: ſequuntur etiam ſimilia de viris à dæmone exagitatis. Cum autem jam proxime audierimus per Imaginem S. Anaſtaſij exturbatum dæmonem: en de pia mulieris cujuſdam marito, vexato à dæmone, & allatâ S. Anaſtaſij Imagine, quietato, ac poſtea liberato.* Audiens conjux, ſciſcitatur ex eo, quid habeat. Omnibus, inquit, membris doleo, velut ſi me triginta viri fuſtibus cæderent. Circa horam vero matutini canonis cœpit circumagi, ſpumare, & vociferari. Primo mane mittit uxor ejus ad Fratrem Theophanis. Ejus enim erat amicus. Venit ille, & ut eum vidit ita alteratum, propriamque linguam mordentem, ab uxore ejus rogatus, adfert Imaginem S. hujus miraculorum patratoris, & ad caput ejus collocat. Quievit tum, manſitque immotus, & perturbationis expers ad duas horas. Rurſum ille imaginem recepit, & domum abiit. Extemplò ut miſer ſancti præſidio deſtitutus eſt, id cernens nequam ſpiritus, rursùs eum aggreditur, & corripiens pœnè ſuffocabat, conabaturque in terram eum deturbare ex ſublimi ubi erat. Tunc iterùm mittens ejus uxor ad domum Theophanis, rogavit, ut ſummâ celeritate ad ſe veniret, priuſquàm aliquod illi infortunium à dæmone conſciſceretur. Ille verò conſurgens, unà cum Monacho, ſumenſque ſancti reliquias, & Imaginem, abiit, & reperit eum furentem, minantemq, è ſublimi præcipitaturum ſeipſum. Corripientes eum reclinant, & imaginem ac reliquias Sancti ad caput ejus collocant. Et rursùm quievit, & manſit immotus diebus quinque. Quocirca & deſperatus eſt à multis medicis. At poſt diem quintum ſuſtulit oculos, cœpitq; ſe inviſentes agnoſcere...

Alia ſimiliter liberata.

Vir energumenus vade exagitatus:

S. Anaſtaſij imagine compeſcitur dæmon,

cere ... Manſerunt verò iſthic ſancti martyris reliquiæ; donec omninò ſanitati reſtitutus eſt infirmus ... atque ex ea hora ſanus exitit vir ille, gratiâ & benignitate Dei Opt. Max. & patrocinio Martyris. *Plura de hoc videri poterunt apud Bollandum, & Lezana, apud quos etiam alia ſimilia liberationis beneficia, meritis S. Anaſtaſij præſtita, inter quæ iſta.*

& tandem exire cogunt.

492. Poſt athletica glorioſi Martyris certamina, cùm qui ei adfuerat Frater, ex Perſarũ provincia reverſus in ſanctam civitatem eſſet, ac deindè iterùm in Perſidem profectus, ut ſanctas illas ac venerabiles ejus reliquias ad ſuum monaſterium deportaret; quidam (a) miliarisiorum ſignator, Perſâ genere, nomine Baraſu, qui Domicilium in regia Perſarum urbe habebat, repertum iſthic Fratrem rogat exiguã ſacrarum reliquiarum particulam. Quam cùm impetraſſet, ſeſe que indè illicò receptiſſet, eam domi ſuæ depoſuit. Erat huic amicus, quem, ut ipſemet confeſſus eſt, jam octo & viginti annos graviter dæmon vexabat. Donatas igitur ſibi ab illo Fratre reliquias, liquore quopiam abluit, cumque potandum amico offert: qui mox Chriſti virtute, ac ſancti Megalo-martyris Anaſtaſij, incolumis evaſit. Hæc ille ipſe in monaſterio S. Martyris Siriacis litteris deſcripſit.

(a) Miliarision ſpecies pecuniæ.

S. Anaſtaſij meritis alius energumenus liberatus:

493. Medicus quidam in eadem urbe ab improbo ſpiritu vexabatur. Cùm adeſſe iſthic Fratrem didiciſſet, ad eum adit, rogatque, ut Sancti ſibi reliquias largiatur. Accepit, ac penes ſe habuit; ſtatimque morbo, ſancti ope Martyris, liberatus eſt. Conveniebant igitur ad eum, Medicum quippe infirmi complures, neque deinceps pharmacis, ſectionibus, uſtionibus, aliiſve id genus remediis, quibus ex medicæ rei præceptionibus, uti norat, curare quemquam voluit, ſed glorioſi Martyris reliquias abluens, inde potum ægris præbebat, reddebatque hâc ratione ſanitatem: *Conſequenter refertur de filio pictoris cujuſdam energumeno, graviter à ſpiritu nequam exagitato, qui in Oratorio ad honorem S. Anaſtaſij conſtructo, curatus fuit applicatione reliquiarum ejus: abiitq; Deum laudans, ac glorificans, & S. Anaſtaſio grates referens.*

& etiam quidam medicus,

& ægri multi curati.

CAPVT II.

Miracula alia, meritis S. Anaſtaſij præſtita: tranſlatio Reliquiarum.

494. T*Eſtatiſſimum, & celebratiſſimum id eſt, inſertum Actu ſacri Concilij ſecundi Nicæni (de quo plura capite præcedenti) in eo A*ctione 4. *quod contigit, cùm ſanctæ reliquiæ ejus transferrentur Cæſaream; refertur his verbis:* [Cùm ſanctæ civitati reliquiæ ſacræ appropinquaſſent, omnibus res ea fuit declarata, & ſignificata. Itaque lætitiâ magnâ perfuſi omnes, ſurgentes ſubitò, lignaque ſacra pulſantes invicem, obviam facti ſunt in veneranda Deiparæ æde, quæ appellatur Nova. Illinc cum cruce, & ſupplicatione egreſſi ſunt læti, & gaudentes, cum gratiarum actione ſacris reliquiis munus in memoriam ſancti offerentes. Cùm mulier quædam ex primariis civitatis fœminis, cui nomen Arete; verùm à virtute, quam Græci ἀρετὴν vocant, longè alieniſſima, ad infidelitatem converſa, dixit: Ego reliquias è Perſide venientes, nunquàm venerabor. O miſeram, & deſperatam fœminam! Non audivit hæc miſera ſacri Davidis vocem increpantis eos, qui impudenti; & inverecundo ore quidvis effutiunt: Ceſſare, inquit, facias linguam tuam à malo, & lingua tua ne loquatur dolum. Quid igitur glorificans eos, quos glorificat Deus in hanc deſignavit, deinceps, me referente, audietis.

Mulier impiè loquens de S. Anaſtaſio;

495. Cùm ſacræ reliquiæ in urbem delatæ fuiſſent, communi ſententiâ cives Martyri oratorium propè Tetrapylum (locus is eſt in medio civitatis) conſtruere decreverunt, quin etiam ejus imaginem illic conſtituerunt. Iam cùm eſſet extructum oratorium, ſanctus Martyr in habitu Monachi per ſomnium coram miſera aſtitit, illique ait: E lumbis ægrotas. Ipſa autem reſpondens: non, inquit, Domine: neque enim quidquam mali ſentio. Poſtquàm hæc dixiſſet, expergefacta, ſubitò dolores in ſe ruere ſentit, cœpitque clamare, & gemere; atque adeò graviter affecta fuit, ut ne otij quidem ſatis habuerit, qui expectare quiviſſet, quænam tam ſubiti, & vehementis doloris cauſa, quiſve auctor eſſe poſſet. Sic enim quatuor diebus in cruciatibus ſubſtitit. Quinto autem die ſub crepuſculum vidit ſibi ſanctum illum aſtantem, atque ad illam dicentem: Deſcende ad Tetrapylum, ſanctique Anaſtaſij interceſſionem apud Deum poſce, quò ſana fias. Ipſa igitur cùm ſurrexiſſet ex grabbato, in memoriamq; blaſphema illa & impia verba, quæ contra caput ſuum dixerat, redirent; convocatis liberis ſuis, ad eos dixit: Tollite me, tollite me, inquit, templum ſancti Anaſtaſij concedamus; ſiquidem edocta jam ſum meo cum periculo, reliquias ex Perſide venientes adorandas, venerandaſque; & quæ Deus ſacravit, ea non eſſe communia appellanda. Impoſitam itque eam *ferculo, bajularunt. Cùm autem approquinquaret ipſi loco; ipſa eminùs conſpicata ſancti Imaginem, cum lacrymis cœpit exclamare: hic eſt qui in ſomnis verè à me viſus, inſtruxit me de malis, quæ me habent. Deinde ſeipſam in ſolum proſternens, ſanctumque orationibus flebilibus Martyrem placans, ſana, firmaque ſurrexit. Et quæ paulò ante alienis pedibus incedebat, extremaque patiebatur, nunc ſuis ititans domum unà cum reliquis, Deum glorificans, Martyremque magnificans, perrexit.

graviter punitur.

ad pœnitentiam movetur:

* feretro.

coram S. Anaſtaſij imagine ſanatur.

496. *Hæc ex præfatis Actu etiam à Baronio ſuis inſerta ſunt Annalibus* (a) *Miracula alia plura ex veteri Græco Ms. Latinè reddita* ha-

(a) Ad an. 627.

bent

bent præfati PP. Bollandus, & Henſchenius (a) *atque etiam inſerta leguntur Annalibus Carmelitanis* (b) *in gratiam eorum, quibus contigerit Acta, aut Annales iſtos, ad manum non habere, ex illis quædam ſubſequuntur.*

(a) ad 22. Jan.
(b) ad an. Chr. 772.

Auriga domi ſuæ oratorium conſtruit S. Anaſtaſio;

Auriga quidam, nomine Calotychus, qui juxta fauſtam illam nomenclaturam nunc vivit beatiſſimus, referebat & ipſe multa ac magna ſancti Martyris portenta, quæ in ejus domo in Perſarum urbe patrarat. Quorum pauca deſcribere decrevi. Is igitur ad Monachum accedens, eumque obſecrans, partem obtinuit venerabilium reliquiarum: atque oratorium in ſuis ædibus fabricatus, iſthic eas collocavit. Narrabat verò hic auriga, ſe, ac ſocios die quodam, poſt mortem Coſroæ impij illius Regis, iviſſe, ut rogas ſuas quærerent. At qui regiis negotiis præerant, eos torvo vultu intuentes, abegerunt, dicentes: Coſroæ ſtultitia præteriit. Nos aurigam nolumus. Ite, & operamini; ut victum vobis comparetis. His auditis confuſi, & mœſti diſceſſerunt. Cùm igitur in magna conſtituti anguſtia eſſent: at neceſſariæ annonæ penuria, qui eam ſolam artem callerent, neque alium haberent reditum; illius, de quo nobis ſermo eſt, conjux mœrens, vehementi quodã ſtudio deprecabatur Sanctum, ut ipſis ſuccurreret, atque alimenta ſuppeditaret. Ut verò ab oratione ceſſavit, ex oratorio egreſſa, milliarenſem humi jacentem reperit: & gratiis Deo, Sanctoque actis, mittens, oleum comparat ad Sancti lucernam. Intra dies aliquot aurigæ ſe Sanctus viſendum præbet, & hæc ait: Ite denuò ad regiam, & rogas veſtras accipite. Conſurgit ille, ac ſocios convocat, urgetque, dicens: Agite, eamus adhuc hâc vice, in Dei, ac S. Anaſtaſij nomine, ut rogas noſtras accipiamus, indubiè eas conſequemur. Illi verò graviter afflicti, nec fidem ei habentes, Quis ille eſt, inquiunt, S. Anaſtaſius? Si id fiat, credemus & ipſi in eum. Et ſurgentes abierunt denuò ad regiam. Videntes eos Principes, cum omni benevolentia, & humanitate præbuerunt iis rogas ſuas, ut priùs accipere conſueverant; & dimiſerunt eos. Venientes verò illi in Novam-civitatem, cum decem ſinguli milliarenſes nummos accepiſſent, convivium inſtituerunt, gratias Deo agentes, qui talem Sanctis ſuis gratiam tribuit.

cujus patrocinium mox expertus ipſe,

& alij ejus ſocij.

ANNOT. Ibi per *rogas ſuas* intellige *ſtipendia*: & per *milliarenſes*, ſpeciem alicujus nummi argentei, valoris ſicut milleſima pars aureæ libræ: ideo dicebatur *milliarenſis*, ſeu *miliarenſis*.

497. Calotychus ille, de quo jam egimus, diſcipulos habebat eamdem addiſcentes artem. Ex his quidam dudùm rei cujuſpiam, ut videtur, honeſtæ, deſiderio tenebatur: quam tamen, mali dæmonis operâ, qui ejuſmodi obniti ſtudiis ſolet, non eſt conſecutus. Sancti igitur Martyris recordatus, adjutorem eum invocat, dicens: Anaſtaſij, ſi mihi præſtò nunc fueris; ut rem eam valeam perficere, duos milliarenſes conferam ad candelam tibi dicandam. Audiens hæc illius conjux, abi, inquit, credo enim in Deum S. Anaſtaſij, fore, ut quod vis, conſequaris, & re perfectâ, redeas. Ille verò abiens, quod multo tempore exequi cupierat, nec valuerat, horâ unâ effecit. Et cum ingenti gaudio reverſus, duos deferens milliarenſes iſthæc vociferabatur: Magne Deus S. Anaſtaſij, accipe duos milliarenſes, quos pollicitus ſum me oblaturum ſancto templo tuo. Et indè ampliùs dicta Novacivitas concurrere ad aurigæ domum cœpit. Et multi variis afflicti morbis in oratorio Martyris dormiebant, atque omni moleſtiâ liberi, & incolumes abſcedebant.

Alius candelam promittens ſingulare beneficium mox accipit;

& multi infirmi curantur.

498. Prædictus igitur Monachus, ſumptis ſecum ſanctis reliquiis, iter verſus ſanctam Chriſti Dei noſtri civitatem capeſſivit, venitque Palmyram urbem. Egreſſi verò ſunt cives, ad ſacras adorandas reliquias; atque inter eos juvenis quidam tumefactos habens oculos, qui ſtetit ejulans, & Martyrem obſecrans, ut per eum Deus ſibi propitius redderetur, ſuamque curaret cœcitatem. Fratri verò illi morbi cauſam ſciſcitanti, & quanto tempore ea tenuiſſet ægritudo, reſponderunt cives: Jam quadriennium eſt, ex quo non videt, omneſque facultates ſuas in medicos expendit, ac tandem cæcus omnino eſt effectus. Dicit ei Frater: Si Deum credis poſſe tibi opitulari, videbis gloriam ejus per S. Anaſtaſium. At ille exclamavit, dicens: Credo utique. Dicit ei rurſus: Oportet igitur te jejunare, & Dei gratiam excipere. At ille: ab omnibus quibus juſſeris, abſtinebo; à vino multis diebus abſtinere non poſſum. Dicit ei Presbyter: Nec ad ſeptem dies? Et ait: Omnino. Habebat verò Frater extra ſacram thecam partem exiguam, quam accipiens, & abluens, ei dedit, præcipiens, ut oculos aperiret, & pupillas ſublinirct. Abiit, fecitque imperata, atque intra ſeptem dies rediit ſanus, laudans, & glorificans Deum, ejuſque Martyrem Anaſtaſium.

Oculorum tumor, & cæcitas,

curantur meritis S. Anaſtaſij:

499. Conſtructo venerabili Tetrapylo, nomine ſancti Martyris, & jam perfecto, cum tranſlatio fieret reliquiarum, aliud evenit miraculum dignum commemoratione. Menſe Martio. (Nam eo ineunte ſolemne quoddam invaluit apud milites inſtitutum, ut equos ornent, atque in campum ingrediantur, ſeque exerceant, ac veluti ſpecimen quoddam edant militaris conflictûs:) his peractis contigit quemdam militum cum alio equorum curſu contendere: & jam ad conſtitutum locum cupiens equum refrenare, & detinere, non poterat. Ut igitur per mediam civitatem ferebatur, propiùs ad venerabile tetrapylon acceſſit, & neque reſpirare jam valens, neque illius impetum ſiſtere, irruit in prægrandem erectum lapidem, in cujus adverſa parte duo erant pueruli. Et corruit equus ipſo loco, miles verò dejectus eſt: at lapis fractus eſt, & ſub ſe puerulos oppreſſit. Rem hanc, aut ſcelus potiùs machinatus improbus dæmon, ſucceſſum tamen optatum non habuit, benigniſſimo Deo per Sanctum ſuum dignam illi confuſionem & pœnam irro-

Miles, & duo pueri à morte mirabiliter præſervati;

irrogante. Neque enim miles ex equo dejectus incommodi quidpiam accepit, neque equus prolapſus, neque pueri ſub lapide deprehenſi: ita ſapiente illâ & benignâ providentia miſericorditer gubernante genus noſtrum, etſi ut plurimum immenſis criminibus onerati ſimus, & adhuc, & uſque in ſæculum mirabilia operante in nobis per ſanctos Martyres.

500. Hactenùs eorum quæ in itinere & Cæſareæ edita ſunt à Sancto miracula plurima percurrentes, pauca narravimus. His verò miraculis alteram gratiam decet adjungere, Sancti ſcilicet commiſerationem. Mulier quædam, Photi nomine, miniſtra effecta ſacri typhlocomij, ſive cæcorum domicilij, quod in ſancta Dei erat civitate, ibat Emeſſam propter domeſticum quoddam negotium cum aliis eodèm tendentibus. Cùm verò hiems eſſet, imberque decideret, contigit eam, quippe imbecilliorem, & labore itineris fatigatam, devenire in regionem, quæ eſt ultrà Jordanem. Cum vero adveſperaſceret, & comites eam deſeruiſſent, circumſpiciens, neque agnoſcens, quâ ſibi eundum eſſet, cœpit angi animo, hærere, perpendere viam ignotam, horam intempeſtivam, belluarum & ſerpentium, ac demonum inſidias, quæ norunt, qui agendis itineribus ſunt aſſueti. Paullulùm ergo ad ſe reverſa, humi ſe proſternit, ejulans & plangens improvisò ſuperveniens ſibi periculum, ſanctumque invocabat, ut ſibi adjutor, & dux erranti eſſet, magnâ voce inclamans: S. Anaſtaſi, nunc erga me quoque mirabilia tua oſtende. Talia eâ vociferante, & calidis lacrymis ipſum implorante; ecce & ipſe ſupplicem exaudit, at Dominum ſcitè imitatus adſtat erranti, Monachi ſpecie, arreptâque ejus manu, eam erigit; cumque ea ambulans uſque ad villam, in qua comites ejus erant, deindè videri deſiit. Tunc illa agnovit Sanctum fuiſſe, qui eam deduxerat, & cœpit coram omnibus Deum glorificare, & narrare, quæ ſibi acciderant in via, & exhibitam ſibi à Sancto opem.

S. Anaſtaſ deducit Mulierem errabundam:

501. Miles quidam ex decimo quinto bando Illyricianorum, extrema ex hepate perpetiens quatuor annorum ſpatio, cùm in multos medicos vitam ferè exhauſiſſet, nihil profecerat. Audiens verò à ſeniore quodam ejuſdem ſecum bandi de S. Anaſtaſio, ad eum confugit. Dicit ei ſenior, ſi credis Deo S. Anaſtaſij, præbeo tibi apomyriſma, & convaleſces. Ille cum fide ſermonem ſuſcipiens, apomyriſma poſcit, eoque accepto abit ad paracheimadion ſuum, ſive ſtationem hibernationi aſſignatam: atque intra quatuor menſes reverſus eſt ſanus, gratias agens Deo, & Sancto Martyri.

hepatis malum curat,

502. Cùm igitur cuperet Frater ad illam adire à Deo cuſtoditam urbem cum ſanctis reliquiis, iterque faceret per Syriam, Ciliciam, Cappadociam, & reliquas provincias, qualia & quanta miracula patrata ſint ab hoc Sancto, quis poterit ſimilis mei peccator, explicare, atque uniuſcujuſque gloriam dignè referre? Ideo conſultò multa prætereo, ne conſequenter ea explicare contendens, inani multiloquio eadem iterare videar iis, qui animo incurioſi ſunt. Eæ verò res hucuſque & in poſterùm lucidiùs ſplendent apud eos, qui in iis nati ſunt locis. Audiamus verò quod in regia urbe factum eſt portentum. Mulier quædam religioſa, ex monaſterio, quod Auguſtæ dicitur, ſitumque eſt juxta ædem S. Thomæ, quæ Apoſtolion cognominatur, cancrum habebat in mamilla; quem videntes medici, dixerunt ei: Hoc malum hodiè aut cras erumpet; poſtquàm verò eruperit, uſque ad cor penetrabit, & mortem afferret. Illâ fatali ſententiâ à medicis ſine ambagibus acceptâ, cœpit animo affligi, & amarè ejulare. Audiens verò ſtupenda Sancti miracula, quamque ſit erga omnes clemens & benignus, & rectâ fide res ejus complexa, habuit ſanè & ipſa corda penetrantem Deum, utiliter ſibi per Sanctum dicentem: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. Mittens igitur ad Monachum apomyriſma accepit, & mamillam, in qua malum inerat, illinens, ſanata eſt, benigniſſimi Dei, & ſancti Martyris Anaſtaſij beneficio.

mulierem à cancro ſanat.

ANNOT. De tranſlatione venerandi Capitis & Imaginis S Anaſtaſij Romam, ſeu ad Aquas Salvias, jam antè ex Synodo Nicœna, & Baronio quædam audivimus hic ſuprà. De ambabus tranſlationibus accuratè tractat P. Bollandus in Commentario prævio §. 4.

APPENDIX.

Devotio ad B. Anaſtaſium quâ occaſione, & quomodò aucta, & propagata per Belgium.

503. R^mus Pater D. Iacobus Wemmers Antverpienſis natione, profeſſus Ordinis B. V. M. de monte Carmeli Epiſcopus Cairi in Ægypto, ab Innocentio X. Summo Pontifice deſtinatus Legatus Apoſtolicus per Æthiopiam, cùm adhuc Romæ demoraretur profeſſor linguarum Orientalium, & Conſultor S. Congregationis de propaganda fide, ex peculiari devotione, Eccleſiam, ſacrum caput, & venerandam Imaginem capitis abſciſſi ſancti Anaſtaſij, cum caputio monaſtico ſeſqui milliario extra Romam ad Aquas-ſalvias, quandoque viſitabat unà cum fratre ſuo germano P. Petro Wemmers etiam Romæ habitante. Imaginis autem iſtius, cujus mentio eſt in Actis œcumenici & generalis Concilij ſeptimi ſecundi Nicœni, iſta eſt ſubſcriptio, Imago S. Anaſtaſij Monachi & martyris, cujus aſpectu fugari dæmones, morboſque curari, acta Concilij ſecundi Nicœni teſtantur. Hæc Imago cum capite ſingulis annis in die & per octavam. S. Anaſtaſij, cum magna populi frequentia & devotione, honorificè exponitur in dicta Eccleſia, ad Aquas ſalvias. Imaginem autem illam cum ipſi ſæpius conſpexiſſent, & admirati eſſent vetuſtatem, & modum quo illud caput delineatum, & vivum colorum ... ... eſt, ut abſque dubio poſſit ... ... effigiem ejuſdem ſancti de quâ

Iacobus Wemmers Epiſcopus Cairi curat depingi imaginem S. Anaſtaſij:

quæ in præfato Concilio (undè eſſe eamdem teſtatur Martyrologium Romanum verbis ſupra relatis) ob memoriam, & devotionem iſtius ſancti: Ordinis Carmelitarum, illam in eodem loco ab inſigni pictore depingi curarunt; quod, Deo favente, tam feliciter perfectum fuit, ut copia à principali Imagine vix differret, ſed videretur omninò ſimillima, cum eadem figura & ſubſcriptione.

transfertur in Antverpiam:

504. *Hanc Imaginem poſtmodùm anno Domini* MDCXL. *in Belgium P. Petrus præfatus ſecum contulit Antverpiam, ubi in Eccleſiâ Carmelitanâ ad murum appenſa fuit abſque aliquo ornatu. Subitò autem tanta populi pietas & devotio erga ſanctam Imaginem apparuit, ut plurimi venirent & confiterentur beneficia, & ſanitates ab infirmitatibus accepta, & deferrent candelas, candelabra, ornamenta, lampadem argenteam, & varia alia anathemata pro veneratione* S. *Anaſtaſij: & ſacrâ Solemnia decantanda peterentur: atque ita ipſius feſtivitas quotannis ſolemniter celebrata fuit: quæ populi devotio, & ſolemnioratio feſtivitatis ab eo tempore continuata fuit. Nec ſolùm Antverpiæ hujus ſancti devotio & pietas exhibita fuit, verùm etiam ad alios Carmelitarum Conventus, ubi hæc Imago delata & in Eccleſiis expoſita fuit, eodem modo propagata eſt, & magnam excitavit populi devotionem, ac pietatem: quæ (ut apparet) ex peculiari Dei motione facta fuit. Atque ita ſicut olim cultus ſancti Ioſephi univerſalis non fuit, ſed ferè ſolùm inter domeſticos Carmelitani Ordinis parietes (ſicut videre licebit hic infra ad diem* XIX. *Martij) deindè tempore à Deo præfinito per univerſam Eccleſiam mirabiliter propagatus fuit: ita quoque* S. *Anaſtaſius Martyr in Belgio vix notus, niſi ferè in Carmelitano Ordine, annuè ejus feſtivitatem celebrante, tempore à Deo præſtituto ipſe, & magna ejus apud Deum merita magis innotuerunt, atque ita devotio erga ipſum, Deo inſpirante, & movente, aucta, ac propagata fuit.*

ubi mox magna excitatur devotio:

ac deindè etiam in alios locos.

XXV. JANUARII.

An. 1494

EPITOME VITÆ B. ARCHANGELÆ DE TRINO,

Virginis, Monialis Ordinis B. Virg. Mariæ de monte Carmelo, *ex Lezana Tomo 4. Annalium Carmelitarum, ad Annum Chriſti* 1494.

B. Archangela patria, & parentes;

505. **V***Ita, & mors fœliciſſima Beatæ Archangelæ de Trino noſtri Ordinis, & clariſſimæ Congregationis Mantuanæ, inclyta alumnæ, huic anno, quo ipſius contigit obitus, adſcribenda. . . . Nata eſt Trini in Monferrato ex Ioanne de Girlanis, viro probitate vitæ cognito, & uxore ſibi nobilitate, & moribus æquali. Ex illis orta Leonora appellabatur, & in prima ætate ſenilem demonſtrans, decrevit Deo conſecrari. . . Carmelitici Ordinis habitum in Conventu Monialium Parmæ, de* S. *Maria Magdalena attitulato, recepit. Ubi ſic in primordiis ſuſceptæ Religionis ſe geſſit, ut non tàm Novitia, aut nova Sanctimonialis, ſed ex veteribus & antiquis una, à cunctis haberetur: ac ideircò ab eis ſummè coleretur, & ipſa alacrius in Dei ſervitio diu noctuq; proficeret. Electa proindè eſt, jam vocata Archangela, ad ejus monaſterij regimen, Sororum concordi aſſenſu, ſuo verò diſſenſu. Onus tamen ſibi impoſitum* Jesu *ſponſi amore ſic ferebat, ut domeſticarum, & exterorum benevolentiam ſibi conciliaret: erat namq; omnium ſolatium, & refrigerium. . .*

Monialis Ord. Carm.

Priorissa, communeque ſolatium:

506. *Accidit aliquandò ut propter fluvij inundationem per aliquod tempus farina defeciſſet, nec eſſet panis pro cibo Monialium neceſſarius: ſed tunc, quid Chriſti ancilla faceret? Ad orationem cum ipſis recurrit: & eâ finitâ, ecce ad januam, & Monaſterij rotam, adfuit quidam, panis quantitatem deferens, quantum pro ea die ſatis eſſe poterat. Interrogatus autem, quiſnam eſſet, ſolùm reſpondit:* Qui ad vos me miſit, vobis non deerit, nec in cœlo, nec in terra. *Cùm in Capitulo culparum cum ſuis Virginibus quandoque eſſet, rumor magnus & ſtrepitus per domum, & circa coquinam audiebatur, ac ſi in terram corruiſſet; ipſis verò ſurgere volentibus, ut viderent, quid eſſet, Archangela ſubridens dixit, Diabolum fuiſſe, qui ipſarum culpas auſcultabat; ac monuit, ut impoſterùm non delinquerent, ne à Deo deſererentur. Sanctiſſimæ Trinitati devotiſſima, quoties Sorores reprehendere incipiebat, in nomine ejuſdem* SS. *Trinitatis inchoabat.*

Oratione ſuarum neceſſitati ſuccurrit:

SS Trinitatis devotiſſima.

507. *In oratione ſæpiùs ſic in ſpiritu rapiebatur, ac ſi anima à corpore ſeparata fuiſſet. Hinc in quadam nocte Nativitatis Domini poſt Matutinas preces, Infantem Ieſum in præſepio poſitum conſiderans, in elevatione poſita, uſque ad Primam duravit. In quadam etiam feria ſexta Hebdomadæ ſanctæ, dum ſibi calceos pro cruce adoranda, juxta morem Religionis, detraxiſſet, in conſideratione paſſionis Domini, & ſpiritu rapta, totâ illâ die incibata permanſit. Prout etiam ſæpiùs à Sororibus in ſua cella viſa fuit. Viduæ cuidam in magna tribulatione poſitæ, quòd gener ipſius, filiam, quam in uxorem dederat, deſolatam reliquerit, mediâ Oratione ſuccurrit: vir enim ad ſponſam ſuam rediit, & in pace cum ipſa vixit, viduâ dicente, ab Archangelæ precibus id actum fuiſſe. Quidam etiam, qui filiam ſuam in monaſterio habebat, cùm graviter ægrotaſſet, Virginis precibus liberatus eſt. Erat præterea commune ſolatium fœminarum Mantuæ, quæ ad ipſam ſuis in afflictionibus recurrebant, nec vana ſpe.*

ecſtaſes patitur in oratione:

viduæ deſolatæ ſuccurrit:

508. *Infirmata verò poſteà gravi morbo, & ſæpiùs repetendo.* Jesus amor meus; *&:* Jesu Chriſte fili Dei vivi, miſerere mei, *ac ſymbolum pronuncians, Eccleſiæq; Sacramentis receptis, admonitione quoque ad filias ſuas ultimò præmiſſa, animam placidè ſuo Sponſo reddidit die 25. Ianuarij 1494. Cujus corpus in eo monaſterio, cui titulus,* Sancta Maria de Paradiſo *piè tumulatum eſt. Dolor proindè, & triſtitia ob ejus mor-*

piè moritur,

miraculis coruſca:

cum Mantuæ, & Parmæ, inter exteros etiam. Deus autem hujus Virginis ſanctitatem variis ſignis oſtendit. Conventus ab hac Beata Archangela Mantuæ inſtitutus, ex ornatißimis eſt totius civitatis, & adeò Virginum numeroſus, ut regulariter centenarium numerum attingat; plus, minùſve aliquando; & aliquando decem & centum, in eo habitaſſe referantur. Quæ ſuæ Fundatricis feſtum in die Converſionis S. Pauli quotannis celebrant, eò convenientibus, tum indigenis, tum exteris multis, quibus ſacrum ejus corpus oſtendi ſolet.

colitur die 25. Ian.

ANNOT. *Plura de ejus vita variisque, & miraculis videre poterunt dicto loco Annalium.*

XXVII. JANUARII.

AN. 407. DE S. IOANNE CHRYSOSTOMO, ARCHIEPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO, Monaſticæ Elianæ vitæ cultore.

S. Chryſoſt. cur ſic dictus:

509. S. *Chryſoſtomum (id eſt os aureum, ob eloquentiæ flumen ita nuncupatum) vitam egiſſe monaſticam, indubitatum eſt ex vita ejus ſcriptoribus. Quòd autem in eremo, in Syria, tradit Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 382. ubi iſta:* Eremus porrò illa fuit in Syria: Nam Diodorum, ſub quo etiam Chryſoſtomus excoluit vitam monaſticam, in ea regione habitaſſe, Theodoretus affirmat. *Illic ſitus eſt Carmelus, & ubi Elianum anachoreticum, & monaſticum inſtitutum, per Filios Prophetarum, Eſſenos, Therapeutas, continuatum uſque ad tempora S. Chryſoſtomi, & ulteriùs habetur ex dictis ſupra Fundamento 1. 2. 3. & 4. Omnia autem ibi, & in ſequentibus, dicta, confirmant, ipſum Elianæ vitæ monaſticæ ſectatorem fuiſſe.* Sed quæ fuere ejus lucubrationes in eremo? Poſita ſunt namque tunc, ſecundùm Propheticum illud, deſerta in ſtagna aquarum, cum fluenta doctrinæ ex ejus pectore pro opportunitate manarunt. Etenim ad Theodorum collegam, ignavum deſertorem, inſignem edidit commentarium, quò eum ad eremum, undè exceſſerat, revocaret . . . Elaboravit tunc pariter duos illos de Compunctione cordis libros, & tres de Prouidentia Dei, magnâ admiratione habitos: ſed & adversùs vituperatores vitæ monaſticæ nobile opus elucubravit tribus libris diſtinctum; magnoperè admiratus, non inter Gentiles tantùm, ſed inter Chriſtianos aliquos adeò infelices reperiri, qui tam ſublimi detraherent Philoſophiæ, homines planè, quorum Deus venter eſſet, & gloria in confuſione, & terrena tantummodò ſapientes. *Ita Cardinalis Baronius dicto loco. De aliis ejus ibi lucubrationibus mox audiemus ex Metaphraſte.*

Monaſticam vitam egit in eremo Syriæ:

ibi ſcripſit contra vituperatores vitæ monaſt. & alia:

510. *Lezana in Annalibus Carmelitarum, ad annum Chriſti 354. de vita ejus monaſtica ita ſcribit:* Hoc anno, juxta Baronium natus eſt Joannes ille celeberrimus, cognomento Chryſoſtomus, Monachis ejus ævi jure annumerandus, ac proindè à noſtris Annalibus non repellendus, prout etiam hiſtorici noſtri autumant, ſpecialiter Palæonydorus, & poſt illum Coria, Guadalaxara, Franciſcus à S. Angelo, Joannes de la Plata, Emmanuel Romanus, qui eum inter Eliæ alumnos referunt. Quibus favet vetuſtum Ordinis Kalendarium Conventûs Mechlinienſis, in quo pro 6. Kalend. Februarij ſic habetur: [Conſtantinopoli Joannis Epiſcopi, qui & Chryſoſtomus dicitur, ille fuit Ordinis noſtri, & martyr in exilio obiit.] Et de exteris Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ lib. 16. Tom. 6. verbo [Religioſus, Religio] dum de Ordine Carmelitarum agit, cum inter Sanctos Ordinis referens; & Carolus de Tapia. Et quidem monaſticam vitam egiſſe, ex Palladio, Metaphraſte, Eraſmo, & aliis ejus vitæ ſcriptoribus clarè habetur, præſertim ex Georgio Patriarcha Alexandrino, qui ejus hiſtoriam deſcribens, inquit: [Qui autem in monaſterio, in quo degebat Chryſoſtomus, diverſabantur, perſpectâ ejus ſanctitate, obſecrabant, ut ſibi præeſſet, ille è diverſo renuebat, nihilominùs quaſdam Regulas monaſticæ exercitationis edocuit, eos exhortans ad ſanctorum Eliæ, & Eliſæi piam converſationem.] Idcirco inter Eliani inſtituti imitatores eum numeramus. *Hactenùs ibi Lezana: Conſequenter adfert iſtos clariſſimi Poëtæ Baptiſtæ Mantuani verſus: (a)*

Eliana Monaſticis æmulator:

Nomen ab aurato traxit Chryſoſtomus ore,
Ex ſubitò factus quaſi fons &c. *Et infra:*
In patrios vectus fines, ſub monte ſilentûm
More Patrû, qui Carmeli montana colebant,
Per ſpelæa diu traxit ſylvatica vitam.

(a) Lib. 9. Faſtorum, ad diem 14. Septemb.

eloquentia ejus fons, ſeu flumen aureum quaſi.

511. *In Martyrologio Romano ad diem XXVII. Ianuarij hoc celebratur encomio:* Conſtantinopoli S. Joannis Epiſcopi, propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chryſoſtomi, qui verbo & exemplo Chriſtianæ Religioni plurimùm profuit, & poſt multos labores, in exilio vitam finivit. Ejus ſacrum corpus ſub Theodoſio juniore hâc die Conſtantinopolim, indè poſteà Romam tranſlatum, in baſilica Principis Apoſtolorum conditum fuit. *Animadvertendum autem, quòd dies hic XXVII. non ſit Natalis ejus (quo ſcilicet cœlo & æterna beatitudini natus eſt) ſed tranſlationis. Obijt autem, & ad perpetua gaudia tranſiit die XIV. Sept. ad quem ita Græci in Menæis:* Obitus S. P. N. Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani: hoc enim die requievit in Domino; ſed propter celebritatem Exaltationis S. Crucis, illius dies feſtus tranſlatus eſt in Novembrem. *Eadem habet Maximus Cytheræus, & Menologium Caniſii,*

Obiit 14. Septemb.

cur tunc non colatur:

Romanum Martyrolog. ad eundem diem habet ; Eodem die Natalis S. Joannis Chryſoſtomi, Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui inimicorum factione in exilium ejectus, cùm Innocentij primi Summi Pontificis decreto indè revocaretur, in itinere à cuſtodientibus militibus multa mala perpeſſus animam Deo reddidit. Ejus tamen feſtivitas ſexto Kalendas Februarij celebratur.

512. *Tam ſublimis viri eminentem ſcientiam, profluentem eloquentiam, heroica geſta, & magnas pro Dei gloria perpeſſas calamitates paucis ſufficienter tradere haud eſt poſſibile; diffuſius autem de illis hoc loco tractare, & præter noſtrum eſſet inſtitutum, & haudquaquàm eſt neceſſarium; cùm illa in utraque vita ejus luculenter ſcripta per Simeonem Metaphraſtem, & per Georgium Alexandrinum Patriarcham, extent apud Laurentium Surium: inde pauca quadam pro inſtructione, & incitamento ad virtutes, quas in vita monaſtica ipſe exercuit, & aliis commendavit, hîc delibaſſe, ſat erit. Et quidem Simeon Metaphraſtes (qui qualis fuerit, & quando claruerit, habes hîc ſuprà* (a)*) hæc de ejus ad Monaſticam vitam tranſitu, & de illius ibi ſanctis exercitiis ſcribit :* Relictis omnibus, toto pede ad vitam quietam transfugit. Deindè cùm eſſet ætas adhuc juvenilis, etſi eſſet ei corpus naturà malè affectum, & valetudinarium, ſe tradit monaſteriis, in quibus vita agebatur accuratior & aſperior, quàm in aliis : & cùm totam veſtem exuiſſet cum ſapientia carnis, aut, ut veriùs dicam, illam priùs exuiſſet, induit amictum ex pilis contextum, corpus adhuc affligens, & veluti quamdam nubem attenuans, & lumini mentis præbens libertatem. Maximum autem ponebat ſtudium in legendis libris divinarum ſcripturarum. Quod quidem faciebat tam diligenter, ut vim eorum, quæ in eis inſunt, nihilominùs in mente imprimeret : deindè manu propriâ & labore digitorum eas interpretaretur, ut dictum eſt ... In hac grata quiete & ſilentio componuntur ab eo libri de ſacerdotio : in quibus quanta quidem ſit dignitas ſacerdotij, qualem autem eſſe oporteat eum, qui hoc eſt dignatus, accuratè oſtendit. Tunc etiam ſcribit orationem ad quamdam illuſtrem mulierem, quæ paulò ante viderat noctem viduitatis, & magno luctu gravabatur, eam leniter recreans, & oſtendens viduitatem non eſſe rem vilem & abjectam: ſed magnam & venerandam eſſe ejus dignitatem, eamque magnis laudibus eſſe dignam, quæ ſuam in defunctum integram conſervavit conſcientiam, ſe ſecundis nuptiis non reddidit infamem, ut quæ benevolentiam mentita ſit in maritum. Deindè etiam de Virginitate ſcribit alium librum, divinam ejus oſtendens pulchritudinem, & magnum ejus ornamentum... Multò autem magis ex factis adhibuit doctrinam, ut qui perpetuò quidem vacaret orationi, & omnem exerceret virtutem, ad eam futurus aliis tamquàm exemplar. Humilitatem verò ita erat amplexus, tamquam in ea alio modo vellet primas partes obtinere in eo, quòd nulli alij cederet extremum omnium.

(a) N. 76. pag. 24.

à juventute Monachus, *amictus habitum ex pilis :* *corpus affligit :* *addictiſſimus lectioni S. Scripturæ,* *ſcriptioni,* *orationi,* *humilitati.*

513. *Georgius autem Alexandrinus Patriarcha ſic perfectam S. Ioannis Chryſoſtomi converſationem monaſticam tradit :* Matrem igitur, ut primum decenti funere ac religioſo extulit, in conditorio depoſuit beati Patris, juxta ſanctæ Matris præſcriptum. Sanè quidem aurum in pauperes & indigos incunctanter dilargitus eſt : quod autem nulla inſigni notâ erat percuſſum, in Eccleſias diſpertivit, ac finitima monaſteria proximè adjacentia civitati, ad exornandas precioſas reliquias. Servos & ancillas ad unum omnes ſervitutis vinculo emancipatos aſſeruit libertati. His tandem exolutus vinculis negotiorum ſuperfluè mentem urgentium, quidquid reſederat è ſuis facultatibus, in uſum civitatis diſtribuit, ut vacuus maximè eſſet ab omni intemperie & moleſtia exactorum publici tributi. Veritatis concertator hic, ſua hæc omnia ad hunc modum diſpenſabat. Proindè in perquàm amœnâ requie vitam tranſmittebat, jugi meditationi, & aſſiduæ lectioni divinarum ſcripturarum advigilans, cuſtos pervigil ſui ipſius corporis factus, ſtudio fugitans, & à ſe quàm longiſſimè ſubmovens irritamenta gulæ, turpiumque concupiſcentiarum indecoras permiſtiones propellens, in corpore ſuo quaſi in templo quopiam ſancto locum tribuebat capacem virginitatis ac ſanctimoniæ. Porrò is, quùm probè noſſet extimulante conſcientia, præſertim vigente ætatis flore, (tametſi ſalvo eſſet & incolumi ſenſu præditus) ſe haudquaquàm eſſe parem tot ſuſtinendis moleſtiis, quas faceſſit Reſpublica ſuis adminiſtratoribus, finitima civitati inviſit monaſteria. A ſuæ cognationis hominibus, à civitate quùm ſe ſequeſtraſſet, in numerum aſcitus civium ſupernæ Hieruſalem, ſtudio feſtinabat, ac flagranti deſiderio urebatur, ut vel ibi innoteſceret. Illic igitur cœpit primordia jacere monaſticæ exercitationis, ac tenaciùs tueri. Vigilias protendebat, jugiter vacans orationi, nec ullam ſibi indulgebat laxationem. Quin potiùs noctu & interdiu multa cum auſteritate idipſum faciens, quaſi jam primùm cœpiſſet, quæ priùs confecerat velut oblitus, in anteriora extendebat ſe, ſapientiſſimi Pauli factus imitator. Qui autem in eo monaſterio, in quo degebat, diverſabantur, perſpectâ ipſius ſanctâ converſatione obſecrabant, ſibi ut præeſſet, eaque edoceret, quæ futura eſſent animarum ſaluti conducibilia. Ille è diverſo non ſuſtinebat eis præſidere, ne mentem in diverſa diſtraheret ob anxiam de fratribus ſolicitudinem. Tradidit alioqui præſcriptas quaſdam finitiones ſive regulas tuendæ temperantiæ, orationis, ac monaſticæ exercitationis. Edocuit prætereà divinarum ſcripturarum meditationem, tranquillam vivendi formulam, nihil quod peculiare ſit, ut poſſiderent, ordinem, quo perſiſtere deberent in Eccleſia, quo tempore pſalmodia nocturna concinitur, diurnæ inſuper orationi quid conveniat. Eos inſuper inſtituit linguam coercere, ipſique frænum inijcere, & ne quid indecori effutirent, eos adhortans, ut

liberalitas ejus in pauperes & monaſteria, *Virtutes ejus aliæ ;* *modeſtia ejus maxima ;* *ad Religioſos ;*

adverſùs perduellem illum & animarum hoſtem reluctarentur, proque virili decertarent, & inſidioſas ejus adverſum nos molitiones ad libellam diſcretionis expenderent. Improbas quas hominibus clàm ſuggerit ratiocinationes, dijudicarent.

maximè est hortabatur, imitari vitam S. Eliæ, & Eliſei.

514. Adhortatus inſuper eos eſt, ut Sanctorum converſationem pia æmulatione imitarentur; præcipuè quidem Eliæ & Eliſei Prophetarum, qui quidem angeli terreſtres effecti precio inopiæ & extremæ penuriæ mercàti regnum cœlorum conſecuti ſunt. *Illa verba*: præcipuè quidem Eliæ & Eliſei, *ſatis indicant, ipſum, & iſtos Monachos fuiſſe ſectatores S. Eliæ & Eliſei, quos ut duces & principes ſuos proſpiciebant.* *Et ideo homiliâ* 68. *in Matthæum agens de Monachis (quos* Orbis terrarum lumina *nuncupat) deſcribens eorum veſtes, illarum prototypum aſſerit Eliam, ejuſdemq; ſpiritus & vitæ imitatores Eliſeum, & Ioannem Baptiſtam:* Ita, *inquit,* eis præparatæ ſint *(veſtes nempè)* ut beatiſſimis Angelis illis Eliæ dico, Eliſeo, Joanni. *Veſtis etiam S. Ioannis Chryſoſtomi fuit ſimilis Elianæ, nempè melota, ſeu* ex pilis contexta, *ſicut jam ante audivimus ex Metaphraſte. Et ut Monachos omnes ad venerationem, & imitationem S. Eliæ incitaret, plures inſignes tractatus de illo ſcripſit, in quibus ſublimem ejus ſanctitatem, flagrantiſſimum zelum, & ſummam orationis efficaciam, mirâ verborum energiâ extollit. Præcipua quædam indè delibata videantur bîs ſuprà in Vita* S. *Eliæ parte* 1. *cap.* 2. *& parte* 3. *cap.* 1. (a) *quæ omnia confirmant, ipſum magnum S. Eliæ cultorem fuiſſe, & (ſicut ſupra de S. Antonio audivimus) ex inſtituto magni Eliæ exemplum cepiſſe, & ad illud exemplum vitam ſuam (etiam veſtes) compoſuiſſe. Et hac ratione, tractatio aliqualis de ipſo hîc nequàquàm videbatur prætermittenda.*

quos ut duces debebant imitari:

Tractatus plures de S. Elia ſcripſit.

(a) Num 34. & 134. ac ſeq.

XXVIII. JANUARII.

An. 444.

VITA S. CYRILLI,

ALEXANDRINI EPISCOPI, SEU PATRIARCHÆ

Ex Ordine B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, dogmatum fidei de Chriſto, & genitricis ejus Dei-maternitate præclariſſimi propugnatoris.

PROLEGOMENA.

§. 1. *Cyrilli ſanctitate, & eruditione celebrati plures: De S. Cyrillo Alexandrino teſtimonia Sacrorum Conciliorum, & Martyrologiorum.*

SS Cyrilli 4. celebres:

515. CYrilli plures ſanctitate, & doctrinâ conſpicui celebrantur in Martyrologiis & Eccleſiaſticis hiſtoriis: præcipui ſunt quatuor iſti: S. Cyrillus *Alexandrinus Epiſcopus, cujus præclara teſtimonia, & elogia extant ad diem XXVIII. Ianuarij: In Martyrologiis pleriſque (ut mox audiemus:) S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, de quo in Martyrologiis Latinorum, & Menologiis Græcorum ad diem XVIII. Martij: S. Cyrillus Antiochenus Epiſcopus, de quo in Martyrologio Romano ad diem XXII. Iulij: nec non S. Cyrillus, natione Conſtantinopolitanus, Carmelitani Ordinis Prior Generalis tertius (ſub iſto nomine) de quo peculiariter infra ad diem VI. Martij.*

ex illis unus S. Cyrillus Patriarcha, Alexandrinus.

516. *Hoc autem loco agetur de S. Cyrillo Alexandrino Epiſcopo: à nonnullis nuncupatur* Archiepiſcopus, *ab aliis* Patriarcha; *fuit enim olim Sedes Alexandrina prima poſt Romanam, ſicut videre licebit apud Aubertum Miræum* libro 1. notitiæ Epiſcopatuum orbis Chriſtiani cap. 1. *ubi iſta*: Jam indè à primis naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ exordiis, tres exſtitère ſedes Patriarchales, S. Petri Apoſtolorum principis auctoritate in præcipuis orbis Romani civitatibus conſtitutæ; nimirùm ROMANA, ALEXANDRINA, ET ANTIOCHENA. Acceſſit pòſt CONSTANTINOPOLITANA, decreto Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis Concilij, ac demum JEROSOLYMITANA, decreto Chalcedonenſis & quintæ Synodi œcumenicæ. Ambitione tamen Patriarchæ Conſtantinopolitani, ordo poſteà mutatus: qui Urbis regiæ dignitate ſubnixus, ſecundam ſedem quòdammodò invaſit. Ita *ibi Miræus, & paulo infra.* (b) Quinque igitur præcipui orbis Patriarchæ à multis retrò ſæculis iſti ſunt habiti, ROMANUS, CONSTANTINOPOLITANUS, ALEXANDRINUS, ANTIOCHENUS, ET JEROSOLYMITANUS. Omnium princeps Romanus: adeòque Patriarcharum Epiſcopus à Caſſiodoro, Variarum lib. IX. Epiſt. XV. & eàdem ſententiâ, Pater Patrùm à magno illo Athanaſio, aliiſque Epiſcopis, epiſtolâ ad Liberium, merito nuncupatus. *Et poſtea* (c) Alexandrino Patriarchæ omnes olim Ægypti provinciæ ſubfuerunt, quæ ſex aliquando, poſteà decem numero exſtiterunt. *Ac denique* (d) Alexandria, urbs Ægypti celeberrima, ab Alexandro Macedone condita, Patriarcharum olim Alexandrinorum, Regumque Ægypti ſedes, emperium hodieque Europæis notiſſimum deſcribitur à Bellonio lib. 2. cap. 19. *Illa in ſede S. Cyrillus habuit prædeceſſores ſanctitate, & eruditione eximiâ ſpectatiſſimos S. Marcum Evangeliſtam, & S. Athanaſium: cujus utriusq; virtu-*

Alex. Sedes olim prima poſt Romanam:

(b) Cap. 2. *poſtea autem ſecunda.*

(c) Cap. 3.

(d) Lib. 5.

Alexandria condita ab Alexandro M celeberrima.

virtutes, doctrinam, Catholicæ fidei propugnandæ & propagandæ zelum in ſe copulavit.

Epheſini Concilij Patres encomiis magnis efferunt S. Cyrillum;

517. *Patres Concilij Epheſini (numero ſupra ducentos) unanimi conſenſu Cyrilli dogmatibus inhærentes, eum* piiſſimum, ſanctiſſimum, religioſiſſimum, ſacratiſſimum, devotiſſimum, Dei amantiſſimum, & Patrem noſtrum *compellant. In Epiſtola Maximiani Conſtantinopolitani Patriarchæ actis Epheſinis inſerta, ad ipſum S. Cyrillum directa ſic deprædicatur:* Expletum eſt deſiderium tuum, Deo devotiſſimè, perfectum eſt quod Religionis causâ ſuſceperas; ad finem perductum eſt pietatis tuæ votum. Theatrum factus es Angelis, & hominibus, univerſisque Chriſti Sacerdotibus. Neque enim ſolùm in Chriſtum credidiſti, ſed incommoda quoque pro ipſo pertuliſti. Solus dignus cenſus es, qui ſtigmata illius in corpore tuo portares. Confeſſus illum coram hominibus, promeritus es, ut Pater te confiteatur coram Angelis. Redimitus es coronis, quæ pro pietate certantibus debentur; potuiſti omnia in Chriſto, qui te confirmavit; humiliaſti Satanam per patientiam; contempſiſti tormenta; conculcaſti furorem Principum. *In Chalcedonenſi Concilio (a) ſimiliter præclariſſimis præconiis celebratur variis locis.*

ita quoque Maximus Patriarcha Conſtant.

(a) Act. 3. in libel. Theod. Diac.

518. *In Concilio Conſtantinopolitano anno Chriſti DXXXVI. æquali honore cum S. Leone Pontifice habetur:* Cyrillus quidem Alexandrinus in diptychis prædicatur, Leo autem ſanctæ memoriæ non prædicatur, juſtum putamus, ut quod deſuit ſuppleatur: & quia æqualiter ab hâc ſanctâ Synodo pro ſtatu orthodoxæ fidei honorati ſunt, ſimiliter & in ſacris diptychis pro utilitate & pace Eccleſiæ prædicentur. *In Græcorum Menologio ad diem IX. Junij hôc inſigni decoratur elogio:* Natalis S. Cyrilli, viri eruditiſſimi, Catholicæ fidei propugnatoris egregij: quem Summus Pontifex Cæleſtinus idoneum judicavit, cui ſuas vices in Epheſino Concilio delegaret. *In eorundem Menæis ad diem XVIII. Januarij (quô die unâ cum S. Athanaſio à Græcis colitur) iſtis (inter alia) verbis ejus fit memoria:* Sanctus autem Cyrillus ſub Theodoſio Minore floruit, Theophili Archiepiſcopi Alexandrini è ſorore nepos, & in Sede Archiepiſcopali ſucceſſor, qui tertiæ Synodo Epheſi celebratæ præfuit, & Neſtorium (qui multa blaſphemiæ in Dominam noſtram Dei Genitricem dogmata evomuit) damnavit & exauctoravit. Cyrillus verò, cùm multis præclarè factis & virtutibus illuxiſſet, ad Dominum migravit.

& Patres Concilij Conſtantin.

nec non Menologium,

& Menæa Græcorum,

519. *Iidem Græci in Menæis ad diem nonam Junij ſic magnificè de ipſo loquuntur.* Flaminis ſancti Spiritus mente illuſtratus, ſol irradians velut radios oracula edidiſti, tua dogmata in omnes illuminans, ô beatiſſime ac divine, tenebraſque hæreſum perſequens vi viribuſque illius, qui è Virgine natus eluxit. Eloquentiâ & facundiâ orationis tuæ, ô Sanctiſſime Cyrille, Eccleſia tota exornatur, & ſpecioſâ venuſtate tuâ piè decoratur, tuamque ſanctam tranſlationem ſacro ritu honorat, ô celeberrime ſacerdotumque omnium decus, Patrum Coriphæe, Synodi ſanctiſſimæ propugnator acerrime. Tuis igneis dogmatibus, ô Præſul ſapientiſſime, omnem ſarmentoſam aridamque hæreſum materiam concremaſti; Sententiarum tuarum profunditate, ô ſacratiſſime Cyrille, impiorum perfidorumque hæreticorum demergitur exercitus; tuâ doctrinâ, ô beate diebus ſingulis exornatur tota fidelium Eccleſia, quæ eximiè te honorat prædicatque. Repletus es illuſtratione ſancti Spiritûs, ô Cyrille, præceptorum Chriſti cuſtos, atque ab affectibus & paſſionibus perpurgatus, Diviniſſimæ Trinitatis verè factus es habitaculum. Uti zelo, ita libertate loquendi plenus, ô glorioſè Cyrille, orthodoxæ Doctrinæ præſidens hæreticas mendaceſque impiarum hæreſum linguas diſſolviſti.

Martyrolog. Romanum,

520. *In Martyrologio Romano ad diem XXVIII. Januarij his commemoratur verbis:* Alexandriæ ſancti Cyrilli ejuſdem Urbis Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus propugnator, doctrinâ, & ſanctitate illuſtris quievit in pace. *In Annotationibus addit Cardinalis Baronius:* De eodem hâc die cæteri Latinorum, Græci autem in Menol. 9 Junij . . . Sedere cæpit S. Cyrillus poſt Theophilum . . . Luce clariùs apparet, ſedere cæpiſſe Cyrillum anno Chriſti 412. ac ſediſſe uſque ad annum 444. . . . Præclara ejus certamina tam adversùs Neſtorium quàm ſchiſmaticos Orientales exercita produnt acta Epheſina . . . Porrò tanti Patris præconia non unius tantùm vel alterius inveniuntur teſtimonio comprobata, ſed duorum œcumenicorum Conciliorum Epheſini, & Chalcedonenſis actibus celebrata, atque firmata.

& alij

521. *In Martyrologio Ven. Bedæ ad eundem diem:* Apud Alexandriam B. Cyrilli Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus exſtitit propugnator. *Eadem leguntur in Martyrologiis Vuardi, Adonis Archiepiſcopi Viennenſis, & aliis nonnullis, quibus ſic concinit Martyrologium Galeſini:* Alexandriæ S. Cyrilli Epiſcopi, acerrimi religioſiſſimique fidei Catholicæ defenſoris. *In Martyrologio autem Carmelitano (a) paulò plenius:* Alexandriæ S. Cyrilli ejuſdem Urbis Epiſcopi, Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli, qui Catholicæ fidei præclariſſimus propugnator, hæreticorum ſtrenuus debellator, ejuſdem Beatiſſimæ Virginis fideliſſimus zelator, in Concilio Epheſino Præſidens, eandem Virginem verè Genetricem Dei eſſe defendit. Multa conſcripſit, multumque pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione laboravit; cujus ſermonibus ferè tota Syria in divinis officiis utitur: & ſanctitate illuſtris, quievit in pace.

(a) in libro Ceremoniali lib. 3. Rubr. 33.

§. 2. *Præconia in S. Cyrillum ex aliis.*

522. *Joannes de Hildinio (b) Ordinis Hoſpitalis S. Joannis Ieroſolymitani, ſacræ Paginæ Doctor inſignis, & præclarorum voluminum Scriptor libro ſermonum, in ſermone, cujus initium eſt:* Datus eſt ei decor Carmeli *mentionem inter* ...

(b) Vide in Speculo hujus To. § 8. 788. [illegible] de Hildinio,

ducens S. Cyrilli Alexandrini, ita ſcribit: In Concilio Epheſino præſidebat, loco Papæ Cœleſtini Primi, Cyrillus Ordinis Fratrum de Carmelo Doctor egregius, Patriarcha Alexandrinus: qui diſputavit contra Neſtorium. Et quia ita ſcientificè diſputavit, fuit in dicto Concilio ordinatum, quòd omnes Fratres dicti Ordinis de Carmelo, titulò glorioſæ Virginis Mariæ inſignirentur. *Eadem tradunt alij plures, peculiariter. Ioannes Groſſi in Viridario, ſeu Tractatu de ſanctis Patribus, & devotis Ordinis glorioſæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de*
(a) n. 520. *monte Carmeli.* (a)

523. *Ioannes Trithemius Abbas libro de Scrip-*
Trithemius, *toribus Eccleſiaſticis hæc de ejus vita ſanctitate, & eruditione, ac ſcriptis:* Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, natione Græcus, montis Carmeli quondam decus & cultor inſignis, vir doctus & ſanctus, juſſu Cœleſtini Papæ Primi in Concilio ducentorum Patrum apud Epheſum præſedit, in quo Neſtorium, & Pelagium cum erroribus eorum condemnans, multas elegantes ſententias dixit. Qui cum in ſcripturis ſanctis eſſet eruditiſſimus, multa conſcripſit Opuſcula, de quibus iſta feruntur. De fide contra hæreticos lib. 1. contra Neſtorium lib. 1. de defectu Synagogæ lib. 1. de ortu & laude ſanctæ Mariæ lib. 1. de cyclo Paſchali annorum XCV. lib. 1. In Euangelium commentariorum lib. IV. Epiſtolas inſuper, homilias, & ſermones plures compoſuit, & alios diverſos tractatus, qui ad notitiam meam non venerunt. Claruit in Concilio Epheſino Præſidens ſub Theodoſio minore Imperatore an. Dom. CCCCXXXII. Indictione XV. *Quòd dicit Græcum latè intelligendum, ſcilicet quòd ortus è patria ubi Græci ſermonis uſus tunc erat. Fere eadem habet libro de Viris illuſtribus Ord. Carm.*

524. *Baptiſta Mantuanus agit de S. Cyrillo tamquàm Carmelitica vineæ germine, in Apologia,*
(b) Tom. præced. n. 850. *quæ habetur Tomo primò hujus Speculi* (b) *& iterum libro 1.* Faſtorum *(ſeu* de ſacris diebus*) ad Leonem decimum Pontificem Maximum, ubi iſta.*

Mantuanus, Producente diem Phœbo, gelidamque fugante
Ex agris hyemem fert annua feſta Cyrillus
Urbis Alexandri paſtor: defluxit ab alto
Vertice Carmeli: ſanctæ primordia vitæ
Eliæ de fonte tulit. ——————

Conſequenter peculiariter agitur de Neſtorio per S. Cyrillum devicto, ac tandem de ejus ſcriptis:
Patris ab ingenio fluxère Volumina ſancti
Plurima quæ ſuperant: ſicut liber aureus ille
Qui nomen THESAVRVS habet: ſi cætera noſſe
Scripta cupis, vade ad Graios per Achaica quære
Scrinia: percurras veterum ſacraria patrum
Invenies quanta dicendi floreat arte
Sacrarum quàm dives opum nos illius oro
Nos inquam quibus eſt idem titulusque, genusque
Cura regat: noſtros ſua per Veſtigia greſſus
Ducat ad Elyſios, ubi pax, & gaudia, campos.

525. *Aubertus Miræus in libro de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum cap. 6.* S. Cy- Aubert. Miræus
rillus Alexandrinus in Ægypto Epiſcopus, eximius Eccleſiæ Doctor, ſtudiorum curriculo Athenis exacto, à B. Joanne Jeroſolymæ Epiſc. vitæ Chriſtianæ perfectionem hauſit. Cujus conſuetudine confirmatus, in Carmelum montem ſecedens, ibi cum plurimis Eremitis ſub Deiparæ tutela degentibus, cœleſtem vitam in terris aliquamdiu egit. Alexandriæ poſt Epiſcopus factus, Neſtorianos, Novatianos, Anthropomorphitas, alioſque hæreticos, cùm voce, tùm ſcriptis acriter eſt inſectatus. Cœleſtini primi Pontificis Romani in Epheſino conſilio Legatus & vicarius, victis Neſtorianis, Beatiſſ. Virginem Mariam verè Dei Matrem eſſe confirmavit atque adſtruxit. Floruit in Epiſcopali munere annis duobus & triginta, nimirum ab anno Chriſti 412. uſque ad an. 444. Duo hic ſubiicienda cenſui pro Carmelitis, ad Perpetuam ſanctiſſ. P. Cyrilli memoriam. Primum quòd cum frequèter in templis Carmelitarum ob partam contra Neſtorium victoriam, caneretur: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis: Nedum titulus iſte ubiquè locorum in templis hujus Religionis receptus eſt; verùm & additamentum illud accepiſſe in univerſa Eccleſia, Angelica Salutatio facile creditur: SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS, NVNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ. Secundum, quòd Carmelitæ, ex conſenſu Hiſtoricorum hujus Ordinis novo titulo appellari cæperint, hoc ſpecioſiſſimo nomine, FRATRES EREMITÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO, in memoriam Cyrillianæ victoriæ contra Neſtorium; quæ denominatio à Summis Pontificibus confirmata, & indulgentiis decorata eſt.

§ 3. *S. Cyrilli monachatus, & Carmeli incolatus.*

526. S. *Cyrillum Monachum, & Carmeli incolam* S. Cyrillus monachus in Carmelo,
fuiſſe conſtat ex præællatis teſtimoniis, & magis ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis, & S. Congre- (a) Tom. 3.
gationis Rituum, approbantium divinum officium ad an. 444.
in quo diſertè traditur, eum in Carmelo cæle- n. 8.
ſtem vitam egiſſe. *Auctoritatem ſic ponderat*
Lezana in Annalibus Carmelitanis (a) En jam confirmatur
quomodò Eccleſiæ calculo evincitur Cyril- ex offic.
lum, Carmeli accolam, aliquamdiu egiſſe divino,
cum piis hominibus illic degentibus. Quæ, ne quis ſuſpicetur, vel clanculùm, vel ſub- auctoritate
reptitiè obtenta eſſe, animadvertat appro- Eccleſiæ ſæpe
bata primitùs fuiſſe ſub Gregorio XIII. (ut approbato,
antiquiora, de quibus non conſtat prætermittamus) anno MDLXXXIV. in Bulla [Ut Breviarii] ab ipſo edita, in qua Officia, & feſtivitates, quæ in dicto Breviario iacent, Pontifex approbavit, remotis indè
incertis, & apochriphis ſcripturis (inquit revidentibus
Papa) quæ notet Lector:.. Deindè ſub Cardin.
Sixto V. in Bulla: [Eximium quod in nobis] Bellarmino,
anno MDLXXXIX. die XXVII. Junii & de Torres:
edita

edita in ſecundo Tomo Bullarij, revidentibus, & approbantibus Cardinalibus Caraffa, & Vincentio Montis Regalis, pro PP. Diſcalceatis noſtri Ordinis, & Quinteriò ipſorum. Prætereà ſub Paulo V. an. MDCIX. à S. Congregatione Rituum, quæ dicti Officij, & aliorum reviſionem mandavit D. Cardinali Bellarmino, & ipſa fuerunt ab ipſo diligenter recognita, & ſubſcripta, prout in Decreto ejuſdem S. Congregationis habetur, ſubſcripto etiam à Cardinali Pinello, & P. Mucantio Congregationis Secretario. Ac deniquè quartò ſub Urbano VIII. ab eadem S. Rituum Congregat. de an. MDCXXVIII recogneſcente; & ſubſcribente Cardinali de

Idem ſtabilitur authoritatibus plurimorum,
Torres, ac ſignante Fulvio Benignò à ſecretis. *Iſta ibi latius proſequitur. Conſequenter; & etiam Tomo 2.* (a) *plurimos adducit exteros, & domeſticos, qui idem adſtruunt, de exteris quidem Einſengreneum, Arnoldum à Villa nova, Chriſtianum Maſſeum, Anonymum Guillelmitanum, Renatum Choppinum, Ioannem Trithemium, Alphonſum Villegas, Ioannem Ryoche, Baſilium Sanctoro, Guillelmum Pipinum, Carolum de Tapia, Ioannem Carthagenam, Philippum Lopezium.*

(a) ad an. 371. n. 13. & 14.

exterorum
527. *Domeſtici Scriptores S. Cyrillum Ordini huic aſſerentes videri poterunt in Tomo præcedenti Speculi hujus, videlicet Ioannes Groſſi in Viridario*
(b) N. 590. (b) *Ioannes Hildesheimenſis in Defenſorio* (c)
(c) N. 686. *Bernardus OLerius in Informatione* (d)
(d) N. 748. *Thomas Bradley Epiſcopus Dromorenſis in Chronico* (e)
(e) N. 788. *Baptiſta Mantuanus in Apologia* (f)
(f) N. 856. *Ioannes de Vineta in Chronico* (g)
(g) N. 177. *Ioannes Palæonydorus in Faſciculo Tripartito lib. 2. cap. 7. cujus iſte eſt titulus:* Sanctus Cyrillus ex Carmeli incola Patriarcha
(h) N. 998. Alexandrinus (h) *Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali (undè vita Epitome ſequitur) Balduin. Leerſius in Collectaneo exemplorum* (i).. *Iſti omnes Do-*
(i) N. 1491. *meſtici Scriptores in Libris Tomo præcedenti inſertis, locis deſignatis, & præter eos alij plurimi S. Cyrillum hujus Ordinis alumnum adſtruunt, ut verè dicat dictus Lezana:* Habetur id quoque ex Ordinis pervetuſta traditione, Patrum ipſius

& Domeſticorum:
teſtimoniis fulcitâ, exterorumque atteſtationibus mirè roborata. *Subjungit:* Ex his (*exteris*) primò occurrit teſtimonium Gallici cujuſdam Chronici, quod apud Regem Galliæ extaſſe dicunt Coria, Waſtelius, Saracenus, Munozius & Emmanuel Romanus... Allegant hoc Chronicon Reverendiſſimus Generalis Bernardus Ollerius circa ann. MCCCLXXVIII. in libro, ſeu Informatione ad Papam, Illuſtriſſimus Epiſcopus Dromorenſis, ac Suffraganeus Nordovicenſis Thomas
(k) N. 686. 748 & alijs jam ante citatis. Scropus Thomæ Waldenſis diſcipulus, Balduinus Leerſius, Joannes Paleonydor. quos alij poſteriores ſequuntur. *De iſto Chronico frequens fuit mentio Tomo 1. Speculi hujus* (k). *Plura de eodem reperiet Lector Tomo 2. Annalium Carmelitarum* (l) *& etiam Tomo 3.* (m)

(l) Ad an. 444.
(m) Ad an. 371. n. 13.

528. *Et ſanè S. Cyrillum Monachum fuiſſe manifeſtum eſt ex Epiſtola S. Iſidori Peluſiotæ ad ipſum Cyrillum, nondùm ad Epiſcopatum evectum:* Quid tibi utilitatis affert Joannis in locum deſertum receſſio, quam olim ſtudiosè imitatus es? *Sive enim per Ioannem ibi intelligatur Baptiſta, ſive potiùs Ieroſolymitanus Ioannes, procul dubio, niſi cæci eſſe velimus, manifeſtant Cyrillum olim & ſtudiosè, imitatum eſſe Ioannem in locum deſertum ſecedendo. Sed & ipſe Cyrillus te-* *confirmationes aliæ.*
ſtimonium de ſe reddit in Epiſtola ad Monachos, quæ inter ipſius Cyrilli Epiſtolas prima eſt, cui (juxta antiquas editiones) is præfixus eſt titulus: Cyrillus Presbyteris, Diaconis, Patribus Monachis, & iis qui ſolitariam nobiſcum vitam exercent, &c. *Cyrillus ergo ſolitariam vitam cum Monachis aliquandò exercuit. Cur ergo non in Carmelo, ut monumenta tradita proclamant? Plura ad hoc propoſitum videantur in* Carmeli Armamentario *R. P. Franciſci Bona verò Pharetrâ 7. Telo 2. ubi annotatur, in antiquioribus impreſſionibus haberi* Nobiſcum, *pro quo in Pariſienſi an. 1638. ſuppoſitum fuit* Vobiſcum. *Antiquiora tamen monumenta ſolent eſſe puriora, ut poſſet multiplici inductione probari: nam in multis ſanctis Patribus ſimiles irrepſerunt mutationes, ac corruptiones, fortè aliquorum malitiâ, vel ſaltèm ignorantiâ.*

529. *Sed an non etiam in confirmationem Monachiſmi S. Cyrilli adduci poteſt, quòd cùm S. Cyrillus jam Epiſcopus Iudæos tumultuantes, & in Chriſtianos graſſantes, moneri curaſſet ut ſe continerent, nec deſiſterent, fautorem habentes Oreſtem Urbis Præfectum, pro Cyrillo zelantes (licèt ſupra diſcretionem) Oreſtem ipſum aggreſſi ſunt Monachi, de quibus iſta in Annalibus Carmelitanis idem Lezana* (a) Noſtro calamo digna, veluti (a) To. 3. ad an. 413. n. 7.
appendix ad præcedentem, hiſtoria emergit, de Monachis quibuſdam Nitriæ montis celeberrimi, Eſſenorum Monachorum habitaculi, prout ea, quæ tomo præcedenti adduximus, clarè demonſtrat. Hi ergo, non minùs *Monachi Nitriæ Eſſeni, zeloſi Defenſores S. Cyrilli.*
quingenti, cùm Cyrilli ſui Antiſtitis, & in Monachiſmo Eliano, & Eſſeno conſortis, periculum, à Judæis, & Alexandriæ civibus eorum fautoribus, quod ipſi imminebat, audientes, pro ipſo dimicare conſtituentes, Alexandriam contenderunt, Oreſtem Urbis Præfectum Cyrillo infenſum rhedâ circumvectum acribus verbis objurgarunt, ipſiusque capite ab uno (Ammonius vocabatur) lapide percuſſo, apparitores illius fugere huc, illucque compulerunt. *Ita ille. Præterea cùm Neſtorius perverſi dogmatis ſemen primùm Conſtantinopoli jactum, etiam per libellos alibi ſeminaret, idq; innotuiſſet S. Cyrillo, is ſingulariter ſibi charos Monachos præfatos monuit, ſicut cap. 2. vitæ ejus refertur hîc infrà. Inſuper cùm Conſtantinopolim nuntia allata eſſent de Neſtorij condemnatione, & definitione Maternitatis Dei competentis Virgini Mariæ, primi Monachi cum hymnis, & cereis Deo & Deiparæ elatis vocibus laudes egerunt, ſicut pleniùs refertur in vita cap. 3. Deinde cùm innotuiſſet S. Cyrilli in Concilio Epheſino afflictio, & oppreſſio (de qua hîc infrà cap. 4.) incredibili zelo etiam primi Archimandritæ cum ſuis Monachorum gregibus irruerunt in aulam Imperatoris, inſtantes pro S. Cyrilli, & aliorum Patrum in Concilio Epheſino congregatorum defenſione.*

530. *Scrupulis quorumdam circa jam dicta de Monachatu S. Cyrilli in Carmelo plenè & luculenter ſatisfacit idem Lezana, peculiariter Tomo 3. Annal.*

Annal. ad annum Chriſti 444. Vnde in gratiam eorum quibus fortè Tomus ille ad manum non eſt, pauca quædam exhibentur. Imprimis circa Chronicon, cujus jam ante facta mentio (a). Cæterum (*inquit*) hujuſmodi Chronicon non incertæ auctoritatis eſſe non ſolum confirmat, quòd ipſum retulerint Generalis Bernardus Olerius à trecentis fermè annis in libro, ſeu informatione ad Papam, Thomas Scropus Epiſcopus Dromorenſis ſupra ducentos annos, Balduinus Leerſius circa idem tempus &c. Hujuſmodi autem monumenta vetuſta, etſi lacera, corroſa, & tineis expoſita, ſæpiùs veritatis comprobandæ legitima inſtrumenta eſſe ex eodem Baronio millies habebit ſtudioſus Lector.

(a) Num. 527. *Scrupuli aliqui removentur,*

531. *Ad illud*: Qui certi, atque probati ſunt auctores ejuſdem Cyrilli æquales, ejuſdemque res geſtas quàm diligenter proſecuti, hæc neſcientes obruta ſilentio reliquerunt. *Replicat*: Illud etenim fragile nimis eſt. Nam primùm, auctores Cyrilli æquales, qui ejus res geſtas proſecuti, ſunt Socrates, & Theodoretus, ex quibus Socrates fuit Novatianus, Theodoretus verò Neſtorianus, & uterque Cyrillo valdè infenſus (ipſo Baronio comprobante) quomodò ergo certi & probati auctores dici merentur quoad res geſtas Cyrilli. Iſidorus autem Peluſiota, qui etiam coævus fuit Cyrillo, ejus Monachatum, in Carmeli quoque deſerto ſatis apparenter demonſtrat. Deindè, eſto auctores Cyrillo æquales ejus Monachatûs non meminerint, ex hoc ſolùm elicitur, auctoritate, ut inquiunt Logici, negativâ. *Iſtud autem argumenti genus ab auctoritate negativa (v. g. Lucas, Paulus, Seneca non dicunt Petrum fuiſſe Romæ, igitur non fuit Petrus Romæ) parùm, aut nil concludere, ubi conſequenter probat ex Logicis in Topicis, & ex Theologis, ac ſacris Doctoribus. Socratem, & Theodoretum fuligine hæreſis infectos, & S. Cyrillo adverſantes fuiſſe pateſciet ex dicendis cap. 1. Vitæ S. Cyrilli.*

Argumentum ab auctoritate negativa debile.

532. *Ad illud*: Quæ apud ejus temporis Scriptores mentio de culto Carmelo à vitæ Monaſticæ profeſſoribus, *à P. Lezana reſponſum eſt ſuprà* (b) Argumentum iſtud ſimiliter ab auctoritate negativa, claudicare: *præterea adducit auctores, de Carmelo culto ſcribentes ſancto Cyrillo contemporaneos) peculiariter quidem librum de Inſtitutione primorum Monachorum, qui in Tomo primo Speculi hujus obtinet locum primum) ſic quoque argumentando concludit*: Cùm Gregorius Nazianzenus hujus temporis decor in Apologetico dixit [Eliæ Carmelum animo agitabam]...& ipſi compar Gregorius, Nyſſenus nempè, in orat. de S. Baptiſmate ſcripſit [Quæro Eliæ Prophetæ Carmelum] proculdubio non propter rupes, ſaxa, arbuſta, plantas, quæ in Carmelo erant ab iis piiſſimis Patribus meditata hæc fuêre. Quorsùm enim tam viliter ſentiendum de tantis viris? Igitur, propter anachoreſim, aſceticamque vitam, quam in eo monte exerceri ſciebant ab Eliæ, Eliſei, & Filiorum Prophetarum ſectatoribus, quorum conſortium deſiderabant. Tales ergo tunc erant in Carmelo. Rursùs, cum, juxta Hieronymi, Palladij, Sozomeni, Theodoreti, & aliorum ejus ætatis Scriptorum placitum, infinita fermè per Syriam, Palæſtinam, ſeu Phœnicem Monachorum examina, Ægypti inſtar, fuere, quis ſibi perſuadeat ſolam inclytam Carmeli Eremum, tantorum Prophetarum quondam habitatione celebratam, aſcetis hujuſmodi derelictam manſiſſe? Si totam mente percurramus Palæſtinam, vel Syriam, vix locum anachoreſi, Monaſticæque vitæ excolendæ Carmelo aptiorem, ob fertilitatem, ſolitudinem, maris propinquitatem, quondam incolarum ſanctitatem, ſimileſve pias commoditates reperire poterimus; & nihilominùs eum ſolum deſolatum æqui judices exiſtimare poterunt? *Iſta, & quædam alia ibi conſequenter pleniſſimè proſequitur Auctor. Cæterùm, de Carmelo ad vitam religioſam, & Monaſticam aptiſſimo, & jugiter culto in veteri & nova Lege, per annos circiter 2221. frequens tractatio fuit Tomo præcedenti* (a).

(b) Num. 358.

Carmelus à vitæ monaſt. profeſſoribus cultus tempore S. Cyrilli.

(a) in Apparatu, & num. 116, & 449 459. & ſæpè alibi.

533. *Paulò ante in iis quæ ex Ioanne de Hildeſio, Arnoldo Boſtio, & Auberto Miræo adducta ſunt mentio fuit de* titulo *illo* Fratrum B. Mariæ Dei Genitricis, *confirmato tempore Concilij Epheſini: quod etiam tradunt alij plures in libris Tomo præcedenti inſertis, videlicet Bernardus Ollerius Generalis Ordinis* (b) *Thomas Bradley Epiſcopus Dromorenſis* (c) *Ioannes de Vineta* (d) *Ioannes Palæonydorus* (e) *Balduinus Leerſius* (f) *atque alij. Differunt tamen in ejus explicatione. Etenim Vineta, Ollerius, Boſtius, & alij credunt hunc glorioſum titulum confirmatum fuiſſe à Concilio ea de cauſa quòd S. Cyrillus ipſius Præſes, & Ordinis alumnus tam egregiè contra Neſtorium pro maternitate Deiparæ diſputaverit. Quod difficultatem præfefert, cùm in Concilij Actis, tum vetuſtis, tum modernis, nil tale conſpiciatur. Etſi hoc nec rem concludat; cùm plura ſæpiùs in Synodis ſtatuantur, quæ quia ad Eccleſiæ dogmata ſtatuenda non ſpectant, ſolâ voce decernuntur. Præſertim cùm Acta hujus Concilij diminuta ſerventur in aliis ... Et ſanè creditu facillimum eſt, quòd eo tempore quo contra Dei, & Virginis hoſtem Neſtorium Eccleſia feliciter ſub vexillifero Cyrillo Cæleſtini Papæ vices gerente triumphabat, & Dei Genitricis nomen in majori veneratione erat, adeò ut Orationi Angelicæ, ut dictum eſt, adjungeretur, & ut Baronius, & Coriolanus relati dicunt, vix reperiri eſſet qui abſque titulo* Dei Genitricis *nominaret* Sanctiſſimam Mariam, *ipſius clientuli Carmeli montis anachoretæ, aliique Monachi ipſorum Inſtitutum ſectantes, ſpecialiori cæteris devotionis affectu, qui à primis Eccleſiæ primordiis, ab eo præſertim tempore quo eidem auguſtiſſimæ Aram eo in monte extruxerant*, Fratres B. Mariæ de monte Carmelo *vocabantur, novo tituli incremento* (Dei Genitricis *videlicet*) *inſigniri cuperent, & a Cyrillo ipſorum quondam coëremita, & tunc Papæ Legato id impetrarent, ut ſic impoſterùm, auctoritate quoque Apoſtolicâ*, Fratres Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo *appellarentur. Iſta, & alia Lezana.* (g)

(b) N. 686. (c) N. 788. (d) N. 877. (e) N. 998. (f) N. 1491.

Titulus Fratres B. Virg. Mariæ quando fuerit confirmatus in Concilio Epheſino.

(g) To. 5. ad an. 430. n. 25.

§. 4.

§. 4. *S. Cyrilli ſcripta, vitæ Chronologia, cultus ſacer.*

(a) Lib. Inſtit. divinar. lect.

534. **Q**Voad *ſcripta S. Cyrilli Caſſiodorus* (a) *refert eum divinam Scripturam à principio uſque ad finem Græco ſermone explicaſſe; quædam dumtaxat enumerant Gennadius & Trithemius paulò plura verba jam ante adducta. Sixtus Senenſis libro* 4. *Bibliotheca ſanctâ peculiariter tractans de S. Cyrilli eruditione, & lucubrationibus in ſacram Scripturam ſic de illo*: Cyrillus Alexandrinus Eccleſiæ Epiſcopus, Theophili ejuſdem urbis Epiſcopi, ex fratre nepos, acumine ingenij, ſubtilitate judicij, eruditionis varietate, docendi facultate, copiaque diſſerendi celebris, & pietate ſincerâ conſpicuus; reliquit in divinas litteras varios ac penè innumerabiles interpretativi generis labores, hoc eſt, homilias valde elegantes (quas olim, ut Gennadius refert, Græciæ Epiſcopi ad declamandum memoriæ commendabant.) Item Epiſtolas, commentarios, & diſputationes ex his omnibus infra ſcripta dumtaxat ad notitiam meam pervenerunt. *Ibi conſequenter ea recenſet, & quædam circa illa annotat, & peculiariter, quòd plura interierint. Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis conformiter ſcribit*: S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus, ac præſertim circa myſterium Incarnationis Dominicæ à Deo doctus, imperante Theodoſio juniore præfuit Concilio Epheſino primo, nomine S. Cœleſtini Papæ, Neſtoriumque hæreſiarchā primum ſcriptis egregiis, deindè etiam auctoritate damnavit. Ejus opera in editione Pariſienſi anni milleſimi ſexcenteſimi quinti duobus tomis comprehenduntur. *Quæ ſingulis Tomis continecantur ibi recenſet. Annotat deinde; ubi extent alia ejus opera, & quòd varia interierint, aut adhuc lateant, & quidem de præclaro opere quod* Theſaurus *inſcribitur, ait*: Theſaurus creditur eſſe imperfectus, multa enim citantur à S. Thoma in opuſculo de erroribus Græcorum ex Theſauro Cyrilli, quæ in libris non inveniuntur. *Ita quoque ejuſdem liber de ortu Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & S. Annæ, cujus meminerunt Petrus Dorlandus in libro de S. Anna; & Ludolphus de Saxonia libro de vita Chriſti, Ioannes Palæonydorus, Guilielmus Pepinus, Petrus Morales, & alij, referendi infra ad diem XXVI. Iulij, ubi de S. Anna.*

S. Cyrilli acumen ingenij, eruditio, ſcripta plurima.

535. *Chronologia vitæ S. Cyrilli in Annalibus Carmelitanis à Lezana (qui peculiariter vitam, & geſta ejus indagavit, & illuſtravit) ſic texitur S. Cyrillus anno Chriſti CCCLXXI. naſcitur Alexandriæ. Anno CCCLXXXXVII. & ſequentibus aliquot, Carmelum incoluit. Anno* CCCCXII. *Alexandrinus Patriarcha creatur. Anno* CCCCXXXI. *loco S. Cœleſtini Romani Pontificis præſidet in Concilio Epheſino. Anno CCCCXXXXIV. die XXVIII. Ianuarij (Græci annotant IX. Iunij) ad cœleſtem patriam glorioſus tranſivit.*

Vitæ chronologia:

536. *Quoad cultum, PP. Bollandus, & Henſchenius in Actis Sanctorum ad XXVIII. Ianuarij, vitam, geſta, & præconia S. Cyrilli ex* [illegible] *Conciliorum Actis, nec non Menæis, Menologiis, & Eccleſiaſticis hiſtoriis contextam inſerentes, exordiuntur*: De S. Cyrillo Patriarcha Alexandrino. *Et immediatè poſt*: Multum Eccleſia Catholica S. Cyrillo Alexandrino debet, ejus ſingulari eruditione animique conſtantiâ adverſus hæreticos fideliſſimè feliciſſimèque propugnata. *Et paulò poſt de ejus cultu*: Græci agunt S. Cyrilli IX. Junij feſtivitatem [illegible] Variis ejuſdem virtutes odis, hymnis, & antiphonis celebrantur in eiſdem Menæis, tùm hoc die, tùm XXVIII. Januarij, quo ſolemni eum cultu, unà cum S. Athanaſio, venerantur. *Inde habetur, quòd non ſemel dumtaxat, ſed iteratò ſtatibus Græci memoriam, & Feſtum S. Cyrilli celebrent, & quidem ſic ut dies ille utrorque fuerit conſtitutus feſtus videlicet* IX. Junij propter ſanctum Patrem noſtrum Cyrillum Pontificem Alexandrinum: *ita ex nomocanone apud Theodorum Balſamonem; &* XXVIII. Januarij propter divinos Patres, ac Doctores Athanaſium, & Cyrillum: *ita in Conſtitutione Emanuelis Imperatoris Græcorum, apud Lezanam in Annalibus.* (a) *Latini verò ejus memoriam celebrem in Martyrologiis adſcriptam habent, ad diem XXVIII. Ianuarij, quo in toto Carmelitarum Ordine ſub ſolemnitate duplicis Officij colitur: & iſta ad Miſſam, & horas diurni Officij recitatur Collecta, ſeu Oratio*: Superni luminis Pater, qui mentem Beati Cyrilli Confeſſoris tui atque Pontificis, ut Genitricis filij tui ſemper Virginis Mariæ honorem ab hæreticorum nebulis vindicaret, veræ fidei, & ſapientiæ luce illuſtrare dignatus es: ipſo interveniente concede, ut errantium corda ad veritatis tuæ redeant unitatem, & in tua ſimus voluntate concordes. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

(a) Tom. 4. Annal. Carm. ad an. 1166. n. 4.

§. 5. *Epitome vitæ S. Cyrilli ex Arnoldo Boſtio,* in Speculo hiſtoriali libro 5.

537. **A**Rnoldus *Boſtius (de quo plura quandoque in antecedentibus, & rurſus hic infrà parte 5. ſub initium) in Speculo hiſtoriali libro 5. per aliquot capita, præcipua vitæ, & geſtorum S. Cyrilli complectitur: quædam notabiliora inde libabimus: capitis LXIV. titulus eſt: [De S. Cyrillo Carmelitanæ Religionis Patriarcha Alexandrino, & qualiter ipſe ſimilitudinem vitæ Hieronymi, & Ioannis Baptiſtæ,] ubi iſta.* Cyrillus in civitate Alexandriæ Chriſtianis ortus parentibus, ab avunculo ſuo Theophilo Patriarcha Alexandrino, de quo ſæpiùs fit mentio in vitis Patrum, Athenas ad ſcholas mittitur, qui plurimùm proficiens in moribus, & ſcientiâ ad ultimum in Theologia Doctor præcipuus evaſit, ita ut Catholicæ fidei præclariſſimus extiterit propugnator. Exinde Eremum petiit montis Carmeli, famâ attractus Joannis, qui paulò poſt Jeruſalem Patriarcha vocatus: Deindè Alexandriam reverſus ibidem presbyter ordinatus eſt. Defuncto Theophilo die tertiâ mortis Cyrillus ordinatur Epiſco-

S. Cyrilli patria, ſtudia, in Carmelo Monachatus.

 pus,

Epiſcopatus:

pus. Qui mox Epiſcopatûs ſui principio Novatianorum claudens eccleſias omnia vaſa eorum ſacra recepit. *Cæterum quoad patriam S. Cyrilli unde ortus eſt, Boſtius ſtatuit Alexandriam: id quoque confirmabitur ex dicendis cap 1. vitæ ejus.*

538. *Cap. LXVIII. agitur de expulſione Judæorum ab Alexandria, & de inimicitiis inter Cyrillum Epiſcopum, & Oreſtem Præfectum ejuſdem civitatis, ubi hæc inter alia:* Cyrillus vir ſanctus convocatis Prioribus Judæorum, admonuit, ne contra Chriſtianos ſeditiones ulteriùs excitarent. Porrò turba Judæorum hoc parvipendens majora contra Chriſtianos tractaverunt molimina. Dantes itaque ſibimet ſignum, ut annulũ factum ex palma omnes haberent in digito, contra Chriſtianos hôc modô dimicaverunt. Fecerunt enim quoſdam de ſuis unâ nocte per omnes civitatis diſcurrere vicos, & plateas clamantes, quoniam Alexandri arderet Eccleſia. Ob quam rem Chriſtiani undique concurrebant, quaſi ut Eccleſiæ flammas extinguerent, porrò ignorantes cives interimebant, ſemetipſos per ſignum annuli cognoſcentes, ac ſibi invicem parcentes. Facto altero die Judæi homicidæ latêre nequiverunt. Ob hanc rem permotus Cyrillus vir ſanctiſſimus cum maximâ multitudine Synagogis aſtitit Judæorum, & illas quidem abſtulit, Judæos autem expulit civitate, eorumque ſubſtantiam diripere populis imperavit. *Alia quæ tunc contigerunt referentur in ſequentibus.*

Judæos Alexandriâ expellit, & cæt.

539. *Capiti LXIX. titulus præfigitur: [De monaſterio Puellarum Carmelitica Religionis conſtructo in Alexandria, & de S. Euphraſia.] Incipit:* Poſt ergò S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus cogitare cæpit de monaſterio Virginum ſuæ Religionis conſtruendo. Quod propè Nilum, non longè ab Alexandria conſtruxit, Beatiſſimâ Dei Genitrice Mariâ ſibi apparente, locumque aptum ei ibidem demonſtrante. *Miſſa eſt autem ab Ieroſolymis S. Sara Abbatiſſa monaſterij Dominici Sepulchri (S. Nonna pia ea ibi deiu inſtituta) Alexandriam, pro eo quòd S. Cyrillus Ioan. Epiſcopo Ieroſolymitano ſupplicaverat, ut hæc Sancta ſibi tranſmitteretur, & præeſſet ſuo novo monaſterio. De iſta S. Sara repetitis vicibus invenitur in libro vitæ Patrum. Conſequenter traditur vita S. Euphraſiæ. Sed ea non ibi in illo monaſterio prope Alexandriam, ſed in Thebaide Monaſticam vitam egit. Hiſtoria vitæ ejus ſubſequitur hîc infrà ad diem XIII. Martij.*

Monaſterium Monialium conſtrui curat:

540. *Cap. LXX. [De Concilio Epheſino in quo damnatur Neſtorius hæreticus per S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum.] Ibi agitur de erroribus Neſtorij hæreſiarchæ, impiè prædicantis Chriſtum de Maria hominem tantùm, & non Deum, natum, cujus divinitatem collatam pro meritis: Quodque B. Virgo non eſſet* Theotocos, *id eſt* Mater Dei *ſed hominis tantum: conſequenter refertur quòd S. Cyrillus jejuniis, & orationibus vacans, ſermonibus, libris, diſputationibus, multis argumentis, & oculatis rationibus debellaverit iſtas, & alias impietates Neſtorij, ac tandem in Concilio Epheſino Præſidens loco Cæleſtini Papæ Primi de eo triumphaverit. Sed de iſtis peculiariter agetur in ejus vita. Addit Boſtius:* Nota, quòd ſint quatuor Concilia, quæ ſervanda ſunt ut quatuor Chriſti Euangelia (ut habetur 15. diſtinct. Canonum generaliũ Conciliorum) Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Calcedonenſe. Quia ergo idem S. Cyrillus tam egregiè pro Virgine Beata adversùs illum hæreticum diſputavit, & eundem potenter devicit, ideo in prædicto Concilio Epheſino tunc ſancitum & confirmatum eſt, ut omnes Fratres, ſeu Monachi ſuæ Religionis de monte Carmeli nuncupati titulo Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ meritò inſigniri deberent. . . . Et ſub iſto titulo ſancta Romana Eccleſia pluribus privilegiis ipſam Religionem honoravit. *Capiti LXXI. titulus eſt:* De Monacho qui credebat Melchiſedech eſſe Chriſtum. *Ibi narratur hoc ſingularis prudentiæ, & dexteritatis ſpecimen, in revocando ſene quodam eximiæ pietatis, & ſimplicitatis anachoreta, ad hæreſim prolabente: qui cùm audiſſet de Melchiſedech, quòd fuerit ſine patre & matre, & ſine genealogia, exiſtimabat ipſum eſſe Filium Dei; ſic autem Boſtius:* Cyrillus verò vir optimus ad patriam reverſus hæreticis ſe terribilem exhibuit, eos in Ægypto ubique perſequendo: audivit enim de quodam Eremita ſene magno habitãte in inferioribus partibus Ægypti, qui credebat, & dicebat per ſimplicitatem, quod Melchiſedech ipſe eſt Filius Dei; & miſit ad eum. Sciens autem Cyrillus quòd ſignifer eſſet ille ſenex, & quidquid peteret à Deo revelabatur ei, & quod ſimpliciter diceret hoc verbum, uſus eſt hujuſmodi ratione dicens: Abba, rogo quod in cogitatione mea eſt, quòd Melchiſedech iſte ſit Filius Dei, & rurſùs alia cogitatio mea dicit, quòd nõ ſit, ſed homo ſit, & ſummus ſacerdos fuerit Dei. Quoniam ergo ego hæſito de hoc idcirco miſi ad te, ut depreceris Deum quatenùs tibi revelare dignetur de hoc quid veritas habeat. Senex autem cum fiducia dixit: da in tribus diebus inducias, & ego deprecor Deum pro hac re. Intrans ergo in cellam ſuam deprecabatur de hoc verbo, & veniens poſt tres dies dicit S. Cyrillo: Homo eſt Melchiſedech: Patriarcha reſpondit ei: quomodò conſtat hoc apud te, Abba: & ille dixit ei: Deus oſtendit mihi omnes Patriarchas, ita ut ſinguli eorum coram me tranſirent ab Adã uſque ad Melchiſedech, & ideo certus eſto quod ſic eſt. Abiens autem ſenex per ſeipſum prædicabat quòd homo eſſet Melchiſedech, & gaviſus eſt magnificè idem S. Cyrillus Patriarcha.

Geſta ejus contra Neſtorium,

Concilia 4. habenda ut Euangelia.

Monachum putantem Melchiſedech eſſe Chriſtum ab errore revocatur,

541. *Caput LXXIII. [De laude, & obitu S. Cyrilli.] Inter eximia præconia ibi, ſufficiant iſtæ:* Porrò autem memoratus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus fuit vir ſanctiſſimæ vitæ, & Catholicæ fidei præclariſſimus propugnator, & hæreticorum conculcator, ſtrenuuſque ſuppeditator, atque Chriſtianorum luculentiſſimus Prædicator; undè etiam Eccleſias magnum ſub eo ſumere contigit incrementũ. Hic meritò baſis columnæ Eccleſiæ Dei Orientalis fuiſſe dicitur . . . Orientalem Chriſti Eccleſiam quaſi noviter plantatam, etiam ab eiſdem hæreticis pro magna parte ſciſſam, & uſque ad totum penè inclinatam, atque dilapſam laborioſè valdè erectam ſuſtulit.

S. Cyrilli encomia:

Denique

Denique de ejus obitu: Poſt innumeras virtutes ab ipſo patratas in pace abdormiens, quietem naturalis mortis invenit, atque incorruptum Deo ſpiritum reddidit, & gaudia cœlorum perpetim poſſeſſurus intravit quinto Kal. Februarij, ſcilicet iſtô die Agnetis ſecundo; Corpus verò ejus in Eccleſia Alexandrina à Clero honore congruo, ut decuit, ſepelitur multis niteſcens virtutibus. *Hactenùs ex Arnoldo Boſtio.*

§. 6. *Vita S. Cyrilli quæ ſequitur Vndè, & quantæ auctoritatis cenſenda.*

S. Cyrilli vita: collecta ex Conciliis, ſcriptis ejus, & hiſtoricis:

542. **I**Oannes *Molanus in Martyrologio, ad* XXVIII. *Ianuarij, poſt iſta Vſuardi:* Alexandriæ Beati Cyrilli Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus extitit propugnator. *In Annotationibus addit:* Cyrilli vita non extat: ejus tamen magnam portionem putarim conſcribi poſſe ex Synodo Epheſina, & ejus temporis hiſtoriis: item ex doctiſſimis ejus operibus. *Iuxta iſtud Molani conſilium, S. Cyrilli vita & geſta præclara ex actis ſacrorum œcumenicorum Conciliorum Epheſini præſertim, & Chalcedonenſis (quibus* tamquàm Euangeliis honorem haberi *voluit S. Gregorius Papa.) nec non ex ejuſdem ſcriptis, Eccleſiaſticis hiſtoriis, & Annalibus, atque Breviario Apoſtolicæ Sedis, &* S. *Congregationis auctoritate approbato, concinnata, & digeſta exhibentur.*

quanta auctoritatis;

Tantæ igitur auctoritatis hæc vita cenſenda in ſingulis periodis, quantam merentur præfata Concilia, & Auctores undè eà deſumuntur. Vt autem ſciatur, undè quodlibet ſit (& conſequenter quanta auctoritatis) id aut in ipſo vitæ contextu, vel ad marginem adſcribitur, aut ad finem cujuſlibet capitis in Notationibus, indicatur.

eam etiam ſic concinnavit Bollandus.

543. *Porrò Sanctorum illuſtrium, quorum vita & acta litteris mandata non fuerunt, aut interciderunt, geſta colligenda, & digerenda ex Scriptoribus, qui illorum meminerunt, conſulunt quoque PP. Ioannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius, verbis hìc ſuprà adductis (a), & ita ipſi practicarunt in hoc ipſo S. Cyrillo ad diem XXVIII. Ianuarij, & paſſim in aliis plurimis.*

(a) in Prolog. ad vitam. S. Diog. num. 402.

VITA.

(Hiſtoria rerum magnarum varietate, & de rectâ circa Chriſtum, & ejus Genitricem fide, doctrinâ, referta; & bene lectu perutilis, ac jucunda)

Ex actis ſacrorum Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis, nec non ejus ſcriptis, ac approbato Breviario Carmelitano, & Eccleſiaſticis Hiſtoriis, ac Annalibus digeſta.

CAPVT I.

S. Cyrilli patria, ſtudia, Epiſcopatus.

544. [**S**. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Epiſcopi Alexandrini ex fratre nepos, à *S. Cyrillus*
quo adoleſcens Athenas ſtudiorum causâ *ex Carmeli*
miſſus, cùm plurimùm profeciſſet, ad Joan- *incola,*
nem Epiſcopum Jeroſolymitanum, ut Chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur; ſe contulit. Cujus conſuetudine in Carmelum montem ſecedens, ibi cum aliquot piis hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquamdiu egit. Alexandriam deinde *Alexandriæ*
in patriam reverſus, presbyter illius Eccleſiæ *Præſul;*
ordinatus eſt: & paulò poſt Theophilo Epiſcopo ejus patruo defuncto, in ejus loco pari omnium conſenſu, ſuffectus eſt. Epiſcopus factus, totum ſe Epiſcopalis ſollicitudinis curæ dedit: in primis, ut ab infidelium erroribus aream ſuam purgaret, Judæos tunc temporis Alexandriam pravis moribus labefactantes, indè expulit: Neſtorianos quoque hæreticos inſectatus eſt. Quare Cæleſtini Primi Legatus in Concilio Epheſino decretus, peſtiferum illorum dogma penitùs delevit: & Beatam Virginem Mariam Dei Matrem verè eſſe confirmavit.] Ita Breviarium Carmelitanum auctoritate Apoſtolicæ Sedis, & S. Rituum Congregationis approbatum. Indè habetur, patriam ejus fuiſſe Alexandriam, locum ſtudiorum, Athenas; & ubi Monaſticen egit, Carmelum. In Menæis Græcorum forma ipſius bis deſcribitur verbis:
[Sanctus autem Cyrillus breve quid habens *forma ejus*
cum colore gratiore, abnuenti ſimilis aſpectu; denſis & piloſis ſuperciliis, magniſque, & in arcum flexis, frontemque claudentibus, naſo juſto, cujus diaphragma, ſeu intervallum narium, contractius erat; genis extentis, labiis tumentibus, ore diducto, fronte anguſtiore, ſed recalvus, denſâ ac promiſſâ barbâ venerabilis, criſpo utrimque capillo & flaveſcente ac ſemicano.]

545. Geſta ejus primis Epiſcopatûs ſui *erga eum*
annis à Nicephoro, & Socrate pleniùs deſcri- *Socrates*
buntur. Sed quoad Socratem monendus Le- *haud æquus*
ctor, ne Socrati de Cyrillo ſæpiùs obloquenti *ſcriptor.*

 incautè

incautè nimis fidem adhibeat; nam Novatianæ ſectæ addictus homo, erga Cyrillum idcirco parùm æquus fuit, quod ille ſtatim ut eſt creatus Epiſcopus, acre bellum adversùs Novatianos excitavit, qui tolerati ad eam diem fuerant; prout idem auctor queritur. Ita Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum. Eadem inculcat in Annalibus *. Imprimis Novitianos hæreticos Alexandriâ expulit. Deindè dæmones aggreſſus eos effugavit è ſedibus ſuis, quas fixerant in vico quodam nuncupato Manuthe, ſicut in Actis SS. Joannis & Cyri (a) refertur his verbis: [Ab urbe autem Canopo duobus ſtadiis vicus diſtat, cui Manuthe nomen, dæmonum olim domicilium, & malignorum ſpirituum habitatio. At Theophilus Alexandrinorum, uti dicebamus, Præſul, cùm locum purgare dæmonum ſordibus, & Chriſti Apoſtolorumque & Euangeliſtarum figuris atque inſignibus, tanquàm amuletis, occupare, atque munire ſtatuiſſet, deſtinata perficere non valuit, interventu mortis, eum, ad indeclinabilis debiti ſolutionem, ex hac vita rapientis, præoccupatus. Cæterùm Cyrillo ejus ſucceſſori deinceps curæ non minimæ fuit, locum ab injuria dæmonum vindicare. Huic itaque, cùm frequentes ſuper hac re ad Deum preces fudiſſet, Angelus in viſione apparens, tum magni hujus Cyri, tum Euangeliſtæ Marci reliquias in hoc vico, velut theſaurum, recondi oportere denuntiat, ut ſic ab infeſtâ dæmonum noxâ liberetur. Hinc verò octavâ atque vigeſimâ Junij menſis die reliquiæ Martyrum ſplendore & religione pari in Manuthe tranſlatæ ſunt, ad vici tutelam, ad dæmonum fugam, ad morborum remedium.] Ita in præfatis Actis.

* Ad an. 415. n. 45.

(a) apud Bolland. in Act. SS. ad 31. Januar.

Dæmones ſuis ſedibus fugat,

reliquiis Sanctorum,

546. Sub idem tempus (b) cùm Judæi Alexandriæ ſemper infeſti Chriſtianis, turbas excitarent, præcipuè occaſione ſpectaculorum, & Oreſtem, illius urbis Præfectum in Cyrilli neceſſarios commoverent: moniti autem à S. Cyrillo, ut tumultus in Chriſtianos ciere deſiſterent, illi è contra in cædem Chriſtianorum conſpirarunt, & noctu in eos impetu facto, trucidarunt. Hanc ob cauſam eos S. Cyrillus urbe expulit. Oreſtes Præfectus illud Cyrilli factum valdè iniquo animo tulit: magnumque cepit dolorem, tam præclaram civitatem tantâ hominum multitudine prorsùs orbatam eſſe. Quamobrem ad Imperatorem de rebus ibi geſtis refert. Cyrillus etiam Imperatori Judæorum ſcelera per litteras ſignificat; & nihilominùs tamen de amicitia concilianda (ad illud namque faciendum populus Alexandrinus illum impulerat) cum Oreſte agit. Verùm ubi Oreſtes de amicitia ne audire quidem voluit, Cyrillus librum Euangeliorum (hunc enim illum reveriturum putavit) ei manu porrexit. At Oreſtis animus nè hôc modò quidem deliniri potuit. Hinc tragici caſus acciderunt bini. Monachi enim Nitrienſes circiter quingenti ex monaſteriis egreſſi in S. Cyrilli defenſionem, Præfectum zelo quidem, at non ſecundum ſcientiam, conviciis, ac tandem etiam lapidibus impetunt. Unus autem ex eis à Præfecto in tormentis necatus fuit, & honorificè à S. Cyrillo ſepultus. Præterea Hypatia Philoſophiæ Magiſtra crudeliter tunc occiſa fuit à Parabolanis, qui ægrotantium curam habebant, & peſte infectis ſubveniebant. Iſta omnia S. Cyrillus Imperatori ſignificavit per litteras: ſed, quod dolendum, eæ perierunt; etenim ea à Socrate (de quo jam ante) haud fideliter, nec ſine paſſione in S. Cyrillum deſcripta fuiſſe notantur.

(b) Socrates lib. 7. c. 13.

Judæos tumultuantes expellit Alexandriâ:

Monachi 500 Nitriâ Alexandriam veniunt, pro S. Cyrilli defenſione:

hiſtoria illa à Socrate non fideliter ſcripta.

547. Illud quoque memorandum contigit, quòd cùm S. Cyrillus Theophili patrui ſui partes ſecutus, recti quâdam ſpecie deceptus, offenſo in D. Joannem Chryſoſtomum animo eſſet, monente, & informante per litteras Iſidoro Peluſiotâ, & viſo cœlitùs ei exhibito, ac inſtruente Virgine Deiparâ, in Chryſoſtomi venerationem animum mutaverit: id ſic enarrat Nicephorus (a): [Quoniam verò diſſidium hoc quidem ex æmulatione, quamvis non ſecundùm ſcientiam, non autem ex invidia, neque diabolicâ contentione, manavit, non oportere virum & doctrinâ & virtute præſtantem, hac unâ in re claudicare, quò minus ad ſummam perfectionem perveniret, Deo viſum eſt. Homines enim illi erant, & humanis affectionibus obnoxij. Quapropter aliquantò poſt, Cyrillus cum magno illo viro, etiam poſt ejus mortem, in gratiam rediit, erroremque ſuum cum multis aliis concitantibus, tum maximè Iſidoro Peluſiotâ nunc reprehenſione nunc admonitione eum cohortante, divinâ etiam & arcaniore quâdam revelatione accedente, correxit. Vidère namque viſus eſt, ſeipſum ſacris ædibus expulſum eſſe à Joanne; comitatu divino, quod circa eum erat, ſatellitio maximè freto: & Matrem Domini pro ipſo deprecantem Joannem, atque cùm multa etiam alia, tum illud præcipuè quod pro ipſius gloria plurimum ille decertarit, ſicut dicetur, referentem, ut in ſacra templa reciperetur, orare. Hanc viſionem cùm B. Cyrillus cogitabundus in animo ſecum volueret, ſeipſum, quòd in ſanctum virum invectus eſſet, damnavit: & deindè ipſe quoque re cognitâ, Eccleſiæ Chryſoſtomi addictus, virum etiam admiratus eſt, valdèque eum, quòd contra illum imprudens prorsùs irritatus fuerit, pœnituit. Proindè diverſum omninò à priore conſilio faciens, ſynodum provincialem coëgit, & Joannis nomen ſimul & ipſe & reliqui magnarum Sedium Antiſtites in ſacro albo propoſuerunt:] Ita Nicephorus. Sub illa etiam tempora S. Cyrillum, monente ipſâ Virgine Dei Matre, prope Alexandriam, juxta Nilum fluvium, Monaſterium Virginum Inſtituti Carmelitici erigi curaſſe tradunt hiſtoriæ hujus Ordinis. (b)

(a) lib. 14. cap. 28.

S. Cyrillus offenſus D. Joan. Chryſoſtomo:

cœleſti viſo errorem ſuum agnoſcit, pœnitens,

S. Chryſoſtomum ſacro albo adſcribit.

b) Annal. Ord. To. 3. ad an. Chr. 413.

ANNOT.

ANNOT. De S. Cyrilli Monachatu, & incolatu Carmeli latius actum eſt in Prolegomenis. De Iudæis ab eo Alexandriâ pulſis, & quam ob cauſam, & de cæteris geſtis S. Cyrilli in prioribus annis Epiſcopatûs ejus plura videre poterunt in præfatis Socrate, Nicephoro, & Baronio, à quibus, locis deſignatis, deſumpta ſunt narrata hoc capite primo. De monaſterio ſacratarum Virginum juxta Nilum fluvium per S. Cyrillum erecto, etiam actum fuit Tomo præcedenti. (a)

(a) N. 988. & 999.

CAPUT II.

S. Cyrillus Neſtorij execrandis dogmatibus ſe opponit: ejus mira manſuetudo.

Neſtorius Conſtantin. Epiſcop.

548. ANno Incarnationis Dominicæ CCCCXXVIII. (qui erat XVI. Epiſcopatûs S. Cyrilli) in locũ defuncti Siſinnij Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuffectus fuit Neſtorius, qui mox laudabiliter ſe geſſit, ſed haud multò poſt quantùm mutatus fuerit, & perverſus apparuerit, teſtatur Cœleſtinus Papa in Epiſtola ad ipſum Neſtorium: in qua ad hoc propoſitum iſta: [lætificavit animam noſtram univerſorum enarratio nunciorum, quam mox firmavit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuæ, relatio collegarum; qui tibi teſtimonij tantum detulerunt, quantum ferri huic debuit, qui aliundè videbatur electus. Tantâ anteà opinione vixiſti, ut tuis te aliena civitas invideret: tanto nunc terrore vitaris, ut tui in aliis videant qualiter fuerint liberati.] Alia ex eodem mox ſequuntur. Idem tradit ipſe S. Cyrillus in Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem, inſerta Actis Concilij Epheſini (b) in qua de Neſtorio iſta: [Electus eſt ut ovis, ſed inventus eſt ut lupus; ut ſincerus fideliſque famulus; ſed dilexit oppoſitum; ut vinarum ferax vinea, ſed juxta Scripturas ſpinas protulit; ut induſtrius agricola, ſed inſidiatus eſt agro, ut bonus denique paſtor, ſed agreſtibus feris efferacior evaſit.] Nam nefarium, & deteſtabilem errorem inducere molitus eſt, prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantùm, & non Deum, natum; & conſequenter Virginem Mariam non eſſe Matrem Dei.

initio benè, mox perverſè.

(b) To. 5. in Conc. Epheſ. c. 2. & in operibus S. Cyrilli To. 4 col. 116. & ſeq impreſ Baſil Tom. 2. impreſ. Pariſ pag. 55, & ſeq.

549. Huic impietati præcipuè S. Cyrilli induſtria, & zelus repugnavit: nam cùm Neſtorius nòn tantùm verbo hæreſim ſuam divulgaret, ſed & nefarij erroris ſemen Conſtantinopoli jactum, per libellos ad diverſos tranſmiſſos occulto veneno infectos in aliis etiam regionibus ſpargeret, atque etiam inter ipſos Ægypti Monachos, quos inter hâc de causâ, ſuſcitata fuêre gravia diſſidia. Ad ea ſedanda, & Monachos in rectâ fide continendos, ad eos Cyrillus Epiſtolam ſcripſit hujus tenoris (c) [Audio exitiales quoſdam rumores inter vos proſeminatos, nonnullos quoque oberrare, qui ſinceram veſtram fidem demoliri ſtudeant, & inanium vocabulorum bullas apud rude vulgus eructantes, utrum Θεοτόκον ſacram Virginem appellare liceat, in controverſiam vocare audeant. Præſtaret ſanè ejuſmodi quæſtionibus omninò ſuperſedere, & in ea quæ abſtruſioris conſiderationis ſunt, nec aliter ferè, niſi veluti in ſpeculo & ænigmate, etiam ab iis qui ingenij celeritate mentiſque ſubtilitate pollent, perſpici poſſunt, nequaquam inquirere (nam ſimpliciorum captum ſubtiliora theoremata excedunt.] Conſequenter ex Patrum ſententia, qui Nicæno interfuerunt Concilio, docet, ſanctiſſimam Virginem nuncupatam DEIPARAM (a). Apparet autem in ea Epiſtola S. Cyrilli ſingularis ejus modeſtia, & prudentia; quòd nunc, cùm nondùm Neſtorius perfrictâ fronte palam ſe auctorem, & defenſorem horrendæ impietatis proderet, nomen ejus non expreſſerit, ſicuti nec in ipſis libris ſcriptis hâc de re ad Imperatores, & Reginas, ut oſtenderet ſe contra hæreſim, non contra hominem, inire certamen. Eâdem modeſtiâ uſus eſt ſcribendo ad Neſtorium, ipſum hortando ad meliorem mentem, ſic autem inter alia, in prima ad ipſum Epiſtola: (b) [Noſter proindè hic animi dolor ex his natus eſt, quæ pietas tua dixit, aut etiam non dixit: ſiquidem ſchedis, quæ eâ de re feruntur, parum fidei habeo. Cùm igitur fides tam inſigniter læderetur, totque paſſim perverterentur; quid tandem tacere hîc licuit? An non ante tribunal Chriſti ſiſtemur? An intempeſtivi ſilentij rationem reddituri non ſumus, præſertim nos qui ea de re hunc in locum ab eo evecti ſumus, ut quæ oportet prædicemus? Et quid nunc, obſecro, conſilij capiam? (tuam hîc namque pietatem appellare compellor) . . . Ne graveris, obſecro, iis qui non leviter offenſi ſunt, unam hanc Θεοτόκου vocem largiri, ſacramque Virginem Deiparam appellare. . . In populorum pace, animorumque conſenſione Eccleſiaſticos conventus celebremus. Certò autem pietas tua perſuaſum habeat, nos & vincula, & carceres, & cætera omnia hujuſmodi incommoda, quin & ipſum quoque vitæ diſcrimen propter Chriſti fidem adire paratos eſſe.] Ita ad Neſtorium S. Cyrillus: cujus hîc & deinceps relucent manſuetudo, & pro Catholicæ fidei defenſione zelus: cujus rei gratiâ etiam carceres eum ſubiiſſe audiemus in ſequentibus.

perverſa dogmata ſeminanti ſe opponit S. Cyrillus

(c) Cyril. Ep. 1. edit. Pelt. Eſt etiam prima inter 39 Epiſt in S. Cyrilli operibus.

(a) Plura vide in Baron. in Annal. ad an. 429.

S. Cyrilli modeſtia ac prudentia in reprehenſione.

(b) Cyril. Epiſt 2. ad Neſtor.

& fortitudo.

550. Cùm autem Neſtorius flocciſaciens Cyrilli monitiones mordacibus verbis, & arrogantiâ magnâ refertis, ipſi reſcriberet, Cyrillus aliâ ad Neſtorium datâ Epiſtolâ dogmaticâ, in qua hæreſim impugnat, & doctrinæ Catholicæ demonſtrat, ac firmat aſſertiones, his Neſtorium hortatur verbis: (c) [Ego verò ad id denuò reverſus (quod me potiſſimùm decere exiſtimo) te velut fratrem in Domino etiamnum monere non gravabor . . . Atque hæc quidem in præſentia ex charitate quæ eſt in Chriſtum, ſcribenda exiſtimavi, obſecrans te ut fratrem, & coram Chriſto ſanctiſque Angelis ejus obteſtans, ut hæc nobiſcum & ſentias, & doceas, quò Eccleſiarum pax conſervetur, dilectionis quoque & concordiæ vinculum inter ſacerdotes indiſſo-

Neſtorius contemnit monitiones:

(c) Cyrill. in Epiſt 2. ad Neſtor.

et rurſus ſcribit Cyrillus:

Neſtorius faſtuoſus ipſum & alios perſequitur,

(a) Baron. ad an. 429

indiſſolubile permaneat. Saluta, quæ apud te eſt, fraternitatem. Te, quæ nobiſcum eſt, ſalutat in Domino] Quibus ſimili faſtu, & tumore repletam Epiſtolam Neſtorius reſcripſit, (a) & in ſua impietate perrexit, in orthodoxos, ac præſertim Monachos ejus deteſtandis dogmatibus ſe opponentibus furens, præcipuè in Cyrillum jacula totis viribus vibrans, & calumnias adversùs eum, imò & per præcones quoſdam nefanda crimina ſpargens. At contrà Cyrillus omni egit tolerantiâ, manſuetudine & modeſtiâ, prout litteræ ab eo ſcriptæ ad Cæleſtinum Pontificem datæ demonſtrant, in quibus poſt multa id genus hæc habet: [Fateor autem in animo fuiſſe, Synodicis litteris ipſum communionefacere, nos cum eo communionem retinere non poſſe, qui talia doceret, ac ſaperet: ratus tamen lapſis manum porrigendam, proſtratoſque tamquàm fratres erigendos eſſe, hoc ipſum in hodiernum uſque diem non feci: attamen ne nihil hìc agerem, hortatus ſum illum per litteras:] Prætereà cùm Neſtorius anathema in omnes dixiſſet qui Mariam Deiparam dicerent; etſi jure ipſe contrariam huic ſententiam ferre potuiſſet in omnes qui negarent Mariam Deiparam, tamen modeſtiæ & pacis causâ hactenùs abſtinuiſſe voluit. Sicut ipſe in quadam Epiſtola teſtatur his verbis: [Quid, inquit, vetabat & nos quoque vocibus illius contraria ſcribere ac ſentire: Anathema, ſi quis Mariam Deiparam eſſe negaverit? Verùm id hactenùs propter illum facere nolui, ne ſint qui Epiſcopum Alexandrinum, Ægyptiorumve Synodum anathematis ſententiam in Neſtorium tuliſſe dicant:] Sed accipe & illud Cyrilli manſuetudinis & animi moderationis his quoque temporibus exhibitum dignum exemplum. Cùm Clerici Conſtantinopolitani adversùs Neſtorium formaſſent libellum, quem offerrent Imperatori, primùm omnium miſerunt illum Alexandriam ad Cyrillum, ut de eo judicaret & ſententiam ferret. Ad quos ipſe reſcribens, ne darent illum, perſuaſit, ne agere viderentur Neſtorij accuſatores. (b)

S. Cyrilli tolerantia & manſuetudo mirabilis,

(b) Baron. ad an. 429

& charitas erga Neſtorium:

551. Quàm autem propenſiori ſtudio Chriſtianæ charitatis Neſtorij ſalutem Cyrillus ſummâ patientiâ (quod charitatis proprium eſt) procuraverit, teſtantur planè litteræ illæ ad amicum Neſtorij ſcriptæ, quibus rogat, ut ab inſania illa hominem retrahat. Eſt illarum exordium: [Novi dilectionis tuæ ſinceritatem, &c.] (c) & poſt multa, quo ſit animo erga ipſum Neſtorium, declarat his verbis: Me itaque non offendit ulla injuria vel contumelia, nec quamvis multa illa convicia, quibus me petunt quidam, de quibus nihil tale ſuſpicabar; ſed in oblivionem abeant hæc omnia; judicabit autem eos Deus, qui talia nugati ſunt. Modò ſalva ſint quæ fidem concernunt, & amicus ero & dilectus; nec cuiquam concedam, ut me religioſiſſimum Epiſcopum Neſtorium diligendo ſuperet, quem etiam (coram Deo loquor) in Chriſto celebrem eſſe cupio:] Sed è contra

(c) Tom. 4. impreſ. Baſil. colum 18 Tom. 2. impreſ. Pariſ. pag. 10. & 11. ubi habetur eſt Epiſtola numero 6.

Neſtorius de Cyrillo probroſas calumnias ſpargens eum in finem collegit circuitores, & perditæ vitæ homines, qui ad hoc vagarentur, ut ubique locorum adversùs ipſum Cyrillum probra diſſeminarent. Porrò iſtas omnes calumnias inania prorsùs fuiſſe figmenta, indè perſpicuè colliges, quòd in judicio Epheſino, ubi ejus accuſatores auditi ſunt omnes, nec unus auſus eſt de his adversùs Cyrillum libellum accuſationis offerre. Intueris ne vel ex his ſaltem (appello te iterum, lector) penès horum alterutrum, vel Neſtorium, vel Cyrillum, ſit veritas, & qui Deo militet, vel diabolo? Furit ille, clamat, fremit, diſſecatur corde, ſtridet dentibus, infligit verbera: iſte contra modeſtè, patienter, atque quietè rem agit, obtemperans divinæ legi jubenti: [Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem] hæc planè ſuadet & jubet Spiritûs lex: etenim ex ſententia Jacobi: [Quæ de ſursùm eſt patientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.] His planè legibus obſecutus S. Cyrillus, charitatis & pacis frequenter, & ubiq; in toto hoc progreſſu reliquit impreſſa veſtigia. Ita Cardinalis Baronius. (a)

qui probrà agit contra S. Cyrillum

Cyrilli & Neſtorij quàm diverſa procedendi ratio,

(a) in Annal ad an. 429 ubi conſequenter plura ad idem intentum,

552. Cùm igitur Cyrillus ſuis hortationibus apud Neſtorium nil proficeret, & fruſtrà tentatam cerneret Neſtorij emendationem; ſolius autem cathedræ Petri ſit quæſtiones de fide definire, & emergentes hæreſes cum ſuis auctoribus condemnare, cenſuit de omnibus Cæleſtinum Romanum Pontificem reddere certiorem; ideò ad ipſum legavit Poſſidonium Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconum, cui ad eumdem litteras dedit. Prætereà verò, ne in damnationem Neſtorij excitaret ipſum Cæleſtinum, ad id præſtandum paratum; ſed ut dilatione aliquâ exſpectaretur, ſi tolerantia ejuſdem hæreſiarchæ morbus curari poſſet, iſta in mandatis Poſſidonio dedit: [Si (inquit) Neſtorij litteras & expoſitionum illius codices redditos Cæleſtino compereris, tu quoque illi meas redde litteras: ſin ſecùs, non reddas.] Poſſidonius autem cùm comperiſſet, tam Epiſtolas quàm exegeſes illius Cæleſtino fuiſſe exhibitas, compulſus eſt ipſe quoque quas ferebat exhibere; unà cum voluminibus, quibus Cyrillus Neſtorij execrandam impietatem omni ex parte latiſſimè confutabat: quàm autem patienter, & longanimiter adversùm Neſtorium ad illud uſque tempus proceſſiſſet Cyrillus ſatis innuit iſta in ſuis ad Cæleſtinum litteris: (b) [Sanè hactenùs altùm tacui. Neque enim quicquam omninò de illo, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam hoc tempore adminiſtrat, vel ad religionem tuam, vel ad ullum alium conſacerdotem noſtrum ſcripſi, non ignorans præcipitem celeritatem in ejuſmodi rebus cum vitio plerumque conjunctam eſſe ſolere: Cæleſtinus, viſis Cyrilli litteris, perlectiſque ab eo miſſis unà cum ipſis etiam volumi-

S. Cyrillus nil properans monet, Cæleſtinum Papam:

(b) Cyril. in Epiſt. ad Cæleſtin. Pap.

bus;

qui Romæ Concilium congregat.

bus; poſteaque inſpectis Neſtorij litteris, & reliquis ab eodem pro defenſione hæreſis ſcriptis; convocat Epiſcopos: habitâ Synodo, omnium ſententiâ fuit tanta blaſphemia condemnata, auctori verò ipſius decem dierum ad reſipiſcendum conceſſum eſt ſpatium, eâdem damnatione feriendus & ipſe, ſi in aſſerto errore perſiſteret. Pontifex autem Cyrillum, ſuum, in illum finem, inſtituit Vicarium, & ad utrumque (Cyrillum, & Neſtorium) litteras dedit. In Epiſtola quidem ad Neſtorium hæc (inter cætera) ad propoſitum: [Dilectiſſimo fratri Neſtorio Cœleſtinus... Dudum ſumpſimus Epiſtolas tuas, quibus in anguſto nihil potuimus dare reſponſi: erat enim Græcus in Latinum ſermonem vertendus: quod cùm licèt ſerò facimus, ſancti fratris & coepiſcopi mei Cyrilli probatiſſimi ſacerdotis per filium meum Poſſidonium Diaconum talia de te ſcripta ſuſcepimus, quibus his qui de tua ordinatione detulerant, periiſſe ſuum teſtimonium doleremus. Bonis enim principiis tuis malus (quantum videmus) ſucceſſit eventus:] Conſequenter ejus execranda dogmata, ex ipſiuſmet litteris, & ſcriptis proponit, & refellit, & monet ad emendationem, ac tandem ſic concludit: [Apertè igitur hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Domino Chriſto noſtro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina & univerſalis Eccleſia Catholica tenet, ſicut & ſacroſancta Conſtantinopolitanæ urbis Eccleſia ad te uſque optimè tenuit; & hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod venerabilis Scriptura conjungit, nititur ſeparare, intra decimum diem à primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum, apertâ & ſcriptâ confeſſione damnaveris; ab univerſalis te Eccleſiæ Catholicæ communione dejectum. Quam formam noſtri judicij filium meum Poſſidonium Diaconum cum omnibus chartis ad ſanctum conſacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ urbis Antiſtitem, qui ad nos ſuper hoc ipſo pleniùs retulit, deſtinavimus, ut agat vice noſtrâ, quatenùs ſtatutum noſtrum vel tibi vel univerſis Fratribus innoteſcat: quia omnes debent noſſe quod agitur, quoties omnium cauſa tractatur. Deus te cuſtodiat incolumem, frater chariſſime.] Ad Cyrillum autem de his quæ Romæ geſta eſſent adversùs Neſtorium certiorem reddens, hæc ei in mandatis dedit: [Quamobrem noſtræ Sedis auctoritate aſcitâ, noſtraque vice & loco cum poteſtate, uſus, ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequêris: nempe, ut niſi decem dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet, eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem impoſterùm confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana & tuæ ſanctitatis Eccleſia, & univerſa denique religio Chriſtiana prædicat: illicò ſanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat.] Tunc quoque ab ipſo Cæleſtino ad Cyrillum miſſum fuiſſe phrygium, ſeu pallium, quô ſignificatur plena poteſtas, eoque Cyrillum eſſe uſum in Epheſino Concilio, & in ſacris ſolemniis more Romani Pontificis, nec non mitram ſicut Romani utuntur Pontifices; referunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores (a).

& per litteras Neſtorium monet,

& execranda dogmata ejus refellit:

ſcribit etiam S. Cyrillo,

& illi ſuas vices committit.

(a) apud Baron. ad an. 430.

553. Cyrillus receptis per Poſſidonium Romà reverſum, Cœleſtini Romani Pontificis litteris, quibus inter alia vicem ſuam ipſi in proſequenda cauſa Neſtorij delegaverat, confeſtim collegit Alexandriæ Synodum: in qua præcognitis his quæ ab eodem Cæleſtino Papa adversùs Neſtorium ſcripta fuiſſent, quatuor in primis decernuntur Legati, qui Conſtantinopolim proficiſcantur, reddituri litteras Cæleſtini ipſi Neſtorio cum Decreto damnationis, niſi intra præſcriptum terminum reſipiſceret: Legatorum autem nomina hæc ſunt, Theopentus, Daniel, Potamon, atque Macarius: quorum Theopentus Epiſcopus erat Cabaſorum, & Daniel Darnenſium, ut ex ipſorum relatione in Epheſino Concilio cognita patet: reliqui duo Alexandrinæ Eccleſiæ miniſtri erant. Decretum quoque in eadem Synodo fuit, ut iiſdem Legatis Synodalem darent Epiſtolam ad Neſtorium, quæ prætereà fidei Orthodoxæ confeſſionem contineret, cum duodecim anathematiſmis in qua, inter alia, iſta: Ecce igitur unà cum ſacra Synodo, quæ in magna Romanorum civitate, piiſſimo Epiſcopo fratre ac comminiſtro noſtro Cæleſtino præſidente, convenit, jam tertiò his te litteris conteſtamur & obteſtamur, ut conſilium noſtrum ſecutus, ſtolidis illis abſurdiſque dogmatibus, quæ foris publicèque doces, quamprimùm nuntium mittas, fidemque rectam, & jam inde ab initio per ſacros Apoſtolos & Euangeliſtas, qui Verbi ſpectatores & miniſtri fuerunt, ſanctis Eccleſiis traditam reverenter ſuſcipias. Quod ſanè niſi juxta tempus in litteris Cæleſtini ſacratiſſimi reverendiſſimique Romanorum Epiſcopi expreſſum præfinitumque præſtiteris, certò ſcias nullam tibi deinceps cum Epiſcopis & ſacerdotibus Dei conſuetudinem, nullum ſermonem, nullum denique inter eos locum futurum eſſe. Neque enim æquum eſt, ut nos Eccleſias turbatas, populos offenſos, fidem rectam labefactatam, gregem Chriſti miſerè abs te diſſipatum, qui illum, ſiquidem perindè ac nos rectæ fidei doctrinam conteſtari, ſanctorumque Patrum pietatem æmulari libuiſſet, conſervare alioqui debueras, diutiùs negligamus.... Porro autem Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ fides, in qua univerſi Orientis & Occidentis orthodoxi Epiſcopi conſentiunt, hujuſmodi eſt: Credimus in Deum Patrem omnipotentem &c.]

Cyrillus Alexandriæ Synodum convocat

Legatos 4. mittit ad Neſtorium,

Alexandrinæ Synodi Epiſtola ad Neſtorium: habetur in actis Concilij Epheſini.

& ipſum pro tertia vice monet ad reſipiſcentiam:

fidei orthodoxæ ſymbolum ad ipſum mittitur,

554. Cum primum Neſtorianæ execrandæ hæreſis caput eſſet: Chriſtum ex Maria hominem tantum, & non Deum natum indè etiam neceſſariâ ſequelâ inferri videbatur: in ſacra Euchariſtia non eſſe verè Deum, & Carnem Chriſti ibi præſentem dumtaxat eſſe carnem communem, aut carnem unius cujuſpiam

cujuſpiam ſanctificati: non autem vivificam ipſius Filij Dei, Verbi incarnati propriam carnem, ſicut ſancta Eccleſia, & orthodoxa fides docent. Propterea ipſe S. Cyrillus cum Epiſcopis aliis in iſto Concilio Alexandrino congregatis, in illa ſua Synodali Epiſtola ad Neſtorium, inter Orthodoxæ, Catholicæ Apoſtolicæ fidei dogmata, ut illis ſubſcriberet, etiam addiderunt & hoc de Chriſto vero Deo, & ejus vivifica carne in ſacroſancta Eucharistia. (Dum Unigeniti Filij Dei, hoc eſt, JESV CHRISTI mortem & ex mortuis reſurrectionem annunciamus, ejuſdemque in cælum aſſumptionem profitemur, incruentum in Eccleſia Dei cultum nos obire, myſticaſque benedictiones adire, eaque ratione ſanctificari; utpote ſacræ carnis & pretioſi

54. Eucharistica myſteriorum explicatio,

ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus (abſit hoc) neque rurſum tamquam viri cujuſpiam ſanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo conſociati, quæ divinam inhabitationem ſortiti, ſed tamquam verè vivificam, ipſiuſque Verbi propriam. Nam cùm vita ſit & Deus ſecundùm naturam, ſimulatque unum quiddam cum ipſa ſua carne effectum eſt, mox vivificam divinitatem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat: Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. nequaquam tamen illam communem, hoc eſt, hominis cujuſpiam noſtræ conditionis carnem eſſe, exiſtimare debemus (quomodò enim hominis caro ſecundùm ſuam ipſius naturam vivifica eſſe queat?). ſed verè illius propriam, qui noſtri causâ Filius hominis & factus & appellatus eſt.) Poſt iſta, & alia ſubduntur (His omnibus, & te quoque ſubſcribere, & citra omnem fucum ac dolum una nobiſcum aſſentiri oportet. Quæ verò

S. Cyrillus, & Synodus monent Neſtorium ut ſub ſcribat articulis fidei:

tua reverentia anathematis execratione condemnare debet, ea noſtræ huic Epiſtolæ in hunc modum hoc loco ſubnectuntur. Anathematiſmus primus. Si quis Emmanuelem Verbum-Deum, & ob id ſacram Virginem Theotocon eſſe non confiteatur (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum ſecundùm carnem), anathema ſit. Secundus. Si qui ſunt, qui Dei Patris Verbum carni ſecundùm hypoſtaſim unitum, & unum tantùm unà cum ſua carne Chriſtum eſſe, eumdem nimirùm Deum ſimul & hominem non confitentur: anathema ſit.) Alios anathematiſmos (brevitatis gratiâ) prætermittimus: extant autem in Epheſinis Actis.

555. Acceptis Neſtorius litteris Cyrilli à Legatis ab eo Alexandriâ miſſis, lectiſque anathematiſmis illis, quibus ſingula ſuæ ipſius hæreſis capita jugularentur; tantùm abfuit ut illis ſubſcripſerit (quod par erat, & ab eo in primis requirebatur) ut eaſdem potiùs carpere, & in erroris calumniam adducere Cyrillum omni conatu ſtuduerit. Præterea ad vitandum judicium Eccleſiaſticum, ſententiamque ab eo eludendam, Theodoſium

Neſtorius obduratus manet, fremens in S. Cyrillum,

Imperatorem adivit, & eum interpellavit; atque commovit adverſus Cyrillum, veluti dirum perſecutorem. De ipſo enim Neſtorio ita Liberatus diaconus: (a) (Cognoſcens itaque Neſtorius, quòd Cyrillus non pateretur Eccleſiam ſic eſſe in perturbationibus & populos ſub ſcandalo, ſubrepſit pio Imperatori Theodoſio, ut Sacram ad eum dirigeret, & a ſua eum perſecutione compeſceret: & ſcripſit ad eum Sacram Imperator, arguens eum tamquàm inquietum & ſcandala ſuſcitantem.) Hæc Liberatus. Hinc Theodoſius, alioqui religioſiſſimus, & orthodoxæ fidei tenaciſſimus, ac ſtrenuus propugnator Neſtorij verbis tum fidem leviter adhibens, ipſi S. Cyrillo, Catholicæ fidei propugnatori, & Cæleſtini Papæ in ea tuenda vicariam præfecturam agenti, offenſus, & ab eo ſanctè pieque geſta in deteriorem partem accipiens, peruſtenſis ad ipſum litteras dedit.

(a) Liberatus in Breviario hiſtorico c. 4.

interpellans & male informans Theodoſium Imperatorem.

Theodoſij tamen mens non fuit, errantem ſequi Neſtorium (cujus dogmata poſtea melius inſtructus, execratus fuit) ſed ut ejus cauſa diſquireretur; propterea rem eo progreſſam eſſe exiſtimavit, ut opus eſſet univerſali Concilio. Itaque apud Cæleſtinum Romanum Pontificem egit, de convocando Epheſi univerſali Concilio: quod & factum ipſius Cæleſtini Romani Pontificis auctoritate, requirente Theodoſio per virum illuſtrem Petronium, poſtea Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopum (b). In eo, & ipſius Cæleſtini loco præſedit S. Cyrillus: Legatos præterea tres, Arcadium (cui primus poſt Cyrillum locus attributus fuit, quando advenit) & Projectum Epiſcopum, a Philippum S. Romanæ Eccleſiæ Presbyterum.

Theodoſius apud Rom. Pontif. agit de univerſali Concilio convocando.

(b) Ita Baronius ad an. 430.

556. ANNOT. *Omnia ferè capite hoc 2. commemorata, deſumpta ſunt verbotenùs partim ex Actis Concilij Epheſini, ipſiſque operibus S. Cyrilli, præſertim ejus Epiſtolis quæ XXXIX habentur Tomo 4. operum ejus, impreſſionis Baſileenſis anno MDLXVI à pagina, ſeu columna 1, ad 59. incluſive Tomo autem 2. eorumdem operum ejus juxta impreſſionem factam Pariſiis anno MDCV. à pagina 1 ad 43 incluſivè: & ea pleraque ſunt de erroribus Neſtorij, per S. Cyrillum impugnatis, & expugnatis: partim etiam ſunt ex Annalibus Cardinalis Baronij. Ad marginem autem indicavi, quòd quodlibet deſumptum ſit, ut, ſi cuipiam hic adducta non ſufficiant, in ipſis fontibus pleniùs illa deguſtare poſſit. Animadvertendum autem, litteras Epiſtolarum S. Cyrilli inſertarum Actis Concilij Epheſini aliis, Poſt & paucis habentur in ipſius S. Cyrilli operibus, eaſdem quidem eſſe quoad ſenſum, ſed diverſam quoad verba. varietas autem provenit ex diverſitate interpretum, ſeu traductorum de Græco in Latinum.*

CAP. III.

CAP. III.

Epheſinum Concilium Oecumenicum: S. Cyrillus in eo Præſes loco Cœleſtini Summi Pontificis: Damnatio Neſtorij.

(a) Edit. Colon. anni 1538 fol. CCCXIV. & ſeq.

557. TOmo primo Conciliorum, ſub iſto titulo: (a) CONCILIUM EPHESINUM, SUB COELESTINO PAPA I. De iſto Concilio, iſta, inter cætera, leguntur: [INCIPIT SYNODUS EPHESINA PRIMA DUCENTORUM EPISCOPORUM, HABITA ADVERSÙS NESTORIUM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM, QUI PURUM HOMINEM EX SANCTA VIRGINE MARIA NATUM ASSERUIT ... cui Synodo vice ſancti Cœleſtini Papæ (cujus anno penultimo hæc Synodus ſecundùm Marianum Scotum celebrata eſt) præſedit Beatiſſimus quondam Cyrillus Alexandriæ, Epiſcopus, qui cum omni Concilio, ad eundem Neſtorium hæc Synodalia decreta tranſmiſit. EPISTOLA CONCILII EPHESINI AD NESTORIUM. Religioſo & Deo amabili conſacerdoti Neſtorio Cyrillus, vel quicumque ſunt apud Epheſinam Synodum:] In ea Patres Neſtorium commonent ſui erroris, hortantes, ut reſipiſcat, his, inter cætera, verbis: [His ſcriptis Synodicis te etiam tertiò convenimus, conſilium dantes, ut à tam pravis abſtineas, diſtortiſque dogmatibus, quæ & ſentire, cognoſceris, & docere; recipias verò fidem rectam, Eccleſiis per Beatiſſimos Apoſtolos, & Euangeliſtas ab initio traditam, qui & oculis inſpexerunt, & miniſtri verbi fuiſſe monſtrantur. Subdimus autem his noſtris, quæ te ſentire oporteat, & docere; & ea, à quibus abſtinere conveniat. Hæc eſt enim fides Catholicæ Eccleſiæ, cui cuncti conſentiunt orthodoxi per Orientem, Occidentemque Pontifices. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inviſibilium conditorem. Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium Dei, natum de Patre unigenitum; hoc eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, &c. Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confeſſiones, quas, loquente in eis ſancto Spiritu, protulerunt, & intentioni, quæ eſt in eorum intellectibus, æquis veſtigiis inhærentes, atque iter ambulantes regium, profitemur, quòd ipſum unigenitum Dei Verbum natum ex ipſa Patris eſſentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta ſunt, ſive in cœlis, ſive in terra, ſalutis noſtræ cauſâ deſcendens, ad exinanitionem ſeſe dignatus eſt inclinare, natus autem, & homo factus, id eſt, carnem de Virgine ſancta ſuſcipiens. Hæc ſapere, edocti ſumus, tam à ſanctis Apoſtolis, quàm Euangeliſtis, & ab omni ſcriptura divinitùs inſpirata, nec non à Beatis Patrum confeſſionibus, veritate ſubnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolum conſentire convenit. Quæ verò religionem tuam Anathematizare neceſſe eſt, huic Epiſtolæ noſtræ ſubjecta ſunt. Capitulum primum. Si quis non confitetur, Deum eſſe veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem ſanctam Virginem (peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Verbum caro factum eſt) anathema ſit. II. Si quis non confitetur, carni ſecundum ſubſtantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque eſſe Chriſtum cum propria carne, eundem ſcilicet Deum, ſimul & hominem, anathema ſit:] Deindè alii anathematiſmi ſubſequuntur, ac denique ulterior de Chriſto declaratio iſta.

Epheſini Concilij Epiſtola ad Neſtorium.

Concilij ejuſdem declaratio fidei circa Chriſtum Dominum:

& anathematiſmi falſorum dogmatum:

558. [Ait igitur magna, & ſancta Synodus, ipſum, qui eſt ex Deo Patre, naturaliter natus, filium unigenitum, Deum de Deo vero, lumen de lumine, per quem, & cum quo omnia fecerit Pater, hunc deſcendiſſe, incarnatum eſſe, & hominem factum, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe tertiâ die, aſcendiſſe rursùs in cœlos. Hæc nos ſequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, conſiderantes, quid ſit incarnatum eſſe, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quòd Dei natura converſa, vel immutata facta ſit caro, nec quod in totum hominem, qui eſt ex anima & corpore transformata ſit, ſed magis, quòd carnem, animatam animâ rationali, ſibi copulaverit, Verbumque ſubſtantialiter, ineffabiliter, & incomprehenſibiliter factus ſit homo, & nuncupatus ſit etiam filius hominis, non nudâ tantummodò voluntate, ſed nec aſſumptione ſolâ perſonæ; ſed quòd diverſæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Chriſtus, & filius, non evacuatâ, vel ſublatâ diverſitate naturarum per conjunctionem ſed quia ſimul nobis effecerunt, unum Deum, & Chriſtum, & filium, id eſt, Divinitas & humanitas, per arcanam illam, ineffabilemque copulationis adunationem. Hoc itaque rectæ fidei ratio proteſtatur. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus. Ideoque illi non dubitaverunt, ſanctam Virginem dicere Theotocon, non quia Verbi natura, Deitaſque in ſancta Virgine ſumpſit exordium, ſed quòd ex ea natum ſit ſacrum illud corpus, animatum animâ rationabili, cui ſubſtantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum eſſe, dicitur. Hæc igitur pro charitate in Chriſto ſcribo tibi, quærens tamquàm frater, & conteſtans coram Deo, & electis ejus Angelis, ut hæc nobiſcum ſentias, ſimul & doceas, ut Eccleſiarum pax ſalva ſervetur, & concordiæ, charitatiſque vinculum indiſſolubile maneat

fidei orthodoxa circa Chriſtum ulterior expoſitio,

& quòd ejus mater ſit Theotocos.

maneat ſacerdotibus Dei.] Hactenùs S. Cyrillus ad Neſtorium nomine totius ſanctæ œcumenicæ Synodi Epheſinæ: cujus progreſſum, & ſucceſſum, dirigente ipſo S. Cyrillo, ſub compendio, hic conſequenter attexere neceſſe eſt.

Epheſino Concilio præſides S. Cyrillus:

559. Anno itaque Chriſti quadringenteſimo trigeſimo primo Epheſi tertium generale Concilium celebratum fuit. In eo inter omnes Cyrillus primæ poſt Romanam prærogativa Sedis, & ipſius primæ Sedis vicaria præfectura reliquos omnes Epiſcopos antecellens, enituit, atque magis magiſque cùm morum egregia ſanctitate, tum eximia divinarum rerum ſcientia claruit. In quem omnium Orthodoxorum oculi converſi erant, utpote auctoritate pollentem Romani Pontificis, cujus gerebat vices, anteſignanus in prælio adverſùs impietatem ſuſcepto (a). Quot autem Epiſcopi in ea convenerint, una eademque firmior reperitur aſſertio: ex ipſis namque Synodicis teſtificationibus, quibus magis ſtandum eſſe, nemo non dixerit, conſtat pluſquam ducentos Epiſcopos eidem interfuiſſe. (b) Et inter eos plures magni nominis, ex magnis virtutibus comparati. Die vigeſima prima menſis Junii, pridiè ejus diei quâ Synodus haberi cœpta eſt, judiciali ordine res inchoatur: miſſi namque ſunt à Patribus quatuor Epiſcopi, Hermogenes Rhinocurvræ; Athanaſius Paraliæ, Petrus Parentolorum, & Paulus Lampæ Epiſcopi, invitare, ſeu potius citare Neſtorium ad diei ſequentis futurum in publico omnium conſeſſu judicium. Qui ab illis conventus, magno faſtu ſpernens eos, hæc tantum eſt verba rotunda ac faſtu plena locutus: [Conſiderabo, & videbo:] Retulerunt hæc omnia iidem miſſi ad eum Epiſcopi in prima habita ſeſſione, die nimirum vigeſimâ ſecundâ menſis Junii. Collecta igitur Synodus ipſa eſt in Eccleſia ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, Mariana ob eam cauſam appellata. Diſpoſitiſque ſedibus, & pro perſonarum dignitate iiſdem ſingulis diſtributis; præſidere Chriſtum Synodo, eo ſignificavère myſterio, dum ſacroſanctum Dei Evangelium in conſpicua ſede poſuere, in medio collocatâ. Quod verò ad reliquum ſedendi ordinem ſpectat: Cyrillum vicem agentem Romani Pontificis primum obtinuiſſe locum, indè verò Arcadium Legatum miſſum à Cæleſtino, ubi venit.

(a) Ita Baron. ad an. 431.

(b) Baron. ibid. ex Actis Concilii Epheſ.

Epiſcopi 4. miſſi ad Neſtorium:

S. Evangelium in medio Concilii poſitum:

Anno Chr. 431 die 22. Junij habita 1. Seſſio:

560. Die vigeſimâ ſecundâ prima ſeſſio habita eſt. Rogati ſunt intereà quatuor Epiſcopi, qui pridie hujus diei ad Neſtorium advocandum ad Synodum miſſi erant, ut de illo referrent. Qui cùm retuliſſent Patribus tumore plenam reſponſionem illius; placuit Epiſcopis, ut rurſùm alii Antiſtites mitterentur, qui eundem Neſtorium convenirent. Qui ad hoc delecti fuerunt, hi ſunt, Theodulus Epiſcopus Eleuſæ Palæſtinæ, Deſiderius Epiſcopus Cherſoneniſis Cretæ, Theopentus Epiſcopus Cabaſorum Ægypti, additus & Epaphroditus Lector & Notarius Hellanici Epiſcopi Rhodiorum. Cùm autem venire recuſaret, ut judiciarius ſervaretur ordo, denuò, etiam tertiò peremptoriè citatus fuit per alios quatuor Epiſcopos, qui ad ædes Neſtorii accedentes, cùm veſtibulo appropinquarent non parvam militum fuſtibus armatorum manum inter ipſum veſtibulum offendunt, à quibus inhumaniter excepti, ad multas horas exſpectantes, tandem non aliud habere potuerunt reſponſum, quàm ab iſtis militibus, illud à Neſtorio in mandatis accepiſſe; ne ullum omninò qui à Synodo miſſus eſſet, ad ipſum ingredi permitterent. His auditis, cùm nulla ſpes ampliùs Neſtorii eſſet, immò & vocandi eum denuò omnem aditum præcluſum ſcirent: ad Synodum celebrandam convertunt animum. Indè verò ex more primo loco recitato ſacroſancto Nicæno fidei ſymbolo, lecta eſt ſubinde Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Epiſtola ad Neſtorium: quâ ab omnibus Catholicâ comprobatâ, mox juſſa eſt legi antigrapha Neſtorii ad Cyrillum reddita Epiſtola, quæ ut hæretica omnium ſententia improbata eſt, & ut impia conclamata, pariterque damnata, iiſdemque conclamationibus unà cum ea auctor ipſe Neſtorius omnium ore damnatur his verbis: [Quicumque Neſtorium non anathematizat, anathema ſit: Hunc recta fides anathematizat. Quicumque cum Neſtorio communicat, anathema ſit: omnes Neſtorii Epiſtolas, & dogmata anathematizamus: omnes qui cum Neſtorio commercium habent, anathematizamus. Quicumque hunc non anathematizat, anathema ſit: Hunc recta fides anathematizat: hunc ſacra Synodus anathematizat.] Lecta quoque Epiſtola Cœleſtini Romani Pontificis de damnatione Neſtorii, inſuper & Epiſtola è Concilio Alexandrino, aliaque Cyrilli ad ipſum Neſtorium: tum data de ejus damnatione, niſi litteris pareat Cæleſtini: & iſta omnium ſententia comprobata fuêre.

Neſtorii reſponſio faſtuoſa refertur:

Is tertio peremptoriè citatur:

Epiſcopi 4. legati malè excipiuntur:

Nicæna fidei ſymbolum, & alia recitantur:

Neſtorius anathematizatur.

561. Prolata etiam ſunt in medium ex divina primùm Scriptura teſtimonia, quibus demonſtraretur, Verbi incarnationem diviſè & inconfuſè in utero Virginis factam, duarumque naturarum conjunctione unam tantum redditam eſſe perſonam, Chriſtum Jeſum, Deum & hominem: quibus additæ ſunt ſanctorum antiquorum Patrum de ejuſmodi veritate ſolidæ inconcuſſæque ſententiæ: Undè neceſſariâ ſequelâ, & indiſſolubilis concluſionis argumento infertur quoque Virginem Mariam verè eſſe *Theotocon*, hoc eſt Matrem Dei. Et hæc adverſùs Neſtorium à Patribus lata eſt ſententia: [Cum inter cætera religioſiſſimus Neſtorius &c. lacrymis ſuffuſi & penè inviti ad lugubrem hanc ſententiam ferendam urgemur. Igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemiis vocibuſque impetivit, per ſacram hanc Synodum eumdem Neſtorium omni prorſùs Epiſcopali dignitate privatum, & ab

Sententia adverſus eum lata.

cui omnes Epiſcopi (ſup. 200.) ſubſcribunt:

univerſo nihilominùs ſacerdotum conſortio & cœtu alienum eſſe decrevit.]. Hactenùs verba in Neſtorium prolatæ ſententiæ; cui omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt; numero (ut habent Acta) pluſquam ducenti. Sic igitur projectus eſt draco ille magnus, qui inſidiabatur Virginis partui, invidens illi divinitatem. Et ſicut in cælo magnum pertigit gaudium Angelos omnes eaſdem voces victoriæ iterum repetentes: [Nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum:] Ita & in Eccleſia Dei fideles exultantes gloriam & laudem Deo dederunt & Chriſto ejus cum Spiritu ſancto, qui vindicaſſet per ſanctos Patres ſanctiſſimam Virginem Mariam Deiparam à Neſtorij protentoſâ calumnia.

Lætitia, & triumphus Epheſi:

562. Quanta autem lætitia tunc fuerit Epheſi, & extemporaneus triumphus, teſtantur litteræ ipſius S. Cyrilli ad ſuos ſcriptæ, in quibus iſta inter cætera: [Egredientes verò nos ab Eccleſia deduxerunt cum lampadibus uſque ad diverſorium noſtrum (erat enim jam veſpera) & facta eſt multa lætitia, & luminaria in civitate poſita, ita ut & mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribulis nos præcederent. Sanctiſſimiſque quoque Epiſcopis ſuccinentibus, omnes ex æquo, *Mariam Deiparam* celſioribus attollebant vocibus, præconiis exaltabant, jugiterque repetebant, & infatigabili ſtudio iterabant.] Sequenti die, vigeſima tertia Junij, Cyrillus cùm in unum conveniſſent Epiſcopi, habuit ad populum homiliam, cujus eſt exordium: *Alacrem video congregationem ſanctorum omnium, qui hic promptè à ſancta Deipara Maria vocati convenerunt &c.* Poſt hæc verò ſcriptæ ſunt à Synodo litteræ ad Theodoſium Imperatorem de rebus Epheſi geſtis uſque ad Neſtorij damnationem. Sed Neſtorij, & adhærentium dolo & illæ & ſubſequentes interceptæ, ut mox audiemus.

Epiſcopi celſis vocibus canunt: S. MARIA THEOTOCOS:

Legati tres Cæleſtini Rom. Pont. Epheſum appellunt:

563. Tandem die decimâ Julij, Legati à Cæleſtino Pontifice miſſi appulerunt Epheſum: qui licèt anteà expectati, ſed varietate temporum eorum navigatione præpeditâ, tardiùs appulerunt: cùm tamen ſatis Synodo viſum eſt, rem aggredi, quòd loco ipſorum Cyrillus adeſſet, qui ex Cæleſtini Papæ decreto vicem gerebat Romani Pontificis. Eâdem autem die quâ venerant, in Synodum introducti, à Patribus dignè (ut par erat) excepti ſunt Arcadius & Projectus Epiſcopi, atque Philippus S.R.E. presbyter, Apoſtolicæ Sedis Legati: qui litteras obtulerunt legendas à Cæleſtino Papa ad Synodum datas: quæ (ut ſcriptæ erant) Latino ſunt recitatæ ſermone ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis Latinè ſcribentis: indè eædem Græcæ redditæ, iterum lectæ ſunt, atque omnium ſententiâ Catholicæ prædicatæ, & acclamationibus fauſtis acceptæ. Excuſaverunt autem ijdem Legati tarditatem ſuam & moram ex maris tempeſtate productam: petieruntque ſibi legi quæ ab ipſis hactenùs decreta fuiſſent. Quod & factum. Hinc ſequenti die Catholici omnes Epiſcopi, & Legati convenientes ad Dei Genitricis Mariæ Eccleſiam, Legati præfati Apoſtolicæ Sedis in damnationem Neſtorij ſuum calculum adjecêre, ac pronuntiatis ſententiis ſuis, ſubſcripsêre. Actis igitur jam contra Neſtorium à Synodo œcumenica, Legatorum ſubſcriptione munitis, ſcripta eſt Epiſtola Synodalis ad Theodoſium Imperatorem de confirmata damnatione Neſtorij per Legatos Apoſtolicam vicem agentes, non ſolùm Cœleſtini Romani Pontificis, ſed totius Orbis Occidentalis Epiſcoporum.

excuſant tardum adventum:

approbant ante geſta, & ſubſcribunt.

564. Prætermittendum hoc loco non videtur id quod circa Epheſinam Synodum, & de S. Cyrillo narratur in vita S. Euthymij, ubi iſta: [Cùm magna & œcumenica Synodus Epheſi tunc primùm congregaretur, Synodius (qui cum Acacio fuerat magiſter hujus magni Euthymij cùm eſſet adhuc puer) poſtquàm veniſſet in Palæſtinam ad adoranda loca venerabilia, accedit etiam ad Lauram quinquageſimo & quarto anno ætatis magni Euthymij ... Cùm autem vidiſſet Euthymium, ei quidam narravit de valdè impia hæreſi Neſtorij, qui impiè (ô juſtitia, & pudor Sacerdotum!) parvo tempore præſedit Conſtantinopoli, & profanis ſuis & corruptis dogmatibus totum ferè orbem terræ conturbavit. Expoſuit verò ei quoque de Cyrillo Alexandrino, & Acacio Melitenæo, quemadmodùm acrem & vehementem zelum oſtenderent pro fide orthodoxa, & quòd œcumenica Synodus eſſet mox Epheſi congreganda adversùs illum impium ... Cùm autem jam undique congregarentur Epiſcopi ad Synodum, & illuc quoque mox conventuri eſſent Epiſcopi Palæſtinæ, jubet magnus Euthymius Petro Epiſcopo Saracenorum, ut accederet Cyrillo Alexandriæ & Acacio Militenês Epiſcopis, & quæ eis viderentur, ſe quoque illis aſſentiri profiteretur. Ille verò peractâ Synodo reverſus ad Euthymium, ei omnia ſingulatim exponit, quæ in ea evenerunt, & quònam proceſſerint. Is autem, cùm & alia didiciſſet ex iis, quæ facta fuerant ab Epiſcopis Orientis, & quòd Joannes, qui præerat Antiochiæ, cùm eſſet Orthodoxus, inductus eſſet, ut eadem ſentiret, quæ Neſtorius, fuit gravi triſtitiâ cor ejus ſauciatum. Eodem modo etiam affectus fuit Domnus, illius conſobrinus. Rogavit itaque Euthymium, ut ei permitteretur ire Antiochiam, ut avunculum ſuum, qui ſupplantatus fuerat, reſtitueret, & jam veluti jacentem erigeret. Ille autem cùm prævidiſſet, non futurum illuc tutum adventum, ſed ei potius inutilem, & minimè conducibilem, Nequaquàm, inquit, ô fili: non oportet te à Laura recedere. Neque enim ille tuâ opus habet præſentiâ. Sed etſi paullulùm à rectâ fide declinavit, Deus tamen, qui novit cor illius rectè ſe habere, ipſe ipſum convertet, & reducet ad id, quod benè erit:] Ita magnus ille Euthymius: cujus prædictio qualiter adimpleta fuerit

S. Euthymius informatus de Epheſina Synodo,

monet Epiſcopum Saracenorum, ſequi doctrinam S. Cyrilli:

prædicit, Ioannem Epiſc. Antioch. faventem Neſtorio, redeundum ad rectam fidem.

fuerit in illo Joanne Antiocheno, præcipuo auctore turbarum adverſus ſanctam Synodum (de quibus hic conſequenter) ſed poſteà mirabili metamorphoſi in alterum mutato virum, capite ultimo audiemus. Et hactenùs quidem circa vitam & geſta S. Cyrilli tranquillo ſatis ſalo velificavit ſermo noſter, aſt nunc in horrendas tempeſtatum procellas enarrandas ingredimur.

ANNOT. *Tradita in iſto capite 3. pro priore parte ſunt ex Tomo 1 Conciliorum loco antea indicato: reliqua autem ex Actis Concilij Epheſini, & Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronij, nec non ex Vita S. Euthymij.*

CAPUT IV.

Lugubris tragædia, à Neſtorio bellum inſtauratum, criminationes adverſùs S. Cyrillum, & ejus incarceratio: ac tandem victoria, & triumphus.

Tempeſtas graviſſima adverſùs S. Cyrillum,

565. AD perſecutionum, & adverſitatum tolerantiam ſuos omnes Salvator noſter exhortans, ait: [Si patrem familias vocaverunt Beelzebub, quantò magis domeſticos ejus?] & Apoſtolus ejus: [Omnes qui piè vivere volunt in Chriſto perſecutionem patientur.] Chriſtum igitur impij vocaverunt Beelzebub, & ſeductorem: ſic & Chriſti domeſticum fideliſſimum, & militem ſtrenuiſſimum Cyrillum, qui veraciter cum Propheta David dicere potuit: [In tribulatione dilataſti mihi.] Cum enim deterrimus hæreſiarcha Neſtorius unanimi, & conſtantiſſimâ totius ſacri Synodi ſententiâ damnatus eſſet, bellum inſtauravit adverſùs caſtra Dei, œcumenicam Synodum Epheſinam in Spiritu S. legitimè congregatam, & tumultuarium coactum eſt conciliabulum, cui præfuit præfatus Joannes Epiſcopus Antiochenus Neſtorij fautor, fretus auxilio Irenæi Comitis, & interfuêre Pelagiani, & alij ob ſcelera damnati: & in gratiam Pelagianorum qui aderant, Pelagiana hæreſis ſæpiùs ante damnata ibidem fuit reſtituta, & confirmata: & ècontrà calumniæ conclamatæ in Patres omnes ſacri Concilij Epheſini, peculiariter adverſùs Cyrillum, & Memnonem Epiſcopum Epheſinum tamquàm hæreticos, & nullo à Canonibus præſcripto juris ordine ſervato, ut tales proclamari, condemnari, & depoſitionis ſententiâ in eos latâ: etiam cæteros Concilij ſacri Patres excommunicationis ſententiâ condemnavit ſatanicus ille cœtus, niſi Cyrillum anathematizarent tamquàm hæreticum. Inſuper vi, infræni audaciâ, & ſolutâ licentiâ, & fraudulentiâ ibi omnia peracta: Epiſcopi à ſancto Concilio miſſi verberibus affecti, cæteri etiam omnes tamquàm carcerem civitatem habentes, tyrannicè tractati fuêre, ut mox audiemus.

Acta Conc. Epheſ & Baron. ad an. 431.

excitata per Neſtorium, & ei adhærentes, vi, & fraudulentiâ procedentes,

Acta ead. & Baron. ibid.

566. Litteræ ad Imperatorem mendaciis, & calumniis contextæ à Neſtorio, & iſto Conciliabulo miſſæ, & per eas quas ſolas Theodoſius accipiebat, pius ejus animus ad tempus deceptus fuit: & viæ omnes interclusæ, terra marique, ne ſacræ Synodi litteræ de felici ſucceſſu ſacri Concilij, & condemnatione Neſtorij ad Imperatorem deferrentur, ſed interciperentur. Iſtud cùm Patribus Concilij tandem innotuiſſet, ſuas videlicet ad Imperatorem, & ad alios litteras de ſucceſſu Concilij Epheſini, & condemnatione Neſtorij interceptas omnes; nec, obſeſſis à cuſtodiis itineribus, facultas ulla ſuppeteret; illud opportunum neceſſitas in re adeò deplorata conſilium ſuppeditavit: nimirùm, cùm ipſis planè innotuiſſet, miſſas à ſe litteras Conſtantinopolim ad Imperatorem & alios interceptas ſemper fuiſſe, idemque fore de cæteris quas poſtea miſſuri eſſent: fidum nacti hominem, eumdem in mendicum ipſo corporis habitu transformarunt, cui loco baculi, quo peregrinantes uti ſolerent, præbuerunt arundinem, quæ intùs litteras omnes ab eis ſcriptas Conſtantinopolim ad diverſos includeret, exemplaria nimirùm omnium litterarum, quas ab interceptoribus ablatas acceperant: ſicque tandem hâc viâ benè conſultum eſt; ut ipſorum litteræ, ſerò licèt, pervenerint tamen ad Imperatorem, & alios qui eorum ſilentium adeo ægro animo pertuliſſent. Cùm autem S. Cyrillus videret ſanctos Epiſcopos omnes ſacri Concilij ærumnis preſſos adhuc Epheſi detineri; ut mœrentes erigeret, egregiam habuit concionem, cujus eſt exordium hujuſmodi: [Beatus Propheta David, qui ſpem ſuam ad Deum fixam habent, ad conſtantiam inſtammans, ait: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Domino, &c.] Ita quidem ipſe ducis exercitûs munere fungens, ne animos deſpondeant Chriſti milites, divinæ Scripturæ verbis hortatur.

litteris S. Concilij ad Imperat. & alios intercipientes.

donec arundine incluſæ deſtinarentur.

S. Cyrillus afflictos omnes ſolatur.

567. Cùm hæc Epheſi gererentur, accidit ut Conſtantinopolim deferrentur litteræ arudini incluſæ per mendicum miſſæ: quas cùm Orthodoxi, ad quos ſcriptæ erant, accepiſſent, lectis illis, cognitiſque tyrannicis, quas Catholici Patres Epheſi paterentur, inſidiis, & proditione ac violentiâ pyraticâ, quibus à ſchiſmaticis Neſtorianis fides Catholica vexaretur, tantumque patrari nefas, quantum nec ſub Ethnicis Imperatoribus ullam Synodum eſſe paſſam, memoria eſſet: zelo æſtuantes, eò fiduciæ proruêre; ut abſque metu in aulam irrumperent, omniaque Imperatori palàm facerent, univerſamque civitatem ad fidei Catholicæ defenſionem commoverent: videlicet Archimandritæ, ſeu Superiores Monachorum, unà cum ſubjectis ſibi Monachis. Illi igitur omnes Archimandritæ Monachorum catervis ſtipati exurgunt, hymnoſque & pſalmos decantantes ad Regiam contendunt. Erat autem inter alios Archimandritas ſanctus Dalmatius, qui annis plus minus quadragintaoctô pietatis ſtudio recluſus extra monaſterij ſui ſepta numquàm pedem extulerat, nec ab ullo unquàm, ut aliquandò egrederetur, adduci potuerat, cùm tamen

litteræ arundini incluſæ Conſtantinopolim delatæ,

mirabiliter animos orthodoxorum movent,

præſertim Archimandritarum, & Monachorum,

in fidei de-ſenſionem.

tamen ob frequentes terræ motus Conſtantinopolim concurientes, crebris piiſſimi Regis noſtri precibus, qui ad illum accedebat, ad egreſſum communemque aliorum ſupplicationem jam anteà provocatus fuiſſet. Cæterùm dum de hac controverſia, quid facto opus eſſet, Deum precando conſuleret; vox cælitùs ad eum delapſà, ut egrederetur, imperavit: noluit enim Deus gregem ſuum perdere in finem. Comitabatur eoſdem etiam non parva Orthodoxorum turba. Cum verò intra Palatium eſſent, Archimandritæ ab Imperatore acciti, rectà mox ad illum ingrediuntur. Plebs vero & Monachorum turba antiphonarum & pſalmorum modulationi intenta foris remanſit. In reditu verò rurſùm non parva Monachorum multitudo cum hymnis & cereis occurrit; hominumque multitudinem conſpicati, magnâ omnes adversùs Chriſti inimicum (nempe Neſtorium) voce exclamarunt. Et hæc omnia iſtis jam relatis verbis in Actis publicis Epheſinæ Synodi exarata extant (a) & pleniùs etiam indè à Cardinale Baronio in Annalibus enarrantur.

(a) Act. Epheſ. Concil. edit. pelt. to. 2. c. 19. & 20.

568. Intereà Neſtorianorum fraudulentiâ, & mendacio pio Imperatori Theodoſio perſuaſum fuit, Cyrillum, & Memnonem juſte depoſitos fuiſſe ab ipſâ œcumenica Synodo. Prætereà Cyrillum Apollinaris hæreſis eſſe reſtitutorem doloſè, fraudulenter, mendaciter Imperatori perſuaſum fuit. Atque ita effectum, ut per Joannem Comitem ſacrarum largitionum, ab Imperatore miſſum unà cum Neſtorio etiam Cyrillus, & Memnon declarati fuerint jure depoſiti, & quilibet carceri mancipati. Igitur in carcere Cyrillus, Apoſtolicæ Sedis Vicarius, Concilij œcumenici Præſes. Dolentes autem Epiſcopi Orthodoxi, defenſores Catholicæ fidei perversâ relatione ſceleſtium ab Imperatore ita peſſimè habitos, ad Theodoſium conſcripsére Epiſtolam, cujus exordium eſt: [Chriſtianiſſima regiaque veſtra Majeſtas &c.] queruntur deceptum Imperatorem, cùm illi nunciatum eſſet, non Neſtorium tantùm, ſed Cyrillum & Memnonem à Synodo œcumenica eſſe depoſitos. Quàm magno & invicto animo Cyrillus in iſtis tribulationum fluctibus fuerit, indicant iſta ejus in litteris ad Archimandritas ex vinculis datis, verba: [Nos vincti, cuſtoditique aſſeruamur, ignari prorsùs quò tandem res hæc ſit evaſura. Veruntamen gratias agimus Chriſto, quòd pro nomine illius digni habeamur, non ſolùm vinculis conſtringi, ſed cætera quoque omnia perpeti: neque enim iſta præmiis ſuis carebunt... Precentur pro nobis Orthodoxi omnes. Ut autem Beatus David ait: Ego in flagella paratus ſum:] Ita Cyrillus. Iſtud autem Catholicos vehementiùs perturbavit, quòd præfatus Joannes Comes, qui ſequeſter pacis advenit, ut rem ſe benè geſſiſſe ſignificaret, eaque de cauſa majorem ſibi apud Imperatorem fidem conciliaret, ſcribens ad eum, turpiter mentitus eſt, univerſam œcumenicam Synodum aſſenſam eſſe in damnationem Cyrilli; adeò ut jam de loco, quo in exilium eſſet deportandus, conſuleretur.

S. Cyrillus interea deleſè carceri mancipatur.

invictus ejus animus inter fluctus tribulationum:

569. Nec tantùm duo iſti, ſed & cæteri Orthodoxi Epiſcopi omnes, qui Epheſum convenerant, affligebantur, ſicut ipſe S. Cyrillus in Epiſtola (a) ad Conſtantinopolitanos his teſtatur verbis: [Et hîc propter Salvatoris gratiam Deo amantiſſimi Epiſcopi, qui vos nunquàm viderunt, animas ſuas ponere pro vobis parati ſunt: acceduntque ad nos cum lacrymis dicentes: & ad exulandum unà, & ad commoriendum parati ſumus: Verſamur autem omnes in multa tribulatione; quòd excubiis militum cuſtodimur, eos etiam ante lectos, cum dormimus, habentes, maximè verò nos. Reliqua verò univerſa Synodus defatigata laborat, pluresque mortui ſunt: multi etiam ſumptibus deſtituti, res ſuas vendunt.] Hæc Cyrillus. Igitur ipſe arctiſſimè concludebatur: reliqui etiam omnes Epiſcopi haud liberi erant ſed utique cuſtodiebantur à militibus: & (ſicut jam ante dictum) ne quid litterarum ſuarum ad Imperatorem perveniret, Neſtorianæ factionis aſſeclæ effectuabant. Verumtamen, Deo volente, clam ſcripsère Epiſtolam ad Clerum Conſtantinopolitanum de rerum ſuarum miſerando ſtatu: in qua ſignificant, trium menſium ſpatio, ſe ejuſmodi cuſtodiâ vallatos, & in tanta negotiorum tempeſtate conſtitutos: in ea autem hæc inter cætera: [Sciat itaque pietas veſtra, non ampliùs nos Epheſum, ſed cuſtodiam inhabitare; inque illa trimeſtre jam tempus incluſos, neque per mare, neque per terram tutò ac ſecurè ad pium exercitum (nempè ad Imperatorem) vel in aliquem alium locum, quempiam mittere permitti. Etenim jam ſæpiùs accidit, ut quæ à nobis ſunt miſſa, haud ſine mille periculis reddi potuerint, ut latores illorum, quo ſervarentur, in alias atque alias ſeſe formas coacti ſunt mutare. Quòd autem ita cuſtodimur, hinc eſt, quòd omnia mendaciter ad pientiſſimum Imperatorem contra nos deferantur.] Deindè inſtant iidem, ut agatur apud Theodoſium Auguſtum, reddi Synodo Cyrillum & Memnonem, utque detur, adire poſſe ipſum Theodoſium; ſin minùs, liberum ſit unicuique Epiſcopo in patriam reverti.

(a) Epiſt. 2. S. Cyrilli.

arctiſſimè concluduntur & affliguntur etiam alij Patres S. Concilij:

Clerus Conſtantinopolitanus de iſtis per litteras informatur.

570. In illo igitur miſerando ſtatu rebus ſanctæ Synodi exiſtentibus Epiſcopi peregrini qui pro fidei defenſione Conſtantinopolim convenerant, audientes quæ Patres Epheſi paterentur, conſolationis plenam ad eoſdem dedêre Epiſtolam, hortantes viriliter agere, ſimulque omne ſuum ſpondentes pro ipſorum defenſione officium & diligentiam, atque etiam profecturos ſe Epheſum, ſi juberent. Incipit Epiſtola: [Oportebat quidem nos in afflictionum tentationumque veſtrarum ſocietatem receptos, non animis tantùm, ſed corporibus quoque vobis adeſſe &c.] Alypius quoque, qui in Conſtantinopolitano Clero eminebat, has ad Cyrillum litteras dedit relatas inter Acta Epheſini Concilij:

Acta Conc. Epheſ.

 [Beatus

Alypij ad S. Cyrillum Epiſtola præconiis magnis plena.

[Beatus homo, quem Deus dignum cenſuerit, ſanctum Deoque dilectum caput tuum martyrij confeſſionis ſertis redimitum dilectionis oculo contueri. Tu enim, ſanctiſſime pater, vigilanti lumine ſanctorum Patrum viam triviſti. Tu utroque poplite claudicantes, rectâ ad veritatem incedere docuiſti. Tu fiduciam es indutus Eliæ. Tu ſolus Phinees zelum aſſumpſiſti. Tu impium venenoſi draconis os obturaſti. Tu voracem Bel evertiſti. Tu illius ſpem, hoc eſt, dominatum & præſidentiam ære coëmptam labefactaſti, æneæque ſtatuæ apparatum perdidiſti. Et qualenam os ſpiritualibus chariſmatibus imbutũ zeli tui encomia pro veritate explicare valeat, ut qui beati Theophili quondam avunculi tui ſtudiorum æmulus, illique ſimilis evaſeris, nec non ad ter beati illius Athanaſij martyrium proximè acceſſeris? Etenim ut ille precibus armatus, iniquorum hæreticorum machinationes, perindè ac periculoſos quoſdam ſcopulos devitabat, evadebatque; ſic tua quoque ſanctitas iniqui illius conatus, vitæ integritate, conſcientiæque puritate, veluti infirmam quampiam procellam profligavit:] Iſta & alia ad S. Cyrillum Alypius, ſic tandem concludens: [Saluto univerſam ſanctam Synodum unà cum veſtra ſanctitate martyrij coronâ decorata. Deus nobis largiatur, ut ſani lætique in Domino pro veritate certare pergamus.] Heroicâ autem animi conſtantiâ, & indefeſſo ſtudio Alypius ipſe, & reliqui Orthodoxi ex Clero Conſtantinopolitano egerunt apud Imperatorem, & quàm erraſſet confirmando Cyrilli à ſchiſmaticis perperàm factam exauctorationem, patefecerunt; ſimulque ingens diſcrimen, in quod univerſum Chriſtianum orbem conſtituiſſet id faciendo, ob oculos poſuerunt, declarantes, quòd ſicut juſtis Principum legibus obtemperandum, ita è contrà injuſtis eorum ſanctionibus repugnandum totis viribus eſſe, ſubjungunt, ſe quidvis malle perpeti, quàm injuſtam damnationis ſententiam nefariè ab Orientalibus in Cyrillum & Memnonem latam, & injuſtè ab Imperatoribus confirmatam, recipere. Denique his verbis concludunt: [Cùm itaque Neſtorius propter ſuam impietatem juſtè ſit exauctoratus; Cyrillus verò & Memnon ſanctiſſimi piiſſimique Epiſcopi, ex prava ſuggeſtione, indignè & injuſtè pari pœnâ ſint mulctati; æquum eſt, Chriſti amantes Reges, ſedulò vos curare, ne Dei Eccleſia, quæ more nutricis pietatem veſtram confovet, victoriamque de hoſtibus, citra magnam difficultatem majeſtati veſtræ ſubindè conciliat, in poſterùm diſſipetur; neve regni veſtri tempore Martyrum ſeculum denuò revertatur; quin in id potiùs incumbere vos par eſt, nempè ut majorum veſtrorum erga Dei Eccleſias amorem, ac ſtudium in animis veſtris magis magiſque ſubindè exſuſcitetis. Quemadmodùm ergò ſinguli eorum, ſanctorum Patrum Synodis Imperij ſui tempore celebratis paruêrunt, Patrumque ſanctiones legibus ſuis munierunt, & quam illis deferrent, obſervantiam decretis ſuis oſtenderunt; ita & vos quoque eum quem decet affectum erga Synodum ſanctam, quam convenire juſſiſtis, declarate; quò pias ipſa gratiarum actiones pro Imperij veſtri incolumitate perſolvat.]

Alypius & dem. & alij Imperatorem Neſtorianorum dolis deceptum informant,

Epiſt. ad Imp. in Actis Conc. Epheſ.

& Heroico zelo & acerrimis verbis movent.

571. Imperator acerrimo illo Orthodoxorum libello expergefactus, & amiſſi in Africa exercitûs nuncio perterrefactus, meliora tandem conſilia iniit, nempè ut ſeptem ab utraque parte Epheſo Conſtantinopolim mitterentur Epiſcopi, qui coram ipſo Imperatore de rerum ſumma tractarent. Quibus auditis, & Neſtorianis impietatis convictis, Acta adversùs Cyrillum, & Memnonem reſciſſa ſunt; & illi è carcere liberati, atque Patres ad Concilium Epheſinum congregati, abire permiſſi: ſicque felici exitu terminata fuit œcumenica Epheſina Synodus. Et ſic quoque finis fuit ſeditioſarum Machinationum per hæreticos, & ſchiſmaticos. Neſtorius ad monaſterium apud Antiochiam relegatus fuit: ac deindè amandatus in Oaſim ſolitudinem Libiæ, ubi juſto, & horrendo Dei judicio, lingua ejus blaſphema à vermibus exeſa, & ut ſcribit Theodorus Lector, toto ejus corpore putredine conſumpto, miſerabilem vitæ ſortitus eſt exitum: libri ejus Theodoſij edicto, igni traditi fuerunt publicâ circa illos editâ ſanctione, (a) in qua hæc inter cætera: [Damnato portentoſæ ſuperſtitionis auctore Neſtorio &c. Nec verò impios libros nefandi ſacrilegi Neſtorij adversùs venerabilem Orthodoxorum ſectam, decretaque ſanctiſſimi cœtus Antiſtitum Epheſi habiti, ſcriptos habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat. Quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernimus.] Iſta autem lex ſeu ſanctio fuit Græco, & Latino ſermone edita, & in omnibus Provinciis promulgata.

Neſtorianorum fraudulentia detegitur:

S. Cyrillus è carcere, & Patres Concilij à vexâ liberantur:

(a) L. ult. de hæret. c. Theod.

Neſtorij miſerabilis exitus: ejus libri igni adjudicati,

572. Iſtud peculiariter hîc commemorandum, quòd ab eo tempore quò execranda illa Neſtorij hæreſis damnata atque proſcripta eſt, quâ ſanctiſſimæ Mariæ Virginis titulus ille ſupremus, DEI GENITRICIS impiè auferebatur, (b) animadvertimus (ſecundum ea Prophetæ verba: [In tribulatione dilataſti mihi] magis, magiſque in dies, toto Orbe, Chriſtiano Beatiſſimæ Virginis cultum auctum amplificatumque fuiſſe. Prætereà quòd in iſto Concilio Epheſino Angelica ſalutatio additamentum iſtud accepiſſe credatur: SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS &c.] & exindè ubique locorum cantatam, prædicatam, laudatam Matrem Dei Mariam. Pulcheria quoque Auguſta auguſtiſſimum ſub nomine Dei Genitricis Mariæ templum Conſtantinopoli in Blachernis juxta mare, veluti triumphalem fornicem fieri curavit: cujus exemplo in diverſis Orbis partibus idipſum præſtitum fuit. Tunc quoque tempore iſtius Concilij titulum Fratrum Beatæ Virginis Mariæ Dei Genitricis Ordini Carmeli (cujus profeſſor fuerat S. Cyrillus) conceſſum, ſeu confirmatum fuiſſe communi hiſtori-

(b) Baron. in Annot. ad Martyrol. Rom. die 8. Sept.

exindè cultus B. Virg. Mariæ toto orbe amplificatus.

Hiſtoricorum Ordinis illius calculo receptum eſt.

573. ANNOT. *Hiſtoria geſtorum S. Cyrilli in Concilio Epheſino, compendioſè tradita in iſto capite 4. tota deſumpta eſt ex actis ipſius Concilii, Epiſtolis Sancti Cyrilli, & Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronii ad annum Chriſti 431. Quoad titulum iſtum:* Fratrum B. Virginis Mariæ, *in Concilio iſto Epheſino confirmatum Ordinis Carmeli, ſæpiùs fuit mentio in Speculi hujus tomo præcedenti* (a) *& etiam in Prolegomenis ad hanc vitam* (b) *Tunc quoque in ſacro illo Concilio editam fuiſſe Antiphonam illam devotam ſeu Reſponſorium.* Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti (c) *tradunt Theophilus Raynaudus, & alij:* Non adeo mirum videri debet, exotam eſſe hæreticis Deiparam, quæ contrivit caput Serpentis, cujus genimina ſunt omnes hæreſes, & ſola interemit cunctas hæreſes in univerſo mundo, ut habet Antiph. Eccleſ. quam Demochares de ſacrif. Miſſæ c. 2. & qui de rebus Virdun. Eccl. ſcripſerunt, in Concilio Epheſino editam produnt. *Ita Raynaudus* (d). *Ubi peculiariter notanda iſta:* ideò exotam eſſe hæreticis Deiparam, *quia* contrivit caput Serpentis, cujus genimina ſunt omnes hæreſes.

(a) n. 747.
(b) n. 533.
(c) Sicut canitur feſto Annuntiationis.
(d) In Dipticis Marian. Tom. 7. pag. 233 col. 2.

CAP. V.

Continuatio victoriæ, & triumphi de Neſtorio per S. Cyrillum: geſta ejus alia poſt Conc. Epheſinū: beata mors.

S. Cyrillus hæreſes expugnat.

574. S. Cyrillus Alexandriam reverſus multas epiſtolas per Ægyptum, ut reliquias hæreſis Neſtorianæ extirparet, mittit. Multa ſcripſit, plurimumque pro Eccleſiæ Catholicæ defenſione laboravit: cujus ſermonibus tota ferè Syria in divinis officiis utitur.] Ita approbatum Breviarium Carmelitanum (e). Nec tantùm Neſtorianam, ſed & Pelagianam hæreſim repreſſit, auxiliante potiſſimùm, hortante, dirigente, ac auctoritate ſuâ fulciente Romano Pontifice Cœleſtino, de quo, & Cyrillo hæc S. Proſper (f): [Per hunc virum omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt, quandò Cyrillo Alexandriæ urbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem, Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterùm proſternerentur.] Cœleſtinus autem de Neſtorij dejectione, & cęteris in Epheſino Concilio geſtis, & decretis, certior factus ſecundùm multitudinem dolorum in corde ejus ob turbatam Catholicam Eccleſiam per Neſtorium, & ejus ſectatores, ita deindè de Catholicâ fide, Chriſti divinitate, & ejus Matris ſanctiſſimæ dignitate tam victorioſè aſſertis conſolationes lætificaverunt animam ejus aliquantò ante obitum: hinc Orientalium participans communem lętitiam, Orientalibus concinens victoriæ canticum, ad varios ſcripſit conſolatorias epiſtolas, nimirùm Encyclicas ad Patres, qui Synodo Epheſinæ interfuerant, ad Theodoſium Imperatorem, ad Maximianum in Conſtantinopolitana Cathedra Neſtorio ſuffectum, nec non ad Clerum, & populum Eccleſiæ Conſtantinopolit. (g) ubi iſta laudum præconia in S. Cyrillum: [Egit, ſicut ſcriptum eſt: Benedicam opus Domini diligenter. In nullo ei officio Apoſtoli vir Apoſtolicus defuit, obſecravit, admonuit, increpavit. At ille qui in profundum blaſphemiarum ſuarum pondere mergeretur, tanti viri doctrinam renuens, & abuſus hortatu, docilis eſſe renuit, cùm doctor eſſe non poſſet: egit injurius, tenacè recti eſſe perverſitatis aſſertor gloriatus. Hinc nec contriſtatus eſt frater ſecum reputans, quòd meritò ſibi conſervo non parceret, qui ſuo Domino derogaret. Inventus eſt per diligentiam ille de Evangelio frugi filius, & providus ſervus. Nam & paternã ſervavit ſubſtantiam, & auxit numerum talentorum. Nec duplicaſſe eum, ſed multiplicaſſe dixerim ſorte, quem videbamus etiam longè poſitis pio fœnore ſubveniſſe. O S. Prædicationis uſura! quam hic gratiam ante communé Dominũ fidei negotiator inveniet, qui propter animarum lucrum negotium & illic exercuit, ubi talenta accepit? Nonne hic meritò à patrefamilias auditurus eſt: Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.] Ita Cœleſtinus de Cyrillo.

(e) Ad matutin. lect. 6.
(f) Proſp. contra Collator. ſub fin.
Execrandam Neſtorij impietatem proſternit.
(g) Epiſt. Cœleſtini Papæ in actis Conc. Epheſ.
Illi gratulatorias ſcribit Cœleſtinus Rom. Pont.

S. Cyrillus reliquias Neſtor. hæreſes extirpat.

575. Quoad Neſtorianam hæreſim cùm poſt condemnatum Neſtorium Neſtoriani nondùm conticeſſerent impulſu Joannis Epiſcopi Antiocheni, Neſtorij partibus faventes Theodoretus Neſtorianâ fuligine tinctus, ſicut & Andreas Epiſcopus Samoſatenus adversùs capitula ſacræ œcumenicæ Synodi Epheſinæ, ipſumque Cyrillum tela vibrarunt, & calamos laxarunt. Cyrillus contrariis ſcriptis eorum molitiones disjecit, contra Andream quidem ſcripſit Apologeticum, contra Theodoretum verò Commentarium ad Euoptium: utrumque extat, inter ejus ſcripta (a).

(a) In impreſ. Colon. an. 1583. Tom. 4. In impreſ. Pariſ. an. 1605. To. 2.

Metamorphoſis mirabilis: infenſiſſimi hoſtes S. Cyrilli ipſi reconciliantur:

576. Sed ecce mirabilé metamorphoſim, & animorum disjunctiſſimorum unionem; atque mutationem dextræ Dei excelſi. Anno proximè ſequenti Concilium Epheſinum Joannes ille præfatus Antiochenus Epiſcopus (qui præcipuus fuerat auctor turbarum, quas capite præcedenti audivimus, ſuſcitatarum Epheſi tempore ſacræ Synodi, qui publicis ſcriptis Cyrillum declaraverat hæreticum: cujus etiam conſilio Præfati Theod. & Andreas in favorem Neſtorij contra Cyrillũ, & dogmata ac decreta ab eo in dicto Concilio ſancita ſcripſerant) Synodum indixit, & convocavit Syriæ Epiſcopos, pleroſque qui hactenùs adversùs Cyrillum, & Concilium œcumenicum Epheſinum cum eo conſpiraverant. In illa Synodo Joannes, & reliqui, unanimi conſilio epiſtolam ſcripſerunt ad Sixtum Rom. Pontificem, qui Cœleſtino defuncto ſucceſſerat; ad Cyrillum autem Legatum miſerunt Paulum Epiſc Emeſenũ per quem Cyrillo propoſuerunt, ut quædam in Concilio Epheſino decreta revocaret, & irrita declararet: cùm autem Cyrillus invictâ conſtantiâ renuens declaraſſet, omnia in Concilio Epheſino tranſacta, veritatis virtuti, & fidei rectitudini omninò conſona: Litteras etiam ad ipſum dederunt in quibus Neſtorij dogmata anathematizabant, & Chriſti divinitatem, & Virginis Mariæ Dei-maternitatem profitebantur his

Et antea Neſtorij fautores,
Epiſt. Ioan. Epiſc. Antioch. in Actis. Conc. Eph.

his terminis : [De Virgine Deipara quomodò ſentiamus, & loquamur, deque unigeniti Filij Dei incarnatione, dicemus breviter . . . Confitemur Dominum noſtrũ Jeſum Chriſtum unigenitum Dei Filium eſſe, Deum perfectum, & hominem perfectum ex animâ, rationis compote, & corpore, conſtitutum. Ante ſecula quidem ex Patre ſecundùm divinitatem genitum, poſtremis verò temporibus eundem ipſum propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Mariâ Virgine ſecundùm humanitatem natum : eundem Patri conſubſtantialem ſecundùm divinitatem, nobis item coeſſentialem ſecundùm humanitatem : ſiquidem naturarum facta eſt unio, quò fit, ut unum Chriſtum, unum Filium, unum Dominum confiteamur, & ſecundùm hunc inconfuſæ unitatis intellectum, S. Virginem *Deiparam* eſſe profitemur ; propterea quod Deus Verbum ex ipsâ conceptum & incarnatum & homo factum eſt.] Et paulò infrà : [Hoc jacto fundamento, placuit nobis, quò omnis tollatur contentio, univerſaliſq; ſanctis Dei Eccleſiis per orbem ſparſis pax reddatur; nec non ſcandala omnia, quę exorta videntur, de medio tollantur; Neſtorium quondã Conſtantinopolitanũ Epiſc. pro depoſito habere; tum profanas illius, pravaſque vocum novitates anathematizare: propterea quòd Eccleſiæ Dei, quæ apud nos ſunt, rectam ſanamque fidem obtineant, illamque cuſtodiant, ac populis (quemadmodum & veſtra quoque ſanctitas facit) fideliter tradant. Conſentimus nihilominus & in ordinationem quoque ſanctiſſimi piiſſimique Maximiani S. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopi. Et communicamus tandem univerſis orbis terræ religioſiſſimis Epiſcopis rectam inculpatamque fidem habentibus & retinentibus. Vale Domine piiſſime, fraterque ſinceriſſime mihi dilecte : ac pro nobis orare perge.] Ita illi, nempe Joannes Antiochenus & ſocij ejus ad S. Cyrillum: qui illorum veræ fidei confeſſionem, atque Neſtorij damnationem ab ipſis etiam ſubſcriptione probatas, & confirmatas probavit : atque ita inter illum, & iſtos pax inita, & firmata, perfectaque unitas ſancita fœdere ſacramentorum. Paulus itaque ille legatione iſtorum Epiſcoporum fungens in Eccleſiam ad Synaxim à S. Cyrillo introductus eſt, permiſſuſque habere ad populum ſermonem, qui ſummo exceptus eſt plauſu, dum EMMANUELEM hoc eſt Chriſtum, VERE DEUM, *& ejus Matrem Virginem Mariam* DEIPARAM *appellaret* ; populus enim acclamabat: [Hoc Dei donum eſt : Cyrille omnes reddidiſti tui ſimiles. Dignus digno conjungitur. Populus tuus dixit : Epiſcoporum patrem ſerva Domine. Benè veniſti Epiſcope orthodoxe, orbis terrarum doctor. Qui ſic credit, diligitur. Magna doctrina, magnuſq; quoque encomiaſtes. Paulus Epiſc. dixit : [Redeamus itaq; ad Deip. Mariam, & Emmanuelem, &c.] multaque de his locutus, perducens ad finem orationem, conteſtatus eſt, ſe ea locutum, quæ S. Athanaſius, Theophilus, Cyrillus, imò & antiqui prædeceſſores Epiſc. Alexandrini ſemper in Eccleſiâ docuiſſent. Demum verò finem imponens, populũ ad audiendum Cyrillum invitavit. Qui poſt Paulum ſuggeſtum conſcendens, perbrevem eodem argumento habuit orationem, quâ ea quæ à Paulo fuiſſent dicta probavit. Sic igitur magnâ totius Eccleſiæ lætitiâ, firmata ſtabilitaque eſt pax totius Orientalis Eccleſiæ; communicantibus inter ſe mutuo qui antea à ſe invicem diviſi erant Epiſcopi: Pauluſque re benè confectâ, & Joannem & alios, à quibus miſſus in Ægyptum legatus fuit, rediit, afferens ſecum Cyrilli litteras ad ipſum Joan. Antiochenum Epiſcopum, quarũ eſt hujuſmodi exordium : [Lætentur cœli & exultet terra : ſoluta eſt enim interjacens maceria: quod mærorem afferebat, conquievit, & omne tandem diſſidiorum genus ſublatum eſt.]

Christi divinitatem, & Mariæ Dei maternitatem profitentur.

Nestorium & ejus dogmata anathematizat:

Sicq; inter illos & S. Cyrillum, & cæteros Episcopos firmata unitas fidei, & pacis :

Cum magna totius Ecclesiæ lætitia.

577. Atque ita ſingulari prudentiâ, fortitudine, longanimitate S. Cyrilli ; Epiſc. illi qui hactenùs tantopere ipſi atque etiam ſanctionibus Concilij Epheſini fuerant adverſati ; Neſtorij fautores, & ſchiſmatici, ad meliorem ſunt reducti frugẽ, & firmo ac ſtabili amicitiæ vinculo colligati ipſi S. Cyrillo adeò quidem, ut eos ipſos qui ipſum & ejus ſcripta acerrimè anteà inſectati fuerant, ſuorum voluerit ſcriptorum eſſe cognitores, & cenſores. Unus intereà Theodoretus pòſt illam concordiam initam, adhuc cum Neſtorio amicitiam colebat, & S. Cyrillum, ac Epheſinæ Synodi acta carpere non deſiſtebat. Sed etiam tandem ille denſâ illa erroris, & obſtinationis involutus caligine, ſingulari Dei beneficio exemptus, & S. Cyrilli manſuetudine, patientiâ ac apologeticis ſcriptis permotus, & eruditus fuit. Cæterùm poſteà in quinta Synodo (a) ipſius Theodoreti ſcripta adverſùs S. Cyrillum fuerunt SS. Patrũ ſententiâ condemnata. Quinetiam Theodoſius Imperator cuncta ſcripta adverſùs Cyrillũ abolenda penitùs eſſe S. lege mandavit. Atque ita tandem S. Cyrillus & de Neſtorio & ejus deteſtandis erroribus, atque omnibus adverſariis Dei adjutorio, & abſdubiè Virg. Deiparæ, cujus debitũ honorẽ propugnabat, ſubſidio, victorioſiſſimè triũphavit.

Et ista contigerunt prudentiâ, ac longanimitate S. Cyrilli.

(a) Cap. 13.

Sic de Nestorio vitorioſiſſimè triumphavit.

578. Meritò hic admiratur, & obſtupeſcit Cardinalis Baronius ſic ad propoſitum ſcribens : (b) [Quod autem ad S. Cyrillum ſpectat, obſtupeſco quidem, dum incredibilem & planè incomparabilem animi ejus conſidero manſuetudinem ; atque modeſtiam cum ſummâ animi ſubmiſſione conjunctam : quibus quidem omnibus virtutibus, præter innumera illa ſpecimina edita, ſuperiùs recenſita, additamentum modò illud adjecit omni laude digniſſimum. Etenim qui tempore perturbationis Eccleſiæ, cum Concilium eſſet Epheſi congregatum (quod res & perſona, quam gerebat Rom. Pontificis id exigeret) firma animi conſtantia, inflexo robore, erecto ſacerdotali vigore adverſùs Epiſcopos adverſantes, perſecutores Comites, & Imperatorem ſemper ſtetit & reſtitit : poſteà conciliatâ pace, initâ concordiâ, penituſque fugata

(b) Baron. in Annal. ad an. 432.

In S. Cyrillo summè admirabilis nexu fuêre mansuetudo incomparabilis, & animi constantia firmissima.

fugata diſcordia, adeò omni officio coluit amicitiam, ut quibus anteà adverſatus fuerat, ſe ſubjecerit, dum quos ſuorum ſcriptorum expertus eſſet calumnioſos reprehenſores, eoſdem ipſorum habere voluit cognitores. Etenim quæ poſt hæc opera elucubravit, eadem mittere voluit Antiochiam, ab ipſo Joanne Epiſcopo imprimis, ac deinde ab aliis ſibi ſubjectis Epiſcopis cognoſcenda. Cur ita ſanctus Sacerdos, nonniſi ut hujuſmodi certis ex fiducia comparatis amicitiæ ſignis, eoſdem Syriæ Epiſcopos in officio arctioribus vinculis contineret. Teſtis quidem horum eſt ille qui adeò ipſi fuerat adverſatus Theodoretus, in epiſtola ad Dioſcorum ubi ait: [Quod verò beatæ memoriæ Cyrillus ſæpiùs ad nos litteras dedit, tuam ſanctitatem apertè ſcire arbitror: & quando ſua opera, quæ contra Julianum ſcripſerat, Antiochiam miſit, ſimiliter cum ea quæ ipſe de Emiſſario ediderat, & petiiſſet à beato Joanne Antiochiæ Epiſcopo, ut illa oſtenderet magiſtris, qui in Oriente ſcientiâ præſtarent: beatus ille Joannes Cyrilli litteris obtemperans, libros nobis miſit: quos cùm legiſſemus, hominem ſumus admirati, & ſcripſimus ad Cyrillum beatæ memoriæ, qui iterum nobis reſcripſit, & nos diligentes ac benevolos ſuo teſtimonio declaravit; quæ litteræ apud nos ſervantur.] Hactenùs Theodoretus: qui etſi antehac viſus eſt privato animi affectu faviſſe Neſtorio; poſteà tamen æquiori animo fuiſſe erga Cyrillum, atque tandem vehementiùs eſſe adverſatum Neſtorio, ipſe ut Epiſtola ad Sporadium data abundè teſtatur, cujus eſt exordium: [Cùm univerſus Orbis jam paulatim rueret &c.]

579. Quantâ lætitiâ affecerit Sixtum Pontificem iſta inter S. Cyrillum, & alios Epiſcopos inita concordia, teſtatur ejus ad S. Cyrillum epiſtola (a) in qua, inter cætera iſta: [Sixtus Epiſcopus Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo. Magnâ ſumus lætitiâ alacritatis impleti, poſtquàm (ſicut legimus) ex alto nos Oriens viſitavit. Ecce enim ſollicitis nobis, quia neminem perire volumus, ſanctitas tua redintegratum corpus Eccleſiç ſuis epiſtolis indicavit: redeuntibus ejus in ſua membra compagibus, neminem foris jam videmus errare; quia intùs omnes poſitos fides una teſtatur. Lætamur è medio noſtrum, qui hoc opus fecit, ablatum: ſoli ſibi nunc non credet (Neſtorius ſcilicet) quod ſenſit & intelligit obfuiſſe: qui contrà hunc nixus eſt (Cyrillus videlicet) cum profitemur omnibus profuiſſe. Sed convenit à triſtibus nos ad læta tranſire; quia ipſe cui quæſtio mota fuerat, de Eccleſia, univerſali mærore, ſublato, tempus nobis præſtitit gaudiorum.] Atque alia ejuſdem de eodem ſubjecto ad præfatum Joannem Epiſcopum Antiochenum (b) cujus iſtud eſt exordium: [Sixtus Joanni Epiſcopo Antiocheno. Si Eccleſiaſtici corporis gloriam, ſi ejus integritatem dilectio tua conſiderare dignetur; profectò lætitiæ noſtræ non quæret interpretem. Ipſæ namque evidentiſſimæ res loquuntur, mærorem noſtrum repentino ſancti fratris noſtri Cyrilli in gaudium ſermone converſum: tantum hanc ergo ſollicitudinem noſtram nos evaſiſſe delectat, poſtquam reo noſtræ fidei tua fuit ſanitas pœnitudo.]

(a) Habetur apud Baron. ad an. 433.

Sixti Romani Pontificis epiſtola gratulatoria ad S. Cyrillum.

(b) Apud Baron. ibid.

Stabilitâ ſic pace in Orientali Eccleſiâ, ut eam turbarent Neſtoriani novas turbas agitare cœperunt; quo gravius in Eccleſiâ prælium excitarent; nam diabolico inito conſilio epiſtolam quandam confixerunt nomine Cyrilli, qua ſe palinodiam recantare ipſe ſignificaret, & quæ facta eſſent Epheſi, omnino reſcindere. Iſta autem longè, latèque diffamata plurimorum animos vehementer perturbarunt, ſicut conſtat ex variis epiſtolis S. Cyrilli, cui haud difficilè fuit iſtas, & alias in commentitiis litteris nomine Philippi (qui unus fuit ex Legatis à Cœleſtino Pontifice ad Epheſinum Concilium miſſis) detegere Neſtorianorum impoſturas, & occurrere illatis calumniis. Eum in finem plures ad varios litteras ſcripſit, admonens, cautoſque reddens, ne iſtis falſis Neſtorianorum litteris fidem adhiberent, utpote ab impoſtoribus, & mendacibus confictis. Ita quidem ad Acacium Melitenſem, Valerianum Iconii Epiſcopum, atque alios, ſcripſit tunc quoque expoſitionem duodecim capitulorum ſuorum, ſeu librum apologeticum pro ſuis anathematiſmis. Nec tantum Cyrillo curæ fuit ſeipſum à Neſtorianorum liberare calumniis, ſed & Joannem Antiochenum, alioſque Orientales, quorum probaverat fidei profeſſionem, defendere; quod pluribus ſcriptis quam diligentiſſimè præſtitit. Atque ita S. Cyrillo ſuſcipiente & defendente fidem Orientalium Epiſcoporum, pax & unitas Eccleſiæ reddita & conſervata fuit.

Neſtorianorum novas turbas comprimit;

Pacem, ac unitatem Eccleſiæ reddit, & conſervat.

580. In pace igitur gaudente Eccleſiâ, pacis inimicus, hoſtis veritatis non ceſſavit ſuperſeminare zizania falſitatis, & ſeminaria diſſenſionis; cùm enim libri Neſtorii igne vindice cremati eſſent, ne magno periculo eorum lectio clandeſtina aliquibus eſſe poſſet, mox Neſtoriani legendos ubique propoſuerunt Theodori Mopſueſteni, & Theodori Tarſenſis libros, è quibus ſua venena hauſerat Neſtorius. Atque ita exſiccatis blaſphemiarum fluentis, reſerati fuêre fontes, undè illæ primùm derivatæ erant. Sed & iſtis, quaſi Neſtoriani dogmatis auctoribus obſiſtens S. Cyrillus tres adversùs eos libros ſcripſit (a) & ita eos repreſſit. Longè igitur à veritate alienum eſt id quod calumnioſè à Neſtorianis confictum fuit, nempè S Cyrillum præfati Theodori ſcripta probaſſe, ſicut incautè refert Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breviario cap. 10. & ideò cautè legendus, ſicut rectè animadvertit Cardinalis Bellarminus (b).

Zizania falſitatis, & Diſſenſionis ſeminaria ſuffocat.

(a) Baron. ad an. 435.

(b) Lib. de Script. Ec.

581. Cùm etiam nonnullis in locis tempore S. Cyrilli idololatria invaleſceret, & impii ac Pagani ex Juliani apoſtatæ ſcri-

Idololatriam invaleſcentem coercet, & extirpat:

Libri iſti 10. S. Cyrilli contra Julian. ſunt inter ejus opera, Tom 3. edit Colon an. 1538. Tom 2 edit. Pariſ. an. 1605.

Libros 10. contra Julianum diſertiſſimos dicat Theodoſio Imperatori.

Scribit etiam contra Judæos.

ptis tela quæ in Religionem Chriſtianam vibrabant, deſumerent, ad ea retundenda, & idololatriam extirpandam (unà cum Theodoſio Imperatore ſanctionibus coercente, atque aliis Patribus) omnibus intentis nervis, ſcriptiſque editis inſudavit quoque S. Cyrilli zelus; nam ſecurim ad radicem arboris admovens, pro defenſione utriuſque Teſtamenti libros decem diſertiſſimos edidit contra Julianum, ad ejus confutanda ſcripta, quibus Chriſtianam Religionem impius ille apoſtata impetebat. Opus iſtud Cyrillus dedicavit Theodoſio Imperatori, & in dedicatoria hanc illius rationem pandit: videlicet [quòd cùm Julianus flagitioſorum, & ſuperſtitioſorum virorum familiaritate à fide deficiens, & in idololatriam prolapſus immundorum dæmoniorum cultor effectus eſſet, tres conſcripſerit libros adverſus ſancta Euangelia, & contra piam Chriſtianorum religionem, quibus multos commovit, & haud mediocriter offendit. Etenim leves, facilèque mobiles in ejus laqueos citò cadunt, fiuntque dæmoniis dulcis eſca. Turbantur autem interim nonnihil etiam ii, qui in fide profecerunt: credunt enim ipſum ſanctas divinas litteras noſſe, quandoquidem ex ipſis varia teſtimonia in ſuis libris accumulet, quamvis ignoret quæ dicat. Quoniam autem plurimi ſuperſtitioſi, convenientes, eos qui Chriſtum ſapiunt, ſuiſque deque prætexunt, nobis exprobrantes illius contra nos ſcripta, & dicunt tanta gravitate ædita, ut carpi nuſquàm valeant, nullumque adhuc inventum eſſe ex noſtris Doctoribus, qui vel contradicere vel ſubvertere dicta illius queat. Adhortantibus itaque multis, atque fiſus Chriſto dicenti: Et nunc vade, & ego aperiam os tuum, accommodavi me ut decutiam quidem Græcanicum ſupercilium, adverſus Dominum Chriſtum ſeſe extollens: adjuvem autem, quantùm licet, deceptos, demonſtrando deceptum eſſe, & ignoraſſe ſacras Scripturas eum, qui noſtri omnium Salvatorem Chriſtum incuſat. Cæterùm iſtiuſmodi ſermones Chriſtianiſſimæ veſtræ obtuli celſitudini: quam ſemper cuſtodiat Deus jucundam & illæſam, prævalentemque inimicis, quos ſub pedes mittat, & propagantem uſque in filiorum filios ſanctum imperium, annuente Chriſto, per quem & cum quo, Deo & Patri gloria, cum S. Spiritu, in ſecula ſeculorum, Amen] Hæc ad Theodoſium Auguſtum S. Cyrillus. Scripſit quoque librum contra Judæos, cum elegantiſſimis quæſtionibus, & alium adverſùs Antropormorphitos, id eſt, eos, qui Deo humanam formam affingunt, atque alios ſui temporis hæreticos.

581. Igitur zelantiſſimus hic Paſtor S. Cyrillus Sacerdos magnus in vitâ ſuâ ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum: ſtudia ſua omnia eò direxit, ut Eccleſiæ aream à loliis hæreticorum, & zizaniis per infideles ſuperſeminatis, expurgaret; & ſic ea rectæ fidei, & pietatis floribus ac fructibus decora ſplendeſceret. Et quia ad hoc præcipuè confert moderatorum Orbis, Principum ſcilicet, ſincera fides, & pietas exemplaris; ſicut pro inſtructione Epiſcoporum quorundam errantium, & confirmatione monachorum, & plebis, in orthodoxæ fidei profeſſione varias ſcripſit epiſtolas, & libros; ita quoque ſingulari, & præcipuâ curâ edidit Tractatus, & libros pro inſtructione Imperatoris, & Reginarum *de rectâ fide.* Ad Imperatorem quidem Theodoſium librum ſcripſit [de rectâ in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fide,] ut ſic ab ejus animo eliminaret, & elongaret errores hæreticorum iſtius temporis. Ibi imprimis eum docet [Pietatem eſſe ſtabilimentum regni] his, inter cætera, verbis: [A Deo, cujus eſt ſumma celſitudo, vobis Chriſtianiſſimi Reges, humanæ claritudinis faſtigium, incomparabilibus excellentiis, præ omnibus aliis exurgens & exaltatum, eximiaque, ac honeſta ſors ſunt data: dignus nimirum ſuper terram honor... Quòd autem glorioſa in Deum pietas regiis honoribus immobile ſit fundamentum; etiam ex ipsâ ſanctâ, divinâque Scripturâ docere attentabo, idque, quantâ fieri poteſt, brevitate. Nam plurimi olim fuère, & regni illius ſolium rexère: ſed qui ex illis impii reverentiam in Deum nihili faciebant, & legem judicii adminiſtratricem contemnebant, ſibique in amore ſui indulgebant, plurimum miſeri ac mali malè perierunt. Graviſſimùm enim eſt offendere Deum, & offendendo illum vel in illo, ab æquo deficere. Qui verò ex illis pietatis in Deum cultores erant, & fideliter, quæ illi placent, obſervabant, ſine labore vincebant inimicos, & adverſariis prævalebant.] Id ex Scripturis confirmat exemplis variis: conſequenter tradit doctrinam, & inſtructionem de rectâ fide. Ejuſdem ſubjecti binos elucubravit libros [ad pientiſſimas Reginas de rectâ in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fide] ubi imprimis adfert, & explicat, ſymbolum Patrum, deinde oſtendit, QUOD MARIA SIT DEIPARA, & hæreticorum aperit dolos, ac Catholicam tradit, & confirmat veritatem. Atque ita non tantùm ſuam Alexandrinam, ſed & univerſam Eccleſiam magnoperè illuſtravit, & propugnavit.

583. Demùm cùm illam (Alexandrinam) Eccleſiam multis annis (XXXII.) ſanctè gubernaſſet, ſenio confectus ſpiritum Deo reddidit quartò Kalendas Februarii Theodoſio, & Valentiniano Imperatoribus. An. Chriſti CCCCXXXXIV. Tanti Patris memoria in Eccleſiâ tam Orientali, quàm Occidentali magnis ſemper Orthodoxorum præconiis celebrata fuit, & ejus doctrina à Patribus, atque etiam in variis œcumenicis Conciliis reverenter, tanquàm à Spiritu S. dictante procedens, ſuſcepta, comprobata, & firmata. Sic quidem, ut in ſacro Concilio Chalcedonenſi (a) appellatur:

Libros quoque elucubravit, & ſcripta, pro inſtructione Epiſcoporum, Monach. & plebis.

... nec non Imperatoris,

ſanctus ejus obitus.

Et Reginarum.

(a) Act. 3 in lib. Theod. Diac.

Chalcedonenſis Concilii teſtimonium de illo.

tur: [Rectæ, & immaculatæ fidei advocatus]. Et cum legeretur epiſtola ejus, omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: [Nos ſicut Cyrillus credimus, ſic credimus, ſic credimus: anathema ei qui ſic non credit]. Ita ibi (a).

(a) Actione 1.

ANNOT. *Caput hoc 5. confectum eſt, & in epitomen digeſtum ex Actis Concilij Epheſini, Epiſtolis Cœleſtini, & Sixti Rom. Pontificum, ac ipſius S. Cyrilli operibus: pauca autem aliundè, in ipſo contextu, aut ad marginem annotata ſunt*

Gesta præclara S. Cyrilli ubi plenius tradita.

S. Cyrilli geſta, præſertim in Concilio Epheſino, & pro defenſione Orthodoxæ Fidei, adverſùs Neſtorium, hactenùs compendioſè tradita, pleniùs digeſta ſunt in actis ipſis Concilii Epheſini: quæ quidem (poſt alias anteriores editiones) noviſſimè in tres partes diſtributæ prodierunt in *Tomo* 3. Sacro-Sanctorum Conciliorum Pariſiis anno 1671. ſtudio Philippi Labbei, & Gabr. Coſſartii Societatis JESU. Pars I. continet, quæ Synodum anteceſſerunt, videlicet litteras S. Cyrilli ad Monachos Ægypti, eos monentis, & inſtruentis, ut in orthodoxâ fide conſtantes perſeverarent, & errores Neſtorij devitarent; Epiſtolas quoque plures ad Neſtorium, ut eum ab errore revocaret, ad Cœleſtinum Papam, ad Reginas de rectâ fide, ac ad alios plures; ne inficerentur veneno peſtiferæ hæreſeos Neſtorianæ. Pars II. complectitur geſta S. Cyrilli in ipſo Concilio: Pars III. comprehendit varia S. Cyrilli geſta, & ſcripta, ad Concilium ipſum ſpectantia, poſt ipſum Concilium. Titulus eſt Sanctum Ephesinum Concilium, Tertium Generale, & implet ferè totum iſtum Tomum tertium. Sub initium ſuccinctè traditur Hiſtoria S. Concilii Epheſini, & geſtorum S. Cyrilli, de quo, inter cætera, iſta: *Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, vir omni ſapientiâ, & ſanctitatis exemplo clariſſimus; quem difficillimo ſanè tempore Deus & Apoſtolicæ fidei propugnatorem, & Neſtorio antagoniſtam acerrimum compararat.* Sub finem ponuntur Notæ Severini bini in Concilium Epheſinum, œcumenicum, approbatum, plurium quàm ducentorum Epiſcoporum. Denique ex libello Synodico iſta, antehàc non edita traduntur: *Neſtorius fermentum veritatis corrupit, cùm non ſuſtineret, ut beata Virgo* Theotocos: id eſt, Deipara *diceretur; neque concederet, ut hypoſtatica Chriſti Servatoris omnium unio prædicaretur. Contrà eum Cyrillus ille magnus depugnans, Synodum divinam & ſacram Alexandriæ congregavit: quæ decretum capitum duodecim edidit.* De illa Synodo divina et sacra actum eſt ſupra cap. 3 (a) ubi etiam aliqua adducta ſunt ex illo Decreto (a) n. 553. Capitum duodecim: & illa ſunt duodecim anathematiſmi, continentes, & explicantes veram orthodoxam fidem circa Chriſti Domini divinitatem, & Virginis Mariæ Dei-maternitatem; quam S. Cyrilli, & Alexandrinæ Synodi doctrinam amplexati ſunt Patres Concilii Epheſini, & Chalcedonenſis, totaque Eccleſia.

XXVIII. JANUARII.

DE S. IACOBO PORPHYRIONITA CARMELI ACCOLA, AUT INCOLA.

Circa An. Chr. 535.

Pœnitentiæ, & cautionis exemplum ſingulare præbente.

584. De illo *in Martyrologio Romano ad diem XXVIII. Ianuarij iſta leguntur:* In Palæſtina S. Jacobi eremitæ, qui poſt lapſum diu in ſepulchro, pœnitentiæ causâ, latuit, & clarus miraculis migravit ad Dominum. *Et in Ioannis Molani Auctario ad Vſuardi Martyrologium:* Apud Porphyrionem, ſecundùm Simeonem, (*Metaphraſtem*) Sancti Jacobi Eremitæ. *De tempore quo vixit, loco, & inſtituto iſtius S. Iacobi agit Lezana* Tom. 3. *Annalium Carmelitarum ad annum Chriſti* 535. *ubi iſta:* Circa hoc tempus celebris valdè vitâ, miraculis, & morte fuit Jacobus Eremita montis Carmeli; verſùs eam partem, quæ Porphyriam Civitatem, ſeu Oppidum vulgò Caiphas, anachoreticam, ſeu ſolitariam vitam agens. Quem Metaphraſtes, Lipomanus, Surius, & Joannes Bollandus in Actis Sanctorum pro die 28. Januarij referunt. *Et infrà:* Circa prædicta nonnulla animadvertenda. Primò equidem, Oppidum illud Porphyrionem appellatum, ad cui vicinum ſolitarium locum Jacobus iſte receſſit, eſſe civitatem illam Caipham dictam, & in declivio Carmeli poſitam, prout manifeſtè conſtat ex iis, qui Topographiam urbium, & oppidorum deſcribunt. Quibus etiam adhæret Jacobus de Vitriaco clariſſimus author in Hiſtor. Jeroſol. cap. 22. ubi inquit Caipham etiam, quæ alio nomine dicitur Porphyria, in littore maris ſub primâ parte Carmeli montis ſitam, ab Accon quaſi milliaribus quatuor diſtantem... Dicta autem hæc civitas Porphyreon, non tàm à Porphyrione ave apud Plinium lib. 10. cap. 46. & Ælianum lib. 14. cap. 35. quàm ex eo, quòd Porphyra Græcè eſt Latinè Purpura, & Carmelus Purpuram etiam, ſeu Coccinum denotat: unde Cantic. 7. illud, Caput tuum, ut Carmelus, ſic Aben Ezra, & Pagninus vertunt, Caput tuum rubrum eſt, ſicut Coccinum; & Carmelus 2. Paralipom. 3. vertitur Coccinum. Cùm ergò civitas, ſeu oppidum Porphyrionem appellatum teneamus Caipham eſſe, & Caiphas ipſius Carmeli radici adjaceat, rectè hic Jacobus, qui in ſolitarium locum ſeceſſit propè oppidum Porphyrionem in Carmelo ipſo Anachoreſim egiſſe comprobatur, prout idem Bol-

S. Iacobus ſolitariam vitam agit in Carmelo, aut propè.

landus diſertis verbis aſtruit loco relato, & indicat in vitâ S. Cyrilli Alexandrini §. 2. num. 14.

585. *Præcitato autem loco vitæ S. Cyrilli iſta habet P. Bollandus de iſto S. Iacobo* : S. Jacobus Eremita, de quo infrà agemus, propè oppidum Porphyrionem in ſolitarium locum ſeceſſit, non procul à Carmelo monte: cujus vita ita celebrabatur, ut è viginti aut triginta monaſteriis Monachi & Clerici ad eum venirent, ut ejus benedictionem acciperent, & ab eo confirmari poſſent. Horum monaſteriorum aliquod in Carmelo, aut ad ejus radices fuiſſe, admodum probabile. Et cur iſthìc minùs, aut cur non iſthìc potiùs, quàm in reliqua Paleſtini maris ora? *Plura de cultu ab Eremitis, & Religioſis, Carmelo, iſtis, & anterioribus temporibus, videri poterunt hic ſuprà* (a). *Ex iſtis P. Bollandi verbis habetur, illis temporibus frequentia fuiſſe monaſteria in Paleſtina.*

(a) n. 357, 358, & 532.

586. *Pro inſtructione legentium damus vitæ ejus compendium.* Multa bona, & animæ ſalutaria beneficia iis viris, qui Dei amantes ſunt, & Salvatoris Chriſti præceptis congruentem vitam ingrediuntur, pulcherrima humilitatis poſſeſſio conciliat: quam qui amplecti ſtuduerit, & perfectè obierit, is numquam illud timere poterit, ne aliquo modo cadat, aut ullo affectu capiatur, vel ſuæ fiduciæ ſuperbiâ efferatur. Quòd enim multum damni, & inſanabilem jacturam, maximumque periculum hæc iis afferat qui non cautiores fuerint, licèt è multis aliis argumentis hoc intelligere, præcipuè verò ex hâc hiſtoriâ, quæ nobis ſcribenda eſt: ut qui cæleſtem vitam ſibi propoſuerint, ex ipsâ narratione proficiant, quo tutiores ſint. In hâc enim & inſtitutionem optimam inveniemus, & exercitationem perfectam, extremum denique curſum ex pigritiâ proficiſcentem, & pœnitentiæ virtutem; quæ tantum valet apud benigniſſimum Deum, ut non ſolùm ex ipſis inferorum portis, & gehennæ doloribus hominem eripiat, ſed etiam talem reddat, ut priori virtute majus aliquid poſſideat, & adjuvante divinâ gratiâ, emendationem vitæ ſuperiore ſtatu meliorem recuperet.

S. Iacobi vita inſtructio lectorũ.

Efficaciter movet ad humilitatem & cautelam,

587. Fuit quidam vir, qui ſolitarium in locum ſeceſſit propè oppidum Porphyrionem. Erat viro illi nomen Jacobus. Hìc cùm brevis hujus vitæ vanitati renuntiaſſet, in ſpeluncâ quâdam quindecim annos habitavit. Tantos autem in virtutis exercitatione progreſſus fecit, tamque inſignis & Deo gratus extitit, ut & gratiâ contra dæmones dignus effectus fuerit, multaſque alias curationes, Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti nomine, hominibus attulerit. Multos Samaritas convertit. Ab aliis in eum conſpirantibus ſubornatam meretricem ante cellam diu multumque noctu lamentantem monacham arbitratus, in exteriorem cellam admittit: dolores cordis fingentem dextrâ manu inungit, & cruce ſignat, ſiniſtram igne adurit contra tentationes: quo viſo, meretrix convertitur, baptizatur, fit religioſa & ſancta. Jacobus dæmoniacam curat: oblatam pecuniam reſpuit: ſanat paralyticum & multos ægros: honorem fugit. Triginta annis habitat in ſpelunca. Energumena S. Jacobum inclamat, ad eum adducitur: ejus oratione ſanatur: ſola apud eum remanet: ab eo violatur, occiditur, in flumen abjicitur. Jacobus Dei benignitate revocatus ad ſalutem, exemplo Davidis meditatur pœnitentiam. Ex deſperatione rediturus ad ſæculum, divertit ad monaſterium. Narrat monachis ſuum lapſum: ab anachoreta ducitur ad cellam, coactus cibum ſumit; rogatus aliquid dicere ad ejus inſtitutionem, lapſum deflet, & narrat, de veniâ deſperat. Erigitur in ſpem miſericordiæ Dei: in cellâ anachoretæ detineri nequit: in veteri ſepulchro implorat Dei miſericordiam: decem annis ibidem agit pœnitentiam. Epiſcopus divino monitu pro pluviâ ejus preces implorat: reſponſo fruſtratus, iterùm jubetur eum adire: ejus precibus pluvia impetratur: Cujus beneficij annua memoria. Multis claret miraculis: moritur, ſepelitur. Ædificatur ibi Eccleſia, feſtum celebratur. (a)

& maximè monet,

vitare familiaritatem cum mulieribus,

etiam ſub prætextu pietatis.

Ob peccata graviſſima non deſperandum:

Miſericordia divinæ inſigne exemplum.

(a) Ex Bolland. ad 28. Ian.

XXIX. JANUARII.

VITA
S. PETRI THOMÆ

An. 1366. *deceſſit.*

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, *LEGATI APOSTOLICI*

Imperatorum, Regum, & Principum Pacificatoris, Virginis Deiparæ cultoris eximii, & viciſſim ab ea ſingulariter dilecti.

NOTATIONES PRÆVIÆ.

§. 1. *S. Petrus Thomas* APOSTOLICORUM LEGATORUM ABSOLUTISSIMUM EXEMPLAR. *Legationes ejus præcipuæ: collati a Summis Pontificibus Epiſcopatus varij, Archiepiſcopatus, Patriarchatus.*

588. L*Egatorum Apoſtolicorum abſolutiſſimũ exemplar, ſeu idæa, hic prodit S. Petrus Thomas, ſeu Thomaſius, antonomaſticè* SANCTUS LEGATUS *dictus. Legationes ejus præcipuas ſic paucis complectitur Odoricus in Continuatione Annalium Eccleſ. ad an.* 1364. *num.* 24. B. Petrum Thomam Carmelitani Ordinis, bellique hujus S. Auctorem, ex Cretenſi Archiepiſcopo creatum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſubrogavit (Innocentius VI.) CLARISSIMUM doctrinâ, ſanctitate, miraculis, geſtisque APOSTOLICIS LEGATIONIBUS; modò ad Neapolitanum Regem; ut ſalubria conſilia ſuggereret: modò ad Raſcium; ut ſchiſma extingueret: nunc ad Ungarum; ut illi Romanæ Eccl. vexillum ad fidei hoſtes proterendos traderet: modò ad Venetos; ut pacis conſilia ipſis ſuaderet: modò ad Imperatorem Conſtantinopolitanum; ut conjunctionem Orientalis Eccleſiæ cum Romana promoveret: nunc in Aſiæ & Europæ fines; ut Turcas, Schiſmaticos, atque Hæreticos comprimeret: nunc in Italiam; ut tyrannos ad Officium, ac pacem revocaret. In quibus tantâ laude ſe geſſiſſe refert illius vitæ Auctor, ut Pontifex cæleſtem in eo virum admiratus honorum incrementa ei detulerit.

S. Petrus Thomas idea perfectiſſ. legatorum.

Legationes aliquot præcipuæ.

589. *PP. Ioannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius primigeniam ejus vitam, ante annos trecentos, ab illuſtri viro Philippo Mazzerio Cancellario regni Cypri (de quo plura §. ſequenti) ſcriptam, illuſtraturi, & primùm edituri, ſic exordiuntur, in Commentario prævio:* (a) Eximium Carmelitici Ordinis lumen S. Petrus Thomaſius fuit: cujus cum alia extitêre decora, TUM MAXIME ILLUSTRES, QUAS PONTIFICIS MAXIMI NOMINE OBIVIT LEGATIONES; planè ut EXPRESSAM LEGATI ABSOLUTISSIMAM EFFIGIEM in ejus Vita contemplari videamur. *In altera autem editione, novis illuſtrata notationibus, & adjectis Analectis ex variis auctoribus, per P. Godefridum Henſchenium; Commentarij prævij, hoc eſt initium §. 1.* Effulſit trecentis ab hinc annis S. Petrus Thomaſius, eximium Ordinis Carmelitici lumen, Divinâ providentiâ tunc ſuper candelabrum Eccleſiarum Orientis atque Occidentis poſitum: ut clariſſimis eruditionis ac ſanctimoniæ radiis colluſtraret Gallias, Italiam, Pannonias, Illyricum, Græciam, necnon & Inſulas Siciliam, Cretam, Cyprum, Euboëam aliasque plures: imò ipſas etiam regiones Aſiaticas, Syriacas, Ægyptiacas, ſub tenebris ferè Mahometicis illo etiam tempore deliteſcentes, fulgore Chriſtianæ lucis excitaret. *Et infra §. 2.* Inter alia decora S. Petri Thomaſii vel maximè illuſtres extitêre, quas Pontificis Maximi nomine obivit legationes: planè ut EXPRESSAM LEGATI ABSOLUTISSIMAM EFFIGIEM in ejus Vita contemplari videamur. Quàm enim ille multa ac varia pro ſedandis Italiæ motibus, Chriſtianâ religione propagandâ, Saracenorum, Turcarumque reprimenda tyrannide, munera geſſit? quot adivit provincias? quanta ſuſcepit pericula?

(a) In Actis Sanctorum ad 29. Jan.

Legati abſolutiſſ. effigiem eum nuncupant PP. Bolland. & Henſchenius.

590. *Prima ejus legatio ad Reges Apuliæ. Ea facta fuit anno Chriſti* 1353. *& eodem anno Legatus deſtinatus fuit ad Genuenſes ac Mediolanenſes. Anno ſequenti deſtinatus fuit ad Imperatorem Carolum IV. & ad Regem Raſciæ: ſed eam legationem peregit anno ſequenti: & anno* 1356. *ad Regem Hungariæ, & Venetos: anno* 1357. *Conſtantinopolim ad Palæologum Imperatorem Orientis, quem* ad veram Eccleſiæ Romanæ doctrinam amplectendam (quæ cauſa legationis erat) induxit. Reſcripſit Imperator Pontifici, VI. Novemb. Indict. XI. anno mundi ſexies milleſimo octogeſimo ſexageſimo ſexto, qui Latino calculo eſt MCCCLVII. quo hanc legationem obivit S. Petrus. Anno ſequente in Cyprum & Palæſtinam profectus, indè ad Curiam Romanam reverſus.

Et ex hoc præcipuæ Legationes recenſentur.

591. Placuêre Summo Pontifici & S.R.E. Cardinalibus res à S. Thomaſio in hactenùs injunctis Legationibus ſummâ dexteritate, zelo ac virtute peractæ: cui pro Chriſti fide & Eccleſia Romana perficienda majora facinora,

Legatus Apoſtol. in Patriarchatu Conſtant. & pluribus Archiepiſc.

nora, tolerandaque certamina fuêre impoſita. Nam idem Papa Innocentius Palæologo Imperatori, contra Turcas Orientem infeſtantes auxilia depoſcenti, cùm ſuccurrere decreviſſet, anno Pontificatus VII. Chr. MCCCLIX S. Petrum creatum Coronenſem Epiſcopum, conſtituit Legatum Apoſtolicum in Patriarchatu Conſtantinopolitano, ac pluribus Archiepiſcopatibus Orientis, revocato omni alio Legato ad illas partes antè miſſo.

592. Mortuo interim Innocentio VI. ſucceſſerat Urbanus V. anno MCCCLXII. die VI. Novembris conſecratus. Quo tempore Petrus Rex Cypri, partâ non unicâ de Turcis victoriâ valde illuſtris, ad recuperandam Palæſtinam auxilia petiturus, in Occidentem venit: quem comitatus eſt S. Petrus Thomas, geſtâ per Orientem Apoſtolicâ legatione, & Chriſti cultu amplificato, clarus: & mox à Pontifice ad Archiepiſcopatum Cretenſem promotus. Gerebatur eo tempore bellum valdè arduum inter Romanum Pontificem, & Vicecomites Mediolanenſes ob Bononienſis ditionis dominium. Ad pacem hanc conciliandam miſſus ab Urbano Papa eſt Petrus Thomas an. MCCCLXIII. qui eam anno ſequenti feliciter confecit, at regreſſus ad Pontificem, ex ſententia Cardinalium Patriarcha Conſtantinopolitanus eſt conſtitutus.

S. Petr. Thom. fit Patriarcha Conſtantin. & Legatus expeditionis Cruce ſignatorum.

593. Decreta jam erat expeditio Cruceſignatorum contra Turcas, aliosque impij Mahometis ſectatores. Tunc in locum Cardinalis Talayrandi mortui, ab Urbano V. anno Pontificatus II. Chriſti MCCCLXIV. S. Petrus Thomas conſtitutus eſt Generalis Legatus, pro paſſagio Terræ ſanctæ, & ſubſidio Petri Regis Cyprii, & aliorum transfretantium. Fuit ea legatio ampliſſima, ac plurimis privilegiis ornata. Extant binæ Litteræ Apoſtolicæ, quibus & S. Petrus creatur Legatus, & de ea inſtitutione certior redditur Rex Cypri. Verùm dum hæc expeditio adornatur, timor belli novi Genuenſes inter & Cyprios exortus eſt: cui avertendo ab eodē Urbano miſſus eſt an. MCCCLXV Pacificator S. Petrus Thomaſius, Litteris Apoſtolicis ſignatis anno III. Pontificatus X. Kalend. Martii. Pace feliciter compoſitâ ad ſacram expeditionem transfretavit, die III.* Octobris urbe Alexandrinâ interceptâ, à qua expeditione cum Rege in Cyprum reverſus S. Petrus, diem vitæ extremum habuit VI. Ian. an. ſequentis MCCCLXVI.

* Al. IV.

594. *Et haſtenùs quidem ex præfato Commentario prævio §. 2. ubi illa pleniùs traduntur. Deindè §. 3. agitur* de collatis S. Petro Thomaſio à Summis Pontificibus Epiſcopatibus variis, Archiepiſcopatu, Patriarchatu. *Ibi ſi illatim declaratur, quandò, & qualiter conſtitutus fuerit primùm anno Chriſti 1354. Epiſcopus Pattenſis in Sicilia, & Liparenſis in inſula Æolia, ſeu Vulcania, prope Siciliam (duo Epiſcopatus iſti tunc erant uniti, poſtea autem fuerunt diviſi, unicuique proprio aſsignato Epiſcopo) Anno 1359. inſtitutus fuis Coronenſis in Peloponneſo (an etiam Negropontenſis in Eubœa inſula, ibi diſcutitur) Deindè anno 1363. Archiepiſcopatu Cretenſi in Candia donatus eſt ab Vrbano V. Demùm ab eodem Vrbano V. promotus eſt ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum. Et iſta illo § 2. latiùs declarantur.*

Epiſcopatus varii antea illi collati.

595. *De pace illa Bononienſi mirabiliter per S. Petrum Thomam procurata, oculatus teſtis, & S. Petri Thomæ in iſto negotio ſocius Philippus Mazzerius Cancellarius Cypri, iſta refert cap. 12. vitæ ipſius S. Petri Thomæ (quem ex ſingulari devotione & veneratione identidem nuncupat:* Patrem meum, Patrem amantiſſimum) *Sic ergo Mazzerius ibi:* Ut autem ad Patrem meum dilectiſſimum, & opera ejus mirabilia in utilitate paſſagii ad honorem Dei & laudem ejus, revertar; accidit, quòd, Deo permittente, & Diabolo inſtigante, illis temporibus tantum flagitium guarræ, & effuſio ſanguinis inter Eccleſiam Romanam ex una parte, & Dominum Barnaboum de Vicecomitibus Mediolanenſibus ex altera, causâ civitatis Bononiæ, vigebat. *Ibi conſequenter ſcribitur, quòd, & qualiter Rex Franciæ, pro diſsidio illo tollendo, & pace procuranda,* duos Ambaſiatores ſolemnes, unum magnum Comitem, & unum Epiſcopum deſtinaverit Mediolanum ad Dominum Barnaboum: *& quomodo, re infectâ, & deſperatâ, Mediolano in Franciam receſſerint. Etiam inanes fuerunt aliorum Regum ac Principum preces ac minæ.*

Bononia pax mirabili ratione reddita.

596. *Sed ecce mirabilem in Barnaboo metamorphoſim, & animi commotionem per S. Petrum Thomam, quam ſic enarrat idem Cancellarius:* Nunc autem opera Dei in Patrem meum, & quomodò Deus ipſum magnificare voluit, quia humiliter in omnibus procedebat, manifeſtare cogor, & quæ vidi, narrabo, non detractoriè, ſed in laudem condignam Patris mei, & honorem Dei, qui depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humilem... Nam Ambaſitores Regis Franciæ inter ſe collatione factâ, de labore ſuo & concluſione deſperati, inanes & vacui, & de Domino Barnaboo malè contenti à Mediolano versùs Franciam receſſerunt. Sed Pater meus de Deo confiſus, cautelas Diaboli ſatis recognoſcens, & quòd magnum & arduum opus, ſpecialiter Dei, in pauco tempore adimpleri non poteſt, ſapienter conſiderans, ad orationes toto corde confugit, determinando nos in Mediolano aliquibus diebus iram Domini Barnaboi à Deo placaturam expectare. Sed ſubitò quale miraculum Deus oſtendere voluit, & oſtendit! Nam Deus per Regem Cypri præcurſorem ſuum Crucem exaltari diſponens, lacrymas & orationes Patris mei exaudivit, & cor Domini Barnaboi ſubitò convertit... Sed quis ſum ego, ut dicta, facta, admonitiones inauditas ipſius Patris mei ad Dominum Barnaboum commendare velim? Non certè dignus & fruſtrà laborarem. Quomodò in verbis ſuis monſtra placavit, quomodò honorem Eccleſiæ cuſtodiebat, potentiam ejus ſpiritualem demonſtrando, quomodò Ducem Barnaboum de guarra facta

pro qua fruſtra Reges & Principes laboraverant:

S. Petr. Thom. verbis ſuis monſtra placavit.

XXIX. JAN.

facta ſine metu, pericula oſtendens, corrigebat: quomodò in converſione ejus & pacis ipſum magnificabat, & multa promittendo exaltabat: quomodò bona pacis, mala guarræ, paſſagii in guarram & utilitatem ejus in pace, mirabiliter ſacram Scripturam multipliciter allegando, declarabat . . .

597. Finitis autem verbis Dominus Barnabous à Deo tactus, & Patre meo dulciter inſtructus, aliquantulùm cogitavit, & poſteà cum magno ſuſpirio dixit: Libenter vos audivi, & pacem omninò cum Eccleſia, ſubditus & fidelis deinceps tibi eſſe volo. Eatis ad Cardinalem ſtatim, & pacem tractetis, guarram meam, & pacem meam in manibus veſtris pono. Mira res, & ſtupenda, & quaſi hominibus incredibilis, Deo operante, & virtute Patris mei laborante! Nam qui antea dentibus in Eccleſiam fremebat, hæreditatem ejus deſtruebat, ſanguinem ejus bibebat, fidem Catholicam adnihilabat, errorem inter Chriſtianos ſeminabat, nec hominem reverebatur, nec Deum timebat, precibus Imperatoris, Regis Franciæ, Regis Ungariæ, Regis Apuliæ, & nonnullorum Magnatum & Comitum non acquieſcendo, & minas ipſorum parvi pendendo; ad vocem unius Patris mei factus eſt Eccleſiæ obediens, & de peccatis perpetratis pœnitens, tantùm Patre meo laborante, & Deo confirmante. Modò ad Cardinalem, modò ad Dominum Barnaboum revertebatur: indè ad Curiam Romanam, ad pacem confirmandam. Poſteà ad Bononiam venimus cum infinitis laboribus, expenſis, & periculis infinitis ad utilitatem Eccleſiæ. Remanente Bononiâ in manu Eccleſiæ, infra annum pax completa & confirmata fuit, quæ uſque ad diem præſentem adeò laudabiliter durat. *Et iſta aliquantò uberiùs hîc delibanda videbantur; eò quòd in utraque vitâ ſequente exigua de illis mentio ſit.*

Effecitque quod nequiverant Imperator, Reges, Comites.

§. 2. *Scriptores vitæ S. Petri Thomæ.*

Vita S. Petri Thomæ ſcriptores 4. illuſtres.

598. T*Anti ſplendoris in vitâ, & admirandis geſtis S. Petri Thomæ, memoria, ne æternâ ſepeliretur oblivione, ſingulari ſupremi Numinis diſpoſitione, hiſtoria vitæ ejus, & rerum præclarè geſtarum, cujus ſacro lumine poſſent plurimi virtutum amantes excitari, à quatuor illuſtris nominis viris exarata fuit: Et imprimis à teſte, ut plurimum oculato Philippo Mazzerio, ſeu Macerio, regni Cypri Cancellario viro docto, & in conſilio Philoſopho, & in bello milite ſtrenuo. Motivum ad vitam iſtam ſcribendam ſic innuit in Prologo:* Ne tantum lumen temporibus noſtris exortum, in iſtis partibus Orientalibus in regno Cypri ſub modio abſcondatur, ad excitationem devotionis fidelium Catholicorum, in laudem Dei, ejuſque Genitricis glorioſæ Virginis, & honorem ſanctæ Crucis, cujus myſterium idem glorioſus Patriarcha triumphanter prædicavit.

Primus Philippus Mazzerius Cancellarius Cypri.

599. *De iſto Cancellario plura videri poterunt in præfato P. Henſchenii Commentario prævio, ubi iſta, inter cetera:* Hic S. Petrum Apoſtolicæ Sedis in Oriente Legatum, in Cypro ſæpiùs vidit admirabilia edentem prodigia, illius accuratè contemplatus eſt ſanctitatem, cum Regis Referendarius adiit, & tantâ caritate complexus eſt, ut in Patrem ſpiritualem adoptârit, & viciſſim in filium ſingulari amore fuerit ab eo adoptatus. Hinc uterque Regem Cypri in Europam comitatus, ad expeditionem ſacram in Palæſtinam Pontificem & Principes Chriſtianos incitavit: uterque multis exantlatis laboribus pacem Bononienſem, Vicecomites inter & Romanum Pontificem, confecit: uterque belli ſubſidium à Venetis impetravit, & in claſſe adornanda pluſimùm laboravit: uterque in periculoſa expeditione & fortem animum habuit, & aliis infudit: uterque Alexandriam captam retineri poſſe ac debere contendit: uterque eâ relictâ maximum mœrorem ſenſit: nec mori alter, niſi altero præſente viſus eſt voluiſſe . . . Hic igitur vir talis, ac tantus, qui S. Petro Thomâ ſemper erat uſus familiariſſimè, omniaque illius arcana perſpecta habebat, res ab eo geſtas, quas vel ab ipſo didicerat, vel ipſe oculis ſuis conſpexerat, vel ab hominibus fide dignis acceperat, gravi, etſi (uti tum erant tempora) impolitâ, narratione complexus eſt. *Vitam illam ex manuſcriptis exemplaribus primùm ediderunt (ut jam ante dictum) præfati Patres, tomo 2. Januarii ad diem XXIX. (a) Animadvertendum, quòd Cancellarius ille ex reverentia, & veneratione ſanctitatis in S. Petro Thoma Patriarcha manifeſtè reſplendente, identidem eum nuncupet* Patrem meum, Patrem amantiſſimum, dilectiſſimum. *Et cap. 22. vitæ ejus, eum appellat:* Verè lucernam Orientalium Chriſtianorum, & Patrem omnium Chriſtianorum Orientalium. *Alia quædam ex eodem adferentur §. 3.*

Teſtis oculatus in pleriſque.

Vitam illam primi ediderunt PP. Bollandus, & Henſchenius

(a) à pag. 990. ad 1023. incluſ.

600. *Alius vitæ, & geſtorum S. Petri ſcriptor, ante trecentos annos, eſt Ven. P. F. Ioannes Carmeſſonius (Waddingo Lamerſon) Ordinis Minorum per Terram Sanctam Provincialis, eruditione præclarus prout refert Philippus Mazzerius in vita ipſius S. Petri Thomæ cap. 21. ubi eum nuncupat:* Magiſtrum ſolemniſſimum in ſacra pagina, Miniſtrum Fratrum Minorum Terræ ſanctæ, de Regno Aragoniæ . . . *Dictus P. Ioannes Carmeſſonius ejuſdem S. Petri Thomæ vitam ſcripſit duodecim comprehenſam capitibus: & eſt præfixus iſte titulus* Legenda glorioſi Patriarchæ Conſtantinopolitani *Fr. Petri Thomæ* Ordinis intemeratæ Virginis de Carmelo, Legati ſancti Paſſagii, completa per Fr. Joannem Carmeſſonium, in Aragonia Magiſtrum in ſacra pagina, ac Fratrum Minorum Terræ ſanctæ Miniſtrum. *Scripſit autem ea quæ partim vidit (ſicut conſtat ex cap. 12. undè habetur ipſum tanquàm conſultorem adfuiſſe præſentem examini, & approbationi miraculorum, quæ ibi ipſe refert: interfuit quoque quandò ſepulchrum ejus fuit apertum, & corpus integrum repertum) partim quæ audivit, ſeu ex ipſo* B. Petro Thoma, *ſeu à Philippo Mazzerio Cancellario, itinerum beati Legati frequentiſſimè comite: eaque vita per annos trecentos in tenebris delituit.*

Scriptor ſecundus vitæ S. Petri Th. Ioan. Carmeſſon.

XXIX. JAN.

601. *Reperta autem fuit ea vita per PP. Godefridum Henſchènium & Danielem Papebrochium apud PP. Caleſtinos Pariſiis, in vetuſto Codice MS. adverſariorum præfati Philippi Mazzerii, ſeu de Mazzeriis, eſtq; hoc ejus initium, ſeu inſcriptio* IHS. iſte liber eſt D. Philippi de Mazzeriis Cancellarii Regni Cypri. *Hinc veriſimillimum eſt, vitam hanc ſcriptam fuiſſe in Cypro, eamq; donò miſſam ad D. Mazzerium, poſtquàm in Europam rediiſſet, qui illam in ſuis adverſariis curavit regiſtrari. Porrò eumdem Mazzerium ſcribentem S. Petri Thomæ vitam non vidiſſe vitam illam conſcriptam à Carmeſſonio, nec Carmeſſonium ſcriviſſe de vita ſcripta per Mazzerium ſatis colligitur, quòd neuter alterius, (quamvis inter ſe amiciſſimi eſſent) meminerit quoad ſcriptionem vitæ* S. Petri Thomæ; *ſed tamen quoad alia alter de altero honorificè ſcribit. Et hanc vitam ante annos aliquot à præfatis Patribus dono acceptam, & tunc à nobis editam, huic operi inſerendam cenſuimus.*

Ubi ea vita annis 300. latuerit: per quos reperta.

602. *P. Arnoldus Boſtius auctor celebratus à multis ab hinc annis ferè ducentis (anno 1479.) vitam S. Petri in compendium redactam inſeruit eleganti libro de Patronatu B. Virginis, cap. XII. per totum. Liber ille primùm in lucem editus eſt in Speculi hujus tomo præcedenti* (a). *Idem auctor ſcripſit librum de viris illuſtribus Ordinis Carmelitani, ubi etiam brevi compendio præcipua quædam S. Petri Thomæ decora, & ſcripta complexus eſt. In alio autem opere, cui titulus eſt:* Speculum hiſtoriale, *vitam S. Petri Thomæ valdè luculenter ſcriptam, & in XXI. capita diſtributam, habet libro* 8. *quorum titulos dedimus in Tomo præcedenti* (b). *Eſt autem illa vita quoad ſubſtantiam eadem ſicut ſcripſit præfatus Philippus Mazzerius, additis etiam aliundè nonnullis.*

Scriptor tertius Arnoldus Boſtius:

(a) à pag 375. ad 431.

(b) N. 1156.

603. *Quartus denique vitæ & geſtorum S. Petri ſcriptor, & promulgator eſt P. Lucas Waddingus Ordinis Minorum Chronographus percelebris. Quâ occaſione ipſe permotus fuerit ad editionem vitæ iſtius, ipſe pandit in præfatione: & eventum notatu digniſſimum, ac veritatem latentem, meritis S. Petri Thomæ mirabiliter patefactam, ex teſtibus qui interfuerunt, pleniùs retulimus in Vinea Carmeli* (c). *Et eandem hiſtoriam Ven. P. Ioannes Baptiſta de Lezana teſtis quoque eorum quæ vidit, Tomo 4. Annalium Carmelitarum commemorat* (d).

Scriptor tertius Lucas Waddingus.

(c) Pag. 754. & 755. num. 1294.

(d) ad ann. 1354. nu 6.

604. *In iiſdem Annalibus vita S. Petri Thomæ diſtributa juxta annos, quibus præcipua ejus geſta contigerunt, inſerta eſt. Vita ejuſdem S. Petri Thomæ aliquantò contractior extat quoque in Menologio Carmelitarum per Petrum Thomam Saracenum. Et in libro, cui titulus:* Decor Carmeli Religioſi, *per R. P. Philippum à SS. Trinitate Generalem Carmelitarum Diſcalceatorum. Epitomem vitæ illius habent Ioannes Groſſi in Viridario, Ioannes Hildesheimenſis in Defenſorio, & Ioannes Paleonydorus in Faſciculo Tripartito, inſertis Tomo præcedenti* (e). *Aliorum autem gravium & illuſtrium Auctorum teſtimonia, ſeu elogia de multis aliqua hìc conſequenter attexuntur.*

Scriptores alij plures de S. Petro Thoma.

(e) N. 606. & 661. ac 1097.

§. 3. *Teſtimonia, & Elogia aliorum illuſtrium ex multis aliqua de S. Petro Thoma.*

605. INnocentius VI. Summus Pontifex *in litteris ad Stephanum Regem Raſsiæ, ſic nuncupat S. Petrum Thomam:* [Venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Pactenſem, Magiſtrum in Sacra pagina, virum utique religioſum, vitâ, moribus, & converſatione laudabilem, & plenum timore Domini.] *Et in litteris ad Urſum Archiepiſcopum Cretenſem:* [Scientiâ clarum, opere & ſermone potentem, & in magnis, & arduis, & præſertim in illis partibus comprobatum.] Urbanus V. Summus Pontifex *in Bulla ad ipſum S. Petrum Thomam.* [Venerabili Fratri, Petro, Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c. Ad te, virum utique ſecundùm cor noſtrum, honeſtate conſpicuum, religione probatum, ac præclarum ſcientiâ, humilitate ſublimem, manſuetudine generoſum, multâ providentiâ circumſpectum, & in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodùm eruditum.... noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes.] *Iidem Pontifices etiam in aliis Bullis, & Apoſtolicis litteris ipſum S. Petrum Thomam ſimilibus encomiis celebrant.*

De S. Petro Th. Innocentius VI. & Urb. V. Summi Pontifices.

606. Philippus Mazzerius Regni Cypri Cancellarius *in vita ipſius S. Petri Thomæ, in principio:* [Ab ortu Solis uſque ad occaſum laudabile nomen Domini: quia mirabilis Dèus in Sanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Noviſſimo verò mundo adveſperante & in maligno poſito, mirabilis & verè benignus ipſe Dominus Deus in Fratre Petro Thomæ Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli, Reverendiſſimo Patriarcha Conſtantinopolitano, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato pro ſancto paſſagio: per quem Deus voluit illuminare Eccleſiam ſuam militantem, maximè Orientalem, in virtute luminis intemeratæ fidei Catholicæ, & exaltatione ſanctæ Crucis] *Et in Epilogo:* [Magnus & laudabilis Præſul & maximus Patriarcha à nobis receſſit. Nonnè hic erat Pater omnium Chriſtianorum Orientalium, qui in infinito numero generavit ſibi filios in Euangelio Dei & miniſterio ſanctæ Crucis.] *Ibi conſequenter eum nuncupat & nuncupandum oſtendit* Prophetam, Apoſtolum, Martyrem, voluntate & facto, Confeſſorem, Doctorem.

Philipp. Mazzerius Cancellarius Cypri.

607. Joannes Molanus *in additionibus ad Martyrologium Uſuardi die ſexta Ianuarij:* Apud Famaguſtam, Civitatem Cypri, *B. Petri Thomaſij* Patriarchæ Conſtantinopolitani, Doctoris percelebris &c. *Vide plura ex eodem hìc ſuprà ad diem VI. Ianuarij.*

Ioannes Molanus, & alij plures.

Petrus Galeſinius *in notationibus ad Martyrologium Romanum die ſextà Ianuarij:* In Cypro Inſula *B. Petri Thomaſij*, Famaguſtæ Epiſcopi, cujus res ſanctè geſtas, ac vitam religiosè actam, litteris conſignavit Philippus Mazzerius Regis Cypri Cancellarius. Phi-

XXIX. JAN. Philippus Ferrarius *in Catalogo Sanctorum eodem die*; Famaguſtæ in Cypro B. *Petri Thomaſii* Epiſcopi Conſtantinopolitani, Ordinis Carmelitarum. Octavius Cajetanus *in Ideâ operis de vitis Sanctorum Siculorum*: Ex Ordine Carmelitarum *Petrus* Patriarcha Conſtantinopolitanus Famaguſtæ, in Inſula Cypro. Stephanus Luſignanus Cyprius *in Libro Coronarum Corona V. Petrus Thomas* Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte-Carmelo Patriarcha Conſtantinopol. vir Sanctiſſ. vitæ, obiit Martyr, ſepultus eſt Famaguſtæ, & ab omnibus reputatur Beatus. Guilielmus Eyſengrenius *in Catalogo teſtium veritatis ad annum M. CCCXLVIII. S. Petrus Thomas*, Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis de Monte Carmeli, primùm Epiſcopus pactenſis, deindè Cretenſis Archimyſta, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſacræ paginæ Doctor, vir utique religioſus, innocentis vitæ, & bonus Paſtor, Philoſophus, & Orator celebris, Theologus profundus, non minùs doctrinâ, quàm vitæ Sanctitate Pontifex clarus. Quatuor libros ſententiarum Lombardi expoſuit: Sermones quoque in ſolemnibus habitos ſcripſit. In Cypro ſepelitur.

608. Wernerus Rolevinck *Carthuſianus in faſciculo temporum ſub Innocentio VI.* Alexandria, Egypti Civitas opulentiſſima, à Petro Jeruſalem Cypriquе Rege capitur, B. Petro Thomæ, Ordinis Carmeli, Patriarcha, Conſtantinopolitano, ac Sedis Apoſtolicæ pro S. Paſſagio Legato multùm cooperante. *Infrà ſub Vrbano V.* Sanctus Petrus Thomas, ex Carmelita pactenſis Epiſcopus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Doctor percelebris, ſummique Regis ſignifer bellicoſus: poſt innumeras quas habuit, nedùm cum Spiritualibus, ſed & corporalibus Crucis inimicis victorias poſtque plures conſcriptos libros, ac patrata miracula, in Famaguſta, Regni Cypri civitate corpus exuit in feſto Epiphaniæ.

609. Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Petrus Thomas*, Ordinis Fratrum beatæ Mariæ ſemper Virginis de Monte Carmeli, primùm Epiſcopus Pactenſis, deindè Cretenſis Archiepiſcopus, noviſſimè verò Patriarcha Conſtantinopolitanus vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, vitâ, & converſatione ſanctiſſimus; quippè qui vivus & mortuus, ſignis & miraculis multis legitur coruſcaſſe, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripſit quædam præclara volumina. *ibi conſequenter refert libros quos ſcripſit. Ferè eadem habet libro de viris Illuſtribus Ordinis Carmelit.*

610. *Iacobus Philippus Bergomenſis libro 13. ſupplementi Chronicorum ad annum MCC.* Ordo Carmelitarum protulit &c. atque *Petrum Thomam* Conſtantinopolitanum Patriarcham, præclariſſimum Doctorem, qui cùm ſpiritualibus, ac temporalibus, inimicis pro fide CHRISTI multos pertulit conflictus, ac demùm poſt multorum librorum editionem, miraculis clarus, apud Cyprum inſulam in pace quievit. Sylveſter Marulus *in Mari Oceano Religionum, titulo de Ordine Carmelitarum.* Claruit etiam *Fr. Petrus Thomas* ex Vaſconiâ, qui ob magnam ergà beatiſſimam Virginem devotionem, ab illâ recepit multas revelationes, inter quas hæc illi dixit. *Vſque in finem mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit*; nam Elias illius Inſtitutor, à filio meo apparente in transfiguratione, hæc eadem poſtulavit, & impetravit. *Deindè brevi compendio vitam illius complectitur.*

611. Aubertus Miræus *libro de Origine & Incrementis Ordinis Carmelitani cap. 6.* S. *Petrus Thomas*, ſive Thomaſius, ex Monacho Carmelita primùm Pactenſis Epiſcopus, poſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus, Doctor percelebris. *Et poſt alia ejus decora.* Eidem ferventiùs aliquandò pro ſui Ordinis conſervatione & augmento oranti, Deipara Virgo apparuit, inquiens: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem uſque ſæculi eſt perſeveratura*: Elias namque ejus Inſtitutor jam olim etiam à filio meo in illius transfiguratione idem petiit, & impetravit. Scripta ab eo edita Trithemius, Poſſevinus, & alii commemorant.

612 Theophilus Raynaudus *libro 7. operum ſuorum, qui inſcribitur* Marialia *ſub titulo*: Antiſtites Carmelitani, viri verbo & doctrinâ Apoſtolici. (a) *Vbi (inter cætera), iſta*: Antiſtites ex Ordine Carmelitano, ſuppetunt plurimi, & quidem ejuſmodi, ut ſe lychnos Eccleſiæ (quo nomine Epiſcopos honeſtat Gregorius Nazianzenus) verbo & exemplo comprobarint. Fidejuſſorem habeo Petrum Thomaſium Vaſconem, ex Carmelitâ Pariſienſem Doctorem & Theologiæ in aula Pontificia Magiſtrum, juſſu Clementis VI. Pacenſem * Epiſcopum, poſteà Apoſtolicum Legatum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum ritus Latini: ergà B. Virginem, ut Carmelitanæ Religionis alumnum decebat, ſtudio fuit planè ſingulari. (a) Lib. de *Scap. Mariano* cap. 4. § 4. p. 263. * Lege *Pactenſem.*

§. 4. *Cultus S. Petri Thomæ; & an Martyr, an Confeſſor dicendus.*

613. T*Anta per orbem mox ab obitu S. Petri Thomæ fuit exiſtimatio de ejus ſanctitate, ut in ipsâ Oratione funebri identidem* Sanctus *nuncuparetur, ſicut mox audiemus*: *& trimeſtri poſt obitum, propter* miracula manifeſtiſſima, *& plura, convocato concilio Doctorum, Canonicorum, & aliorum virorum illuſtrium facta fuerunt juridica ſolemnes informationes de iſtis miraculis, quæ etiam ſolemniter & authenticè approbata fuerunt, ſicut videre licet in vitâ ſcripta per Ioannem Carmeſſonium, teſtem oculatum, qui etiam Doctor cum aliis iſti Concilio interfuit. Novem annis poſt (anno M. CCC. LXXV) in Capitulo Generali celebrato Podii, decretum fuit*, taxandas Provincias Ordinis pro canoniza- *Petri Thomæ ſanctitas divulgata per urbem mox ab obitu.*

 tione

XXIX. JAN.

tione SANCTI LEGATI. *Ita Lezana in Annalibus Ordinis* (a) *addit* : Vocatur autem S. LEGATUS Beatus Petrus Thomas . . . meritiſſimè per antonomaſiam S. LEGATUS dicitur, *conformiter dictis* §. *primo ſub initium. Hic ad propoſitum ſunt ea, quæ Mazzerius in vitâ ipſius cap.* 21. *refert* (b) Corpuſculo autem beati Legati in medio chori collocato, *&c. teſtatur quòd* ſuprà corpus ejus ſplendor quidam cœleſtis apparuerit: & quòd in Eccleſiâ per ſex dies inhumatus exiſtens, omnibus membris ejus, ut ſuprà, ductilibus, & factus eſt continuus diſcurſus de nocte & die ipſum venerantium, ſicut Sanctum. Et ex tunc cœpit coruſcare miraculis. Cupiebant autem omnes habere de ſuis reliquiis, & ubi non poterant habere, per corpus & membra ejus circumducebant bombacem & devotione maximâ ſervabant. Qui poſteà de diverſis infirmitatibus pluribus contulit ſanitatem, mirificante Deo Sanctum ſuum, qui ejus beneficia poſtulabant. *Inter ea fuit teſtatiſſimum miraculū in Ven. P. Ioanne de Faventia Ordinis Minorum Guardiano Conventûs Paphi, magnæ pietatis viro, & pro Sancto habito, qui, cùm S. Petri corpus in Eccleſiâ poſitum eſſet, ante ſepulturam, tactu manûs ſacri corporis, ſubitò à gravi infirmitate curatus fuit, ſicut teſtatur Ioannes Camerſon in vitâ Sancti hic infrà cap.* 12. (*ubi plura alia, ſolemniter approbata, referuntur.*) *& habetur in appendice ad Vitam per Philippum Mazzerium ſcriptam: & in vitâ per Waddingum, ſub finem: ubi etiam refertur aliud ſimile quod contigit die ſepulturæ.*

(a) Ad an 1355. n. 4.

(b) Bolland To 2 Ian. ad diem 29.

& multis miraculis coruſcat:

614. Aliud quoque ſignum ejus ſanctitatis non tacendum adveniat. Nam prædicando pro funere, prout moris eſt, per Dominum Archiepiſcopum Nicoſienſem Fratri Joanni Carmeſſoni, Magiſtro ſolemniſſimo in ſacra pagina, Miniſtro Fratrum Minorum Terræ Sanctæ, de regno Aragoniæ, in ſerò officium prælibatum præcedente commiſſum fuit. Qui Miniſter quamvis modicum tempus haberet, veriſimiliter meritis Legati, à Spiritu Sancto plenè edoctus, mirabilem ſermonem fecit, in ſtuporem omnium audientium, ſanctitatem ipſius Patriarchæ ac Legati Apoſtolici multis ac veriſſimis argumentis & demonſtrationibus clariſſimis monſtrando, contra morem Eccleſiæ, victus in ſermone, ipſum SANCTUM continuè nominando. Nemo enim in Eccleſiâ Romanâ, & Catholicâ SANCTUS prædicatur, niſi ab ipsâ Eccleſiâ canonizatus ſit. SANCTUS autem aliquis piè reputari poteſt ante canonizationem, ſed non prædicari. Officio verò completo, in præſentiâ Archiepiſcopi, ac omnium adſtantium, dictus Magiſter Joannes Miniſter examinando interrogatus fuit, me præſente, quare Dominum Legatum in ſermone ſuo ita publicè SANCTUM nominaverat? cum Sacramento, reverentiâ ac devotione reſpondit, quòd coactus hoc fecerat, & prout credebat, à Spiritu Sancto, ac meritis ejuſdem Legati abſtinere ſe non poterat, quin ipſum SANCTUM nominaret. Et veraciter confitebatur, quòd in ſtudio ſermonis propoſuerat ipſum SANCTUM non appellare. Nunc autem piè credebat ipſum SANCTUM eſſe. Et ſic mirabilis Deus in Sanctis ſuis, vivificæ Crucis ac fidei prædicatoris ſui ſanctitatem multis argumentis Eccleſiæ Orientali oſtendere voluit, ut exemplo tanti luminis Catholici in Domino exultarent, ſchiſmatici ad matrem propriam reverterentur, infideles ad fidem invitarentur: *Quòd paſſim* Beatus, *& quaſi antonomaſticè* Sanctus Legatus *dictus fuerit ſtatim ab obitu, habetur ex jam dictis. Plura de ejus veneratione, & miraculis ad ejus invocationem ſtatim ab ejus obitu patratis, nec non de corporis incorruptione referentur hîc infrà.*

Identidem nuncupatus Sanctus in oratione funebri,

Idque Spiritus ſancti inſtinctu.

615. *In Miſſali Carmelitano impreſſo anno* 1509. *habetur ad diem* VII. *Ianuarii*, Sancti Petri Thomæ Epiſcopi & Confeſſoris. *Ita quoque in Miſſali excuſo anno* 1551. *In Breviario Venetiis impreſſo anno Chriſti* 1573. *Officium proprium habetur folio* 292. *ſub iſto titulo*: Sancti Petri Thomæ Epiſcopi, & Martyris, Ordinis Carmelitarum, *in Kalendario apponitur*: Duplex, *& ponuntur ſex lectiones propriæ, cùm Evangelio*, Videte, vigilate, *& hâc Oratione, ſeu Collecta*: Sancti Petri Thomæ Martyris tui atque Pontificis, quæſumus Domine Jeſu Chriſte, meritis & interceſſione placatus, veniam delictorum nobis tribue, & ab omni peſtilentiæ morbo nos liberos eſſe concede. Per Dominum noſtrum, &c. *In Miſſalibus, & Breviariis poſterioribus, in Officio à Sacrâ Congregatione Rituum, ſub Paulo V. anno* 1628. *recognoſcente, & ſubſcribente Cardinale Bellarmino, & ſub Vrbano VIII. anno* 1628. *recognoſcente, & ſubſcribente Cardinali de Torres, ad diem* XXIX. *Ianuarii, iſto præfixo titulo*: S. Petri Thomæ Epiſcopi, & Martyris, Ordinis noſtri. Duplex minùs, *Oratio eadem ferè legitur: lectiones autem ſex reductæ ſunt ad tres, cùm eodem Evangelio.*

Miſſalibus, Breviariis & Catalogis antiquis Sanctorum inſertus S. Petrus Thomas.

Et de eo celebratum officium ſub ritu duplici.

Colitur nunc ut Martyr,

616. Ex quo etiam notandum, quòd quamvis in antiquioribus ejuſdem Beati Officiis titulus Martyris ipſi conceſſus non fuerit, in iis tamen poſterioribus jam tribus vicibus à Sacrâ Rituum Congregatione illi eſt conceſſus. Ita ut immeritò de hoc pij dubitare poſſint. *Ita Lezana Tomo* 4. *Annalium* (a). *Vbi etiam annotatur, quòd antequàm à vulneribus in obſidione, & captione Alexandriæ acceptis, ſanus eſſet, mortis infirmitas ipſum arripuit. Hoc enim denotare videtur prædictorum vulnerum occaſione infirmitatem lethalem incurriſſe. Etſi autem Philippus Mazzerius præcipuus auctor ejus vitæ hoc expreſſe non dixerit; ſatis tamen colligi poteſt ex iis quæ ſcribit cap.* 16. *videlicet.* Bello adveniente, & ſagittis pluentibus timuit ire? Certè non. *Et infra*: A ſagittis infinitè volantibus cooperire ſe cùm clypeo, me pluries admonente, nolebat. *Inferiùs*: Navigia noſtra ſagittis cooperuerunt. Tanta enim multitudo ſagittarum ſuper Chriſtianos tunc cadebat, ſicut pluvia ſuper terram. *Quid mirum igitur, quòd ab aliquibus ipſarum vulnus acceperit? Hinc cap.* 22. *dicit*: In conflictu igitur, & captione

(a) Ad an. 1366. n. 8.

Quia vulneratus inſidelium telis, & nondum ſanus, obiit,

ptione

XXIX. JAN.

ptione civitatis Alexandriæ vulneratus inimicorum telis, obiit. *Annotat Lezana loco jam dicto:* Ex Baronio, & Gordono, ac etiam ex uſu Eccleſiæ nomen Martyris non ſolùm iis, qui pro Chriſto violentâ morte occubuerunt, ſed iis quoque, qui fidei confeſſionis ergò cruciamenta aliquot ſubiiſſent.

617. *Conformiter loquitur ipſe Cardinalis Baronius in Annalibus (a) ſcribens de S. Eleutherio.* Eleutherius Papa, *inquit*, cùm ſediſſet annos quindecim, & dies viginti tres, ex hâc vitâ ſublatus eſt. Poſtea ſubjungit: Sed an gladio, nobis incompertum eſt: niſi quòd antiquis omnibus Martyrologiis Martyr reperitur adſcriptus; cùm tamen certum ſit (ut in noſtris notationibus pluribus demonſtravimus) Martyris nomen tribui conſueviſſe, non iis tantùm, qui violentâ morte Chriſti causâ mori quoquo modo coacti eſſent, ſed & commune fuiſſe illis etiam, qui fidei confeſſionis causâ cruciamentum aliquod ſubiiſſent, licèt Martyrium minimè conſummaſſent. *S. Felix Presbyter Nolanus paſſus pro Chriſti fide cruciatus, non tamen iis immortuus, ſed & incolumis plures annos ſuperſtes vixit, à S. Paulino & aliis* Martyr *appellatur, & ſub ritu* Martyris *colitur in Breviario Romano: alij autem plurimi* Confeſſorem *ſtatuunt, & ut talis commemoratur in Breviario Carmelitano, juxta uſum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.*

(a) Ad an. 194 n. 1.

Martyris nomen ex uſu Eccleſiæ attributum variis, qui pro fide cruciamentum aliquod ſubiiſſent:

Varia hujus rei exempla.

618. *Exempla hujus rei alia quàm plurima ſuppetunt. Molanus ad diem 17. Novembris, agens de S. Gregorio Thaumaturgo, hæc habet:* Apud Neocæſaream Ponti Natalis S. Gregorij Epiſcopi & Confeſſoris: *ad marginem ponit,* aliàs Martyris. *Et infrà in Annotat.* Uſuardus eum Martyrem nominat, Rufinum ſecutus: *ſed nec novum eſt, nec ſingulare, eum Martyrem nuncupare, qui in fidei confeſſione multa paſſus eſt. Et ad diem 12. Aprilis de S. Zenone. Honorari eum ut Confeſſorem conſtat ex Romano Martyrologio, & Officio Mediolanenſis Eccleſiæ die 8. Decembris & aliunde. Et paucis interjectis, Gregorius interim 3. Dialog. cap. 19. hunc eum Martyrem nominare maluit quàm Confeſſorem; eò quod inter procellas perſecutionum multa viriliter pertulerit, quâ eâdem de cauſa Iuvenalem quoque Martyrem nominat.*

619. *Ex hactenus dictis concludendum videtur, quòd ſicut præfati SS. Eleutherius, Gregorius Thaumaturgus, Zeno, &c. quandoque* Confeſſores, *& aliquandò* Martyres *dicti ſunt: ita quoque S. Petrus Thomas dici & coli poſſit ut* Martyr: *quod etiam coli poſſit ut* Confeſſor. *Et quidem ut Martyr; quia pro fide* vulneratus inimicorum telis obiit, *ſicut loquitur præfatus Mazzerius, præcipuus vitæ ejus ſcriptor cap. 22. & addit:* Martyr igitur voluntate, & facto fuit. *Conformiter Ioannes Carmeſſonius cap. 9. ſub finem indubitanter tenet, eum* aureolâ laureatum Martyrij *cum Clemente. Ita quoque Ioannes Hildesheimenſis & Balduinus Leerſius in libris Tomo præcedenti inſertis (a) atque alij plures eum* Martyrem glorioſum *nuncupant. Confeſſor autem vocari poteſt, quia etſi fuerit* infidelium telis vulneratus, ante Alexandriam: *non tamen ibi obiit, ſed ſupervixit tribus menſibus, & duobus diebus, videlicet à die iv. Octobris anni M. CCC. LXV. quo (conflictus ille contigit) uſque ad VI. Ianuarij anni M. CCC. LXVI. (quo tandem deceſſit); tùm ante in Nativitate Domini tres Miſſas cantaſſet, & etiam poſteà nudis pedibus ad Eccleſiam iviſſet, & rediviſſet. Alia ad idem propoſitum vide ſuprà ad diem XIX. Ianuarij de S. Dionyſio Papa (a).*

(a) n. 661, 665, & 1305.

Etiam vocari poteſt Confeſſor.

(a) In Prolegom. §. 3. n. 415, & 416.

VITA

Scripta per Ioannem Carmeſſonium, Ordinis FF. Minorum, Magiſtrum in Sacra Pagina, Terræ Sanctæ Miniſtrum: circa Annum Chriſti M. CCC. LXX.

PROLOGVS.

620. ARtifex Mirabilis omnium ſalvandorum, Verbum Dei Patris reſidens in excelſis, per quod Deus Pater cum Flamine omnia à ſe creans mirabiliter, & gubernans, qui hominem à principio ad ſui imaginem ideò condidit, ut ſit ſuæ receptaculum bonitatis; ſicut figulus de lutosâ materiâ formans vaſa, aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam, reducens finaliter ad ſuum principium in melius electorum: diebus iſtis noviſſimis Fratrem *Petrum Thomæ*, Ordinis Intemeratæ Virginis de Carmelo, tanquàm vas electionis Mirabile mundo dedit; quem ſui candoris gratiâ, tot, & tantis benedictionis radiis illuſtravit, quæ ſicut ex vitæ ipſius termino luculenter apparet, non ſolùm de mundalibus tenebris religiosè produxit in lucem; ſed & multis effecit prærogativis, & meritis celebrem: nec non & ipſum Sanctæ Crucis Chriſti & Eccleſiæ pietatis Myſteriis inſignitum, demonſtravit illuſtrem. Si enim Paulum Apoſtolum, quia nomen Domini coram gentibus, & Regibus prædicavit, Multiplex meritorum prærogativa commendat; quantum debet Reverendiſſimus iſte Patriarcha commendari, qui tot Reges, gentes, & populos prædicando nomen Domini JESU ad devotionem Crucis, & Eccleſiæ reverentiam excitavit; ipſe etenim tanquàm alter Elias zelo ſuccinctus fidei, ut Præcurſor trophæi domi nici veniens in ſpiritu, & virtute, convertit multorum corda Patrum, in filios, ut pararet Domino plebem perfectam. Et ne tanti Legati virtutes, labores, & merita ſilentio abſcondantur, ad exercitationem fidelium, & ædificationem audientium devotorum, aliqua vitæ ejus exemplaria non abſconſa ſub modio; ſed ſuper Candelabrum radiantia deſcribuntur, ut luceant omnibus qui in domo ſunt, & indè Pater glorificetur qui in cælis eſt. Quæ hoc ordine ſubnectuntur.

A Deo mirè electus.

Apoſtolo configuratus.

Patri ſuo Eliæ aſſimulatur.

621. Par-

XXIX. Jan.

621. Primum Capitulum de ejus converſatione in habitu ſeculari.

Secundum de ejus devotione in ordine regulari.

Tertium de diligentiâ ſtudij litterarum & diſcurſu prædicationis.

Quartum de intelligentiâ Scripturarum & & exceſſu contemplationis.

Quintum de miraculoſâ promotione ad faſtigium Prælaturæ.

Sextum de mirâ compaſſione in excidio creaturæ.

Septimum de amoris incendio in conſideratione proximorum.

Octavum de laboris exercitio in impugnatione Paganorum.

Nonum de Sancto Paſſagio pro Crucis exaltatione.

Decimum de ſolerti vigilantiâ in errantium converſione.

Undecimum de Mortis certamine, & ædificatione populorum.

Duodecimum de morborum juvamine, & operatione miraculorum.

ANNOT. *Lector adverte hos eoſdem titulos, aliis verbis clariùs materiam explicantibus tradi.*

CAP. I.

S. Petri Nativitas, Morum inſtitutio, & Doctrina.

622. Vas igitur admirabile, opus excelſi Artificis, Frater *Petrus Thomæ* Reverendiſſimus Patriarcha, de (a) Petragoricenſi Provinciâ, villa quæ dicitur de Balſinaſo de Thomas, diœceſis (b) Sarlatenſis oriundus fuit, de parentibus, ſecundùm ſæculi dignitatem quamvis minoribus, tamen juſtis, trahens originem: pater ejus paſtor animalium fuit, & etiam agricultor vellicans ſicomoros: qui cùm hoc vaſculum Deo carū, in ſuo floſculo juventutis feliciter genuiſſet, ipſum ab infantiâ timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato, cui dum poſt annos pueriles domi ſimpliciter tranſactos, fallax gloria mundi placentia quæq; ſuggereret, nequaquā his concupiſcentiæ fræna laxavit, ſed jā ſoli Deo ſervire diſponēs evidentiùs id proceſſu tēporis opere declaravit. In ætate ſiquidem tenera cor gerens ſenile, nulli animū voluptati dedit, quinimò allectus venuſtate Rachelis. Liam terrenarum cupidinum parvi pendens cum lippitudine oculorum, cor ſuum propoſuit transferre ad ſapientiam, pro quâ non ſolùm patrem matremque reliquit, verùm etiam omnia quæ habere potuit univerſâ contempſit, terram namq; propriam derelinquens ad locum de (c) Monperier ſe contulit, ut ibidem litterarum ſtudiis occupatus liberiùs ſapientiæ amplexibus mereretur perfrui.

(a) Aquitania S. Petri Patria.
(b) Pius ex pauperibus natus parentibus.
Spernit mundi illecebras.
(c) Orditur Studia Mompatarii.

623. In quo quidem loco licèt penurioſam & pauperem vitam duxerit temporaliter, frugum tamen ſcientiæ incrementa ſic hauſit, ut paucis admodùm lapſis temporibus vaſculum ſui pectoris tantùm litterarum notitiâ impleretur, quòd nutritor, & doctor puerorum effectus, quod liquore ſcientiæ avidè ante jam hauſerat, poſteà effudit abundè: & quamvis in dicto loco plurima paſſus fuit diſpendia egeſtatis, ut de eleēmoſynis gentium viveret, guſtibus tamen ſcientiæ refectus, neque penuria, neque verecundia vel contemptus, ipſum ab amplexu ſapientiæ avertere potuerunt; quin potius ſemper de bono in melius procedendo ſuper coætaneos ſuos proficere cerneretur.

Pauper ſtudioſus.
Pueros docet.

624. Tribus fermè annis viriliter in eodem loco de Monperier conſummatis, in (d) Agennenſem civitatem Provinciæ Aquitanicæ remeavit; ubi tantâ aviditate, tantâque intentione ſapientiæ lumen hauſit, quòd infrà paucum tempus in Grammatica, Dialectica, & Logica perfectè inſtructus, plurium ſtudentium in iiſdem facultatibus doctor eſſet, & uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum legeret eas artes; mundus ab illis criminibus, quibus tale hominum genus implicari ſolet; nec enim aliter debuit vivere niſi mundè, qui munditiam diligens ſortitus eſt animam bonam, ut ſapientiam tanquā ſponſam aſſumeret, & amator factus formæ illius, quæ propter ſui munditiam attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, & ſe transfert in animas ſanctas, & amicos Dei, & Prophetas conſtituit; ut non ſolùm videretur quicquid erat in eo cordis, & corporis, verùm etiam quidquid erat operis & corporis, ejus ſtudio dedicaſſe; tam etenim inhianter affectabat ſcientiam, ut laborem non deputans in ſtudio, inſomnes duceret plures noctes; quàm gratanter etiam in Agenno toleravit paupertatem, noverunt illi qui tunc temporis cum illo fuerunt: propoſuit etiam multoties, à vino abſtrahere carnem ſuam, ut animam ſuam transferret ad ſapientiam, & per ipſam alias virtutes acquireret, quibus poſſet attingere ad conceptam ſui animi bonitatem.

(d) Inde Agennum profectus.
Doctus in Logica.
Mundus in vita, ſapientiam ſibi deſponſat.

625. Taliter quidem in Agenno ſe habuit, quæ mutatio ſui facta de montis Pezanij ſtudio levitati imputari non potuit; ſed potius rationi, & quia Deus ipſum tantâ perfuderat gratiâ, neceſſe, fuit ut ab omnibus amaretur, propter quod Prior (e) *Latore* Ordinis Beatæ Virginis de Carmelo videns ejus prudentiam, mirabilem eloquentiam, litterarum ſufficientiam & totius corporis honeſtatem, cupienſque fratres juvenes ſui conventûs moribus, & ſcientiâ facere informari, dictum *Petrum Thomæ*, qui perfectè ſcientiam artium jam noverat edocere, ad conventum ſuum *Latoræ* nonnullis Patribus intervenientibus ſecum duxit, ut ibi fratribus de Carmelo Grammaticam & Logicam legeret, ac fruges bonorum operum quas alibi collegerat, ſeminaret; ibidemque in tantâ opinionis fragrantiâ demoratus per unum annum integrum docuit, quod omnes ejus bonitatem ac ſufficientiam mirarentur.

Gratia divina præditus.
Charus omnibus.
(e) A Priore Carmelitarum FF. ſtudiis præficitur.

626. Talia fuerunt ſuæ juventutis initia, talis

XXIX. JAN.

talis primitiæ ſpiritus, talia primordia ſanctitatis.

ANNOT. (a) Petragoricenſi, *aliis* Petrocorii comitatus, *in Ducatis Aquitaniæ in Pago de Salino, vel Salamoſa natus eſt* S. Petrus 1305.

(b) Sarlatenſis. *Sarlatum adjacet rivo, qui Dordoniæ ad Dumam Oppidum miſcetur. Sarlatenſi in Eccleſia, feſtum illius ſolemniter colitur, tanquam inter alios ſanctos Patronos.*

(c) Momperier, *Waddingo Montis Penberii Caſtrum. Henſchenio Mompezerium, oppidum ſitum eſt ad fontem fluvii Drota verſus Agennum.*

(d) Agennum *urbs inter Toloſam, & Burdigalam, ab aliis vocata Aginum.*

(e) Latore *vel* Lectora *apud Mazzerium* Lectoria, *circà quàm vocem annotat P. Henſchenius ad eandem vitam S. Petri. Deſcriptam à dicto Philippo Mazzerio vulgò nominari* Letour; *& ſitam eſſe infrà Auſciorum Metropolim.*

CAP. II.

Pia Religioſæ vitæ illius Converſatio: & B^{mæ}. V. Mariæ ergà eum mira benignitas.

627. VNguentorum igitur fratris *Petri* odore ſcientiæ, & virtutum, hinc indè diſperſo, per fratres ſuæ Provinciæ ordinis ſuprà dicti, ad aures Prioris (a) Condomij hujuſmodi rumor inſonuit, quòd ipſe S. *Petrus* juvenis Deo carus, & Fratribus *Latoir*, Mirabilis induſtriæ, & aptitudinis, haberetur. Prior jam præfatus accinctus zelo ordinis, & honore, theſaurum tam nobilem ſuæ religioni cupiens aggregare, dictum Petrum adoleſcentulum, poſt unguenta melliflua, Chriſti vice, ac intemeratæ Beatæ Virginis Matris ejus, currere inducebat, ut habitum ſui Ordinis ſumeret, & in Religione perpetuò Domino deſerviret; cujus conſiliis acquieſcens devotæ indolis adoleſcens, beatæ Virgini Chriſti Domini Genitrici propoſuit famulari, ejuſque deſiderio ſervitutis habitum devotæ religionis aſſumpſit, ſperans firmiter patrocinium Virginis, quæ ipſam religionem ſuo nomine decoravit, in quâ quidem religione non miſit manum ad aratrum, ut aſpiceret retrò; ſed de virtute in virtutem progrediens, Vas Dei efficeretur ornatum omni virtuali lapide pretioſo uſque in finem vitæ ſuæ in ſanctis operibus perſeverans; ac non in dicto Ordine profeſſione jam factâ virtutum omnium decrevit primarium jacere fundamentum, ſe ipſum in humilitate profundans, quæ decor, & cuſtos cariſmatum omnium experitur: in propriâ quidem reputatione ſe peccatorem & inutilem fatebatur, de aliis bona æſtimans, de ſe nihil: conſiderabat enim juxta verbum Apoſtoli, quòd nemo poteſt ſibi quicquam ſufficientiæ arrogare, *ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ideò ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ſtuduit ædificare ſeipſum, ut humiliter cum omnibus loqueretur, humiliter & converſaretur, & humiliter ab omnibus haberetur, & quia ſapientibus, & inſipientibus ſentiebat ſe omnibus debitorem, tantùm ſe omnibus affabilem exhibebat, ut meritò ab omnibus amaretur.

Condomii fit Carmelita. — *B V ſuſcipit famulatū.* — *Virtuosè progreditur.* — *Perſeverans.* — *Humilis.* — *Se nihili, alios magni facit.* — 2. Cor. 3.

628. Verùm quia prompta obedientia veræ humilitatis eſt mater, & filia, & ſodalis; tantâ obedientiâ, propter Deum firmâ ſe ſponſione conſtrinxit, quòd nunquàm poſſibilitas afforet Prælatorum ſuorum præceptis, & monitis contraire; quod uſque ad mortem ſervare non deſtitit: & idcircò ad copioſiora in Deum dilectionis, & gratiæ incrementa pervenit. Non ſolùm autem ſuperioribus, verùm etiam æqualibus, & interdum inferioribus ſe ſubdebat, plus namque condeſcendebat in licitis voluntati & conſilio ſociorum; plerumque inſuper de ſanctâ humilitate, & obedientiâ oritur ſpiritus paupertatis, qui non tantùm ad non habere tumentem ſpiritum, ſed ad rerum temporalium egeſtatem multoties derivatur. Paupertatem inquam hujuſmodi tam rerum quàm ſpiritûs charitate ſtuduit intimâ deſponſare, quamdiu etiam fuit ſub obedientia Ordinis, videbatur in paupertate præcipuè delectari; imò etiam exiſtens Prælatus pro ſui corporis uſu paupere utebatur. Dum equidem paupertatem amabat, theſaurum ſe ſentiebat reperiſſe abſconditum, pretioſumque Margaritæ fulgorem, pro quo emendo vendenda ſunt omnia, & quæ vendi non poſſunt illius comparatione ſpernenda. Sciebat nempè quòd *beati ſunt pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Mat. 5.

Vt verè obediens. — *Paritit ſuperioribus. Subdens ſe Inferioribus* — *Pauper ſpiritu effectus,* — *qualis & manſit Prælatus aquid ſubditus.*

629. Devotionem ferventem quâ Chriſti amicus ferebatur in ipſum, & Sacram Virginem Mariam Matrem ejus, quis enarrare ſufficiat? ipſe namque nunquàm dimittens officium ad matutinas ſemper cum aliis veniebat: miſſam, niſi pro caſu legitimo, perpetuò non dimitit, quin die quâlibet celebraret, & tam devotè quòd alios devotos efficeret, & ad Sacramenti reverentiam excitaret: ejuſque devotione, (b) dum Miſſam legeret in aurora, tantam devotionem populi acquiſivit, quòd in conventibus, ubi fuit, fratres ſui Ordinis ipsâ horâ Miſſam continuantes, ex tunc pingui beneficiò gratulantur. Specialiter tamen Sacratiſſimam Virginem aſſumpſerat in patronam, in cujus auxilio totum ſuum jactaverat cogitatum; hæc ſpes ſua fuit, hæc magna ſua fiducia, iſta ſuum refrigerium ſingulare. Idcircò clementiſſima Virgo, ſcala Sanctorum omnium, tantum fecit aſcendere fratrem Petrum ad gradus perfectionis, & gratiæ, quòd ſentiret plerumque guſtus ſpiritualium gaudiorum, indefeſſum ſiquidem orationis ſtudium quo ſe totum piiſſimæ Virgini commendabat, dulcedinem Matris Dei ſæpius inclinabat ad fratris Petri miſerias relevandas. Accidit ſemel ut dum eſſet in Agenno in ſtudio jam ſacerdos, & ad tantam inopiam deveniſſet, ut corporis neceſſaria vix haberet, imò etiam nec candelas pro ſtudio, vel oleum ad videndum. Cùm igitur quodam mane in conventu

Ferventiſſimus ad matutinas quotidie. — (b) *In Aurora celebrat.* — *Ad B V. devotiſſimus.*

XXIX. JAN.

conventu Agennenſi per dormitorium iret ſollicitus, & timeret ne fortè propter penuriam oporteret ipſum dimittere ſtudium, cujus deſiderio raptus erat, tantùm ſe contulit ad digniſſimam Virginem exorandam, ut ſubvenire ejus inopiæ dignaretur, ne concepto ipſius ſanctò propoſitò fraudaretur. (c) Mirabile dictu, ſtatim affuit ſacratiſſima Virgo, ejuſque mentem roboravit in melius viſibiliter, eum per Cappam accipiens, huc, atque illuc per dormitorium eum duxit, pollicens de proximo adeſſe ſubſidium, & ne dimitteret ſtudium, ſuoque filio, & ſibi diligenter ſerviret, vivæ vocis auctoritate mandavit: ipſo autem ſic per Virginem confortato prædulciſſima Dei Mater cælo recepta eſt: dictus verò frater Petrus in dormiendo ſolitarius remanens, & pacatus, quamvis novitiales adhuc ſentiret fervores, de genetricis Dei beneficio recepto non immemor, ad Eccleſiam properans, miſſam de beata Virgine pro gratiarum actione diſpoſuit celebrare. Audiens verò Miſſam quidam miles de contrata, tantam in fratre Petro devotionem concepit, quòd dictâ Miſsâ voluit confiteri, & confeſſione finitâ protulit ſexdecim aureos quos amore Dei fratri Petro porrexit pro ſuis neceſſitatibus relevandis; non fuit oblita promiſſi ſui Mater Dei piiſſima, quin eâdem die perficeret verbum ſuum. Extunc autem dictus frater Petrus nullam penuriam paſſus fuit, divinâ ipſum gratiâ præſervante, & ſuffragiô ſuæ benigniſſimæ Genitricis, quæ ſuis devotis fidelibus ſervis affluenter neceſſaria ſubminiſtrat.

Ab ea in paupertate ſublevatur.

Largâ acceptâ ſtipe.

Auſterè vivit.

630. Rigidiùs in diſciplina ſuper cuſtodiam ſuam ſtabat, dum in fame, & ſiti, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, carnem domans, corpus ſuum ſervire cogebat ſpiritui, ut hoſte ſuperato domeſtico ſuæ carnis dominium poſſideret pacificè. Nonnunquam etiam cum pro negotiis fidei, vel ſanctæ Eccleſiæ uſque ad veſperam laboraſſet, nuda humus, aut tabula lectus erat laſſato corpuſculo, ut ſtrati durities, quaſi feſtum ſuccederet vigiliæ laſſatæ. Poſtquàm fuit Sacerdos in ordine, communiter niſi ſemel tribus diebus, videlicet, quartâ, ſextâ feriâ, & Sabbatô comedebat. Secundâ feriâ prorsùs à carnibus abſtinendo, pluneâ culcitrâ nunquam utens, ſemper cum Scapulari, & una tunica dormiebat: mediâ nocte ſurgens ad Domino confitendum, officium beatæ Virginis prolixum flexis genibus recitabat: reſiduum verò officii cum ædificatione aſſiſtentium perſolvendo. Sicque ipſius vita & converſatio, exemplar fuit, & ſpeculum aliorum.

Et cum auſteritate,

Pietatem, diu noctuque ingeminat.

ANNOT (a) Condomium *Sedem Epiſcopalem tenet. Ibidem habitum Religionis Carmelitanæ induit ad annum 1325. ut refert Lezana.*

(b) *Sacerdos ordinatus fuit 1332. ut habet idem Lezana tom. 4. Annalium Ordinis.*

(c) *Id contigiſſe circa annum 1337. notat Ordinis Annaliſta Lezana.*

CAPUT III.

Prædicatio illius fervida, miraculis colluſtrata.

631. TAntùm prorsùs vir Deo carus ſcientiæ cupiebat delectari amplexibus, atque dulci colloquio jucundari, quòd non ſolùm pro ipſa habenda ſervivit ſeptennio, ſed ut alter Jacob in acquirendo Rachelis connubium, antequàm fieret procurator in curia, annis quatuordecim laborando, ſemper in ſtudio occupatus non ceſſabat, quin diverſas ſcientias continuè legeret vel ſtuderet; cernens autem quòd occultæ ſcientiæ, & theſauri abſconditi, nulla eſſet utilitas in utriſque, quod per ſtudium, & inſpirationem habuerat; ideò liberaliter alios edocebat, ne lucerna ſui ingenii in tenebris remanens, poſita ſuper candelabrum, pias mentes lumine ſapientiæ illuſtraret: & quia potiſſimè noverat quòd ſpecioſi ſunt pedes Euangelizantium pacem & euangelizantium bona, idcircò ad ſanctam prædicationem zelo accinctus fidei ſe contulit, diſcurrens infatigabiliter per civitates, oppida, & caſtella, in virtute Spiritus ſancti, annuncians verbum Dei, credens nihilominùs quod virtute multâ Dominus verbum Euangelizantibus ſubminiſtrat. Confidens in Domino non parcebat labori itineris, vel clamoris, qui in totis conatibus verbum Dei in agro dominico ſeminaret: qualiter autem omnibus annuntiaverit veritatem, non accipiens perſonas hominum, vel formidans, zelo juncta charitas, veritas & modeſtia, hæc teſtantur quibus in ſermonibus utebatur.

Cum aſſiduo ſtudio

prædicat aliis indefeſsè,

In zelo & charitate.

632. Hæc quidem virtus in eo quæ potior miraculis judicatur, tam evidentiſſimè claruit, quòd juſto libramine contra vitia prædicans, ſive magnis loqueretur, aut parvulis, veritatis quoſlibet jaculo æqualiter feriebat; in tantùm ut audientes in vehementem ſtuporem converteret, & obſtinatorum mentes efficaciâ virtuosâ molliret; & quia qui verbum tribuit, dat etiam incrementum, tantum humorem gratiæ dabat Dominus verbo ſuo, ut pro diverſis opportunitatibus foret ſermo ipſius omnis gratiæ ſale conditus: erat nempè omnibus gratus pariter, & ſeverus ut audientibus amorem ſimul ingereret, & timorem: propter quod plerumque poſt ipſum totus populus confluebat, ut & ſtationarii clauſis rerum venalium Apothecis, ſua mercimonia relinquentes, ipſum audire ſummo ſtudio affectabant; & quia ſermo ſuus vivus, & efficax erat & penetrabilior omni gladio ancipite pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, cordis penetralia populi dividebat, peccatores ad pænitentiam convertebat: ibi videres ad pacem mortales inimicitias reformari, ibi rapinas, & uſuras reſtitui, ibi reddi pignora, & de-

Arguit liberè vitia,

Auditoribus timorem & amorem ingerens.

Peccatores convertit.

XXIX. JAN.

& debita relaxari, ibi converti publicas peccatrices, & multos alios diverſi generis peccatores, ut ipſum populus Dei tubam & preconem proclamaret, & gentes eum tantò ampliori devotione extollerent; quantò ſanctitatis in eo veritatiſque inſignia cognoviſſent, ſic ut alter Paulus euangelizabat JESUM omnibus habitantibus Jeruſalem, quod vitia in omnibus extirpabat, & virtuoſos in ſancto propoſito confirmabat, Domino cooperante revelationibus præviis, & ſermonem ſuum confirmante ſequentibus ſignis.

(a) 633. Uno quippe anno lector exiſtens (a) Carturtii tanta ſiccitas ex defectu pluviæ invaſerat terram illam, quòd de fame proxima, meritò populus pertimeret. Cumque pro pluvia poſtulanda, per Epiſcopum civitatis ordinatæ fuiſſent proceſſiones devotæ, & per diverſas Eccleſias, clerus, & populus, ad audiendum divina officia & ſermones, diebus aliquibus diſcurriſſet: contigit ſemel quòd dicto fratri Petro lectori commiſſus ſermo fuiſſet, & dum extra civitatem, quaſi per tria milliaria populum adduxiſſet; ubi quædam devota Eccleſia ad invocationem beatiſſimæ Virginis ſita erat, ipſo inchoante ſermonem, nullum in cælo pluviæ veſtigium apparebat, frater autem Petrus Prophetiæ ſpiritu inſpiratus incæpit populum confortare, & quod ad Chriſtum confidenter recurrerent, & ad Virginem Matrem ejus quantùm valuit animavit; quià ſi pænitentiam agerent, Dei miſericordiam inclinarent, & pluviam congruentem ſine dubio impetrarent: & in tantùm ſua dulciſſima verba in ſermone illo Populi corda demulſerunt, quòd cum lachrymis & ſingultibus maximis, omnes tam magni quàm parvuli, indulgentiam contritis mentibus, & devotis, Deo, & Mariæ Virgini clamitarent. Videns igitur piiſſima Virgo quòd Populus contritus flentibus miſericordiam poſtulabat, fecit preces à filio miſericorditer exaudiri, & abundanter pluviam miniſtravit; in tantùm quòd antequàm prædicatio finiretur, venit pluvia copioſa, quâ Populus madefactus, ſolemniter ad propria remearet. Vigilavit etenim Dominus ſuper verbo ſuo ut faceret illud ſicut promiſerat, dicens: *petite & accipietis*, &c. Attribuentes igitur tantam gratiam meritis, & ſermonibus Fratris *Petri*, ex tunc ipſum quaſi Sanctum pio venerabantur affectu, & ejuſdem conſilio effecti ſunt ex tunc Deo, & Beatiſſimæ Virgini gratiores. De his autem omnibus humilis Servus Chriſti in gloriam non erigebatur humanam, ſed gratiam iſtam ſemper ſuis meritis non adſcribens, ſed ſolæ dignationi miſericordiæ Dei, continuò efficiebatur devotior ex devoto, conformans nihilominùs vitam ſuam cum omnibus, ut omnes attraheret ad Dei, & Proximi charitatem; & ideò Populus cum affectu mirabili diligebat. Cupiebat etiam quilibet ſivè homo, ſivè mulier ſuis neceſſitatibus ſubvenire, Beatum ille ſe reputans cuius vellet Frater *Petrus* beneficia & ſervitia acceptare, propter quod non tantùm ſibi; ſed Conventibus ubi erat, pingues eleëmoſynæ donabantur.

Ac ope B.V. miraculosè pluviam impetrat.

Matt. 7.

634. Cùm etenim ſemel eſſet in Romana Curia Procurator, (b) & Conventus Avenionenſis (c) penuriam maximam pateretur, acceſſit ad Fratrem *Petrum* Procuratorem Ordinis, Prior domus ejuſdem, humiliter ſupplicans, ut neceſſitati Conventus ſuccurrere dignaretur, & à (d) Burgenſibus Civitatis aliquid procuraret. Credens Prior quòd ſi Frater *Petrus* Civibus eleëmoſynam peteret, non negarent; ipſe verò cordis pietate permotus, aſſumpto uno ſocio, pro Conventu eleëmoſynam per Civitatem Avenionenſem incœpit quærere oſtiatim: quem videntes mercatores, & cæteri Fratrem *Petrum*, quem arcam divinæ Sapientiæ nominabant, eleëmoſynas humiliter mendicare, tantà fuerunt ergà ipſum pietate; & devotione ſuccenſi, quod non valebant aliquid poſtulanti ſimpliciter denegare. Ità quòd de manè uſquè ad veſperam mille aureos pro Conventu, & ultrà tam à Laicis, quàm à Clericis procuraverit; ut per hoc evidentiùs clareſceret, quantà ipſum Deus perfuderat gratià, ut pro ſe nihil ab aliis poſtulans, pro aliis exaudiretur ad votum, & quantum Populus eum diligeret: quòd amore Dei per ipſum Ordinis neceſſitatibus ſubveniret, ac daret mille aureos uno die. Sic equidem pius Dominus manifeſtat quantum diligit Servos ſuos, qui nihil ſolliciti de ſe ipſis, *in omni Oratione, & obſecratione cum gratiarum actione, eorum petitiones innoteſcunt apud Deum*, ut det illis cibum in tempore, & aliis eſurientibus, in tempore famis, ipſi in abundantia ſatientur: omnia etenim Servis Dei adiiciuntur bona temporalia affluenter; ſi primùm quæſierint Regnum Dei; ſicut in ſupradicto Exemplo colligitur evidenter, quod tamen poſtulantis eleëmoſynam puto meritis aſcribendum, cui Dominus tantam gratiam Verbi dedit, quòd in ejus ſermonibus evidenter Dei mirabilia probarentur.

(b) *Procurator in Romana Curia*

(c)

(d)

Avenionenſis Conventus paupertatem

Mendicando ſublevat.

Philip. 4.

635. Semel namque eo tempore, quo ſanctæ memoriæ Domini Clementis Papæ ſexti, ad Monaſterium domus (e) Dei, oſſa transfererentur cum ſolemnitate decenti, & reverentià recondenda; electus fuit ab omnibus Frater *Petrus*, ut die quâlibet prædicaret in locis, ubi pro exequiis funeris côntingeret celebrari. Recedentibus igitur de Avenione cum dictis Reliquiis uſque ad Dominam noſtram de Podio (f) pervenerunt, ubi cùm Frater *Petrus* ſe ad prædicandum diſponeret, tàm propter labores itineris, quàm propter clamores prædicationum quas fecerat jam in vià, tantà guttur ejus fuit raucedine occupatum, quòd verba etiam ſubmiſsè exprimere vix valebat, timens autem ne in Civitate tam nobili, tam nobiles exequiæ privarentur

(e) *In deductione funeris Clementis Papæ VI.*

eligitur Prædicator Exequiarum

(f) *Ex prædicatione varia fit raucus.*

Ser-

XXIX. JAN.

Sermone, & aliter eſſe non poterat, niſi eidem vocis officium redderetur; Ad conſuetam Beatæ Virginis pietatem devotè ſe convertit, humiliter poſtulans, ut ſibi à Domino claræ vocis gratiam impetraret: qui labia aperuit *Iſaia*, reſpiciens ergò imaginem Matris Dei cum magna fiducia ipſam Virginem exoravit. Virgo, inquit, dulciſſima, quæ per vocem Angelicam fuiſti reverendiſſimè ſalutata, totum refugium meum, & ſpes mea, gaudium meum, & corona mea, per gaudium quod habere meruiſti, quandò ſalutationem Angelicam audiviſti, te deprecor ut mihi reſtituas in hâc horâ vocis, & organi claritatem, ut proferre valeam Verbum Dei, quem tu intemerata Virgo pro mundi remedio pepeciſti, & tuo pro nobis gremio contuliſti, nè iſtæ exequiæ honore debito defraudentur.

Et B. Virg. implorato auxilio,

Mirabilis laus Mariæ, vix orationem compleverat, quòd tantam Dei Virgo piiſſima vocis claritatem conceſſit, ut thema ſermonis altâ voce inciperet, altiùs continuaret ſermonem, & clariſſimo tono prædicationem finiret; ita quòd nunquàm ſe altiùs prædicaſſe, vel clariùs expreſſiſſe, viridicâ audientium relatione ſentiret, declaravitque altiſſimus, qui quòndam ſolverat vinculum linguæ muti, quanti erat meriti Prædicator, quòd vocis ejus actus tantam energiæ vim accepit. *Poſuit* ſiquidem *os ſuum Dominus, quaſi gladium acutum.* Ideò dedit verba ſua in ore ejus, & ipſum conſtituit Prædicatorem eximium ſuper Gentes; ut ſciret evellere vitia, & deſtruere obſtinatos, ædificare humiles, & devotos, & plantare opera virtuoſa.

Ejuſdem ope mox evanuit.

Iſaiæ 49.

636. ANNOT. (a) Carturtii P G *Henſchenius Cadurcorum notat Metropolim*, *vulgò* Cahors *ad Olindum ſive Oldam fluvium. Ibidem ad annum* 1339. *S. Vir miraculoſam pluviam, tempore gravis neceſſitatis, prædixit, & ope B. Virginis impetravit.*

(b) *Conſtituitur* Procurator Generalis Ordinis, *ad annum* 1345. *ut obſervat Lezana.*

(c) Avenione *civitas eſt ditionis Pontificiæ, in quâ tunc ipſius Pontificis Sedes erat.*

(d) A Burgenſibus, *id eſt Civibus.*

(e) Ad Monaſterium Domus Dei *deferebatur ſepeliendum, illi namq; aliquandò ut Abbas præfuerat. In iſtius Funeris deductione* 12 *habuit Conciones, ut videre eſt ex vitâ deſcriptâ à Mazzario apud Henſchenium.*

(f) Ad Dominam noſtram de Podio *vulgò* le Puys. *Oppidum eſt Velanorum.*

C A P. IV.

Oratio & Contemplatio illius claritate divinâ perfuſâ: arcana reſerat.

637. Sanctæ Orationis, & Contemplationis ſtudium habebat amicum, quibus tanquàm duabus alis ferebatur in Deum: & tàm vocaliter quàm mentaliter orans, ſupernæ Hieruſalem Stationes, & merita contemplando, ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentem, in Oratione quidèm vigilias longas trahens, tantò mens ejus exceſſu elevabatur in altum, quòd inter ſponſæ connubia, quaſi jugiter decubans, ſocietati conjunctus Civium Supernorum, de terrenis nihil penitùs cogitaret; in Contemplatione ſiquidèm tàm vehementer accendebatur, afficiebatur, inflammabatur, ut quaſi quidàm Carbo ignitus in Deum totus videbatur abſorptus. Viſum eſt namque aliquibus noctibus lumen ingens de Cœlo, ipſo Fratre Petro orante, deſcendere, quod ſuper domum ubi ipſe orabat prolixiùs, requieſcens, noctis tenebras extinguere videbatur: ſicut quidam incolæ, quorum mens erat purior, narraverunt; notificabat enim Dominus Angelorum, quanti exceſsûs erat Oratio Contemplantis, qui Cœlos penetrans ſuâ puritate, exteriori ſigno virtutem ejus patenter oſtenderet & fervorem: erat Oratio Contemplanti ſolatium, dum ſupernarum circuitu manſionum, Angelorum concivis, jam factus ſine intermiſſione quærebat dilectum, à quo eum ſolus carnis paries disjungebat: erat etiam & oranti præſidium, dum aliis letentibus, horâ tardâ, contra ſpirituales nequitias ipſe ſolus intrans cubiculum, orando in abſcondito Patrem ſuum, Agonem ſuum precibus Domino commendabat; ubi & pugnas Dæmonum aliquandò paſſus eſt, qui nitebantur ipſum fantaſmatum cogitationibus perturbare: ſed Vir Dei hoſtes ſuos adeſſe præſentiens, cùm fervore ſpiritus ad Dominum exclamabat, *Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Ad Dæmones autem: *Facite*, inquit, *quicquid in me valetis maligni ſpiritus, & fallaces: non enim poteſtis in me, vel in aliis Chriſtianis; niſi quantum vos manus ſuperna relaxat.* Ego autem adjutus à Domino, non clypeo ferri protectus, aut galeâ, veſtros cuneos penetrabo ſecurus, & *delectabor ſemper in Domino, & exultabo in Deo ſalutari meo, qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit commoveri pedes meos.* Et quià Deum in omnibus impugnationibus, & periculis devotiſſimè exorabat, piiſſimus Dominus qui ſemper in tribulationibus adeſt preſtò, ut invocantes exaudiat, qui ſpem ſuam in Deo præ omnibus anteponunt, Servum ſuum tàm miraculosè quàm piè de multis periculis liberavit.

Orationi, & contemplationi vacat.

Ut carbo ignitus flagrat.

Lumen ingens de Cœlo deſcendens ſuper illum videtur.

Noctis depellit tenebras.

Lucubrãdo Dæmonum patitur tentamenta.

Pſal. 16.

Pſal. 103.

At in Deum confidens liberatur.

638. Semel namque recedens de Venetiis versùs (a) Bulgariam, ubi Gens ſchiſmatica commoratur, erroresque Græcorum contrà Catholicam Fidem tenet, per Dominum (b) Papam miſſus ad regem (c) Rachiæ (d) convertendum, & ipſum, ac Populum, ad unitatem Sanctæ Eccleſiæ reducendos; ubi non modicum fructum fecit, ſicut in ſequentibus dicetur. Accidit quòd in uno (e) Ligno parvo, & debiliter ſatis munito, ipſum cum paucis contingeret navigare, & dum tranſiret intèr fines (f) Achayæ, & Sclavoniæ, unum aliud Lignum Turcarum obvium habuerunt, quod à longè cum ſuis contrà eos, cum magno impetu veniebat; præ timore autem ejus exterriti, homines viri Dei clamare cæperunt in fortitudine, ut Dominus eos de Turcarum manibus liberaret, & de-

(a) *Venetiis verſus Bulgariam proficiſcitur ad Regi Rachia.*
(b) (c) (d)

(e)

(f) *Inter fines Achayæ & Sclavoniæ, navigans.*

votq

voto Fratri *Petro* inſtantiſſimè poſtularunt; ut ſe in Oratione proſternens; divinum auxilium imploraret, quia per potentiam hominum non poterant evadere, quin à Turcis immediatiùs caperentur; Famulus autèm Domini, primò verbis confirmans ipſos in Domino, deindè totum ſe conferens ad orandum divinum adjutorium, precibus devotiſſimè flagitabat. Mirabilè certè: dum ſic Frater *Petrus* oraret, ſubitò apparuit gloria Domini ſuper eos, & nebula tam denſa Lignum ipſius operiens, inviſibile reddidit Lignum Turcis; in tantùm quod propè ipſos pertranſiens, viderent quidèm Lignum Turcarum, & à Turcis minimè viderentur, & ſic protegente Domino, in columna nubis, periculum evaſerunt, & ſalvi ad terram firmam Dei munere pervenerunt.

à Turcarum manibus, fuſâ oratione, ipſe cum ſuis mirabiliter eripitur.

639. Alio quoque tempore in Ligno etiam navigans, & eàdem viâ, tanta maris fuit in circuitu ejus tempeſtas valida, quòd omnes de ejus ſocietate, videntes imminere mortis periculum, coacti ſunt cum ingenti gemitu exclamare: *Domine ſalva nos, perimus.* Ipſe enim Frater *Petrus* Apoſtolicus Nuncius, fiduciam habens in Domino, qui ſalvavit diſcipulos navigantes, proſternens ſe in Oratione, ferventer Deum precabatur, ut qui *Petrum* Apoſtolum à fluctibus maris eripuit, de tanto eum periculo, & ſocios eripere dignaretur; tàm vehementer enim mare intumuit quòd Marinarij Lignum regere non valentes, ſicut homines deſperati, de confeſſione, & facto animæ curarent potiùs, quàm de vita corporis obtinenda; & dum ſic fuit eorum omnis regendi Lignum ſapientia devorata: orante Fratre *Petro* ferventiùs, ſubitò unda maris, Lignum in tantà altitudine elevavit, & per ſpatium ſuper terram Lignum integrum ſic impulſit, quòd in quodam lacu, mari vicino depoſuit, & ſine ruptura cum ſoſpitate navigantium conſervavit: Tempeſtate igitur procellosâ ceſſante, viderunt ſe Marinarij infrà lacum, nec Lignum quidem veſtigium habuit percuſſuræ, de quo non ſine admiratione & gaudio, Deo gratias referentes, orationibus, & meritis Fratris *Petri* ſe ſalvatos de maris periculo, & Turcarum manibus cognoverunt, confeſſi ſunt, & publicè prædicarunt: Lignum igitur extrahentes de lacu, uſquè ad mare, per non paucum terræ ſpatium manibus & artificio portaverunt.

Validâ maris tempeſtate obortâ, *Oratio S. Petri.* *Iterum à naufragiis & Hoſtium periculis liberantur.*

640. Ad tantam mentis ſinceritatem, indefeſſum Orationis, ac Contemplationis ſtudium, cùm continuâ exercitatione virtutum Dei Virum perduxerat, ut profunda myſteria Scripturarum, lepidè ſectaretur intellectus acumen. Et cùm proponerentur eidem quæſtiones difficiles ex abrupto, tantâ diſertitudine obſcura dubia declarabat, quòd audientium animos convertebat, & indaginem in ſtuporem. Videntes enim ſapientiam Dei eſſe in illo, in faciendo judicia de peccatis, & dando conſilia animarum; libenter eum audiebant, & ejus determinationem etiam magni, & profundi Clerici, avidè retinebant. Cùm enim eſſet Procurator in (g) Curia, & præ deformitate perſonæ, Magiſter Generalis Ordinis de Carmelo quodammodò erubeſceret eum ducere inter Dominos Cardinales; magnæ prudentiæ Vir Dominus(h) Talairandus, Cardinalis Petragoricenſis, mandavit ſemel dicto Magiſtro Ordinis, quatenùs ſecum ducens Fratrem *Petrum Thomæ* Ordinis Procuratorem, veniret ſecum in prandio comeſturus; qui juſſa perficiens, Domini Cardinalis, Fratrem *Petrum* prædictum, licet cum quadam quaſi erubeſcentia, ſecum duxit: ſumpto autem prandio, ut moris erat Cardinali prædicto, propoſita fuit quæſtio valdè difficilis intellectu, & per Dominum Cardinalem fuit commiſſa ejus reſponſio Fratri *Petro*, qui quaſi ſimplicibus primò verbis incipiens, tantâ, in proceſſu divinorum Myſteriorum, profunditate lingua ejus difficultates Theologicas eructavit; quòd nulli dubium extitit, quin de ventre ejus, ſpirituales fluerent aquæ vivæ. Quapropter theſaurum veræ ſcientiæ qui latuerat in ſuo vaſculo pectoris uſque tunc; incœpit deinceps in Romana Curia, in tanta affluentia ebullire, ut Generalis Magiſter, qui anteà ipſum erubeſcebat, ex tunc haberet pro magno munere, ſi Frater *Petrus Thomæ* ſibi aſſiſtere dignaretur, tanquàm ille de cujus ſufficientia honorabatur plurimum Ordo ſuus: Incœpit igitur in Avenione lucerna olim abſconſa ſub modio paupertatis, radios emittere tantæ claritatis, quòd nunc prædicando, nunc diſputando, Domini Papæ, & Cardinalium, aliorumque populorum, maximam gratiam obtineret: quod cernens Magiſter Ordinis ſupradictus, ordinavit cum ſuo Generali Capitulo ad inſtantiam dicti Domini Cardinalis, ipſum Fratrem *Petrum* (i) Pariſios mittere, ut ibidem Gradum reciperet Doctoralem, & in ſcientia Theologica perficere Curſum ſuum.

Jugi contemplatione S. ſcripturæ penetrat arcana. *Disertè difficillimas ſolvit quæſtiones.* *Et libenter eâ audiunt.*

(g) *Procurator in Curia.* (h) *Ad menſam Cardinalis invitatus.* *Ingenii ſui oſtendit acumen.* *Radios claritatis ſcientiæ & virtutum emittens.* *Papæ & DD. Cardinalibus gratus.* (i) *Pariſios laureandus mittitur.*

641. Triennio igitur legens ibi tam mirabiliter, quàm ferventer, gratiam habuit Verbi tantam, ut in diſputationibus, ſermonibus, & lectura ſuper omnes concurrentes Baccalaureos, ſuum, præcipuè ſtudentes, Auditorium ſequebantur; ſtupebant autem *ſuper doctrinâ, & reſponſis ejus*: Magiſtri, etiam erant plurimùm admirantes *ſuper his quæ dicebantur de illo*: quaſdam etenim novitates tàm veridicas, quàm ſubtiles in ſuis ſcholaſticis actibus recitabat, & audientium animos, in tantâ admiratione, interdùm & altitudine ſcientiæ ſuperabat, quòd omnibus plerumque clareſceret, per revelationem divinitùs ſuper infuſam in eo ſacræ ſcientiæ claritatem. Nec mirum ſi Deus qui revelat myſteria, ſuo devoto Famulo veritates Catholicas revelabat, utpotè qui devotè Miſſam die quàlibet celebrans, nec propter Lectiones, nec propter Sermones, vel propter aliquem actum ſcholaſticum omittebat, quin Miſſam quotidiè celebraret, Deo & Beatiſſimæ Virgini recommendando ſeipſum, propter quod tàm

Ibidem legendo omnium capit. *Claritate ſcientiæ divinitus infuſâ.* *Acceptâ per pia ſacrificia.*

XXIX. JAN. tàm in Miſſâ, quàm in proceſſu Lectionum, Deus aliqua nova pulchra pluriès revelabat, quæ nunquàm ſibi occurrerent dum ſtuderet. Spiritus enim Sanctus, qui in docendo intervallo non indiget, mentem ſuam taliter illuſtrabat, quòd omnibus notum eſſet in eo requieſcere Spiritum Veritatis. Taliter igitur *Spiritu S. eum illuſtrante.* edoctus à Chriſto Frater *Petrus*, cùm triennio Curſum ſuum compleviſſet mirabiliter, & adhuc eſſet in eodem ſtudio, biennio, ſcientiæ vacaturus: accidit quòd Magiſtri Pariſienſes ſuper Baccalaureorum promotione ad Magiſterium, diſſenſionem aliquam habuiſſent; & cùm quatuordecim eſſent ibi gradum Magiſterii expectantes, nec Frater *Mirè promovetur Magiſter.* *Petrus* foret de numero eorundem: factum eſt tàm ordinatione divinâ quàm ad quietandum controverſiam prædictam de concordi conſilio Magiſtrorum Frater *Petrus* (k) haberet honorem Magiſterii, (k) antè tempus ſibi pro Curſu ſtudii prætaxatum; non enim injectu proprio datus eſt ſibi honor, ſed ad ipſum per alios, nutu Dei, tanquàm alter Aaron vocatus eſt.

ANNOT. (a) Bulgariam. *Thevecius appellat Regnum.*

(b) *Legatus mittitur à Pontifice Innocentio VI.*

(c) *ad Regem* Stephanum.

(d) Rachiæ *convertendum, vel ut Mazzarini & Henſchenius* Raſciæ: *Raſcia pars eſt media ſuperioris Meſiæ, pro ut deſcribit Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum.*

(e) Lignum *pro Navi accipitur.*

(f) Achayæ *pars Occidentalis Peloponeſi, olim dicta Sclavonia.*

(g) *Avenione in litteris & pietate effulgere cœpit mirabiliter. Ut Mazzarinus apud Bollandum. Eundem viſionem & promiſſionem de duratione Ordinis illi factam à B. M. refert Ioannes Hildenshem apud Lezanam tom. 4. fol 599 n. 4. ad annum 1351.*

(h) Talarandus (*Mazzerio* Taliarandre) *filius Comitis Petragoricenſis, cui Sanctus Petrus Th. gratiſſimus erat.*

(i) *Pariſios mittitur Laurentius urgente dicto Domino Cardinale.*

(k) *Magiſter promovetur circà* 1346.

CAP. V.

Miraculoſa varia Promotio S. Petri Thomæ *ad faſtigium Prælaturæ, & ad Reges Ablegatio.*

642. QUandò igitur *placuit ei, qui eum ſegregavit ex utero matris ſuæ, & vo-* *(a) Ab Innocentio Papa.* *cavit per gratiam ſuam*; cùm Dominus (a) Innocentius Divinâ Providentiâ Papa VI. Fratrem *Petrum* cognoviſſet ad quæcumque ardua fore aptum; volens nihilominùs Fratris *Petri* ſufficientiam experiri, miſit ipſum *(b) Mittitur Neapol.* ad (b) Illuſtrem Dominum Regem, (c) & (c) Reginam Neapolitanam, pro quibuſdam negotiis Ordinis, quæ habebat pro ſancta Romana Eccleſia expedire; quantùm autem pro iis laboravit Frater *Petrus*, quantumvè inſudavit prædicando, confortando, conſolando, informando, negotii qualitas, temporis brevitas, & finis utilitas manifeſtat; quæ brevitatis causâ rationabiliter ſubticentur.

643. Negotio igitur pro quo miſſus fuerat Frater *Petrus* feliciter conſummato, ad *Reverſus.* Summum Pontificem qui ipſum miſerat, remeavit, relationem de his quæ perfecerat pro Sancta Eccleſia oſtenſurus, quâ relatione perceptâ, Summus Pontifex videns ipſum Fratrem *Petrum* idoneum pro Legato, tàm ex perfectione Sanctitatis Vitæ, quàm ſinceritate Fidei, ſapientiæ, & doctrinæ; cùm eo tempore Rex Rachiæ, qui ſe Imperatorem nominabat Bulgarorum, ad Sedem Apoſtolicam ſpeciales Nuntios deſtinaſſet, redire ſe ſimulans de ſua peſtifera ſecta Græcorum, & perfidia hæreſis, ad Obedientiam Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, ordinavit Chriſti Vicarius cum Sacro Collegio Dominorum Cardinalium, quod Frater *Petrus Thoma* *In Bulgariam ablegatur.* pro converſione, & informatione Gentis (d) Bulgariæ, ad Regem Rachiæ mitteretur. (d)

644. Verùm quia tunc temporis, Cæſar Auguſtus Imperator D. Carolus IV, in Italiam venerat; viſum eſt etiam Sacro Collegio, quòd idem Frater *Petrus*, ex parte Domini Papæ, Dominum Imperatorem (e) Romanum ſpecialiter viſitaret, cui etiam idem (e) D. Innocentius ſpecialia verba commiſit dicto Imperatori pro parte Sanctæ Eccleſiæ *Fit Legatus ad Imperatorem Romanum.* referenda: & quia dicta legatio gravis erat, & notabiliter ponderoſa, idcircò oportuit quòd non tantùm perſona ſufficiens mitteretur; ſed erat expediens, quod ipſam ferebat, ſublimaretur in gradu autentico, ut ipſa id eſt Legatio (f) ambaxiata, tàm de idoneitate perſonæ quàm auctoritate Officii ſolen- (f) nis & autorizabilis redderetur. Unde factum eſt de concordi conſilio & aſſenſu DD. Cardinalium, quòd D. Papa (g) Fr. *Petro* *(g) Eccleſiæ Pactenſis conſtituitur Epiſcopus.* Pactenſi Eccleſiæ in Regno Siciliæ provideret, & qui Doctor erat Eccleſiæ, fieret ejus Paſtor; & ſic utroque apud Deum exercitio mereretur.

645. Proviſo igitur de Paſtore Pactenſi Eccleſię memoratę, proceſſit Vir Deo charus auctoritate Eccleſiæ, ad Legationem ſuam cum zelo fidei conſummandam: & cum Romano Auguſto negotiis breviter expeditis, per Italiam & Hungariam nonnullis tædiis, diſcriminibus & periculis intervenientibus, versùs (h) Rachiam arripiens iter ſuum; & *(h) Demum ad Regem Rachiæ pergit.* cùm perveniſſet ad locum, ubi dictus Rex Rachiæ morabatur, dictum eſt à narrantibus, quòd quicumque veniens ad dicti Regis præſentiam; niſi priùs Regis oſcularetur pedem, & ipſum cum humilitatis reverentiâ ſalutaret ipſius indignationem protinùs incurrebat. Pervento autem ad diem, quo Nuntius Apoſtolicus dicto Regi ambaxiatam ſuam deponere debebat, comparuit Servus Dei armis cœleſtibus præmunitus, & dictum Regem Rachiæ tàm auctorizabiliter, quàm *Illum benignè & audacter orat concionatur.* benignè primitùs ſalutavit; in ſe ipſo oſtendens cordis humilitatem, & in commiſſo ſibi

XXIX. JAN.

ſibi officio, S.Romanæ Eccleſiæ dignitatem; deindè Legationem expoſuit hilariter & prudenter, ſic quòd dicto Regi rationabiliter ſatisfecit: [a]quamvis arroganter per ipſum Regem receptus fuerit, & auditus. Propter quod ſtatuto die, dictam legationem habuit dictus Epiſcopus exponere publicè coram Rege ſermone gratiſſimo præeunte; ſed Regis Superbiam, & cautelas, in ipſo ſermone elucidans tàm autenticè quàm diſcretè: de quo præfatus Rex Rachiæ indignatus contra Dominum Legatum, occaſiones quærebat; & ruptis quibuſdam pactis, per ipſum Regem anteà confirmatis, tandem fecit publicè proclamari; quòd quicumque Catholicus intereſſet Divinis Officiis, quæ per Epiſcopum Apoſtolicum Nuntium ſolemniter quotidiè dicebantur, potiſſimè ſi intereſſent officio ſuæ Miſſæ; continuò oculis privarentur.

Ab illo autem arroganter excipitur.

Catholicos autem Rex à ſacrificiis Legati:

646. Perveniens ergò edictum Regis crudeliſſimum & nefandum, ad aures D.Epiſcopi Apoſtolici Nuntii, ſuper eo nullâ propter hoc fractus eſt aut mutatus injuriâ, ſeu crudeli violentiâ: quin imò procedens in publicum, velut fortis athleta, in exequendis mandatis Apoſtolicis, & celebrandis Divinis Officiis, audacior eſt effectus; undè omnibus Catholicis exiſtentibus in civitate indixit, quòd in craſtinum ad Eccleſiam convenirent, quia D. Legatus intendebat Miſſam ſolenniter celebrare; erant autem ibi quàm plures Teutonici, & alii ad ſtipendium dicti Regis, qui audientes mandatum Apoſtolici Nuntii in fervore Fidei Orthodoxæ, humiliter pervenerunt, & in craſtinum omnes cum uxoribus & liberis earundem, ad Eccleſiam convenerunt, & dicti D. Legati Miſſam & alia divina Officia audierunt ſolenniter & devotè: de quo prædictus Rex Rachiæ infidelis, non modicùm eſt turbatus, & convocans ad ſe omnes, tàm ſtipendiarios, quàm mercatores alios, ſicut canis rabidus contra eos ſuperbiſſimè loquebatur, quomodò auſi fuiſſent ſuum Edictum infringere, & officio ſui hoſtis publici intereſſe? propter quod pœnas incurrerant prætaxatas. Videntes autem ſtipendiarii, & alii Catholici viri, furioſam inſaniam dicti Regis, timuerunt valdè: ſed Spiritus fortitudinis Salvatoris, corroborans animum unius nobilis militis Alemanni, qui aliorum erat Capitaneus & director, ferocitati inſani Regis, fecit occurrere dictum militem, qui in ſermone fidei, nomine omnium Catholicorum Regi profano talia verba dixit: [Noveritis Domine mi Rex quòd ego, & omnes qui hic adſtamus benè Catholici ſumus. & obedientes Romanæ Eccleſiæ Sacroſanctæ, & ideò mandatis Apoſtolici Nuntii debemus in omnibus obedire, & Divina audire Officia, quæ S. Romana Eccleſia ordinavit, & pro iſtâ Fide parati ſumus, non tantùm oculos perdere, ſed & morti diſponere corpus noſtrum; ideò ſi aliud de nobis intendatis facere, antè, potiùs omnes in veſtra præſentia moriemur, quàm aliquid contra Ritum Catholicæ Fidei faciamus, & potiſſimè contra monita Patris noſtri, qui verbis ſuis nos inſtruens, doctrinam ab eo recepimus ſalutarem.] Cernens igitur Rex prædictus in viris Catholicis conſtantiam animi, & fervorem ad fidem Catholicam defenſandam, ferocitatem beſtialem quam antè oſtenderat, convertit in ſpiritum lenitatis, & verba prædicti militis, quaſi pro ſolatio audiens, ipſius & aliorum conſtantiam fidei approbavit; & virum Dei Apoſtolicum Nuntium venerabiliter acceptavit: ſed poſteà dicti Regis [illegible] draconinâ occultè inſidiabatur ei; quarè oportuit Apoſtolicum Nuntium cum cautelis regnum Rachiæ egredi, ad Curiam remeare, multis Metropolitanis Eccleſiis cum Prælatis ſuis, ad unitatem & obedientiam Romanæ Eccleſiæ, primitùs confirmatis. Propter ſimiles actus ſtrenuos, & perfectos quos exercuit Fr. *Petrus* pro Eccleſia Sancta Dei, & Fide Catholica laborando, fuit per Sedem Apoſtolicam ad ulteriora promotus, ut fieret poſteà exigentibus meritis, Epiſcopus Coronenſis, deindè Archiepiſcopus Cretenſis, & demùm Conſtantinopolitanus Patriarcha, ac Legatus Apoſtolicus pro Paſſagio terræ Sanctæ, ſicut in ſequentibus continetur.

Intrepidè interim ille celebranda indicit divina;

Adſunt Catholici.

Furit Rex.

Conſtanter fidem Romanam profitetur quidam Capitaneus omnium nomine.

Applaudit Rex,

Sed inſidiatur.

Cedens Regis furiis ad curiam revertitur S. Vir Dei,

647. ANNOT. (a) Innocentius Papa VI. *ſucceſſor Clementis VI. S. Petrum inſtituit Nuntium Apoſtolicum.*

(b) *Et mittit* Neapolim *Apuliæ regnum nuncupatum, ut ex variis notat P. Henſchenius.*

(c) Ad Regem Ludovicum; *erat is Philippi Principis Tarentini filius, & nepos Roberti Regis Apuliæ: Et Reginam Ioannam Caroli filiam, quæ erat neptis Roberti Regis Avi ſui & uxor prædicti Regis Ludovici*

(d) In Bulgariam *pro 2. vice* S. Petrus *ablegatur ad Regum Raſciæ Sedem, quæ tunc temporis Bodon, ſive Budonenum erat: ita patet ex Turocio.*

(e) *Ad Imperatorem fit Legatus ſcilicet ad Carolum VI. de quâ Legatione litteræ Apoſtolicæ necdum repertæ ſunt.*

(f) Ambaxiata, *id eſt Legatio.*

(g) *Pactenſis Epiſcopus* B.Petrus Thomas *ordinatur ſimul & Lipparienſis à Guidone Cardinale Epiſcopo Portuenſi, juſſu Pontificis Innocentii VI. ut patet ex Bulla dicti Pontificis data 1354.*

(h) Rachiam, *Rex Raſciæ Stephanus. Legatos à S. Sede mitti petierat in auxilium reſtabiliendæ & promovendæ fidei ut videre eſt ex Bulla 3. Innocentii Papæ VI.*

CAP. VI.

Proſecutio Legationum S.Prælati, Regumque ac Principum per eundem Pacificatio.

648. OMnium igitur virtutum moralium mater Diligentia & magiſtra, tantum in negotio Fidei, & Eccleſiæ Sanctæ, Virum Dei reddebat ſollicitum, quòd non parcebat laboribus, periculis & ærumnis, quin ad exequenda mandata Eccleſiæ, legationes acciperet, & pro honore Eccleſiæ totum mundum infatigabiliter circuiret; proptereà D. Papa Innocentius ſupradictus, vix audiebat aliquod arduum in partibus Orientis, quin Fr. *Petrum* Pactenicem Epiſcopum deſtinaret, velùt manifeſtò apparet in Legationibus

XXIX. Jan.

nibus infrà ſcriptis: nam cùm diebus illis eſſet guerra horribilis inter Regem Hungariæ, & Communitatem Venetorum; pro eorum pace tractanda, Fr. *Petrus* ad dictum Regem (a) Hungariæ (b) & Venetos per dictum D. Innocentium fuit miſſus, qui Venetias veniens à Duce Venetorum honorabiliter eſt receptus, & legatione expoſitâ ac reſponſo accepto, ad Hungariæ Regem profectus eſt, qui etiam Nuntium Apoſtolicum devotè recipiens, ipſum multipliciter honoravit, ac eidem fecit neceſſaria magnificè miniſtrari; & D. Papæ, à prædicto Nuntio ipſi Regi legatione autenticè explicatâ; tandem (c) Vexillum Eccleſiæ Rex præfatus ab eodem recepit, & quod Paſſagium Terræ Sanctæ contra infideles, infrà decem annos inciperet, in ejus manibus liberaliter repromiſit. (d) Tandem de pace Venetorum compoſuit, ſicut dictus Dei Nuntius conſulebat; compoſitio autem hæc fuit, quod Rex Hungariæ, tamquã verus Catholicus, Eccleſię Romanæ obediens, quærebat pacẽ & amicitiam cum omnibus Chriſtianis, & volebat eſſe amicus ſpecialiter Venetorum, dimittens eis omnes injurias per Venetos ei factas; nec non dimittebat eis totam Dalmatiam atque Jaderam, petens ab eis in ſignum amicitiæ, annô quolibet unum equum album pro Regia magnificentia obtinenda; quam compoſitionem ſeu pactum, cum Fr. *Petrus* Nuntius expoſuiſſet Duci & Concilio Venetorum, tantus rumor inter eos inſonuit, quòd Frater *Petrus* Nuntius prædictus, meritò debuit pertimere: ſed in Domino confortatus evidentibus rationibus & multiplicibus argumentis, publicè eis expoſuit, quòd niſi paci & pactis Regis Hungariæ conſentirent, malè eis accideret in futurum, quod ſpiritu prophetico verum dixit: quia poſteà totam Dalmatiam perdiderunt, & per dictum Regem humiliati ſunt; & quantùm Deo diſplicet reſiſtere veræ paci, Omnipotens in quodam Nobili Venetorum evidenter tunc temporis declaravit: Nam cum dictus Nobilis verba Nuntii Apoſtolici contemnere videretur, & pacem Regis Hungariæ recuſaret, alioſque induceret ad ſuperbè & contumaciter dicto Nuntio Apoſtolico reſpondendum, ultio divina non longè ſequuta eſt: nam eâdem die, quâ verba in contemptum Eccleſiæ dixerat, morte ſubitaneâ eſt peremptus; propter hoc tamen alii non fuerunt converſi, quin omni modo vellent guerram, idcircò eis accidit quod vir Dei eis prædixit. In legatione ad Regem Hungariæ, & Venetos paſſus eſt Frater *Petrus* pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, pericula in civitate, pericula in ſolitudine, pericula in mari, pericula in falſis fratribus Chriſtianis.

(a) (b) Legatus ad Regem Hungariæ & Venetos pacificandos.

Ab his honorificè recipitur.

(c) Vexillum Regi donat pro S. Paſſagio.

(d)

Pacis conditiones à Rege impetrat.

Veneti reluctantur.

Legatus iis prædicit ſuperventura mala.

Punitur quidam in Sanctum injurioſus.

Et multa ſubit vir Dei pericula.

649. Aliâ quoque vice, miſſus per Sedem eandem ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, (e) fecit egregiè facta ſua, & dictum Imperatorem, & Principes ſuos, de articulis fidei veraciter informavit, & ad virtutem, & obedientiam Romanæ Eccleſiæ revocavit ipſum Imperatorem; & aliquos alios in fide Catholica confirmando: ubi mirabile accidit non tacendum, dum etenim quâdam die cum ipſo Imperatore, & (f) aliis, (g) de dignitate & ſufficientiâ D. N. Papæ, & DD. Cardinalium, autenticè loqueretur, & filii Dei, veri Catholici coram ipſo Legato & Imperatore adſtarent, adfuit etiã inter eos Sathan quidã, videlicet Nobilis magnus Græcus, qui in verba blaſphemiæ *ponens in Cælum os ſuum*, contumelioſè prorupit de D. N. Papa, & aliis DD. Cardinalibus aliqua minus honeſta quæ ut dicebat in Romana Curia videras, ore blaſphemo dicens: quod cùm audiſſet Nuntius Apoſtolicus tunc Pactenſis & Liparienſis Epiſcopus, non potuit ultrà pati: ſed D. Papam & alios Dominos, in virtute ſpiritus excuſavit: recitans plura bona, quæ per Prælatos Eccleſiæ fiunt ſemper, ſicut de divino Officio celebrando, de juſtitia & judicio obtinẽdo, de eleemoſyna, & de beneficio pauperibus erogando, & de ſimilibus virtutibus, quas DD. Cardinales publicè operantur: inducens per hoc ad reverentiam Eccleſiæ audientes; prædixit prophetico ſpiritu contra dictum militem blaſphemantem, ultionem divinam in proximè affuturam: mirabilè dictu, ſtatim nocte ſequente dictum blaſphemum militem dolor arripuit viſceralis, qui ipſum interius crucians, & exterius intumeſcens, uſque in craſtinum languère permiſit, ac eâdem die miſerabiliter interemit, non ſine admiratione concurrentium populorum, qui ad ſpectaculum venerant, ad videndum divinum judicium, in milite blaſphemante doloribus ſubitò ſic extincto; propter quod de ſecta Græcorum, tres Nobiles viri converſi ſunt, & venientes, ad Curiam, fecerunt ſe ſecundùm Ritum Romanæ Eccleſiæ Confirmari.

(e) Mittitur ad Imperatorem Conſtantinopolitanum.

(f) (g)

Pontificiam propugnat dignitatem.

Blaſphemus quidã mirè punitur.

650. Nuntius autem Apoſtolicus, Conſtantinopolitano Imperatore, de articulis fidei & auctoritate S. Romanæ Eccleſiæ plenariè informato, ac in fide ejus & obedientia (h) roborato; Sepulchrum Dominicum devotè propoſuit viſitare, & veniens Cyprum per illuſtrem Principem D. Hugonem (h) Regem Hieruſalem & Cypri, honorificè eſt (i) receptus, poſt quandam longam infirmitatem illius in quâ prædictum Regem ſuis piè & ſolenniter conſolatus. Terram Sanctam adiit & Salvatoris noſtri ſanctuaria viſitavit, (k) in quâ peregrinatione quantũ fructum fecerit animabus, quantaque bona contulerit peregrinis, nomen D. noſtri Jesu Christi publicè prædicando, & Chriſtianos de ſanctitate & patientiâ exhortando: Dicti D. Hugonis Regis Cypri diſertæ litteræ, ad ſummum Pontificem perhibuerunt teſtimonium veritatis. Conſummatis igitur peregrinationibus, & aliis Myſteriis pietatis, Nuntius Apoſtolicus Cyprum reverſus eſt, & plenus bonis operibus, vallatus Sanctis virtutibus & exemplis, & poſt multa curricula temporum, pericula & labores

(h) Imperatorem in fide confirmat.

(i)

(k) Salvatoris noſtri Sepulchrum viſitat.

bores, ad Romanam Curiam eſt reverſus, Domino Papæ, & ſacro ejus Collegio fructus ſanctitatis, quos hinc indè collegerat, relaturus.

Romam revertitur.

651. Tempore verò alio, ſubſequentibus negotiis arduis, pro Eccleſia ſancta Dei factus eſt Legatus (l) in partibus Orientis, & circumiens Romaniam, iterum venit Cyprum, ubi Illuſtrem D. Petrum Regem & Reginam conſortem ſuam, cum magnâ ſolennitate Regni Hieruſalem diademate (m) coronavit, & oleo ſancto unxit: Multas ſanctas ordinationes in dicto Regno inſtituit & in fide Catholica Schiſmaticos confirmavit, & demùm in Satalia, (n) quæ tunc noviter fuerat capta, Eccleſias conſecravit, & ſic laudabiliter & in ſocietate dicti D. Regis Cypri; ad Curiam remeavit, & ibidem tractatis multis negotiis aliis; pro honore S. Eccleſiæ & etiam Regis Cypri, tandem per D. Urbanum Papam V. fuit Legatus (o) Sacri Paſſagii inſtitutus, & cum prædicto Rege Cypri, tranſactis multis laboribus, & completis multis tractatibus, quæ longum eſſet per ordinem enarrare, tandem in Alexandriam navigavit: & dirigente ſe Domino, à Chriſtianis Civitas capta fuit, de quibus in ſequentibus capitulis ſerioſiùs ſubſcribetur.

(l) Fit Legatus Orientis.

(m) Regem & Reginam Cypri coronat.

(n)

(o) Ab Urbano Papa fit S. Paſſagii Legatus.

652. ANNOT. (a) Rex Hungariæ Ludovicus, *tunc Traviſium, Urbem Venetorum obſidebat, ſcilicet anno* 1356. *Pontificium Legatum benignè ſuſcepit, & ad pacem paratum ſeſe obtulit.*

(b) Veneti *occupabant civitates, & caſtra in Croatia & Dalmatia, ad Hungaros ſpectantia; Rex verò loca nonnulla, intra diſtrictum Traviſianum poſſidebat ad Venetos pertinentia; quibus utrimq; compoſitis, pax concluſa fuit, mediante S. Prælati ſollicitudine, ad annum* 1358. *ita Cortuſius cap.* 11.

(c) Vexillum Crucis, *tanquam Eccleſiæ Capitaneo.*

(d) *Regi Ludovico donat ad inimicos Hæreticos, & Schiſmaticos virtuoſius debellandos. Vide Bullam Innocentii Pontificis VI.*

(e) Ioannes Palæologus *inſinuarat ſe ad ſinum Rom. Eccleſiæ redire velle: quod nuncium totam Romanam Curiam lætificabat, ac Deum magnificabat; hinc ad illius operis molem exequendam, mittitur* S. Petrus *Epiſcopus Pattenſis & Lipartenſis. Ita patet ex Bulla XIV. Innocentii VI. ad Imperatorem.*

(f) *Ille devicit Ioannem Catacuzenum Imperii Occupatorem, & ea ex cauſa ambiebat unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, miſſis ſuis Apocryſariis Avenionem ad Curiam, ſolemni præmiſſo juramento præſtandæ obedientiæ Romano Pontifici. Ita Waddingus in vita* Sancti Petri Thomæ.

(g) *Michael Palæologus Imperator Catholicus primus fuit, qui Conſtantinopolim Latinis Imperatoribus eripuit anno* 1261. *In Concilio Lugdunenſi celebrato* 1274. *ſeſe Romanæ Eccleſiæ univit; ob quam unionem ab Andronico filio ſchiſmatico, ſepulturâ privatus manſit. Obiit anno* 1283. *teſte Nycephoro Gregora Ita fere Henſchenius.*

(h) *Eum reconciliat Eccleſia Romana, ſacram ei Communionem tribuendo:* Et ipſe Imperator factus eſt verus Catholicus, obedienſque Eccleſiæ Romanæ, articulos Fidei ſigillatim confitendo &c. Et hoc in manibus ipſius D F. *Petri*, tactis manibus ad Sancta Dei Evangelia. *Ita Mazzerius in eadem* Sancti Petri *vita ad cap* 5. *n* 29.

(i) Hugo Luſinianus, *vel* de Luſignako, *cujus Majores ex Pictonibus Galliæ oriundos refert idem* P. *Godefridus Henſchenius in ſuis notis ad eandem* S Petri *vitam, atque hunc ultimum fuiſſe Hieroſolymorum Regem, Urbe Calypha a Saladino Egypti expugnatâ anno Chriſti* 1187.

(k) *Velut Sacrum Chriſti Præſepe in Bethlehem; & montem Syon, mirùm dictu, quanto mentis & cordis, affectuque pietatis adierit, oravit, & conſecravit, ſpretis infinitis adverſitatibus & mortis periculis, imò totis præcordiis deſideratis. Waddingus.*

(l) *S. Petrus factus Epiſcopus Coronenſis, Inſtituitur Legatus Apoſtolicus in Ampliſſimis Provinciis Orientis. Vide* 18 *Bullam Innocentii Papæ VI.*

(m) Petrum *Regem & Reginam Cypri Regio diademate coronavit, Regeſque Hieroſolymorum denuntiavit.* Petrus *primogenitus erat Hugonis Regis Cypri, & Hieroſolymorum, legitimâ ſucceſſione hæreditarius. Ita Mazzerius in vita apud Henſchenium cap.* 8. *nu* 47. *Nota quod de hac eadem Coronatione Carmeſſonius poſtea demùm agat capite X.*

(n) Sataliam Rex *Cypri Expugnavit; ejus meminit Urbanus V. in ſua Bulla. ab antiquis nominata fuit Attalia, inter Rhodum & Cyprum ſita. Ita fuſius obſervat Henſchenius apud Ptolomæum lib* 5. *cap.* 5.

(o) *Ab Urbano V. fit Legatus S. Paſſagii. Urbanus autem Pontifex conſecratus fuit* 1362. *die* 6. *Novembris, ut notat Lezana.*

Succeſſit quippe Cardinali Talairando, qui pro ea expeditione primò inſtitutus fuerat Legatus, eo quòd per Regem Cypri ſperaretur Turcica Poteſtas infringenda.

Inſuper Notandum eſt S. Petrum ab eodem Urbano prævie creatum fuiſſe Archi-Epiſcopum Cretenſem & Patriarcham Conſtantinopolitanum: quarum inſtitutionum Bullæ hactenus ad manus non venêre. Vide latiùs in Bulla dicti Pontificis retrò poſitâ.

CAPUT VII.

Amor S. Legati erga proximum: Imperator ab eo in fide confirmatus, & Barnabous * *refragus Eccleſiæ readunatus.*

* Al. Barnabo.

653. CHaritas autem Dei, & proximi, quæ ſecundùm Apoſtolum operit multitudinem peccatorum, & quâ cæteræ virtutes formantur, qualiter in Viro Dei efferbuit, ſequentia manifeſtant, dum non parcebat laboribus, ſed ſuum faciebat corpuſculum per civitates & caſtella circumvehi, ut proximorum diſcordes animos, ad dilectionem Dei, & mutuam charitatem attrahere niteretur: ſicut in tractatu pacis inter Regem Hungariæ & Venetos, prout narratum ſuperiùs eluceſcit. Imperatorem etiam Conſtantinopolitanum ad unitatem S. Eccleſiæ jam reductum, manibus propriis communicavit Dominici Corporis & Sanguinis ſacramento; (a) ac ipſum Imperatorem, & multos alios de Græcis, ſuis ſanctis exhortationibus & exemplis, ad devotionem fidei Catholicæ, quantum valuit inflammavit; ſicut idem Imperator teſtimonium facit in quadam littera, per ipſum D. Papæ miſſa, continentiæ ſubſequentis.

Charitate fervet.

(a) Imperatorem & alios, in fide corroborat.

654. Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino Innocentio, Dei gratiâ Sacroſanctæ Romanæ ac Catholicæ Eccleſiæ, ſummo Pontifici digniſſimo; Joannes in Chriſto Deo fidelis Imperator, & Moderator Romanorum, reverentiam, quæ eſt debita & devota. Sanctiſſime Pater, in exercitu noſtro, qui erat

Literæ Imperatoris Conſtant. ad D. Papam.

XXIX. JAN.

contra inimicos, venit Reverendiſſimus Pater & Frater Dominus *Petrus* Pactenſis Epiſcopus, cum alio Fratre Guilhelmo Epiſcopo Siſopolitanenſi; Et dictus Dominus Frater *Petrus* Veſtræ Sanctitatis *Nuntius*, ſex litteras obtulit, in quarum lectione lætatum eſt Imperium noſtrum & exultavit. Etenim invenimus in illis, quod Veſtra Sanctitas ſcribit, quod nos juravimus & diximus, quòd ſumus fideles, obedientes, & devoti, ac reverentes cum multis Baronibus noſtris, Vobis, & Succeſſoribus Veſtris, ac ſanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ. Et aſſerebatis in ipſis litteris veſtris, quòd vos & Domini Cardinales & Epiſcopi veſtri, multùm lætati eſtis: & hortabamini nos, ut quod incæpimus, opere perficeremus. Et vos veſtros Prælatos & Barones in noſtrum adjutorium provocaretis contra Turcas, & alios fidei inimicos. Et quòd dictus Dominus Frater *Petrus* nobis referret veſtram voluntatem: Qui prudenter à nobis quæſivit noſtram intentionem, ſi confiteremur quæ Sancta, Romana ac Catholica Eccleſia prædicat & docet. Et cùm tunc non potuerimus reſpondere, voluimus Conſtantinopolim accedere, & ibi reſpondere: tardavimus propter aliqua quæ contigerunt nobis. Poſt hoc Conſtantinopolim venientes dedimus operam, ut plenariè reſponderemus.

655. Scitote ergò, Sanctiſſime Pater, quòd cum omni ſolicitudine, quâ poſſumus, laboravimus & laboramus, ut Eccleſia noſtra, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ uniatur; & cum conſilio & deliberatione Baronum noſtrorum, dicto Domino Fratri Petro reſpondimus, quòd, ſicut promiſimus, ità volumus, & ſumus obedientes & fideles ac devoti Romanæ Eccleſiæ; imò & promittimus & juramus, & firmiter ego promitto, & teneo omnia integrè, quæ Sancta Romana Eccleſia tenet, & ipsâ fide volo vivere & mori, & nullô tempore ab ipsâ diſcedam. Et ſic promiſi dicto Domino Fratri *Petro*, & in manibus ſuis juravi, præſentibus Epiſcopis multis: & ſervabo amodò fidem & fidelitatem Summo Pontifici, quam ſervant alii Principes Romanæ Eccleſiæ. Nunc autem hoc facere non poſſum, quòd totus Populus obediat: quia non omnes ſunt mihi fideles, nec obediunt, & multi inſidiantur, ut habeant occaſionem contra me: Sed omninò complebo & firmabo Vobis, ſi adjutorium mittatis, quod quæſivi; & nullus erit qui contradicat. Scio enim quòd ſi venerit Legatus veſter cum galeis & adjutorio; quod quæro, omnes ſubiicientur, & erunt fideles Vobis. Et nunc, ſanctiſſime Pater, nè contemnatis me filium veſtrum: omne enim genus meum, à principio voluit obedire Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ; & fidele fuit & ſubjectum, & etiam proavus meus uſque in finem vitæ ſuæ: & in obedientia, fidelitate, & devotione prædictus deceſſit. Et ſic faciam ego omninò, Deo auxiliante. Igitur nè contemnatis me filium veſtrum, nec ſpernatis

Imperator facit profeſſionem fidei Romanæ Eccleſiæ.

Promittitque imperij ſui totius ſubjectionem.

Civitatem & Terram meam, cum exiguo ei adjutorio, & omnia vobis ſubiicientur. Multa bona fecit nobis Deus, (a) poſtquàm accepimus per dictum Dominum *Petrum* benedictionem veſtram. Statim enim accepimus vivum magnum Principem Turcorum; & ſubjecerunt ſe nobis multa caſtra. Necnon, qui ſe fecerat Imperatorem, habemus in carceribus noſtris, cum uxore & pueris ſuis: & credimus quòd totum eſt factum propter benedictionem veſtram, de qua multùm ſperamus. Omnia quæ ſcripſimus volumus adimplere.

Beneficia varia accepta. Apoſtolicæ adſcribit benedictioni.

656. Voluimus autem & filium noſtrum Deſpoten Sanctitati Veſtræ deſtinare: ſed Dominus Legatus non judicavit ad præſens id fieri. Spero autem quòd in brevi veniet ad veſtram Sanctitatem: & utinam ego ipſe poſſem venire ad exhibendum reverentiam, quam debeo; Quæ autem ſcribere propter multiloquia omiſimus; dicto Domino Legato commiſimus Veſtræ Sanctitati referenda. Propter Patriarcham verò non dubiteris: deponam enim eum, & ponam alium, quem ſcio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ eſſe fidelem. Gratias autem ago vobis, quia miſiſtis ſic nobis ſapientem virum & prudentem, de quo Imperium noſtrum multùm eſt conſolatum & omnes Romæi & Latini: propter doctrinam enim ſuam, in meliorem vitam ſunt mutati & confirmati. Recommendo meipſum, & meum Imperium veſtræ Sanctitati. Ad ſecuritatem prædictorum, & manifeſtam adimpletionem, præſens inſertum juſſit fieri Imperium noſtrum, quod rubeis litteris manu propriâ, more conſueto ſignavit, & aurea Bulla eſt appenſa. Scriptum eſt enim Conſtantinopoli in noſtro à Deo cuſtodito Palatio Blachernarum, anno à conſtitutione Mundi, ſexto milleſimo, octingenteſimo, ſexageſimo-ſexto, menſis Novembris, ſeptimo die, Indictione undecimâ. *

Et Imperiũ conſolatum teſtatur per Legatum.

** Finis litterarum Imperat.*

657. Cùm etiam inter ſanctam Eccleſiam, & Dominum Barnabonem de Mediolano, foret (b) guerra horribilis & incenſa, nec poſſet modo aliquo remedium inveniri, ut fieret pax inter indignatum ſummum Pontificem, & rebellem ſubditum Barnabonem, multis Regum, Principum, & Communitatum tractatibus in vanum tranſactis, ultimò Illuſtriſſimi Reges Franciæ, atque Cypri mittere diſpoſuerunt Legatos, qui ovem errantem, ad caulas gregis Dominici pro poſſe reducere conarentur, & inter alios per D. Regem Cypri fuerunt Fr. *Petrus Thoma* tunc Archiepiſcopus Cretenſis, (c) & D. Philippus de Mazzeriis Cancellarius dicti D. Regis Cypri, pro pace tractanda, & ad cætera negotia aſſignati: pro parte verò D. Regis Franciæ, miſſi fuerunt unus Epiſcopus, & unus Comes, qui cum favore & majeſtate Regis Franciæ cogitabant D. Barnabonem, (d) ad Eccleſiæ reverentiam inclinare; quod & Deo permittente nequiverunt, nec à dicto D. Barnabone aliquid obtinuerunt; ſed vacui ad Curiam redierunt. Videns igitur D. Fr.

S. Petrus Archiepiſcopus Cretenſis.

Petrus

XXIX. JAN.

Petrus quòd mundi potentia Gallicana, nihil cum colubro obtinebat; ad agni innocentiam, & leonis de Tribu Juda gratiam, quæ vincit mundi principes, ſe convertit, ac ſe jejuniis, & orationibus tamquàm armis victorialibus præmunivit; quibus D. Archi-Epiſcopus Cretenſis prædictus, ferocitatem animi, quâ ardebat dictus Barnabos, contrà Eccleſiam ſic extinxit, quòd poſt receſſum Ambaxiatorum (c) Regis Franciæ, infrà tres dies, dictus Dominus Barnabos pro Ambaxiatoribus mitteret Regis Cypri; & in eorum judicio, & manibus poneret totum faciendum, Spiritus ſancti Gratiâ ſuperveniente in eum, ex verbis mellifluis & exhortationibus Fr. *Petri:* ſic quod ad D. Legatum Hiſpaniæ, qui in Italia cauſam Eccleſiæ tunc ducebat, cum bona reſponſione dicti D. Barnabonis, dicti Domini, Archiepiſcopus, & Cancellarius acceſſerunt, relationem de concordia porrexerunt, & humilitatem dicti D. Barnabónis Domino Noſtro Papæ, atque ejus pænitentiam obtulerunt; & dirigente Domino non ſine grandi miraculo ad bonum finem negotium eſt concluſum; itâ quòd D. Barnabos filius, & ſubjectus S. Eccleſiæ Romanæ ſit ſpecialis.

(c) Juſſo ſibi D. Mazzario Regni Cancellario.

Barnabonem Mediolanenſem dynaſtam, cum Pontifice reconciliat.

658. Tranſactis autem fermè duobus annis, accidit quòd communitas Januenſis (f) contrà regnum Cypri, guerram tam periculoſam facere proponebat, quòd omnes Januenſes de mandato Communitatis, & Ducis, exeuntes ad damnificandum & invadendum veriſimiliter, ſe parabant; pro quorum reductione & pacis reformatione, quantum laboraverit homo Dei, quanta incurrerit pericula & diſcrimina in tractando, narrare poteſt veraciter ejus familia; quæ timens plerumquè mortis periculum, à viri Dei conſortio interdùm recedere diſponebat: ſed per ipſum in Domino confortata, injurias patienter & improperia tolerabat. Præconizatum etenim fuit in Janua, ipſo pacis negotia promovente, quòd nemo ſibi vel familiaribus ſuis, quoquo modo præſumeret hoſpitium, ac victualia miniſtrare, aut ei loqui. Famulus autem Domini non obſtantibus quibuſcumque periculis, ſerenatâ facie, nec murmure reſonabat, nec quærimoniâ, ſed corde Deo, mens benè conſcia, patientiam conſervabat, & animorum concordiam dicti Regis & Januenſium diſcordantium ad finem uſque deduxit: quod non ſine admiratione audientium Rex noſter pacificus *Chriſtus* Jesus pro directione Paſſagii diſponere voluit, ad ſui nominis laudem & gloriam, atque præconium id tractantis. Ubicumque etiam ſentiret diſcordiam inter homines, qui converſabantur cum eo, ſtatim in medio ſe ponebat, & tamquàm lapis angularis utriuſque parietis, cordialis, reficiebat fiſſuram, proximos ad unitatem reducens, & charitatis vinculo connectens, ut inſimul habitarent unanimes in Domo Dei, cujus eſt participatio in id ipſum.

(f) multa ſubit diſcrimina.

Patienter tolerata.

Ianuenſium Bellum devertit.

659. ANNOT. (a) *Præterquam quod ad Unionem rediit Romanæ Eccleſiæ, per S. Petri Legationem: Ghalem Turcam Orchanis filium in poteſtatem recepit, Matthæum hoſtem repreſſit. Gratianopolim occupavit, & Matthæi uxorem cum duobus Filiis, totidemq; filiabus cepit, ita* Catacuzenus *lib. 4. hiſtoriarum cap. 44. & 45. apud* Lezanam *tom. 4. Annalium ad Annum* Chriſti 1357. *fol. 617 num. 4.*

(b) Guerra, *id eſt Bellum.*

(c) S. Petrus *Archiepiſcopus* Cretenſis *ab Urbano V. anno Pontificatus illius X.* Chri. *vero* MCCCLXIII. *conſtitutus eſt ob ſua ſola merita ut habet Mazzarius in vita apud Henſchenium. Eratque Archiepiſcopalis Sedes in Urbe Candia Inſula Cretæ.*

(d) Barnabo, *ſcribunt alij* Barnabous, & Barnabous: *fuit ſucceſſor Fratris Primogeniti Maphæi. Bellum intulit Pontifici ob Urbis Bononienſis ereptionem ſibi factam ab Ioanne Valesio: & poſt multa illata gravamina, pluribus miſſis potentibus Legatis; tandem 1364. ſub Urbano V.* S. Petrus Thomas *unà cum Mazzario Regni Cypri Cancellario pacem reconciliat.*

(e) Ambaxiatorum *id eſt Legatorum.*

(f) *Bellum Ianuenſium inſtans, cum Cypriis quantum laboraverit, & quam multa ſubierit pericula S. Petrus Thomas, ut deverteret, fuſiùs refert Mazzarius in vita apud Henſchenium. Cap. XV. per totum.*

C A P. VIII.

Paſſagium, ſive expeditio ſacra, illiuſque S. Paſſagij Legatus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus S. Petrus *conſtitutus.*

660. Quantis autem vir Dei laboribus, pro infidelium deſtructione, expoſuerit corpus ſuum, facta plurima ſtrenua id oſtendunt: nam tribus annis & ultrà ad expenſas ſudore proprio procuratas, nullo ipſum alio adjuvante, fidelium devotione exceptâ, locum de Smyrnis, contra Turcas viriliter defenſavit, in quo temporis ſpatio multæ pugnæ & Chriſtianorum victoriæ acciderunt, & ad impugnationem inimicorum Crucis, animum D. Regis Cypri aſſiduè inflammavit. Factâ ſiquidem in Italia, bonâ pace inter Eccleſiam, & D. Barnabonem prædictum, ordinatione divinâ, & tractatibus viri Dei: accidit quòd Illuſtris D. *Petrus* Hieruſalem atque Cypri Rex, multos nobiles induxerat in Ponente, ad faciendum (a) Paſſagium Terræ ſanctæ; & Venetias miſerat, ut ipſum venturum de proximo exſpectarent. Miſitque litteras propriâ manu ſcriptas, nobili militi D. *Philippo de Mazzariis* Cancellario Regni Cypri, adhuc cum Dei famulo tum Archiepiſcopo Cretenſi, in Bononia exiſtenti, quatenùs iret Venetias feſtinanter, & navigia pro Paſſagio diſponeret, & alia neceſſaria, ſine mora. Dictus verò Cancellarius mandatum Regis, Domino Archiepiſcopo revelavit; quod audiens, ac deſiderium Regis videns, quamvis eidem nihil Rex de iſta materia ſcripſerit, elephantis more, ex aſpectu, & contemplatione ſanguinis Jesu *Chriſti*, totum ſe contulit ad tractandum dictum Paſſagium, & dictum Cancellarium quantum valuit animavit in vindictam ſanguinis innocentis,

Regem Cypri ad bellum contra Turcas inflammat.

(a) Rex Cypri ſe ad Paſſagium parat.

Idem nihilominus præſtat S. Petrus eâ de cauſa pergit Venetias.

centis, ſic quod ambo DD. ſupradicti in Domino confortati, Venetias perrexerint, ubi per Ducem & cives honorificè ſunt recepti, quibus exponentes Regis ad Paſſagium voluntatem; Ducis Venetorum (b) atque Nobilium reſponſum debile à principio habuerunt: ſed præmiſſis & allegatis multis rationibus, ex parte Venetorum; qui mortem D. Regis Franciæ Capitanei dicti Paſſagii allegabant, & rebellionem inſulæ Candiæ, quam fecerat contra ipſos, cui habebant neceſſariò providere de remedio opportuno; propterea non credebant dictum Paſſagium proſperum ſortiri effectum. Idcircò contra Soldanum Babyloniæ guerram incipere non audebant; non videbant etiam quod Domini Templares erga Paſſagium cum fervore diſponerent facta ſua: ea propter non poterant, nec audebant auxilium impendere, quoquo modo, ſed meritis, & interceſſionibus viri Dei, ſatisfactis per ipſum quibuſcumque rationibus allegatis, divina gratiâ illuſtrati, finaliter conceſſerunt pro duobus millibus equitum, cum omnibus neceſſariis navigia miniſtrare; ſic tamen quòd pro mille equitibus, Venetiarum Communitas expenſas faceret, & pro aliis mille D. Rex Cypri ſatisfaceret; aliundè & talem oblationem uſquè ad certum terminum adimplendam, dux Venetiarum cum ſuo conſilio, juramento firmavit, & de hoc miſerunt autenticas litteras D. Regi Cypri, quod ad maximam laudem & præconium Venetorum in conſpectu fidelium erit ſemper.

Eoſdem ad idem hortatur. *Primò renuunt.* *Finaliter conſentiunt.*

661. Recedens igitur dictus *Petrus* de Venetiis tunc Cretenſis Archiepiſcopus, & D. Cancellarius, D. Papæ & D. Regi Cypri curaverunt celeriter intimare, de quo non modicum gaviſus eſt Chriſti Vicarius, & Curia univerſa; exiſtente autem dicto D. Archiepiſcopo in Curia ac negotia pertractante, D. Petragoricenſis (c) Legatus Paſſagii eſt defunctus, quod multum lamentabile fuit cunctis: Nam propter mortem Capitanei & Legati, cogitaverunt omnes Paſſagium impediri; ſed dicto Archiepiſcopo ſollicitè negotium promovente cognovit Chriſti Vicarius, quòd devotio Regis Cypri poterat totum mundum ad faciendum Paſſagium excitare. Cupiens igitur, quantum in eo eſt, tam pium & devotum negotium exaltare, cum fratribus ſuis diſpoſuit, dicto Archiepiſcopo legationem imponere ſacri Paſſagii & laboris; & ut magis autentica foret Legatio, providet eidem de Patriarchatu Conſtantinopolitano, & procuratione Eccleſiæ Coronenſis, & etiam Nigro-pontenſis.

Intimant Papæ & Regi Conſenſum datum. *Moritur Petragoricenſis Paſſagij Legatus.* *S. Petrus ejuſdem Legatus ſimul & Patriarcha Conſtantinopolitanus conſtituitur.*

662. Exſpectantibus igitur duobus paranymphis Paſſagii, & tractantibus negotia oportuna, excelſus Rex Cypri *D. Petrus de Luſignano*, (d) per mundi climata, Principes requirebat in diverſis partibus, cum eiſdem conſilia celebrando; qualiter omnes vexillum Chriſti aſſumerent, & Terram ſanctam eriperent de manibus Paganorum: ſed impeditor ſancti conſilii ſeminator zizaniæ, humani generis inimicus, caput draconis, ultimum erigens contra cælum, non tantùm tertiam partem ſtellarum; ſed pro majori parte, Principum terrenorum traxit ad ſe proceritudinem & fulgorem, ſicque adjutorium pro Paſſagio denegantes, ſubſidium non tantùm ſubtraherent; ſed Regem plus debito retinerent: quod videntes Veneti, & ſtrenua alia militia Chriſtiana, Regem in præfixo termino non veniſſe, quaſi de Paſſagio deſperati, Veneti à promiſſo ſe reputarunt penitùs abſolutos. Milites verò Anglici, Teutonici, & alii qui in Venetiis exſpectabant, hinc & indè diſperſi ſunt, quaſi oves non habentes paſtorem: de quo lugubrem & ſummum planctum ſumens D. Patriarcha, opinatus eſt Paſſagium totalitèr jam fruſtratum. Sed vires ſumens in Domino tamquam Princeps inclytus, adhuc populum Domini quantum potuit, congregavit; ſicque quandò Rex Cypri venit Venetias, cum ſtrenua licet pauca ſocietate, poſteà transfretavit. Et nè per Ianuenſes impediri valeret, qui tunc noviter inſurrexerant, contrà ipſum, ipſos anteà pacificare diſpoſuit, & dictum D. Patriarcham miſit Ianuam, qui ut prædictum eſt, cum multis laboribus pacem fecit.

Rex requirit undique auxilium. *Remora interveniens.* *De Paſſagio quaſi fruſtrato dolet Patriarcha.* *Transfretat Rex.* *Ianuenſes repacificat S. Petrus Vir Dei.*

ANNOT. (a) Paſſagium *id eſt ad Expeditionem contra Turcas, quæ decreta fuit 1364. & vocata Crucis Signatorum*

(b) *Dux Venetorum erat Laurentius Celſus, ad quem ſcripſit adhortatorias, Vrbanus Papa V*

(c) *Ille eſt Talarrandus, de quo ſuprà, in cujus Legationis locum ſufficitur* S. Petrus Thomas, *idque ab Vrbano V qui illi utique in Commendam dedit Eccleſias Coronenſem, & Nigropontenſem, ut habet Mazzerius in vita ejuſdem cap 14 ad num 80 apud Henſchenium.*

(d) *Primogenitus Hugonis Regis Cypri, & Hieroſolymorum, de quo ſuperius ad cap 6*

Venetis ad ſubſidia Paſſagij involuntariis, eorumdem Duci præcepit Pontifex ut S. Petro ſedis Apoſtolicæ Legato obtemperet, ita Bzovius num. 11.

CAPVT IX.

S. Crux exaltata, Alexandrina Vrbs intercepta, & demùm, derelicta, S. Legati deſiderium pateſcit Martyrij.

663. PRinceps igitur ſtrenuus Patriarcha, ſignum ubique regale bajulans Crucis Chriſti, prædicando, exhortando, confortando, conſolando, fidelibus Crucem imponens, promittebat omnibus Regnum Dei; & ſic exercitum Domini congregavit, qui cum dicto Rege, ſuperatis multis periculis, diſpendiis, laboribus, & expenſis, omnes unanimes (a) Alexandriam pervenerunt, (b) & X. die Octobris anni MCCCLXV. cum Dei potentia, atque miraculo aliàs inaudito, victorioſè ipſam Alexandriam intraverunt, & de manibus paganorum potenter acceperunt, confortati multum in Domino, per prædicationes & monita ſancti Patris, cui Deus

Crucem Chriſti portat & prædicat. *(a) (b) Alexandriam perveniunt, eam occupant.*

XXIX. JAN.

Deus potentiæ ſuæ Miracula demonſtravit, dum modicus valdè exercitus Chriſtianus virtute *Crucis* & Agni potentiâ Paganorum quaſi infinitam multitudinem debellavit, ut non auderent Chriſtianos reſpicere, nec ad portas accedere civitatis; ſed fugæ præſidium aſſumentes, cæterorum Agarenorum corda penitùs proſternebant: quod benè arguitur ex victoria à ſæculis inaudita. O quàm potens Princeps, dilectio Crucis Chriſti, qui ſuorum animos roborat pugnatorum, ut ſagittas & tela non metuant paganorum, ſed ſuas acies viriliter dirigant contra ipſos, & proſternant multitudinem & fortitudinem hominum, & equorum. Felix etiam Patriarcha, quem non gladius tenet, ſed in medium provocat iniquorum; nam ſi eum gladius non abſtulit, palmam tamen deſiderati martyrii non amiſit; undè non dubito fore ipſum triplici aureolâ laureatum, videlicet puritatis cum Joanne Euangeliſta, doctoratûs cum Gregorio, & martyrii (c) cum Clemente.

Virtute S. Crucis Paganos ſuperant.

S. Patriarcha inter enſes Martyrij cupidus, Martyr affectu, efficitur.

ANNOT. (a) *Alexandriam venerunt anno 1365.*

(b) *Intercepta fuit Civitas non X. Octobris: nam error videtur eſſe in numero (prout id frequenter, & facilè contingit) ſed 4. ita ut pro X legendum ſit 4 prout habet Mezerius, qui conflictui interfuit: hinc Waddingus: quarto nonas Octobris S. Franciſci natalitio ſacro: fuit autem tota Civitas occupata, & non ejus pars, ut vult* Waltingham, *quam ob plurimorum ignaviam, & diſcordiam cum ſummo mœrore præſertim S. Legati deſerere coacti fuerunt (4. aut 5. die Captionis ejuſdem, ut dictus vult* Wallinghamus.) *prout patet ex vita à Mezerio deſcripta c. 16. num. 99.*

(c) *Martyr, an & quâ ratione* S. Petrus Thomas *dicendus ſit* Martyr *vel* Confeſſor, *luculenter declarat R. P. Godefridus Henſchenius, in Commentario prævio ad vitam ipſius §. 5. Et V. P. Lezana in Annalibus Carmelitanis tom. 4. ad annum Chriſti 1366. Idem expenditur & definitur in Vinea Carmeli parte 2. ſub finem, num. 148. & ſequentibus, & hic ſuprà in Prolegomenis §. 4.*

CAPVT X.

S. Patriarchæ erga Peccatores Compaſſio; Schiſmaticos, & Hæreticos, zelus; ac Peſtiferos, opitulatio.

664. Pietas verò quæ ſecundùm Apoſtolum ad omnia valet, tantâ cor viri Dei liquefactione repleverat, quod errantibus animis quaſi continuè miſericordiæ viſcera effundebat; quandò enim inſtigante diabolo fidelium animas maculari ſentiebat aliquâ ſorde peccati, tantâ ipſas tenerrimi cordis amaritudine deplorabat, quòd eas quotidie tamquam mater in Chriſto pœnaliter parturiret. Super quarum converſione, non parcebat laboribus, jejuniis, vigiliis, prædicationibus & exhortationibus, & quibuſcumque aliis diſciplinis; quin immò corpus ſuum inceſſanter affligens, tamquam proprium fructum, & merita ſua Domino ſpecialiter offerebat, ſeipſum pro animabus redimendis excrucians, & cuſtodiens propter alios vias duras; ut Salvatoris exemplo prius in ſeipſo aſſumeret, quod portare alios edocebat, ſicut manifeſte apparet in Legatione Regis Rachiæ, ubi tam verbaliter, quàm exemplariter laboravit pro converſione illius, & reductione ad Eccleſiæ unitatem. Laboravit etiam, ſicut prædictum eſt, pro confirmatione Imperatoris Græcorum, quem de obedientia & reverentia S. Eccleſiæ informavit.

Tenerrimè compatitur peccatoribus ut in Chriſto reparentur.

665. Aliâ autem vice, quando fuit miſſus Legatus in Cyprum, Græcos de Cypro, ſecundùm Curiam Romanam voluit confirmare, ubi cum unâ die omnes Sacerdotes Græcorum cum ſuo Epiſcopo ad Nicoſienſem Eccleſiam convocaſſet, ut ipſos de fidei articulis, & Eccleſiæ ſanctæ reverentia informaret; Græci Schiſmatici tantum inſultum ſibi, & ſuo Clero fecerunt in Eccleſia memorata, quòd abſque dubio interfectus fuiſſet, niſi Chriſtianiſſimus Rex Cypri miſiſſet Germanum ſuum cum multitudine armatorum, qui ipſum & Clerum Catholicum ab inſultu & commotione populi protexerunt: rumore autem prædicto ceſſante, famulus Dei protectus Dei virtute & potentiâ ſæculari, ad reformandum ſchiſmaticos, ſacris conſtitutionibus ſtatutis, ardenter & virtuosè proceſſit; & durantibus negotiis Fidei orthodoxæ in prædicta legatione, mirabilia opera ſua, in ſervo operari dignata eſt clementia Salvatoris. Nam quondam ſemel vocatus, per D. Regem Cypri pro coronatione ejuſdem, exiſtens in Rhodo, languore detinebatur tam valido, quòd judicio medicorum naturaliter impoſſibile foret, ipſum de vita corporis exſpectare. Quo tamen non obſtante languore, dictum Regem cupiens coronare, pro veniendo Cyprum, in una galea ſe poni fecit in mari, ubi ipſum languor amplius aggravavit, ſic quod quando Paphum applicuit, vix crederetur ſupervicturus in craſtinum: exeunte igitur de mari quodam Canonico vocato Beregario, Gregorii Decano Nicoſienſis Eccleſiæ, pro hoſpitio præparando, & redeunte iterum ad galeam, dictum D. Legatum ſuper puppim galeæ adſtare conſpexit; quem intùs antea dimiſerat ſemivivum, & intenſis febribus occupatum, de quo admirans non modicum interrogavit infirmum, qualiter ſibi erat? cui Vir Dei in ſpiritus fortitudine ſic reſpondit. Bene, inquit, chariſſime, per Dei gratiam bene ſanus ſum: quia B. Gregorius me curavit, unde ex verbis dicti D. Legati arguitur, quòd tam evidentem & celerem ſanitatem, natura dare non potuit, & Deus ipſam præſtiterit meritis dicti S. Gregorii, quem tunc piè invocaverat homo Dei.

Græcos pertinaces Rom. Eccleſiæ aggregare dum molitur,

gratiſſimo ſuæ ad ſtimentis exponitur.

Protectiſſima Fratris Regis eripitur.

Ex Rhodo Cyprum navigat,

Regem coronaturus.

Paphum applicuit infirmus ad mortem.

Ibi meritis S. Gregorij ſubitò ſanus factus.

666. Alio quoque tempore poſt coronationem prædictam, peſtis mortalis epidimiæ invadebat Syriam, & Turchiam, & in tantum invaluerat, quod in Famaguſta plures ſubitò extinguebat: nã die quâlibet triginta & quadraginta moriebâtur, de quo Vir pius populo devote compatiens, pro corporibus animiſq; curandis, ſalubre remedium adinvenit. Nam

Peſtem Famaguſtæ curat.

A a proceſ-

XXIX. JAN.

proceſſionem generalem & devotiſſimam ordinavit, in qua ipſe cum toto Clero & Populo nudis pedibus incedentes, indulgentiam à Deo fuſis lacrymis poſtulabant: ipſe verò Legatus tam in ſermone publico, quàm in Miſſa, populum & Clerum, ad tantam pænitentiam provocavit, quòd Judæi, Turchi & alij infideles, atque Schiſmatici Chriſtiani, lamentabiliter miſericordiam clamitarent: quorum voces & merita ſancti Patris, Deus ex alto proſpiciens, citò fecit cum tentatione proventum. Nam illà die, quà dicta proceſſio facta fuit, cum circa ducenti in dicta Civitate jacerent infirmi, de prædicta peſte, ipsâ die mori, vel de proximo exſpectantes, nullus penitùs eſt in dicta civitate mortuus illà die; & quod mirabilius eſt, omnes infirmi curati ſunt, & ex tunc tota peſtis illa ceſſavit. (a)

667. Alio quoque tempore, ipſo Legato veniente in Cyprum, in quadam magna navi Provincialium, tanta tempeſtas facta eſt circa navem, quòd marinarij ipſam regere non valentes; juxtà Paphum, ipſis invitis ad quemdam locum periculoſiſſimum applicarent. Credentes igitur dictam navem inter procelloſas undas firmiter retinere, ſexdecim anchoras cum fortiſſimis funibus in mare celeriter projecerunt; ſed propter validam tempeſtatem nihil eis profuit remedium ſupradictum; quia funes & anchoræ fuerunt propter fluctus penitus diſſolutæ, ideò ad divinum auxilium recurrentes, dictum Dominum Legatum cœperunt precibus rogitare, ut pro eis intercedere ad Dominum dignaretur; ipſe verò oratione præmiſsâ quamdam crucem parvulam, cum fune ligatam, in mare projecit; quia ipſam ſemper ex devotione portabat, ſtatim autem ut ipſa crux tetigit undas maris, tam ex virtute Ligni Domini, quod erat in ipſa cruce, quàm etiam ex meritis deferentis, tempeſtas omnis immeditatè ceſſavit, *& facta eſt tranquillitas magna,* ut marinarii ſtupore mirabili tenerentur, & Dei virtutem, & ſancti ſui merita, voce publicà proclamabant.

Cruce in mare immiſsâ, naufragium evadunt.

668. Quantis autem fervoribus Famulus Dei tenebatur, in peccatorum animabus à ſceleribus revocandis, & potiſſimè ab erroribus hæreticæ pravitatis, laborum multiplicum experientia hoc oſtendit. Nam ſemel audiens, quòd in Candia inſurgebat quædam peſtis hæreticæ corruptelæ, non moras paſſus eſt vel cunctatus de aliquo Servus Dei, quinimò in Candiam celeriter navigavit, ubi quamvis per plures ei fuerit contradictum; eò quod hæreſiarcha cognatus foret uxoris Ducis Candiæ, & haberet ſecum multos conſentaneos in errore; non propter hoc Famulus Domini, lumen fidei abſcondebat; quin imò defenſores, fautores, & receptatores dictorum hæreticorum ſolenniter & totam Civitatem Candiæ, interdixit; Duci, & aliis Catholicis Venetis, cenſuras Eccleſiaſticas comminando: propter quod ipſe Dux virtute fidei, & rigore juſtitiæ ad defendendum dogma Catholicum inclinatus; ex tunc D. Epiſcopum & Legatum in factis fidei, viriliter coadjuvit; in tantum, quòd factà inquiſitione & repertà veritate ac hæreſi condemnatà, ipſe dux dictum hæreſiarcham perſonaliter caperet, & ignibus traderet comburendum, cæteris hæreticis abjurantibus hæreſim, & petentibus toto corde indulgentiam de commiſſis. Illuminatis igitur dictis hæreticis, & extirpato errore, ac Populo Candiæ, in credulitate veræ fidei confirmato, in Canéam civitatem ejuſdem Inſulæ tranſineavit, in qua exhumari fecit oſſa cujuſdam hæretici & comburi.

In Candiam navigat, hæreſim exſtirpaturus.

Ponit interdictum.

Hæreſiarcham opera Legati Rege comburi juſſit.

In Caneam tranſmeat.

669. Veniens igitur ſervus Dei ad Eccleſiam Coronenſem, contigit eum provinciam Achaiæ reformare, ubi multas Eccleſias, & rectores in fide S. Eccleſiæ roboravit; ubi mirabile accidit non tacendum. Dominus quidam Arcadiæ Vir Nobilis, & devotus conſortem habebat conformem ſibi in virtutibus atque fide, quæ cum plures haberet filias, numquam maſculum poterat parturire; qui cùm audiſſet dictum D. Legatum terram ſuam exemplariter viſitare, ergà ipſum tantam devotionem concepit, quòd omninò credebat ejus meritis, filium maſculum à Deo obtinere, ſi dicta uxor ſua per ſervum Dei benedictionem acciperet ſalutarem; ea propter magnum convivium ordinavit, & dictum Legatum, cum aliis multis nobilibus invitavit: convivio autem finito dictus nobilis voluntatem ſuam, & devotionem, quam ad ipſum conceperat indicavit, & benedictionem uxoris totà mentis devotione popoſcit, vocanſque uxorem ad pedes D. Legati genuflectere eam fecit, & benedictionem ſuam humiliter poſtulare. Quorum devotionem conſpiciens Servus Dei, librum aperuit & benedictionem prolixè, devotè, piè & ſolemniter recitavit: deindè ſignaculo ſanctæ crucis Baroniſſam in Dei nomine benedixit, & quòd filium conciperet & pareret fiducialiter repromiſit: quod operari Deus non diſtulit, dum ad paucos dies mulier ipſa conciperet: & proceſſu temporis ſanum & pulchrum filium maſculum peperit.

Viſitatque Eccl. Coronenſem.

Nobili Matronæ prolem maſculam benedictione promiſſit & impetrat.

ANNOT. (a) *Tota peſtis illa ceſſavit.* Tam ſubitanea illa ceſſatio peſtis meritis S. *Petri Thomæ* declarat merita ejus, & patrocinium efficax erga peſte infectos. Sed de hoc latiùs infrà in Appendice §. 3.

CAP.

XXIX. Jan.

CAPUT XI.

Alexandriæ Urbis deperditæ Lamentatio. In Cyprum Reditus. S. Prælati ægritudo; pia ad mortem præparatio, piiſquè illius Obitus.

670. SEntiens igitur Famulus Dei corpore ſe peregrinum à Domino, cùm jam ad terrena deſideria totus eſſet inſenſibilis factus, ad ea quæ Dei ſunt, perquirenda; totaliter ſe convertit: nam poſtquàm Dei clementiâ Paſſagium ſemel compleverat; & cum potentia Regis Cypri protegente ipſum clypeo Fidei, & armis divini auxilii Alexandriam invaſerat, ut ſuperiùs recitatur, & de dimiſſione ipſius dolendo, (a) epiſtolam compoſuerat gemebundam; cum prædicto Rege in Cyprum navigando pervenit, totaliter ſe diſponens ad transfretandum in Curiam Romanam; ut Dominum Papam, & alios Principes Chriſtianos ad cœnam magni Dei, contrà Barbaros invitaret; ſiti inextinguibili inflammatus, ad Terram Sanctam cupiens citò ire, ut cor ipſius refrigerari valeret de Sanguine Chriſti, & ſanctorum dulcedine, qui in prædicta terra effuſus eſt; undè *ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità* deſiderabat illius *anima ad Deum* ſuum. Verùm quià hoſtis peſtiferi, Crucis Chriſti, proprium eſt ſanctis operibus invidere, & animarum ſalutem pro viribus impedire, tantum diſpendium, & impedimentum in eo poſuit, quòd ſicut diſpoſuera non potuit adimplere; & iſtud, dolorem dis ipſius, continuè augmentabat.

Alexandriã perditam deplorat.

(a) *Redit in Cyprum iturus Romam,*

ardentiſſimè deſiderando auxilium pro Terra S. Recuperatione.

Adverſatur diabolus.

671. Nihilominùs ſemper exemplariter & devotè ſacra myſteria celebrabat, ne foret abſque conſolatione Dilecti; quamvis cruciaretur interiùs de perditione Alexandriæ, & de mora ſuæ Legationis; exteriùs tamen hilarem cunctis ſe exhibebat: & Divinis Officiis, (tempore eidem ad modicùm conceſſo) diviniſquè celebrandis myſteriis ſeſe occupabat. In Feſtivitatibus enim Nativitatis Domini Salvatoris Miſſas omnes in Pontificalibus celebravit; & in Matrice (b) Eccleſia Famaguſtæ, de domo Carmelitarum, uſquè ad dictam Eccleſiam, quâlibet die, cum lutis magnis, & frigore veniebat. Die autem Sabbathi infrà octavas Nativitatis Domini, de prædicta domo Carmelitarum uſquè ad Eccleſiam de Cana, (c) nudis pedibus venit, & rediit; & Miſſam ſolenniter celebravit: alteratus igitur, tam ex languore cordis, quàm corporis, morbum contraxit, quem uſquè ad diem Martis ſequentem, Miſſam quotidiè celebrans, occultavit: ipsâ verò die Martis; tantus ipſum rigor febris àrripuit, quòd tunc non potuit celebrare; creſcente igitur languore tam valido, uſquè ad Vigiliam Epiphaniæ, febres cum magna patientia toleravit, pervigil in Orationibus, & exhortationibus, familiæ circumſtantis: cumquè magis ac magis invaleſceret ægritudo, perſenſit diu non poſſe ſubſiſtere; & miſſo prius prænobili milite D. Philippo de Mazzeriis Regis Cypri Cancellario (d) ſupradicto, de Anima ſua, & de Familia; & de rebus providere curavit, & ſecundùm Deum; & rectam conſcientiam omnibus ſatisfecit.

Vacat interim piè divinis.

(b) *In Nativitate Domini 3. miſſas cantat.*

(c) *Ad Eccleſiam de Cana pergit pedibus nudis.*

Inde lethaliter infirmatur.

(d) *Diſponit de familia.*

672. Dum igitur viribus corporis ſenſit ſe repentè deſtitui, per Confeſſorem ſuum Fr. (e) Arnaldum de Salino ejuſdem Ordinis Fratrem, (cui generaliter ante confeſſus fuerat) fecit ſibi Corpus Dominicum apportari; cujus tremebundum judicium pertimeſcens, tamquam Domino ſuo piiſſimè obviam exiit, & de lecto proſiliens tunicâ vili, & ſcapulari induto corpuſculo, & operto ſacco viliſſimo, poſuit ſe in terra: deindè cordam rudem accipiens; & collum ſuum; & os cum ipſa conſtringens, cum magnis ſuſpiriis & fletibus plurimis, culpam ſuam retogniſcendo, dicebat *Deus propitius eſto mihi pcccatori*, piiſſime judex Domine Jeſu Chriſte, *peccavi in Cœlum & coram te; quia non ſum dignus vocari filius tuus*: eò quòd majeſtatem offendi multipliciter in hac vita miſera & caduca; & tuarum ſubſtantiam gratiarum prodigaliter vivendo conſumpſi; undè *iniquitatem meam ego cognoſco, ſed tu Domine miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ & verax, reſpice in me & miſerere mei*, de tua miſericordia præſumentis, *da imperium tuum puero tuo & ſalvum fac filium ancillæ tuæ*, licèt enim peccator ſim, tamen Patrem & Filium & Spiritum S. non negavi, & te Domine Jeſu Chriſte filium Dei ubiquè confeſſus ſum, & nomen tuum ſanctum multis Nationibus prædicavi, & ideò Domine fac mecum propter nomen tuum, quia ſuavis eſt miſericordia tua; *fac mecum ſi‿num in bonum, ut videant me inimici tui* Dæmones *& confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.* Exurge Domine adjuva me, & libera, & corpus tuum quod indignus præſumo ſuſcipere, cuſtodiat animam meam in vitam æternam, ut corpus revertatur ad terram, de qua aſſumptum eſt; & ſpiritus ad eum, qui creavit eum. *Amen.* Et completâ oratione communicavit; devotè bonum Viaticum ſumens in ſui remedium: dum Pater plenus virtutibus, ſicut peccator ſe coram omnibus accuſabat, flebant; pium etenim erat de ejus tam felici morte gaudere, ſed piiſſimum erat, de ejus abſentia flere.

(e) *F. Arnaldo confitetur.*

Humillimè SS. occurrit ſacramento.

Et piiſſimè illud ſuſcipit.

673. Recedentibus igitur Fratribus, peractis myſteriis, pius Pater incœpit Familiæ prædicare, de charitate & juſtitia ſermonem faciens, & Familiam confortans in Domino, ſuum imitando Auctorem, qui Gregem ſuum piiſſimè confortavit, cùm deberet ex hoc mundo tranſire ad Patrem: cùm verò ſibi (humiliato in ſacco & cinere) à circumſtantibus diceretur, quòd ſurgens de terra, & cordam deponens & ſaccum, vellet parùm quieſcere ſuper lectum; in fervore ſpiritus reſpondebat: non licet, Fratres, non licet

Domeſticos in virtutibus confortat.

In ſacco mori vult.

XXIX. JAN.

Monachum, niſi in ſacco mori; imò etiam Chriſtianus homo in terra mori debet, quia pulvis eſt, & in pulverem revertetur: tandem victus importunitatibus aſſiſtentium, permiſit ſe ſuper lectum reponi.

Mittit ad Epiſcopum Laodicenſem.

674. Proximante igitur Vigiliâ Epiphaniæ, & ipſius corpuſculo jam proſtrato, miſit Confeſſorem ſuum prędictum, pro Epiſcopo (f) Laodicenſi, Vicario in Eccleſia Famaguſtæ, ut cum Clero ſuo indutus veniret celeritèr, & ipſum ſanctâ ungeret unctione; qui veniens in pontificalibus indutus, & Sanctum Oleum portans ſecum; cum appropinquaret Domum Carmelitarum, audivit quod prædictus Patriarcha plùs ſolitò gravabatur, ideò feſtinans ad cameram, introivit: cui Vir Dei, ſentiens introitum ejus, de lecto deſcendit, & obviam procedens, iterùm cum ſacco in capite ſe poſuit ſuper terram; & incœpit Pſalmos Pœnitentiales erectis in cælum oculis recitare, & ſolus unum verſum dicebat, aliis recitantibus alium verſum uſquè ad partem medietatis pſalmorum, deficientibus autem viribus, aliam partem non ſolus, ſed cum dicto Epiſcopo recitavit. Completis igitur Pſalmis cum Litania, ſanctam recepit per manus Epiſcopi unctionem, ipſo in omnibus reſpondente: quâ completâ & devotè ſuſceptâ, confeſſionem generalem emiſit, dicens: *Confiteor* &c. deindè ab omnibus veniam generaliter petiit; recognoſcens humiliter culpam ſuam ſi fortè aliquem offendiſſet.

Inungitur ab Epiſcopo.

Petit ab omnibus veniam.

675. Quibus peractis, & non ſine aſſiſtentium fletibus, conſummatis, requievit iterùm ſuper lectum, & tunc Epiſcopus ſupradictus volens eum aliqualiter conſolari, acceſſit ad eum, & tetigit lectulum, benedictionem Viri Dei pro ſe, & pro aſſiſtentibus poſtulans cum effectu: tum Servus Altiſſimi exhilaratus tam mente quàm facie, dictum Epiſcopum, & alios aſſiſtentes tamquàm alter Jacob monendo, cœcutiens filios ſuos in Dei nomine benedixit; tantam autem odoramentorum fragrantiam ſentit Epiſcopus, quòd tempore vitæ ſuæ talem ac tantum odorem non ſenſerat in hoc Mundo; ita quòd tam mente quàm corpore alteratus, & ſpiritualiter in Domino confortatus, lamentabili voce ad eum dixerit: *O cur nos deſeris Pater bone, aut quomodò nos deſolatos relinquis: Salva quidem ſunt tibi promiſſa tua, noſtri potius miſerere, quos deſeris*; & quis amodò Paſſagium procurabit, & quis de articulis Fidei, ſicut tu, tot Schiſmaticos informabit: quis tot Catholicorum Eccleſias reformabit? quis tot Sanctiones Canonicas ordinabit: quis etiam tantum pro Fide Catholica laborabit? certè neſcio qui erit qui Gregem Domini partibus Orientis tam diligenter cuſtodiat? vel qui pro Paſſagio ſancto tam diligenter invigilet & excitare velit Principes Chriſtianos? Tunc pius Pater motus verbis Epiſcopi, & fletibus aliorum lacrymaſſe etiam perhibetur, converſuſque ad Dominum, & levatis in Cælum oculis ſic reſpondit: *Domine ſi adhuc pro Paſſagio & Populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua*: imitatus Beatiſſimum Confeſſorem *Martinum*, qui inter ſpem poſitus & amorem, nihil voluntati ſuæ relinquens, *nec mori timuit nec vivere recuſavit*: ſed totum ſe Divino arbitrio committebat, reſpiciensque directis luminibus versùs parietem pedis lecti, vidit, ut puto, diabolum propè ſe aſſiſtentem; quia audiente dicto Epiſcopo, & multis aliis, talia verba dixit: *quid hic adſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies*, habeo enim piiſſimum judicem, cujus clementiâ circumvallatus Angelorum cuſtodiâ; non timebo tuas verſutias atque ruinas: receſſit igitur dictus Epiſcopus, repletus ſpirituali lætitiâ & ſuavitatis odore, tunc etiam ex Viri Dei fervore in prædictis verbis cognito, ut per ipſam clarè argueret in Dei Famulo integerrimam Charitatem.

Ille autem omnibus das benedictionem emiſſo odore ſuaviſſimo.

Epiſcop. cum lamentabiliter aliquitur.

S. Prælatus reſpondet ad inſtar S. Martini.

Se Divinæ committens voluntati.

Videt Diabolum.

676. Servus igitur Altiſſimi clarè videns ſuæ vitæ terminum appropinquare; per totam noctem & diem ſequentem incœpit dictum Dominum Cancellarium cum inſtantia evocare, aſſerens quòd mori non debebat, quouſquè Cancellarius adveniret, & ſecum de facto Animæ loqueretur: ita quòd per totam diem Vigiliæ Epiphaniæ, oculis ac manibus in Cælum ſemper intentus nil volebat attendere, niſi Deum, excepto quòd ſæpius iterabat dicens; *ô quando veniet chariſſimus Frater meus, adhuc enim, ipſum per duas horas noctis habeo exſpectare*: appropinquante igitur horâ mortis, ipſo ampliùs non loquente, dictus D. Cancellarius venit; de cujus adventu exhilaratus Famulus Domini, manum cum lætitia lacrymanti porrexit, & ſecum de Anima ſua & Familia clarè diſpoſuit moderatè, & inter verba quæ locutus eſt, hæc quoquè dixit: *ſentio me, inquit, Frater chariſſime, miniam peccatorem, eò quod meum offendi multipliciter Creatorem; ſed habeo judicem valdè pium, qui meis indulgens peccatis, pœnas inferni miſericorditer relaxabit ſua meritis paſſionis & virtute Crucis, cujus myſterio Deo meo Animas plurimas acquiſivi, & quia confidenter recedo, non timeo pœnas mortis.*

Ad ſe vocat D. Cancellarium.

Adeſt Cancellarius.

Ei moribundus lacrymanter manum porrigit.

677. Dicto D. Cancellario abſcedente, fecit continuò legi coram ſe Dominicas Paſſiones, & alias Animæ Commendationes. Teſtamentum etiam Domini legi fecit lacrymantibus cunctis, & de ejus abſceſſu dolentibus ultra modum; inter voces igitur orantium & lamentantium Populorum, circa tertiam horam noctis, (g) diem præcedentem Epiphaniæ, fælix ejus Anima Virtutum ornata monilibus, ſocietatem Corporis derelinquens, ac ſi tamquam puer dormiret, tranſiit ex hoc mundo ad Patrem. Anno Domini MCCCLXVI. poſt cujus dormitationem fælicem, duplicati ſunt fletus & gemitus, pro ſubtractione tam devotiſſimi Patris, cujus licèt pro ſe tranſitus fuerit glorioſus; fuit tamen multis Orientalibus, & ſuis Familiaribus gemebundus. Properantes igitur ſuum lavare corpuſculum, & ipſum de lectulo aſſumentes, poſt lotionem, habitum Ordinis indue-

Paſſionem Domini legi curat.

(g)

Horâ tertiâ noctis poſtſeptimo obiit. 1366.

XXIX. JAN.

induerunt, & ſuper feretrum poſuerunt, ad Eccleſiam cum magnis canticis detulerunt: membra autem ipſius poſt mortem tractabilia ſe præbebant palpantibus, ita ut per dies ſex in Eccleſia Carmelitarum inhumatus exiſtens, manus & pedes, ſicut quandò vivebat, ductiliter hinc & indè devotè ipſum contrahere, & oſculari volentibus, offerebant. Quamdiu etiam fuit in Eccleſia inhumatus, tactus eſt concurſus Populorum de nocte & die, ipſum venerantium ſicut Sanctum: & ex tunc cœpit coruſcare miraculis, ſicut in ſequenti Capitulo continetur. Cupiebant omnes de ſuis habere Reliquiis, & ubi aliud habere non poterant, per corpus & membra ejus circumducebant bombacem, & devotione maximâ conſervabant; qui poſteà pluribus de diverſis infirmitatibus contulit ſanitatem; mirificante Domino Sanctum ſuum, qui ejus beneficia poſtulabant, quibus effectum præſtitit ſalutarem, & exaudivit omnes clamantes ad ſe.

Manet corpus per 6. dies inſepultum.

Frequens concurrit populus,

Veneratur ut Sanctus;

Venerantes beneficia ſentiunt.

ANNOT. (a) Epiſtolam *luctuoſam ſuſiſſimam ad Pontificem, & Imperatricem, manu propriâ, relatam in vita Mazzerij, habent Bollandus cap. 17. Et Odorici ait.*

(b) In Matrice *id eſt templo Majori, ad quod à Conventu Carmelitarum pervexit Divina peracturus, ut à Mazzerius ac Waddingus.*

(c) De Cana *Mazzerius apud Henſchenium* de Cena.

(d) *Philippo de Mazzerius, qui & ipſe in vita ipſius Sancti, à ſe ſcriptâ refert cap. 19. Tunc Civitatis Magnates ipſum viſitaverunt; inter quos D. Petrus Marcelli Regis Cypri Camerarius aſfuit. Waddingo Petrus Mercatius.*

(e) De Salino *Mazzerius* de ſolino, *Waddingus* de ſolinus.

(f) *Laodicenſi Mazzerius, & Waddingus habent Laudunenſi*: ſed retenda eſt hæc lectio *Laodicenſi*; ideo ad hunc locum vitæ annotavit P. Godefridus Henſchenius Soc. Jeſu (qui eam nobis communicavit) *Hinc mendum quod vitio amanuenſium, in alteram vitam per Philippum Mazzerium, num. 110 irrepſerat, eſt corrigendum; & pro Epiſcopo* LAUDUNENSI *ſcribendum* LAODICENSI, *& delenda etiam eſt Notario littera D. qua indicabat Epiſcopum Laudunenſem, qui tunc temporis vivebat. Inter quatuor autem Urbes Epiſcopales Laodiceas appellatas, & in Geographia ſacra Caroli à S. Paulo indicatas, videtur intelligenda Laodicea Syriæ, è regione inſulæ Cypri, in regione littorali, ubi Laodicea à Latinis occupata, fuerat ſedes Epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno.* Ita ille.

(g) *Tertiâ horâ noctis Obiit 1366. die 6. Ianuarij. Ita Mazzerius qui illi pauliſper ante mortis horam adfuit.*

CAPUT XII.

Miraculorum meritis Viri Dei operatio, ac eorundem juridica traditio.

678. ILla quidem ſanctorum ſunt ſigna mirifica; illa teſtimonia Miraculorum veneranda quæ in morum Sanctitate, & operum perfectione conſiſtunt; Joannes quidem Baptiſta nullum ſignum legitur operatus fuiſſe, non tamen erunt Joanne, multi qui ſigna faciunt, certiores; ideoque ſufficeret Viro, ad teſtimonium Sanctitatis perfectiſſimæ ſuæ vitæ præconium, niſi interdum expoſceret partim torpor, partim devotio Populorum: Servus igitur Altiſſimi, *Fr. Petrus Thoma* Ordinis B. Virginis de Carmelo, Sanctus dum viveret, meritis jam in abyſſum perpetuæ claritatis abſorptus, nihilominùs adhuc Miraculorum prodigiis mirificè ejus Sanctitas declaratur; quorum jurata veritas & probata, cogit illa inſerere, quæ ordine ſubſcribuntur.

679. Anno D. N. Jesu MCCCLXVI. die XIV. menſis Aprilis IV. Indictionis in civitate Famaguſtæ. R. in Chriſto P. & DD. Frater Simon Ordinis Prædicatorum, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Laodicenſis, vicarius Eccleſiæ Famaguſtæ; de requiſitione Illuſtriſſimi & perfectæ Fidei triumphatoris, ac Domini *D. Petri* Dei gratiâ Regnorum Jeruſalem & Cypri Regis, (a) eidem D. Vicario facta per Nobilem & ſapientem Virum D. Philippum de Mazzeriis militem dicti D. Regis Cancellarium, fecit ut requireret, congregaret, & uniret videlicet in ſacriſtia B. Mariæ de Carmelo, Doctores Canonicos, Aſſiſios, & ſacerdotes Religioſos, & Nobiles infra ſcriptos: videlicet Nobilem & ſapientem Virum D. Jacobum Rubœum de Parma militem, D. Jacobum de S. Michaële in Legibus Doctorem, D. Georgium Zaycine Doctorem decretorum, Dominos Gydonem de Noſino & Joannem Cada Canonicos Famaguſtanæ Eccleſiæ, Religioſos & honeſtos viros Fr. Joannem Carmaſſoni Magiſtrum in S. Theologia & Miniſtrum Ord. Minorum Terræ Sanctæ, Fr. Dominicum Stephani Provincialem Terræ Sanctæ. *Fr. Petrum* Cathalanium, Fr. Joannem Babyn, Fr. Robertum de Neapoli & alios Fratres Ordinis B. Mariæ de Carmelo D. Dominicum de Bocrono Magiſtrum Cappellanum D. Petrum de Lucio locum tenentem Bailivii, D. Philippum de Betucio D. Joannem Picardum Gubernatorem. D. Nicolaum comerium Canonicum Antheradenſem & Nicolaum de Neſino Aſſiſium Eccleſiæ Famaguſtanæ, nec non & Sir Ramicium Zeno, & Sir Franciſchinum Juſtinianum Nobiles de Venetiis, & D. Gulielmum de Mazzeriis (b) Fratrem dicti D. Cancellarii, & fecit prædictus D. Vicarius (c) inquiſitionem de aliquibus manifeſtiſſimis Miraculis factis per bonæ memoriæ Reverendiſſ. in Chriſto Patrem, Patrem & Dominum *Fr. Petrum Thoma* Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Patriarcham Conſtantinopolitanum, & pro Paſſagio Terræ Sanctæ in partibus Ciſmarinis Legatum.

Epiſcopus Laodicenſis,

(a) *De requiſitione Regis Cypri,*

Concilio congregato,

S. Patriarchæ,

Miracula inquirit;

(b) (c)

Et approbat.

680. Imprimis Religioſus & honeſtus Fr. (d) Joannes de Faventia Ordinis FF. Minorum, Guardianus Conventus Paphi, de licentia ſui Superioris, videlicet Miniſtri, juratus & interrogatus ad Sancta Dei Evangelia, ſuo ſacramento delato depoſuit, & dixit, quòd ante aliquot dies Epiphaniæ, arripuit eundem Fr. Joannem quidam morbus ſeu quædam infirmitas ſquinantiæ, quod totum guttur ſuum intenſum, per novem dies (d)

XXIX. Jan.

dolebat & taliter, quòd ex nimio dolore detentus, idem Fr. Ioannes vix poterat invenire remedium, & non valebat comedere vel dormire, pro quo dolore cruciabatur valdè de dicto morbo, & videns aliud non poſſe agere; audiens de fama & Sanctitate prædicti Domini Patriarchæ, & de devotione, quam totus Populus habebat ad eum, recommendavit ſe Domino Ieſu Chriſto, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & Sanctitati dicti D. Patriarchæ, & die Sabbathi infrà octavam Epiphaniæ, venit ſeu acceſſit ad Eccleſiam S. Mariæ de Carmelo in ſocietate Miniſtri ſui, & invenit dictum D. Patriarcham mortuum adhuc intumulatum; & cum magno devotionis fervore cæpit manum dexteram dicti D. Patriarchæ, & duxit fricando dictam manum per guttur, & ſtatim ipſo facto ſenſit ſe alleviatum, & dictus dolor receſſit, & dictus Fr. Ioannes fuit penitùs liberatus. Interrogatus ſi credit ſe liberatum meritis dicti D. Patriarchæ? dixit quòd ſic; imò ex tunc inflammatus majori devotione ad eum, ratione accepti beneficii, continuò fecit commemorationem de eo. Interrogatus ſi ſtatim poſt tactum manus defuncti ſenſit curam? dixit, quòd ſic, & hoc nuntiavit Miniſtro ſuo immediatè antequàm exiret de Eccleſia, qui Miniſter conſuluit ſibi quòd hoc non publicaret, & donec videret ſi Cura ſeu ſanitas duraret, ſaltem per diem naturalem, quæ poſtea duravit & plenam ex hoc ſanitatem ſuſcepit. Interrogatus de cauſa ſcientiæ & credulitatis, dixit ex præmiſſis de quibus ſuprà, de tempore, ut ſuprà, de loco ut ſuprà.

F. Ioannes de Faventia Squimantia morbo liberatur.

681. Religioſus & venerabilis Fr. Dominicus Stephani Provincialis Ordinis B. Mariæ de Carmelo Terræ Sanctæ & Cypri, juratus & interrogatus ad Sancta Dei Euangelia, ſuper præmiſſis ſuo juramento delato depoſuit & dixit, quòd jam ſunt anni viginti quinque, quod accidit eidem Provinciali unus morbus videlicèt ſcabies radicata in membris ſecretis, & taliter quòd erat dictus morbus antiquatus, & taliter quod non poterat aliquod medicorum remedium invenire, & venit ſibi in mente quòd ſi tangeret aliquas Reliquias Sanctas vel Corpus Sanctum, credebat liberari; quâ fide durante acceſſit ad tumulum dicti D. Patriarchæ; & poſuit manum ſuper terram ubi dictus Dominus erat tumulatus, deindè appoſuit ad morbum quo actualiter vexabatur, & immediatè ſenſit ſe totaliter liberatum, & ex tunc tali morbo non fuit gravatus: de cauſa ſcientiæ, dixit ut ſuprà, de tempore paululum poſt mortem dicti D. Patriarchæ. De loco, in Eccleſia B. Mariæ de Carmelo. Interrogatus ſi credit meritis dicti D. Patriarchæ, reſpondit quòd ſic: interrogatus, quæ fuit cauſa ſuæ devotionis, dixit, quòd ſciebat bonam vitam dicti D. Patriarchæ, & quod totus Populus ad eum concurrebat, & vidit etiam laudabilem & devotum finem ſuum.

R. P. Dominicus Provincialis, à Morbo radicato, ſubitò ſanatur, Meritis S. Patriarchæ.

682. Agnes uxor Penotti pictoris, jurata ad Sancta Dei Euangelia in manibus D. Vicarii, & interrogata, depoſuit & dixit, quòd de menſe Martii proximè præteriti, anni præſentis, arripuit eam quædam mortalis infirmitas, quâ cruciabatur in hepate & in corde, & dicta corruptio erupit exterius in tantum, quòd à planta pedis uſquè ad verticem in toto corpore apparebant maculæ ſubnigræ, quæ corpus ſuum turpiter maculabant: ipſa vero Agnes tam de anxietate interiori, quàm de tæditate exteriori, credens ſibi mortis periculum imminere, cùm non permitteret ipſam infirmitas comedere nec dormire in tantum, quòd quâdam die præ nimia cordis & corporis anxietate aſcendit terraceam pro aliquo refrigerio habendo, & jacuit ſuper dicta terraceâ per aliquam paulàm: deindè & evenit ſibi modicus ſomnus, in quo vidit ad ſe duas perſonas venire, unum hominem cum baculo, & unam mulierem valdè delicate ligatam, & benè indutam, non tamen cognovit, quales perſonæ fuerunt; homo verò percuſſit eam cum manu in capite, mulier autem appoſuit ſibi oculos, ità dicens: *Ne timeas mulier, quià non morieris, ſed mitte ad tumulum Legati, & habeas de terra, ubi ſepultus eſt, quam cùm biberis, recipies ſanitatem.* Et his dictis, dicta Agnes expergefacta eſt, & vocat virum ſuum nomine Penottum, rogavit eum amore Dei, quòd iret ad domum Carmelitarum & infunderet aquam ſuper tumulum dicti D. Legati, & illam infuſionem reciperet cum (e) bombace; quia credebat firmiter, quòd meritis dicti D. Legati per illam potionem curaretur perfectè. Dictus autem Penottus vir ejus, in fervore devotionis ivit ad tumulum ſupradictum, & complevit omnia quæ mandaverat ſibi uxor; deindè portavit ad domum & propinavit uxori dictam aquam infuſionis tamquàm antidotum ſalutare, quam aquam, cùm dicta Agnes magnâ fide, & devotione aſſumpſiſſet, quievit anxietas cordis & hepatis, quæ ipſam acriter anxiabat, & immediatè incæpit ſudare in corpore, cum quo ſudore illa infirmitas tota receſſit; & dicta Agnes incæpit benè comedere, & ex tunc perfectè extitit liberata. De cauſa ſcientiæ dixit ut ſuprà, de tempore, ut ſuprà, de loco in domo ſuæ habitationis.

Agnes uxor Penotti, Ab exulcerato Hepate malo. Revelatione habitâ. Et aquâ Tumulo viri Dei infuſâ potatâ, Subitò curatur. (e)

683. Damma Sibilia uxor quondam Nicolai de Ancona, habitatrix Famaguſtæ, jurata & interrogata in manibus dicti D. Epiſcopi depoſuit & dixit, quòd de menſe Ianuarii proximè præteriti, quaſi immediatè poſt mortem dicti D. Patriarchæ, unus ſlavus prædictæ Dominæ nomine Coſta de genere Græcorum, patiebatur dolorem iliacum valde fortem cum febre continua, qui duravit ſibi per quinque dies, ita quòd Domina ſua, ipſum Coſtam reputabat omninò mortuum, qui non poterat remedium invenire; ideò accensâ devotione & fide, ivit ad Eccleſiam Fratrum de Carmelo & cum illa devotione fecit ſibi ſertum de bombace, & cinxit caput dicti D. Legati, qui intumulatus in

Slavus quidam in fide Dominæ ſuæ.

XXIX. JAN.

Per merita S. Patriarchæ. *Sanatur.*

in Eccleſia prædicta ſervabatur: deindè dictum bombacem durante tali devotione portavit ad domum, & poſuit ſuper caput dicti ſlavi, & ſuper latus, & ſtatim ut Bombax tetigit caput ejus, recepit de febre & de dolore capitis integram ſanitatem. Interrogata de cauſa ſcientiæ & credulitatis, dixit quòd firmiter hoc credit meritis dicti D. Legati accidiſſe. De tempore, ut ſuprà, de loco ut ſuprà.

Eliſabet Sagit. *Cruciatus doloris iliacorum.*

684. Eliſabet uxor quondam Sagit, natione Neſturinorum, habitatrix Famaguſtæ, jurata & interrogata ſuo juramentò depoſuit & dixit, quòd decimâ ſeptimâ die menſis Aprilis, anni præſentis, arripuit ipſam dolor iliacus in exceſſum, & cùm non poſſet remedium invenire, interrogavit quandam amicam ſuam vocatam Eliſabeth, quæ dictam teſtem infirmam venerat viſitare, ſi ſciret aliquam medicinam vel unctionem quæ poſſet proficere vel remediare morbo; dicta autem Eliſabeth reſpondit quòd neſciebat medicinam aliquam corporalem, quæ poſſet eam curare: ſed audierat quod D. Patriarcha impetrabat gratiam ſanitatum, & ideo conſulebat quòd dicta infirma acciperet de bombace, qui corpus dicti D. Patriarchæ tetigiſſet, & quòd poneret ſuper morbum; quia confidebat in Domino quòd reciperet ſanitatem. Dicta autem infirma cum devotione magnâ & fide, vovit ſe Deo, & dicto D. Patriarchæ, ſi meritis ejus de dolore tàm intenſiſſimo curaretur; nihilominùs rogavit dictam Eliſabeth, ut amore Dei haberet ſibi modicum de bombace, vel de Reliquiis, quæ corpus dicti Domini tetigiſſent, ita quod dicta Eliſabeth portavit de bombace intincto in ſudore dicti Domini, quem habuit à quadam moniali, quæ ipſum ex devotione tenebat, & poſuit ſuper infirmam in loco ubi patiebatur, & tenuit uſquè ad noctem ſequentem; in ipſa verò nocte ſequenti, dùm ipſa aliquantulùm dormiret, apparuit in ſomnis ſibi dictus D. Patriarcha eam confortans & dicens, quòd non timeret, & ſic poſuit manum ſuper loca doloris, *Fac, quod tu voviſti, quia curata es.* Et immediatè expergefacta, ſenſit dolorem penitùs receſſiſſe; & ſic gratias egit Deo. Interrogata quæ fuit cauſa devotionis ſuæ? dixit quòd perſuaſio dictæ Eliſabeth, fecit devotionem ad dictum D. Patriarcham: Interrogata quod votum fecerat? dixit ad offerendum aliquas oblationes. Interrogata ſi credit meritis dicti D. Legati fuiſſe curatam? dixit quòd ſic, & firmiter credit.

Voto Deo, & S. facto. *Applicato, quæ intincto bombace,* *Apparente eidem S. Patriarchâ,* *Mox liberata.*

Tria miracula.

685. Damma Aliſa filia quondam Nicolai Caſſel, habitatrix Famaguſtæ, jurata & interrogata in conſcientia & fide ſuâ tangendo ſibi pectus dixit & depoſuit; quòd quædam amica ſua ſeu commater vocata Maria patiebatur dolorem in capite vehementem, & conſilio hujus, teſtis, quo loquitur acceſſit ad funus dicti D. Patriarchæ, qui adhuc in Eccleſia Carmelitarum inhumatus jacebat, & accepit menſuram de capite dicti D. Patriarchæ, cum filo facto de bombace, qui contigerat corpus ſuum & illum filum poſuit ſuper caput ſuum Maria ſupradicta, & ſinè mora ſenſit ſe alleviatam & penitùs curatam. Quo viſo dicta Aliſa accepit de prædicto bombace, & poſuit ſuper latus ſuum ubi patiebatur dolorem intenſum, & ad tactum dicti bombacis dolor continuò receſſit; & dicta Aliſa fuit totaliter liberata. Item dixit dicta Aliſa & fuit teſtificata, quòd quædam commater ſua vocata Sibilia per tres dies periculosè laborabat in partu, & deficientibus omnibus remediis, dicta verbis conſuluit dictæ Sibiliæ, quòd devotè imploraret Divinum Auxilium meritis dicti D. Patriarchæ; & ipsâ invocante gratiam Dei, meritis dicti D. Patriarchæ, dicta Aliſa fecit cingulum de bombace prædicto, & cinxit corpus dictæ parturientis cum magna confidentia & devotione, & ſtatim dicta puerpera emiſit, clamando, tres voces, prædicta teſtis invocando auxilium dicti D. Patriarchæ, & in tertia voce mulier peperit filium incolumem & perfectum, quem ob honorem, reverentiam, & devotionem dicti D. Patriarchæ, vocaverunt ipſum in ſacro baptiſmate *Petrum Thomæ*, ſicut vocabatur dictus D. Patriarcha: & dixit quòd prædicta credebat firmiter eſſe meritis dicti D. Patriarchæ, & quia totus Populus ad eum concurrebat cum magna devotione.

S Patriarcæ. *Meritis,* *Patria'a.*

686. Ego Fr. Simon de Ordine Prædicatorum Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Laodicienſis Epiſcopus, teſte Deo qui ſcit quòd non mentior, & mediante Jesu Chriſto, qui eſt ipſa ſumma veritas, cui ipſo Chriſto tam manifeſta, quàm etiam occulta nuda & operta ſunt oculis ejus; poſtpoſito omni amore, affectione, ſimulatione & fictione; & paratus jurare coram quocumque vivente ſivè Domino, ſivè Judice Eccleſiaſtico, ſeu etiam ſæculari; ſecundùm quod moris eſt Prælatorum jurare ſecundum Deum, veritatem & conſcientiam puram aſſerere & narrare quòd ſentio tam in vita, quàm poſt mortem, de Reverendo in Chriſto Patre & Domino D. Fratre *Petro* Sanctæ memoriæ Patriarcha & Legato. Undè ego ſuprà ſcriptus & nominatus Epiſcopus Simon dico, aſſero, teſtificor & confiteor, de ipſo D. Legato ante mortem ſuam, primò ſic, quòd cùm ipſe infirmaretur graviter per quinque dies, antequam moreretur, ipſe miſit pro me, qui ad eum ivi; & ubi intravi cameram, ipſe emiſit foras omnes qui erant ſecum in camera & cum eſſemus ſoli & porta clauſâ ipſe incæpit mihi dicere multa bona & ædificatoria verba & pertinentia ad conſcientiam & ſuam ſalutem, & etiam de quibuſdam ſuis factis, & dictis, tam de præteritis, quàm de tunc temporis præſentibus, quandò etiam de tempore futuro; & multa alia quæ longum eſſet ſcribere, quæ omnia etiam mihi dicta per eum non habent locum modò loqui de talibus: his ſuis dictis finitis mihi dixit cum devotione, rogando coram multis, quòd facerem ſibi ſervitium . . . devo-

Epiſcopus Laodicenſis. *Teſtatur.* *à S Prælato.* *Prædictam.*

XXIX. JAN.

devotum, & quòd promittere ſcilicèt deberem ſibi dare manibus meis, loco & tempore, ſacramentum ſacræ Extremæ Unctionis: quod humiliter promiſi, addens ſi ſcivero horam, & tempus certum, defectum non faciam: & ipſe reſpondit & dixit: tempus ſcietis & horam in tantum quòd egomet juvabo ad Officium, & non moriar per ſpatium decem horarum poſt Unctionem; & receſſi tunc ab eo cum benedictione ſua.

Mortis horam.

687. In nocte vigiliæ Epiphaniæ, ante pulſationem matutinam, miſit ad me Fr. Arnaldum Confeſſorem ſuum, ut irem ad eum, quia erat hora de qua mihi dixerat, & quod mecum ducerem Collegium majoris Eccleſiæ, quod & feci, pulſatâ campanâ magnâ, & congregato Collegio ad eum ivi, ipſe enim mandaverat, quòd antequam aſcenderem ad eum, induerem me pontificaliter, quòd & feci, intrante mecum Collegio cameram, inveni ipſum jacentem in terra ſuper unum ſaccum paleis, (ut mihi viſum fuit), indutum cum una tunica lanea rudi & groſſa, cum uno ſcapulari Ordinis ſui antiquo, & cum uno ſacco antiquo immundo de canabaſſio & fracto, quo coòperiebatur à capite uſque ad pedes, tenendo unam Crucem argenteam cum ligno ſanctæ Crucis oſculantem devotiſſimè, ſępè ſæpius dicentem *Christe mi redemptor gaudens & lætanter venio ad te; ſed ſi Domine mi ſum neceſſarius Populo tuo, Chriſtianitati tuæ, & Sancto Paſſagio tuo, non recuſo laborem &c.* poſtmodùm dicebat *ſinite inquit me Cælum reſpicere &c.* deindè ridendo dicebat *cruenta beſtia quid reperies in me?* & reſpiciens in me mihi dixit: *Epiſcope ecce hora de qua vobis dixi, nunc eſt hora faciamus ſic, ego & vos dicamus unum verſum, Collegium & Fratres dicant alium*: & ſtatim ipſe incœpit firmâ voce Pſal. pœnitentiales dicere. *Domine ne in furore &c.* & ego ſubjungo cum eo, & ſtatim flexi genua ſuper ſaccum illum, in quo ipſe humiliter jacebat, & ſubitò ſenſi tantum magnum & ſingularem odorem, & tantam fragrantiam odoris & ſuavitatis, quòd non cogitabam eſſe in mundo iſto, ſed paradiſo, cùm nunquàm ſimilem & talem, & tantum odorem ſenſerim, & ex hoc miratus & ſtupefactus, vertebam me hinc indè, undè potuiſſet exhalari tam ſingularis odor; ſed aliundè minimè potui percipere: mira res, quia quantùm plus appropinquabam corpori, tantum plus ſentiebam odorem, & dum feci Officium, ſenſi odorem: completo Officio, & ſurgendo de lecto, & exeundo de camera, de cætero plùs non ſenſi. Quam cauſam timens ego quòd non incurrerem vitium novæ inventionis & fictionis, & quia nolebam etiam propter linguas hominum, & maximè Religioſorum & Clericorum, novus Auctor haberi; ideò nunquam dicere volui, nec dixiſſem quouſquè Deus propter merita ipſius Beati Legati per aliquos alios ſua alia admiranda & beneficia præſtita manifeſtata feciſſet. Dum tamen ego devotionem occultam, non manifeſtam, ad eum tam in vita, quàm in morte, quàm poſt mortem, ſemper habui.

Idem Epiſcopus pontificaliter indutus,

Reperit S. Virum in terra jacentem.

Et orantem.

Dum iungit, odorem Corporis ſentit ſuaviſſimum.

688. Item poſt mortem ſuam, ſcilicet, dicto menſe Martii, tertiâ nocte, in media hora noctis, cùm dormiebam, ſubitò arripuit me dolor viſcerum & inteſtinorum & iliorum, qui fuit ita doloroſus & immenſus, quòd lingua hominis explicare non poſſet in tantum, quòd ex toto perdidi loquelam, ſenſum & motum, & viſum; etiam in tantùm cruciabar & anxiebar, quòd totum corpus meum factum fuit nigrum & frigidum, nec movere poteram membrum aliquod, nec vocare famulum, qui propè me dormiebat; & ex magna anxietate & dolore, rivuli aquæ frigidiſſimæ, ſicut nix currebant ex omni parte corporis mei in lectum, quòd totus lectus plenus fuit aquâ; quæ erat mihi ſecunda mors, & aqua fuit tanta quòd penetravit duo materacia, uſque ad tabulas: & dum eram in tanta pæna, & videbam me appropinquare morti, deſiderabam habere pro me unum puteum, vel copioſiſſimum ignem, ad evadendum illos dolores intenſiſſimos, ſubitò projeciſſem me intus, vel in unum, vel in alium, quod veraciter feciſſem; & quia nec loqui nec clamare poteram, in mente mea recurſum habui pro peccatis meis confitendis, ad Chriſtum ſummum Confeſſorem & ſacerdotem; & ad beatum Legatum pro tanta pœna & morte doloroſâ, vel ad Deum gratiam impetraſſe, vel citò curari, vel citò mori: & augmentabatur dolor meus plus ac plus; & quia habebam aliquantulum de Reliquiis ſcapularis ſui, & non poteram recipere de capſâ, ſed in amaritudine recordatus fui de Capello capitis ſui, quem ipſe portabat in capite, quandò equitabat, quem Capellum habueram poſt mortem ſuam, qui quidem Capellus pendebat in capite lecti mei, & laborabam ipſum accipere: cum non poteram, in fine Deus, vel ipſe beatus Legatus adminiſtravit in manibus meis laqueum ipſius Capelli, & traxi & cecidit Capellus ſuper lectum, & ego qualitercumque potui, cum devotione poſui eum ſuper corpus meum, & ſine mora & in inſtanti ceſſavit dolor, & liberatus fui de dolore, aſſerens veritatem cum ſacramento, quòd ſi dolor ille duraſſet mihi plus per ſpatium dimidiæ Miſſæ privatæ, fuiſſem inventus mortuus de manè in lecto: quod miraculum & beneficium iſtud privatè tenebam; timens revelare alicui, niſi Confeſſori meo, ratione ſuperiùs dictâ.

Idem Epiſcopus graviſſimis inteſtinorum oppreſſus doloribus.

Extrema patiens.

Invocato auxilio S. Legati.

Attacto ſolo illius Capello,

in inſtanti, curatur.

689. Quidam nobilis miles de Cypro vocatus D. Joannes de Monte olivo, Conſiliarius D. Regis Cypri, ſub fidei juramento depoſuit & dixit, quòd die mercurii vigeſimo nono menſis Aprilis an. MCCCLXVI. arripuit eum febris continua, quæ ipſû in exceſſum vexabat: propter quod diverſorū Sanctorum patrocinia invocabat, & dum anxiaretur, venit ad eum quidam ſcutifer vocatus Franciſcus Benedicti, qui conſuluit patienti quòd patrocinium dicti D. Legati devotius implo-

Nobilis miles Regis Cypri.

Conſiliarius.

raret:

XXIX. JAN.

à Febri continua,

rarer: quo renuente & aſſerente, quòd in ipſo tanquam in ſancto, nullam devotionem habebat, in craſtino arripuit eum dolor intenſus, qui ipſum acriter cruciabat, & in illis doloribus venit ſibi in mentem, quòd per merita dicti D. Patriarchæ forſitan curaretur: itaque cum devotione & fide recommendavit ſe Deo, & meritis dicti D. Patriarchæ, & cum illa confidentia bibit parum de aqua calida, & in continenti aliquantulum obdormivit, & in illo ſomno apparuit ſibi dictus D. Patriarcha cum croſſa adveniens ſinè mitra, cui exivit obviam dictus miles, & eum admirabiliter ſalutavit & dixit ſibi, quare venerat ſinè mitra, cùm portaret baculum paſtoralem? cui reſpondit D. Legatus: Amice iſtud deficit mihi tantùm, & hoc dicto diſparuit; miles verò expergefactus invenit ſe totaliter liberatum; & credit quòd meritis dicti D. Legati: & propter hoc dictus miles miſit duos cereos ad Eccleſiam Carmelitarum, ut arderent juxta ſepulchrum dicti D. Patriarchæ, & iſta depoſuit dictus miles in præſentia D. Fr. Simonis Laodicienſis Epiſcopi & vicarii generalis in Eccleſia Famaguſtæ, coram teſtibus infraſcriptis. Actum Famaguſtæ in domo habitationis dicti Domini Militis, præſentibus venerabilibus & religioſis Viris Fr. Joanne Carmeſſonio Miniſtro Ord. FF. Minorum Terræ Sanctæ, Fr. Dominico Loſtene Provinciali Ord. Carmelitarum in terra ſancta, & Fr. Antonio de Cattono Ord. FF. Minorum: nec non nobili Milite D. Tomaſio de Monte almo, Roberto de Lenibus dicti D. Regis in Cancellaria, Franciſco benedicto Presbytero, & Philippono de Botrono Beneficiato Eccleſiæ Famaguſtanæ, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

apparente S. Patriarchâ,

curatur;

Joannes Garattus.

690. Die 4. Maii Joannes Garattus Miles Baylivus D. Reginæ antiquæ, relictæ quondam D. Hugonis; juratus & interrogatus ſuo juramento depoſuit & dixit, quòd die Jovis ultimo die Aprilis dictus D. Joannes venit de balneo, & die Veneris ſequenti dictum D. Joannem arripuit quidam morbus, ſive infirmitas, quæ totum caput & pectus ſuum in exceſſum cruciabat, & taliter quòd credebât ex dicto morbo ſive infirmitate mori & decedere ab hoc ſæculo, & dictus D. Joannes venit in domum D. Reginæ ſenis prædictæ, & exiſtens ibidem venit quidam Calogerus, & nuntiavit eidem D. Joanni mortem cujuſdam Abbatis, dictus D. Joannes interrogavit dictum Calogerum, de qua morte deceſſit: dictus Calogerus reſpondit, quòd de puntia in pectore, & dictus D. Joannes magis quàm prius de dicto morbo ſive infirmitate fuit gravatus, taliter quòd non valebat aliquod remedium invenire: ſed ſtatim ipſo facto ivit ad domum ſuam & dixit devotè & affectuosè cum confidentia quod reciperet ſanitatem, vulgariter: *Fr. Petre Legate, ſi tu es ſanctus, ut gentes dicunt coram Deo, rogo & deprecor te devotè quatenùs ab iſta infirmitate me liberes, & adjuves.* Et ipsâ oratione factâ, ſtatim fuit à dicto morbo, ſeu infirmitate totaliter relaxatus & liberatus: interrogatus ſi credit quòd meritis dicti D. Patriarchæ fuerit liberatus, dixit quòd ſic.

à Pectorali morbo.

Fusâ oratione ſanatur.

691. Quidam Georgius nomine, natione Syrus de ſecta Græcorum, teſtis juratus depoſuit & dixit, quòd quidam frater ſuus quinque annorum fuit infirmus, de quadam febre valida, quæ duraverat ſibi per quinque dies, ſecundâ vero die propter vehementiam magnam febris, fuit effectus impotens, debilis & contractus in tibiis, ſic quòd nullo modo poterat ambulare & pedibus ſuis ſtare; imò intenſis doloribus cruciabatur: cumque parentes ejus deſperantes ipſum nullo remedio liberari, mater ejus vocata *Beluda* cum magna devotione & fidè Votum emiſit, quòd ſi Deus ſibi redderet filium ſuum meritis dicti D. Patriarchæ, ipſa veniret ad tumulum cum oblationibus hoſtiarum, & cum illa fide, ipſa mater & una alia mulier ſecum dictum filium ad tumulum dicti D. Patriarchæ portaverunt, & ipſum deſuper aliquantulum jacêre fecerunt; deindè ipſum ad domum propriam reportantes, ſuper lectulum poſuerunt, & ipſum puerum cum bombace, qui intinctus fuerat in ſudore dicti D. Patriarchæ, per tibias & genua liniverunt, & ſequenti nocte conſequutus eſt plenè ſanitatem: quo Miraculo viſo, totum convicinium exclamavit per magnum ſpatium, Deo & dicto D. Legato gratias referendo. Interrogatus ſi credit firmiter quòd dictus puer meritis D. Patriarchæ fuerit curatus? reſpondit quòd ſic, credit.

Puer quinquennis,

à Matre voto emiſſo.

à Valida febri.

Plenè ſanatur:

692. Mulier quædam vocata Candelota de Accon, de lege Romana, teſtis jurata depoſuit & dixit, quòd unâ die de menſe Aprilis anni prædicti, causâ devotionis ad audiendam miſſam ivit ad Eccleſiam Carmelitarum Famaguſtæ, & cùm vidiſſet aliquas mulieres patientes, ut ſibi videbatur, quæ cum devotione fundebant aquam ſuper tumulum dicti D. Patriarchæ, quam ipſæ bibebant, in corde ſuo contempſit, & reputavit illas mulieres ſimplices & quaſi fatuas, aſſerens in corde ſuo quòd ſi dictus D. Patriarcha Sanctus eſſet, deſcenderet lumen de cælo, ſuper ejus tumulum in teſtimonium Sanctitatis, videntibus aliis: cumque in tali cogitatione de Eccleſia receſſiſſet, & domum rediiſſet, quaſi immediatè corripuit eam quædam febris cum frigore, quæ duravit per ſex dies; cumque iſta ad ſemetipſam converſa cogitaret, quòd propter contemptum, quem conceperat contra dictas mulieres, ipſa febris ipſam arripuiſſet & torqueret; cum corde contrito & humiliato, divinum auxilium poſtulavit meritis dicti D. Patriarchæ, & cum devotione & fide Deo, & dicto D. Patriarchæ ſe vovit. Quo facto, ſtatim immediatè febris tota receſſit, & ipſa fuit penitùs liberata.

Quædam mulier Candelota,

Febribus acta,

Ad S. Confugiens,

Statim liberatur.

Item prædicta mulier Candelota dixit, quòd cum bombace qui tetigerat corpus dicti D. Patriarchæ, contigit quandam Sclava fortiter febricitantem, & poſt aliquas

Pariter ejus Slava attacta Bombace

XXIX. Jan.

horas infrà eandem diem, totaliter eſt curata: quæ duo miracula ſupra dicta, credit firmiter & attribuit facta fuiſſe meritis dicti D. Patriarchæ.

Quatuor ab obitu menſibus,

693. Die octavâ menſis Maji horâ circà meridiem, nobilis vir D. Philippus de Mazeriis Cancellarius Regnorum Jeruſalem & Cypri, fecit aperire tumulum dicti D. Patriarchæ, occaſione, quia tempore ſui deceſſus fuerat per undecim dies in dicta Eccleſia de Carmelo inhumatus & oſſa, corpus & membra erant tractabilia & ductilia, pro ut, & ſicut quandò vivebat, & ſicut fuit poſitus in ſepulchro ſuprapoſito lapide marmoreo & cæmento peroptimè opturato: propter quod cùm continuò ſuper tumulum patientes concurrerent & evidenter liberarentur de quacumque detinerentur infirmitate; dictus D. Cancellarius fuit motus ad aperiendum ſepulchrum, ut videret ſi fortè oſſa ejus polluta fuiſſent, & exuta à carne, an eſſet adhuc integrum corpuſculum: cumque ſecreto modo coram Miniſtro Fratrum Minorum, & Provinciali Carmelitarum, & paucis aliis diſcretis perſonis feciſſet aperiri ſepulchrum, inventum eſt Corpus ejus perfectum & integrum, & membra ejus ductilia & flectibilia ſicut ante, quando, ut prædicitur, inhumatum jacebat, & carnes ejus molles, & nervi tractabiles, ſicut priùs, excepto quod ad nigredinem declinabat, & de veſtibus ejus, ut creditur, procedebat aliquis odor reumaticus, per modum carceris ſeu domus ſubterraneæ vel incluſæ; de carnibus verò ejus nullus malus odor exibat, judicio aliquorum. Cumque dictus D. Cancellarius, & alii hoc vidiſſent, miſerunt pro Reverendo in Chriſto patre & Domino. D. Fr. Simone Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopo Laodicenſi Vicario Eccleſiæ Famaguſtanæ; qui venit ad dictam Eccleſiam Carmelitarum cum Venerabili Viro D. Berengario, Gregorio Decano Eccleſiæ Nicoſienſis & in legibus Doctore, & cum nobili Milite D. Jacobo de Rubeis de Parma milite, & pluribus aliis ſacerdotibus, Catholicis, & Græcis, & aliis perſonis religioſis, & laicis, in quorum præſentia, membra dicti D. Legati per unum Fratrem Ordinis de Carmelo fuerunt ducta hinc & indè, ita quòd manus attingebant uſque ad caput: caput etiam & tibiæ volvebantur, ſicut quandò in dicta Eccleſia inhumatus jacebat, nec fœtor ſentiebatur infectivus. Quibus præmiſſis interfui ego Magiſter Joannes de Luſentia notarius Publicus imperialis, & ſcriba Epiſcopalis Curiæ Famaguſtanæ, & in teſtimonium præmiſſorum me ſubſcripſi.

Aperto ſepulchro, à Regni Cancellario, Per Epiſcopum viſitatum corpus. Ductile, ut in vivo, & incorruptum invenitur ſuum.

Miracula alia B. Patriarchæ ac Legati anno MCCCLXVI. facta & examinata.

Quædam cœca, Sclava.

694. Quædam matrona honeſta Famaguſtana exiſtens in balneis, habebat quandam ſuam f ſclavam ſibi ſervientem, quæ quidem ſclava ſubitò privata fuit lumine oculorum ſuorum, Matrona autem non modicum turbata de contingenti caſu, cum ſclava ſua cœca reverſa eſt domum: poſt aliquot verò dies dicta matrona deſperata de omni adjutorio humano, direxit greſſus ſuos ad Eccleſiam B. Mariæ de Carmelo, & intrans Eccleſiam, proſtravit ſe ſuprà ſepulturam B. Legati, accepitque de terra ſepulturæ ſuæ, vovens eidē B. Legato quòd ſi placeret ei curare ſuam ſclavam ac illuminare, ipſa celebrare faceret unam miſſam ob reverentiam ejus: revertente autem matronâ domum, ſtatim ligavit terram prædictam ſepulturæ B. Legati ad caput ſuæ ſclavæ cœcatæ, quo facto, ex abrupto dicta ſclava altâ voce clamare cœpit Dominæ ſuæ dicens, ubi fuiſtis uſque modo & vidiſſetis quæ vidi! *Venit autem ad me unus magnus homo in veſtitu deaurato ad modum Epiſcopi, tenens unam pulchram crucem deauratam, quam crucem ipſe miſit ſuper oculos meos, & vidi, deditque mihi crucem dicens, accipe eam, & cuſtodias ipſam, nec timeas quia ſanata es.* Sclava verò cœpit fortiſſimè flere; & Dominâ ſuâ interrogante eam, quare fleret? reſpondit: Quæro crucem quam mihi donavit ille, qui me illuminavit, & ſic ſclava illuminata eſt per merita B. Legati per fidem ſuæ Dominæ.

Per fidem Dominæ ſuæ. à B. Legato. Illuminatur.

Hydropica quædam, ſanatur.

695. Matrona Famaguſtana vocata Maria, habet unam filiam nomine Catharinam quæ Catharina per tres menſes fuerat hydropica: dicta autem Maria cum magna devotione duxit filiam ſuam ſic infirmam ad ſepulchrum B. Legati, & factâ oratione, dicta Maria aquam fuſam ſuper faciem B. Legati ſculptam in ſepulcro ſuo, dedit bibere, filiæ ſuæ, & terram ſivè pulverem de ſepultura ligavit ſuper filiam ſuam Catharinam hydropicam; revertenſq; domum, modicis diebus elapſis, Catharina plenè liberata ac curata fuit; attribuens liberationem ejus meritis B. Legati.

Quidam Epiſcopus Nicolaus, Binis vicibus, Oblatione factâ S. Legato curatur.

696. Quidam monachus Epiſcopus vocatus Fr. Nicolaus, per quinque annos continuò habuerat brachium quaſi aridum, videns autem dictus Fr. Nicolaus devotionem populi erga B. Legatum, devotè ejuſdem B. Legati imploravit auxilium pro ſanitate brachii ſui, & ſubitò in fervore devotionis dictus Fr. Nicolaus venit ad ſepulturam dicti Legati, & cum lacrymis obtulit ejdem Legato unam candelam accenſam, & unam manum ceream, & factâ oblatione, in inſtanti omnis dolor penitùs receſſit à brachio ſuo, & meritis B. Legati receſſit plenè curatus. Anno autem tranſacto, ſimilis infirmitas invaſit aliam manum Fr. Nicolai, quæ infirmitas ipſum cruciavit per quatuor menſes, & tunc ſicut prius, idem Fr. Nicolaus anxius, præ dolore vovit eidem Legato pro ſanitate habenda dare unam manum de cera, voto autem completo dolor à manu ſua penitùs receſſit.

Terra, Sepulturæ.

697. Alia Matrona vocata Alegraſſa, in cruribus patiebatur intentiſſimum dolorem, ipſa autem Oratione factâ ſuper ſepulturam Legati, accepit de terra ſepulturæ, & ipſam ligavit ſuper crura ſua, & ſine aliqua mora omnis dolor penitùs ab ea receſſit. Alia verò Matrona vocata Franciſquina, in uno pede maximum dolorem patiebatur, ligavit autem

autem de terra ſupradictæ ſepulturæ Legati ſuper pedem ſuum, & ſubitò plenè curata

B. Legati, fuit.

698. Alia matrona honorabilis vocata D. Maria de Baudc, graviſſimè infirmata fuit, tandem relicta à medicis; ipſa in fervore devotionis ipſius B. Legati miſit pro terra ſepulturæ ipſius Legati, & pro aqua perfuſa

Mira patrantur. ſuper ſepulturam ejus; bibitque dicta D. Maria ſic relicta à medicis, cum magna devotione aquam prædictam, & terram ſuper ſe ligavit; & ſtatim hoc facto, de lecto ſurrexit ſana & liberata ab omni infirmitate, glorificans Deum & B. Legatum.

ANNOT. (a) *Epiſcopo Laodicenſi traditur Inquiſitio juridica miraculorum ad Inſtantiam Regis Hieroſolymorum & Cypri ſcilicet D. Petri de Luſignano.*

(b) *Alium fratrem habuit dictus D. Cancellarius vocatum* Petrum Mazzerium *de quo Petrus à Bello in ſua Gallia Chriſtiana tomo 2. habet, ut ſequitur* Petrus Mazzerius *V. Iuris Doctor Legum, & Archidiaconus Antverpienſis in Eccleſia Cameracenſi, Pædagogus Gregorii 11. Papæ. Epiſcopus Attrebatenſis anno* 1373.

(c) *Inquiſitionem de manifeſtiſſimis miraculis fecit:* miracula legitimè approbavit Epiſcopus Laodicenſis D. Simon ex Ordine Prædicatorum, qui & B. Legato extremam contulit unctionem.

(d) *Ioannes de Faventia Lucas Waddingus, in tractatu de ſcriptoribus Ordinis Minorum, anno MDCL. excuſo, de Ioanne de Faventia, qui ob beneficium angina meritis* S. Petri *depulſa, primus memoratur, iſta refert,* Ioannes Faventinus *Guardianus olim Paphenſis in Cypro, tantæ virtutis & pietatis Vir, ut pro ſancto reputetur apud ſuos conſodales, & in Monaſterio Clariſſarum Miſericordiæ Regis lapide ejus oſſa habeantur in veneratione: ſcripſit vitam* B. Petri Thomaſii *Ord. Carmelitarum, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Legati Apoſtolici, Famaguſtæ in Cypro defuncti. Opinamur Faventinum Vitæ* S. Petri *ex Mazzerio deſcriptæ addidiſſe ſolum miraculum ſanitatis meritis ejus obtentæ.* Veriſimiliter pro Joanne Carmeſſonio Minorita, ſuppoſitum fuit nomen Joannis Faventini, etiam Minoritæ, occaſione *iſtius miraculi.*

(e) *Bombace* id eſt *xilinum* Gallicè *de coton.*

(f) *Sclava*, id eſt orta ex Sclavonia, quæ regio eſt interiacens inter Dravum fluvium, & Mare Adriaticum. Niſi fortè ſic accipiatur pro ancilla, *ſeu mancipio.*

APPENDIX.

Ad vitam S. Petri Thomæ

§. I. *De revelatione, ac ſponſione SS. Virginis Mariæ ipſi S. Petro Thomæ facta:* DE PATROCINIO, AC PERPETUA DURATIONE ORDINIS FRATRUM EJUSDEM BEATISSIMÆ VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ DE MONTE CARMELI.

Revelatio facta S. Petro Thomæ.

699. PRo ſui Ordinis perpetua conſervatione, & augmento frequentes ad Deum, & Beatiſſimam Virginem orationes fundens, intimaque inter orandum edens ſuſpiria, ipsâ nocte Pentecoſtes, cùm id inſtantius poſtularet, à Beatiſſima Virgine mirabili hoc reſponſo dignatus eſt: CONFIDITO PETRE, RELIGIO ENIM CARMELITARUM IN FINEM USQUE SÆCULI EST PERSEVERATURA. ELIAS NAMQUE EJUS INSTITUTOR jam olim etiam à Filio meo id impetravit. *Ita legitur in Officio Canonico* (a) *auctoritate Eccleſiæ appro-*

(a) in Matutin. lect. 5.

bato pro feſto S. Petri Thomæ ad diem XXIX. Ianuarii. Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali (*in vita* S. Petri Thomæ) *cap. 26. libri* 8. *iſta refert de revelatione, & ſponſione illa Virginis Deiparæ:* Tunc cœpit Avenione mirabiliter prædicare coram Domino Papa, & Cardinalibus; factus eſt inſuper in Conventu Ordinis ſui ejuſdem civitatis Magiſter regens, lectiones quotidie legens, & quæſtiones ſolemniter diſputans. Illis igitur temporibus in ſacrâ nocte Pentecoſtes, cum ille venerandus Frater Petrus Beatam Virginem pro bono ſtatu ſui Ordinis exoraſſet, & miniſter ſuus Fr. Joannes Hildensheim ex more coram eo dormiret, ſubitò ille F. Joannes vocibus dulcibus, & miris motibus expergefactus, repentè ſurrexit, & quæſivit ab eo, quid hoc eſſet, ipſe verò noluit indicare, tandem flexis genibus, multiplicatis precibus, vix obtinuit, præmiſſo tamen juramento, quòd non revelaret, quamdiu foret ipſe ſuperſtes, & tunc dixit ei: In triſtitia mentis & ferventibus deſideriis à Beata Virgine Religionis meæ patrocinium deſiderans obdormivi; ipſa mihi reſpondit: Petre non timeas, quia durabit uſque in finem ſeculi Religio veſtra, nam & pro ea ſupplicavit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in transfiguratione, & impetravit. Iſtam itaque apparitionem

à B. Virg. Maria, promittente Ordinis patrocinium.

dictus F. Joannes Hildensheim deſcribit in Tractatu ſuo, quem compoſuit de Ordine noſtro, ſicut patet ſupra cap. tertio tertii libri. *Iſto autem capite 3. libri 3. hiſtoriam illam prolixiùs deſcribit ex ipſo Ioanne de Hildesheim verbis iiſdem ſicut eam is tradit in libro ſuo inſcripto:* Defenſorium, *&c. & habetur in Tomo præcedenti parte 2. libro 2.* (a) *Ibi conſequenter in annotationibus alia ejuſdem revelationis adducuntur auctoritates* (b). *In ejuſdem Tomi 2. parte 2. variis in locis de eadem celebri revelatione, & ſponſione agitur, locis hîc ad marginem indicatis* (c). *Sed præcipuè ea refertur in ejuſdem Tomi parte 3.* (Maria Patrona) *lib. 2. cap. 12. §. 2. Et ibi ſequitur Diſſertatiuncula apologetica pro eadem ſponſione* (d): *ubi ſatisfit dubiis nonnullis circa eam motis à P. Waddingo, & relatis à PP. Bollando ac Henſchenio.*

De illa revelatione frequens fuit tractatio in Tomo præced.

(a) nu. 661. pag. 149.
(b) nu. 663. & ſeq.
(c) n. 1068. & 1097. item num. 1505.
(d) n. 1677. & 1697. ac ſequent.

700. *Philippus Mazzerius in vita* S. *Petri Thomæ* cap. 4. *aliam notabilem valde & maternalis affectûs ſingulariter demonſtrativam apparitionem ac ſponſionem Glorioſiſſ. Virg. Mariæ, factam* S. *Petro Thomæ, recitat his verbis:* Eâdem horâ Virgo Maria viſibiliter ſibi vigilanti, & per dormitorium ambulanti apparuit, ipſum accipiens per cappam, & ducens per dormitorium, ſibique dixit: Fili mi, ne dubites de paupertate, quia te non deſeram: fortiter ſtudeas, & ſervias Filio meo, & mihi. Quo dicto, Beata Virgo Maria ab oculis ejus evanuit. *Deinde ſubjungit:* Quod miraculum ſecretiſſimè ac devotiſſimè, in laudem Virginis, mihi peccatori indigno per caritatem revelavit, & aliqua alia magnalia de ipſa Virgine, quæ propter levitatem meam, teporem, frigiditatem, imò iniquitatem, de memoria (heu!) evolaverunt. Vtinam miſereatur mei

Apparitio alia inſignis B. Virg. Mariæ facta S. Petro Thomæ.

XXIX. JAN.

ipſa Domina mea. *Inter Magnalia illa alia, quorum ſe oblitum deplorat Mazzerius, fuiſſe revelationem illam ac ſponſionem, de protectione, & perpetuitate ſui Ordinis, omnino veriſimile. Cæterum inde patet eximia devotio* S.Petri *Thomæ erga Virginem Deiparam, & hujus correlativus maternus affectus erga ipſum.*

Scriptores plures priorem revelationem referentes.

701. *Revelationem, & ſponſionem illam referunt alii plurimi: prolixitatis vitandæ gratia, duos adhuc audiviſſe ſat erit. Georgius Colvenerius Cancellarius Univerſitatis Duacenæ in ſacratiſſimæ Virginis Mariæ Kalendario, pro die 29. Januarii de ea ſic habet:* Revelatio facta S.Petro Thomæ, ſeu Thomaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano & Martyri Ordinis Carmeli Profeſſori, à B. Virgine, de ſui Ordinis perpetuitate. *Hanc poſt narrat, dicens:* Eum poſtulaſſe à B. Virgine Maria, ut ſuum Ordinem conſervaret: cui ipſa reſpondit: Uſque in finem mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit. Nam Elias illius Inſtitutor filio meo apparens in Transfiguratione, id poſtulavit, & impetravit. *Et fide indubitâ conceptam Ordinis ſpem, firmatamque fiduciam ſuo calculo confirmans, addit ibidem:* Nec dubium, id eo fine futurum, ut cum Elia Fundatore ſuo, ſe Antichriſto opponat. *Theophilus Raynaudus Tomo 7. operum ſuorum, qui inſcribitur:* Marialia (a), *ſibi pietatem, & matris affectum correlativum, ac iſtam revelationem, & ſponſionem ſic eleganter adornat:* Erga B. Virginem, ut Carmelitanæ Religionis alumnum decebat, ſtudio fuit plane ſingulari. Aſſiduè nomen Mariæ habebat in ore: & quia, juxta S. Paulinum ſapor mentis in ſermone ſentitur, non eſt dubium, quin altè infixum cordi haberet, quod jugiter ore verſabat... Sed illud affectus ejus in Deiparam teſtimonium prætereundum non eſt, quòd immaculatam Virginis Conceptionem paſſivam egregio volumine comprobavit, atque tutatus eſt. Viciſſim Deipara vinci à ſuis clientibus neſcia, viſibiliter conſpicua, addictiſſimo ſibi Petro, ſpopondit ei perennem tutelam per vitam univerſam. Quem eundem benevolentiſſimæ parentis favorem Ordini Carmelitano numquam defuturum accepit inter orandum pro Ordine ſuo. *Sylveſtrum Marulum, & Aubertum Miræum de eadem revelatione audivimus hîc ſupra* (b).

(a) Pag. 263.

Correlativa dilectio Mariæ & Petri Thomæ.

(b) in Notat. prævia §. 2 num. 610. & ſeq.

§. 2. *Fundatio Sacræ Theologicæ Facultatis Bononiæ facta, Anteſignano S. Petro Thomâ.*

Bononienſis facultatis Theol. fundatio relata ex vetuſtis tabulis.

702. IN *tabulis, & vetuſtis Bononienſis Univerſitatis monumentis iſta exarata leguntur:* Ad fundandum, & inchoandum Bononienſe ſtudium Theologicæ facultatis, ex diverſis mundi partibus huc acceſſerunt viri ſacræ lectioni dediti, & in lege Domini eruditi, Doctores utique Theologi, ſcientiâ, moribus, & virtutibus inſigniti, quorum Magiſtrorum nomina digna memoriâ ſunt iſta. 1. Magiſter Petrus Thomas, natione Aquitanus, tunc Dei gratiâ Patriarcha Conſtantinopolitanus, Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo miraculis clarus. 2. Magiſter Ugolinus de Urbeveteri, Doctor acutiſſimi ingenii, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. 3. Magiſter Franciſcus Adriani Bononien. vir Angelicæ vitæ Ordinis Minorum. 4. Magiſter Thomas de Padua, Textualis eximius, & eloquentiâ clarus, Ordinis Carmelitarum. 5. Magiſter Thomas de Fregnano de Mutinâ Doctor utique moribus inſignitus, & fidei zelator intrepidus Ordinis Minorum. 6. Magiſter Petrus monachus Cluniacenſis, D. Cardinalis Cluniacenſis Auditor & ſocius commenſalis. 7 Magiſter Joannes de Podio Doctor ſpeculativus & hæreticorum malleus, numquam feſſus, Ordinis Prædicatorum. 8 Magiſter Bonaventura de Padua vir tam divinarum, quam ſæcularium litterarum Commentator præfulgidus Ordinis Eremitarum. 9 Magiſter Ludovicus de Venetiis, urbanæ eloquentiæ Pater, nec habens quidquam ruſticitatis admixtum, Ordinis Minorum. Hi omnes, veluti novem Muſarum imitatores almam Theologorum facultatem & univerſitatem inſtituêre: quorum omnium Anteſignanus eſt Dominus Petrus Thomas Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo. *Ideo ſacri collegii Theologi Bononienſes ipſum* S. Petrum Thomam *agnoſcentes, & venerantes primum Fundatorem, annuè Dominicâ ſecundâ poſt Epiphaniam Domini, quandò apud Bononienſes annuum feſtum* S. Petri *celebratur, interſunt ſolemni Sacrificio Miſſæ, & concioni, quam aliquis Orator Ordinis Religioſi, non Carmelitani, habet in templo S. Martini Majoris, quod ab anno* MCC. XCIII. *pertinuit ad Fratres S. Mariæ de monte Carmelo. Ita Antonius Maſinus in Bononia perluſtrata. Iſta autem ſolemnitas, & celebratio feſti* S. Petri Thomæ *tamquam primi Fundatoris, inſtitutoris, & Protectoris Theologici ſtudii fit ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum 20. Decembris anno 1614. Ita Lezana in Annalibus* (a).

S. Petrus Th. Bononiæ ſolemni feſto colitur, ut primus fundator, & Protector Univerſitatis.

(a) ad annum 1364. num. 14.

§. 3. *S. Petrus Thomas peſte infectis ſingularis patrocinator.*

703. P*Eſtilentiâ graſſante in Cypro, & doloris ſpectaculum præbente, quàm eximia paſtoralis ſollicitudinis, & charitatis ſpecimina præbuerit, teſtis eſt Cancellarius regni Cypri Philippus de Mazzeriis his verbis:* (b) Ecce flagellum Domini in circuitu regni Cypri venit. Nam mortalitas & peſtilentia quaſi ubique erat, Cypro exceptâ, & ſpecialiter jam fortiter urgebat Rhodum, & Turquiam, atque Syriam. Audiens autem Legatus virgam Dei Cypro appropinquantem, ad Regem ſtatim ivit: ut de ſolio regali deſcenderet, poſtulabat, populumque adunaret, pœnitentiam ageret, in cœlum clamaret; videre ſi Deus iram ſuam placaret, & populo parceret. Rex autem devotus, Catholicus, & Deum timens, Legatum piè audivit, & quidquid Legato placuit, adimplevit... Et ecce timor, & tremor mortis omnes apprehenderunt, & gaudium noſtrum verſum eſt in luctum. Legatus autem dolore intrinſeco tactus, de Deo confiſus, Regem, Reginam, nobiles & populum congregavit, & præ-

(b) in ejus vita apud PP. Bolland. & Henſch. cap. 10.

Peſte circumquaque graſſante,

Regem, Clerum, populum ad pœnitentiæ opera hortatur;

XXIX. JAN.

& prædicare incœpit, ad pœnitentiam omnes inducendo, & ad lacrymas provocando, ſemper affirmando, quòd, ſi vellent cum Deo benè ſtare, & vitâ in melius emendare, peſtilentia à regno recederet. Tunc legatus devotionem Regis & aliorum percipiens, ad diem ſtatutam proceſſionem generalem inſtituit, omneſque nudis pedibus incederent, atque jejunarent in pane & aqua. Mortalitas autem in Famaguſta paulatim creſcebat. Advenienté autem die proceſſionis, ecce Rex cum omni progenie ſua, Nobilibus, burgenſibus & populo una Reginis, & mulieribus de palatio Regis, in pane & aqua omnibus jejunantibus, & nudis pedibus cum magna humilitate & devotione incedentibus, ſimplicibus veſtimentis indutis, per turmas ordinatè in orationibus ad magnam Cathedralem Eccleſiam pervenerunt. Et ecce Legatus Pontificalibus indutus cum omni Clero & diverſis nationibus Chriſtianorum aſſociatis, nudis pedibus cum proceſſione in Eccleſiam obviam Regi ivit. Et congregati ſimul coram crucifixo omnibus genibus flexis, Legatus cum lacrymis altâ voce, ſicut poterat, Clero reſpondente, & populo lacrymante in cœlum clamare cœperunt & cantare: Sanctè Deus, Sanctè fortis, Sanctè & immortalis &c. Qui cum vidiſſet lacrymas effundere, in cœlum clamare, & in diverſis linguis à Deo misericorditer petere, à lacrymis etiam ſe abſtinere non potuit. Et Deus miſericordiâ motus eos piè liberavit ab illa mortalitate. *Pergit idem Cancellarius.*

inſtituit jejunium in pane, & aqua,

ac proceſſionem nudis pedibus,

& luem deprecatur:

704. Cùm ad meam memoriam reduco devotionem mirabilem beati Patris mei Legati, nec non & devotionem Regis & totius populi, à lacrymis abſtinere non poſſum. Legatus autem proceſſione & multitudine tranſeundo per Nicoſiam ad cœmiterium ivit, & cathedram ad prædicandum aſcendit. Omnibus autem ſedentibus, & ſilentio facto, Legatus os ejus aperuit, & prædicare incepit mirabilia & ultra quàm hominibus miranda, teſte Deo, Rege, & omnibus intelligentibus declaravit breviter in ſermone ſuo, gratiâ Spiritûs ſancti eum confortando: omnes ad lacrymas provocavit, de peſtilentia omnes confortavit, & in gaudium ſpirituale corda audientium convertit. Quid plura de ſermone verba multiplicare? Nam ſi fas eſt dicere, Auguſtinus vel aliquis Sanctorum Doctorum eumdem ſermonem licèt feciſſent, ſatis ſuiſſet. Sermone verò finito, & timore mortis populo à Deo ſoluto; Legatus, Rex, & omnis multitudo ad Eccleſiam majorem reverſi ſunt, ibique à Legato Miſſa ſolennis celebrata fuit, & omnes Deum invocaverunt, ipſi regratiando de doctrina Legati & miſericordia Dei, & de peccatis veniam petendo, & peſtilentiam evadendo. Miſſâ completâ Rex & omnis multitudo ad domum propriã reverſi ſunt. Legatus autem jejuniis fatigatus, labore diei percuſſus, veſtimentis ſacris exutus, ſuſtinere ſe quaſi non valens, ferè ſpiritum Deo reddidit. Sed refectione panis & aquæ acceptâ, vires in Deum reſumpſit. Et ſic Nicoſia in Deum confortata, & ad pœnitentiam piè revocata, & in miſericordiam Dei relicta. *Et iſta quidem zelo magno pro ſalute populi ſui flagrans bonus Paſtor præſtitit Nicoſiæ coram Rege, Regina, & Principibus regni Cypri.*

patheticè concionatur:

ex jejunio, & labore ferè deficit.

705. *Exinde, etiam animam ſuam paratus dare pro ovibus ſuis, nec curans pro eis ſe vitæ periculo exponere* ad fornacem peſtilentiæ, & mortalitatis (*ut dictus Cancellarius loquitur*) *accelerans, namque Famaguſtam, etiam ibi jejunium in pane, & aqua, ac proceſſionem generalem nudis pedibus indixit, ac fecit, exemplo, ac verbo variarum nationum, etiam infidelium populos ad pœnitentiam & lacrymas potenter movens, idque optato ſucceſſu.* Nam illa die in civitate Famaguſta tacti ex epidemia, & mortem ſine termino expectantes in lectis ferè ducenti jacebant, & quidem luna in revolutione erat, quod ſecundum medicos pauci evadere poſſunt. Sed Jeſus Chriſtus noſter Summus medicus, ad revolutionem Lunæ, id eſt, ad peccata populi, non reſpiciens, omnes infirmos ſanavit, nec unus quidem mortuus eſt, & diebus præcedentibus moriebantur ultra, triginta vel quadraginta. Et ab illa die miſerationis in Famaguſta & in omni regno Cypri mortalitas, Deo miſerante, & Legato orante, receſſit. Mira res & ultra quam miranda. *Idem referunt iiſdem ferè verbis Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali, & paucioribus Carmeſſonius, ac Waddingus. Hinc eſt, quòd Cyprii ipſum poſt obitum ejus, in ſingularem contra peſtem patronum aſſumpſerunt, ſicut habetur ex antiquis Ordinis Breviariis, in quibus olim iſta legebantur* (a). Singulariter autem à loci illius incolis contra morbum epidemiæ, & peſtilentiæ invocatur; qui ſuorum deſideriorum effectum conſequuntur. *Ita in Breviario Venetiis excuſo anno* 1573. *Ferè eadem etiam leguntur modo in officio à S. Congregatione Rituum iteratis vicibus recognito, & approbato. Eadem ſcribit Waddingus in ejus vita cap.* 12. *ſub finem. Propterea olim, ad Miſſam, & horas feſto ipſius* S. *Petri Thomæ canebatur* (b). Sancti Petri Thomæ ... meritis & interceſſione ... ab omni peſtilentiæ morbo nos liberos eſſe concede. *Nunc quoque in Officio divino, à S. Congregatione iteratis vicibus recognito, & approbato, ferè eadem etiam leguntur.*

Famaguſtæ ſimiliter jejunium, & proceſſionem indicit:

ſubitò peſtis ceſſat Famaguſtæ, & in toto regno Cypri.

S. Petrus Thomas ſingularis patronus peſte infectorum.

(a) ad Matut. lect. 6.

(b) in orat. ſeu Collecta.

VITA ALIA S. PETRI THOMÆ

(Scripta occaſione caſûs mirabilis, ſingularem Dei providentiam, & efficax S. Petri Thomæ patrocinium patenter enuntiantis)

Auctore R. P. Luca Waddingo, Ordinis Minorum Chronographo, & S. Inquiſitionis Romanæ Cenſore &c.

Notatio Prævia: *Caſus mirabilis ſpecialiſſimæ divinæ providentiæ.*

Caſus valde ſingularis occaſione cujus ſcripta vita ſequens

706. *Motivum adjiciendi vitæ præcedenti etiam hanc quæ ſequitur, eſt caſus valdè ſingularis, occaſione cujus ea ſcripta fuit: qui tantoperè in admirationem rapuit venerab. P. Ioannem Baptiſtam de Lezana, ut quandoque aſſereret, quòd licèt in ſacris litteris nil de Divini Numinis providentia haberetur, eam ſe hoc eventu evidenter ſatis percepiſſe, & indubitanter credere: atque, ſi atheus fuiſſet, ejus conſideratione ad fidem convertendum: eſt autem caſus iſte. Cùm Sacra Congregatio Rituum recognoſcenda ſuſcepiſſet officia propria Breviarii Carmelitani gravis fuit mota difficultas ratione Officii S. Petri Thomæ; quòd ea, quæ ibi in lectionibus ſecundi Nocturni referuntur, tanquàm geſta ipſius Beati Petri Thomæ, falſa eſſe conſerentur, & à P. Waddingo præcellenti Ordinis Minorum Chronographo, & dictæ Congregationis Conſultore, attribuerentur ſuo Petro Theutonico: id, tanquàm indubitatum haberi volebat ex ipſiſmet Pontificiis Bullis originalibus in Vaticano, in quarum prima legebatur:* Venerabili Fratri Petro Theutonico Ordinis Minorum Epiſcopo Pactenſi & Lipparienſi, &c. *in reliquis autem conſequenter habebatur dumtaxat:* Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Pactenſi, Archiepiſcopo Cretenſi *&c. Denique* Patriarchæ Conſtantinop. *quæ omnia ipſi Petro Theutonico competere haud dubitabat Waddingus. Noſtris igitur Patribus improperabatur, quòd alterius Ordinis Sanctum, & geſta ſuo arrogaſſent.*

707. *Ad hæc perplexi erant Reverendiſſ. Pater Generalis Theodorus Strattius, & alii primarii Ordinis Patres; eò quod nonniſi vita illius per Philippum Mazzerium, ac traditio & variorum Scriptorum, S. Petrum Thomam Carmelitano Ordini adſcribentium, auctoritas, pro nobis ſtarent, quas per Pontificias Bullas convellebat Waddingus. Animabat noſtros Ven. P. Lezana, qui etſi inſtrumenta, quibus rei veritas evidenter demonſtrari poſſet, non haberet, nec undè poſſent haberi ſciret, confidens divinæ providentiæ, & S. Petri meritis, ab illis manifeſtationem veritatis exſpectandã confidenter aſſerebat. Tunc indictis jejunio, & precibus, & cantatâ Miſsâ ſolemni de S. Petro Thoma, atque obtentâ facultate, luſtrandi Archivum Vaticanum, deputati fuere RR. PP. ipſe P. Lezana. P. Iacobus Wemmers Antuerpienſis (poſtmodum Epiſcopus Cairi ſeu Mempheos & Legatus Apoſtolicus per Ægyptum) ejuſq; Frater P. Petrus Wemmers, & P. Ioannes Thuandus primarius Provinciæ Aquitaniæ Reformator. Iſti pariter ingreſſi Vaticanum, viſis tam multis, & magnis, voluminum, charactere antiquo, & lectu difficili ſcriptorum, cumulis, tempuſq; breve eſſe conceſſum, ferè animos deſpondebant: urgebat tamen Lezana, cui, poſt aliquantam diſquiſitionem, in manus occurrit Bulla in qua videre videbatur illa ſcripta verba* Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli: *advocat ſocios, legitur non ſine difficultate, relegitur: eratq; ipſa Originalis Bulla Innocentii Sexti, quâ, poſt obitum Petri Theutonici Epiſcopi Pactenſis, & Liparenſis, ad illam dignitatem aſſumebatur noſter Petrus Thomas: & ab ea cæterarum explicatio dependebat. Iſtius Bullæ extracto, exhibito Sacræ Congregationi, & P. Waddingo, S. Petrus Thomas Ordini noſtro vindicatus manſit, ipſeq; Ordo ab uſurpatione alieni expurgatus.*

In perplexitate magna indicta jejunia preces, & Miſſa de S. Petro Thoma

Et more ſucceſſit devotionis iſtius effectus optatus.

708. *Caſum illum ſic breviter refert teſtis oculatus ipſe præfatus P. Lezana:* (a) Non viderat P. Lucas Waddingus Innocentii Sexti Bullam, quâ noſter Beatus Petrus Thomas, ob mortem quondam Petri Theutonici Minoritæ, Epiſcopi Pactenſis & Lipparenſis eiſdem Epiſcopatibus Decoratus fuit: & proptereà quamplures alias Nunciaturas, Legationes, & dignitates eidem Beato Petro Thomæ, ut in ſequentibus videbimus, conceſſas, ſuo illi Petro Theutonico attribuebat: donec ſpecialiſſima, & mihi evidentiſſima Dei providentia, ac ſingulariſſima ejuſdem Beati Petri interceſſione, à nobis ab ipſo poſtulata, & ab eo impetrata … actum eſt, ut eadem Bulla, nobis ſolicitantibus, in Regiſtris Vaticanis, loco relato ſuperiùs, reperta ſit, magno cum gaudio Religionis noſtræ. Quæ dixerim, quia ex eo tempore maximam devotionem erga eundem Beatum Petrum Thomam habere cœpi, ac eum interceſſorem, in graviſſimis neceſſitatibus, in quibus ad ipſum per orationem recurri, expertus ſum. Ipſiuſque meritis & interceſſione Dei gratiam, ad ejus voluntatem adimplendam, ſalutem animæ meæ & vitam æternam conſecuturum ſpero.

(a) Tom. 4. Annal. ad an. 1354. num. 5.

rei iſtius hiſtoria relata à P. Lezana teſte oculato

Qui indè maximam concepit devotionem ad S. Petrum Thom.

Et ejus interceſſionem expertus fuit

709. *Ipſe quoquè P. Waddingus ante iſtam vitam ſic candidè rem commemorat:* Candido Lectori: In limine fortaſſis hærebis, & inquires, cur alienis me ingeram rebus, aut exterorum vitas ſuſcipiam deſcribendas? Non una, neque inanis fuit cauſa, virum hunc æquè doctum, & ſanctum celebrandi. Ea potiſſima, quòd dum benefico aſſenſu Sanctiſſim. Dom. N. Urbani VIII. archivi Vaticani monumenta percurrerem, ut quæ inſtituto deſervirent Minorum, univerſa colligerem

Hiſtoria eadem notiſſima P. Lucæ Waddingo, ab eodem enarrata.

gerem, inciderim in Petrum Theutonicum Franciſcanum, Epiſcopum Pactenſem, cui immediatè ſucceſſit Petrus Thomas, atque interlabente Bulla promotionis hujus ad eandem Eccleſiam, ego reliqua, quæ ad hunc ſpectabant, monumenta tranſcripſerim, deceptus Petri nominis (quod ſolum in Bullis erat) ſimilitudine. Accepi deinde ab Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, Sacrorum Rituum Congregationi Præfectis, officia propria Ordinis Carmelitarum recognoſcenda, adhibitis etiam doctiſſimis Collegis, ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultoribus, Reverendiſſimo D. Fortunato Scaccho Pontificio Sacrario, & R.P. Terentio Alciato, Societatis Jeſu, Apoſtolicæ Pœnitentiariæ Baſilicæ Vaticanæ Præpoſitis: inter quæ dum etiam B. Petri Thomæ acta diligentiùs examinarentur, errorem deprehendi: & quæ priùs Petro Theutonico tribuebam, libens in Petrum Thomæ transtuleram. Ne itaque à me impenſus labor, & ipſa deperirent monumenta, in gratiam ſanctiſſimi ſodalitii, quod ſummopere veneror, decrevi vitam referre, & Vaticanas memorias in lucem proferre.

Motivum auctoris Waddingo ſcribendi vitam S. Petri Thomæ.

710. Aliam indico cauſam, quòd multiplici titulo virum ipſum, vel rerum ab eo geſtarum partem aliquam nobis liceat vendicare. Præclara etenim illius facinora, multam habent cum rebus noſtris affinitatem. In eccleſia Pactenſi, quam primam accepit, prædeceſſorem habuit Franciſcanum; in pace Veneta & Genuenſi, ad quam primùm amandatus eſt, adjutorem habuit Fortanerium Patriarcham Gradenſem Minoritam; in legatione Raſciæ Collegam Bartholomæum Epiſcopum Tragurienſem ex eodem inſtituto. Amandato ad Hungaros & Venetos pacificandos adjunctus eſt ſocius Stephanus electus Zagabrien. Minorita. Legationis Conſtantinopolitanæ particeps erat Gulielmus Siſopolitanus Antiſtes, Franciſcanus. Celebrandis exequiis encomiaſten ſortitus eſt ejuſdem profeſſionis virum doctum Joannem * Lamerſonem: & demum vitam ejus, ac geſta primus ſcripſit Joannes Faventius Franciſcanus. Hujus opellæ fragmenta aliquot, diligenter perquiſita accepi, & vitam quam ſcripſit Philippus Mazzerius Regni Cypri Cancellarius, viro ſancto familiaris, atque in frequenti itinere ſocius humilem tamen, & valde diminutam prout illa ætas ferebat. Ego ſordibus dilutis, & exutâ ſenecta, feci noviorem, auctioremque, additis dumtaxat, quæ ex probatiſſimis monumentis accepi. *Sic ibi Waddingus, conſequenter ante ipſam vitam* præmittit graviorum Auctorum teſtimonia, quæ viri ſanctiſſimi memoriam amplius commendabunt *inquit: ſed illa pleraque, atque etiam alia, jam ante, loco nobis convenientiori, præceſſerunt in Prologomenis* §. 3. *per totum, ideò ſuperfluum eſſet, ea hîc repetere: ob eandem cauſam etiam non ſubnectuntur Notæ ejus in vitam ipſius* S. *Petri Thomæ.*

* *Al.* Cameſon.

Is etiam vitam S. Petri ſcripſit, quę jam præceſſit.

VITA

CAPUT PRIMUM.

S. Petri Thomæ patria, inſtitutio, in Religionem ingreſſus, mira erga B. Virginem Mariam devotio.

711. **I**N Aquitania, nobiliſſima Galliæ provincia, ignobilis & obſcurus erat S. *Petri patria.* vicus Salinarum, in Præfectura Petracorienſi. Meliori tamen fortunâ ſortem mutavit, & illuſtre nomen obtinuit ab illuſtri partu, ab inſigni pietate viro; qui plus patriæ reddidit, quam accepit. Is eſt (a) Petrus Thomæ, in quo contrariis ſtudiis natura & gratia decertaſſe videntur; (a) illa, ut ſua dona negaret; hæc, ut cuncta concederet. Ortu humilis, dignitate ſublimis; ſtatura puſillus, animo excelſus; domi incognitus, per orbem clariſſimus; facultate miſer, Regum opibus ſuperior, manifeſto docuit exemplo humanis longè præſtare divina; & virtutis rationem habendam prius eſſe quam ſanguinis.

Natales obſcuri.

712. Patrem adeò obſcurum habuit, ut cum ipſo nomen interierit & genus. Armentis paſcendis, & ſcindendis arvis conductitius, ægrè ſufficiebat ſublevandæ egeſtati filiorum. Periit ex duobus maſculis unus, & ne Petrus periret inediâ, ſortem probaturus meliorem, puerulus abſceſſit, relicta unica ſororcula parentis induſtriæ. In Montiſpenſierii caſtro oſtiaria mendicitate vitam traducenti honeſta ſubiit cogitatio literis incumbendi, quibus ſocordem illam vitæ rationem potiori commutaret, & ſummæ parentis egeſtati aliquando ſubveniret. Improbo labore ita agreſte coluit ingenium, ut brevi temporis intervallo diſertè legendi, rectèque ſcribendi ea facultate polleret, quà ſibi honeſtiùs conſuleret, atque alios docendo præiret. Cœpit magiſtri officio fungi, & ſuis ſtipendiis mereri, ſupervacaneis licèt horis aliorum ſe ſubderet diſciplinæ Latiæ linguæ ſtudioſus. Primis rudimentis inſtructus ad altiora ſuſpirans, in Aginnenſem profectus urbem, humanioribus literis, & Philoſophiæ præceptis operam eo fructu navavit, ut ante annum ætatis vigeſimum ex diſcipulo factus Magiſter, plurimos habuerit auditores.

Recedit à domo paterna.

Dat operam literis.

713. Prior cœnobii Aginnenſis inſtituti Carmelitani, comite ſacræ Theologiæ profeſſore, caſu incidentes in adoleſcentem, ex modeſto eloquio, ingenua facie, & vivido ingenio in bonam erecti ſpem majoris incrementi, ſuo concupierunt ſodalitio. Multa polliciti ut vitam decentiùs viveret, & ad potiora ſtudia aditum aperiret, in ſuam duxerunt ædem, ejuſque diſciplinæ crediderunt religioſos tyrones in humanioribus literis, & liberalibus artibus inſtruendos. In eam venerat urbem Prior Condomenſis, ejuſdem inſtituti, ingenuamque conſpicatus adoleſcentis indolem, perſuaſit, ut in ſuo conſortio vitam

Aginni docet inter Carmelitas.

XXIX. Jan. *Tyrocinium Carmelitica.*

vitam iniret religioſam. Condomum profectus abſque mora Monachis nomen dedit, cunctiſque approbantibus tyrocinium magno virtutum lucro complevit. Juſſus per biennium adoleſcentulos conſodales docere idioma Latinum, inde tranſlatus eſt Aginnum, ut artes prælegeret liberales. Hoc perfunctus munere annos tres magno juvenum profectu, ad ſacerdotium invitus promovetur: indignum quippe ſe dicebat, qui ad ſublime hoc faſtigium, Angelis reverendum, eveheretur. Ante & poſt ſuſceptos ſacros ordines, violentiæ illatæ, & irrogatæ injuriæ humiliter expoſtulabat Superiores, & quod ultimum ſibi ſupereſſe videbatur remedium, Virginem Deiparam, alioſque Divos interpellabat, ut temeritatis & irreverentiæ veniam exorarent, ſuamque opem ferrent tanto oneri ſuſtinendo.

Invitus initiatur ſacerdotio.

714. Aliò miſſus Theologicis ſtudiis operam daturus, tanta laborabat rei neceſſariæ penuria, ut vel exercitationes has intermittere, vel ſummam oporteret pati miſeriam. Ita cœnobii paupertas, vel ſuperioris incuria, tenaxve natura ferebat, ut veſtes, libros, ſupellectilem omnem litterariam propria acquirere induſtria tam neceſſe, quàm difficile eſſet adoleſcentulo, qui neque amicos in terra aliena, neque parentes in propria habebat, à quibus ſperare poſſet auxilium. His curis agitato, & B. Virginis Mariæ patrocinium imploranti, ipſa poſt Matutinas horas apparuit, ut bono animo eſſet, admonuit, atque ultrò promiſit ſtudiis proſequendis non defutura neceſſaria. Hoc excitus oraculo ſpem meliorem concepit, redditurûſque pro tanto beneficio, quas poſſet gratias, ſummo manè Miſſæ Marianæ pio affectu obtulit ſacrificium. Vix prius abſolvit, cùm à quodam probo viro tot auri acceperit numiſmata, quot indigentiæ ſufficiebant depellendæ. Ab illo tempore nullis premebatur rei familiaris anguſtiis, quibus non manifeſtè probaret ſupernum hoc adfuiſſe ſubſidium.

B. Virgo ſuppeditat ſtudiis neceſſaria.

715. Æmulorum paſſa invidiam magnis premebatur adverſitatibus Carmelitana religio. Matri compaſſus pius alumnus, preces fudit ardentes ad B. Virginem, ut ſolito ſuccurreret adjutorio. (b) Apparuit in ſomnis B. Virgo ipſa nocte Pentecoſtes, ſpopónditque pium inſtitutum ſuo cultui addictiſſimum, nullis malis conterendum, ſed perpetuò duraturum. Ita frequenter ſuo illum dignata eſt aſpectu, ſemper in penuriis benefica, ſemper in tribulationibus propitia. Peculiari ejus patrocinio, & miræ tutelæ acceptum referebat, ut immaculato calle ſpurcitias tranſierit carnis, & mentem ab immundis affectibus ſervârit illibatam.

Et perpetuũ promittit religionis patrocinium. (b)

Ejus ope virgo permanſit.

716. His aliiſque acceptis beneficiis, Sanctiſſimæ devinctus, incredibili erga eam exarſit devotionis affectu, propoſuitque nullum prætermittere obſequium, quod in tantæ benefactricis cederet honorem. Scripto peculiari libello ejus ab originali peccato indemnitatem conſtanter aſſeruit, & reliqua Virginis privilegia doctis celebravit encomiis. Quotieſcunque orabat, laudes miſcebat Mariæ; quæcunque obvia Mariæ ſimulacra reverenter ſalutabat; locuturus, nomen præmittebat Mariæ; antequam menſæ accumberet, Mariana promebat elogia, & cibum putabat inſipidum ſi ſacræ Virginis non condiretur memoria. In laboribus, in anguſtiis ad ſacram hanc aram convolabat, inſidiiſque inimici hac arte occurrebat, ut ſingulis ictibus clypeum opponeret nominis Mariæ, cujus præſens ſemper ſentiebat auxilium. Ingens hic pietatis ardor ita tranſmutavit affectum, mentemque poſſedit, ut nihil aliud ſapere, nihil affari, nihilque videretur audire. Ex abundantia cordis os loquebatur: viſum quippe eſt ejus (c) cordi inſculptum ſacratiſſimum nomen Mariæ, non aliter quàm martyris Ignatii præcordiis divina Jeſu vox apparuit impreſſa. (c)

Miro fertur in B. Virginem affectu

ANNOT. (a) Petrus Thomæ. *Ita quoque nuncupant Philippus Mazzerius, Ioannes Carmeſſonius, atque alii (an cognomen* Thomæ, *ſit familiæ, an à patris nomine, an à vico Salis, ſeu Salmarum, etiam cognomento* Thomæ?) *Trithemius, Palæonydorus, Petrus Luſignanus Cyprius, Lezana, & alii, ac Breviarium Ordinis* in Officio S. Petri Thomæ ad 29. Ian. lect. 4. *habent* Petrus Thomas. *Petrus Galeſinius, Philippus Ferrarius, Bollandus, Henſchenius & alii:* Petrus Thomaſius. *Molanus habet:* Petri Thomaſii. *Et poſteà:* Petri Thomæ, ſive Thomaſii. *Itaque arbitrarium ſit cognomen: nos ſecuti Breviarium, hic dicimus:* Petrus Thomas. *Nota alia circa quadam hujus capitis videri poterunt ad vitam præcedentem, & copioſiores apud P. Henſchenium.*

S. Petri cognomen an Thomæ, Thomas, *an* Thomaſius.

(b) Apparuit in ſomnis B. Virgo, nocte Pentec. *De iſta apparitione, & ſponſione tunc facta, ſatis dictum jam paulò ante, in Appendice.* § 1.

(c) Cordi inſculptum nomen MARIÆ, *videlicet, eo ſenſu ſicuti* IESUS præcordiis S. Ignatii *Martyris ſcilicet: de quo videri poterunt Bollandus, & Henſchenius, ad diem 1. Februarii, in Commentario prævio* § 1. *Porrò circa præfata verba iſta annotatis Waddingus:* Pium erga B. Virginem affectum, & frequentem ſacri nominis MARIÆ repetitionem multis miraculis commendari, pleríque ſcribunt auctores. Thomas Cantipratanus refert emeritæ militiæ veteranum, qui monachis Ciſtercienſibus nomen dedit, & preces nullas præter ſalutationem Angelicam potuit addiſcere, ex frequenti & longo uſu repetitæ orationis tantam dulcedinem concepiſſe, ut cordi, & ori ſola memoria Matris Chriſti indelebiliter adhæreret; & poſt mortem, ex illius ore prodierit arbor ignoti generis, cujus folia litteris aureis inſignita MARIÆ nomen notabiliter continebant. Similiter narrat Cæſarius de quodam cive Colonienſi, qui dum eundem verſiculum continuò ruminaret affectu, & inter deambulandum frequenter repeteret, viſus eſt poſt mortem multiplici MARIÆ nomine inſignitus. In monaſterio S. Bertini Urbis Audomarenſis in Belgio, ex ore monachi loſciosis propter ſimilem devotionem nominis MARIÆ roſa germinavit pulcherrima litteris inſcriptis nominis MARIÆ.

Cantiprat. de Apib. l. 3. c. 29. p. 9.

Mariani nominis repetitio pia miraculis variis commendata.

Cæſarius lib. 12. c. 50.

Spec. exempl. diſt. 9. c. 110.

CAP.

CAP. II.

Ipſius doctrina, electio ad officium Procuratoris Generalis, conciones frequentes coram Pontifice, & Cardinalibus.

Philoſophiã docens profeſſus mittitur Lutetiam.

717. ABſoluto ſecundùm ſui Ordinis morem curriculo Theologiæ, denuò legit Philoſophiam in urbe Aginnenſi, mox Burdigalæ, deinde apud Albienſes, creſcente ubique opinione indolis ſingularis. Mittitur itaque Lutetiam, ut inter illuſtres nobiliſſimæ ſcholæ Magiſtros ingenium ampliùs excoleret, & viam ſterneret ad gradus Academicos. Triennio elapſo, inſtitutus eſt ſacræ Theologiæ profeſſor, in civitate Cadurcenſi, ubi non minùs doctus videbatur in cathedra, quàm facundus in ſuggeſto. Singulari dicendi facultate omnes in admirationem rapiebat, & perſuadendi dexteritate quò volebat, etiam impiorum corda flectebat. Mirum illud: Solis ardore, & aquæ penuriâ areſcente ſegete, & arvis exuſtis, decretum eſt ut publicæ fierent populi, & Cleri ſupplicationes, prædicaretque Petrus pœnitentiam ad avertendam irati numinis vindictam. In apertum deduxerat campum multitudinem univerſam, excitatiſque ad pœnitendum animis, vadem dedit ſacratiſſimam Virginem Dei Genitricem pluviæ copioſæ. Abſolutâ concione, magnis aquarum profluviis irrigata eſt univerſa terræ ſuperficies, quibus & terra dedit fructum ſuum, & beneficii auctor majori cœpit haberi reverentiæ.

Cadurci miraculosè pluviam prædicit.

718. Declinaturus propter hæc Cadurcenſium honores, ſæpè rogavit aliò transferri; tandem remiſſus eſt Lutetiam, ubi per quadriennium Magiſtrum Sententiarum interpretatus, Baccalaurei ſuſcepit inſignia. In ſuam reverſus provinciam, amandatus eſt ad Comitia generalia, Mediolani cogenda, ſub Petro Raymundo Ordinis Primicerio, ibique omnium ſuffragiis unus acclamatus eſt, qui in Curia Pontificia ſui ſodalitii negotia procuraret. Non adeò probavit electionem Generalis Præfectus, non quòd virum odio habuerit, aut hoc munere indignum judicarit, ſed timuit ne propter contemptibilem perſonam, & humilem ſtaturam haberetur deſpectui. At homines non ulnis, ſed meritis commenſurandos; nec quantitatis, ſed virtutis molem eſſe conſiderandam, Petrus edocuit, infrà paucos dies magnum conſecutus hominum applauſum. Avinionem, ubi tunc Pontifex Clemens VI. reſidebat, profectus, gratiam iniit, nullo ſuo ſtudio, ſed manifeſtâ virtute Talairandi, Comitis Petracorienſis, Cardinalis S. Petri ad Vincula, qui in ſua provincia natum, diſertum concionatorem, & religioſi Ordinis honorifico munere condecoratum, in conſpectum vocavit, atque in prandio voluit commenſalem. Ortâ inter convivas controverſiâ Theologica, Petrus à Cardinale rogatus, ſuam protulit ſententiam, ea modeſtia & ſapientia, ut omnium ſibi animos conciliarit. Deindè facundis concionibus & eruditis diſputationibus magno cœpit nomine clarere, & inter Cardinales æquo in pretio haberi.

Pariſiis docet.

Ann. 1343. Inſtituitur ſui Ordinis Procurator.

Magni fit in Curia Pontificia.

719. Petracorienſis ad majora aperiens aditum, perſuaſit, & à Generali Præfecto obtinuit, ut Lutetiam rediret, Doctoratus lauream conſecuturus: fertur vices tum ſuppleviſſe, injuncti muneris Procuratoris generalis (a) Andream Corſinum, virum ſanctiſſimum, nuper ab Urbano VIII. qui feliciter regnat, inter Sanctos relatum. Deſudandum erat in illa palæſtra quinque annorum exercitationibus Theologicis, & ſacræ Scripturæ commentationibus, ut juxta Univerſitatis leges ad Doctoratum perveniret: ſed ineunte anno tertio contendentibus Cancellario & Doctoribus, circa numerum & qualitatem laureandorum, in eam itum eſt ſententiam, ut quatuordecim Baccalaureis ſæcularibus adjungeretur unus Regularis, omniumque ſuffragiis Prælatus eſt Petrus univerſis: licèt enim tempus deficeret, abundabat virtus & doctrina. Regreſſus Avinionem rexit ſui Ordinis ſcholam, negotia ſodalitii peregit, diſputationibus externis continuò adfuit, frequenter prædicavit, idque aliquando ter in die uno, prout populi neceſſitas, vel feſtorum expoſcebat ſolennitas. Sæpè etiam in Pontificis & Cardinalium conſeſſu conciones habuit, pro auditorum dignitate graviſſimas, ſummâ reverentiâ errata reprehendens, & æquâ dexteritate tantos viros ad perfectiora perurgens.

Redit Pariſios laureandus.

(a)

Regreſſus in Curiam ſuum Ordinem muneribus illuſtrat.

ANNOT. (a) Andream Corſinum: *ejus vita hic ſequitur, ad diem IV. Febr.*

CAP. III.

Mira prædicationis ejus venuſtas, & efficacia exactaque obſervantia regularis in monaſterio.

720. IN concionibus religioſo & Chriſtiano utebatur ornatu, è ſacræ Scripturæ penu, vel è Sanctorum Patrum promptuario pulchris floſculis decerptis. Sed poſtea fructum colligebat, adductis ſeriis Prophetarum comminationibus, explicatiſque tremendis Dei judiciis, quibus lacrymas uberrimas exprimebat, & duros quoſque peccatores ad pœnitentiam excitabat. Pro feſtorum varietate, & argumentorum qualitate, aliquando ſales & facetias modeſtè, & prudenter miſcebat, riſumque movebat: ſub finem autem graviter & ſeverè concludebat diſcurſum, ea infundens auribus, quæ corda penetrabant, & ſalutis immemores in ſe revocabant. Prout volebat, auditores flectebat, ea erat dicendi venuſtas & potentia, ea, quod potiſſimum eſt, vitæ & doctrinæ concordia, iſque zelus animarum, ut pro unaquaque vellet ſe impendere & ſuper-impendere. Non

peculiari affectu, non acceptione ferebatur perſonarum; adeò ignotos ſicuti familiares; ita miſeros & egenos, uti nobiles & locupletes; non minùs exteros, quàm domeſticos diligebat: paratus omnem ſubire laborem, etiam vitæ periculum pro converſione peccatorum. Incredibile eſt, quot inſignes nebulones ad frugem reduxit, quot famoſos peccatores in ſalutis ſemitam revocârit, quot ſenſui & voluptatibus non tam infixos, quàm immerſos, è vitiorum barathro extraxerit, quas vanitates & inania comptarum mulierum ornamenta, quibus irretiri ſolent oculi, procul ablegârit: ita ut omnem curiam Avinionenſem viſus ſit ſolus verbi virtute, & vitæ exemplo reformaſſe.

Qualis in religione converſatio.

721. Inter tot labores nulla in re molliuſculè indulgens corpori. Victu tenui & veſtitu utebatur vulgari, communi in menſa communes dumtaxat cibos admittens. Regularem vitam non tam obſervabat, quàm alios obſervare docebat, diſciplinæ Monaſticæ inſtitutis diligenter inhærens: in eminentiori ſui Ordinis gradu nihil de priſtino rigore remittens, neque quidquam ſibi ultra inferioris Ordinis conſodales attribuens. Conveniebat ad univerſa Religionis munia, neque vilia aſpernabatur miniſteria. Singulis noctibus matutinis aderat precibus; longam deinde protrahebat orationem, & ſummo manè incruentum offerebat Miſſæ ſacrificium, ut tranquilliùs abſque circumſtantium ſtrepitu ſacroſancta contemplaretur arcana, & liberiùs circa iſta poſſet immorari. In altari plus ſe didiciſſe dicebat, quàm in ſchola, & multa ſibi à Beatiſſima Virgine explicata ſacræ Scripturæ arcana, quæ communem hominum captum ſuperabant. Ita multa inter docendum in ſcholis, & inter concionandum in templis occurrebant, quæ nunquam antea cogitaverat, & ex ipſa doctrinæ qualitate videbantur magis divinitùs infuſa, quàm humanitus acquiſita. Præmiſſis ſemper divinis, curabat humana; negotia domi expediebat, & ſollicitabat in Curia, adventantes confratres humaniter excipiebat; quæ licebant, amicè concedebat; quæ non poterat, dulci verborum lenimine denegabat.

Ab omnibus diligitur.

722. His ornatus virtutibus, in omnium ore verſabatur, omnium affectus obſtrinxit, felicemque ſe putabat vel domi videre, vel colloquio uti, vel in plateis poſſet occurrere. Probarant non ſemel confratres magno ſuo lucro, generalem erga eum populi benevolentiam; ſi quid enim cœnobio deerat, Petro petente, vel inſinuante extemplò mittebatur. Redactos fratres Avinionenſes ad ſummam egeſtatem uno ſublevavit die, collectis per urbem parvo gyro mille florenis. Ubicunque inter ſuos habitabat, ſimilia præſtabat charitatis ſubſidia, id fraternè proſpiciens, ut ſua in populo auctoritas conſodalium famularetur obſequio. Pari nexu devinxit Purpuratos Curiæ Patres religioſo ſtudio, debita reverentia, inſigni doctrina, & in rebus arduis ſalutari conſilio.

Suis fratrib. proficuus.

Præ reliquis habuit fautores & propitios Talairandum, quem dixi, Petracorienſem, & Stephanum Lemovicenſem, Epiſcopum Oſtienſem; ſacri Collegii Decanum, mox ſummum Pontificem, inſignem ſuum benefactorem.

CAP. IV.

S. Petro Thomæ collati Epiſcopatus Pactenſis ac Liparenſis, & commiſſa Apoſtolica legatio ad Genuenſes, ac Mediolanenſes, deinde ad Reginam Neapolitanam, ac tum ad Regem Raſsiæ.

723. Abierat ex humanis Clemens Pontifex, expletiſque exequiis, poſt dies aliquot tranſlatum eſt cadaver, uti ipſe ſupremis tabulis præſcripſit, ad Monaſterium Caſæ-Dei, in quo Monachum egit, & Abbatis dignitate præfulſit. Petrus rogatus à Cardinalibus & Clementis conſanguineis, ſe funeris comitem adhibuit, & in duodecim ſtationibus, antequam pervenirent ad Monaſterium, totidem habuit conciones. Illato corpore in marmoreum, quod ipſe paraverat, ſepulcrum, poſtremi deferendi erant honores, & longa concione funus terminandũ. Grave erat Petro hoc munus ſubire, quippe ex itinere fatigato, & moleſta raucedine laboranti. Deprecantibus, qui aderant, ne hoc ultimo deeſſet officio Pontifici, de ſe benemerenti, ardentes fudit preces coram Virginis ſimulacro, magnâ fiduciâ ſuggeſtum conſcendit, eâque voce prædicavit, quâ clariorem, aut firmiorem ſe nunquam ſenſerat habuiſſe.

In funere Clem. VI. multas habuit conciones.

724. Domum reverſus experiri cœpit favores novi Pontificis Innocentii VI. ex Epiſcopo, ut dixi, Oſtienſi & amico, renunciati. Implacabili odio diſſidebant Genuenſes & Veneti, cruentiſque bellis in alternam ruebant perniciem. Hi in adjutorium convocarunt Petrum Aragoniæ Regem, & Imperatorem Conſtantinopolitanum Cantacuzenum; illi Joannem Vicecomitem Antiſtitem & Regulum Mediolanenſem. Sub finem Pontificatus Clementis miſerabili clade utrimque decertatum eſt circa Boſphorum inter Chalcedonem & Conſtantinopolim, & attritis viribus accenſæ ſunt magis faces inimicitiæ. Ut viam inirent concordiæ, quam ſæpè tentavit Prædeceſſor, Innocentius miſit ad Venetos Fortanerium Vaſſallum ex Minorita Patriarcham Gradenſem, mox Cardinalem, aliàs ad utramque Rempublicam à Clemente amandatum, atque ad Genuenſes ac Mediolanenſes Petrum legavit: & paulò poſt ad Joannam Neapolitanam Reginam, circa fluctuantis regni ſeria negotia deſtinavit. Deinde anno ſequenti (a) ad Epiſcopatus Pactenſem & Liparienſem, in Sicilia unitos, per obitum Petri Theutonici Minoritæ Paſtore carentes, aſſumpſit. Demùm Nuntium miſit ad Stephanum Raſſiæ

Creatur Innocentius VI.

Mittit Petrum ad Genuenſes & Mediolanenſes.

An. 1353. Et ad Reginam Neapolitanam.

(a)

Creat Epiſcopum Pactenſem.

XXIX. JAN.

Nuntium amandat ad Regem Raſſianorum.

Raſſiæ Regem ſimul cum Bartholomæo etiam ex Minorita Epiſcopo Traguerienſi, qui aliàs ibidem laudabiliter fidem promovit. Magnæ erant illo in regno controverſiæ inter Græcos ſchiſmaticos, & ritus Latini profeſſores. His favere videbatur Rex, & capere Romani Pontificis auxilium contra Miniſtros, à Patriarcha Conſtantinopolitano ſubmiſſos, ut Præſules Latinos, & ritus procul facerent Romanos. (a) His ergo malis cavendis amandantur Bartholomæus & Petrus, commiſsâ ſibi amplâ poteſtate in Raſſiæ, Serviæ, Albaniæ, & Sclavoniæ dominiis, & terris adjacentibus, omnia conſtituendi ſecundùm Apoſtolicas ſanctiones.

(a) Vide infra Bullam 3. & ſeqq.

725. Longiori circuitu Petrus Italiam, Illyricum, magnam Hungariæ partem dimenſus, ultra longiſſimi itineris moleſtias multa ſuperavit vitæ diſcrimina. In ſinu Adriatico parum abfuit, quin Turcis cederet in prædam: cùm enim nautæ nihil adverſi ſuſpicantes, vicinæ rupi navem vectoriam applicarent, ut pranderent, ex inſidiis prodiit Turcica prædatoria, remis & velis fugientis curſum facilè ſuperatura. In tanto periculo conſtituti omnes Miſſum Apoſtolicum rogarunt, ut pro ſua dignitate, & apud Deum auctoritate ſupplicaret, ne Chriſtiani nominis hoſtibus fierent in ſervitutem. Genuflexus oravit, & illicò denſa nubes, cœlo undique ſereno, inimicorum navem ita obumbravit, ut Chriſtianis commodè licuerit elabi. Alias in eadem navi periclitabatur ortâ ſævâ procellâ, neque ſpes ulla erat ſalutis collidente undâ ratim in littus. At ille Deum deprecatus, obtinuit, ut mirabili modo mortem omnes evaderent. Areſcentibus hominibus præ confuſione ſonitus maris, & neglecto gubernaculo, jactatam inter montes aquarum naviculam, certiſſimè in ſyrtes, aut cautes impingendam, tumentes fluctus in altum erexerunt, & in lacum à mari interjectâ terrâ ſeparatum, nautis etiam incognitum, in ictu oculi tranſvexerunt. In hac tuta ſtatione licuit quaſſatæ navis rimas luſtrare, & damna reficere, ſedatâ tamen tempeſtate, vi multa & adjutorio opus fuit, ut è lacu per terram interpoſitam in mare retraheretur.

Mirabiliter præſervat ſocios à captivitate.

Et à naufragio.

726. Per multa maris terræque diſcrimina tandem pervenit ad locum deſtinatum ſuo muneri obeundo. Hic nova pericula, novi labores & inſidiæ. Rex ille feroci vultu, & procêra corporis mole terribilis, eam ſibi volebat ab accedentibus exhiberi reverentiam, ut genuflexi in ſolio ſedentis pedes oſcularentur. Indignum ratus Petrus, ut Epiſcopali nobilis dignitate, & ſupremi Pontificis Romani functurus legatione, ita vileſceret, conſtanter renuit, & Miniſtros Regios ita præmonentes noluit obaudire. Miſſis ultrò citroque nuntiis, tandem admiſſus eſt ad Regis colloquium, & ille torvo vultu, ac ſuperbo faſtu excepit; hic autem, quâ Nuntium decuit Apoſtolicum, ſalutavit reverentiâ. Circumſtantes Regis Satrapæ muſſitare, Rex ipſe cœpit frendere, & Petrus

Intrepidè tuetur dignitatem ſedis Apoſtolicæ.

quidem conſtanter reſpondere rem injuſtam poſtulari. Statutâ legationi explicandæ die intrepidus rediit, paulatimque detexit doloſè egiſſe cum Pontifice Regem, & Apocriſarios non tam Romanæ religionis affectu, quàm declinando bello Hungarico amandaſſe. Ludovicus Pannoniæ Rex vindicandæ religionis injuriæ, & ſchiſmaticis comprimendis multum conſcribebat militem; Raſſianus, ut paratum ſibi malum averteret, deſiderium venditabat propagandi & ſtabiliendi in ſuis dominiis unius duntaxat ritus Romani. Luit poſtea juſtas pœnas ſuæ fraudis, à Ludovico contritus & humiliatus. Multa tamen cum Petro tunc videbatur paciſci, & in fidei Romanæ incrementum æquis aſſentiri articulis, quos deinde quæſitâ occaſione reſcidit. Tandem viriliter agente Legato, manifeſtè ſe prodidit ritus Græcanici ſectatorem, & ſchiſmatis fautorem, in eamque prorupit inſaniam, ut ſevero edicto, tubis clangentibus, interdixerit omnes, ſub pœna utriuſque oculi eruendi, Petri ſacrificiis. Hic depoſita omni formidine, Romanæ fidei profeſſores monuit, & publico præconio intimavit, ſe proximo die feſtivo ſacra ſolemni & Pontificiâ majeſtate facturum, utque omnes adeſſent propoſitis Indulgentiis invitavit. Plurimi venerunt etiam viri nobiles & heroës, Deum magis quàm Regem timentes, cui poſtea obiicienti leges latas, reſponderunt: ſe ſemper palam & in aperto religionem profeſſos Romanam, neque æquum fore, ut Legato Pontificio celebranti, & ad talia ſolemnia, in illa regione, vel nulla, vel rariſſima, invitanti deeſſe viderentur; longè etiam ab illa eſſe cogitatione ut à Romano capite permitterent ſe membra divelli; aut propter lumen oculorum in fide cœcutirent. Petrus etiam graviter, & conſtanter fallaciæ monuit, & perfidiæ, quòd doloſè affectum protenderit unionis cum Eccleſia Latina, qui apertè ritus commendabat adverſos, & errores fovebat Græcanicos. Tandem multis prudenter in Clero inſtitutis & reductis ad concordiam Romanam plurimis Eccleſiis per inſidias & varia vitæ diſcrimina reverſus eſt ad curiam Pontificiam.

ANNOT. (a) Ad Epiſcopatus Pactenſ. & Lipar. &c. per obitum Petri Theutonici &c. *Vghellus Tom. 1. Ital. Sacra in Appendice ſub titulo* Liparenſes Epiſcopi *de Petro Theutonico, & ejus ſucceſſore S. Petro Thoma iſta ſcribit:* Petrus de Pernis Theutonicus nuncupatus Ordinis Minorum à Clemente Sexto harum Eccleſiarum fit Epiſcopus 15. Kal. Martii an. Pontif. 4. qui fuit Chriſti 1346. ex reg. Vatic. ep. 63 an. 4. de quo etiam Waddingus noſter ad eum annum. Vir fuit Petrus litterarum peritiâ, & virtutum exemplis præclarus, Regis Ludovici Capellanus maior. Obiit 21. Januarii 7. id. 1354. *Ita ibi Vghellus, & immediatè poſt:* B. Petrus Thomaſius Ordinis Carmelitarum conſtituitur harum Eccleſiarum Antiſtes ab Innocentio Sexto anno 1354. 16 Kal. Decemb. ſucceſſit Petro eodem anno teſte Waddingo *Plura circa iſta videri poterunt apud Lezanam tom. 4. Annal. ad an. 1354. num. 5. & 6.*

XXIX. JAN.

CAPVT V.

Nunciatura Apoſtolica ad Regem Hungariæ & Venetos, deinde ad Imperatorem Græcorum: Iter in Palæſtinam, orationis fervor, & extaſes.

Amandatur Pacificator ad Hungaros & Venetos.

(a) Ann. 1356.

(b) Vide Bullam 12. & ſequentem

727. INnocentius curam omnem & cogitatum fidei propagandæ, & Terræ ſanctæ Chriſtianis aſſerendæ dirigebat, dolebatque Ludovicum Hungariæ Regem tanto facinori maximè opportunum, bello Veneto diſtractum. Deſtinavit (a) Petrum & Fr. Stephanum Ord. Minorum Electum Zagabrienſem, ut pacificarent, & Regem in Raſſianos, alioſque ſchiſmaticos excitarent. Ut verò libentiùs & animoſius Rex, Dei & Eccleſiæ Catholicæ cauſam ageret, auctoritatem conceſſit Nuntiis, (b) S. Petri vexillum conferendi, Catholici exercitus Imperatorem conſtituendi, & in ſuppetias belli decimas trium annorum, aliaque ſubſidia temporalia & ſpiritualia conferendi. Superatis Alpibus Venetias abierunt Nuntii, & Ioanni Gradonico Duci, clariſſimoque ſenatui Pontificis ſtudium expoſuerunt pacis cum Ludovico ineundæ. Non abhorrebant illi pacem, modò in æqua fœdera Ludovicus conveniret. Ad Regem igitur per medias confertaſque acies profecti, adventus cauſam, & cum Venetis pacta retulerunt. Honorificè exceptos gratiſſimè Rex audivit, rebus omnibus neceſſariis inſtruxit, & Petrum maximè, quippe doctè prædicantem, bona quæque prudenter conſulentem, & familiariter colloquentem ſummis affecit honoribus. Vexillo, & Imperatoris munere admiſſis, gravi ſacramento ſpopondit ſe fidei injuriam inter Raſſianos pro viribus ulturum, Terræ ſanctæ aditum aperturum, & Venetis integras, quas in ſuam redegerat poteſtatem, Dalmatiæ, Iſtriæ, & Fori-Iulii provincias reſtituturũ. Eam appoſuit conditionem, ut Veneti quotannis in memoriam recepti beneficii, & icti fœderis ſignum, equum album Hungariæ Regibus offerrent. Pactum hoc inhonorum & intolerabile dixerunt Veneti; quippe Hungaris ſe tributarios profiteri rem indignam, & indecoram judicabant, multique Petrum verbis graviter laceſſerunt. Inter omnes exceſſit quidam Epiſcopus, nobilis proſapiæ, & magnæ auctoritatis in Senatu, qui à pace ineunda vehementiſſimè diſſuadebat. Magno dolore correptus Petrus increpare cœpit pacis adverſarios, & prædicere divinam ultionem. Nec longè abfuit, etenim Epiſcopus die ſequenti dum ad exercitûs Præfectos proficiſci vellet, ut ad belli proſecutionem urgeret, & in urbe togatos Patres à pace deterreret, repentinâ morte ſublatus eſt; & Veneti plagis multis attriti minori lucro pacem poſtea inierunt.

728. Non plenè hîc abſoluit Petrus, quando longiori & moleſtiori adjudicatus eſt (a) legationi obeundæ. Ioannes Palæologus, Græcorum Imperator, devicto Ioanne Cantacuzeno Imperii occupatore, magnum præferebat (ſive verè, ſive doloſè, ut Pontificem ſibi conciliaret, & contra Imperii invaſores auxiliatorem haberet) unionis Græcorum & Latinorum deſiderium. Solemni præmiſſo juramento, obedientiæ præſtandæ Romano Pontifici, miſit Avinionem nobiles Apocriſarios duos, qui hæc referrent, & ſubſidium peterent contra Turcarum invaſiones. Gaviſus Pontifex Legatos honorificè excepit, nec cunctandum in re gravi putans, binos etiam deſtinavit ad Imperatorem Nuntios, Petrum Thomæ, & Gulielmum Minoritam, Siſopolitanum Epiſcopum, qui impio propoſito confirmarent, & ſuaderent, ut quam per literas miſerat, fidei confeſſionem, ore profiteretur publicè in Prelatorum concione coram Patriarcha Conſtantinopolitano, atque ita facienti Pontificis Chriſtianorumque Principum auxilium contra fidei hoſtes pollicerentur. Illi impigrè iter aggreſſi, contemptis, ſuperatiſque longæ navigationis periculis, Conſtantinopolim pervenerunt, ubi diu diſceptantes cum Græcis, habitiſque publicis, & doctis congreſſibus, induxerunt Imperatorem ut promiſſa compleret, & quo poterat ſtudio univerſum Imperium ad fidei unitatem convocaret. Movit plurimum Petri ſingularis doctrina, probata virtus, vita exemplaris, & prodigioſa opera, quibus doctrinam confirmabat, omneſque in ſui admirationem, & æſtimationem rapiebat. Toto tempore, quo illic hæſit, corporis maceratione, jejuniis, ciliciis, & continuis orationibus curabat cœleſte numen inclinare, ut negotium hoc proſperare dignaretur, & quod ſchiſmaticorum pertinacia demerebatur, piis exercitiis, & devotis obſequiis aſſequi ſtudebat, ut jam tandem Deus miſereri vellet numeroſiſſimæ genti, in errorum tenebris cœcutienti.

(a) Eodem anno. Deſtinatur ad Imperatorem Græcorum.

Vide Bullam 14 & 15.

729. Reverſurus ut ſuæ legationis rationem redderet, Cyprum appulit, ubi gravi correptus infirmitate ſummè beneficos probavit Hugonem Regem, & Leonoram Reginam, Principis Petri Arragonii, mox Minoritæ, filiam, quæ propriis manibus dapes & valetudini opportuna preparabat. Priſtinæ reſtitutus ſanitati, in Palæſtinam navigavit, redemptionis noſtræ incunabula coram veneraturus. In ſancta civitate Ieruſalem, quam religioſè, quanto affectu, quibus lacrymis, loca ſancta luſtraverit, quali devotionis ardore ad ſanctum Chriſti ſepulcrum, & ad præſepe Bethlehemitanum ſacrificaverit, vix poſſet explicari. Spectatores univerſos ad lacrymas & novos fervores excitabat, & qui priùs ferventiſſimi videbantur rei Dominicæ cultores, ad rarum Petri exemplum ſupinæ ſe accuſabant negligentiæ. Quotquot occurrebant, Chriſtianos, maximè qui Ieroſolymis degebant, ad dignam ſacrorum monumentorum venerationem hortabatur, & flocci pen-

Cyprum appulit.

Inde in Palæſtinam abit.

Loca ſancta devotè inviſit.

XXIX. JAN.

pendendos omnes cruciatus dicebat, ut ſeveros Chriſti cultores fidei contemptoribus obiicerent. Zelum hunc in omnibus accendiſſe, & Legatum Romanum eſſe, inter Saracenos percrebuit, decreveruntque vel abigere, vel occidere. *Saraceni mortem intentant.* Ita referentibus, qui circumſtabant, ſervis reſpondit: nihil tibi hoc nuntio acceptabilius, neque optabilius accidere poſſe, quàm eo in loco occumbere, ubi Chriſtus pro humano genere ſanguinem ſparſit. Sequenti die circa horam tertiam in Monte Sion in ædem fratrum Minorum omnes convocavit Chriſtianos, omnique pulſo timore doctiſſimâ & longâ hortatus eſt oratione, ut conſtantes in fide veri eſſent excubitores Chriſti ſepulcri, & pro repellenda quacunque ſui inſtitutoris injuria fortunas omnes, & vitam ipſam profunderent. *Ille pericula contemnit.* Cœtus hic Chriſtianorum malè habuit Saracenos, & templi foribus adſtantes, mala omnia imprecabantur Legato, paratæque mortis minas addebant. Ille animo intrepidus, trepidantibus auditoribus, ſermonem proſecutus eſt in deteſtationem legis Mahometanæ, & Chriſtianæ commendationem. Concione abſolutâ in publicum prodiit, tranſienſque per medium illorum ibat, minas contemnens & execrationes, nemine audente manus iniicere. Illinc regreſſus in Cyprum, iterùm à Rege honorificè excipitur, majori item ſtudio poſtquam audierat, quæ Ieroſolymis egerat, & qualiter peculiari Dei tutelâ, ferocientium Turcarum ſacrilegas manus evaſit.

730. Famaguſtæ in cœnobio Carmelitarum per dies aliquot commoratus, tantâ humilitate & demiſſi animi affectu ſacratiſſimam Virginem ſolebat deprecari, ut ſolus noctu amotis arbitris, & luce, humi proſtratus longas protraheret orationes, multoties vi ſuaviſſimæ contemplationis in extaſim factus. *Frequentes patitur extaſes;* Accidit aliquando, ut ex Sacellanis unus cubiculum abſque luce ingreſſus, in ſanctum virum impegerit, deſuperque ceciderit, abſque ullo illius ſenſu aut motu. Aliàs *Orans indicatur luce cœleſti,* ſuper orantis cubiculum diluculò ante Solis ortum viderunt quamplurimi Græci, Armeni, aliique ſchiſmatici, præter Orthodoxos innumeros, fulgentiſſimam trabem igneam è cœlo deſcendere, & diu deſuper illuxiſſe; in cujus rei, totius fermè urbis teſtimonio comprobatæ, memoriam decreverunt illius cœnobii Patres, ut deinceps ſingulis diebus ante auroram Miſſæ fieret ſacrificium.

CAPUT VI.

Reditus illius ad Pontificem: tranſlatio ad Epiſcopatum Coronenſem: Legatio Apoſtolica univerſalis in Oriente: Creta ab hæreſi per eum purgata.

731. MUltis ea in inſula relictis virtutis, doctrinæ, & ſanctitatis veſtigiis, tandem reverſus eſt Avinionem, ubi à Pontifice & Cardinalibus miro applauſu, & omnium gratulatione exceptus eſt. Audiens autem Innocentius ſæviſſimos fidei hoſtes Saracenos partes omnes Romaniæ, maximè Patriarchatus Conſtantinopolitani, & urbem Smyrnarum, ſedi Apoſtolicæ ſubjectam, continua hoſtilitate divexare, tertio poſt regreſſum anno (a) illuc remittere decrevit. (a) Anno 1359 Cur ita fecerit, ipſe ſuo diplomate expreſſit: *Quia*, (b) inquit, *vir timoratus & providus, & in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodùm eruditus, ac frequenter in arduis, & præſertim in illis partibus comprobatus, clarus ſcientiâ, plenuſque multis virtutibus prædicabatur.* (b) Vide Bullam 18. & ſeqq. Tranſlatum itaque ab Epiſcopatu Pactenſi, alia pinguiori & commodiori eccleſia Coronenſi, ſub Archiepiſcopatu Patracenſi, Venetis ſubjecta, cohoneſtavit. *Transfertur ad Eccleſiam Coronenſem.* Vide Bullam 17. Deinde plenam ei commiſit Legati Apoſtolicæ Sedis auctoritatem in ampliſſimo Patriarchatu ſupradicto, in regnis Cyprio, & Cretenſi, in Smyrnarum, Athenarum, Thebarum, Corinthii, Corphii, Nixienſi, Colocenſi, Duratienſi, Neopacenſi, & Neopatriæ Archiepiſcopatibus ac provinciis; *Inſtituitur Legatus Apoſtolicus in Romania.* Vide Bullam 18. & ſeqq. conſcribendo militi, & exercitui Cruce ſignatorum, ſupremâ adjectâ poteſtate, præfecit, Inquiſitorem generalem inſtituit, multis privilegiis variaque facultate decoravit.

732. Hac inſignitus poteſtate evellendi, deſtruendi, plantandi, & ædificandi, generoſam fortitudinem indutus eſt, & præcinxit ſe virtute. *Generosè ſuo fungitur munere.* Etenim verbo & gladio fidei hoſtibus terrorem incuſſit, ſchiſmaticis, quorum ingentem numerum ad Eccleſiæ Catholicæ unionem reduxit, diſputationibus & concionibus obſiſtebat; Saracenis paratas claſſes, & conſertas acies obiiciebat, per omnes partes diſcurrens, ſe murum pro domo Domini opponebat. Modò Smyrnæ, modò Rhodi, aliquando in Cypro, aliquando in Creta, aliàs in conſpectu urbis Conſtantinopolitanæ Turcis occurrebat, & nullo loco conſiſtere paſſus, ſæpiſſimè profligabat, glorioſè ubique triumphans. In manu ejus videbatur Dominus proſperare opus ſuum, & ſub tanto duce ſalvare populum ſuum à leone rugiente, qui circuibat univerſas illas provincias, ut divino eriperet, & ſuo ſubjugaret imperio. Licèt manus ejus excelſa, non tamen fecit hæc omnia, ſed Dei virtus, & potentia, mirabilis in majeſtate, & faciens prodigia. Armorum quippe potentiæ divinam adjunxit virtutem ſignis mirificis & portentoſis miraculis, barbarorum retundens ſævitiam. In his multa maris, terræque ſubivit diſcrimina, prædonum injurias, & militum ſuſtinuit inſolentiam, pericula tulit ex inſidiis, & graviora ſenſit in falſis fratribus. Divino tamen roboratus auxilio, malis omnibus ſuperior, animoque infractus, nihil, quod ad ſuam legationem ſpectabat, omiſit, eaque felicitate ſuum munus peregit, ut Eccleſiæ fines dilatârit, & Turcarum repreſſerit potentiam. Inter ſupremos illorum Principes numerabatur Alti-loci Dynaſta, quem ſedi Apoſtolicæ vectigalem fecit, eaque dexteritate, ut primò

vi ſubegerit, mox mirâ benignitate & clementiâ Chriſtianis fecerit propitium.

733. Sub hoc tempus pernicioſa quædam hæreſis in inſula Cretenſi pullulare cœperat inter nobiles, & viros primarios. Petrus ut erat integræ fidei ardens Zelator, in Candiæ urbem advolavit, atque inquirere cœpit in inſanæ doctrinæ auctores & fautores. Dux Cretenſis ab infectis ſtimulatus in primo congreſſu, non uti Legatum, ſed tanquam hoſtem, & famæ Cretenſium inſidiatorem inurbanè excepit, minaſque adjecit ſi propoſitam inquiſitionem vellet urgere. Petrus injuriarum patiens, & offenſam diſſimulans, impavidè inchoatum proſecutus negotium, affixis publicè cenſuris præcepit, ut ſe ſiſterent, qui pravo dogmati vel initium dederunt, vel auxilium. Præcipuus auctor & importunus magiſter erat quidam Duciſſæ cognatus, qui magno faſtu numeroſâ ſectariorum ſtipatus catervâ, accedens ad Legatum viſus eſt potiùs hoſtiliter aggredi, quàm præceptis obedire. Petrus, uti erat prudens & mitis, convitia minaſque contemnens, verba mollia rependit, pacatoque animo de nova hac doctrina interrogavit. At illi benignitatem & manſuetudinem aſpernati, arroganter valde, neque ad rem appoſitè, reſponderunt. Videns Legatus ſe nihil hac viâ profeciſſe, ſtatuit inquiſitionis munus ritè peragere, & ſingulos ſeorſim prout moris eſt, examinare: Ducemque ipſum nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ interpellavit, ut in re tanti ponderis neceſſario auxilio ſibi vellet adeſſe. Hic in furias actus, & impio conjugis conſilio amplius exardeſcens, Legatum adiit, contumelioſis & deſpicabilibus verbis laceſſivit, opem omnem denegavit, & niſi univerſâ excederet inſulâ, mala multa, & mortem ſibi ſuiſque prædixit. Sectarii ut majorem ei conciliarent invidiam, omnia ſparsêre in vulgus, neque aliud jam ſperabatur in populo, quàm horrenda Legati & domeſticorum carnificina. Magis illum angebat ſuorum trepidatio, qui præ foribus mortem meditabantur, urgebantque, ut fugâ vitæ diſcrimen declinaret: Attamen à Deo confortatus convaleſcebat, & confundebat modicæ fidei, dejectique animi viros, vile & indecorum exprobratus conſilium. *An non*, inquit, *Dei cauſam agimus? ut cur non liceat ejus ſperare, & certò promittere patrocinium? Indigna res eſt, ut fidei hoſtibus Romanæ ſedis Legatus terga turpiter vertat. In acie ſtandum, & fortiter dimicandum; vincere honorificum, per mortem hîc vinci nihilominus glorioſum. Virtus Dei eſt omni credenti; confidite; videbitis auxilium Domini ſuper vos. Viriliter agite, in ſtatione veſtra perſeverate; ego intrepidè præliabor prælia Domini, & in ipſo ſperans non infirmabor.* Poſtridie Ducem ipſum & Urbem diris devovit, atque Eccleſiaſtico interdicto eccleſias omnes ſubjecit. Deinde Principi animosè in faciem dixit; dominium ejus & poteſtatem jam ſub incertum fluctuare, & meminiſſe oportere quòd in Dei manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum, & quòd per illum Reges regnant, Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Vicariâ etiam poteſtate Pontifices Romanos bene merentibus regna contuliſſe, & demerentibus abſtuliſſe. Deum itidem ſuæ Eccleſiæ dediſſe Reges nutritios, non hoſtes. Quòd ſi ille ſe inimicum probaret, & fidei Catholicæ corruptoribus auxiliari non deſiſteret, certiſſimè ſciret dominium in alios transferendum. Ita hæc Ducem perculerunt, ut pavens & tremens pœnitentia ductus ad Legatum acceſſerit, errati veniam poſtulaturus. Contritum & humiliatum ille humaniter admiſit, ejuſque fretus auxilio in hæreticos mortis & incendii ſententiam promulgavit. At omnes, præter unum Duciſſæ cognatum hæreſim deteſtati, abierunt impunes, ille pertinacior effectus publico periit incendio. Hac proſtratâ hæreſi, glorioſiùs receſſit, proſequentibus eum per plurima amoris indicia, Duce ipſo & optimatibus civitatis. Tranſeunti autem in eadem inſula per Cunilæ urbem ſignificatum eſt, ibidem ſepultum fuiſſe famoſum quendam hæreticum, cujus ſtatim effodi juſſit oſſa, atque igne conſumi.

Cretam perniciosâ hæreſi liberat.

CAP. VII.

Inauguratio Petri Regis Cypri per S. Petrum Thomam: Græcorum Schiſmaticorum reductio per eundem; Eccleſiæ Coronienſis reformatio: peſtis è Cypro profligatio.

734. RHodum profectus, graviter ægrotavit, & longo tempore à Natalitiis Domini uſque ad Reſurrectionem decubuit. Porrò illo tempore decedente Hugone Rege Cyprio, Petrus filius ad ſolium evectus eſt, vehementerque cupivit à ſancto Legato coronari, & ſacro oleo deliniri. Miſit, qui obnixè rogaret, ut veniret, & piis votis annueret. Longâ attrito infirmitate conſulebant omnes ne periculoſo & moleſto ſe committeret itineri. At ille honori Eccleſiæ Romanæ conſulere, & Regi complacere cupiens, omnia contempſit vitæ diſcrimina. Servorum humeris ad navim elatus, in navigationis curſu vim morbi ſenſit graviſſimam, & proſtratis viribus putabant aulici neque ſalutis neque vitæ ſpem ullam ſupereſſe. Ubi verò iſti magis deſperabant, ille divinam virtutem manifeſtiùs patefecit, ſolâ oratione ad B. Virginem & S. Gregorium præmiſſâ, integram repente conſecutus ſanitatem, nullis priſtini morbi relictis veſtigiis. Incolumis ut appulit, perfectâ & vegetâ corporis conſtitutione omnes in admirationem rapuit, qui diuturnam noverant infirmitatem. Regem autem ſolemniſſimo ritu in Eccleſia Cathedrali Famaguſtæ, magno plurimarum nationum concurſu, diademate coronavit, & ſacra unctione linivit.

Regem Cypri coronat & inungit.

735. Per-

XXIX. JAN.

Græcos trahit ad ritum Romanum.

735. Perceperat in hac inſula Græcorum Epiſcopos & Sacerdotes ſchiſmaticos occultis artibus, & quibus poterant modis, Chriſtianos Romanos ad ſuos ritus & inſtituta pellicere. Non tulit hoc æquo animo, initoque cum Rege conſilio ſtatuit gentem pertinacem, ſubdoloſque miniſtros iniqui inſimulare conſilii. Convocavit potiſſimos illorum in templum primarium Nicoſiæ, erectoque ſolio pro Legati dignitate prope altare præcipuum, clauſis foribus, ut populi Græcanici tumultui obſiſteret, cœpit Epiſcopos ſui monere officii, & debuiſſe potiùs ipſos ad unionem accedere religionis Romanæ, quàm ab ea reliquos avocare. Plurimi illorum benignis efficacibuſque rationibus aurem accommodantes, pro viri reverentia, & veritatis pondere ſuæ inſcitiæ & temeritatis veniam poſtularunt, polliciti ſe deinceps fidem ſecuturos Romanam. Inſtigante autem zizaniæ ſatore, & pacis inimico, ſurrexit petulanter ex Presbyteris unus, vir temerarius & audax, & proſiliens in medium convocavit reliquos ad diſſolvendum cœtum, procacibus verbis, & magnis clamoribus omnia perturbans. Huic acceſſerunt alii eodem ſpiritu agitati, in duaſque partes diviſâ concione, utrimque ſævitum eſt vehementer. Præ foribus promiſcuum vulgus Græcorum rei exitum præſtolabatur, auditoque interno tumultu effractis valuis cœco furore irruit in templum. Schiſmatis fautores, & commotionis auctores culpam refundebant in Legatum, incuſabantque quòd proditoriè, & nulla præmiſſa monitione volebat nobilem Græcorum gentem à patriis ritibus ſubducere, & ad alienas leges incautam transferre. Omnem denique quam poterant, invidiam conflabant, eoque proceſſit turbulenta conſpiratio, ut in eas itum ſit horrendas voces: moriatur Legatus; occidantur fraudulenti Latini. Qui adſtabant Antiſtiti, familiares & ſervi, tumultum declinare, & mortem fugere tentârunt, rogantes etiam ut ille in angulum aliquem, aut latibulum abiret. Noluit è ſede recedere, nec timoris indicium aliquod præferre, ſed arrepto è Cruciferi manu legationis & dignitatis vexillo, famulos ad perferendam intrepidè mortem pro fide Catholica, & Sedis Romanæ auctoritate excitavit, ipſeque nobili magiſterio impavidus objecit ſe malis omnibus superventuris. Rex admonitus periculi, in quo verſabatur Legatus, miſit celeriter fratrem ſuum Principem Antiochenum, milite ſtationario ſtipatum, qui tumultuantes compeſceret, Antiſtitem honorificè haberet, & domum uſque aſſociaret. Fecit Princeps, Græcos punivit, & Legatum in omnium conſpectu ſumma proſecutus reverentia in Regiam deduxit. Non propter hæc animum deſpondit, nec zelum imminuit Petrus: dolebat enim in regno ſubdito Regi Catholico, & fidem profeſſo Romanam, graſſari hujuſmodi vulpeculas, quæ demoliebantur vineam. Egit itaque variis artibus, modò dulciter, modò ſeverè, modò imperans, modò rogans, aliquando minis territans, aliquando blanditiis alliciens: & tandem fecit, ut primarius Græcorum Epiſcopus, alii item Antiſtites, & qui potiores erant in Clero in unitatem fidei Romanæ publicè conſpirarent.

Suam Eccleſiam Coronen. reformat.

736. Rebus benè conſtitutis in Cypro ſolvit in Achaiam, ibique commiſſam ſuæ curæ Eccleſiam Coronenſem inviſit. Hic etiam Græcos ſchiſmaticos, ut errores abjurarent, induxit; qui protervi erant, verbi divini virtute ſuperavit. Diem nullum infructuoſum elâbi permittens, modò docendo, modò diſputando, ſæpiſſimè concionando, multos ad fidem convertit, ſanctiſſimæ denique vitæ exemplo mores omnium reformavit. Ea in provincia erat vir potens & Princeps, Arcadiæ Dominus, qui ſuſceptis è conthorali filiabus multis, maſculum nullum procreavit. Rogavit obnixè Legatum, ut in domum ſuam deſcenderet, & genitoribus benedictionem impertiret. Deſcendit, benedixit, annuntiavit maris conceptum brevi ſecuturum. Ita factum: ſpecioſus ortus eſt puellus, adolevitque in virum prudentem. Navigaturus in Cyprum horribili quatiebatur procella, neque præter vota preceſque videbatur humani remedii quidquam ſupereſſe. Sex anchoris projectis & deperditis, rudentibus ruptis, & retinaculis conſumptis ad ſacram hanc anchoram nautæ recurrerunt, rogantes ut miſereri vellet & deprecari Deum, quatenùs motos componere fluctus dignaretur. Oravit ferventer, intinctâ reverenter in mare, quam geſtabat, cruce, reliquiis ſanctorum pretioſâ, & ſtatim facta eſt tranquillitas magna obſtupeſcentibus qui aderant, & viderant manifeſtam Dei in ſuo ſervo virtutem.

Arcadiæ Principi filium impetrat.

Tempeſtas ſedat.

Sataliam Chriſtianæ inſtituit diſciplinæ.

737. Sataliam fortiſſimam urbem Petrus Cypri Rex hoc tempore expugnaverat; confeſtim illuc profectus Legatus, Eccleſias inſtituit, Sacerdotes, & viros religioſos aliunde avocavit, divini officii ritus ſtabilivit, & omnia ad normam Romanæ Eccleſiæ compoſuit. Præſidiarlis etiam militibus, & conſtituto à Rege magiſtratui indulgentias maximas, privilegiaque largitus, omnes excitavit, ut à Saracenorum tyrannide ereptam urbem ad Dei gloriam, & rei Chriſtianæ nobile augmentum fideliter atque viriliter cuſtodirent.

Peſtem profligat.

738. Cum Rege Cyprum regreſſus graſſante ubique in inſula, ſed maximè in urbe Famaguſtæ, peſtilenti contagione, quæ uno aut altero die infectos è medio tollebat, ſolemnem inſtituit in urbe Nicoſiæ ſupplicationem, in qua ipſius exemplo omnes detecto capite, & nudis pedibus Dei miſericordiam, & reatuum indulgentiam implorarunt. Habitis etiam doctiſſimis ſermonibus ad populum, omnes excitavit ad pœnitentiam & ſeveram peccatorum ſatisfactionem. Deinde (a) contemptâ morte abiit Famaguſtam, ubi ſingulis diebus quadraginta circiter deſiderabantur, ordinataque ſimili ſupplicatione, (a)

&

XXIX. Jan.

& indicto jejunio in pane & aqua, frequenti concione voluntarios fecit ultores injuriæ cœleſtis. Tanto zelo exarſit & populi pereuntis ita inſignem commiſerationem piis actibus oſtendit, ut non ſolùm Chriſtianos, verùm & qui cohabitabant, infideles Judæos & Saracenos ad ſimilia opera, & uberrimas lacrymas provocârit. Deus autem, qui non novit in ira ſua continere miſericordias ſuas, miſertus gemituum & lacrymarum, & ſervi ſui precibus acquieſcens, gladium indignationis ſuæ recondit, & ab illo die nullus ex innumera multitudine ulceratorum obivit, neque ampliùs alii percuſſi ſunt, ſed penitùs tam in urbe hac, quàm in univerſa inſula peſtis evanuit.

ANNOT. (a) Contempta morte abiit Famaguſtam: *Quæ Nicoſia, & Famaguſtæ, bonus Paſtor pro quibus animam ponere paratus, fecerit, pleniùs relatum eſt ſupra in Appendice ad priorem vitam § 3.*

CAP. VIII.

Provectio ejus ad Archiepiſcopatum Cretenſem, ac deindè ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum: Principes multi per eum pacificati: Vitæ diſcrimina.

739. PLenè in remotis diſſitiſque provinciis legatione perfunctus annis circiter quatuor, audita morte Innocentii Pontificis, anno trecenteſimo ſexageſimo tertio ſupra milleſimum venit Avinionem in comitatu Petri Regis, Jeroſolymitanam expeditionem apud novum Pontificem, & inter Principes Chriſtianos promoturi. Paulò ante ſub finem anni præcedentis ſubſtitutus eſt Innocentio Grimaldus Griſatus, provincia Toloſana oriundus, Abbas Maſſilienſis Ordinis Cluniacenſis, dum Nuntii Apoſtolici munere fungeretur apud Reges Siciliæ, & Vicecomites Principes Mediolanenſes, Urbanus V. renunciatus. Non priùs hic Avinionem revocatus, & ſacra tiara coronatus, quàm decreverit, validam manum Cruce ſignatorum & Principum confœderatorum ſub Kalendas Martias anni ſexageſimi quinti illius centuriæ, mittere in ſubſidium Imperatoris Palæologi, & Chriſtianorum Orientis, ut barbaris reſiſterent conatibus Turcarum, qui deletum volebant in illis provinciis nomen Chriſtianorum; & ſi proſperi ſuaderent belli eventus, ulteriùs pergerent, Jeroſolymis triumphaturi. Deſtinaverat exercitûs Imperatorem Ioannem Galliarum Regem, & Sedis Apoſtolicæ Legatum Talairandum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, de quo ſuprà ſumus præfati. Sed decedente hoc anno Cardinale ſuffectus eſt in legatione B. Petrus, priùs tranſlatus ab Eccleſia Coronenſi ad Archiepiſcopatum Cretenſem; deinde anno ſequenti aſſumptus ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, conceſſis

Mortuo Innoc. 6. ſubſtituitur Urbanus quintus.

Exercitum parat Cruce ſignatorum.

B. Petrus Archiepiſc. Cretenſem, & Sedis Apoſt. Legatũ conſtituit.

etiam in magnorum, quos ſubire oportebat, ſumptuum ſubſidium redditibus Eccleſiæ Coronenſis, & Nigripontis. Ampliſſimas adjunxit legationi Pontifex facultates, illam præſertim providendi eccleſiis Cathedralibus illarum partium, quæ tyrannidi ſubtraherentur infidelium, & præficiendi eiſdem, ac reliquis ſacerdotiis Epiſcopos, & paſtores.

Vide Bul. lam 22. & ſeqq.

740. Porrò Joannes Rex anno ſequenti (a) 5. Idus Aprilis obiit in Anglia, quò abiit viſum liberatumque filios duos, & totidem Regii ſanguinis Principes, quos, ab Eduuardo Anglorum Rege in bello captus, obſides dedit, donec promiſſam pro ſua liberatione numeraret pecuniam. Valde doluit Urbanus Pontifex ad tanti Principis ſtrenuique Ducis interitum; temperavit tamen dolorem probata ſæpè virtus militaris Petri Regis Cyprii, cui numeroſæ claſſis, ſelectique militis imperium commiſit. Monuit etiam conceſſæ Petro legationis, & cauſam in litteris expreſſit: *Conſiderantes,* inquit, *in eo zelum fidei, ſcientiæ donum, & circumſpectionis induſtriam, aliaque multiplicia virtutum merita, in ultramarinis partibus laudabiliter comprobata, in hujuſmodi negotiis experientiam, & quia eum novimus tuæ ſublimitati acceptum, &c.* Et ille quidem ſpei de ſe conceptæ egregiè reſpondit, ſtatim ſe accingens itineri, & diligenter operi incumbens. Pacificandi erant multi Principes, & reconciliandæ pleræque provinciæ, præſertim in Italia, ut contra communem conſpirarent inimicum, & brachio uno divinæ ulciſcendæ injuriæ gladium vibrarent, quem cæco furore in ſua viſcera contorquebant. Per omnes ille diſcurrit, multos ad pacis fœdera reduxit, aliis perſuaſit inducias: & a quibus pacem non poterat, belli ſacri extorquebat ſubſidium. Non placebat omnibus tantæ pacis ſtudium; quibus inter bellorum ſtrepitus majus emergebat, lucrum, acrioris odii ſtimulos infigentes, Chriſtianæ concordiæ & auctori vehementer adverſabantur. Bononiæ, Florentiæ, Venetiis, non paucas, neque parvas perpeſſus injurias, quia pacem annunciabat, & ſuadebat meliora, graviores tulit in Pannonia à militiæ præfectis, dum efficaci ſermone belli explicaret nocumenta, & cauſæ exquireret æquitatem.

(a) An. 1364.

Petrus Rex Cypri excercitus imperator.

B. Petrus multos Principes & Provincias pacificat.

Non tamen ſine moleſtia.

741. Progredienti ad munitiſſimam arcem ut Præſidem à belli ſtudio retraheret, incurrerunt feroces Hungari decem incitatis equis; & diſtrictis falcatis enſibus, ipſi, & quem in comitatu habebat, Cyprio Cancellario, necem illaturi. At ille intrepidus occurrit, & in Deo ſpem omnem reponens, gravi vultu & majeſtate plenus ait: *Quid vultis? aut quem quæritis?* Sola hac voce, quaſi ingenti tonitru, perculſi contremuerunt, neque verbum locuti retroceſſerunt. Sæpè etiam per medias acies in ipſo conflictu diſcurrebat, pacem exclamans, & per Dei miſericordiam obteſtans, ut mitigato furore, ſibi ſuiſque parcerent, & juſtitiæ libramine, non effuſo ſanguine, controverſias dirimerent. Ex utroque latere cadebant ſauciati milites, & præ

Et vitæ diſcrimina.

XXIX. JAN.

& præ oculis jacebant exanimata corpora, quæ aliquando calcare oportebat, ſibilabantque utrimque emiſſæ ſagittæ, & ſtridebant per aerem haſtilia: neque tamen virum optimum à pio opere & virtutis amore poterant dimovere.

Genuenſes pacificat.

742. Labore multo, variiſque ærumnis, in belli ſocietatem convocatis, quos pacificaverat, Principibus, paratiſque rebus neceſſariis ad transfretandum, dum Venetiis, (ubi ſimul cum Rege magnificentiſſimè exceptus eſt,) ſolvere tentaret: ecce infauſtum nuntium, omnia turbari, & Regem oportere prius ſuo regno proſpicere, quam invadat aliena. Ortà ſeditione inter Cyprios & Genuenſes mercatores, quorum plurimi ea in inſula commorabantur: hi paſſi ſunt à Cypriis, quippe domi ſuæ potentibus, injurias graves & damna. Itaque per ſuum Ducem Gabrielem Adurnium jubentur totâ inſulâ excedere, Regique eo titulo indicitur bellum, injuriæ vindicandæ. Revocatur ab ipſo portu Legatus, & ad Genuenſes amandatur, obſtaculum hoc paratæ expeditionis amoturus. Commotis animis & ad vindictam concitatis ingratiſſimum erat, quidquam de condonanda offenſâ proponi, nec caduceatorem ullum in ſenatum admittebant. At Petrus tanta mole parati, & ſuſpenſi exercitus compreſſus, obſecrabat, urgebat, compellabat. Camino tamen oleum infundebat, adverſante vehementer populo, cujus furor eò uſque proceſſit, ut Legatum pacem in foro annuntiantem nimbi obruerint ſaxorum, niſi confeſtim in vicini cœnobii ſe ſubduxiſſet ſacellum. Magnis deinde itineribus contendendum fuit Avinionem, confeſtim Genuam redeundum, hinc Venetias ad Regem abeundum, iterum Genuam regrediendum, ubi tandem feliciter negotium abſolvit.

CAP. IX.

Geſta, & virtutes illius in Legatione expeditionis Sacræ: Alexandria intercepta, derelicta.

In exercitu egregiè ſuo muneri reſpondet.

743. Complanatis tot montibus difficultatum, tandem velitandum fuit, & res ipſa aggredienda. Qua verò prudentia leges exercitui Petrus ferebat, qua vigilantia ſiniſtros caſus præveniebat, quo fervore bellaturis prædicabat, qua charitate ægros inviſebat, confeſſiones excipiebat, egenis ſuccurrebat, diſſidentes conciliabat, & nationum omnium, quas copioſus amplectebatur exercitus, æquo jure milites fovebat, non facile poſſet referri. Omnes viciſſim æquè in ſingulos beneficum, uti patrem amabant, & graviter bona quæque ſuadentem, veluti Angelum è cœlo delapſum, venerabantur. Felicem ſe putabat, qui vel manum oſculari, vel benedictionem poſſet accipere. Libenter omnes concionantem audiebant, conſulentem auſcultabant, & præcipienti obtemperabant. Ille orationibus & publicis ſupplicationibus Dei auxilium implorabat, & frequenti ſermone fidei Chriſtianæ dignitatem, ac ſalutiferæ Crucis, qua inſigniebantur, virtutem tantâ commendabat efficaciâ, ut ad fletum & planctum excitaret, ſummumque imprimeret deſiderium fidei causâ mortis obeundæ. Mirabantur univerſi quomodo tam ingenti curæ ſolus ſufficeret, aut quomodo tanto adeoque multiplici labori par eſſet unus, qui neque noctu requieſcere, neque diu ab opere ceſſare, neque indigenti corpori quidquam videbatur indulgere.

744. Tandem ubi ad pugnam veniendum erat, collecta univerſa claſſe in inſula Rhodi, Chriſtianos omnes ſacra pœnitentia expiari, & cœleſti pabulo curavit præmuniri. Deinde ſimul ſolventes proſpero curſu in Ægyptum deſcenderunt, & opulentam magnamque Alexandriæ urbem terra marique, copiis opportunè diſpoſitis, obſederunt. Fortiter utrimque dimicatum eſt; cives libertatem rem omnium pretioſiſſimam, propugnabant: hoſtes gravem Satanæ ſervitutem ab invitis propellebant. Hi pro Chriſto; illi pro malo genio decertabant: hinc charitas; illinc cæcus error urgebat. Excelſâ in puppi prominebant armati Rex & Legatus, ille imperio dirigens, hic voce confortans. Ille Imperatoriis notis inſignis, hic Cruce nobilior: *Eia*, clamabant, *milites electi, Dei vindices, Chriſtianorum decor, Turcarum terror; induiſtis armaturam fidei, & loricam juſtitiæ, accingimini, & eſtote viri potentes. Caſtra Dei ſunt iſta, ille pro vobis, & in vobis pugnat, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, in conſpectu veſtro cadent hæ familiæ gentium, & corruent muri Alexandrini. Ex alto proſpicit pugnam, victuris præmium, caſuris gloriam largiturus.* His aliiſque flabellis conceptum ignem incendebant, & animos erigebant, donec plenè victoriam conſecuti ſub meridiē 4. Nonas Octob. ſancti Franciſci natalitiis ſacro, urbem nobiliſſimam in ſuam poteſtatem redegerunt.

Obſeſſa Alexandria Petrus ſtrenuam operam navat.

Urbs capitur.

745. Magnum profectò, & memorabile opus, noſtræque religionis in immenſum amplificandæ fundamentum ingens, ſi quantum ad capiendam, tantum ad ſervandam urbem animi fuiſſet. At inſignis victoriæ gloria citò deperiit, converſo in fugam triumpho; quippe Tranſalpini, ex quibus major numerus confluxit, meliores frequenter ad principia rerum, quàm ad exitus, exuſta urbe, collectis ingentibus ſpoliis abire decreverunt. Dolebat vehementer Legatum & Regem, præclarum facinus fidei originariis locis reſtituendæ, felicibus auſpiciis glorioſum, turpiter deſeri, cupiebantque urbem numeroſo præſidio munire, unde aſcenſus poterat parari ad occupandas Syriæ urbes, & ſacra loca Palæſtinæ. Sed utrumque pii voti impotem, avari voti compotes fecerunt, opimam prædam volentes ſuis domibus inferre, & cauſantes ſe Saracenorum multitudini, in Alexandrinorum ſubſidium convolanti, pares non futuros. Legatus

Sed derelinquunt,

Rege & Legato contradicente.

XXIX. JAN.

contrà rogare, obteſtari, per Deum precari, ne in ipſo triumpho canerent receptui, ſed partam victoriam proſequerentur, & fugientes inſequerentur inimicos; *quorum fuga, inquit, noſtra gloria eſt, quorum metus noſtra fortitudo, fractæque vires noſtram augent potentiam. Superventuros alios ipſum triumphale nomen terrebit, & parta victoria alias pariet majores. Semel victis ſemper accepta cladis inhæret memoria, & armorum, quibus contriti ſunt, ingerit formidinem. Gloriæ noſtræ fama æmulos advehet triumphis, & adverſùm hoſtium incrementum copiæ ſuperabunt auxiliares. Aderit demum, quando omnia deſint, Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus, ſuam cauſam acturus, ſuis militibus auxiliaturus. Ipſe dedit urbem hanc magnam in manus veſtras, ipſe incolas profligavit, non manus noſtra, ſed Dominus fecit hæc omnia: nonne & quam ultrò tradidit, conſervabit? Cuſtodiæ veſtræ commiſit, non prædæ: diuturnos vult poſſeſſores, non rapidos ſarcinatores. Cavete itaque ne derelicta civitate iraſcatur Dominus, & fugientes pereatis de via juſta. Ecce prædico vobis, exardeſcet in brevi ira ejus, & ſpreti pænitebit conſilii.*

746. Surdis tamèn canebat, neque ſuis precibus, neque cœleſtibus minis impetrare potuit, ut tuendæ, quam poſſederant urbi, remanerent. Integrâ proindè claſſe Rex Cyprum redire decrevit, ibique nova bella moliri. Ut ſolvit, Dei indignationem protinùs æquor indicavit, horribili tempeſtate colliſis primùm navibus, deindè diſperſis, poſtremò aliquot demerſis. Derelictæ Alexandriæ auctores magnis vocibus divinam inclamabant clementiam, ſed graviores adhuc ſupereſſe pœnas, & ſpoliorum, quæ obcæcarunt, jacturam prænuntiabat Legatus. Magna pars miſerè periit, reliqua longo tormento periclitantis vitæ contabuit. Res mira: ipſe ſedato animo, & tranquillo corpore inter ſævæ procellæ tumentes fluctus agebat, & prolixâ ſcripſit epiſtolâ rei ſeriem, Pontifici Urbano mittendam. Tandem perventum eſt Nicoſiam, ubi Regem monuit, totius populi ordinato inceſſu Deo gratias ageret partæ victoriæ. Ipſe interim doctiſſimâ concione Dei virtutem, Regis prudentiam, zelo Chriſtianæ fidei conjunctam, belli ſacri neceſſitatem & commodum explicavit.

Fuga auctores Deus punivit.

CAPUT X.

Anathematis à S. Petro lati efficacia: illius in Cyprum regreſſi jejunia, vigiliæ, nudipedatio, ægritudo.

Veturſum prohibet cum hoſtibus commercium.

747. Voluerunt aliqui turpis lucri cupidi mercatores hoc ipſo tempore gratiam inire Sultani Ægyptii, fœdus ſtabilire, & priſtinum cum Alexandrinis inſtaurare mercimonium. Nullâ interpoſitâ morâ anathema dixit in omnes, qui merces Ægypto inveherent aut cum Sultani ſubditis quidquam paciſcerentur. Fuit tamen mercator Venetus, qui poſthabitis cenſuris, triremem opulentis mercibus onuſtam Alexandriam conduxit: ut verò in conſpectum urbis venerat, orta horribilis procella in Cyprum uſque diſiecit, ubi naufragium fecit, merces perdidit, & vix ipſe ſcaphâ minaces fluctus evaſit. Teſtis eſt Cypri Cancellarius, Petro familiaris, toto illo tempore, quo bellum duravit, lati anathematis virtutem perſeveraſſe, omneſque contemptores, vel ſævi maris fluctibus periiſſe, vel in ultrices Saracenorum manus incidiſſe; & multis ſignis Deum manifeſtaſſe quantum diſplicuerit bellum inchoatum feliciter, vel militum ignaviâ, vel Ducum avaritiâ, aliarumve nationum invidiâ, in magnam Chriſtiani nominis contumeliam, nec minorem fidei jacturam, turpiter evanuiſſe.

748. Rogavit Rex ut Avinionem abiret, Pontifici relaturus, quæ acciderunt, animumque adderet exercitus reficiendi. Nullum ille pertæſus laborem, quo bellum ſacrum urgere, vel rem Chriſtianam poſſet augere, iter longiſſimum, & periculis obnoxium, non abhorruit, ſed protinus Famaguſtam abiit, inde navigaturus. Etſi magno animo rem magnam obiret, mœſto tamen retinebat Alexandrinam jacturam, & glorioſæ victoriæ fructum inanem, neque ab illo tempore ſignum aliquod lætitiæ potuit præferre. Dolens & contabeſcens ſe accingebat itineri, opportunumque tempus expectabat transfretandi, quando gravi correptum infirmitate oportuit ſubſidere. Solemni Nativitatis Dominicæ noctè è domo Carmelitarum, in qua commorabatur, ad ædem Cathedralem pedes perrexit, nullâ arcens curâ cœli inclementiam, tenuique veſte univerſo interfuit officio, & ſolemni apparatu Pontificio trium Miſſarum peregit myſteria. Præceſſerat ſeverum aliquot dierum jejunium, & integra noctis vigilia, quibus extenuatum corpus cœpit algere. Non obinde prætermiſit reliquarum feſtivitatum functiones, neque ulla in re languenti indulgebat corpori, quin in ſacris officiis primus præiret exemplo. Poſtridie Natalis Domini nudis pedibus cœnoſa proceſſit platea ad celebrem Eccleſiam S. Mariæ de Cana ſacrum facturus Pontificium. Monentibus aulicis ne ita incederet, potioremque ſui curam haberet, reſpondebat: „ Mirum eſſe quantum à robuſto priſcorum Patrum ſpiritu nati deciderint, & ſolerti fugiant ſtudio, quæ illi longo docuerunt exemplo. In memoriam revocandos eſſe nervoſos Eremi incolas, & maſculos Eccleſiæ primitivæ paſtores, qui animæ non cuti curandæ, gregi, non corpori paſcendo, diligentiam adhibebant. Illi in melotis, in pellibus caprinis, nudi, afflicti, anguſtiati, egentes, in ſolitudinibus errantes continuò incedebant: & magnum aliquod facinus nos aggreſſos putamus, ſi deliciis vitiati corporis extimam, aut infimam partem aliquam denudamus.

Parat ſe itineri Avinionenſi.

Ægrotat.

749. Spi-

XXIX. JAN.

749. Spiritu prompto carnem infirmam ita roborare ſatagebat, ſed aliò vocanti obſequendum erat, & graves corporis deponendæ exuviæ, ut liber ſpiritus ad ſuum revocaret auctorem. Per aliquot dies ſacris operabatur, piis diverticulis fallens languorem: at tandem ſuccumbendum erat, & cogitationes invertendæ. Non ampliùs bello ſtudendum, ſed paci; non hoſtes debellare, ſed amicum oportebat conciliare, in cujus erat poteſtate infrà paucos dies vel pœnæ addicere, vel gloriæ deputare. Socium, quem aſſumpſit itineris, regni Cancellarium, Regi remiſit, ut poſtremum vale diceret, & quæ ſuæ commiſit fidei in alium transferret. Sciens inſuper, quia venit hora ejus ut ex hoc mundo tranſiret, rogavit ut quamprimùm rediret, ut in morte haberet auxiliatorem, quem in vita fidum probavit amicum. Ipſo, quo decubuit die cœleſti didicit oraculo tempus ſuæ vitæ præfixum, & horam, quâ erat deceſſurus, multiſque prædixit, præſertim Petro Marvellio, Regis Cubiculario, ſe diem Martis proximæ hebdomadæ non præteriturum. Non turbato animo, neque infirma ſpe tempus reſolutionis expectabat, non exire de corpore trepidabat, ſed lætatus in his, quæ audierat, in domum Domini feſtinabat, de gloria retributionis hilareſcens.

Mortis horam cœlitùs præſcivit.

Qualiter ſe ad mortem præparavit.

750. Die Dominica generali confeſſione expiata conſcientia, & ſacra accepta ſynaxi è manu Confeſſarii Fr. Andreæ de Solinis, ſui inſtituti profeſſoris, univerſam familiam, eodem ſacro pabulo ſe præſente refectam, piis monitis inſtruxit, dejectoſque animos blandè conſolatus erexit. Indutus deinde vili ſacco, & fune ad collum alligato: *Peccatoris*, inquit, *& indigni hominis inſignia ſunt iſta. In cinere & cilicio debui pœnitere, ſed neglexi; quod ſupereſt temporis, breve nimis eſt, tot erroribus plectendis. Si appenderentur peccata mea, quibus iram merui, graviora apparerent omni ſupplicio, neque corporis cruciatus, neque laqueus hic, neque ullum ſævæ mortis genus par eſſet juſta vindictæ. Suſpendium elegit anima mea, ſed non licet inferre: morte vellem diluere, quod in vita commiſi; ſed grave hoc vitæ pondus cogor ſufferre, ne peccatis corripiens manus accreſcat. Inſtrumenta proferam: & meruiſſe fatebor: quis ſcit ſi Deus convertatur & ignoſcat? Magna mea eſt iniquitas, ſed Dei major miſericordia: cor contritum & humiliatum nunquam deſpexit; neque in finem miſericordiam ſuam abſcondit. Non ingrato hoc utar compendio, ut quod vita infirma non poteſt ſceleris vindicta, à pietate ſperem divina, quæ peccata dolentem celeri prævenire ſolet indulgentia.*

CAPUT XI.

In nuda humo depoſitus, & fune ad collum appenſo, ſe ad mortem diſponit.

751. IN nudam deinde humum è lecto tranſlatus, multis lacrymis & crebris ſuſpiriis divinam imploravit clementiam, ut delictis vellet ignoſcere, & à vitiorum ſordibus expurgare animam, è miſero corporis ergaſtulo brevi tranſituram. Mox ad ſuos converſus: *Vos*, inquit, *qui mecum permanſiſtis in tentatione, in tribulatione, in periculis; etiam ignoſcite, quod in vos peccatum eſt, vel ſevero imperio, vel nimiâ indulgentiâ. In quas ego vos labores invexi, quibus vallavi anguſtiis, in quæ pericula conjeci, dolens contemplor, eoque vehementiùs hæc animum pungunt, quò certius video ſpem nullam ſupereſſe mercedis. Conſului qua potui; levia tamen, & veſtris meritis imparia; ab eo, qui miſit nos, majora cogitaveram impetrare, quæ fido obſequio, & nobili correſponderent ſervituti. Cogitatum mors inopina ſuccidit, & gravem veſtra jacturæ dolorem ingeſſit. Quod ultimum eſt, Deo bonorum largitori, & juſto retributori hæc omnia committo.* Collacrymantibus omnibus, qui pio intererant ſpectaculo, rogavit Confeſſarium, ut Corpus Dominicum coràm in ara expoſitum afferret, & ſacra pyxide manibus aſſumpta, genibus flexis iterum veniam delictorum deprecatus, Symbolum recitavit Apoſtolicum, adjecta fidei integræ proteſtatione, & revocatis, ſi quos aliquando ignoranter protulit errores.

752. In lectulum relato voluerunt Confeſſarius, & nobilis quidam amicus funem collo appenſum auferre; ſed reſtitit, dicens: *Permittite, ut hoc meæ nequitiæ præferam indicium, donec dignum hoc mortis genus Deo placuerit honeſtiori commutare. Hac utar confeſſionis teſſera, donec ille ſua utatur miſericordia.* Oculis deinde & mente in cœlum erectis, longa & læta arcanorum cœleſtium contemplatione circumſtantium animos ſuſpendit: & mox in oppoſitum angulum vultu converſo, vidit teterrimum dæmonem callidè inſidiantem. Allata cruce, & aqua luſtrali, magno imperio, tanquam poteſtatem habens, præcepit, ut domo excederet universâ. Miſcentibus ſermonem viris primariis de condendo mauſolæo, & ſolemnibus præparandis exequiis, rogavit ne quidpiam horum efficerent, ſed abſque pompa & funere in chori introitu abſque ſepulchrali lapide, pedibus tranſeuntium conterendum in ipſo reponerent pavimento.

753. Die Lunæ exardeſcente febre plurimi accedebant urbis Senatores & viri primarii, quotquot etiam aderant claſſis, quam duxerat, Præfecti, ſanctum virum viſuri, & manus oſculaturi. Multi ingemiſcebant ad optimi Patris jacturam; alii lugebant pauperum tutelarem, pupillorum & viduarum patronum, afflictorum conſolatorem in hoc uno perire: alii demùm lamentabantur illo abeunte nullam relinqui ſpem Terræ-ſanctæ recuperandæ. Horum lacrymis commotus dixit ſibi tutiorem eſſe è corpore deceſſum, ſeque ſummis votis contendere è valle hac lacrymarum in Dei conſpectum transferri; ſi tamen Chriſtiano populo eſſet neceſſarius, non velle laborem ſubterfugere *ſicut fuerit*, inquit, *voluntas in cælo ſic fiat.* Ter aggreſſus eſt divini recitationem officii,

XXIX. Jan.

contrà rogare, obteſtari, per Deum precari, ne in ipſo triumpho canerent receptui, ſed partam victoriam proſequerentur, & fugientes inſequerentur inimicos; *quorum fuga*, inquit, *noſtra gloria eſt, quorum metus noſtra fortitudo, fractaque vires noſtram augent potentiam. Superventuros alios ipſum triumphale nomen terrebit, & parta victoria alias pariet majores. Semel victis ſemper accepta cladis inhæret memoria, & armorum, quibus contriti ſunt, ingerit formidinem. Gloria noſtra fama æmulos adrebit triumphis, & adversùm hoſtium incrementum copia ſuperabunt auxiliares. Aderit demum, quando omnia deſint, Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus, ſuam cauſam acturus, ſuis militibus auxiliaturus. Ipſe dedit urbem hanc magnam in manus veſtras, ipſe incolas profligavit, non manus noſtra, ſed Dominus fecit hæc omnia: nomen & quam ultrò tradidit, conſervabit? Cuſtodia veſtra commiſit, non prædæ: diuturnos vult poſſeſſores, non rapidos ſarcinatores. Cavete itaque ne derelicta civitate iraſcatur Dominus, & fugientes pereatis de via juſta. Ecce prædico vobis, exardeſcet in brevi ira ejus, & ſpreti pœnitebit conſilii.*

746. Surdis tamen canebat, neque ſuis precibus, neque cœleſtibus minis impetrare potuit, ut tuendæ, quam poſſederant urbi, remanerent. Integrâ proinde claſſe Rex Cyprum redire decrevit, ibique nova bella moliri. Ut ſolvit, Dei indignationem protinùs æquor indicavit, horribili tempeſtate colliſis primùm navibus, deindè diſperſis, poſtremò aliquot demerſis. Derelictæ Alexandriæ auctores magnis vocibus divinam inclamabant clementiam, ſed graviores adhuc ſupereſſe pœnas, & ſpoliorum, quæ obcæcarunt, jacturam prænuntiabat Legatus. Magna pars miſerè periit, reliqua longo tormento periclitantis vitæ contabuit. Res mira: ipſe ſedato animo, & tranquillo corpore inter ſævæ procellæ tumentes fluctus agebat, & prolixâ ſcripſit epiſtolâ rei ſeriem, Pontifici Urbano mittendam. Tandem perventum eſt Nicoſiam, ubi Regem monuit, totius populi ordinato inceſſu Deo gratias ageret partæ victoriæ. Ipſe interim doctiſſimâ concione Dei virtutem, Regis prudentiam, zelo Chriſtianæ fidei conjunctam, belli ſacri neceſſitatem & commodum explicavit.

Fuga auctores Deus punivit.

CAPUT X.

Anathematis à S. Petro lati efficacia: illius in Cyprum regreſſi jejunia, vigiliæ, nudipedatio, ægritudo.

Univerſim prohibet cum hoſtibus commercium.

747. Voluerunt aliqui turpis lucri cupidi mercatores hoc ipſo tempore gratiam inire Sultani Ægyptii, fœdus ſtabilire, & priſtinum cum Alexandrinis inſtaurare mercimonium. Nullâ interpoſitâ morâ anathema dixit in omnes, qui merces Ægypto inveherent aut cum Sultani ſubditis quidquam paciſcerentur. Fuit tamen mercator Venetus, qui poſthabitis cenſuris, triremem opulentis mercibus onuſtam Alexandriam conduxit: ut verò in conſpectum urbis venerat, orta horribilis procella in Cyprum uſque diſiecit, ubi naufragium fecit, merces perdidit, & vix ipſe ſcaphâ minaces fluctus evaſit. Teſtis eſt Cypri Cancellarius, Petro familiaris, toto illo tempore, quò bellum duravit, lati anathematis virtutem perſeveraſſe, omneſque contemptores, vel ſævi maris fluctibus periiſſe, vel in ultrices Saracenorum manus incidiſſe; & multis ſignis Deum manifeſtaſſe quantum diſplicuerit bellum inchoatum feliciter, vel militum ignaviâ, vel Ducum avaritiâ, aliarumve nationum invidiâ, in magnam Chriſtiani nominis contumeliam, nec minorem fidei jacturam, turpiter evanuiſſe.

748. Rogavit Rex ut Avinionem abiret, *Parat ſe itineri Avinionenſi.*
Pontifici relaturus, quæ acciderunt, animumque adderet exercitus reficiendi. Nullum ille pertæſus laborem, quo bellum ſacrum urgere, vel rem Chriſtianam poſſet augere, iter longiſſimum, & periculis obnoxium, non abhorruit, ſed protinus Famaguſtam abiit, inde navigaturus. Etſi magno animo rem magnam obiret, mœſto tamen retinebat Alexandrinam jacturam, & glorioſæ victoriæ fructum inanem, neque ab illo tempore ſignum aliquod lætitiæ potuit præferre. Dolens & contabeſcens ſe accingebat itineri, opportunumque tempus expectabat transfretandi, quando gravi correptum infirmitate oportuit ſubſidere. Solemni Nativitatis Dominicæ noctè è domo Carmelitarum, in qua commorabatur, ad ædem Cathedralem pedes perrexit, nullâ arcens curâ cœli inclementiam, tenuique veſte univerſo interfuit officio, & ſolemni apparatu Pontificio trium Miſſarum peregit myſteria. *Ægrotat.*
Præceſſerat ſeverum aliquot dierum jejunium, & integra noctis vigilia, quibus extenuatum corpus cœpit algere. Non obinde prætermiſit reliquarum feſtivitatum functiones, neque ulla in re languenti indulgebat corpori, quin in ſacris officiis primus præiret exemplo. Poſtridie Natalis Domini nudis pedibus cœnoſâ proceſſit platea ad celebrem Eccleſiam S. Mariæ de Cana ſacrum facturus Pontificium. Monentibus aulicis ne ita incederet, potioremque ſui curam haberet, reſpondebat: „ Mirum eſſe quantum à robuſto priſcorum Patrum ſpiritu nati deciderint, & ſolerti fugiant ſtudio, quæ illi longo docuerunt exemplo. In memoriam revocandos eſſe nervoſos Eremi incolas, & maſculos Eccleſiæ primitivæ paſtores, qui animæ non cuti curandæ, gregi, non corpori paſcendo, diligentiam adhibebant. Illi in melotis, in pellibus caprinis, nudi, afflicti, anguſtiati, egentes, in ſolitudinibus errantes continuò incedebant: & magnum aliquod facinus nos aggreſſos putamus, ſi deliciis viciati corporis extimam, aut infimam partem aliquam denudamus.

749. Spi-

XXIX. JAN.

749. Spiritu prompto carnem infirmam ita roborare ſatagebat, ſed aliò vocanti obſequendum erat, & graves corporis deponendæ exuviæ, ut liber ſpiritus ad ſuum remearet auctorem. Per aliquot dies ſacris operabatur, piis diverticulis fallens languorem: at tandem ſuccumbendum erat, & cogitationes invertendæ. Non ampliùs bello ſtudendum, ſed paci; non hoſtes debellare, ſed amicum oportebat conciliare, in cujus erat poteſtate infrà paucos dies vel pœnæ addicere, vel gloriæ deputare. Socium, quem aſſumpſit itineris, regni Cancellarium, Regi remiſit, ut poſtremum vale diceret, & quæ ſuę commiſit fidei in alium transferret. Sciens inſuper, quia venit hora ejus ut ex hoc mundo tranſiret, rogavit ut quamprimùm rediret, ut in morte haberet auxiliatorem, quem in vita fidum probavit amicum. Ipſo, quo decubuit die cœleſti didicit oraculo tempus ſuæ vitæ præfixum, & horam, quâ erat deceſſurus, multiſque prædixit, præſertim Petro Marvellio, Regis Cubiculario, ſe diem Martis proximæ hebdomadæ non præteriturum. Non turbato animo, neque infirma ſpe tempus reſolutionis expectabat, non exire de corpore trepidabat, ſed lætatus in his, quæ audierat, in domum Domini feſtinabat, de gloria retributionis hilareſcens.

Mortis bonam cælitus præſcivit.

750. Die Dominica generali confeſſione expiata conſcientia, & ſacra accepta ſynaxi è manu Confeſſarii Fr. Andreæ de Solinis, ſui inſtituti profeſſoris, univerſam familiam, eodem ſacro pabulo ſe præſente refectam, piis monitis inſtruxit, dejectoſque animos blandè conſolatus erexit. Indutus deinde vili ſacco, & fune ad collum alligato: *Peccatoris*, inquit, *& indigni homunciones inſignia ſunt iſta. In cinere & cilicio debui pœnitere, ſed neglexi; quod ſupereſt temporis, breve nimis eſt, tot erroribus plectendis. Si appenderentur peccata mea, quibus iram merui, graviora apparerent omni ſupplicio, neque corporis cruciatus, neque laqueus hic, neque ullum ſævæ mortis genus par eſſet juſtæ vindictæ. Suſpendium elegit anima mea, ſed non licet inferre: morte vellem diluere, quod in vita commiſi; ſed grave hoc vitæ pondus cogor ſufferre, ne peccatis corripiens manus accreſcat. Inſtrumenta profuram: & meruiſſe fatebor: quis ſcit ſi Deus convertatur & ignoſcat? Magna mea eſt iniquitas, ſed Dei major miſericordia: cor contritum & humiliatum nunquam deſpexit; neque in finem miſericordiam ſuam abſcondit. Non ingrato hoc utar compendio, ut quod vita infirma non poteſt ſcelerum vindicta, à pietate ſperem divina, quæ peccata dolentem celeri prævenire ſolet indulgentia.*

Qualiter ſe ad mortem præparavit.

CAPUT XI.

In nuda humo depoſitus, & fune ad collum appenſo, ſe ad mortem diſponit.

751. IN nudam deinde humum è lecto tranſlatus, multis lacrymis & crebris ſuſpiriis divinam imploravit clementiam, ut delictis vellet ignoſcere, & à vitiorum ſordibus expurgare animam, è miſero corporis ergaſtulo brevi tranſituram. Mox ad ſuos converſus: *Vos*, inquit, *qui mecum permanſiſtis in tentatione, in tribulatione, in periculis, etiam ignoſcite, quod in vos peccatum eſt, vel ſevero imperio, vel nimiâ indulgentiâ. In quos ego vos labores invexi, quibus vallavi anguſtiis, in quæ pericula conjeci, dolens contemplor, eoque vehementiùs hæc animum pungunt, quò certiùs video ſpem nullam ſupereſſe mercedis. Contuli quæ potui; levia tamen, & veſtris meritis imparia; ab eo, qui miſit nos, majora cogitaveram impetrare, quæ fido obſequio, & nobili correſponderent ſervituti. Cogitatum mors inopina ſuccidit, & gravem veſtra jactura dolorem ingeſſit. Quod ultimum eſt, Deo bonorum largitori, & juſto retributori hæc omnia committo.* Collacrymantibus omnibus, qui pio intererant ſpectaculo, rogavit Confeſſarium, ut Corpus Dominicum coràm in ara expoſitum afferret, & ſacra pyxide manibus aſſumpta, genibus flexis iterum veniam delictorum deprecatus, Symbolum recitavit Apoſtolicum, adjecta fidei integræ proteſtatione, & revocatis, ſi quos aliquando ignoranter protulit errores.

752. In lectulum relato voluerunt Confeſſarius, & nobilis quidam amicus funem collo appenſum auferre; ſed reſtitit, dicens: *Permittite, ut hoc meæ nequitiæ præferam indicium, donec dignum hoc mortis genus Deo placuerit honeſtiori commutare. Hac utar confeſſionis teſſera, donec ille ſua utatur miſericordia.* Oculis deinde & mente in cœlum erectis, longa & læta arcanorum cœleſtium contemplatione circumſtantium animos ſuſpendit: & mox in oppoſitum angulum vultu converſo, vidit teterrimum dæmonem callidè inſidiantem. Allata cruce, & aqua luſtrali, magno imperio, tanquam poteſtatem habens, præcepit, ut domo excederet universâ. Miſcentibus ſermonem viris primariis de condendo mauſolæo, & ſolemnibus præparandis exequiis, rogavit ne quidpiam horum efficerent, ſed abſque pompa & funere in chori introitu abſque ſepulchrali lapide, pedibus tranſeuntium conterendum in ipſo reponerent pavimento.

753. Die Lunæ exardeſcente febre plurimi accedebant urbis Senatores & viri primarii, quotquot etiam aderant claſſis, quam duxerat, Præfecti, ſanctum virum viſuri, & manus oſculaturi. Multi ingemiſcebant ad optimi Patris jacturam; alii lugebant pauperum tutelarem, pupillorum & viduarum patronum, afflictorum conſolatorem in hoc uno perire: alii demùm lamentabantur illo abeunte nullam relinqui ſpem Terræ-ſanctæ recuperandæ. Horum lacrymis commotus dixit ſibi tutiorem eſſe è corpore deceſſum, ſeque, ſummis votis contendere è valle hac lacrymarum in Dei conſpectum transferri; ſi tamen Chriſtiano populo eſſet neceſſarius, non velle laborem ſubterfugere *ſicut fuerit*, inquit, *voluntas in cœlo ſic fiat*. Ter aggreſſus eſt divini recitationem officii,

XXIX. JAN.

nec potuit præ nimio languore, & adventantium importunitate complere, rogavit proindè Confeſſarium ut clauſo oſtio, quæ ſupererant, ipſo audiente recitaret, *nec unum*, inquit, *hunc diem abſque ſacro penſo elabi permittam: namque per Dei gratiam, ex quo tempore religioſum ſubivi inſtitutum, nulla cauſâ, ſive infirmitatis, ſive laboris, ſive occupationis in mari, vel in terra canonicas horas prætermiſi.*

754. Sub noctem, imminutis viribus, miſit, qui rogaret Epiſcopū * Laudunenſem, Famaguſtani Antiſtitis Suffraganeum, ut Clero aſſociante Sacræ Unctionis extremum miniſtraret Sacramentum. Accenſis duabus candelis benedictis, quarum virtutem contra hoſtis probabat inſidias, humi ſtratus, ſacco coopertus in adventu Epiſcopi Pontificalibus induti; & totius Cleri Eccleſiæ Metropolitanæ elata cœpit voce recitare Pſalmos Pœnitentiales, ipſo præeunte, reliquis alterno choro proſequentibus. Inchoato quarto Pſalmo, vitalis elanguit facultas, oravit proinde Epiſcopum, ut languidè dicentem adjuvaret, cujus ope & Pſalmos & Litanias mira devotione, & ſummo pietatis affectu, frequenti gemitu, & copioſis lacrymis abſolvit. Sacro unctus oleo humiliter ab Epiſcopo, Clero, & circumſtantibus veniam petiit, vel criminis commiſſi, vel muneris omiſſi: *frequenter*, ait, *in trina mihi injuncta harum partium legatione ad vos digreſſus, diu apud vos hæſi, multa oportuit innuere, multa item præcipere: aliqua fortaſſis neglexi, alia ſeveriùs, quàm par erat, indixi. Vos ergo ignoſcatis inſcitiæ, non voluntati, erga vos ſemper rectiſſimæ. Plurimi erunt in inſula, qui de me juſtè querantur, univerſorum per vos, ubi occurrerint, deprecor indulgentiam.* Lachrymantes & in genua procumbentes omnes ab eo benedici ſupplicarunt, & impetrarunt. Abeuntibus reliquis Epiſcopus rogavit, ut in lectum referri juberet: cui alta voce reſpondit: *Mei ſimiles decet humi jacere, & in cinere & in cilicio vitam finire. Æquior etiam eſt hæc area certaminis: qui jacet in terra, & nudus cum hoſte luctatur, non habet unde cadat, neque ad terram facilè dejicitur, quia non eſt unde teneatur.* Multorum tamen importunis precibus victus, ſe in lecto reponi permiſit, ubi Chriſti paſſionem Euangeliſtæ Matthæi verbis conceptam ſibi voluit enarrari.

* *Leg.* Laodicenſem vide ſup. nu. 674. & 677.

CAP. XII.

Sanctus obitus, cœleſti lumine decoratus: exequiæ, miracula poſt mortem.

755. DIe Martis, in quem incidit Epiphaniæ ſolemnitas, urbis Primates denuò acceſſerunt viſuri, & benedictionem accepturi. Sero facto interrogavit, an redierit regni Cancellarius? quem ad Regem diximus amandatum; & reſpondentibus famulis non veniſſe, ait: *duabus adhuc horis amicum expectabo, alia nulla moræ cauſa eſt, quin liber evadam.* Et verſus ad quemdam amicum propè mœrentem, atque humaniter conſolatus, dixit: *Noli flere: non eſt cur mihi compatiaris, quia per Dei gratiam licet multi ſint vocati, & pauci electi, in horum numerum cooptatus ſum. Dei beneficium eſt ingens vocari, & majus, è multis aſſumi. Vocor, & ad electorum trahor conſortium, ut quid non lætus abeam, & amici potiùs congratulentur, quàm plangant? Deo placuit hæc mihi aperire arcana, & tranſmigrationis locum præmonſtrare: non eſt cur ampliùs hoſtis vereor inſidias, non habet quod in me repetat, aut objiciat abeunti.* Ad parietem inclinato parumper capite, ait: *Permittite paulisper ut requieſcam, neque turbetis donec Cancellarius advenerit, neque enim alium expecto.*

756. Sub Solis occaſum jam tandem acceſſit, quem ſperabat, ejuſque adventu mirum in modum exhilaratus, vires, quas plenè perdiderat, reaſſumpſit, & dimiſſis è cubiculo reliquis cum eo per integram horam ſermonem protraxit; videns autem ingemiſcentem & mœrentem propter ſuum diſceſſum, ei ſuaviter, & paternè valedixit: neque ampliùs cuipiam locutus eſt, ſed in chari amici complexu ſermonem terminavit, Paulò poſt nullo exhibito agonis, aut mortis indicio, præſentibus & collacrymantibus utriuſque ſexus perſonis primariis placidè obdormivit in Domino, Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, octavo Idus Ianuarias, horâ noctis ſecunda. *Sanctè moritur.*

757. Ex iis, qui aſtabant, nullus judicavit vità defunctum, imò attentiùs proſpicientes in vultum ejus, nullam auſi ſunt inferre moleſtiam, dolore, ut putabant, fatiſcenti; aut remiſſa febre quieſcenti. Cœpit corpus jejuniis extenuatum, & laboribus attritum pulchrius apparere; & quod ſola cute & oſſibus cohærere videbatur, eminentiùs augeri; antea denigratum, nunc albeſcere; odoremque emittere ſuaviſſimum, quod priùs malè habitum, & viliter indutum minùs gratam auram effundebat. Suæ religionis habitu, quod ipſe præceperat, indutum obducta alba chlamyde externa, ex Pontificiis indumentis adhibitis ſolis chirothecis & ſandaliis, & ad pedes appoſita mitra, delatum eſt in Eccleſiam illius Monaſterii, in quo jacebat, magno fletu comitantibus ſui inſtituti conſodalibus, viris aliquot primariis, & matronis, quæ animam agenti adſtiterunt, & reliquam noctem, funus aſſociantes, duxerunt inſomnem. Circa quartam vigiliam viſa eſt lux magna de cœlo ſuper corpus deſcendiſſe, quâ excitatæ mulieres propiùs acceſſerunt, videruntque pulcherrimâ ſpecie faciem ſudore madentem, & ſeriò indagantes compererunt totum corpus undique flexibile, ignoti generis humore adeò copioſè circumfuſum, tanquam ſi è pretioſo balneo recens proſiliret. Linteis multis corpus abſtergentes liquorem exceperunt, quæ malis multis medendis, & morbis pellendis mirabiliter profuerunt.

Pulchrior apparet poſt mortem.

Deſcendit ſuper corpus lux cœleſtis.

Pretioſum emittit liquorem.

758. Manè facto pulſatis campanis confluxit in templum univerſa ferè civitas, magnoque ſtudio inter importunas populi compreſſiones accedebant omnes ad feretrum

Confluunt omnes corpus [illegible]

faciem

faciem viſuri, & ubi licebat, manus, vel pedes oſculaturi, aut corpus quoquomodo contacturi. Qui accedere non poterant, magnis clamoribus, repetitiſque vocibus petebant à circumſtantibus cuſtodibus faſciola, ſudariola, roſaria, aut alia quæque ſua pignora corpori admoveri, ut virtutem, quam viro ſancto credebant ineſſe, his modis haurirent. Non ſolùm Orthodoxi, verùm & ſchiſmatici, atque Hebræi, & nobiles aliquot Cyprii, qui ab eo vel puniti, vel correpti, prius ſanguinem ſitiebant, detecto capite reverenter appropinquantes venerationem impendebant; & felices ſe reputabant, qui veſtis particulam poſſent abſcindere. Raymundus Archiepiſcopus Nicoſienſis, aſſiſtentibus aliis Prælatis, ſolemnes celebravit exequias, & orationem habuit funebrem Fr. Joannes * Lamerſon Sacr. Theol. celebris Doctor Ordinis Minorum. Quoties coram jacentis in feretro incidebat mentio, aut nomen proferebat, toties (a) *Sanctū* vocabat. Interrogatus deinde ab Archiepiſcopo cur ita feciſſet? reſpondit: nihil tale à ſe chartæ inſcriptum in orationis contextura, ſed inter dicendum ſecreto ſuggeſtum & potenter immiſſum, atque hinc, & ex plurima virtute ſe certò credere Sanctis aſſociatum.

Celebrantur exequiæ.

* *Al. Camerſon. vid. n. 614.*

(a)

Sex diebus inſepultus multis claret miraculis.

759. Sex diebus patuit undique concurrentium fidelium venerationi, ſuaviſſimum ſpirans odorem, nulla rigens parte, totis artubus flexibilis. A primo depoſitionis die (b) multis cœpit clarere miraculis, ad quorum famam tam ex civitate, quàm ex rure ſuburbano convolabant plurimi malorum remedium relaturi. Præ reliquis Fr. Joannes Faventinus Minorita, Præfectus, ſive Guardianus Paphenſis, qui ſancti viri geſta vitamque deſcripſit, angina, aut faucium inflammatione fermè præfocatus accurrit, appoſitaque ſancti viri dextrâ parti languenti, repentè convaluit. Fr. Stephanus, Terræ Sanctæ Provincialis, Ordinis Carmelitarum, eo die, quo vir Sanctus ſepulcro conditus eſt, terram ipſam attingens, & pugillum applicans apoſtemati, quo diu vexabatur, ſtatim ulcus exaruit. Febres innumeras, alioſque morbos miris modis coërcuit, plagaſque ſanavit: & opportunum ſemper (c) ejus auxilium Cyprii ſenſerunt, maximè in depellenda epidimia, à qua ut liberentur, hunc ſibi optimum delegerunt tutelarem.

(b)

(c)

ANNOT. (a) Sanctum vocabat: *Plura circa hoc dicta ſunt hic ſuperiùs in Commentario prævio §. 4. n. 614.*

(b) Multis cœpit clarere miraculis. *De quibus plura, teſtes oculati Philippus Mazzerius in ejus vita cap. 21. & Joannes Carmeſſonius hic ſuprà cap. 12. per totum.*

(c) Ejus auxilium Cyprii ſenſerunt, maximè in depellenda epidimia. *De S. Petro Thoma ſingulari Tutelari contra peſtem plura habes hic ſuprà in Appendice §. 3. n. 703.*

BVLLÆ APOSTOLICÆ
INNOCENTII VI. ET VRBANI V.
Summorum Pontificum
De legationibus, & rebus geſtis S. Petri Thomæ.

NOTATIO PRÆVIA.

760. L*Vcas Waddingus ſub finem vitæ* S. Petri Thomæ *quam ſcripſit (& jam præceſſit) Bullas* XXIX. *concernentes acta, & præſertim Legationes* S. Petri Thomæ, *quas ipſe ex ipſis originalibus Vaticanis deſumpſerat, ſubjunxit: ferè totidem habet, & notationibus illuſtrat P. Godefridus Henſchenius ad calcem vitæ* S. Petri Thomæ *quam ſecundis curis ſolitariè edidit an.* MDCLIX. *Ideò, atque etiam prolixitatis nimiæ in hoc Tomo vitandæ gratiâ, præcipuas dumtaxat, & ex aliis extracta concernentia potiſſimè* S. Petrum Thomam, *hîc exhibuiſſe, ſatis nobis viſum fuit. Notat autem dicto loco P. Henſchenius plures alias Bullas Apoſtolicas concernentes* S. Petrum Thomam, *inter illas* XXIX. *non contentas, videlicet de legatione ad Regem Apuliæ, de legatione ad Imperatorem Carolum IV. de Inſtitutione in Patriarcham Conſtantinopolitanum, ac de aliis*

BULLA I.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei,

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis, Archidiaconis, Rectoribus, & aliis Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, &c.

(ut B. Petro Thomæ *miſſo ad Ianuenſes & Mediolanenſes velint* ſuppetias ferre.)

761. C*Vm dilectum Filium* Petrum Thomæ, Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, *Magiſtrum in Theologia, latorem præſentium, ad civitatem Ianuenſem & Mediolanenſem pro quibuſdam negotiis, per nos ſibi commiſſis, duxerimus deſtinandum, Vniverſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per* Ex reg. Vat. lib. ſecretorum anni primi. fol. 194.

B. Petro Genuam, & Mediolanum miſſo.

XXIX. JAN.

Jubentur neceſſaria conferre.

Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eundem latorem, cùm per partes veſtras tranſitum fecerit, ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, & noſtram, benignè recipientes, & honeſtè tractantes, ſibi quamdiu in hujuſmodi negotiorum proſecutione fuerit, diebus ſingulis in duobus florenis auri, pro ſuis, & familiæ ſuæ neceſſitatibus, & de ſecuro conductu, cùm ſuper his per ipſum, vel ejus nuntium fueritis requiſiti, in eundo, morando, & ad nos redeundo, liberaliter providere curetis, ita quòd exinde devotionem veſtram commendare meritò valeamus: Alioquin ſententiam, quam idem Petrus *per ſe, vel alium, ſeu alios rite tulerit contrà rebelles, ſuper quo ſibi tenore præſentium plenam concedimus facultatem, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam appellatione remotâ, infallibiliter obſervari:* Non obſtante *quòd aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quòd Nunciis Sedis ipſius aliquam procurationem exhibere, vel in ea contribuere, niſi ad eos declinaverint, minimè teneantur, &c.* Datum *Avinione* Nonis *Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.*

ANNOT. P. *Henſchenius poſt illam Bullam hæc notat* [Is eſt annus Chriſti 1353. Alium priorem hoc anno, menſe. Majo impoſitam S. Petro Legationem ſuprà diximus. De illa hactenùs deſunt litteræ Apoſtolicæ, uti quæ in hac Legatione datæ ſunt ad Ducem & Remp. Genuenſem, ac Ioannem Vicecomitem & Archiepiſcopum Mediolanenſem] *Ibid ibi.*

BULLA II.

Innocentius, &c. Venerabili Fratri PETRO Epiſcopo Pactenſi, & Lipparienſi ſalutem.

(*Inſtituitur Epiſcopus Pactenſis, & Lipparienſis.*)

Ex lib. 3. ann. 2. fol. 57.

762. P*Aſtoralis officii, cui diſponente Domino, præſidemus, ut de univerſis orbis Eccleſiis, quarum cura nobis imminet generalis, & de illis præſertim, quæ vacationis exponuntur incommodis, ſollicitè cogitemus, ut illis præficiantur viri providi in Paſtores, qui eas in ſpiritualibus & temporalibus poſſint, & ſciant ſalubriter gubernare. Dudum ſiquidem bon. memor. Petro Pactenſi, & Lipparienſi Epiſcopo, regiminis Pactenſis & Lipparienſis Eccleſiarum invicem canonicè unitarum præſidente: Nos cupientes eiſdem Eccleſiis, cùm eas quovis modo vacare contingat, operationis noſtræ miniſterio, utilem præſidere perſonam, proviſionem ipſarum Eccleſiarum ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ eâ vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum & inane, ſi ſecùs ſuper iis, per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodùm verò præfatis Eccleſiis per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi, qui extra Romanam curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtitutis, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellectâ; ad proviſionem dictarum Eccleſiarum celerem & felicem, de qua nullus præter nos eâ vice ſe intromittere poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne prolixa vacationis exponerentur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes; poſt deliberationem quam de præficienda eiſdem Eccleſiis perſona utili, & etiam fructuoſa, cum fratribus noſtris habuimus diligentem. Demùm ad te Ordinis* Fratrum B. Mariæ de monte Carmeli Profeſ*ſorem, in ſacra Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ, ac morum honeſtate; ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum meritis, apud nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debitâ meditatione penſatis, de perſona tua, præfatis Pactenſi & Lipparienſi Eccleſiis, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolicâ duximus providendum, Teque illis præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum, & in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo; Tibique poſtmodùm per Venerabilem Fratrem noſtrum Guidonem Epiſcopum Portuenſem, apud Apoſtolicam Sedem fecimus munus conſecrationis impendi; in illo qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quòd eadem Eccleſia pro tua circumſpectionis induſtria & providentia circumſpecta, ſub tuo feliciter regimine, dexterâ Domini tibi aſſiſtente propitiâ, ſalubriter & proſperè dirigentur. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ad præfatas Eccleſias cum gratia noſtræ benedictionis accedens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quòd dicta Eccleſia gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas: Tuque præter retributionis æternæ præmium, benevolentiam noſtræ gratiæ uberiùs conſequi merearis. Datum Avinione 16. Kalendas Decembris anno ſecundo.*

Ob præclaras dotes,

B. Petrus Thomas Epiſcopus creatur,

A Guidone Cardin. Epiſc. Portuenſ.

ANNOT. *Bulla illa meritò habenda magno in pretio in Ordine Carmelitano, eò quod illa in Regeſtis Vaticanis, ſingulari Dei providentiâ reperta per Ven. P. Lezana, finem impoſuerit controverſiæ, de qua latiùs actum hic ſuprà in Notatione prævia ante vitam* S. Petri Thomæ *per P. Lucam Waddingum. De* Petro (Theutonico) *Ordinis Minorum, cui ſucceſſit S. Petrus Thomas anno Chriſti 1354. quædam annotata ſunt hic ſuprà ad caput IV.*

BULLA III.

Innocentius, &c. Stephano Regi Raſſiæ illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

(*Hortatur ut fidem promoveat Romanam, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios benignè recipiat.*)

Ex lib. ſecretorum an. 2. fo. 122.

763. P*Er dilectos filios nobiles viros Beſſiderium Iudicem generalem, & Neſtegrum Cephaliam &c. ... Venerabilem fratrem noſtrum* Petrum *Epiſcopum Pactenſem Magiſtrum in ſacra pagina, virum utique religioſum, vitâ, moribus, & converſatione laudabilem, & plenum timore Domini, dedimus ſocium, ac ſimul ambos ad te, ipſumque regnum tuum ſub fiducia ejus, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, quique parietem utrumque connexuit, præſentialiter deſtinamus, ut exiparſo in eodem regno per Epiſcopum Traguriens. eundem ſemine verbi Dominici, vitalem ſegetem pullu-*

B. Petrus laudatur.

XXIX. Jan. *pullulantem doctrina ſalutaris aquâ irrigent, ſuccedant renaſcentium ſpinas errorum, evellant ſchiſmatum ſuccreſcentium tribulos, & ſeminatorum eradicent zizania ſcandalorum, ſicque ex hujuſmodi ſegete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum, manipulorum multitudo, fidelium ſcilicet numerus copioſus meſſis in tempore colligatur & fides ipſa, quam mediator Dei & hominum Chriſtus ſupra firmam Petri petram, id eſt, ipſam Romanam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, cujus ipſe Chriſtus caput, fundator, & rector eſt, ſic firmiter ſtabilivit, ſicque illam eidem Eccleſiæ inſeparabiliter copulavit, quòd licet multos ab ipſius Eccleſiæ corpore, fallente diabolo, vel contagioſus hæreſis morbus abjecerit, vel ſciſſura damnati ſchiſmatis ſeparârit; ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam permanens, velut tritici granum in area, quod per paleæ purgatur abſceſſum, & lux fulgentis ſyderis, quæ irradiat per ex uſtionem obfuſcantium nebularum ſplendidiùs, clarior eluceſcit, palmites ſuos ubique dilatans, figenſque radices, emicet purior, & fructus, quibus eadem mater Eccleſia, quaſi vena ientis prolis numeroſitate fœcunda, auctoris, in jucunditate & lætitia canticæ repleet, in ubertate producat. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè rogantes, tibique in remiſſionem tuorum peccaminum ſuadentes, quatenus eoſdem Epiſcopos pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia benignè recipias, & favorabiliter proſequaris, ipſorumque ſalutaribus monitis & doctrinæ devotiùs acquieſcas, ac intuens, quòd Dei noſtri perfecta ſunt opera, & quòd juxta Evangelicam veritatem, non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit, ipſius Redemptoris tui actiones pro viribus imiteris, ac in bono conſtanter opere perſeverans, ad ipſius fœliciter inchoati negotii votivam conſummationem, ſic velut diligens operator ſolerter intendas, quòd in eo, præſtante Domino, & tuo cooperante miniſterio ſtudioſo, noſtris, & communibus fidelium Chriſti votis & expectationibus ſatisfiat: Ipſeque retributor omnium bonorum Deus, cujus eſt idem negotium propriè proprium, & cui nunquam ſine remuneratione ſervitur, ejuſdem regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, & ſceptra confirmet; ac tandem te, ſubjectoſque tibi populos cœleſtis regni faciat cohæredes. Noſque non ſolùm in hujuſmodi Capitaneatus officio, ſed in quibuſcunque aliis honeſtis & licitis, vota tua quantum cum Deo poterimus, Apoſtolicis favoribus proſequamur. Datum Avinione 8. Kalendas Januarii anno ſecundo.*

Pontifex hortatur Regem ad Conſtantiam operis cœpti.

ANNOT. *Bulla iſta integra extat apud Bzovium, & Odoricum Raynaldum ad an. 1354. Alter Epiſcopus, conſors iſtius legationis erat Bartholomæus Epiſcopus Traguerienſis, Ordinis Minorum (eſt autem Traguriium, ubi iſte erat Epiſcopus, in Dalmatia prope Inſulam Buam ſub ditione Venetorum). Eâ occaſione eadem hæc Bulla, & alia ſequentes in Annalibus Minorum à Waddingo inſerta extant ad an. 1354.*

BULLA IV.

Innocentius, &c. Helenæ Reginæ Raſſiæ illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

(*Eadem Reginæ commendat.*)

764. *STephanus Rex Raſſiæ illuſtris vir tuus diebus non longè præteritis, per dilectos filios nobiles viros Boſſidarium Judicem generalem, &c. ut ſuprà mutatis mutandis. Similiter Oroſio Raſſiæ Regi, Stephani filio.* Ibid fol. 224.

BVLLA V.

Innocentius, &c. Joannichi Patriarchæ Serviæ gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

(*Eadem Patriarchæ inculcat.*)

765. *MEdiator Dei & hominum Chriſtus Ieſus in petra Petri, Romana videlicet & Catholica, ac Apoſtolica Eccleſia, omnium fidelium Chriſti matre, quam ſolus ipſe fundavit, & rexit, ac regit, & quæ ſuper cunctas alias orbis Eccleſias obtinet divinâ diſpoſitione primatum fidei, cujus idem ipſe Chriſtus auctor eſt, ſic ſolidè fundamenta creavit, ſicque illam inſolubili vinculo, & inſeparabili unione copulavit eidē, quòd licèt multos ab ipſius Eccleſiæ corpore fallente diabolo, vel contagioſus hæreſis morbus abjecerit, vel ſciſſura damnati ſchiſmatis ſeparârit; ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter permanens velut granum tritici, &c.... Venerabiles fratres noſtros* Bartholomæum Traguerienſ. & Petrum Pactenſ. Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis Nuncios, *viros utique probatis expertæ, profunda ſcientia, probata virtutis, ac zelum divinæ legis habentes, ad Serviæ, Raſſiæ, & Albaniæ regna & terras præfati Regis ſubjectas dominio providimus deſtinandos. Ideoque diſcretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentiùs deprecantes, tibique in remiſſionem tuorum peccaminum injungentes, quatenus prudenter conſiderans, quòd ſicut fides, quæ non niſi una eſt, & in nullo poteſt ſui eſſe diſſimilis, apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter, ſicut præmittitur, permanet; ſic qui extra ipſius Eccleſiæ communionem fuerit, eſt proculdubiò extra fidem, & qui extra fidem manſerit divinæ gratiæ particeps eſſe non poterit, nec adoptionem recipiet filiorum, ac intuens quòd ſpecialiter tibi, qui in grege Domini, ipſa videlicet multitudine Paſtoris geris officium, quanquam illicitè, cùm non per oſtium, id eſt, per ipſam Eccleſiam in ovile ovium, ſed aliunde intraveris, incumbit ex debito, ut priùs viam veritatis intelligas & cuſtodias intellectam, & ſic per illam incedens puris ac rectis greſſibus, eidem gregi, viâ, moribus, & doctrinâ ducatum præbeas, ad ſalutem, ſicque illum ad æterna vitæ paſcua introducas, dictos Epiſcopos, tanquam Dei miniſtros, pro divina Majeſtatis, ac noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia benignè recipias, honorificè tractes, ac favorabiliter proſequaris, & eorum ſalutaribus*

Papa mittit B. Petrum Pactenſem, & Bartholomæum Traguerienſem Epiſcopos.

Illos & fidei veritatem commendat Patriarchæ.

monitis,

XXIX. JAN. *monitis, & doctrina devotiùs acquieſcas, ipſiſque in proſecutione tam ſalutaris & Deo accepti negotii aſſiſtas conſiliis & auxiliis opportunis: Itaque negotium ipſum, præſtante Deo, cujus eſt propriè proprium, & tuo cooperante miniſterio ſtudioſo, votivum perducatur ad exitum, & eamdem Eccleſiam renaſcentis prolis multitudo lætificet: tuque à retributore bonorum omnium, cui nunquam ſine remuneratione ſervitur, mercedis præmium æternæ vitæ gloriam percipere merearis. Datum Avinione VIII. Idus Januarii anno ſecundo.*

ANNOT. Raſſiæ, & Serviæ *antiquitates plurima, & proſapia Regum commemorantur in vita* S. Sabæ Archiepiſcopi Serviæ *apud PP. Bollandum, & Henſchenium in* Actis Sanctorum *ad diem XIV. Januarii ſucceſſores S. Sabæ nuncupati fuerunt* Patriarchæ Serviæ.

BVLLA VI.

Innocentius, &c. Venerabilibus fratribus Bartholomæo Traguricenſ. & PETRO Pactenſ. Epiſcopis, Apoſtolicæ Sedis Nunciis ſalutem.

(Mittuntur Sedis Apoſtolici Nuntii ad regnum Raſſiæ Albaniæ, & Sclavoniæ, aliaſque partes adjacentes.)

Ibid. fol. 227. 766. *INter cætera, quæ Apoſtolatûs officio, cui quamquam immeriti, diſponente Domino, præſidemus, imminent peragenda, illud potiſſimè humeris noſtris incumbit, ut contra hæreticorum, & ſchiſmaticorum venena peſtifera, quibus Catholicæ fidei puritatem conantur inficere, per nos, & alios prout locorum, & temporum qualitas exigit, partes Apoſtolicæ ſollicitudinis apponamus. Nuper ſiquidem rumor infeſtus ad noſtrum, non ſine gravi mentis turbatione, perduxit auditum, quòd nonnulli iniquitatis filii, ſolo nomine ſe Chriſtianos profitentes, fidei tamen Chriſtianæ prorſus adverſi in regno Raſſiæ, Albaniæ, & Sclavoniæ, ac aliis circumadjacentibus partibus, inconſutilem tunicam Domini noſtri dividere, & lacerare conantes; ac pernicioſa ſchiſmata ſuſcitantes, novas inducunt ſectas, varioſque ſeminare moliuntur errores. ...*

Adhortatur Papa Nuntios ut fidem Orthodoxam propugnent. *Cupientes igitur hujuſmodi ejuſdem Orthodoxæ fidei, & animarum periculis, prout ex debito præmiſſi tenemur officii, opportunis & efficacibus ſtudiis obviare, ac de veſtra circumſpectionis induſtria gerentes in hiis, & aliis, fiduciam in Domino ſpecialem, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrûm ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos perſonaliter conferentes, & contra errantes, præſumptores, attentatores hujuſmodi pro Eccleſia ſancta Dei vos defenſionis murum viriliter opponentes, præmiſſa ſchiſmata diſſipare, ſectas diſſolvere, errores evellere, exceſſus corrigere, deformata reformare, & errantes ipſos ad veram ipſius Catholicæ fidei unitatem, & Eccleſiæ præfatæ ritus & mores reducere, quantum vobis inſpirabit Altiſſimus, auctoritate noſtra fideliter ſtudeatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Contradictores quoſlibet & rebelles cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quæcumque verò in præmiſſis duxeritis facienda, & quæ vobis aliàs circa hæc videntur agenda, nobis fideliter & ſolerter intimare curetis, ut ſuper ipſis providere ſalubriter, auctore Domino, valeamus. Datum Avinione VI. Kalendas Januarii anno ſecundo.*

ANNOT. [In præcedenti dicuntur regna Serviæ, Raſſiæ, & Albaniæ. Hic omittitur Servia ſub nomine Raſſiæ contenta. additur verò Sclavonia, quæ præter Sclaviam ſeu Sclavoniam propriè dictam, continet Croatiam, & Dalmatiam, quæ hic potiſſimùm intelligitur. Conjungitur huic Albania ultra Lodiam & Lodrinum ſinum in antiqua Dalmatia] *ita P. Henſchenius in Notis poſt iſtam Bullam.*

BVLLA VII.

Innocentius, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Hungariæ illuſtri ſalutem.

(Commendat ei prædictos Nuncios.)

767. C*Um Venerabiles Fratres noſtros* Bartholomæum Tragurienſem & Petrum Pactenſem, Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios *pro uniendis & aggregandis unitati Eccleſiæ matris ſuæ, auctore Domino, Rege Raſſiæ illuſtri, & populis ſubditis ipſi Regi, ad partes illas præſentialiter deſtinemus, Serenitatem tuam attentè requirimus, & rogamus, quatenus eiſdem Nuntiis, quibus ſuper præmiſſis aliqua tibi exponenda oretenùs duximus injungenda, in iis, quæ tibi pro parte noſtra retulerint, adhibens plenam fidem, eis in promotione & conſummatione tam ſalutaris & Deo grati negotii, pro divina Majeſtatis reverentia, tuæ conſideratione ſalutis, & noſtræ interventionis obtentu, tuum, de quo ſpecialiter confidimus & ſperamus, præbeas auxilium, conſilium, & favorem. Datum Avinione 10. Kalendas Septembris anno ſecundo.* Ibid. fol. 238.

BVLLA VIII.

Innocentius, &c. Dilecto filio nobili Viro Duci Venetiarum ſalutem.

(Eidem ſimiliter prædictos commendat.)

A*Ttendentes &c. Datum Avinione 9. Kalendas Septembris anno ſecundo.*

BVLLA IX.

Innocentius, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Hungariæ illuſtri.

(Suadet ut bellum Rex inferat ſchiſmaticis, & exercitûs Chriſtiani Imperatorem inſtituit.)

768. Q*Vantâ te, fili chariſſime, gratia ſua ubertate prævenerit diſtributor ille gratiarum munificus, Dei filius Jeſus Chriſtus, qui dat omnibus ſine improperio affluenter, quamque præcordia tua ſua benedictionis imbre copioſe perfuderit,* Ex lib. ſecretorum an. 4. fol. 150.

XXIX. Jan. *deris, luculenter patuit hactenus, & nunc manifeſtiùs innoteſcet &c. . . . Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſis, tertio Idus Auguſti, Pontificat. noſtri anno quarto.*

BVLLA X.

Innocentius, &c. Venerabilibus Fratribus Aquileien. & Graden. Patriarchis, & Archiepiſcopo Salſeburgen.

(Vt prohibeant ne quis ſchiſmaticis aut hæreticis favorem aut auxilium præſtet contra Regem.)

Ibid. fol. 125. 769. *CVm chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Hungariæ illuſtris, &c. . . . Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſis, decimo ſexto Kalendas Auguſti, anno quarto.*

BVLLA XI.

Innocentius, &c. Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Gradonico Duci Venetiarum.

(Vt abſtineat à fœdere ineundo cum Raſſenſibus.)

Ibid. fol. 154. 770. *AD audientiam noſtram pervenit &c. . . . Ea quæ Venerabilis Frater noſter* Petrus Epiſcopus Pacten. Apoſtolicæ Sedis Nuntius *lator præſentium tibi ſuper hoc pro parte noſtra retulerit, credas indubiè, illaq; ad effectum votiva conſummationis adducas. Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſis decimo ſexto Kalendas Auguſti, anno quarto.*

BVLLA XII.

Innocentius, &c. Chariſſimo in Chriſto Filio Ludovico Regi Hungariæ Illuſtri.

(Hortatur ut Rex pacem ineat cum Duce Venetiarum.)

Ibid fol. 153. 771. *DIſcordia, quam inter te, & dilectum filium Nobilem Virum Ducem Venetiarum, pacis æmulus, peccatis exigentibus, ſuſcitavit, eò nobis eſt, nec indignè, moleſtior, quò Dei negotiis, ad quorum promotionem, ſicut Princeps Catholicus ferventer aſpiras, contraria potiùs redditur & nociva. Et ideò illam viis & modis omnibus ſuccidere cupientes, dilecto Filio Stephano Electo Zagrabien. Nuntio tuo apud Sedem Apoſtolicam conſtituto, locuti fuimus ſuper illa &c. . . . Speramus enim, quòd Omnipotens Dominus pacis auctor, periculis, quæ ex diſcordia ipſa imminent populo Chriſtiano, interventu pacis amabilis, finem imponet optatum. Super quo ut affectionis noſtræ plenitudinem percipias, clariùs* Venerabili Fratri noſtro Petro Epiſcopo Pacten. *& eidem Electo impoſuimus aliqua tuo culmini pro parte noſtra per eos oretenus exponenda. Et ideò precibus noſtris adjicimus; ut relatibus Epiſcopi & Electi prædictorum in præmiſſis adhibeas plenam*

Laudatur Rex.

Ipſi committitur pax facienda mediante B. Petro.

fidem. Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſis, tertio Idus Auguſti, anno quarto.

BVLLA XIII.

Innocentius, &c. Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Gradonico Duci Venetiarum.

(Vt pacem ineat cum Rege Hungariæ.)

772. *SIcut per litteras noſtras &c. . . . Super quo, quia, ſicut diſcretio tua novit, in talibus eſt periculoſa dilatio, intentionem tuam nobis cum celeritate reſcribas, crediturus iis, quæ* Venerabilis Frater noſter Petrus Epiſcopus Pacten. Apoſtolicæ Sedis Nuntius, *lator præſentium, tibi pro parte noſtra retulerit in præmiſſis. Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſ. quarto Idus Auguſti, anno quarto.* Ibidem.

B. Petrus mittitur ad pacem faciendam.

BVLLA XIV.

Innocentius, &c. Magnifico Principi Joanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri.

(Invitat ad unionem cum Eccleſia Latina.)

773. *VEnerabilis Frater noſter &c. . . . Venerabiles Fratres noſtros* Petrum Pacten. & Gulielmum Siſopoliten. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios, *latores præſentium, viros utique pauperes ſpiritu, ſed inſignes virtute, & in lege Domini pleniùs eruditos, ad te ac partes ipſas providimus deſtinandos. Et ideò Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè rogantes, tibique tuæ ſalutis intuitu injungentes, quatenus eoſdem Nuntios pro noſtra, & dictæ Sedis reverentia, benignè recipias, & eorum, & cujuſlibet eorum ſalutaribus monitis, ſicut ſperamus, & credimus, acquieſcas. Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſis, duodecimo Kalendas Auguſti anno quarto.* Ibid. fol. 140.

B. Petrum, & Gulielmum &c. Nuncios commendat.

BVLLA XV.

Innocentius, &c. Patriarchæ Græcorum.

(Idem perſuadet.)

774. *AGimus Omnipotenti Deo grates, & gratias, quòd ipſe magnifico Principi Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri pietatis ſuæ dono ſalutis ſpiritum inſpiravit, & ſic mentis ſuæ tenebras ſuæ viſitationis gratiâ illuſtravit, quòd Imperator idem ſchiſmate ac erroribus, quibus antea tenebatur implicitus, abjuratis, ad ſanctæ Romanæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ, & univerſalis Eccleſiæ gremium, ac ad unam, & indiviſibilem fidem ejuſdem Eccleſiæ, extra quam teſte Apoſtolo, nulli eſt gratia, nulli ſalus, uſus conſilio meliore, converſus, Eccleſiam ipſam ſuam & univerſorum Chriſti fidelium dominam, & per regenerationis*

Papa gaudet ob Imperatoris converſionem.

Hebr. 11. v. 6.

XXIX. JAN.

Patriarchæ commendat Nuncios.

lavacrum matrem, firmiter, & ſimpliciter recognovit &c.... Cujuſmodi perfectionem operis inter omnia deſiderabilia mundi hujuſmodi vehementiſſimè cupientes, Venerabiles Fratres noſtros Petrum Pacten. & Gulielmum Siſopolitan. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios, *latores præſentium, viros quidem pauperes ſpiritu, & virtutibus multis inſignes, ad te, ac Imperatorem ipſum, ac partes ipſas, ſub ſpe divini auxilii & favoris providimus deſtinandos, precibus & adhortationibus noſtris hujuſmodi adjungentes, ut eos benignè recipias, informes conſiliis, & auxiliis foveas opportunis. Ita quòd ex meſſe, quæ multa eſt, præſtante Domino meſſis, & cooperante etiam, manipulos plurimos ad aream deferre Domini feliciter valeamus. Datum apud Villam novam Avinionen. Diœceſ. decimo quinto Kalendas Septembris, anno quarto.*

BULLA XVI.

Innocentius, &c. Dilecto filio Nobili viro Franciſco Gatteluxio Domino Inſulæ Metellini.

(Intimat ſe Nuncios mittere ad Imperatorem.)

Ibid. fol. 164.

775. P*Er litteras tuas &c.... Venerabiles Fratres noſtros* Petrum Pacten. & Gulielmum Siſopolitan. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios, *latores præſentium, viros quidē pauperes ſpiritu, ſed locupletes multis virtutibus, providimus deſtinandos; Et ideò nobilitatem tuam attentè rogamus, quatenus eoſdem Nuntios pro reverentia Dei, cujus gerunt negotium, & noſtræ interceſſionis obtentu, ac tuæ inſuper ſalutis, ſuſcipias propenſiùs commendatos, ipſoſque informes conſiliis, & auxiliis, atque favoribus proſequaris. Ita quòd tibi & aliis adiſices ad meritum & ſalutem. Datum ut ſuprà.*

BVLLA XVII.

Innocentius, &c. Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Coronen.

(Transfertur ab Eccleſia Pactenſi ad (a) *Coronenſem.)*

(a)

776. C*Redita nobis diſpenſationis urgemur officio, ut qui diſpoſitione divina, cunctis Eccleſiis poteſtatis plenitudine præſumus, ſingularum utilitatibus, cùm poſſumus, ſic proſpiciamus ſolliciti, ſic vigilanter, & ſalubriter intendamus, ut per noſtræ attentionis inſtantiam, nunc per ſimplicis proviſionis officium, quandoque verò per miniſterium tranſlationis accommoda, prout perſonarum, locorum, & temporum qualitas exigit, & ipſarum Eccleſiarum utilitas perſuadet, Eccleſiis ſingulis paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, ut Eccleſia ipſa superni favoris auxilio ſuffragante votiva proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Eccleſia ſiquidem Coronen. ex eo apud Sedem Apoſtolicam vacante, quod nos hodie Venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum olim Coronen. in Patriarcham Aquileien. Electum, apud Sedem conſtitutum eundem, à vinculo, quo eidem Eccleſiæ Coronen. cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Aquileien. tunc vacantem, Apoſtolica auctoritate tranſtulimus, ac eidem Aquileien. Eccleſiæ in Patriarcham præfecimus & paſtorem. Nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Coronen. celerem & felicem, ne longæ vacationis detrimenta ſubiret, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, ac cupientes eidem Coronen. Eccleſiæ talem præſidere perſonam, quæ ſciret, vellet, & poſſet eam præſervare à noxiis & adverſis, ac in ſuis manutenere juribus, & etiam adaugere. Poſt deliberationem, quam ſuper his cum fratribus noſtris prædictis habuimus diligentem, demum ad Te tunc Epiſcopum Pacten. conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam divina gratia multipliciter inſignivit; & quòd tu, qui præfatæ Eccleſiæ Pacten. hactenus laudabiliter præfuiſti, dictam Coronen. Eccleſiam ſcies & poteris, auctore Deo, utiliter regere, & feliciter gubernare, direximus oculos noſtræ mentis. Intendentes itaque tam eidem Coronen. Eccleſiæ, quàm gregi dominico ejuſdem ſalubriter & utiliter providere, te à vinculo, quo tenebaris præfatæ Pacten. Eccleſiæ, cui tunc præeras, de fratrum prædictorum Conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te ad præfatam Eccleſiam Coronen. transferimus, teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem; curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Coronen. tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo; liberamque tibi dando licentiam ad dictam Coronen. Eccleſiam tranſeundi: in illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quòd dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ipſa Coronen. Eccleſia per tuæ induſtriæ ac circumſpectionis fructuoſum ſtudium regetur utiliter, & proſperè dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad præfatam Coronen. Eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedens, ejus ſollicitam curam geras, gregem dominicum, in illa tibi commiſſum, doctrinâ verbi & operis informando. Ita quòd dicta Eccleſia Coronen. gubernatori circumſpecto & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, ac bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latiùs diffundatur, & præter æternæ retributionis præmium noſtræ benevolentiæ gratiam valeas proinde uberiùs promereri. Datum Avinioni 6. Idus Maji anno 7.*

Ludovico ex Epiſcopo Coronenſi creato Patriarcha Aquileienſi.

Conſtituitur S. Petrus ob eximiam virtutem Epiſcopus Coronenſis.

777 AN. (a) Corona Vrbs antiqua, eodem etiamnum nomine appellata, in Meſſenia Peloponneſi provincia, unde Meſſeniacus ſinus nunc Golfo di Coron *dicitur. Ita P. Henſchenius in Notis ad Bullam iſtam.*

BVL-

XXIX. JAN.

BULLA XVIII.

Innocentius, &c. Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Coronenſ. Apoſtolicæ Sedis Legato.

(Inſtituitur Legatus Apoſtolicus in ampliſſimis provinciis.)

Ex lib. ſecretorum epiſt. 5.

778. A*Ngit nos cura propenſior, & ſollicitudo ſedula nos impulſat, ut ſuper univerſum gregem Dominicum paſtores, quanquam immeriti, diſponente Domino, conſtituti, ad illos maximè ex grege ipſo, qui longè ſepoſiti patiuntur adverſa noſtra vigilantia ſtudium diligentiùs extendamus; & quia ubilibet, repugnante natura, perſonaliter eſſe non poſſumus, illius exemplo, qui de cælo ad ima deſcendens, per univerſum mundum diſcipulos ſuos miſit, in partem nobiſcum ſollicitudinis evocatos, ut vices noſtras ſuppleant deſtinemus. Dudum ſiquidem anxiè cogitantes inſultus acerrimos, graviumque perſecutionum anguſtias, & damna maxima, quibus Turcarum infidelium furor immanis fidelium Chriſtianorum populos, eorumque terras, & loca præcipuè Romaniæ, civitatiſque Smyrnarum, ut illa ſuæ poteſtati ſubiiceret, diu afflixerat, & quotidie crudeliùs affligebat, ut ipſorum infidelium obſiſteretur inſultibus, & fidelibus opportuna remedia pararentur, frequenter idoneos Nuntios noſtros ad partes illas duximus, ibique Legatum conſtituimus, ſuffragia multa præſtitimus, aliaſque fideles ad illa præſtandum induximus diligenter, & nonnullos alios in prædictos labores pertulimus; & quantum nobis poſſibile fuit, opem & operam adhibuimus diligentem. Sed licèt hujuſmodi noſtra dictorumque fidelium ſtudia & opera fructuoſa felicem ſtatu, auctore Domino, Nuntiiſque, progreſſum habuerint, quia tamen dictorum Turcarum ſæva rabies non tepeſcit, ſed tam ipſi quàm alii plurimi infideles, atque ſchiſmatici partium earundem ad extinctionem Chriſtiani nominis, & depreſſionem Catholicæ fidei magis, magiſque quotidie ſatagentes, fideles ipſos, & eorum terras, & loca continuis invaſionibus atque damnis & afflictionibus perſequuntur; & non ſolum partes ipſas, ſed etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & ejus provincias, in quibus Chriſtianæ religionis nomen viget, invadunt immaniter, & percurrunt: Nos cupientes malis hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, obviare, ac ipſorum fidelium quieti ſalubriter providere, inter alia nonnulla remedia, quæ cum multis & magnis tam ſpiritualibus, quàm in temporalibus auxiliis præfatis negotiis de novo duximus adhibenda. Ad te, qui vir timoratus & providus, & in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodùm eruditus, ac frequenter in arduis, & præſertim in illis partibus comprobatus, clarus ſcientia, pleniſque multis virtutibus prædicatis, noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, deliberatione ſuper hoc cum Fratribus noſtris prahabita diligenti, tibi in eiſdem (a) Patriarchatu Conſtantinopolitano, & regno Cypri, & in Cretenſ. Smyrnarum, Patracen. Athenien. Theban. Corinthien. Colocen. Nixien. Corphien. Duracien. Neopacen. & Neopatria Archiepiſcopatibus, & eorum, dictique Patriarchatus provinciis pro ſubſidio fidelium & partium earundem, omnem alium Legatum per nos in partibus illis deputatum revocantes, plenæ legationis officium auctoritate Apoſtolica, de dictorum fratrum conſilio committimus per præſentes, ut ibidem auctore Domino recta regens, & dirigens in directa, & aſpera convertens in plana, ſicut diligens cultor evellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices, & plantes, quæ pro negotiorum hujuſmodi, ac morum, & Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum regni, Patriarchatus, ac provinciarum, & partium prædictarum reformatione & ſtatu, ac aliàs ad Legati officium pertinent, & ſicut Dominus miniſtrabit. Nos enim ut ipſius legationis officium eò utiliùs exequi valeas, quò majori fueris auctoritate munitus, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut in Patriarchatu, ac regno, Archiepiſcopatibus, & provinciis ſupradictis, ſuper hujuſmodi univerſis & ſingulis aliis negotiis, de quibus expedire videris, agere, diſponere, ſtatuere, ordinare, & præcipere, inter Reges & Principes, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares in eiſdem partibus conſiſtentes, ad utilitatem, commoditatem, & effectum negotiorum ipſorum, (b) ligas, & confœderationes, ſocietates, ſeu uniones componere, ſtatuere, ordinare, & firmare, & per te, vel alium, ſeu alios, quacumque auctoritate factas, initas, tractatas, ſeu firmatas approbare, & executioni mandare, ac mandari facere; & inter diſſidentes, ſeu diſcordes pacem & concordiam reformare, (c) treguaſque, ſeu inducias inire, & firmare, ac reformatas, initas, & firmatas obſervari facere; Nec non contradictores, & rebelles cujuſcunque dignitatis, & ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiamſi Epiſcopali, vel majori præfulgeant dignitate, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellere valeas, Fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem: Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quibuſvis perſonis, vel locis, aut Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta hujuſmodi tuæ legationis & poteſtatis officium poſſet quomodolibet impediri, aut etiam retardari. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim à dicta ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, aut ipſi, vel eorum civitates, caſtra, villæ, & loca interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quocirca Fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus de divina gratia & Apoſtolico favore confiſus, onus tam ſalubris negotii devota mente, & animo ſuſcipiens reverenti, te in executione legationis hujuſmodi taliter verbo & opere reddas, quòd ad Redemptoris noſtri laudem, ſalutemque fidelium eorundem præfata negotia felicem, Deo propitio, & te promovente, conſequantur effectum. Datum Avinione 5. Idus Maii anno ſeptimo.*

S. Petrus Thomas ut Turcis obſiſtatur,

Legatus Sedis Apoſtolicæ conſtituitur,

In Patriarchatu Conſtantinopolitano,

Variis dioœcibus & Archiepiſcopatibus.

Cum plena facultate quælibet faciendi.

Et infligendi cenſuras Eccleſiaſticas.

779 ANNOT. *Ad hanc Bullam iſtas Notas ſubjicit P. Godefridus Henſchenius in edit. ſecunda Vitæ S. Petri Thomæ*: (a) PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS: Illuſtris hic locus eſt ſi conferatur cum No-

XXIX. Jan.

titiis antiquis Patriarchatuum & Epiſcopatuum, ac potiſſimùm, illa quam ex Bibliotheca Regis Francorum poſt Geographiam ſacram edidit Carolus à S. Paulo Epiſcopus Abrincenſis, ubi pag 77. referuntur hic indicati Archiepiſcopatus, qui ferè tunc erant ſub Patriarcha Conſtantinopolitano Latinorũ, qualis dein S. Thomaſius conſtitutus eſt. *Ibi conſequenter accuratè annotat ſitum Archiepiſcopatuum, & Epiſcopatuum, ſubjectorum* S. Petro Thomæ, *tanquàm* Legato Apoſtolico, *cum ampliſſima poteſtate, illi per iſtam præcedentem Bullam conceſſa, ac deinde etiam peculiariter tanquàm* Patriarchæ Conſtantinopolitano *Latinorum, ſub quo tunc temporis iſti* Archiepiſcopatus *erant, nec non et* Inquiſitori Generali, *inſtituto per Bullam aliam ſubſequentem* XXI.

(b) Liga: conſpiratio ex fœdere inito, à ligando, ſic *fœdus ligare & inligare, & ligam inire* dixerunt.

(c) Treugæ: induciæ, ſeu fides temporaria hoſti data, Germanis *trewe* fides.

BULLA XIX.

Innocentius, &c. Venerabilibus fratribus Petro Epiſcopo Coronen. Apoſtolicæ Sedis Legato, nec non Patriarchæ Conſtantinopolitano, ac Nicoſien. Creten. Smyrnarum, Patracen. Athenien. Theban. Corinthien. Colocen. Nixien. Corphien. Duracen. Neopacen. & Neopatriæ Archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis &c. ſalutem.

(Ut exercitum Cruce ſignatorum contrà Turcas conſcribant.)

Ibidem epiſt. 11.

780. *Inſurgentibus contra fidem Catholicam, & religionem deprimere molentibus Chriſtianam, ea virtute, illaque conſtantia eſt à fidelibus reſiſtendum, ut fideles ipſi Orthodoxæ fidei ardore ſuccenſi, virtutibuſque pro poſſe ſuccincti, deteſtandum illorum propoſitum obice contrariæ intentionis impediant, & roboris oppoſitione conatus iniquos prohibeant eorundem, ſicque mentis & corporis armaturâ muniti, & directi lumine fidei inſurgentes eoſdem ſpeciali carentes munimine, & infidelitatis tenebris obcæcatos, Deo, cui militant, ipſis aſſiſtente, proſternant. Dudum ſiquidem anxiè cogitantes, &c.* ut in præcedenti uſque ad *rabies non tepeſcit.) Sed tam ipſi, quàm nonnulli alii infideles & ſchiſmatici, ad ipſorum & eorum terras, & loca, continuis invaſionibus, atque damnis, & afflictionibus perſequuntur, & non ſolùm partes ipſas, ſed etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, ejuſque provincias, in quibus Chriſtiani nominis favor viget, invadunt unanimiter, & percurrunt, Chriſtianos ipſos in ore gladii inhumaniter trucidant, alioſque velut animalia bruta vendunt, eoſque in feram ſervitutem redactos præfatam fidem abnegare compellunt, & ſacratiſſimam Crucem, mortem Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, ac ſalutem humani generis indicantem lacerant, & confringunt, pedibuſque conculcant, Eccleſias, & Eccleſiaſtica loca, alias terras, & villas, quas pro ſe tenere, & cuſtodire non poſſunt, ignis incendio concremant, cunctaque depopulantur & vaſtant, & in tantum eorum invaluit, & invaleſcit audacia, quòd niſi per Chriſti fideles ſub ſpe divinæ potentiæ viriliter obſiſtatur eiſdem, peſtifer ignis ipſe ſemper ulteriùs excandeſcens, ſingulas partes ipſas, proh dolor! diſſipabit. Propter quod nos nuper cupientes periculis & malis hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, obviare, ac ipſorum quieti fidelium ſalubriter, providere,* te Fr. Epiſcopum Coronen. Legatum, *& dilectum filium Nicolaum Benedicti Præceptorem domus Venuſin. Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani in dicta civitate Smyrnarum Vicarium & Capitaneum cum certis galeis, ſub noſtro, & ipſius Romanæ Eccleſiæ nomine & vexillo tenendis de novo ad partes ipſas, ut ibidem ipſorum fidelium populorum, & partium ſalutem, fideique negotium utiliter proſequantur, de fratrum noſtrorum conſilio duximus deſtinandos, & nonnulla alia ſubſidia, prout malorum dierum conditio, & alia eidem Eccleſiæ incumbentia, in aliis diverſis mundi partibus onera patiuntur, duximus eroganda, per quæ, quamvis in eo, cujus res agitur, ſperemus indubiè, quòd negotia ipſa ad ipſius Domini noſtri, ſuique ſacri nominis laudem & gloriam, ipſiuſque Catholicæ fidei & profeſſorum ipſius defenſionem & exaltationem feliciter debeant proſperari; Pro feliciori tamen proſecutione negotiorum ipſorum, quæ longè majoris ſubventionis auxilio indigere noſcuntur, & fidelium aliorum opportuna & charitativa ſubſidia inſtanter implorant, fideles ipſos ad id quibuſdam ſpiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet & remiſſionibus providimus invitandos. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus ſtatum miſerabilem Chriſtianorum dictarum partium attendentes, tanquam præcones fideles, & fortes athletæ fidei contra infideles eoſdem, tu videlicet frater Epiſcope, in omnibus decretis legationis tuæ partibus & provinciis, ſinguli verò veſtrûm fratres, Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus, per vos, & alias perſonas Eccleſiaſticas ſæculares & regulares, quorumcunque Ordinum, quas ad hoc idoneas fore noveritis, Chriſti fidelibus, juxtà datam vobis, & tibi à Deo prudentiam, proponatis publicè verbum Crucis, & venerabile ſignum ejus, quibuſvis fidelibus illud ſuſcipere devotè volentibus, concedatis, ipſorumque humeris imponatis fideles eoſdem, quos ad audiendum propoſitionem ipſam, quoties expedierit, ad loca idonea convocare poſſitis, ſollicitis exhortationibus & opportunis inſtantiis inducentes, ut ipſi ſuſcipientes cum reverentia ſignum Crucis, ipſumque ſuis cordibus imponentes, contra infidelium prædictorum perfidiam inſurgant viriliter, & negotium ipſum ferventer aſſumant, & ferventiùs proſequantur. Et ut ipſi fideles tantò libentiùs præmiſſa proſequi ſtudeant, quantò ex ſuis laboribus potiorem gratiam ſe noverint percepturos: Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, & illa, quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, eiſdem fidelibus, qui cum galeis, & aliis lignis navalibus, & aliàs in ſuccurſum & ſubſidium Chriſtianorum partium prædictarum contra infideles eoſdem in perſonis propriis & expenſis, ſive per terram, ſive per mare infra proximos octo annos profecti fuerint, ac per unum annum continuum, vel interpolatim, in dicti proſecutione negotii fuerint commorati; nec non & illis, qui in proſecutione dicti negotii deceſſerint, vel in proſecutione hujuſmodi vulnerati fuerint, etiamſi alibi ubicumque ex talibus*

S. Petrus legatus Apoſtolicus conſtituitur.

Pontifex petit exercitū Cruce ſignatorum conſcribi.

Concedit variis indulgentias euntis ad exercitum.

XXIX. JAN.

talibus vulneribus decedere eos contingat, illam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, quæ conceditur transfretantibus in ſubſidium Terræ ſanctæ, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc accesserint, ſed ſuis dumtaxat expenſis, juxta qualitatem & facultatem ſuam, bellatores idoneos deſtinabunt, per tempus unius anni in hujuſmodi proſecutione negotii moraturos; & illis ſimiliter, qui licèt cum alienis expenſis, in propriis tamen perſonis illuc acceſſerint, per dictum tempus unius anni morabuntur, eandem concedimus veniam peccatorum, hujuſmodi quoque remiſſionis & indulgentiæ volumus & concedimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum omnes, qui ad ſubventionem dicti negotii de bonis ſuis congruè miniſtrabunt, aut circa præfata auxilium vel conſilium impenderint opportuna. Inſuper volentes ut hujuſmodi pium negotium majoribus ſubſidiis adjuvetur; Etiam illis, qui tantum de bonis propriis pro dicto negotio erogaverint, quantum eſſent illuc eundo, & inibi per unum annum continuum morando, & redeundo etiam expenſuri ſimiliter, verè pœnitentibus & confeſſis eandem ſuorum peccaminum veniam indulgemus. Datum ut ſuprà.

aut ſuis facultatibus collatis adjuvantibus.

BVLLA XX.

Innocentius, &c. Venerabili Fratri Vrſo Archiepiſcopo Creten.

(*Vt cedat B. Petro legationem & regimen civitatis Smyrnarum.*)

Ibidem ep. 29.

781. N*Vper non ſine magna cordis amaritudine intellecto, quòd Turci & nonnulli alii infideles atque ſchiſmatici illarum partium, civitatem Smyrnarum, & provincias Romaniæ, aliaſque terras & loca fidelium partium earundem, necnon Patriarchatum Conſtantinopolitanum ejuſque provincias, in quibus Chriſtianæ religionis nomen viget, ut illa ſuæ ſævæ poteſtati ſubiciant, ferventiùs ſolito per mare & terram invadere, & aſſiduis incurſibus ad depreſſionem Chriſtiani nominis & Catholicæ fidei totis viribus moliuntur; Nos inter cætera, quæ ad hujuſmodi eorum conatus nefarios reprimendos, & proſperum fidelium ſtatum utiliter promovendum, in præſentiarum agenda conſpeximus, Venerabilem Fratrem noſtrum Pe*trum Epiſcopum Coronen. *virum utique in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodum eruditum, magnaque circumſpectione præditum, ſcientia clarum, opere & ſermone potentem, & in magnis & arduis, & præſertim in illis partibus comprobatum, in Apoſtolicæ Sedis Legatum ad partes ipſas, commiſſo ſibi in eis plenæ legationis officio, & dilectum filium Nicolaum Benedicti Præceptorem domus Venuſinæ Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, virum etiam religionis & fidei zelo conſpicuum, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, aliiſque virtutibus, ſicut teſtimoniis fide dignis accepimus, multipliciter inſignitum, prædictæ civitatis Smyrnarum Vicarium & Capitaneum, de fratrum noſtrorum conſilio, duximus deſtinandos, &c... Et nihilominus de geſtis & adminiſtratis per te in dicto Vicariatu & Capitaneatu prædictis ac habitis & expenſis fidelem tui, & prout præfatus Epiſcopus Legatus ordinandum duxerit, ſtudeas reddere rationem, & reſidua, ſi quæ fuerint, præfato Nicolao Capitaneo in præfatorum negotiorum ſubſidium aſſignare, ipſique Legato deinceps ob dictæ Sedis & noſtram reverentiam juxta tenorem aliarum noſtrarum litterarum, quas ſuper legatione ſua & aliis ſibi commiſſis, tibi, & aliis Prælatis illarum partium ſcripſimus, fideliter pareas & intendas, dictumque etiam Nicolaum circa præmiſſa opportunis favoribus & auxiliis proſequaris, ita quòd inde apud nos tua poſſit devotio meritò commendari. Datum ut ſuprà.*

Pontifex inditos à ſe mittit S. Petrum,

Et Nicolaū Benedicti.

ad legationem & regimen civitatis Smyrnarum.

BVLLA XXI.

Innocentius, &c. Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Coronen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

(*Inſtituitur generalis Inquiſitor in partibus ſuæ legationis.*)

782. C*Vm te ad Conſtantinopolitana ac Romaniæ, & nonnullas alias provincias,* Ibidem epiſt. 31.
atque partes in litteris tuæ legationis expreſſas, pro quibuſdam arduis Catholicæ fidei & Eccleſiæ Romanæ negotiis deſtinemus; Nos cupientes, ut Catholica fides in eiſdem partibus ex ſtudiis tuis, auctore Domino, dilatetur, extirpatis erroribus hæreticæ pravitatis, Fraternitati tuæ inquirendi & procedendi, durante legatione hujuſmodi, contra quoſcunque hæreticos, atque ſchiſmaticos, & de hæretica, ſeu ſchiſmatica pravitate ſuſpectos, aut etiam diffamatos, ſeu qualitercunque in ipſa culpabiles, ipſorumque adjutores, fautores, & receptatores eoſdem, & ipſos, & ipſorum quemlibet puniendi juxta canonicas ſanctiones & civiles, & ſpecialiter ſecundùm conſtitutiones, à quondam Frederico olim Romanorum Imperatore editas, contra hæreticos, fautores, & receptatores eoſdem, dum adhuc in Sedis Apoſtolicæ gratia Fredericus perſiſteret, nec non & juxta formam privilegiorum Sedis Apoſtolicæ conceſſorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, & invocandi ad hoc, cùm opus fuerit, auxilii brachii ſæcularis. Contradictores inſuper & rebelles, ac impedientes quoſlibet cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendi: Non obſtan. ſi eis aut alicui, vel aliquibus eorundem communiter, vel diviſim à dicta ſit Sede indultum, vel contingeret indulgeri, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ac perſonarum & locorum nominibus mentionem, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Per hoc autem locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem non intendimus derogare, quin ipſi, & eorum quilibet contra hæreticos credentes, adjutores, fautores, vel receptatores eorum inquirere & procedere valeant, prout viderint expedire. Datum ut ſuprà.

XXIX. Jan.

BULLA XXII.

Urbanus V. Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.

(*Fit Legatus expeditionis contra Turcas.*)

Cum Pontifex ubique nequeat adeſſe,

783. *AD hoc ſumus in eminentis Sedis Apoſtolicæ ſpecula (diſponente Domino) conſtituti, ut domui Iſraël, univerſis videlicet Chriſtianis, qui fidei oculo Deum vident, ſpeculatorum officium impendamus; ſed quia humana repugnante natura non poſſumus ſingula nobis convenientia efficere per nos ipſos, ad inſtar illius, qui cùm ſit totus ubique, ſpiritus, tamen Angelos ſuos facit miniſtros, & pro ſuo beneplacito cuncta diſponens, in univerſum mundum Diſcipulos, quos elegerat, deſtinavit, cum Fratribus noſtris onera noſtra dividimus, ut illos, quibus non valemus corporaliter præſentiam exhibere, imperfectum naturæ, poteſtate ſupplente, per eoſdem Fratres, quaſi per quoſdam noſtros oculos viſitemus, ſicque tales in partem ſollicitudinis evocemus, qui aſpera convertant in plana, & rectas faciant ſemitas Dei noſtri, populúmque acceptabilem ei reddant. Dudum ſiquidem attendentes, quòd peccatis exigentibus, Terram ſanctam Agarenorum gens perfida, Salvatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti, & ſuæ orthodoxæ fidei inimica à longis retrò temporibus, non abſque damnoſa negligentia Chriſtiani populi occupaverat, & detinuerat, prout detinebat, occupatam, eam polluendo abominandorum patratione ſcelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ Domina gentium debet eſſe; quodque ex oppreſſione Turcarum crudelium multas calamitates patiebatur, prout patitur Chriſtianus populus Orientis, chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Petro Regi Cypri Illuſtri, cujus regnum eſt in ipſorum Infidelium finibus conſtitutum, de ſtatu dictorum infidelium, quem ipſe Rex ex impiorum mortalitatibus, & diſcordiis debilitatum, & proſtrationi diſpoſitum aſſeruit, præſertim ex captione civitatis Sataliæ, ac nonnullorum caſtrorum, & locorum, quæ idem Rex ſuis providentiis, perſonalibuſque laboribus, & expenſis de manibus infidelium prædictorum eripuerat, ex quo infideles ipſos multus, ut aſſeritur, timor invaſerat, plenariè informato, nobis ac Fratr. noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac nonnullis Catholicis Principibus, & Magnatibus, aliiſque fidelibus populis, vias & modos, per quos tunc temporis poterat, prout poteſt faciliter eorundem Agarenorum, & Turcarum elidi potentia, ac fieri recuperatio dictæ Terræ, oſtendente prudenter oraculo vivæ vocis, de dictorum Fratrum conſilio ad eandem Terram ſanctam & alias partes infidelium Orientis paſſagium generale, Auctoritate Apoſtolicâ indiximus, ac bonæ memoriæ Talayrandum Epiſcopum Albanenſem ad partes illas, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, providimus deſtinandum, & tam claræ memoriæ Ioanni Regi Franciæ, Capitaneo, Rectori ipſius paſſagii per nos conſtituto, quam præfato Regi Cypri, ac aliis multis nobilibus, qui cum eorum poteſtate pro recuperatione Terræ ſanctæ prædictæ promiſerant perſonaliter transfretare, ac receperunt de manibus noſtris venerabile ſignum Crucis, ac etiam cæteris Cruce ſignatis & ſignandis Kalendis Martii anni Nativitatis Domini 1365. proximè ſecuturi, pro termino ad transfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandos. Cùm autem idem Rex Franciæ & Epiſcopus, ſicut Domino placuit, ſint viam univerſæ carnis ingreſſi, & dictus Rex Cypri ad ſuccurrendum eiſdem fidelibus, & conatus eorundem infidelium reprimendum, velut athleta Chriſti & præcurſor intrepidus, proponat in brevi cum auxilio ultramarinorum fidelium transfretare, nunc attendentes quòd urgens & evidens prædictarum ultramarinarum partium, quas fideles inhabitant, neceſſitas exigat ad eas à nobis deſtinari Legatum, qui vice noſtra dirigat, & diſponat negotium paſſagii prælibati, & ad te virum utique ſecundùm cor noſtrum, honeſtate conſpicuum, religione probatum, ac præclarum ſcientia, humilitate ſublimem, manſuetudine generoſum, multa providentia circumſpectum, & in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodùm eruditum, qui aliàs commiſſum tibi in partibus illis legationis officium laudabiliter exercuiſti, noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, deliberatione ſuper hoc cum Fratribus noſtris prahabita diligenti, tibi in Patriarchatu Conſtantinopolitano ac regno Cypri, & in Cretenſi, Smyrnenſi, Patracenſi, Athenienſi, Thebano, Corinthienſi, Coloſſenſi, dicto Rhodo, ac Nixienſi, Carphienſi, Duracenſi, Neopacenſi, & Neopatienſi, Archiepiſcopatibus, & eorum, dicti Patriarchatus provinciis, & aliis ultramarinis partibus, ad quas per nos eſt indictum paſſagium ſupradictum pro ſubſidio ejuſdem Regis Cypri, & alterum transfretantium ad Chriſti fidelium partes, ejuſdem plenæ legationis officium Auctoritate Apoſtolica, de dictorum Fratrum conſilio committimus per præſentes, ut ibidem auctore Domino, rectè regens & dirigens, indirecta, & aſpera convertens in plana, ſicut diligens cultor evellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices atque plantes, quæ pro negotio hujuſmodi, ac transfretantium, nec non Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum prædictarum reformatione ac ſtatu indigere noſcuntur, aliaque ad Legati officium pertinentia efficias, ſicut tibi Dominus miniſtrabit. Nos enim ut ipſius legationis officium, eò utiliùs exequi valeas, quo majori fueris auctoritate munitus, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut in Patriarchatu ac regno, Archiepiſcopatibus, provinciis & terris ſupradictis, ſuper hujuſmodi, ac univerſis & ſingulis aliis negotiis, de quibus expedire videris, agere, diſponere, ſtatuere, ordinare, ac præcipere, & inter Imperatores & Reges, & Principes, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, in iiſdem partibus conſiſtentes, ad utilitatem, commodum, & effectum negotiorum ipſorum, ligas & confœderationes, ſocietates, ſeu uniones ſtatuere, ordinare, firmare, & facere, & per te, vel alium, ſeu alios, quacumque auctoritate functos initas, tractatas, ſeu firmatas approbare & executioni mandare, ac mandari facere, & inter diſſidentes & diſcordes, pacem & concordiam reformare, treguas, ſeu inducias inire, & firmare, ac reformatas, initas, & firmatas obſervare facere, nec non contradictores & rebelles cujuſcumque dignitatis & ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiamſi Epiſcopali, vel majori, aut Regali, vel Imperiali præfulgeant dignitate, Auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellere*

Et ex relatione Regis Cypri Turcica poteſtas infringi poſſit.

Pro ea expeditione conſtituit Legatum Talayrandum,

Et Capitaneum Regis Franciæ,

Quibus mortuis, ut Regi Cypri adſit,

Creat S. Petrum legatum,

Et id per ditiones Orientales,

cum ampliſſima jariſdictione.

peſtire valeas, Fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quibuſvis perſonis, locis aut Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, hujuſmodi tuæ legationis & poteſtatis officium poſſit quomodolibet impediri, ſeu etiam retardari, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim à dicta ſit Sede indultum quòd excommunicari, ſuſpendi, aut ipſi vel eorum civitates, caſtra, villæ, terræ, & loca interdici non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Quocirca Fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apoſtolica noſtra ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus de divina gratia & Apoſtolico favore confiſus, onus tam ſalubris negotii, devota mente, & animo ſuſcipias reverenti, & te in executione legationis hujuſmodi talem verbo & in opere reddas, quòd ad Redemptoris noſtri laudem ſalutemque fidelium eorundem præfata negotia fœlicem Deo propitio, & te promovente, conſequantur effectum. Datum Avinione ſexto Idus Iulii, anno ſecundo.

BULLA XXIII.

Chariſſimo in Chriſto Filio Petro Regi Cypri Illuſtri ſalutem, &c.

(*Indicat creatum à ſe Legatum* B. Petrum.)

Ibidem ep. 241. 784. S*Icut ad Serenitatem Regiam jam perveniſſe putamus; dudum nos conſiderantes zelum fidei, ſcientiæ donum, & circumſpectionis induſtriam, aliaque multiplicia virtutum merita Venerabilis Fratris noſtri* Petri Patriarchæ Conſtantinopolitani, Apoſtolicæ Sedis Legati, *olim in ultramarinis partibus laudabiliter comprobata, cum de negotiis, & ſtatu earundem partium, in quibus dictæ Sedis Legatus extitit, plenariè informatum, & prout per experientiam novimus, tuæ ſublimitati acceptum, ad partes ipſas in favorem, & fulcimentum generalis paſſagii providimus remittere, dudum commiſſo ſibi de novo legationis officio in eiſdem, prout in litteris noſtris inde confectis, plenius continetur. Quocirca Celſitudinem tuam, licèt expedire non credamus, rogamus, & hortamur attentè, quatenus eundem Legatum pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, Regiis favoribus, & honoribus proſequaris. Datum Avinione 11. Kal. Iulii, anno ſecundo.*

S. Petrus Legatus creatus, & quare.

BVLLA XXIV.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.

(*Mittitur pacificator ad Ianuenſes.*)

Ex lib. ſecret. an 3. fol. 51. 785. D*E ſuſcitata dudum diſcordia inter quoſdam cives Ianuenſes, & incolas regni Cypri, valde dolentes, prout dolemus ab intimis, ne ad actum belliçoſum procederetur, ſicut novit tua Fraternitas, apud dilectos filios nobilem virum Ducem & Commune civitatis Ianuen. per literas & Nuntios interpoſuimus efficaciter partes noſtras, ipſoſque Ducem & Commune à motione novitatis cujuſlibet hucuſque fecimus abſtinere, ſperavimuſque quòd chariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus Rex Cypri Illuſtris ad Italiæ partes regrediens, ſe cum eiſdem Duce ac Communi amicabiliter concordaret, & ad hoc, ut audivimus, dilecti filii nobilis viri Dux & Commune Venetiarum, ſicut viri pacifici, interpoſuerunt fideliter partes ſuas. Sed ut habet fide digna relatio, iidem Dux & Commune Ianuen. ad hoc induci minimè potuerunt, propter quod nos damnis futuris diſſidii opportunis obviare remediis cupientes, de tuis prudentia, & fide, ac zelo pacis in hac parte potiſſimè gerentes in Domino fiduciam pleniorem, Fraternitatem tuam hortamur attentè, mandantes quatenus ad civitatem Ianuen. te transferas ſine mora, & pro dicta concordia ex parte noſtra labores ſollicitè ſecundùm prudentiam à Domino tibi datam. Nos autem per alias noſtras patentes litteras opportunam in hac parte tibi tribuimus facultatem, & tenores harum, quas dictis Regi & Duci ac Communi Ianuen. dirigimus incluſos præſentibus, deſtinamus. Quòd ſi eoſdem diſcordantes, quod abſit, concordare non poſſes, indictis treguis longi temporis inter eos inviolabiliter ſub pœnis congruis obſervandis, ipſos moneas & inducas, ac Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas ad mittendum infra terminum competentem ad noſtram præſentiam Ambaſſiatores, & procuratores idoneos cum plenis mandatis ſuper negotio prælibato, quod cum auxilio Dei ſperamus, prout cupimus, feliciter terminare. Datum Avinione 10. Kal. Martij anno tertio.*

S. Petrus Genuam mittitur.

Cum plena inſtructione.

BVLLA XXV.

Dilectis Filiis nobili viro Gabrieli Adurno Duci ac Conſilio & Communi civitatis Ianuen. &c.

(*Eos hortatur ad pacem ineundam cum Rege Cypri ſequeſtro* B. Petro.)

786. I*N æſtate nuper elapſa &c. Nos igitur ex his tamquam ex impedimento & ſubverſione manifeſtis dicti paſſagii meritò ſuſpirantes ab intimis, & ad obviandum tanto malo, quo majus exiſtimare neſcimus valituris remediis cogitantes; venerabilem fratrem noſtrum* Petrum Patriarcham Conſtantinopolitanum Apoſtolicæ Sedis Legatum, *virum utique circumſpectum, ſcientia præditum, zelatorem pacis & de ultramarinis negotiis informatum, in partibus Italiæ nunc degentem, quem notum veſtrum & benevolum reputamus, ad veſtram præſentiam pro informatione hujuſmodi providimus acceſſurum ... Animos veſtros ad rationabilem habilitare concordiam ſtudeatis, ejuſdem Patriarchæ ſuaſionibus, & monitis, quæ vobis pro parte noſtra fecerit, acquieſcentes fidenter & devotè.... Nos enim ſuper his præfato Regi opportuna ſcripta noſtra dirigimus per præſentium portitorem. Datum ut ſupra, &c.* Ibid.

BVL-

XXIX. Jan.

BULLA XXVI.

Petro Regi Cypri Illuſtri.

(Admonet eum, ut à ſe amoveat pacis ineundæ impedimenta.)

Ibid. fol. 57.

787. D*iebus nuper elapſis ſuper diſcordia tua, & dilectorum Filiorum Ducis & communis civitatis Ianuen. tam venerabili noſtro* Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano Apoſtolicæ Sedis Legato, *quam eiſdem Duci & communi ſcripta noſtra direximus, prout tunc tua Serenitati per Apoſtolicas litteras duximus intimandum &c.... Datum Avinione, 4. Nonas Martii: anno tertio.*

BVLLA XXVII.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.

(Ut acceleret pacis fœdera.)

Ibid. fol. 66.

D*iſplicenter nuper audivimus &c.... Datum, &c.*

BVLLA XXVIII.

Urbanus, &c. Eidem Patriarchæ.

(Idipſum denuo commendat.)

Ibid. fol. 67.

H*is diebus, &c. Datum Avinione, 7. Kal. Aprilis anno tertio.*

BVLLA XXIX.

Petro Regi Cypri, &c.

(Rogat ut quamprimùm velis transfretare.)

Ibid. fol. 87.

788. P*Er litteras Venerabilis Fratris noſtri* Petri Patriarchæ Conſtantinopolitani, Apoſtolicæ Sedis Legati, *nuper non abſque multa noſtri cordis exultatione percepimus, inter ſublimitatem tuam, ac dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum Ducem, & commune civitatis Ianuen. fore concordiam reformatam, magnamque multitudinem nobilium, & aliarum armigerarum gentium tecum transfretaturarum contra hoſtes fidei ad te de Alamannia aliiſque partibus adveniſſe noviſſimè, ac jugiter advenire; propter quod, ſi veritas ſuffragetur relatis, ſpem jam deficientem reſumimus de ultramarinis negotiis feliciter proceſſuris. Et quia inſtat tempus tui & gentium prædictarum receſſus, Domino favente, fœlicis, hortamur te, quod ulteriùs non differas, ne gentes ipſæ nimia expectatione graventur, & quod abſit, à transfretandi propoſito reſipiſcant, dictiſque negotiis ex dilatione proveniat detrimentum. Nos ſiquidem ſperamus in Domino, qui gratiâ ſuâ, deſideria devota proſequitur, quòd iter & actus tuæ Celſitudinis, & dictarum gentium proſperabit, noſque prout honeſtè poterimus tibi favoribus Apoſtolicis aſſiſtemus. Datum Avinione, ſexto, Kal. Maji, anno tertio.*

ANIMADVERSIO NOTABILIS, *circa* S. PETRUM THOMAM, *& cultum variorum Sanctorum, Dei providentiâ, & Eccleſiæ ordinatione, auctum.*

789 M*Irabilis Deus in Sanctis ſuis, diſcretor temporum, rectorque potens, temperans reid vices, in cujus ſolius poteſtate ſunt tempora, & momenta, inſcrutabili ſua providentiâ decrevit, ut SS. *Virg. Deiparæ* cultus primis quatuor ſeculis non tantus, poſt debellatam deteſtabilem Neſtorii blaſphemiam (de qua hic ſuprà *a*) magis fuerit auctus, & propagatus: ità quoque SS. ejus ſponſi *Ioſephi*, patris *Ioachimi*, matris *Annæ* cultus, generaliter in Eccleſiam Romanam introductus, ſeu propagatus, & decretus demum fuit ſuperiore ſeculo. Sic quoque ſingulari ratione hoc ſeculo Belgis innotuit, & venerationem accepit majorem S. *Anaſtaſius* (de quo hic ante *b*). Seculo etiam hoc Sancti plures, S. *Martina*, S. *Franciſca Romana*, S. *Canutus*, S. *Venantius*, S. *Wenceſlaus*, S. *Raymundus de Pennaforti*, S *Raymundus Nonnatus*, atque alii ſeculis multis vix noti, variis occaſionibus, auctoritate Eccleſiæ, à Spiritu ſancto directæ, aucti ſunt publicâ veneratione: atque ita magis patenter, fidelibus omnibus propoſiti, tanquam magnarum virtutum, & Chriſtianæ perfectionis exemplaria, quæ imitentur. Singulari autem animadverſione dignum eſt, quod contigit in S. *Petro Thoma*: qui celebratus quidem in Ordine Carmeli, extra eum ſic multis parùm notus erat, ut etiam in dubium verteretur, an unquam in rerum natura fuiſſet; ita ut ejus glorioſa geſta alteri (Petro Theutonico) exiſtimarentur competere (ſicut pleniùs dictum hic ſupra *c*). Sed ecce, Dei diſpoſitione ſingulari, lumen iſtud præfulgidum, quaſi ſub modio delitеſcens, ſubitò ſanctimoniæ, eruditionis, & heroicorum geſtorum radiis univerſam Eccleſiam colluſtrare cœpit, poſt ſeditam illam tempeſtatem; mox enim à R. P. Luca Waddingo edita fuit vita, quæ jam proximè præceſſit (hic recuſa) ſtatim poſt inſignis, & authentica vita abhinc annis trecentis circiter ſcripta à viro illuſtri Philippo Mazzerio Cancellario Cypri, primùm prodiit in celebri opere *Acta Sanctorum* (de qua hic ſuprà *d*) atque etiam paulò poſt, novis notationibus, & analectis illuſtrata per R. P. Godefridum Henſchenium ſeorſim recuſa fuit. Sub idem tempus, ea inſerta fuit Annalibus Eccleſiaſticis per R. P. Odericum Raynaldum, & Carmelitanis per R. P. Lezano; ac denique etiam vita ſcripta per Joannem Carmeſſonium, poſt annos ferè trecentos (quibus ignota delituerat) in publicum proſiliit (vide hic ſupra *e*). An non hinc apparentia, & ſpes affulgens, exemplar tantæ ſanctitatis, celſarum virtutum, & heroicorum operum, ipſum S. *Petrum Thomam* (qui Dei providentiâ ſingulari ſic ſubitò per orbem innotuit: qui tam ſtrenuè, zeloſè, & fructuoſè pro Eccleſia laboravit: quem Deus in vita, in morte, & poſt ſepulturam tàm magnis & multis decoravit miraculis, aliquantò poſt, juridicâ, & ſolemni factâ informatione, ab Epiſcopo approbatis: quem Summi Pontifices in tam multis, & arduis negotiis impenderunt, & ipſe fideliſſimè ac laborioſiſſimè adimplevit: ac interim nondum Romano Martyrologio inſertus extat) futuris temporibus majori cultu celebrandum, atque ita magis patenter ſuper candelabrum Eccleſiæ reponendum, ut iſto fulgore plures illuſtrentur, & in Dei amore, ac magnarum virtutum, & heroicorum geſtorum imitatione, & exercitatione efficaciùs excitentur: Sed id ulteriori Divinæ providentiæ, & Eccleſiæ ordinationi reſervatum permanet.

Cultus Sanctorum augetur ex Dei providentia: id apparet in SS. Deipara, Ioſepho, Ioachim, Anna, & aliis: S. Petrus Thomas non pridem multis vix notus, ſubitò per Eccleſiam multipliciter celebratus: an non indè ſpes majoris cultus?

(a) n. 572.
(b) n. 507. & ſeq.
(c) n. 706. & ſeqq.
(d) n. 599.
(e) n. 600.

790. Verumtamen ſicuti SS. Virg. Deiparæ veraciter competit illud Propheticum: (f) *In tribulatione dilataſti mihi* (nempe cùm impius Neſtorius ei negaret maternitatem Dei, ea occaſione magis fuit dilatatus ejus (f) Pſal. 4.

(a) num. 572.

ejus cultus, ſicut jam ante dictum (a) ita & ejuſdem ſtudioſiſſimo dilectori, cujus quidem cultus ab annis ducentis intra ſolum Carmeli Ordinem concluſus perſtitit, occaſione *tribulationis*, ſeu tempeſtatis iſtius (dum controverteretur, an unquam in rerum natura fuiſſet aliquis Ordinis Carmelitarum *Petrus Thomas Patriarcha Conſtantinopolitanus*) dilatari cœpit cultus ipſius etiam extra Carmeli Religionem. Etenim Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, anno 1663. die 5. Aprilis, per Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Franciſcum de Salagnac Epiſcopum Sarlatenſem, cum conſilio Capituli ſui, & Cleri, in Synodali Congregatione decretum fuit, *officium de S. Petro Thoma ſub ritu duplici, cum lectionibus propriis ſecundo nocturni celebrandum die ultima Ianuarii per Epiſcopatum Sarlatenſem* (undè S. Petrus Thomas oriundus eſt) prout habetur ex Regiſtris iſtius Epiſcopatus, tranſmiſſo inde extracto ad RR. PP. Godefridum Henſchenium, & Danielem Papebrochium, & ab iſtis nobis tradito, cujus hoc eſt initium.

cultus S. Petro Th. officio ſub ritu duplici, decretus in Epiſcopatu Sarlatenſi.

EXTACTVM EX REGISTRIS EPISCOPATÛS SARLATENSIS. *Conſtitutum pariter à dicto illuſtriſſimo Domino Epiſcopo fuit, ex Capituli ſui cathedralis, totiuſque Cleri, indictâ ſynodo congregati, ſententia, ut deinceps, & ſingulis annis in hac diœceſi officium* B. PETRI THOMÆ *Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo Patriarchæ Conſtantinopolitani, ex vico de Lebreil Parochia de Sales de Caravet propè Vrbem de Belver hujus Diœceſis oriundo, celebretur ſub ritu Duplici &c.*

Decretum iſtud integrum, unà cum tribus lectionibus ſecundi Nocturni, vitæ ipſius S. Petri Thomæ ſubſtantiam, ſuccincto, aſt ſucculento ſtylo, exprimentibus, dedimus ſub finem vitæ ipſius S. Petri Thomæ per Joannem Carmeſſonium in priore impreſſione, facta Antuerpiæ anno 1666. typis Marcelli Parys. In litteris iſtì extracto annexis, agitur de donatione, ſeu Legato per *S. Petrum Thomam* facto Eccleſiæ dictæ Parochiæ, ubi natus fuit. Ibidem annotatur, quod S. *Petrus* cognominari debeat *Thomas* ſeu *Thomaſius*, non autem (ut aliqui ſcribunt) *Thoma*. Circa iſtud cognomen etiam quædam annotavimus hic ſuprà. (a)

S. Petri cognomen Thomas, *non* Thomæ.

(a) n 716.

XXX. JANUARII.

AN. 154. *martyrizatus.*

VITA S. TELESPHORI
PAPÆ ET MARTYRIS,
ex Elianæ Carmelitanæ Religionis ſectatore.

PROLEGOMENA.

791. S. *Teleſphorus ex Anachoretico monaſtico Inſtituto (quod tunc per Orbem unicum erat, à magno Propheta Elia inchoatum, per Filios Prophetarum, & Eſſenos propagatum, ſicut habetur ex ſupradictis, & ex dicendis confirmabitur) aſſumptus ad Pontificale ſolium, an non inter præcipuos ſupremos Eccleſiæ Paſtores referendus, judicet æquus lector, cùm ſequentia legerit, & in illis perſpexerit, quòd ille pro Eccleſia Dei multùm laboraverit, ad mortem decertaverit, ac illuſtri martyrio, & utiliſſimis eam decretis decoraverit. Ejus feſtivitas (in Carmelitano Ordine ſub ritu duplici) à die V. Ianuarii (quo martyrio coronatus fuit) propter vigiliam Epiphaniæ, & feſta ſubſequentia, auctoritate Summi Pontificis Clementis X. & S. Congregationis Rituum (referente, & ſubſcribente Eminentiſſimo Cardinale Bona) tranſlata eſt ad diem XXX. Ianuarii, ad quem in Kalendariis Miſſalis, & Breviarii legitur*: In feſto S. Teleſphori Papæ, & martyris, Ordinis noſtri. *Et iſta ad Miſſam, ac in Divino Officio canitur oratio, ſeu Collecta*: Deus qui S. Teleſphorum è deſerto ad ſupremum Eccleſiæ tuæ regimen, & martyrii triumphum evocaſti; largire nobis, quæſumus, ut omnia adverſa, pro tui nominis gloria, humili corde ſuſtinentes, cæleſtis gloriæ palmam obtinere valeamus. Per Dominum, &c.

792. *In libro Pontificali, patria, anachoreſis, præcipua decreta, & martyrium ſic paucis tradita extant*: Teleſphorus, natione Græcus, ex Anachoreta, ſedit annos XI. menſes III. dies XXI. Fuit autem temporibus Antonini & Marci, Martyrio coronatus. Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebraretur. Hic fecit, ut in Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti noctu miſſæ celebrarentur, cùm omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret miſſas celebrare, quia eâ horâ Dominus noſter aſcendit in crucem, & ut ante ſacrificium, hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt, Gloria in excelſis Deo. Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Decembrem, Præsbyteros XII. Diaconos VIII. Epiſcopos per diverſa loca XIII. Qui etiam ſepultus eſt juxta corpus beati Petri in Vaticano, Nonis Januarii. *Eadem leguntur Tomo I. Conciliorum omnium* (b) *& apud Aloyſium Lipomanum. Ita quoque Ven. Beda in Martyrologio ad diem V. Ianuarii, ubi iſta*: Nonis Januarii. Romæ natale ſancti Teleſphori Papæ, qui ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum Pontifex ordinatus, ſedit annos undecim, menſes tres, dies viginti unum. Hic conſtituit, ut ſeptem Hebdomatibus ante Paſcha jejunium celebraretur, & in Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti miſſæ nocte celebrarentur, ac Hymnus Angelicus, id eſt, Gloria in excelſis Deo, horâ ſacrificii miſſæ celebretur: illuſtreque ad extremum ſub Adriano Principe martyrium duxit. *Notandum, quòd Imperator Antoninus Pius, cujus tempore S. Teleſphorus martyrium ſubiit, adoptatus ab Hadriano Imperatore, ejuſdem etiam nomen inter ſuos Titulos aſſumpſerit: ſicut videre licet, ex Iuſtino, apud Baronium* (c).

S. Teleſphori vita, & decretorum epitome.

(b) fol. XLIIII.

(c) ad an. 154.

793. *Martyrologii Romani, ſingulari elogio ipſum commemorantis, verba ſequuntur hìc infrà. Fere eadem ſcribunt Vſuardus, & Ado in Martyrologiis ad eundem diem 5. Ianuarii, & Wernerus Carthuſienſis in Faſciculo temporum ad annum Chriſti 134. ac alii Chronographi, ac Hiſtorici circa idem tempus, uberius autem Cardinalis Baronius in Annalibus: imprimis, ad annum Chriſti*

XXX. JAN.

centeſimum quadrageſimum ſecundum, deſcripto martyrio S. Sixti Papa, ſubjungit: In cujus locum ſuffectus eſt Teleſphorus, natione Græcus, ex Anachoreta. *Ad annum 154. diſſerit de tempore Pontificatus ipſius, & agit de martyrio, ac decretis ejuſdem: peculiariter quoad illud de jejunio quadrageſimali rectè annotat, ut ſequitur:* Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebraretur. Eadem leguntur apud Euſebium. Verùm Quadrageſimale jejunium ex Apoſtolica inſtitutione manaſſe, ſuperiùs primo Annalium Tomo demonſtravimus: quamobrem non recens à Teleſphoro illud fuit in Eccleſia decretum, ſed potiùs quod traditione fideles ſervarent, at de his diverſa eſſet conſuetudo Eccleſiarum, editâ conſtitutione, ſcripto illud fuerit perpetuò ſtabilitum. *Plura circa hoc dicentur hic infra in ejus vita §. 4.*

794. *Vita S. Teleſphori ſatis copiosè exarata extat in libro, cui titulus:* Decor Carmeli Religioſi, *auctore P. Philippo à SS. Trinitate Præpoſito Generali Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ, ubi, inter alia, iſta:* Teleſphorus natione Græcus (aliqui dicunt ipſum in oppido Turio, nunc dicto Terra nova Calabriæ olim magnæ Græciæ, natum) Eliani Ordinis alumnus, vel ex ipſomet prodiens monte Carmelo, vel ex alio noſtrorum Anachoretarum deſerto, prædicationis Euangelicæ causâ venit in Occidentem, & venerationis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratiâ Romam acceſſit, ubi poſtmodùm ob eximiam ſanctitatem, & rara merita, Summus Pontifex eligitur in locum S. Sixti martyrio coronati, die octavâ Aprilis, poſtquàm duos tantùm dies ſedes vacaſſet; ſic enim erat illuſtris, ac omnibus venerabilis, quòd ſtatim ad ejus electionem applauſu maximo omnes concurrerint. In ſummo Pontificatu virtutes eas excoluit, quas priùs in cœnobio, deindè in eremo fideliter exercuerat: nam ut docet D. Thomas (a) ex S. Hieronymo, epiſtolâ ad Euſtochium, qui deſcribens Anachoretas, ait; [*De* * *nido monaſteriorũ hujuſmodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant:*] Undè vulgò dicebatur, quòd Cœnobitæ pariebant Anachoretas, & hi ſemper ſuperioribus Cœnobitis erant ſubditi, & obedientes in animi præparatione: proptereà dicit Baronius, Anachoretas voluntate Patris omnium Præſidis agere ſolitariam vitam, ut tamen vinculo quoque obedientiæ adſtringantur. *Quòd olim in Carmeli Religione, à prima ſua inſtitutione, & deinceps,* ſemper fuerint duplicis generis profeſſores, videlicet Anachoreticæ, & cœnobiticæ vitæ, *tradit Ioannes Ieroſolymitanus, in libro de inſtitutione primorum Monachorum* (b) *& pleniùs declaratum eſt hic ſuprà, Fundamento IX.* (c)

Anachoreta Elianus Ordinis.

(a) ſecunda ſecundæ q. 188. art. 8.

* Al. *ludo.*

(b) cap. 22. vide Tomo præced. n. 325. pag. 25.

(c) n. 329 & ſeq.

795. Quòd tempore S. Teleſphori, atque etiam proximè ante, & poſt fuerint Anachoretæ, & Monachi, imò & Monachorum copioſi greges, *adeò certum eſt, ut hiſtoria Eccleſiaſticæ ignarum ſe prodat, qui id neget, aut controvertat. Claruit S. Teleſphorus tempore Antonini Imperatoris: nonnè ſub eodem S. Frontonius Monachus erat Inſtituti Eſſenorum, in deſerto, ſeu eremo unà cum LXX. aliis. Quod autem vixerit tempore Antonini Imperatoris, ſcribitur in ejus vita* (a) *ſub finem:* Hæc ſub Antonino Imperatore geſta ſunt. *Quòd etiam ante S. Teleſphorum ſub initium ſeculi ſecundi tempore Imperii Trajani, teſtantur acta S. Eudociæ Monialis, in lucem edita à PP. Bollando, & Henſchenio ad diem 1. Martii. Ibi autem cap. 9. iſta:* Habebat porrò B. Germanus ſuo regimini ſubjectos in cœnobio Monachos ſeptuaginta; & in aſceterio non longè inde remoto, virgines triginta. *Quòd etiam immediatè poſt S. Teleſphorum teſtantur acta S. Eugeniæ Virginis de qua Cardinalis Baronius ad annum Chriſti CLXXXVIII. (poſt S. Teleſphori martyrium annis 34.) ſcribit eam,* virili habitu delituiſſe inter Monachos, Eſſenos à Philone dictos. *Plura circa hæc videantur hîc ſupra Fundamento XII.*

(a) In Vitis Patrum lib. 1.

Monachi, & anachoretæ multi tempore S. Teleſphori.

796. *Occaſionaliter, nec extra propoſitum, hîc notanda quorundam in hiſtoriis imperitorum falſa & erronea opinio, exiſtimantium, non fuiſſe Anachoretas, & Monachos ante S. Antonium: & hunc primum Monaſticæ vitæ eſſe auctorem. Horum errorem per jam dicta ſatis expugnatum, refellens inſignis Chronographus Gilbertus Genebrardus lib. 3. Chronographiæ ad an. Chriſti 139. hæc annotat in ſerie Pontificum:* TELESPHORUS GRÆCUS, ANACHORETA, SEDIT ANNOS UNDECIM, MENSES 3. DIES 22. *Et infrà:* Quoniam fuit Anachoreta, apparet in prima Eccleſia aliquos hujus ſancti Inſtituti fuiſſe ſectatores, adversùs eos qui Monaſticês auctorem D. Antonium ſub Conſtantino magno faciunt. Multò ante Dionyſius Areopagita tres Epiſtolas ad tres Monachos dedit. De Eccleſiaſtica Hierar. Eccleſia naſcente, de ordine Monaſtico tractavit, cum PURISSIMAM CHRISTIANORUM PARTEM, ET E TRIBUS A SE MEMORATIS PRIMAM PRONUNTIAVIT. Philo Alexandrinus Apoſtolorum æqualis de his librum DE VITA CONTEMPLATIVA ſcripſit, quòd nihil haberent proprium, perpetuò precarentur, litteris ſacris vacarent, caſtè viverent, monaſteria ſua domicilia appellarent.

797. *Quòd Monachi, & Anachoretæ in primis Chriſtianæ Religionis ſeculis fuerint Eſſeni, aut Eſſenorum ſoboles, ſucceſſores, aut æmulatores S. Prophetæ Eliæ: & quod in primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ tempore S. Teleſphori, & ante, & poſt Carmelum incolas ſolitariam Religioſam vitam agentes habuerit: & alibi ejuſdem Inſtituti fuerint quidam anachoreticam, & alii cœnobiticam vitam agentes, habetur (ſicut jam ante dicebatur) ex ſupra poſitis Fundamentis. Quòd ex illis unus fuerit S. Teleſphorus, ſic declarat Lezana Tomo 2. Annalium Carmelitarum* (b) *ubi iſta:* Hujus anni hiſtoria præcipuè continet S. Telephori Papatum poſt S. Sixti Martyrium; noſtris ſanè Annalibus propria, quod is Eliani, & Prophetici Ordinis cultor jure, meritòque credatur, prout ea quæ adjungimus ſufficienter oſtendent. Primò quidem quòd ille Anachoreta fuerit. Sic enim eum vocat liber de Romanis Pontificibus, cui Baronius adhæret ſub hoc

S. Teleſphorus Elianæ Carmelit. Religionis cultor.

(b) ad an. Chr. 142.

anno

XXX. JAN.

anno. S. Antoninus (a) à quo vocatur: Ex Anachoretis aſſumptus. Epiſcopus Equilinus (b) Auctor libri Faſciculus temporum appellati, Scholiaſtes Conciliorum (c) Genebrardus (d) Gualterius (e) Gordonus (f) Coriolanus (g) dicens: Ex vita Anachoretica quam agebat, ad Pontificatum evectus eſt, & alii communiter. Anachoretarum autem nomen Eſſenos indicare, ac per conſequens Eliani & Prophetici Ordinis aſſeclas diximus in Apparatu cap. 4. Quod maximè confirmat Damianus ibi relatus, Rechabitas appellans Anachoretarum primitias, ſiquidem Rechabitas, & Eſſenos ejuſdem Inſtituti homines fuiſſe ſæpiùs in primo Tom. demonſtravimus. Clarè etiam id colligitur ex Philone (h) de illis dicente: Extra mœnia degunt in hortis, ac villis ſolitariis, amantes ſolitudinem. Erant ergo inter Eſſenos aliqui Anachoreticam ſectantes vitam. *Hactenus dicta de Monachis in primordiis Eccleſiæ, Eſſenis à S. Marco Chriſtianæ vitæ perfectione inſtructis, ſic paucis exprimuntur in libello, cui titulus* Flores Carmeli poetici, *iteratis vicibus Leodii typis excuſo.* (i)

(a) 1. p. tit. 7. c. 6.
(b) lib. 2. c. 46.
(c) to. 1. in Epiſt. decr. Teleſphor.
(d) in Chronolog. ſub an. 139.
(e) in tab. Chronogr. ſæcul. 2.
(f) ſub hoc an. 142.
(g) in Breviar. Chronolog. ſub an. 140.
(h) in lib. de vita contempl.
(i) Auctore P. Philippo à Viſitat.

Protinùs invadens Egyptum Marcus, eodem
Enocho comitante, novo Baptiſmate luſtrat
Eſſænorum agmen, Rechabitarumque Nepotes
(Talibus Eliades titulis, aliiſque notantur)
Conſiliis Euangelicis ſicque erudit illos,
Ut plures ab ea producti vitæ racemi
Sparſerunt per humum, variæ pietatis odorem.
Venit ad Imperium Divus Teleſphorus indè
Pontificale, ſimul conſors Dionyſius: atque
Hos ad agros Prothum ac Hyacintum Eugenia duxit,
Præſes facta viris, habitum geſtando virilem.

Enochus, *cujus ſtatim mentio fuit, erat* Enochus de Amathim, *ex Carmeli incola ſocius S. Marci apud Alexandriam, & ibi monaſteriorum fundator. Ejus mentio aliquoties fuit Tomo præcedenti* (k) *Vide quoque infrà ſub finem partis 4. ubi de S. Marco. Vita S. Teleſphori Papæ præ cæteris luculentiùs ſcripta primum prodiit in celebri opere* Acta Sanctorum, *per PP. Ioannem Bollandum, & Godefridum Henſchenium, ad diem V. Ianuarii, & indè hìc ſequitur.*

(k) nu. 939. 975. & 978.

DE

S. TELESPHORO

PAPA ET MARTYRE

Ex Actis Sanctorum per RR. PP. Ioannem Bollandum, & Godefridum Henſchenium, ad diem V. Ianuarii.

798. SANCTI TELESPHORI *Papæ & Martyris vitam ſcripſit Notiſque illuſtravit Zegerus Paulus Ordinis Carmelitarum Theologus & monaſterii Colonienſis Subprior. Colitur à ſacro illo Ordine* * *V. Ianuarii; quanquam Rhabani, Notkeri atque alia nonnulla MSS. Martyrologia 11. Ianuarii ejus Natalem conſignent. Liber quoque de Romanis Pontificibus, alterque ſub nomine Luitprandi Ticinenſis editus, Abbo Floriacenſis IV. non. Ianuarii martyrio coronatum ſcribunt.* Reſtituit hoc feſtum Clemens VIII. vel potius inſtituit commemorationem, *ut teſtatur Gavantus comment. in rubric. Breviarii ſect. 7. cap. 3.*

* Feſtivitas illa tranſlata eſt ad 30. Ian.

VITA

AUCTORE

R. P. SEGERO PAULLO

Ord. Carmelit. Theologo.

§. I. Sub Antonino Imperatore floreſcente Eccleſiæ ſtatu, floret quoque vetuſtum Prophetici, ſeu Eliani Ordinis Inſtitutum Monaſticum.

799. CUm anno Chriſti * quadrageſimo ſupra centeſimum, mortuo Adriano Auguſto, Antoninus ad Romani arcem Imperii evectus eſſet, Chriſtiana per Orbem fides, quæ ſub Adriano Cæſare à perſecutionis rabie reſpirare nonnihil cœperat, ſub hoc eodem Antonino ampliori pace frui viſa eſt. Nam ſicut Hadriani tempore B. (a) Quadratus Propheta, Athenarum Epiſcopus, & (b) S. Ariſtides, Philoſophus Chriſtianus libellos pro Eccleſia Apologeticos Imperatori exhibuerunt, ex quibus is compertà fidelium innocentià, ratus eſt iis parcendum eſſe; ſic quoque imperante Antonino (c). D. Juſtinus ex Philoſopho Theologus Chriſtianus Romæ docens, Imperatorem (exhibito ipſi & Senatui Apologetico libro) deterruit à Chriſtianis cruciandis; tametſi non ipſius mandato, ſed ex ſententia potiùs Præſidum, & furore Gentilium nonnulli ſub eodem Cæſare (veluti & ipſe S. Teleſphorus Papa) martyrium paſſi legantur, ante nimirum à Juſtino habitam Apologiam. Ipſe namque Antoninus cognomento Pius, bonitate, amore & auctoritate Imperium, velut alter Salomon, perpetuà pace, nullo penitùs bello geſto continuavit annis viginti duobus & ultra; ſubindè illud Scipionis dictitans: Satius eſt unum civem conſervare, quàm mille hoſtes perdere: & principatum aiens non per ſeveritatem, ſed à clementia auſpicandum eſſe.

* potius 138.
(a)
(b)
(c) *S. Iuſtinus apologiam pro Chriſtianis ſcribit.*

800. Sub hoc itaque Imperatore pacifico, non tantùm Chriſti fideles feliciorem aſpiciebant ſtatum Eccleſiæ, ſed & Prophetici ſeu Eliani Ordinis florebat Inſtitutum Monaſticum; quod vetus Carmelitarum Religio à tempore magni Eliæ Prophetæ uſque in præſens, licèt variè temperatum, (d) hereditarià

Vetus Inſtitutum Eliæ Prophetæ, ſive Carmelitarum.
(d)

XXX. JAN. tariâ ſucceſſione, ut plures loquuntur Romani Pontifices, continuatum ſervat: quodque hoc etiam S. Teleſphori ſæculo non paucos utriuſque ſexus in variis mundi partibus ſectatores habuit, uſque adeò, ut ad ipſius quoque Ethnici Cæſaris Antonini aures ejuſdem vetuſtæ Religionis fama nomenque pervenerit. Eo namque tempore, quo viri doctrinâ ac ſcriptis illuſtres apud Imperatorem in pretio habebantur, (qui nihil inconſultis gravibus viris negotiorum peregiſſe memoratur) florebant Galenus medicorum Coryphæus, Proclus Philoſophus, Aulus Gellius, Balbinus, ac plures alii.

NOTÆ

EJUSDEM R. P. SEGERI PAULLI

in vitam S. Teleſphori.

Qui de S. Teleſphoro ſcripſerunt.

801. Vita hujus Pontificis breviter ſcripta reperitur in antiquo MS. Codice Carthuſiæ Colonienſis, item apud Petrum de Natalibus libro 2. cap. 46. Cornelium Gratium Carthuſianum Tomo 1. Petrum Ribadeneiram Soc. Jeſu: quibus inter alios auctores in hac vita conſcribenda uſi ſumus. Meminerunt porrò hujus quoque Teleſphori, Martyrologia Romanum, Bedæ, Uſuardi, Adonis, vetera manuſcripta ac recentiora omnia. Ejuſdem inſuper ex antiquis Scriptoribus mentionem faciunt Irenæus, Epiphanius, Euſebius, Optatus, Tertullianus, Auguſtinus, Nicephorus, & alii apud Baronium in Notis Martyrologii. Plures vide infra ad § 3.

S. Quadratus Epiſc. Athenienſ. Propheta Carmelita, ut plures alii.

(a) Quod hoc loco S. Quadratum Epiſcopum (de quo Martyrol. Rom. 26. Maii) Prophetam præ aliis appellemus, docuit nos Miltiades ſcriptor antiquus (qui an. Chriſti 193. floruit) apud Euſebium Cæſarienſem hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 16. ubi iſta leguntur: in eodem libro Prophetas novi Teſtamenti recitat, quibus Ammiam quendam, & Quadratum annumerat. Et poſt pauca prædictus Miltiades eundem Quadratum Athenienſem & Ammiam Philadelphienſem cum SS. Agabo, Juda, Sila, & Philippi filiabus novæ Legis Prophetis, recenſet: qui non ideircò tantum ſpecialitèr Prophetæ appellantur, quod prophetiæ dono ſeu ſpiritu prædití fuerint, nam & hoc multis aliis Sanctis temporibus iſtis commune fuit; ſed quam maximè quod Prophetici Ordinis ſectatores extiterint, cujus profeſſores olim Prophetarum filii, hoc eſt Diſcipuli, & a D. Hieronymo veteris Legis Monachi appellati leguntur. Et ideirco iidem, qui ſupra, Agabus, Iudas, Silas, & alii quidam a Palæonydoro, & Didaco de Coria in Annalibus ſuis exprèſſè inter Eliani ſeu Prophetici Ordinis viros recenſentur.

(b) De ſancto autem Ariſtide Philoſopho Chriſtiano, agit Romanum Martyrologium ad XXXI. diem Auguſti.

(c) De S. Iuſtino XIII. Aprilis.

Carmelitæ ab Elia deſcendunt.

(d) Hereditariam ſucceſſionem à tempore S. Eliæ, Carmelitanum Ordinem uſque in præſens retinere, ut in hoc 1. §. dicitur, teſtantur præter alios recentiores Romanos Pontifices, Sixtus IV. in Bulla quæ incipit, dum attenta meditatione, &c. data Romæ, Anno Chriſti 1476. 4. Kal. Decembris. Julius II. anno 1504. & Gregorius XIII. anno 1577. Qui omnes uno ore ſic prologuuntur poſt alia: Et inter cæteros Regularium Ordinum profeſſores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis ſpeculum & exemplar ſpeciali charitate fulgentes, ſanctorumque Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & Enoch, nec non & aliorum ſanctorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, ſucceſſionem hereditariam tenentes, &c. Sic illi: Noverint autem ſimpliciores, hæc lecturi, prædictum S. Enoch non illum eſſe qui dudum ante Eliæ tempora tranſlatus eſt, Geneſ. 5. ſed alterum longè juniorem, Ioannis Baptiſtæ & Chriſti Diſcipulum, qui poſtmodùm ab Apoſtolis Epiſcopus Nicopolis creatus eſt, de quo Palæonydorus lib. 2. cap. 2. Bibliotheca Tigurina * fol. 214. ubi Enochus de Anathim vocatur, & nos alibi de eo latius, in ejus vita ad 7. diem Iulii. *S. Enoch de Anathim 7. Iulii.* * *edit. an. 1583.*

Alios non paucos hujus Inſtituti Religioſos, quos eodem S. Teleſphori ſæculo floruiſſe, hoc §. primo diximus, nominatim recenſere, hæ Notæ non patiuntur: de quibus in Annalibus noſtris ad idem ſæculum, atque in vitis quorundam Sanctorum ſeorſim conſcribendis, latius agemus, ut inter alios, de ſancto Serapione, octavo Epiſcopo Antiocheno eruditione clariſſimo, qui ex Carmelitarum Ordine an. Chriſti 198. teſte Euſebio in Chronico ad ſedem illam ſublimatus eſt, cujus feſtivitatem annuam Carmeliticus ordo, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, veluti ejuſdem Ordinis Profeſſoris ad 30. diem Octobris (quo etiam in Romano Martyrol. annotatus cernitur) ſub duplici officio celebrat uſque in præſens. *S. Serapion Epiſc. Antioch. 30. Octob.*

§. II. S. Teleſphorus Carmelitanæ Religionis, hoc tempore Ethnicis quoque ſcriptoribus cognitæ, ſectator exiſtit.

802. Hic autem (a) Balbinus dum inter cæteros Imperatori familiaris eſſet, quandam ei inſcribens Epiſtolam, in hunc modum hujus, de qua loquimur, vetuſtæ Religionis montis Carmeli meminit dicens: Mons eſt nomine Carmelus, in quo vetus religio, & ſanctitas antiqua eſt: Elias illic ſacrificia ſemper Deo offerebat: apparent etiam & nunc veſtigia de ara ſacrificiorum. Sic ille: Et quidem aræ ac Oraculi hujus montis, conſequentèr autem & cultus religioſi, etiam ante hæc tempora, apud Ethnicos ſcriptores mentio habetur, ut apud (b) Cornelium Tacitum Equitem Romanũ an. Chriſti centeſimo decimo, & Suetonium Tranquillũ an. centeſimo vigeſimo, dum uterque Veſpaſiani Imperatoris res geſtas conſcribit. Cornelius ſiquidem in hunc modum: Eſt Iudæam inter Syriamquè Carmelus, ità vocant Montem, Deumque. Nec ſimulacrum Deo aut templum, (ſic tradidere majores) ara & reverentia: illic ſacrificanti Veſpaſiano, cum ſpes occultas verſaret animo, (c) Baſilides Sacerdos, inſpectis identidem extis. Quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane quod paras, ſeu domum extruere, ſeu prolatare agros, ſive ampliare ſervitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini, multum hominum. Hæc ille inter alia (d) Suetonii verò in Veſpaſiano, cap. 5. ubi agit de præſagiis & ſignis imperium ejus præcedentibus, ſunt iſta: Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum conſulentem ità confirmavère ſortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id eſſe proventurum pollicerentur. Ità Suetonius. Hoc verò Dei oraculum (inquit Baſilius Auguſſola, Theologus & orator Apoſtolicus) non fuiſſe Gentilium, qui ibi non commorabantur, certùm eſt, neque à Judæis, contra quos tanquam hoſtes procedebat,

(a) (b) (c) (d) *Veſpaſianus in Carmelo oraculum conſuluit.*

XXX. Jan. bat, petiiſſe eſt manifeſtum: undè reliquum eſt confirmari ibi Religioſos Carmelitas commoratos eſſe. De ſortium verò confirmatione loquitur Suetonius Gentilium more. Sic ille. Quod idem intellige de Cornelio Tacito, dum Baſiidem eodem Gentilium ritu ſacrificio intendiſſe falsò adſtruit: qui vir Catholicus, ſanctimoniâ præcipuus, & Carmeli Religioſorum Rector ſeu Abbas erat.

803. Porrò iſtorum Carmeli Montis Religioſorum multò clariùs, ac veriùs Suetonio, & Cornelio meminit Joſephus Antiochenus, qui ipſis proximè contemporaneus, & Catholicus ſcriptor floruit anno Chriſti centeſimo trigeſimo, in libro ſuo, quem inſcripſit, de perfecta militia primitivæ Eccleſiæ, capite XII. de quo mox infra. Omitto hic Philonem Judæum, S. Petro Apoſtolo contemporaneum, doctis viris ſat cognitum, plura de hujus inſtituti viris religioſis, ſub Eſſenorum nomine commemorantem. Similiter Chronicon, ſeu Hiſtoriam Romanorum antiquiſſimam, quæ luce clariùs præmiſſa confirmat, de qua alias. His propter incredulos quoſdam, & domeſticæ ignaros hiſtoriæ, præjactis neceſſariò fundamentis, ad Sancti, de quo agimus, Teleſphori Acta, tametſi brevia, ſermonem convertamus.

Eſſeni Religioſi.

804. Notæ (a) Balbini hujus, ad Antoninum Imperatorem Epiſtolæ meminerunt: Philippus Ribotus, lib. 3. de peculiaribus geſtis Carmelitarum cap. 5. qui claruit anno Chriſti 1395. Arnoldus Boſtius, in patronatu Mariano cap. 2. anno 1460. Joannes Palæonydorus lib 1 cap. 6. anno 1460. Didacus de Coria Dilucidarii Carmel lib. 1. cap 26. anno 1570. & alij. Porrò cùm de hoc Balbino, utique viro celebri, & notæ dignitatis, quis fuerit inquiro, occurrit MS. Indiculus Romanorum Pontificum, Liberij Papæ tempore ſcriptus, qui apud Patres Societatis Jeſu Antverpiæ extat; ex quo ſequentia deſcripta: Teleſphorus annis undecim, &c. Fuit temporibus Antonini Macrini à Conſulatu Titiani & Gallicani, uſque Cæſare & Balbino Hæc ibi. Potuit igitur hic Balbinus, (aliàs P. Cælius Balbinus Vibullus Pius, Baronio autem ad anno Chriſti CXXXIX. dumtaxat Vibullus Pius dictus) qui anno XX. Hadriani Imperatoris Conſulatum geſſiſſe fertur, poſtmodum Antonino Imperatori (qui Hadriano in Imperio ſucceſſit) prædictam ſcripſiſſe Epiſtolam. Sed hæc ex conjectura dicta ſunt, dum aliud certi de eo non habeo. Hoc tantum dico, Epiſtolam illam potius videri ſcriptam eſſe ad Antoninum primum ejus nominis, quàm ſecundum, tertium, aut quartum; partim quod ipſe Antoninus Imperator ab omnibus Auctoribus citatis ſemper abſolutè abſque cognomine ponatur; & hoc modo cum, exempli causâ, Gregorium Papam, aut Conſtantinum Imperatorem abſolute nominamus, potiùs ejus nominis primum quam alium intelligimus, partim etiam quod Balbini iſtius tempus cum hoc Antonino magis cohærere videatur. Si quis nihilominus adverſariorum urgeat, poſſe etiam intelligi Secundum, Tertium aut Quartum ejus nominis Antoninum; eſto: nihilominùs antiquitati Epiſtolæ hujus nihil derogabitur, cum omnes iſti Antonini intra ſexaginta dumtaxat annos vixerint. Nam ſecundus ejus nominis, cognomento Verus, Antonino Primo (qui Pius cognominatus eſt) ſucceſſit anno Chriſti * CLXIII. Tertius, cognomento Caracalla, Imperium iniit anno (a) CCCXIII. & Quartus, cognomento Heliogabalus, anno (b) CCXX. qui quadriennio tantum in Imperio ſpurciſſimam vitam egit. Vide Sebaſtianum Verronium lib 6. à cap. XVI. uſque ad XXV. Baronium in Annalibus &c.

Balbini de Carmeli Religioſis ſcribit.

* Imò 161. 6. Mart.
(a) 211. 4. Feb.
(b) 218. 7. Iul.

(b) Ad Cornelii Taciti auctoritatem quod attinet, illa dumtaxat ex eo Auctore Ethnico hic adduximus, quæ noſtro congruebant intento, aliàs ejus verba pleniùs diſcuſſuri in Hiſtoria Commemorationis ſolemnis B. V. Mariæ de Monte Carmeli, ad 16. diem Julii dum probabimus primum in orbe terrarum templum à Carmelitis Deiparæ Virgini in Monte Carmeli erectum & conſecratum eſſe anno Chriſti XXXVIII ipſa adhuc vivente, non autem 83. ut perperàm, & inverſo numero in Majori Ordinis ſpeculo legitur, unde liber D Joannis XLIV Jeroſolimorum Epiſcopi deſumptus eſt, & alii quidam errandi anſam cæperunt. Iterum de Cornelio Tacito mox infra.

D. Virgini viventi templum dicatum.

(c) Agunt de B. Baſilide Presbytero & Ordinis hujus Rectore, ſeu Abbate Montis Carmeli inter alios Didacus de Coria lib. 7. cap. 3 per totum, & fusè Petrus Thomas de Saracenis in Menol. par. 1. fol 77. uſque 81. ex quibus & aliunde ſatis patet Baſilidem hunc non Ethnicum & advenam, ſed Catholicum Sacerdotem, Carmeli incolam, virum ſanctum extitiſſe, nec Gentilium ritu, ſed Chriſtianorum more, per incruentum altaris Sacrificium, non diis Gentium, ſed Deo cœli viventi, idque in ara ac templo Deiparæ Virgini ſacro, præſente Veſpaſiano, ſacrificaſſe, quod contigit anno Chriſti 68 ipſo exordio belli Judaici, ante Urbis Hieroſolymæ excidium anno quinto. Vide Verronium in Nerone, licet Cornelius Tacitus Gentilis, in odium Chriſtianorum, & favorem gentis ſuæ, prædicta aliter accidiſſe mentiatur. Sane Tertullianus Vetuſtiſſimus, & celeberrimæ famæ vir (qui haud longè poſt Cornelium anno Chriſti 197. florebat) hæc de eodem in Apologet. cap. 15. At enim idem Cornelius Tacitus, ſanè ille mendaciorum loquaciſſimus, in eadem hiſtoria refert. Hæc Tertullianus. Et quid mirum ſi nos illum mendacii arguamus, dum negat templum in Carmelo, ſed aram tantum extitiſſe? reclamante expreſsè Joſepho Antiocheno, de quo infra. Plura de prædicto Baſilide dicenda occurrunt, cur ſcilicet illum Abbatem appellemus, & qualiter hiſtoria illa de oraculo Carmeli tunc ad Veſpaſianum facto, in antiquis monumentis & picturis reperiatur, &c. quæ prolixitatis vitandæ causâ in aliud tempus & locum differemus.

Tacitus mendax.

(d) *Ad citatum Suetonij locum ità commentatur Lævinus Torrentius:* Carmelum vocant Tacitus & Suetonius Deum qui ſine nomine eſt, & regnat in æternum. *Unde liquet ipſum quoque exiſtimaſſe ſacra illic Chriſtiana peracta. Tamen Paulus Oroſius lib 7. cap 9. ſcribit quibuſdam in Carmelo litteras ſimiles ſortibus, quæ prætenderent exortos è Iudæa duces rerum potituros fore, prædictumque ad ſe trahentes in rebellionem exarſiſſe. Niſi fortè etiam Chriſtianorum vaticinia illi ad rem ſuam traxerunt.*

§. III. Idem Teleſphorus Romanæ Eccleſiæ Pontifex creatur.

805. IS itaque natione Græcus, ex Orientis partibus ortus, Anachoreta Eliani ſive prophetici Carmelitarum Inſtituti, ex eorum numero unus fuit, de quibus (a) Joſephus Antiochenus vetuſtiſſimus Auctor, (a) eidem contemporaneus loco ſupra citato, ſcribit in hunc modum: Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum coadjutores ſurrexerunt, ſtrenuiſſimi viri ſolitarij, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei ſequaces: qui de Monte Carmeli deſcendentes, per Galilæam, Samariam & Palæſtinam, fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt;

Carmelitæ initio Eccleſiæ.

XXX. JAN. ſparſerunt, quique in Virginis Mariæ honore in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium, Salvatoris Matri ſpecialiſſimè ſervierunt. Hæc ille: Ab his, inquam, perfectis militibus Chriſti viriſque Apoſtolicis, Teleſphorus famâ ſanctitatis inclytus, præclariſque in omnes meritis ſpectatus, deſcendit. Et quidem ex Anachoreta ipſum ad Pontificatum aſſumptum eſſe, (b) Liber Pontificalis S. Damaſo Papæ inſcriptus, & jam olim ab Eccleſia receptus, apertè conteſtatur.

S. Teleſphorus Pontifex eligitur. Cùm ergo eximiâ vitæ ſanctimoniâ nedum Ordinem ſuum Propheticum exornaret, ſed & clariſſimis virtutum ac ſcientiarum radiis Romanam illuſtraret Eccleſiam, poſt dura Eremi certamina, ſummus in terra Chriſti Vicarius eſt factus. Nam poſt Sixti ejus nominis primi Pontificis ſanctiſſimi martyrium, quo is anno Chriſti centeſimo quadrageſimo ſecundo coronatus eſt, cum ceſſaſſet Epiſcopatus dies dumtaxat duos, S. Teleſphorus, qui ex Oriente religionis ergò jam antè Romam advenerat, unanimis omnium applauſibus atque ſuffragiis nonus in ordine ad ſacroſanctum illud ſummi ſacerdotii ſolium Petri evectus eſt ad octavum Aprilis diem. Fuere autem S. Teleſphori mores ſanctorum anteceſſorum Pontificum perſimiles, & omninò tales, quales ſacroſanctam decebant dignitatem.

806. NOTÆ (a) Hæc Joſephi Antiocheni in præſenti § adducta Auctoritas, ab omnibus penè tam antiquis quam modernis citatur pro Carmelitana Antiquitate ſcriptoribus, nam præter auctores ſuperiori §. memoratos Ribotum, Boſtium, Palæonydorum, Didacum, proferunt eandem Conſtitutiones Ordinis Carmelitarum à Sede Apoſtolica approbatæ part. 1. cap. 1. § 1. Joannes de Moumis in Speculo hiſtoriali cap 4 qui claruit an. 1 60 Bernardus Olerius, Generalis Ordinis ſui ad Urban VI. Pontificem Max an 13?8. Thomas Waldenſis celeberrimæ famæ Doctor & inſignis ſanctimoniæ vir, Doctrinalis fidei lib 4 art. ·.cap 27. an. 1420. Thomas Scropæus cognomento Bradley Epiſcopus Dromorenſis, lib ad Eugenium IV Papam an 1440. Baptiſta Mantuanus notiſſimus Doctor ac Poeta, in Apologetico ad Sigiſmundum Cardinalem, an. 1450. & plures alii etiam non domeſtici Ipſum autem Joſephum Antiochenum claruiſſe anno Chriſti 130. videri poterit in Bibliotheca Tigurina fol. 517 & apud Antonium Poſſevinum Soc Jeſu, in Appar ſacro.

S. Teleſphorus Carmelita. Fuiſſe verò S Teleſphorum Carmelitanæ Religionis Profeſſorem, partim antiqua illius Ordinis traditio, cum domeſticis ſcriptoribus, præſertim Didaco de Coria Theologo, lib 7. Dilucidarii ſui cap 11. teſtatur, partim etiam vetuſta Ordinis ejuſdem Breviaria ac MSS Pſalteria declarant, tum denique & exteri non minimæ famæ viri huic noſtræ aſſertioni ſubſcribunt, ut inter alios Carolus Tapia, nono § citatus, de quo Philippus Metius Straubingenſis, ſuperioris Germaniæ Carmelita, lib. de vitis illuſtriorum aliquot Ordin Carmelitarum cap 2. S. Teleſphorus Papa, natione Græcus, fuit Monachus Inſtituti Carmelitani, ut teſtatur Carolus Tapia in ſua Chronica: Hic poſt multa ſalubria in Eccleſia decreta, & vitam ſanctiſſimè tranſactam, cum ſediſſet annis undecim, menſes tres, Romæ pro fide Chriſti martyrium ſubiit anno 154. ſepultus in Vaticano juxta corpus S Petri. Ex Archivo Carmelitar. Hæc Philippus Metius qui ſuprà. Ejuſdem etiam Caroli Tapiæ mentionem facit Dominicus Gravina, Ordinis Prædicatorum in voce Turturis par. 2. cap 15. dum ait. Cardineâ vero, & Epiſcopali dignitate (in Carmelitarum Ordine) fulgentes multos recenſet Carolus Tapia, Regens ſupremi Concilii, vir doctiſſimus & religioſiſſimus, lib de Relig. & alii ſcriptores. Hæc Gravina Dominicanus. Accedit Joannes Carthagena Minorita, eodem 9 ſive ultimo §. allegatus, qui ait: Sed & his non contentus, alios non minus inſignes Sanctos nunc commemorabo. Hi ſunt S. Teleſphorus, S. Dionyſius, Papæ, qui fuerunt primi, qui ex Monachis aſſumpti ſunt ad Pontificatum. S. Anaſtaſius Perſa Martyr; S. Benedictus Papa & martyr. De quibus omnibus, tanquam de palmitibus vineæ Carmeli, Apoſtolicâ auctoritate fit officium in Ordine Carmelitarum, & appoſiti ſunt in Kalendario & Breviario ſub nomine Carmelitarum. Hæc Carthagena inter plura alia.

Ante Pontificatum Anachoreta. (b) Sunt prætereà in præſenti § tertiò notanda verba illa Pontificalis Romani: Teleſphorus natione Græcus, ex Anachoreta, factus ſcilicet Pontifex Nam non ex patre Anachoretâ, ut Platina, & Onuphrius non rectè explicant, quaſi pater ſeu genitor ejus Anachoreta vocatus fuerit, ſed ex Anachoreta, hoc eſt, qui ante Pontificatum Anachoreticam ſeu Eremiticam vitam duxerit. Sanctus enim Damaſus Papa, cui idem liber Pontificalis inſcribitur, ſi tamen is auctor eſt, nec ullam quidem Parentis Teleſphori mentionem facit, cum nihilominùs in aliis Pontificibus, quorum progenies ipſi innotuit, ſemper illam voculam, ex patre, addere ſoleat exempli cauſa: Linus natione Italus, patre Herculano. Cletus natione Romanus, patre Æmiliano: Clemens natione Romanus, ex patre Fauſto; Anacletus natione Græcus, ex patre Antiocho Hæc ibi: & ſic deinceps. Dum autem ſummorum Pontificum genealogiam, ſeu patris nomen invenire nequit, ſtatum ſeu conditionem eorum addere ſolet, ut in Dionyſio: Dionyſius ex Monacho, cujus generationem invenire non potuimus: in Hyginio, Teleſphori immediato ſucceſſore: Hyginius natione Græcus, ex Philoſopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni. Quod ſimilitèr in Sixto, *Dionyſii* prædeceſſore reperit dicens: Sixtus natione Græcus, ex Philoſopho de Athenis Quod ſi illa Platinæ & Onuphrii explicatio valeret, jam æquali ratione Hyginum & Sixtum ex patre Philoſopho, ac Dionyſium ex patre Monacho (hoc eſt quorum parentes Philoſophi, vel Monachi fuerint, vel appellati ſint) natos diceremus; quod & ridiculum videtur, & communi Patrum ac ſcriptorum interpretationi repugnat. Siquidem nec apud Baronium vox illa (ex patre) addita reperitur, nec apud alios recentiores Auctores interpretatio iſta locum habet, ſed illa potius quam nos dedimus.

§. IV. Quadrageſimam collapſam inſtaurat: Clero ſeptem hebdomadarum abſtinentiam à carnibus præſcribit.

807 PORrò cùm propagandæ, ſtabiliendæ, ac ornandæ Eccleſiæ vigilantiſſimus intenderet ac præſideret Paſtor, plura utilia in ea ſancivit decreta. Congregato namque Epiſcoporum concilio, ſtatuit primò ut ſeptem plenis hebdomadibus ante Paſcha Clerici omnes à carne & deliciis jejunent. Sic enim ejus ſuper hoc ſtatuto ſonat decretalis Epiſtolæ tenor: (a) Quapropter cognoſcite (inquit) à nobis & à cunctis Epiſc. in hac ſancta & Apoſtolica Sede congregatis ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes clerici in ſorte Domini vocati à carne jejunent, quia ſicut diſcreta eſſe debet vita Clericorum à Laicorum converſatione, ità & in jejunio debet fieri diſcretio. Et infra: Et ſicut hi amplius ſunt applicati Divinis culti- (a) *7 Hebdomadas jubet Clericos carnibus abſtinere.*

XXX. JAN.

cultibus, & familiares Domini dicuntur Salvatoris, ità moribus & converſatione atque ſanctitate debent eſſe diſtincti. Has ergo ſeptem hebdomadas omnes Clerici à carne & delitiis jejunent; & hymnis & vigiliis atque orationibus Domino inhærere diu noctuque ſtudeant.

Quadrageſimale jejunium lege ſancit. Præthereà quadrageſimale jejunium tàm Clericis quàm Laicis commune, quod ab Apoſtolica quidem inſtitutione manavit, cùm fideles traditione dumtaxat ſervarent, atque de ejus obſervantia diverſa eſſet conſuetudo Eccleſiarum; nec non ob perſecutionis acerbitatem multis in locis negligeretur; idem Sacer Pontifex primus editâ conſtitutione Apoſtolicâ, perpetuò ſtabilivit. Nam ipſam Quadrageſimalis Jejunii obſervantiam, ante Teleſphori tempora S. Ignatius Epiſcopus & martyr Apoſtolorum temporibus, ſcribens ad Philippenſes, ſuadet in hunc modum: Quadrageſimale jejunium ne ſpernatis; continet enim exemplum converſationis Dominicæ. Sic ille: Ut interim omittamus Apoſtolicum Canonem ſexageſimum octavum idipſum præſcribentem. Igitur hoc jejunium ſacrum S. Teleſphorus tàm exemplo, quàm doctrinâ, ritu ſanctiſſimo ità confirmavit, & obſervandum decrevit, ut Laicis omnibus quadraginta Jejuniorum dies ſufficerent, Clerici autem ob rationem dictam ad ſeptem hebdomadas plenas idem jejunium extenderent.

Notatio. (a) Referuntur hæc in decret. cap. ſtatuimus diſt. 4.

§. V. Tres Miſſas in Nativitate Domini celebrandas, & hymnum, Angelicum, Gloria in excelſis, ac ſacrum Euangelium in Miſſa recitandum decernit.

3. Miſſas in Nativitate. 808. Inſupèr, quantum ad Miſſarum ſolemnia inſtituit primò S. Teleſphorus ut in ſacra nocte Nativitatis Domini tres celebrentur Miſſæ; Prima in pullorum ſeu galli cantu, jam nocte media proximante, quandò Chriſtus in Bethlehem naſci dignatus eſt. Secunda, illuceſcente Aurorâ, quandò in cunabulis à paſtoribus adoratus eſt. Tertia in ipſa hora diei tertia, quandò illuxit nobis dies Redemptionis noſtræ.

Et Gloria in excelſis. In his deindè, atque aliis Miſſarum ſolemniis, hymnum Angelicum Gloria in excelſis Deo, decantari præcepit dicens: Nocte verò ſancta Nativitatis Domini Salvatoris Miſſas celebrent, & hymnum Angelicum in eis ſolemnitèr decantent. Et infrà: ab Epiſcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore & loco in Miſſarum ſolemniis celebrandus eſt, atque ſolemnitèr recitandus. Ad hæc *Euangelium.* quoque ſtatuit, ut ſanctum Chriſti Euangelium in Miſſa ante Canonem, veluti & prædictus Angelicus hymnus pronuntiaretur.

Denique, ut extra noctem Natalis Domini, ante horam diei Tertiam Miſſæ non celebrentur, inſtituit, ſubſequenti tenore: Reliquis etiam temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei Tertiam minimè ſunt celebrandæ, quia & eadem hora Chriſtus crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendiſſe legitur. *Miſſæ ſolemnes ante Tertiam non fiant.* Hæc tamen notant quidam accipienda eſſe de his, quæ frequentiori uſu in Eccleſia ſervarentur, cum alioquin multis conſtet exemplis, in ſacris vigiliis noctu ſacrificium offerri conſueviſſe. Attamen adhuc temporibus noſtris Sacrum ſolemne, quod conventuale dicimus, apud Religioſos præſertim Ordines, ante horam diei Tertiam (quæ nobis nona eſt) communitèr, juxta eandem S. Teleſphori conſtitutionem, non celebratur.

§. VI. Alia multa præſcribit documenta.

809. Quantum verò ad reliqua utiliſſima beati Pontificis documenta, quæ pro Chriſti fidelium inſtructione in præmemorata Decretali ſcribit Epiſtola, quæque indè veluti è fonte uberiùs, qui volet, haurire poterit, hæc pauca in præſenti annotaſſe ſufficiat. *Varia utilitèr à Teleſphoro ſtatuta.* Statuit namque in primis Epiſcopos ac Dei Sacerdotes à nullo ſæcularium arguendos, accuſandos, ſeu quibuslibet machinationibus maculandos eſſe. Adhæc alienum ſervum, ſeu proximum noſtrum non temerè eſſe judicandum. Adjungit deinde, qui & quales in judicio accuſatores admittendi ſint. Multis prætereà Divinæ ſcripturæ teſtimoniis malitiam inſidiatorum ſeu accuſatorum Dei ſervorum demonſtrat: Ac ſalubri tandem exhortatione omnes admonens, hanc inter alias, ad reſiſtendum diaboli inſidiis, congruam ſub finem ejuſdem Epiſtolæ ſuæ adducit ſententiam dicens: Tales enim membra ſunt diaboli, qui ſurſum atque deorſum pervolans, quærit quos poſſit occidere, quos poſſit ſeparare, quos poſſit devorare. Propter quam rem vigilandum eſt, & armis cœleſtibus ſumus muniendi, ne in ejus compedes incidamus, aut ejus foveis illaqueemur.

§. VII. Sollicitam Eccleſiæ curam gerens, Teleſphorus, per diverſas orbis partes Divini verbi præcones mittit.

810. Verumtamen, ut nedum ſcripto & doctrina per ſemetipſum, ſed & per idoneos miniſtros commiſſum ſibi Eccleſiæ ovile fideliſſimus Paſtor quaquaverſum per orbem terrarum ſtudioſè curaret, & Euangelicæ doctrinæ pabulo eſurientes oves paſceret, errantes ſeu devias Dominicis humeris reimponeret, triginta tres, juxta annorum Chriſti numerum, ex omni ſelegit fidelium multitudine viros, vitâ ac doctrinâ ſpectatos; quos juxta illud Magiſtri ſui, Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, ad ſimile Euangelici muneris officium ſelegit. *Varios ordinat & ad prædicandū mittit.* Ex his autem in quatuor à ſe habitis ordinationibus Epiſcopos creavit tredecim, preſbyteros duodecim, & Dia-

& Diaconos octo; prout in Pontificali Romano his verbis ſcriptum reperitur: Hic fecit ordinationes quatuor per menſem Decembrem, Preſbyteros XII. Diaconos VIII. Epiſcopos per diverſa loca XIII. Et hos quidem Epiſcopos in diverſas, ut dictum, miſit orbis terræ Provincias, Preſbyteros verò & Diaconos in Romanæ urbis & vicinarum partium adhibuit miniſterium. Recenſeri etenim idcircò ſolent in ſingulis Romanis Pontificibus non ſolum ordinationes Clericorum, qui Eccleſiæ Romanæ uſui eſſent, ſed & Epiſcoporum, qui in diverſas, longèque diſſitas Provincias mitterentur: ut vel ex his etiam perſpicuum reddatur, fuiſſe muneris Romanorum Pontificum, non ſolum urbis, ſed & orbis totius Eccleſiæ conſulere.

§. VIII. Valentino & Marcioni hæreſiarchis, ſuis temporibus exortis, cum cæteris Apoſtolicis viris fortitèr reſiſtit.

811. Conſuluit ſanè Teleſphorus Eccleſiæ, modo jam dicto: & non hoc ſolum, verùm etiam cùm adverteret ſuo tempore impiam inter Chriſti fideles diſſeminari hæreſin Valentinianam, quæ tam in Chriſtum Dei filium, quàm in Matrem ejus benedictam blaſphema erat; Apoſtolico armatus zelo, eam debellare aggreſſus eſt, ipſamque anathematis fulmine damnavit. Hic quippè Valentinus hæreſiarcha, Platonicus ſectator, Antonino imperante ac B. Teleſphoro quartum in Pontificatu annum agente, inter alia dogmata perverſa docere cœpit Chriſtum Salvatorem noſtrum, ſic quidem de Virgine natum, ut ex ea tamen nihil carnis acceperit, ſed per ipſam velut per canalem ſeu fiſtulam tranſierit, carnemque de cœlo ſecum devexerit. Negabat & Reſurrectionem ejuſdem carnis, ſed aliud eſſe ex alio corpus componendum, imò nec omniū eſſe reſurrectionē. Addebat Deum creatorem temporis habuiſſe initium: & his ſimilia. Prodiit inſupèr ejuſdem Pontificis Teleſphori quinto, ex quo ſedere cœpit, anno, teſte Tertulliano, Marcion itidem Hæreſiarcha, Stoicorum ſcholæ Philoſophus, Cerdonis diſcipulus, qui uti & Magiſter ſuus, duos ponebat Deos ſibi contrarios, quorum alter bonus, malus alter eſſet; unus veteris auctor legis, alius novæ; à malo Deo mundum creatum eſſe, à bono reſtitutum ac redemptum. Reſpuebat ipſe vetus Teſtamentum tanquam à malo Deo prolatum, novum verò pro libitu ſuo mutilabat, aliaque abſurda multa & damnata ſuperaddebat dogmata; ipſum nimirum diabolum Deum faciens: ut non immeritò S. Polycarpus D. Joannis Apoſtoli diſcipulus, ipſum (ut B. Irenæus atteſtatur) primogenitum ſatanæ nuncupaverit.

Valentini & Marcionis hæreſis.

Per hos igitur Valentinum ac Marcionem hæreſiarchas eorumque diſcipulos, Catholica Eccleſia miris vexata preſſuris, longèque moleſtiùs ac periculoſiùs horum circumventa dogmatibus quàm gentilium perſequentium exagitata cladibus, diruta fermè atque convulſa fuiſſet, niſi ſuper firmam Petram fundata, atque in Petro (ejuſque temporibus iſtis ſucceſſore Teleſphoro) Chriſti promiſſionibus ſtabilita, omnibus hoſtium, & adverſantium poteſtatum ictibus fortior atque ſolidior, ſemper inconcuſſa manſiſſet. Hic nempè Pontifex ſacerrimus, cæterique quos ea tulit ætas, Apoſtolici viri, pro veritate tuenda, adverſus tantam impoſtorum colluviem, egregiam navarunt operam. Factumque hinc eſt, ut magiſtrâ veritate, hæretica improbitas, ac probitas Catholica, ſingulæ ſuis diſtinctæ characteribus, agnoſcerentur, & illa quidem condemnaretur; hæc autem commendaretur.

His reſiſtit S. Teleſphorus.

§. IX. Illuſtri coronatur martyrio, & annua ejus celebratur feſtivitas.

812. Tandem verò bonorum operum gloriâ clariſſimus Pontifex, cum ſediſſet annos undecim, menſes novem, triduo minùs, felici cruore aſperſus, ad cœleſtem patriam magno bonorum omnium gemitu, cum palma migravit martyrii anno Chriſti centeſimo quinquageſimo quarto, (a) Nonis Januarii: ſepultuſque eſt in Vaticano, juxta corpus B. Petri Principis Apoſtolorum. Ejus porrò cum illuſtris martyrii, tum pro Eccleſia impenſi ſtudii, Romanum Martyrologium ad quintum diem Januarii meminit in hunc modum: Romæ, S. Teleſphori Papæ, qui ſub Antonino Pio, poſt multos labores pro Chriſti confeſſione illuſtre Martyrium duxit. Sed & D. Irenæus de eodem: Glorioſiſſimè (inquit) martyrium fecit. Tertullianus etiam, in poëmate contra Marcionem, à ſe, cum eſſet junior, ſcripto, de eodem his verſibus:

Martyrium ſubit. (a)

Poſt expleta ſui qui luſtri tempora, tradit
Teleſphoro: excellens hic erat, Martyrque fidelis.

Memoria autem ejus anniverſaria non tantum in tabulis Eccleſiaſticis Martyrologii Romani, ut jam vidimus, notata reperitur, ſed & Clemens octavus Pontifex Maximus, hoc noſtro ſæculo, videlicet anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, ipſum Romano Breviario, à ſe reformato inſeruit: tametſi etiam Carmelitarum Ordo ante illa tempora ab antiquo ejus feſtivitatem annuam quinto die Januarii celebraverit; quo die ipſum in antiquis manuſcriptis Pſalteriis Carmelitarū annotatum vidimus. Quod proindè jure optimo pro ſtabilienda Carmelitana antiquitate notavit vir eruditus Joan. de Carthagena Ordinis S. Franciſci in Homiliis ſuis ſuper feſto Commemorationis ſolemnis B. Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli. Sed & ante ipſum Carolus Tapia ſupremi Concilii Regens, vir religioſiſſimus, paritèrque doctiſſimus lib. de Relig. eundem S. Teleſph. Carmelitæ adſcribit Religioni.

NOTATIO. (a) *Græci eum colunt XXII. Febr. ut patet ex Menæ.*

FE-

FEBRVARIVS

II. FEBRUARII.

DE FESTO PVRIFICATIONIS Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ.

Purificationis feſtum etiam nuncupatum Hypapante & aliis nominibus.

813. *Illud Græcè nuncupatur* Hypapante, *ſeu* Hypante, *id eſt*, Occurſus, *ab Occurſu, ſeu Obviatione, tunc à S. Simeone, ſene, & Anna vidua facta Puerulo Chriſto Domino: & ideò quandoq; etiam dictum fuit* feſtum Simeonis & Annæ. *Subindè etiam dictum fuit:* Præſentatio Domini, *quia tunc in templo fuit præſentatus: &* Candelaria, *nec non,* Sancta lumina, *à candelis & luminibus, quæ in proceſſione deferuntur. In eo habita fuit celebris Homilia à S. Methodio, primùm Pataræ in Lycia, ac deindè Tyri in Phœnicia Epiſcopi, cui titulus præfixus eſt:* Methodii Epiſcopi Patarenſis & Martyris, de Simeone & Anna, quô die Domino in templo occurrerunt, & de ſancta Deipara. *Hinc liquet, hoc feſtum non fuiſſe inſtitutum circa Iuſtiniani Imperatoris tempora (ut aliqui putárunt) ſed longè ante; cum S. Methodius hic ſeculis aliquot præceſſerit; ſicut rectè notant Poſſevinus in Apparatu* (a): *Colvenerius, in Kalendario Mariano & Bollandus ac Henſchenius in Actis Sanctorum* (b): *& quidem hi ex Patribus eruunt, ab tota Eccleſia celebratam eam ſolemnitatem. In illa autem Homilia S. Methodius peculiariter agit de ipſius Virginis Deiparæ puritate: quam propheticè præcognitam fuiſſe à S. Propheta Elia; & ipſum, ejuſq; diſcipulos Virginem illam imitatos in obſervantia vitæ virginalis tradit ibidem illis verbis:* Puritatis etiam tuæ Elias Propheta præſcius, atque imitator in ſpiritu, &c.

celebratum ab universa Eccleſia:

(a) verbò Methodius.

(b) ad diem 2. Februar.

de eo inſignis extat homilia S. Methodij.

814. *Peculiariter hic animadvertendum eſt, quòd myſteria pleraque Chriſti Redemptoris noſtri, & SS. Matris ejus peracta ſint in vicinia locorum, aut in ipſis locis, ubi olim præfati SS. Prophetæ Elias, & Eliſeus, ac Filii Prophetarum, eorumq; poſteri habitarunt: imprimis Annuntiatio Angelica, & Verbi Divini Incarnatio in Nazareth vicina Carmelo Carmelitani Ordinis loco originario, undè & nomen quoque habet: ſolemnitas ejuſdem Virginis cognatam Elizabetham viſitantis, in Montanis Iudææ, ubi olim fuiſſe Ordinis hujus Conventum, traditur in Annalibus Ordinis* (c). *Nativitas, Circumciſio, Regum, ſeu Magorum adventus, & myſteria tunc peracta, quæ Eccleſia tunc celebrat feſtô Epiphaniæ, facta ſunt in Bethleem, circa quod fuerunt manſiones Filiorum Prophetarum, Eſſenorum, & aliorum ſucceſſorum Monachorum, ſicut habetur ex ſuprà dictis* (d). *Baptiſmus factus eſt in Iordane, circa quem S. Eliſeus, & Filii Prophetarum ædificabant caſulas* (e). *Iejunium 40. dierum, in deſerto, exinde nuncupato Quarantena, etiam manſionibus præfatorum vicino. Transfigurationis myſterium peractum fuit in monte Thabor, non longè diſſito à Nazareth, juxtà Brocardum, parte 1. cap. 6. §. 11. ubi etiam olim fuit Monaſterium S. Eliæ. Paſſione autem, morte, & reſurrectione Chriſti decorata fuit Ieroſolyma: ubi etiam SS. Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum, & Spiritus ſanctus venit ad Apoſtolos, in loco vicino habitaculo Filiorum Prophetarum, ſicut perſpicere licebit Tomo præcedenti, variis locis* (a). *Etiam ipſa B.^ma Virgo Maria nata fuit (ut varii tradunt) Ieroſolymis in loco, dicto* Porta aurea, *ubi antiquiſſimus fuit Ordinis Conventus, à primordiis Eccleſiæ, de quo ſæpiùs Tomo præcedenti* (b): *aut, ut alii referunt, in Nazareth vicina Carmelo; id omninò certum, eam ibi annis plurimis habitaſſe, tum cum ſuis parentibus, tum cum ſponſo S. Ioſepho, & filio ſuo Ieſu: quòd intereà Carmelum inviſerit, & Carmeli incolæ Religioſi ejus familiaritate, & colloquiô fruiti fuerint, dicetur infrà, ad diem XVI. Iulii. Hinc meritò peculiari devotionis affectu, myſteria, & feſta præfata à Carmelitis cunctis recolenda ſunt.*

Myſteria pleraque Chriſti, & Deiparæ contigerunt in locis, aut vicinia, ubi Carmeli Ordinis Manſiones.

(c) ad an. 1141. vide tomo præced. n. 861.

(d) n. 282.

(e) Ibid.

(a) n. 202. & n. 778. & ſeq.

(b) n. 687. & 690 & 772. ac ſeqq.

815. *Notandum quoque, quòd in hoc Ordine, dicato ipſi Beatiſſimæ Virgini Mariæ, & ab ea intitulato (ſicut videre licebit ad diem XVI. Iulii) feſta omnia ipſius, nec non ſanctiſſimi ſponſi Ioſephi, & SS. Ioachim & Annæ olim, & nunc peculiari devotione ſolemnizantur, ſicut declarabitur in ſequentibus, ad ſingula illa feſta. Et quidem quoad feſta ipſius* SS. *Virginis, etiam eorum vigiliis jejuniô, diſciplinâ, & proceſſione colenda præſcribuntur in Conſtitutionibus Ordinis* (c): Statuimus, quòd fratres noſtri jejunent . . . in ſingulis diebus præcedentibus quodlibet feſtum B. V. Mariæ: *& in Conſtitutionibus ſtrictioris obſervantiæ* (d): Sciant etiam Fratres, per anni circulum hæc eis injungi jejunia, nimirum in Vigiliis, Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annuntiationis, Dedicationis S. Mariæ ad nives, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptiônis, & ſolemnis Commemorationis B. V. M. Patronæ noſtræ &c. *Et* (e): Quiſque præterea ſuum ex funiculis compoſitum flagellum habeat, ad accipiendas per ſeipſum diſciplinas; Primò quidem poſt matutinum ſingulis ſextis feriis per annum. *Et poſt alios recenſitos dies, ac tempora:* Item in Vigiliis B. Mariæ Virginis per annum, *nullâ ſcilicet exceptâ.*

Feſta omnia B. Virginis Mariæ peculiari devotione ſolemnizantur in Ordine Carmeli.

(c) Romæ impreſ. an. 1625.

(d) part. 1. c. 4. n. 1.

(e) p. 1. c. 9. n. 14.

816. *Hinc Summi Pontifices multi pro hoc feſto Purificationis, atque etiam pro aliis ſpeciales conceſſerunt Indulgentias viſitantibus Eccleſias hujus Ordinis: ita quidem Leo Papa Quartus circa*

XI. FEBR. *annum Chriſti* 817. Omnibus Chriſti fidelibus, qui Eccleſias B. Mariæ de monte Carmelo hujuſmodi in feſtis, Aſſumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis ejuſdem Beatæ Dei genitricis Mariæ, &c. dicti Ordinis devotè viſitarent, ſeptem annos, & totidem Quadragenas. *Adrianus II. Stephanus V. Clemens III. nec non Clemens IV. Innocentius IV. & alii plures, iiſdem feſtivitatibus Indulgentiam tertiæ partis omnium peccatorum (id eſt, relaxationem pœnæ pro illis debitæ) omnibus Chriſti fidelibus conceſſerunt. Clemens IV. in eiſdem feſtivitatibus Chriſti fidelibus prædictas Eccleſias viſitantibus triginta annos, & totidem quadragenas conceſſit. Indulgentiæ illæ referuntur, atque etiam confirmantur à Sixto IV. in bulla:* Dum attentâ meditatione, *data anno Domini* 1474. *Kalendis Aprilis: Iulio II. in Bulla:* Ad ſacrum Ordinem, *data anno* 1504. *duodecimò Kalendas Maji: & Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit:* Ut laudes, *data anno* 1577. *die XVIII. Septembris. Bulla illa habetur in Bullario Emmanuelis Roderici* (a). *Præfatus Sixtus IV. & Iulius II. in prædictis ſuis Bullis, etiam iſta habent:* Et quoniam inter ſanctorum & ſanctarum ſolemnia glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ ſolemnitates & feſta numerò ſeptem, videlicet, Annuntiationem, Viſitationem, Aſſumptionem, Nativitatem, Conceptionem, Præſentationem, & Purificationem: ac ea, quæ in honorem ſui nominis dedicata ſunt loca: eò ſolemniùs à Chriſti fidelibus convenit venerari, . . . Idcircò affectantes, ut omnes & ſingulæ Eccleſiæ, in honore, & ſub invocatione nominis ejuſdem glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ de monte Carmeli per univerſum orbem fundatæ, & conſtructæ: ac deinceps, quæ, divinâ annuente clementiâ, ædificabuntur & conſtruentur, congruâ devotione à Chriſti fidelibus venerentur: . . . quò ex hoc ibidem, donô cœleſtis gratiæ, uberiùs conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia: ac præfatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi: omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis: qui in Conceptionis, Præſentationis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Viſitationis, & Aſſumptionis dictæ glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ feſtivitatibus, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum feſtivitatum hujuſmodi dicti Ordinis de monte Carmeli per dictas Eccleſias ubilibet conſtitutas: nec non per ſeptem dies prædictas feſtivitates immediatè ſequentes: ac etiam in diebus vocabulorum earundem Eccleſiarum devotè viſitaverint annuatim, . . . triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuò valituris. *Innocentius VIII. in Diplomate, cujus initium eſt:* Dum attentâ meditatione penſamus, *dato Romæ an.* 1484 *in feſtivitatibus B. Virg. Mariæ, ſimiles conceſſit Indulgentias, his terminis:* Ut ob ejuſdem Virginis reverentiam, Ordo ipſe à Chriſti fidelibus meritò perampliùs veneraretur, ipſique fideles propterea ejuſdem Virginis Mariæ adjuti ſuffragiis, æternæ retributionis præmia faciliùs conſequi mererentur. . . De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate, confiſi, omnibus utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in Conceptionis, Præſentationis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Viſitationis, & Aſſumptionis dictæ glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ feſtivitatibus à primis veſperis uſque ad occaſum Solis dierum Feſtivitatũ hujuſmodi dicti Ord. de monte Carmelo Eccleſias prædictas ubilibet conſtitutas . . . devotè viſitaverint annuatim &c. . . . qualibet dictarum Feſtivitatum & dierum triginta annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer de ſpecialis dono gratiæ in Domino relaxamus, præſentibus perpetuò valituris &c. *De Indulgentiis aliis in Feſto Purificationis videri poterit in Rever. P. Theodori Straiti, Inſtructione de Indulgentiis cap.* 18.

Vide Romani Pont. Indulg. multas pro iis conceſſerunt.

(a) ultimæ edit. Antv.

817. *Præfati Pontifices nonnulli quod præſcripſerant* de manibus adjutricibus, *ſeu eleemoſyna danda: id Gregorius XIII. in Bulla:* Ut laudes *mutavit in alia pia opera nempè: quod debeant primò viſitando aliquam noſtram Eccleſiam, eſſe contriti, & confeſſi; ſecundò, vel ſepties orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, vel Veſperas pro defunctis recitare, aut ante Sanctiſſ.* D. N. *Corpus terram exoſculari, aut ſi fuerint confratres, habitum noſtri Ordinis geſtare: tertiò, debent pias ad Deum effundere preces, pro hæreſum extirpatione,* S. *Matris Eccleſiæ tranquillitate, & Principum Chriſtianorum pace, & unione. Pro obtinenda Indulgentia plenaria debet etiam fieri communio.*

Conditiones requiſita, ad lucrandas Indulg. præfatas.

818. *Motivum Sum. Pont. & cauſam tàm propenſi affectus, ac munificentiæ erga hunc Ordinem, exprimunt Sixtus IV. Iulius II. Innocentius VIII. in Bullis Indulg. Ordini huic conceſſarum: & indè ſic paucis traditur in antiquo Speculo Ordinis Venetiis excuſo an.* 1507. *ubi (inter cætera) iſta:* (a) Dum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina Cœlorum, Virgo Dei Genitrix glorioſa, ſedibus Prælata ſideris, quaſi ſtella matutina prærutilat, Romani Pont. devotæ conſiderationis animô perſcrutantur ... Dignum potiùs, imò debitum reputantes, ut Eccleſias, & domos Fratrum, ſeu devotorum filiorum ejuſdem miſericordiæ Matris de Carmelo, in honore ſui nominis ſpecialiter fundatas, gratioſis remiſſionũ proſequantur ſtipendiis, & Indulg. honorent muneribus: quò ſic in filiis ſpiritualiter dotatis, humillimæ Matris quodammodò decoretur fœcunditas præclariſſima.

Motivum Sum. Pont. largiendi Indulgentias Ord. Carm. in feſtis Deiparæ Virginis.

(a) Fol. 64.

819. *Cauſa etiã propenſioris iſtius affectûs Rom. Pont. in hunc Ord. fuerunt illis facta variæ apparitiones, & juſſiones ipſius SS. V. Mariæ, monentis & mandantis, ſeu peculiariter moventis, ad impendendum favorem huic ſuo Ordini: de quibus tomo præcedenti ſæpiùs variis locis, hîc ad marginem notatis* (b) *Indulgentiam plenariam pro hac die conceſſit SS. D. N. Clemens X.*

(b) Tom. præced. n. 798. & 1030 1494. 1502. 1593. & ſeq & 1742 & ſeq & 2163. 2187. vide etiam num. 470. 474. & 477.

VITA

IV. FEBRUARII.

VITA S. ANDREÆ CORSINI EPISCOPI FESVLANI,

Beatiſsimæ Virgini Mariæ dicati antequàm nati: ſingularibus deinde ab ea chariſmatibus delibuti.

PROLEGOMENA.

§. I. *Teſtimonia divina Sanctitatis ejus: Scriptores vitæ: tempus Epiſcopatus: à quibus dictus:* PRÆSULUM ABSOLUTISSIMUM EXEMPLAR.

Sterilibus à parentibus ortus beneficiò Deiparæ.

820. *CArmeli Religio, Virginis Deiparæ titulô, & patronatu inſignis, tres, inter cæteros, veneratur Sanctos, Virginis ipſius beneficiô, ex parentibus ſterilibus natos, atque per eam inter Carmeli lilia inſertos, & in ſummo Carmeli vertice educatos, ac denique inter cæleſtes deliciarum hortos tranſlatos, atque viciſſim correlativo filiali amore eidem devotiſſimos. Primus eſt S. Angelus Ieroſolymitanus, Martyr, de quo hic infrà ad diem 5. Maji: ſecundus S. Albertus Siculus, cujus vita ſubſequitur ad diem 7. Auguſti: tertius verò S. Andreas Corſinus: & de illo hic agetur: qui ad diem VI. Ianuarii Martyrologio Romano, juſſu Vrbani VIII. an. Chriſti 1630. aucto, & recognito, adſcriptus eſt his verbis:* Florentiæ S. Andreæ Corſini, Florentini, Carmelitæ, Epiſcopi Feſulani, quem miraculis clarum Urbanus VIII. in Sanctorum numerum retulit.

821. *Quoad ſanctitatis ejus teſtimonia alia, adeò luculenta ſunt Summi Pontificis, Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, ac aliorum Præſulum, pro ejus canonizatione, ſcriptò expreſſorum, quæ hîc infrà ſequuntur, ut haud opus ſit alia quærere humana; præſertim ubi etiam adſunt tam multa divina. Nativitas ex ſterilibus parentibus: ſubitanea quaſi ex lupo in agnum tranſmutatio: cæleſtes apparitiones Deiparæ ipſum* ſuum ſervum, in quo glorificatur, *nominantis, ac ſub finem vitæ, diem obitus prænuntiantis, & ad cæleſtia gaudia invitantis: mirabilis, & divina electio ad Epiſcopatum: miracula multiplicia in vita, & poſt mortem: corporis incorruptio uſque in præſens, per annos trecentos: ac cultus ejus mox ab obitu: Beatificatio per Eugenium IV. ac denique ſolemniſſima ipſius canonizatio facta ab Vrbano VIII. an. 1629. Martyrologiis variis inſcripta eſt ejus memoria ad diem VI. Ianuarij, quô deceſſit: & ad illum diem quædam de eo adducta ſunt his ſuprà (a). Feſtum ejus, ut locum relinquat feſto Epiphaniæ, & ejus Octavæ, ac aliorum feſtivitatibus conſequenter occurrentibus, tranſlatum fuit dudum ad diem 30. Ianuarij. Sed poſtquam Officium de illo inſertum fuit Breviario Romano; auctoritate Apoſtolicæ Sedis illud repoſitum fuit ad diem IV. Februarij: quo nunc etiam in hoc Ordine ſolemnizatur.*

S. Andreæ ſanctitas divinis, & humanis teſtimoniis aſſerta.

(a) ad diem VI Ianuarii n. 375.

feſtum ejus olim 30. Ianu. nunc 4. Februarij.

822. *Quoad Scriptores vitæ ejus, paucis ut multos complectamur, en ſuccinctè relatos ex Tomo 4. Annalium Ordinis* (a) *(in quibus etiam vita illa juxta ſeriem annorum intexta eſt) ibi autem iſta:* Ipſius porrò vitam, geſta, & miracula, plures, graveſque Auctores ſcripſerunt, ſpecialiter Franciſcus Catanius Dacettus, Feſulanus etiam Epiſcopus in geſtis Feſulanorum Pontificum. Laurentius Surius tomo primo pro die 6. Januarii. Zacharias Lippelous tomo 1. Gabriel Fiamma volum. 1. Alphonſus Villegas, de Vitis Sanctorum. Franciſcus Haræus, Petrus de Ribadeneira, Joannes Petrus Maffeus, omnes de vitis Sanctorum. Silvanus Razzicis de Sanctis Hetruriæ, Abraham Bzovius, & Odoricus ſub hoc anno, Franciſcus Venturinus Epiſcopus de ſanctò Severo, Fredericus Chriſtophanus, Ioannes Bollandus, in Actis Sanctorum pro die 30. Ianuarii, ubi duplicem ipſius vitam ſequitur; alteram ex codice manuſcripto Vaticanæ Bibliothecæ, notis illuſtratam per Dominicum à Ieſu, Carmelitam excalceatum; & breviorem aliam ex manuſcripto monaſterii Rubeæ Vallis Canonicorum Regularium in Sonia ſilva juxta Bruxellam. Ferdinandus Ughellus Ciſtercienſis in Italia ſacra tomo 3. dum agit de Epiſcopis Feſulanis: *Hactenus Lezana.*

(a) ad an. 1373. n. 1.

Vitæ ejus Scriptores plures

823. *Præfatus Vghellus Florentinus Abbas Ordinis Ciſtercienſis in dicto Tomo 3.* Italiæ Sacræ *tractans de Epiſcopis Feſulanis iſta peculiariter notanda, pro vitæ S. Andreæ illuſtratione ſcribit* (b) XXXIV. (Epiſcopus Feſulanus) S. Andreas è nobiliſſima Gente Corſinia, Ordinis Carmelitani, ad Epiſcopatum Feſulanum aſſumptus eſt anno 1349. 3. idus Octobris, confirmatus à Clemente VI. reperitur in Regeſto Vaticano epiſtolâ 135. fol. 30. annô octavô, parte 1. librô primô. Litteris quà ſacris, quà profanis Pariſiis, per illud tempus ſapientiæ celeberrimô domiciliô excultus, rediit in patriam, ubi cùm Angelicam vitam duceret, mortuô Fulignô, à Feſulano Clero Epiſcopus ſublectus eſt; ſed cùm ex animi moderatione, verendum, trepidumque vellet defugere onus, atque ob id apud Carthuſianos profugus latuiſſet, Clerus inveniendi virum ſpe fruſtratus, ad novam jam reſpiciebat electionem, cum puer ex divino inſtinctu clamavit: Feſulanorum Antiſtitem à Deo fuiſſe ſublectum Andream, latereque apud Carthuſianos. Conſtitit dicto fides, ibidem quæſitus, tandem repertus eſt, juſſuſque eſt

(b) To. 3. Ital. S. columna 329. & 330.

Epiſcopus aſſumptus an. 1349.

Dei juſſu

IV. Febr. Epiſcopale onus ſubire, quod illi divinum numen, interprete Clero, demandaſſet. Paruit ille, approbanteque Pontifice electionem, incredibili Fæſulanæ gentis lætitiâ inauguratur. Ad multum tempus Feſulanam adminiſtravit Eccleſiam, eò autem pietatis ſtudio, ac fervore ut planè ſanctus tàm vivens, quàm mortuus multa, illuſtriaque patrarit miracula; evolavit ad cælos ... an. 1373. ſepultuſque eſt in cathedrali, repetentibuſq; Carmelitanis, deindè in Carmelitanum templum illatus, ibidem honorificè conditus jacet; fulſitque miris, quæ per illum Deus operatus eſt, adeò claris, ut prius in album Beatorum relatus, ab Urbano deindè VIII. Pontifice Maximo juſtâ ſanctificandi pompâ Sanctus ſit declaratus. Apud Surium Tom. 2. Andreæ vita à ſuo quodam contemporaneo reperitur deſcripta. Eandem compendiariò, ac eleganter complexus eſt Franciſcus Venturius nobilis Florentinus S. Severi Epiſcopus, ac Florentiæ Eccleſiæ Archidiaconus. Laudavit eundem Carmine heroico Julius Guazzinius Doctor, ac Civis Florentinus avunculus meus. Eò ipſo die, quo Andreas Corſinus Sanctus pronuntiatus eſt, ſupra ſepulchrum ejus incorruptum corpus populus Florentinus ingenti gaudio, cumque lacrymis ſpectavit expoſitum. *Hactenus Ughellus: denique ibidem iſta adducit:* In Andream hæc cecinit Varinus noſter lib. 2. de illuſtratione Urbis Florentiæ.

Obiit an 1373. Epiſcopatus 24.

corpus, ejus incorruptum expoſitum publicè die canonizationis an 1629

Nec non Andreas Corſinus origine clarâ,
Clarior at longè Carmeli cultor eremi,
Antiquos ſuperavit avos, Chriſtoque jubente
Proditus è ſilvis Feſulanam paſtor ad ædem
Protrahitur, vitæ quoniam mortalis honores
Spreverat, hic populus verbis, & rebus honeſtis
Erudiit, primùm faciens, quæ lingua docebat:
Plus probitas morum ſuadet, quàm lingua diſerta,
Tam Sancti primo memorantur tempore mores,
Cum ferveret adhuc, Chriſti calefacta cruore
Mens Patrum, nec adhuc Eccleſia noſceret aurum.

824. *Ex dictis ſatisfactum eſt controverſiæ de tempore Epiſcopatûs S. Andreæ: quidam enim ſcribunt, illum obiiſſe anno XII. Epiſcopatûs: at, cùm an. 1349. confirmatus ſit à Clem. VI. deceſſeritque an. 137; propatulum eſt, illum obiiſſe anno XXIV. Epiſcopatûs. Plura in hujus confirmationem videri poterunt apud P. Lezana in Annalibus Carmelitarum* (a). *Fuit igitur S. Andreas in numero Epiſcoporum Feſulanæ Eccleſiæ 34. Ipſum præceſſit Fulginus Oliverij (33.) qui contagio confectus contabuit anno 1348. poſt illum anno ſequenti divinitùs fuit electus S. Andreas Corſinus. Succeſſit verò S. Andreæ (35.) Nerius Corſinus, ipſius S. Andreæ frater, eodem obitus S. Andreæ an. 1373. Tempus jam aſſignatum Epiſcopatûs S. Andreæ etiam confirmat P. Lezana his, inter cetera, verbis* (b) Eo etiam anno noſter Sanctus Andreas Corſinus, de quo in præcedentibus, ob mortem Fuligni Carboni Epiſcopi Feſulani, qui anno præterito contagii labe perierat, ad eundem Epiſcopatum aſſumptus eſt. Sic enim conſtat ex litteris Clementis Sexti, hoc octavo anno ſui Pontificatus, quas referunt Brovius ſub anno 1373. nu. 7. & Ferdinandus Ughellus Ciſtercienſis in Italia Sacra Tom. 3. dum de Epiſcopis Feſulanis ſermonem habet. Idem ſequuntur Franciſcus Venturius Epiſcopus S. Severi in ejus vita, Fridericus Chryſtofanus ejus Compendiator, & Biſcarretus.

Epiſcopatus ejus anno 24

(a) To. 4. ad an. 1349. n. 3.

(b) To. 4 Annal Carm ad an 1349.

825. *Titulus ille:* Præſulum abſolutiſſimi exemplaris *illi attributus à Scriptore vitæ ejus & ab Eminentiſſ. DD. Cardinalibus etiam Apoſtolico confirmatus eſt Oraculo hîc infrà: ſed an non meritò illi competat, arbiter ſit Lector, perpenſis iis, quæ perferuntur in ejus vita: quam hîc duplicem damus, ex Actis ipſis Canonizationis, accuratiſſimi Romani Iudicii diſcuſſione, in multis Congregationibus, per Cardinales ſacrorum Rituum examinatis, & approbatis, deſumptam; priorem brevem, prout fuit ab Eminentiſſ. D. Ioanne Baptiſta Epiſcopo Portuenſi Cardinali Deto, & Comite Antonio Montecatino voce proclamata fuit in Conſiſtorio coram Summo Pontifice Urbano VIII, & S. R. Eccleſiæ Cardinalibus, ac aliis Præſulibus. Alteram verò traditam à Reverendiſſ. D. Franciſco Venturio Epiſcopo S. Severi etiam ex iiſdem authenticis Actis deſumptam, ac etiam partim ex antiquis monumentis, ſicut ipſe teſtatur his verbis:* Vitam ſcripturi, ea præſertim referemus, quæ in actis apud Sedem Apoſtolicam relata certiſſimâ fide conſtant; nec ea omittentes, quæ in antiquis monumentis in hunc uſque diem à temporum injuria vindicata ſuperſunt. *Hinc patet, quanta auctoritatis cenſenda ſit utraque iſta vita. Porrò præcipua vitæ ejuſdem puncta, atque elogia, etiam intexta ſunt ſententiis, ſeu teſtimoniis Eminentiſſ. DD. Cardinalium, & aliorum Præſulum: è quibus nonnulla in ſequentibus adducentur.*

Præſulum exemplar abſolutiſſ. dictus à Pontifice, & Cardinalibus.

Vita ejus duplex quæ hîc ſequuntur, unde a

Quanta auctoritatis.

826. *Porrò, præter Scriptores præfatos vitam S. Andreæ Corſini etiam habet Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali libro 8 diſtributam in ſex capita: & ejuſdem tenoris extat quoque in vetuſto Codice Carmeli Mechlinienſis* (a) *exarato anno Chriſti 1484. (in quo alia plura ſunt monumenta vetuſtiora Ordinis hujus) eſtque eadem (excepto Prologo) cum ea quam ex Ioanne Gillemanno ſeu manuſcripto Rubeæ Vallis PP. Bollandus, & Henſchenius inſeruerunt Actis Sanctorum* (b) *ſecundo loco. Et etiam in ſex capita partiti ſunt. Vitæ igitur iſtius ille eſt Prologus:* Cùm mundus à principio ſuæ creationis curſum ſuum cuſtodiens & uſque ad noſtra ſecula labens, tempora noviſſima occuparet, & homines ſeſe à peccatis minimè ſequeſtrarent; Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui neminem vult perire, ſed omnes homines cupit ſalvos fieri; ſuſcitavit nobis germen juſtum in ſalutem peccatorum diebus iſtis noviſſimis, Beatum videlicet Andream Corſinum, exemplar omnium virtutum. Hic in Eccleſia Dei, ſicut lilium, germinavit germen juſtitiæ, quia eam devotè ac ſollicitè & utiliter gubernavit, atque perindè fructum multiplicem propagavit. Idcirco

Scriptores vitæ ejus alij.

(a) Folio CLXII. & ſeq. *Bollandus ad 30. Ianu. duplicem habet.*

(b) Tom. 2. Ian. ad diem 30.

IV. Febr.

circo vitam ejus nobis propoſitam noverimus, quatenus eam veluti quoddam ſpeculum perlucidum inſpiciamus: & ſecundum illam converſationem noſtram, auxiliante Deo, in viam juſtitiæ dirigamus. *Tituli autem capitum iſti ſunt:*

Caput I. S. Andreæ ortus, educatio, tirocinium monaſticum.

Caput II. Profeſſio Monaſtica, Sacerdotium, monaſterii præfectura, virtutes, miracula.

Caput III. Epiſcopatus, Legatio Apoſtolica, eximiæ virtutes.

Caput IV. Obitus, ſepultura, tranſlatio.

Caput V. Victoria Florentina: Andreæ ſolemnis cultus.

Caput VI. Varia miracula.

Recentiora miracula.

Vita alia ſub iiſdem ferè titulis, quam ibi habent, eſt ex MS. Bibliotheca Vaticana.

§. 2. *S. Andreæ veneratio mox ab obitu, & cultus antiquus.*

827. Mox *ab obitu S. Andreæ quanta ejus fuerit veneratio, & quâ occaſione aucta: & quàm ardenti, ac ſeculis aliquot continuato ſtudio Florentinus Senatus, & populus inſtiterint apud Summos Pontifices pro ejus ſolemni canonizatione, habetur ex actis publicis Florentinæ urbis, inſertis proceſſibus Canonizationis aſſervatis Romæ in Conventu* S. *Mariæ Tranſpontinæ: undè quædam adducemus hìc infrà in Appendice: ſufficient hîc locô ea quæ Actis ipſis Canonizationis* (a) *inſerta leguntur hiſce verbis:* Quamplurimis clarus miraculis, in Natalis Domini nocte inter ſacrificandum admonitus à B. Virgine, diem Epiphaniæ illi fore ſupremum inter mortales, primum inter cælites, eo die migravit in cælum, magnæ ſuavitatis odore ſpirante è defuncti corpore: ad cujus contactum venerationemque Populo certatim accurrente, & multi tunc è variis morbis mirabiliter exempti ſunt, & in ejuſdem corporis tranſlatione ab Eccleſia Feſulana Florentiam, hujuſmodi beneficia compluribus divinitus collata, & plurima deinceps ad ejus invocationem miracula Deus edidit: (*præcipua referentur in ſequentibus, hîc unum valdè illuſtre audiviſſe ſufficiet.*)

(a) In orat. Cardinalis Deto, in Conſiſtorio Coram Summ. Pontif. Urbano VIII. & Cardin.

S. Andreas Corſinus coruſcans miraculis in vita, & ſepultura ac poſt.

228. Bellum Eccleſiæ, & Florentinis inferente Mediolani Duce, cùm jam ceptis, aut devaſtatis oppidis multis, de ipſa urbe Florentia, ubi Pontifex Eugenius Quartus, & Cardinales complures erant, dubitaretur, ideòque ad Deum preces, & ad B. Corſinum multis tunc miraculis clarum funderentur; adoleſcenti ad B. Epiſcopi corpus oranti ipſe apparuit, eumque monuit: Iret ad Decemviros belli præfectos, ac Dei nomine animaret ad pugnam: futurum enim, ut feſto, die, qui inſtabat SS. Petri, ac Pauli, victoriam ex hoſte reportarent. Paruit adoleſcens, credidit magiſtratus: commiſſa eſt pugna, victoria longè maxima relata eſt. Ferunt, à multis in aëre viſum B. Antiſtitem albo inſidentem equo, imperatorio baculo præ ſe agentem armatas acies, atque in hoſtem, ubi opus erat, immittentem. Hoc verò beneficium meritis B. Andreæ à Deo conceſſum Pontifex ipſe Eugenius agnovit: qui propterea rogatus à Cardinalibus, ac Florentina civitate, ſupplicationem quotannis ad illius corpus, & circa illud lumina, & hujuſmodi venerationis ſigna, quæ Beatis, ac Sanctis exhiberi ſolent, liberaliter indulſit. Et ante ſupplicationem quidem illius anni, cùm primùm Beati corpus oſtenſum eſt, præſentibus Cardinalibus, Populi Magiſtratibus, Clero univerſo, atque infinita hominum multitudine, tantus pietatis ſenſus omnium corda pervaſit, ut unâ omnes voce conclamarint. Sancte Andrea ora pro nobis.

Florentia bello preſſa, & periclitans victoriam ſpondet.

[illegible] maximè preſſus,

apparens in aere inſidens equo:

ſupplicatio annua inducitur ad ejus corpus,

præſentibus Cardinalibus.

829. ET SANE mirum eſt, quanta omnium veneratione, ab ipſo ſtatim obitu, Beati viri ſepulchrum frequentatū, reliquiæ cultæ, nomen imploratum ſit. Certè poſt illud, quod poſtremò adjeci miraculum, cùm Cardinales, qui Florentiæ aderant, viderent Nobilium, Plebiſque ſtudia in Beati Antiſtitis cultu piè concertantium, ſimulque conſenſum Pontificis Eugenii, Populorum votis, ac precibus perbenignè annuentis; non dubitarunt affirmare, honores illos ſpeciem habere Canonizationis, ac ſuo quidem judicio Andream Corſinum eo die relatum inter Cœlites, videri poſſe. Sed Florentinus Populus non contentus iis honoribus, quos ab Eugenio magnos licet, atque annuos impetraverat, à Paulo Secundo, ut illum in Sanctorum numerum adſcribere dignaretur, enixè poſtulavit. Nec Paulus abnuebat, negotiumque Rothomagenſi, Theanenſi, ac Papienſi Cardinalibus dedit. Sed temporum, ac perſonarum mutatione, uſque ad Clementem Octavum perducta res eſt; cùm is Pontifex Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum, & Ferdinandi Etruriæ Magni Ducis; & venerabilis Carmelitarum Ordinis, & nobilis Corſinæ Familiæ precibus permotus, per Apoſtolicas litteras, Dominis ſacrorum Rituum Cardinalibus mandavit, ut Proceſſum informativum auctoritate ordinaria jam compoſitum, continentem centum octuaginta & unum teſtes, expenderent, referrentque. Expenderunt illi, retuleruntque Pontifici, cauſam eo in ſtatu eſſe, ut ſacræ Rotæ Auditoribus committi poſſet; demandata eſt ab eodem Pontifice cognitio cauſæ tribus ſacræ Rotæ Auditoribus, Franciſco Peniæ Decano, Jo. Garſiæ Millino, & Alexandro Juſto.

mox ab obitu ſepulchrum in veneratione magna.

Eugenius IV. cultum & honores Sanctorum concedit.

ſolemnior canonizatio poſtulatur à Paulo II.

Clemente VIII.

830. At Clemente è vivis ſublato, Paulus Quintus, repetitis eorundem Procerum, aliorumque precibus annuens, iiſdem Rotæ Auditoribus cauſam ritè cognoſcendam confirmavit. Quam illi cauſam novo ſtudio complexi, litteras remiſſoriales, ac compulſoriales relaxarunt, direxeruntque Alexandro Martio Medices Archiepiſcopo Florentino, Lucæ Alemanno Volaterano, & Bartholomæo Lanfredino Feſulano Epiſcopis, à quibus

Paulo V.

IV. Febr. quibus omni adhibita cura, uti injungebatur, examinatis centum & quatuordecim teſtibus, extractiſque juribus, & antiquis monumentis, formatus legitimè Proceſſus ſuper vita, ſanctitate, ac miraculis Beati Antiſtitis, Romam ad eoſdem Rotæ Auditores tranſmiſſus eſt. Verùm ex iis Auditoribus uno abſente, duobus vitâ functis, aſſumptoque ad Cardinalatus gradum, qui ſubrogatus fuerat, Horatio Lancellotto; ſubſtituti demum ſunt hujus cauſæ Iudices ex eadem Romana Rota, Franciſcus Sacratus, Ioannes Baptiſta Coccinus, & Alphonſus Manzanedus, qui ſæpè convenientes, ad extremum & Proceſſum ritè fabricatum declararunt, & expenſis ſingillatim omnibus, conſtare de ſanctitate, & excellentia vitæ, atque miraculis cenſuerunt; cenſuramque ſuam eidem Pontifici retulerunt.

Sub quo proceſſus fit pro canonizatione.

831. HIC ERAT cauſæ ſtatus, cùm Paulo Quinto, ejuſque Succeſſore Gregorio Quintodecimo morte ſublatis, Dei beneficio factum eſt, ut Sanctitas veſtra meritorum ſuffragio, ad ſupremum iſtud Sacerdotii culmen eveheretur. Tunc inſtare denuò cœpere, præter laudatos jam Proceres, Octavius Archiepiſcopus Tarſenſis, ac Philippus ejus frater, & Nerii fratris jam defuncti filii, ex illuſtri Corſinorum Familia, necnon & Fr. Gregorius Canalius Venetus, Carmelitani Ordinis Generalis, ut Sanctitas Veſtra cauſæ jam toties agitatæ, atque ad exitum propemodùm adductæ ſupremam manum imponere, pro ea quâ poteſt, pollétque auctoritate, dignaretur. Placuit Sanctitati veſtræ tam æquis iteratiſque multorum precibus aſſentiri, factamque Paulo Quinto relationem noſtræ ſacrorum Rituum Congregationi diſcutiendam benignè tranſmittere. Nos vero, Beatiſſime Pater, illam pluribus ſeſſionibus accuratè diſcuſſimus; ac tandem unanimi voto, conſenſuque cenſuimus, omnia in Proceſſu Florentiæ fabricato fuiſſe valida, teſtes ritè ac rectè examinatos, probationes, quæ illo Proceſſu continentur ſuper ſanctitate, excellentia fidei, ac præclaris miraculis ſervi Dei Andreæ Corſini, legitimas, ac ſufficientes. Quibus copioſiùs in multis Congregationibus perpenſis, atque diſcuſſis, Cardinales Congregationis ſacrorum Rituum in eam ſententiam unanimes venerunt: Poſſe Sanctitatem Veſtram (ſi ei placuerit) ad ulteriora procedere, & Canonizationem Beati Andreæ Corſini, juxta ſacros Romanæ Eccleſiæ Canones perficere, & ſolemni ritu celebrare.

& abſolvitur ſub Urbano VIII.

832. *De ulteriori proceſſu ad Canonizationem, & quomodò ea peracta ſit, refertur in Inſtrumento Canonizationis, quod hic infrà ſequitur. Ex ſuffragiis Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, ac aliorum Prælatorum ante Canonizationem prolatis, etiam nonnulla adjiciuntur in ſequentibus. Quomodò olim etiam ſolemnes proceſſiones ad ejus tumulum fieri ſolitæ, habetur ex vita ejus, quam ex Vaticana Bibliotheca codice habet P. Bollandus, in quo ſub finem iſta:* Cum anno MCCCCXL. veniſſent multæ proceſſiones ex diverſis locis Florentiam, ad viſitandum corpus B. Andreæ; in proceſſione de Caſtro-prati venit quædam mulier, nomine Domina Betta. *Ibi refertur quomodò illa fuerit liberata meritis S. Andreæ à dolore brachii & ſurditate. Miraculum iſtud in illa fœmina in authentico actu refertur in Florentino proceſſu, unde quadam traduntur hic infrà in Appendice.*

Proceſſiones olim fiebant ad corpus B. Andreæ.

VITA, ET VIRTVTES

compendioſè traditæ:

EX ACTIS CANONIZATIONIS,

Longô, accuratiſſimôque examine diſcuſſis, &, auri inſtar, probatis: Ex impreſſo Romano.

833. P*Atriam, parentelam, divina chariſmata, quibus ditatus à Deo, & Dei Matre, fuit S. Andreas Corſinus, nec non virtutum heroicarum exempla, eleganter tradiderunt Eminentiſſ. D. Ioannes Baptiſta Epiſcopus Portuenſis S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis Deto, in Relatione in Conſiſtorio ſacro, coram* SS. *Domino Urbano VIII. Summo Pontifice, & Cardinalibus, atque etiam Comes Antonius Montecatinus Conſiſtorialis Aulæ Advocatus in Oratione coram eodem Pontifice, & Cardinalibus, in publico Conſiſtorio. Oratio utraque confecta eſt ex Actis, & proceſſibus in variis Congregationibus per plures ſeſſiones, diſcuſſis, & approbatis. Inde autem veluti ſertum quoddam elegantiſſimorum diſcurſuum, tanquàm redolentiſſimorum floſculorum, excerptum, ac contextum, utilitati, & voluptati non parùm ſerviet, atque ut Lectori ſint veluti præguſtus ſubſequentium.*

VITÆ EPITOME, ET COROLLA VIRTUTUM

ex Eminentiſſ. D. Joannis Baptistæ *Epiſcopi Portuenſis, S. Rom. Eccleſiæ* Cardinalis Deto, *Relatione, in Conſiſtorio ſecreto coram SS. D. Urbano Papa VIII. & Cardinalibus.*

834. BEATISSIME PATER. FLOREM ſanctitatis eximium offero Sanctitati Veſtræ, è patrio Florentiæ ſolo, natum ſub Virginis ſidere, virgineâ manu inſertum in lilia, educatum in Carmeli vertice, tranſlatum inter cœleſtes deliciarum hortos: Feſulanum Antiſtitem loquor, Andream Corſinum, magnum Dei Genitricis alumnum. Nam concepto B. Virgini voto impetratus eſt à ſterilibus diu parentibus, & eidem oblatus ante quàm natus: illa adoleſcentem ex lupo in ſomnis oſtenſo mutavit in agnum, atque in familia ſuo addicta nomini manſuefecit: illa religioſè direxit vitam: illa Epiſcopatûs capeſſendi auctorem, & adminiſtrandi patronam ſe præbuit: illa demùm & mortis deſignavit diem, & cœleſtis gloriæ pollicita eſt immortalitatem....

S. Andreas Corſ. Magnus Dei Genitricis alumnus.

835. ANDREAS Corſinus, Florentiæ in opulentâ nobilique domo natus eſt, eâ nocte,

IV Febr. nocte, quæ feſtum diem S. Andreæ, ex quo nomen traxit, antecedit, anno ſalutis milleſimo treccenteſimo primo, claris pietate, ac generis ſplendore parentibus, Nicolao Corſino, ac Peregrina ejus uxore: qui aliquandiu ſteriles, cum in Cathedrali templo concionatorem audirent ea Exodi verba ex occaſione repetentem: *Decimas, & primitias tuas non tardabis reddere*; ſibi dictum arbitrati ſunt: proindè quaſi divinitùs admonerentur, ut quam prolem primò ederent, eam Deo dedicarent. Itaque illo invitatu animati, uterque ſeorſim, nec alter alterius conſcius, apud ſe ſtatuunt, naſciturum ex ſe fructum, Deo, ejuſq; matri Virgini offerre, eamdemq; non poſt multo, ſponſionem; (a) in templo Carmelitarum ante imaginem Deiparæ, cui à Populo nomen, voto nuncupato, ritè obligant. Deinde communicato inter ſe conſilio, animadvertunt idem propoſitum, idemque votum eodem tempore ab utroque conceptum eſſe. Nec multi tranſiere dies, cùm Peregrina ſentiens utero ſe ferre, factam ſe voti compotem, actis Dei genitrici gratiis, animadvertit.

tempus, & locus nativitatis, ac parentes.

(a)

Virgini Mariæ dicatus antequam natus.

836. Quin etiam paulò ante partum, per quietem ſibi eſt viſa lupum parere, qui tamen templum ingrediens, repentè mutaretur in agnum. Nec eventu caruit ſomnium: nam puer primos ætatis annos nullo parentum, nec Dei timore coercitus, adeo pronus in vitia tranſigebat, ut mater verè ſe lupum, non hominem peperiſſe, Andrea audiente, quereretur. Cujus ille ſomnii narratione, præter opinionem, commotus, ac divino inſtinctu incitatus, ad Carmelitarum templum accurrit; ac Dei Matrem, ante cujus effigiem parentes conceperant votum, ſupplex orat, ut quando jam ſatis lupum egerat, impetret ipſa ab eo, quem agnum immaculatum pepererat, ut mutatus in alium virum, agnus manſuetus in ejus Religione mactetur. Vigebat eo maximè tempore Carmelitarum familia, pro veteri inſtituto, honoribus Beatæ Virginis in primis addicta: ideoque in ſacrum hunc Ordinem, cui ſe devotum à parentibus intellexerat, adſcribi poſtulavit, obtinuitque non minori parentum gaudio, quàm admiratione omnium.

ex lupo quaſi in agnum mutatus:

837. Religionem ingreſſus totum ſe afflictationi corporis, ſui, rerumque humanarum contemptui, aſſiduis precibus, virtutibus omnibus dedicavit, tantumque præfervidus tyro profecit, ut jam veteranis ipſis, in virtutum ſtudio admirationi, atque exemplo eſſet. Exacto tyrocinio, emiſſaque votorum profeſſione, quaſi tunc inciperet, mirum profectò, quot quamque ſolidis virtutum incrementis, vitam quam ad eum diem egerat, cumulavit. . . .

Religionem Carm. ingreditur.

838 JAM VERO ſi in ſingulas ejus Viri virtutes quis intueatur, animadvertet ex [illegible]rum complexione, illum meritò Sanctum, [illegible] habitum, & appellatum eſſe: & cùm illæ [illegible]s prorſus admirabiles, atque excellen[illegible], mirabilem Deum in Sanéto ſuo [illegible]

Nam inſignem Andreæ Fidem ſatis oſtendunt, præter ejus ortum à Deo precibus impetratum, ſubitæ vitæ ex lupo in agnum mutatio: in religioſum Ordinem, relictis omnibus, ingreſſio: ſacrorum omnium, ac præſertim ſacroſancti Altaris ſacrificii, reverentia: & compluriũ miraculorum patratio, quæ excellenti Fidei meritò attribuuntur. *Fides*

Nec minorem Spem declarant tum hæc ipſa quæ dixi, tum ſingularis quædam rerum arduarum, quas ille Dei fretus auxilio aggrediebatur, deſperantibus interdum aliis, animoſa ſuſceptio, quam excellentem Viri virtutem etiam miraculis comprobavit Deus. Ut, cùm in magna annonæ caritate panes ſuis manibus in pauperes quotidie diſtraheret; accidit ſemel, ut creſcente egenorum numero, nec ſufficientibus panibus, cuſtos arcæ miſſus à B. Andrea, ut quod reliquum eſſet afferret, negaverit, quicquam ſupereſſe præter paucos illius prandio reſervatos panes. Tunc vir Dei jubet hominem bono eſſe animo, & arcam iterum ſcrutari, quod ille cùm feciſſet, reperit arcam recentibus, & quidem calidis, plenam panibus: quos ſubito allatos, in pauperes, actis Deo gratiis, diſpenſavit. *Spes*

839. At verò quæ inter alia primas obtinet Charitas, præcipua quoque in illo fuit. Dei enim amore ardentiſſimè flagrans, contemplandi ſtudio mirificè fruebatur: in eamque curam ab ipſo tyrocinii tempore uſque adeò incubuit, ut non rarò à ſenſibus abſtraheretur: Non ſemel aut iterum, ſed ſæpius, dum januam cænobii, Fratribus comedentibus, cuſtodiret, repertus eſt preces fundere ante ſacram imaginem, quæ januæ imminet, adeò à ſeſe abalienatus, ut quamvis per eam ipſam portam Fratres è clauſtro in templum pertranſirent, ſacros hymnos (uti prandio, ac cæna aſſolent) concinentes; eos nec videret, nec audiret. Hinc in proximos charitas emanabat, quâ aliorum ſaluti, tum animarum, tum corporum, aſſiduè ſtudebat. Poſtquam Epiſcopus creatus eſt, ad ſublevandam egenorum miſeriam, imitatione Gregorii Magni, libellum ſibi confecit, pauperum nominibus deſcriptum, quibus aut clam, ſi nobiles eſſent, ac verecundiâ retardarentur, aut palam, manu plerumque ſua ſubveniebat: ac certò affirmatur, Nullum aliquando pauperem ad B. Andream acceſſiſſe, qui ab eo ſubſidii aliquid non acceperit. Id verò tunc agebat impenſiùs, quando periclitari animos cernebat. Laborabat Joannes Corſinus, ejus conſanguineus, lupæ morbo, ex quo tibiarũ caro miſerè corrodebatur, ideoq; ad dolores, quibus cruciabatur, utcunque fallendos, domum ſuam tanquam luſoriam tabernam aperuerat. Motus B. Andreas non tam conſanguinei morbo, quàm ejus, & aliorum, qui permulti eò confluebant, ſalutis animæ jacturâ; promiſit homini ob B. Virginis merita ſanitatẽ, ſi ſeptem diebus à ludo abſtineret, totidem ad Deum Deique Matrem preces aliquot funderet, ac ſeptẽ jejunaret. Paruit ille, ac ſeptimo die liber a morbo repente convaluit,

Charitas in Deum,

in proximum

cuidam ſanitatem animæ, & corporis præſtat:

IV. FEBR. fuit, ductuſque à B. Andrea ante imaginem Dei Matris: poſt preces, ſolutis tibiarum faſciis, caro, quæ prius ad os uſque corroſa erat, integra & munda, tanquam caro pueri reperta eſt.

Caſtigatio corporis.

840. Sed quàm clemens in alios, tam in ſe aſper, ac rigidus fuit. Cilicium, ac ferream catenam nudo corpori adſtricta ſemper ad mortem uſque geſtavit: quater ſingulis hebdomadis pane & aqua contentus jejunabat: ſarmentis pro lecto dormiens incumbebat: quotidie poſt celebratum altaris ſacrificium, flagris ſe ſe ad cruorē uſque verberabat, quæ, licet eſſet, & ætate jam gravis & infirmâ valetudine, a carne tamen, aliiſque delicatioribus cibis abſtinens, perpetuò ſervavit.

mulierum aſpectum maximè cavet.

841. Quid de ejus Caſtimonia dicam, jejuniorum, & afflictationum comite? cui uſque adeò addictus fuit, ut ne matris quidem, ac ſororum alloquia ſine rubore ſuſtineret: aliarum verò mulierum aſpectus reticeret prorſus; aut ſi neceſſitas urgeret, nonniſi defixis in terram oculis eas alloqueretur: ob quam ſeveram oculorum, ſenſuumque omnium cuſtodiam, dum Pariſiis ageret, Fratrem cæcum, ſurdum, mutumque appellare conſueverant. Et licèt adoleſcens ante Religionis ingreſſum, liberis diſſolutiſque moribus fuiſſet; peculiari tamen (b) Dei beneficio illibatam ſervavit ad mortem uſque pudicitiam. Quod ipſemet, Canonico familiari commenſalique ſuo, poſt obitum apparens, candidis indutus veſtibus, lilia, ac roſas manibus præferens, teſtatus eſt addens illa virginitatis ſuæ argumenta eſſe, ideoque ſe unà cum virginibus Agnum ſequi.

(b) caſtitas ejus illibata.

Omitto paupertatis ſtudium, humilitatis exercitationem, honorum fugam, rerum humanarum contemptum admirabilem, ac ceteras virtutes, quibus ille perpetuò floruit.

Imago Dominæ de populo, Florentiæ in æde Carmelit. antiqua veneratione.

842. ANNOT. (a) In templo Carmelitarum ante imaginem Deiparæ, cui à populo nomen. *In vita S. Andreæ ex MS. Codice Bibl. Vaticanæ, apud Bollandum ad 30. Ianuarii in vita priore cap. 1. de iſta imagine legitur:* Noſtra Domina de populo, ad quam populus ex devotione pro gratiis impetrandis confluebat, permaximè mulieres concipere non valentes. *Iſtam devotionem continuatam ibi uſque in præſens ſeculum teſtatur Franciſcus Venturius in Vita quæ ſequitur cap. 2*

843. (b) Dei beneficio illibatam ſervavit uſque ad mortem pudicitiam &c. *idem traditur in vita quæ ſequitur cap. 7. & in vita priore quam habet Bollandus, cap. 5. n. 25. & à pluribus peculiariter annotatur hic infrà. Hinc in Officio à Sacra Rituum Congregatione approbato ad Laudes Antiphona 1. legitur:* Virgo electus virginitatis dignitatem perpetua integritate ſervavit. *Plura circa hæc videri poterunt apud Lezanam in Annalibus ad annum Christi 1373. num. 3. & 4. ubi errorem notat corrigendus quoſdam aliter ſcribentes.*

SERTUM FLOSCULORUM REDOLENTISSIMORUM PIETATIS, ET ELEGANTIÆ.

ex Comitis Antonii Montecatini Conſiſtorialis Aulæ Advocati in Oratione coram Sanctiſſimo D. Vrbano VIII. & Cardinalibus, in Conſiſtorio publico.

844. DIvinæ voluptatis hortus ver agit perpetuum; quia ſemper habet ſuaviter adſpirantem Favonium, æternæ Spiritum veritatis. Quod ſi Chriſtiani per omnes partes Imperii jugiter vernat florulenta fœcunditas: Florentiæ præſertim non ſemel, ſeculorum decurſu labentium, florida ſanctimonia germinavit, ut laudum omnium genere florens urbs, hoc etiam haberet omen in nomine: quod integerrimæ vitæ flores parturiret, qui ſererentur in terris, transferrentur in Cœlum. Ex his unum hic ego præ cæteris Sanctitati veſtræ propono, Beatiſſimum virum Andream Corſinum Carmelitam olim, & Feſulanum Epiſcopum ... Florentiæ, in Etruſcarum urbium flore, Italiæque horto amœniſſimo, de nobiliſſima ſtirpe Corſina ortum duxit Andreas, natus anno à Virginis partu, milleſimo trecenteſimo primo. Neque immeritò Corſinam familiam nobiliſſimam appellavi, quæ jam indè ab anno ſalutis ducenteſimo octogeſimo ſecundo ſupra milleſimum, ſupremos Florentiæ Magiſtratus frequenter adminiſtravit: quæ in graviſſimis bellis optimos Florentinæ Reipublicæ ſuppeditavit Duces: ex qua prudentiſſimi prodière ad maximos quoſque Principes Legati: quæ demùm huic Sanctiſſimo Chriſtianæ Reipublicæ Senatui Petrum Corſinum obtulit, Florentinum priùs Epiſcopum, deindè purpuratos inter Patres adnumeratum. Ex hac igitur vetuſtiſſima progenie flos ille ſanctimoniæ ſuum derivavit genus.

Florentia verè florida, redemita ſerto multorum Sanctorum.

ex iis S. Andreas Corſin. ex ſtirpe Nobiliſſ.

qui tamen quaſi è cœlo originem duxit:

845. Quamquàm de Cœlo veriùs originem duxiſſe dici poteſt, qui ab effœtis parentibus Nicolao, & Peregrina, effuſis in Cœlum precibus, & Cœleſtis Reginæ beneficio impetratus fuit. Habuit hoc ipſe decus commune cum aliis, vel ſanctitate, vel aliâ quavis egregiâ laude præſtantibus, ut hominum precibus, & Maximæ Virginis beneficio naſceretur. Flos ille ſatus precibus, lacrymis irrigatus, ſub ſidere Virginis ortus ... degeneravit in ſpinas ... Mutatio dexteræ tantum Excelſi reſervabatur; quia nimirum vitiorum nobis ipſi fabri ſumus, virtutum artifex Deus eſt ..., ferox aſpectu lupus, templum ingreſſus, in candidiſſimum converſus eſt agnum ... Novæ compos mentis Andreas in ſe reverſus, anteactæ vitæ idem reus, accuſator, & judex, ad animi Tribunal cauſam cœpit orare .... Dei Parentis ad Aram provolutus in genua, ſupplices tendit manus, rorantibus oculis veniam expoſcit,

atque

IV. Febr.

atque ad ſupremum Judicem patrocinium Virginis efficax obteſtatur. Audivit Benigniſſima Parens orantis preces: reſpexit lacrymas pœnitentis: neque ſolùm veniæ ſpem, ſed etiam novam Andreæ mentem impetravit à Filio præpotente.

Flos iſte in Carmeli amœniſſimo horto plantatur,

846. Flos hic jam delibatus è ſpinis, in amœniſſimo Carmeli vertice collocatur. Et ſapienter ille quidem hanc ſibi præ cæteris Religioſam familiam ſelegit, quæ tum originis antiquitate, quàm vel ab ipſis Prophetis Elia & Eliſeo repetit, tum Inſtituti integerrimi ſanctitate, tum illuſtrium vitâ, doctrinâque Virorum copiâ in Chriſtiana Republica floruit ſemper, ac magis magisque floret indies. In hoc amœniſſimo laudum eximiarum horto, quam ille protulit virtutum variarum pulchritudinem! quantum undique ſparſit odorem ſanctimoniæ! quàm inuſitatæ fuit aſpicientibus vel admirationi, vel voluptati!

Sanctimoniæ ſpargit odorem.

Admirabilem ſe planè præbuit in ea præſertim tenacitate propoſiti, quam artibus malignis, ac fraudibus fruſtra tentatus oſtendit. Ad ſpiritus antiquos infringendos, viliſſimis quibuſque miniſteriis ponebat Andreas rudimenta tyrocinii ſui.... Quid jam de aſſiduis ejus precibus dicam? quid de prolixis vigiliis? quid de frequentibus jejuniis? quid de reliquis corporis afflictationibus? quid de palam emendicata ſtipe, publicis præſertim in viis, in quibus ipſe ſpectaculum antea dederat magnificentiæ ſuæ? ut verè Deo conſecratum agnoſceret Florentia florem illum, quem ſibi mundi pompæ dolo malo ſubripuerant. Neque ſibi ſolum, ſed aliis quoque renatus ad meliorem vitam Andreas videbatur.... Ubi verò Sacerdotio fuit vir integerrimus initiandus, non ille ſolemnes quæſivit pompas, & feſtiva convivia; ſed una illa contentus menſa, in qua panis vivus apponitur, qui de cœlo deſcendit; in ſuburbano cœnobio, cui nomen eſt à ſilvis, Divinæ Trinitati ſacrorum primitias obtulit.

Sacerdos primitias ſacrorum offerens, fugit pompas,

At ubi deſiderati ſunt hominum apparatus, non defuêre cœleſtes. Incruentum enim libanti ſacrificium Andreæ videndam in clara luce ſe præbuit Angelorum ſtipata choro, maxima Virginum, Cœli Regina; cumque his eſt vocibus alloquuta: Servus meus es tu, quoniam elegi te; et in te gloriabor. O gloriam in terris raram, in cœlo ſpectabilem!

ideò Regina cœlorum ſpectabilis ei apparet:

847. Unum illud omittere non poſſum, quod ſub ejus inaugurationem in Feſulanum Antiſtitem mirabiliter contigit... Ecce tibi puer trium annorum ex improviſo voce altiſſima exclamavit: Elegit Deus Andream in Sacerdotem ſibi: eum in Carthuſienſi Monasterio precibus vacantem reperietis. Eodem tempore puer quoque viſus Andreæ divinam voluntatem ſignificavit, quâ vetabatur, impoſitum onus detrectare. Illud igitur cùm ſubterfugere non poſſet, æquâ mente ſuſcepit: & quàm patienter ſubiit, tàm ſapienter adminiſtravit. Mitis in omnes, in ſe unum ſeverus, cathena ferrea ſe conſtringebat. Jejuniis ipſe addictiſſimus, gregem ſuum paſcebat non ſolùm verbo veritatis, & exemplo virtutis, ſed etiam pane liberaliter diſpenſato.

Epiſcopus à Deo electus;

virtutes in Epiſcopatu

Quam liberalitatem, ut oſtenderet ſibi gratiſſimam, inſigni miraculo cumulavit Deus.... Chriſtianæ Reipublicæ clavum ea tempeſtate Urbanus Quintus regebat: qui ut optimè noverat Andreæ virtutes, ad componenda quædam in urbe Bononienſi Civium diſſidia, illum ſui Nuntii nomine ſumma cum poteſtate tranſmiſit. Ivit ille Bononiam: audivit partes: compoſuit diſſenſiones: acerbiſſima odia extirpavit, amiciſſimam inſevit pacem: ut uſurpare meritò potuerit Cæſareas illas voces: Veni, vidi, vici.... Vitam denique ſanctiſſimè traductam fœliciſſimâ morte coronavit Andreas; quam ipſe nocte Epiphaniam ſubſequente obeundam, à Virgine ſibi viſa prædidicit Natali Chriſti Domini nocte poſt ſacrum celebratum... Ubi fortunata nox acceſſit, eadem Dei Mater ad ejus animum in Cœlum comitandum (quod promiſerat) rediit. Cumque cubiculum univerſum meridiana luce fulgeret; flos ille virtutum pulcherrimus ex Eremo terrarum, Virginali manu tranſlatus eſt in cœleſtem Paradiſum, unde plurima mortalibus edidit ſuæ fœlicitatis argumenta. Nam & ejus corpus incorruptum, admirabilem jugiter fundit odorem, ſanandis ægritudinibus ſalutarem: adeo vel ipſum floris hujuſce cadaver odoratum eſt: & ſepulchrum innumeris eſt illuſtre miraculis: & patrocinium Patriæ Florentiæ fuit in inſigni de hoſtibus victoria luculentum....

Bononienſium diſſenſiones componit:

obitum prædictum à Virg. Deipara.

quæ & morienti adeſt,

Reliquum jam eſt, ut Tu Beatiſſime Pater, quâ maximâ poſt Deum polles auctoritate, debita virtutibus tantis præmia rependas: quem Cœlo donavit Deus, cumules Tu quoque veneratione terrarum.

Supplicatio pro Canonizatione.

RESPONSIO.

Ioannis Ciampoli Secretarii Apoſtolici domeſtici Sanctiſſimi D. N. Vrbani Octavi.

848. Iucunda prorſus ad Pontificias aures accidit oratio.... Tales Beati Antiſtitis virtutes commemoratæ ſunt, ut miracula, quæ habentur beneficia cœli, in conſortium Divinæ poteſtatis homines vocantis, exiſtimentur in eo fuiſſe præmia meritorum, hæreditatem Domini jure adoptionis adeuntium. Videntur planè non temerè decerni poſſe obſequia mortalium Magno illi Sacerdoti, de cujus ſanctitate ſe gloriaturam ipſa Angelorum Regina pronunciavit.... Verùm quamvis juratos teſtes auditos, & acta ritè confecta cognoſcat Sanctiſſimus Dominus Noſter, tamen in cœleſti negotio tranſigendo majorem vim ineſſe intelligit in fidei lumine, & orationibus juſtorum, quàm in conſiliis prudentiæ, & judicum diſceptationibus. Proinde hortatur omnes, ut jejuniis, eleëmoſynis, ac precibus evocent Pontificiæ menti radium Spiritus ſancti patefacientis

Reſponſum nomine Sum. Pont.

IV. FEBR. cientis arcana æternitatis. Ipſe verò (a) rogabit ſententias Venerab. fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium; tum autem Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos audiet in Vrbe commorantes. Fas enim eſt in declarandis cohæredibus Chriſti audiri ſuffragia terrarum, & cæleſtis impulſum Numinis expectari.

(a) *In hanc ſententiam reſpondere me juſſit Sanctiſſ. Dominus noſter elegantiſſimæ orationi modò habitæ.*

ANNOT. (a) ROGABIT Sententias Ven. Fratr. ſuor. S. R. E. Cardinal. *Sententiæ, ſeu ſuffragia Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſ. & Epiſcoporum de S. Andrea Corſino ſubſequuntur hic infrà.*

Ratio abbreviatæ utriuſque orationis præcedentis. *Erunt fortè, qui utramque illam elegantiſſimam orationem hoc loco integram deſiderarent. Aſt mediâ incedere viâ viſum convenientius. Hinc exhibita inde vita brevi epitome, & propoſitis præcipuis virtutibus, idque oblectantibus cothurnis, utile miſcentibus dulci, pulchrum proponitur imitationis exemplum, quod ſit ad pietatem veluti calcar, & incitamentum ſuaviter trahens (& hic præcipuus eſſe debet finis conſcribendi vitas Sanctorum) iſthinc verò evitatur non neceſſaria prolixitas, repetitione eorumdem, quæ in ſequenti vita narrantur.*

Fæſulæ an per æ vel e. 849. NOTA: Feſulæ (*per e*) & Fæſulæ (*per æ*) promiſcuè uſurpari. *Franciſcus Venturius, Bollandus, & alii nonnulli ſcribunt per æ Fæſulanus: in Actis Canonizationis S. Andreæ in Relatione Cardinalis Deti, Oratione Comitis Antonii Montecatini, in Surio, & pleriſque aliis nuncupatur* Feſulanus, *ita quoque in Breviario Carmelitano, cui nos conformamus: at in vita quæ ſequitur, reliquimus, ſicut in Romano impreſſo habetur, per æ. De civitate illa vide in vita iſta ſequenti cap. 5.*

VITA

AUCTORE

R.mo D. FRANCISCO VENTURIO EPISCOPO S. SEVERI.

Ex impreſſo Romano

Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſ. P. Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici.

A. Epiſc. Bellicaſtren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Rodulfius ſacri Palatii Magiſter, ac Ordinis Prædicatorum Vicarius Apoſtolicus.

Sanctiſsimo, ac Beatiſsimo Patri, & Domino noſtro,

VRBANO OCTAVO PONT. MAX.

FRANCISCVS EPISCOPVS S. SEVERI Perpetuam Felicitatem.

850. M*Vltis nominibus, Beatiſſime Pater, debet S. V. Chriſtianus orbis, quæ recenſere, nec inſtituti mei, nec virium eſt; ſed æternâ memoriâ ob eorum magnitudinem conſignata illuſtre S. V. nomen omnibus futuris ſæculis efficiens: inter quæ haud poſtremum illud cenſendum eſt, quòd Beatum Andream Corſinum Carmelitam, Feſulanæ Eccleſiæ Antiſtitem, in Sanctorum numerum adſcripſit: hoc enim facto, & Epiſcoporum vigilantiæ, & regularium diſciplinæ, à quibus duobus rei Chriſtianæ conditio magna ex parte dependere videtur, conſuluit. Poſito etenim tam excelſo loco vitæ ipſius exemplo, qui in utroque ſtatu eximius, ac planè admirabilis fuit, habebit eorum unuſquiſque quod intueri, ac imitari poſſit ad partes ſuas egregiè implendas, atque exornandas. Accedit & id, quod & ſi à S. V. ſæpè dictum, ac ſæpius auditum eſt, hoc tamen loco omittendum non videtur: Sanctum hunc hominem eo præcipuè chariſmate divinitus ornatum fuiſſe, ut non modò diſſidia componeret, ſed & incendia bellorum reſtingueret: quæ poſt mortem etiam glorioſè præſtitiſſe certum eſt. Sapientiſſimè igitur hoc potiſſimum tempore ejus Veneratio à S. V. in Eccleſia aucta fuit, quo bellorum turbinibus univerſus penè terrarum orbis, ac Italia præcipuè, inhorreſcit. Quod ſi, ut ſperandum videtur, hujus ſancti Antiſtitis precibus propitiatus Deus has tempeſtates ſedaverit; profectò S. V. beneficio adſcribendum erit, quòd ſalutare hoc ſidus tam opportunè Chriſtianis omnibus oſtentarit. Illius ego Vitam, ut tanquam à capite & fonte ad univerſam Eccleſiam promanet, uberioreſque afferat fructus, auctâ S. V. benedictione, Ei humillimè offero; Deumque enixè rogo, ut ad Chriſtianæ Reip. utilitatem diuturnam ei vitam largiatur, votorumque omnium, quæ certè ad Eccleſiæ gloriam ſemper, ac profectum pertinent, compotem efficiat.*

S. Andreaſ perfectiſſimum exemplar Epiſcopis, & Religioſis.

CAPUT PRIMUM.

Sancti Eccleſiam exornantes, & illuminantes, inſtar ſtellarum: inter quos ſingulariter coruſcat S. Andreas Corſinus.

851. V Nigenitus Dei Filius, Dominus; ac Redemptor noſter, cùm humanæ ignorantiæ tempora deſpiciens, ad docendum populos viam prudentiæ, in orbem terrarum de ſinu Patris deſcendiſſet, & æternæ vitæ verba mortalibus tradidiſſet; non præceptis modò, ſententiiſque, quod multi è ſæculi Sapientibus fecerunt, ſed operibus etiam factiſque doctrinæ ſuæ fundamenta conſtituit, ut qui tam ſublimi, & hactenus inauditæ diſciplinæ nomen daturi eſſent, non diſceptationibus, & doctis fabulis intendendum, ſed opere, & veritate cæleſtes virtutes exercendas ſibi eſſe intelligerent. Et ipſe quidem, ut verba factis approbarentur, ſanctiſſimæ, ac innocentiſſimæ vitæ ſuæ, tanquam eorum omnium, quæ docuerat, abſolutiſſimum exemplar humano generi propoſuit, atque ad illud imitandum non ſolùm plurimis exhortationibus invitavit; ſed & cæleſtis Dexteræ auxilio promiſſo homines animavit. Sed ne tantarum, ac tam eximiarum virtutum radiis humanæ mentis acies hebetata, à propoſita ſibi ſpe decideret; idem

Chriſtus docuit quòd magis opere quàm præceptis intendendum virtutibus.

Ipſe hâc in re ſeipſum exhibuit abſolutiſſ. exemplar.

Dominus

IV. Febr. Dominus noſter in miſericordia dives, eamque adhuc uberiùs ſuper humanum genus effundens, ad eum rediens, qui ipſum miſerat, homines plurimos reliquit, ejuſdem quidem nobiſcum naturæ conditioniſque, egregiâ tamen virtutum excellentiâ præſtantes, quorum nos imitatores eſſe poſſemus, ſicut ipſi Chriſti fuiſſent: quorum numerus jam ab initio exorientis Eccleſiæ adeò auctus eſt, ut in ſacris Litteris etiam arenæ maris exæquetur.

Poſt ipſum Sanctis plurimos ſectanda exempla.

852. Et ſanè, quemadmodum in mundi exordiis quamvis Deus Spiritu oris ſui cęlum firmaſſet, ac innumeros ſyderum ſplendores, qui obſcuritatem noctis illuminarent, accendiſſet, non tamen ipſius poteſtas; vireſque defecerunt, quin etiam novas ſtellas opportunis temporibus exoriri faciat, quæ inſolitis ſplendoribus nos in admirationem convertant: ita quamvis idem Deus, ac Dominus noſter in principio naſcentis Eccleſiæ Sanctos, ac electos ſuos ſuper ſtellarum numerum multiplicaſſet, dans eis lumen indeficiens, ut per hujus ſæculi noctem lucerent; non tamen defecerunt miſerationes ejus, quin ſecundùm præordinata ſapientiæ ſuæ tempora, novos oſtendat in Eccleſia Sanctorum ſplendores, qui nos ad ſerviendum Deo quaſi de proximo excitent, vitamque ſuam nobis imitandum exhibeant. Idque non raro, ſed adeò frequenter præſtitit, ut nullo unquam tempore defecerit in bellorum procellis fortitudo Martyrum, nec in pacis tranquillitate ſapientia Doctorum, nec in utroque tempore integritas Virginum, ſanctimonia Monachorum, & vigilantia Præſulũ; ut nunquam deeſſe poſſit cuicunque fidelium ordini, in quocunque temporis ſtatu, non ſolùm quod imitetur, ſed & quo lætetur & exultet; ut omnis Eccleſia juſtorum in decore ſuo ſemper glorificet Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et quamvis in omnibus his ſapientia ejus mirabilis appareat; attamen quoniam ſancti Pontifices, omnium Ordinum duces, & agminum Dei viventis Principes ac ductores ſunt, quique non ſolum verbis præceptiſque eas inſtruere, ſed, quod præcipuum eſt, ſe ipſos præſtare debent exemplum bonorum operum; maximum, ac inſigne Dei beneficium cenſendum profectò eſt, cùm aliquem Antiſtitem in Eccleſia ſuſcitat, qui inter Sanctos juſtoſque ſanctitate, ac juſtitia eximiè floreat; & demum, qui non ſolum gregi, ſed ipſis etiam gregum paſtoribus ſe prętet exemplum.

& veluti ſtellæ illuminantes, & accendentes:

in omni ſæculo, ac quolibet fidelium ordine nova

& quidem in ordine Pontificum ſeu Præſulũ,

853. Novum igitur, ac admirabile lumen in diebus patrum noſtrorum creavit Deus ſuper terram, Andream Epiſcopum Feſulanum: qui egregia vitæ ſanctimonia, & virtutum excellentia coram Deo, & hominibus præfulgens, tali tantaque ſolicitudine gregis ſibi commiſſi cuſtodiæ invigilavit, ut uberrimos ex eo in domo cæleſtis patris-familias fructus referret. Signis etiam prodigiiſque ab eo qui in Sanctis ſuis eſt admirabilis, adeò auctus eſt, ut inter præcipua Catholicæ Eccleſiæ decora meritò habendus ſit. Hunc nuper magno Eccleſiæ beneficio Sanctiſſimus Dominus noſter Urbanus Octavus Pont. Max. in Sanctorum Pontificum numerum retulit: ut quem jam pridem Chriſtianus Orbis ob egregia virtutum merita honorabat, & reverebatur; nunc etiam addito ab ipſo Chriſti Vicario ſolemni ſanctitatis elogio, ampliori etiam cultu veneretur; & illuſtri, perennique memoria non ſolum vivat, ſed per univerſum terrarum Orbem ejus præconia propagentur; ut tam egregiis exemplis ad virtutem erudiens multos, remque Chriſtianam aſſiduis precibus apud Deum protegens, perpetui ſacerdotii quodam modo in Eccleſia obtineat dignitatem. Ejus nos vitam ſcripturi ea præſertim referemus, quæ in actis apud Sedem Apoſtolicam relata certiſſimâ fide conſtant; nec ea omittentes, quæ in antiquis monumentis in hunc uſque diem à temporum injuria vindicata ſuperſunt. Plurima ex rebus ejus geſtis, eaque præclara excidiſſe, nullus profectò ambiget, qui & inſignem Viri ſanctimoniam, & ætatis illius rebus hujuſmodi conſcribendis, conſervandiſque negligentiam animadverterit: ſed nos ea quæ adhuc reſtant ſatis futura arbitramur ad ejus ſanctitatem celebrandam, & totius Chriſtiani populi erga ipſum devotionem excitandam.

Novum, & admirabile lumen illuxit S. Andreas Corſinus;

cujus egregia exempla ad virtutes erudiunt multos:

Vita ejus quæ ſequitur, unde,

CAP. II.

S. Andreæ ex illuſtri parentela ortus inſigni præſagio comitante: educatio: adoleſcentia: memorabilis converſio ad Monaſticum inſtitutum.

854. ANDREAS igitur Florentiæ ortus eſt ex (a) Corſina Familia, cujus antiquitatem, & claritudinẽ, atque per multorum ſæculorum ſeriem continuatam, tum honorum, tum opum affluentiam, non ſolùm privata domûs monumenta, ſed publicæ etiam Civitatis Florentinæ tabulæ, & ampliſſima, tum ſacra, tum profana ædificia atteſtantur, nec facilè quemquam inveneris, qui Reip. Florentinæ res geſtas conſcripſerit, qui non alicujus ex hac gente præclari viri, aut ſupremorum Magiſtratuum honore, aut graviſſimarum pro patria Legationum munere fungentis, honorificè meminerit. Frequentiſſimis etiam iiſdemque maximis Eccleſiaſticis dignitatibus cohoneſtata eſt; ut non immeritò inter primarias ejus urbis Familias ſemper habita ſit. Hæc breviter commemoraſſe voluimus, non quòd Andreas hæc aliquo loco habenda putarit; qui probè ſciret eorum, qui verè Chriſtianam pietatem colerent, eam eſſe veram, & certiſſimam nobilitatem, quæ acquiritur ex adoptione in filios Dei: ſed ut liquido appareat, quàm magnis eximiiſque ſæculi bonis ſponte abdicatis, ſe ad humilem, abjectamque regularis vitæ paupertatem contulerit.

Stirpis ejus claritudo.

(a)

IV. FEBR.

Parentes ejus, *Diu ſteriles,* *impetrarunt ſilium,*

855. Ex hac igitur Familia Nicolao patre, & matre Peregrina, æque nobili, ac præſtanti pietate fœmina, Andreas natus eſt; eoque nomine appellatus, quòd die ejuſdem Apoſtoli ſolemnitate celebri in lucem editus fuerit. Parentes pii cùm diu ſteriles fuiſſent, eum precibus à Deo impetrarunt, voto inſuper nuncupato, ſe eum Dei cultui, ac præſertim Beatæ Mariæ Virginis obſequio mancipaturos: idque non ſine miraculo. Nam cùm uterque in Cathedrali Eccleſia in concione audiſſet, antiquæ legis præcepto primogenita quæque Deo offerri debere, tanquam ſibi ea dicta forent, primogenitum ſuum uterque eorum altero neſciente, concordibus tamen votis, Deo devovit. Quam etiam ſponſionē poſt haud multum temporis communi conſilio (b) ante B. Mariæ Virginis imaginem, quæ in æde Carmelitarum hodieque religioſè colitur, una iterarunt. Et ſanè ut Dei beneficia ampliſſima ſemper, ac uberrima ſunt, non illo tantùm filio, ſed numeroſâ etiam deinceps ſobole eorum Familia aucta eſt.

facto voto, (b) ante imag. B. V. Mariæ in æde Carmelit.

Mater in quiete viſa parere lupũ, qui in agnum mutatur:

856. Et quoniam eorum nativitas, quorum eſt in Eccleſia inſignis futura ſanctitas, aliquo ut plurimùm præſagio nobilitatur, quo manifeſta Dei providentia oſtendatur, nec illud huic Sancto defuit: Nam Peregrina mater, ea quæ partum præceſſit nocte, in quiete ſibi viſa eſt parere lupum, qui Eccleſiam ingreſſus repentè in agnum verteretur. Andreas igitur liberaliter, ac piè educatus, ac literis in pueritia excultus, eximiè à parentibus tum ob ingenii ſolertiam, tum etiam ob egregiũ corporis habitum diligebatur. Cùm verò adoleſcentiæ fines attigiſſet, in præceps penè, impellente humani generis hoſte, lapſus eſt: nam contemptis præceptoribus, ſpretâq; parentum diſciplinâ, ſe penitus ſæculi deliciis, illecebriſque tradidit, immerſitque; totuſque erat in venatoriis canibus alendis, ac equis comparandis; ſumptuoſus præterea, profuſuſque, rixarum, ac diſcordiarum avidus; &, quod deterius his omnibus, in parentes contumax, & contumelioſus, & cujuſcunque admonitionis impatiens erat: majoraque creſcente ætate auſurus facinora videbatur. Sed Deus, qui illum ad Eccleſiam ſuam ſanctitate, ac exemplis illuſtrandam ante omnia ſæcula præordinarat, manum ſuppoſuit, ne lapſus collideretur. Admirabile enim dictu eſt, in imbecilla, ac tenera illa ætate, atque adeo ad voluptates corporis prona, inter tot tantaque incitamenta vitiorum, uſque eò Divina gratia eum adjutum fuiſſe, ut virginitatis decus integrum ſervaverit. Quod Beatæ Mariæ Virginis, cujus ſervitio devotus erat, ſpeciali tutelæ proculdubio adſcribendum eſt.

inſtruitur literis, *diſſolutè vivit,* *tamen virginitatem ejus integram ſervat,* *Virginis M. tutelâ.*

Accidit igitur, dum ipſum mater acriùs objurgat, ejuſque vivendi licentiam corripit, ut fortè diceret, ſe verè eum videre lupum, quem in ſomnis parere ſibi viſa eſſet. Quo verbo adoleſcens graviter commotus, ſeriò matrem rogare cœpit, ut dilucidè quid hoc rei eſſet aperiret: Mater cùm viſum enarraſſet, atque anteactæ vitæ peccata erroreſque exprobraſſet, id ſubjecit, quandoquidem hactenus lupi ſpeciem retuliſſet, reliquum eſſe, ut Eccleſiam ingreſſus agnus fieret, unàque admonuit, quòd ante ejus conceptionem parentes, tanquam matrimonii primitias, cum communi voto Deo in B. Virginis Mariæ obſequium deſtinaſſent. Quæ verba cum ad intima cordis Andreæ penetraſſent, mirum in modum animum ejus commoverunt: atque illuceſcentibus jam Divinæ gratiæ radiis, continere ſe non valuit, quin domo exiliens ad ædem B. Mariæ Virginis Carmelitarum properaret: quam ingreſſus, atque ante ejuſdem B. Virginis imaginem diu proſtratus, præteritorum delictorum veniam petiit, atque ut ſe in ſervorum ſuorum numerum benignè ſuſciperet, humillimè precatus eſt.

mirabiliter ejus converſio, *& votum, & ingreſſus ad B. Virginis Carmelitanam* ...

857. Demum ſurgens Hieronymum Melioratum, ſpectatæ ſanctimoniæ ac prudentiæ virum, qui tunc temporis Carmelitarum Ordinem in Hetruria gubernabat, adiit, rogans, obſecranſque, ut ſe ad ejus Inſtituti vitam admitteret, veſteſque ſacras, ei ſodalitio conſuetas, elargiretur: Hieronymus multum admiratus, quòd primarius adoleſcentulus, in ſæculi deliciis enutritus, liberiſque ac diſſolutis hactenus moribus, tam arduum vitæ genus amplecti vellet; veritus ne juvenili potiùs levitate, quàm ſancti Spiritus inſtinctu hoc faceret, noluit in re tanta quicquam temerè ſtatuere: ſed ipſo admonito, ut tantiſper in Eccleſia ſubſiſteret, duos è ſodalibus ſuis ad ejus parentes miſit, qui eis rem nunciarent, ipſorumque ſententiam in eo negotio explorarent. Parentes vero, ut erant pii, ac religioſi, non modò ex tam improviſo nuncio nulla moleſtia affecti ſunt; ſed haud mediocri cum gaudio acceperunt, quòd filius, ipſorum deſideria, qui eum Beatæ Mariæ Virginis ſervitio jam antea dedicaſſent, anteverteret: celeriterque ad Eccleſiam accurrentes, filiumque amplexi, ac vehementer ipſius conſilium approbantes, ad inceptum opus perficiendum hortati ſunt.

ANNOT. (a) Corſina familia *De illa annotat Bollandus ad XXX. Januarii in priore vita ad cap. 1* Familia de Corſinis ab an. Chr. 1282 frequenter ſupremos Florentiæ Magiſtratus geſſit, in graviſſimis bellis egregios illi Reip. Duces dedit, & Legatos ad maximos quoſque Principes, teſte Montecatino. Ex eadem familia Epiſcopi Florentini extitêre *Petrus*, dein Cardinalis, & *Aymericus*, qui a Martino V. an. Chr. 1420 primus ejuſdem urbis Archiepiſcopus conſtitutus eſt. *Petrus ille Cardinalis eſt, ad quem Bernardus Oliverius direxit Informationem Summo Pontifici exhibendam: quæ habetur Tomo præcedenti: vide num* 737 *&* 738. Ex eadem *Corſina familia fuit Octavius Archiepiſcopus Tarſenſis, cujus mentio erit hic infrà cap* 8.

Corſina familia viros præclaros vel dedit illuſtres,

(b) Ante B. Mariæ Virginis imaginem, quæ in æde Carmelitarum hodièque religioſe colitur. *De iſta imagine nuncupata:* Noſtra Domina de populo, *vide plura hic ſuprà num.* 835. *&* 842.

CAP.

CAP. III.

Ingreſſus in Ordinem B. Virginis Mariæ: tirocinium: profeſſio: virtutum heroicarum exercitatio.

858. Hieronymus igitur Andream in ejus cœnobii fratrum conſortium recepit, & religioſis veſtibus, ipſis præſentibus, non ſine ingenti omnium lætitia induit. Qui ſuſcepto religionis habitu, incredibile dictu eſt, ut ſtatim in alium hominem converſus, omnium etiam Chriſtianarum virtutum habitum in animo ſuſceperit. Et quoniam tanquam Dei filius, & ſpiritu ejus actus, edoctuſque, optime cognoverat, humilitatem omnium Chriſtianarum virtutum fundamentum eſſe; eam adeò ardenti ſtudio ſectatus eſt, ut omnibus etiam provectioribus, non modò admirationi, ſed & exemplo eſſet. Nam viliora & ſordidiora quæque domus miniſteria non ſolùm libentiſſimè exercebat; ſed, ut ceteri mortales, honores, dignitateſque affectare & concupiſcere ſolent, ſic ille hujuſmodi munia expetebat, exambiebatque. Ipſe enim Monaſterii conclavia ſcopis verrere, ipſe Fratrum veſtimenta abluere, patinas, ollaſque purgare, ipſe denique etiam jumenta, ſi quando aderant in ſtabulis, procurare. Quin etiam, cùm ſtatutis diebus panem pro Collegii victu oſtiatim per Fratrés emendicandi mos eſſet; id officium ſibi, tanquam omnium humillimum, depopoſcit, avidiſſiméque arripuit, & non ſine ingenti, tum antiquorum ſodalium, tum etiam cognatorum irriſione exercuit; qui cum, quoties in ipſos incideret (incidebat autem frequenter, nam id ipſe affectabat) procacibus verbis ultrò appetentes, inertem, ſtolidumque vocitabant, caſque omnes contumelias in illum ingerebant, quas parùm religioſi homines in hujuſmodi inſtituti ſectatores evomere ſolent. Quibus injuriis non modò Andreas non commovebatur, ſed planè mirifico afficiebatur gaudio, gratias referens Deo, quòd ſe voti compotem faceret: ad ea enim ferenda ſe illam vitæ rationem iniiſſe dicebat; illudque eſſe verè Chriſtum imitari, ſi ad ejus exemplum, qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, irriſiones, opprobria, & maledicta æquo animo ſuſtineamus.

humilitati impensè ſtudet,

viliora miniſteria libenter exercet,

oſtiatim panem quæritans, irridetur, & ſannis petitur:

patienter & libenter patitur,

859. Tam profundæ humilitati inſidias tendens ſuperbiæ magiſter, variis tentationibus, ac illuſionibus ſanctum juvenem exagitabat, atque à recto tramite, quem inſtituerat, avertere conabatur; adeò ut ſub ementitis etiam formis, ejus conſtantiam labefactare aggreſſus ſit. Cùm etenim prandentibus Fratribus januæ cuſtodiam ageret, juſſus ne quemquam domum ingredi ſineret; ipſe cum magno ſatellitum tumultu, tanquam dives & præpotens aliquis civis, januæ fores protervè percuſſit: atque Andreæ per feneſtellam, quid ſibi vellet inquirenti, reſpondit ſe agnatum ejus eſſe, atque ut eum ab ignominia, & ſordibus illius inſtituti abduceret, & ad delicias paternæ domus, & Reipublicæ dignitates, quas certè maximas conſequuturus eſſet, revocaret, adveniſſe: Parentes etenim ſpecioſiſſimam, eandemque opulentiſſimam virginem ei in matrimonium tradere ſtatuiſſe; proinde fores aperiret, ut commodiùs ſecum de tantis rebus agere poſſet. Andreas hæc audiens, & diaboli fraudes agnoſcens, reſpondit ſe humilem Jeſu Chriſti vitam, ac paupertatem imitandam ſuſcepiſſe, neque ab eo propoſito dimoveri poſſe, nec amplius ad ſæculum Deo juvante reverſurum: præceptum ſibi à Præpoſitis fuiſſe, ne fores aperiret, eorumque mandatis omnino parendum eſſe. Quibus auditis, ſpiritus nefarius cum ſuo ſpectro, ſancti Adoleſcentis ſtabili obedientiâ, & humilitate devictus, prorſus evanuit.

à dæmone vehementer exagitatur.

ad ſeculum revocantem generoſè repellit:

860. Expleto Probationis tempore, cùm ad inſtituta regularia perpetuò ſervanda voto ſe obſtringere deberet, magnis propinquorum amicorumque certaminibus oppugnatus fuit, ut ab incepto reſiliret; ſed Andreas Dei gratiâ munitus, magnâ animi conſtantiâ omnia vincens, prolatis Profeſſionis conceptis verbis, ſuo congruentes Ordini veſtes aſſumpſit. Oblato hoc Deo propriæ voluntatis ſacrificio, dici non poteſt, quàm magnum incrementum omnes Andreæ virtutes divinitus acceperint. Et primùm quidem, devotionis ardor in eo tantus fuit, ut prorſus ſui, ut Deo vacaret, obliviſceretur. Divinis officiis in Eccleſia adeo intentus intererat, ut verè Deo colloqui videretur: ſemper verò omnium primus in choro aderat, poſtremus inde diſcedebat. Sed cùm privatim Deo preces offerret, ea attentione, & cura ſanctiſſimo huic operi incumbebat, ut prorſus ab omni ſenſu abalienaretur: ſæpiuſque evenerit, cùm in Florentino cœnobio janitorem ageret, atque ante Beatæ Mariæ Virginis imaginem, quæ in atrio propè Eccleſiæ interiorem januam adhuc oſtenditur, genibus flexis oraret, Fratreſque poſt cœnam inde ad referendas Deo gratias Eccleſiam pſalmos concinentes, ut moris eſt, ingrederentur, ut nec viderit eos nec planè audierit: cumque id frequenter contingeret, increbuit rumor, Andream cum oraret, ſurdum, mutum, ac cæcum effici: atque idcirco, ut ſine impedimento, ac liberiùs Deum obſecrare poſſet, ſolitudinem cupidiſſimè affectabat. Silentii verò ita tenax erat, ut vix, ac neceſſitate demum cogente, loqueretur. In ſacrorum librorum lectione aſſiduus verſabatur.

profeſſionē inſtante graviter ab amicis oppugnatur:

firmior in propoſito facit profeſſionem:

diligentiſſ. ad divina officia, & in iis valdè attentus,

ſingulariter devotus B. V. M.

orans per vo-tum videbatur ſurdus, mutus, cæcus.

ſilentii tenax,

861. Corpus autem ſuum mirum in modum affligens, in ſervitutem ſpiritus, quaſi facta vi,

corpus variè affligit,

IV. FEBR.

vi, adigebat; ab omni enim carnium eſu, quamvis adverſa etiam uteretur valetudine, perpetuo ad mortem uſque abſtinuit. Tribus per hebdomadam diebus pane & aqua victitans, iiſque non ad ſatietatem, ſed ad conſtitutam menſuram; ceterorum ciborum ſibi uſu interdicto, jejunia obſervabat. Cilicio, & quidem aſperrimo, die noctuque uſus eſt. Humi, fœno tantum ſuperſtrato, nec diuturnam ſibi quietem indulgens, dormiebat. Ferreis ut plurimum flagris, pſalmoſque proferens, ſingulis diebus ante Chriſti cruci affixi imaginem adeo ſeverè ſe diverberabat, ut copioſius ſemper ſanguis profluerer. Demum, ita duriter ſe excruciabat, ut neceſſe fuerit cœnobii Præfecto, ad cujus præſcriptum Andreas etiam hæc occultiora opera moderabatur, cum ſæpius admonere, ut mitius ſecum ageret. Adeo verò cautis cuſtodiis ab omni incontinentiæ occaſione ſenſus omnes, ac animum ſepſit, ut nedum ceterarum mulierum, ſed nec matris congreſſus, neque etiam aſpectum admitteret: ſi quando verò urgens neceſſitas eum ad fœminarum colloquia adigeret, id pacto cum oculis ſuis fœdere, faciebat, ut humi perpetuo defixi, numquam prorſus attollerentur. Adeo ſibi rigidus duruſque, erga alios mitis, ac mirificè lenis fuit.

jejuniis, cilicio, ferreis flagris,

in eo mirabilis oculorum cuſtodia;

ſibi rigidus, mitis aliis,

862. Ingens enim chriſtianæ charitatis ardor, quæ divinitus in corde ejus diffuſa erat, in omnes eum benignum, ac beneficum efficiebat: præcipuo tamen erga inopes ægrotoſque affectu commovebatur. Et pauperes ſanè cùm per vota Profeſſionis de facultatibus ſuis juvare non valeret, quod tamen poterat alacriter præſtabat; nam cùm panes, & cibaria mendicis ad januam congregatis diſtribuere loci conſuetudo eſſet, id ſibi muneris à Præfectis expetivit, obtinuitque, ut omnium Fratrum vice, ipſe eleëmoſynas pauperibus faceret; id ſibi gloriæ ducens, ut quod ab omnibus fiebat, ſuis potiſſimum manibus fieret. Infirmis verò ita inſerviebat; ut non ſolùm ea quæ ad corporis ſalutem facerent, ſed & diligentiùs quæ ad profectum animæ conducerent procuraret, idque non ſolùm ægrotis Fratribus ſui cœnobii præſtabat, ſed latiùs etiam ejuſmodi beneficentia in propinquos, & cives omnes effundebatur. Hunc eximiæ charitatis effectum ſignis prodigiiſque Deus ſæpenumerò illuſtravit. Ægrotabat Joannes Corſinus ejus agnatus ulcere in crure incurabili, quod Herpetem medici vocant. Is ut gravitatem, moleſtiamque morbi allevaret, in alium deteriorem morbum incurrerat: inſtituerat enim domi ſuæ publicam aleam, quò infortunarum, animarumque perniciem quamplurimi quotidie ex Florentina juventute confluebant. Andreas hominis miſertus, quòd in exitium non tantum ipſe rueret, ſed & alios traheret, ipſum adiit, certiſſimamque illi ſpopondit ſanitatem, ſi ſeptem dierum jejunium in honorem Beatæ Mariæ Virginis ſervaret, & quas ipſe deſignaſſet preces recitaret; clausâ interim penitus aleatoribus domo. Is primùm contemnere & deridere, ac ut verboſum, fatuumque ſpernere, ſeu quòd animo haud valde ad religionem propenſo eſſet, ſeu quòd eum tanti apud Deum meriti haud exiſtimaret, ut hæc præſtare poſſet. Cùm verò tam deſideratæ rei pollicitationem conſtanter Andream aſſerere animadvertiſſet, admiratus, vel ſanctitatem, vel ſimplicitatem hominis, promiſit ſe imperata facturum, ac re ipſa perfecit, lapſiſque ſeptem præſtitutis diebus ſanus effectus eſt: domoque ab Andrea ad Eccleſiam deductus, cùm gratias ante Deiparæ Virginis imaginem Deo egiſſet, faſcias ſolvit, ac tibiam prius putridam, & ad os uſque corroſam, ſuæ integritati prorſus reſtitutam invenit.

præſertim ægrotis, & pauperibus,

libenter eleemoſynas diſtribuit.

Infirmis etiam ſpiritualiter proſpiciebat:

ægrum à luſu aleatorio revocat,

indictis jejunio, & precibus,

Diva Virg. ope ſanitatem ei impetrat.

CAP. IV.

Sacerdotium inſigni favore B. Virginis decoratum: cæci illuminatio: monaſterii præfectura: miracula alia: prophetica prædictio.

863. Sacris verò ordinibus initiatus, ac ad Sacerdotii dignitatem evectus, cùm ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium primùm celebraturus eſſet, audiſſetque agnatos, & propinquos omnes magnifico apparatu, ac ſolemni pompâ eam celebritatem honeſtare velle; ut qui jam dudum omne opus ſuum ſuper humilitatis fundamentum ædificare conſtituiſſet, ſæculi faſtum ſuperbiamque devitans, primitias ſacerdotii ſui cum omni humilitate, ac mentis tranquillitate Domino offerre deliberavit: ac facultate à Præfectis accepta, tanquam columba elongavit ſe, & fugit in ſolitudinem; atque ad ejuſdem inſtituti Monaſterium, quod *Ad ſylvas* dicitur, & à Florentina Civitate ſeptem millibus paſſuum abeſt, acceſſit, ibique immaculatum ſacrificium Deo acceptiſſimum novus Sacerdos immolavit: Quique hominum cœtus, honoreſque fugiebat, cæleſtes, eoſque maximos, ac plane admirabiles adeptus eſt. Nam ſacris myſteriis completis, B. Dei Genitrix miro effulgens ſplendore, & multorum Angelorum circumdata coronâ, ad altare ſe ei manifeſtè videndam præbuit, eumque ſibi famulum elegit, tutiſſimum ei in hujus vitæ fluctibus patrocinium, ac perfugium promittens, his verbis eum alloquuta: SERVUS MEUS ES TU, QUIA ELEGI TE, ET IN TE GLORIABOR: ac mirifica perfuſum dulcedine, & cæleſtium rerum deſiderio flagrantem relinquens, ab ejus oculis diſceſſit.

humilitatis ſtudio pompas fugiens, primitias ſacerdotii ſolitarius offert:

ideo gratiſſimũ fuit Deo, & Deiparæ:

Quæ ei apparens viſibiliter mirifica dulcedine perfundit:

Tantis ac tam eximiis muneribus à Deo decoratus Beatus Andreas non modò non extollebatur animo; ſed magis magiſq; profunda humilitate, & ceteris virtutibus proficiebat,

hinc ille humilior, & ſui contemptor:

IV. Febr. cie bat, nec enim unquam à ſordidioribus monaſterii muniis, tanquam omnium poſtremus, infimuſque ceſſavit; nihil omnino omittendum ratus, quod ad ſui contemptum omnibus ingerendum pertineret.

864. Sacerdos igitur factus Andreas, cùm præter ſanctitatis laudem ingenii quoque acumine excelleret, ne hoc etiam talentum neglectum, ac in ſudario repoſitum non abſque ingenti Eccleſiæ detrimento lateret, ad ediſcendas ſacras litteras, decreto conventus ejuſdem Ordinis Fratrum Piſis coacti, Lutetiam Pariſiorum mittitur, quo loco cùm per triennium haud ſine ingenti profectu Theologiæ operam navaſſet, inde evocatur. Acciditque. cùm in reditu Avenione, ubi tum ſummus Pontifex cum Romana Curia commorabatur, tranſiret, atque ex conſuetudine ſacras ædes viſitaret; ut Cathedralem Eccleſiam ingreſſus, in cæcum, qui pro foribus ſtipem emendicabat, incideret, quem, ut erat erga pauperes miſericors benignuſque, interrogavit, quæ cauſa ei tantum infortunii importaſſet. Reſpondit ille, ſe aurificem olim fuiſſe, familiamque ſuam eo artificio aluiſſe; ceterùm ignis aſſidui vaporibus contabuiſſe vim oculorum; cæcumque effectum, ut ſe, ac parvulos filios ſuſtentaret, mendicare coactum. Vir Dei effuſus in lacrymas, & ad altare accedens, orationi ſe diu dedit: mox ſurgens, & luſtrali aqua ipſum reſpergens, Deus, inquit, ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cæcum à nativitate videre fecit lumen cæli, ac in via cæco alteri uſum oculorum reſtituit, tibi quoque viſum ſua virtute potentiaque reſtituat: ſtatimque cæcus, admirantibus qui aderant plurimis, vidit, gratiaſque Deo egit.

Pariſios mittitur ad ſtudia:

cæco viſum reddit aſperſione aquæ luſtralis,

865. Florentiam reverſus, ac Florentini Monaſterii Prior factus, ex bono milite dux optimus evaſit; & qui dudum ſubjectionis, ac obedientiæ leges adeo exactè didicerat, exercueratque. ad officia jam imperatoria, ut in eis quoque excelleret, divina providentia parabatur. Sanctiſſimè igitur eam familiam gubernavit; & quod optimum genus ſubditos bene regendi eſt, ſe ipſum ceteris bonorum operum præbuit exemplum. Fama verò ſinctitatis jam è latebris humilitatis ejus erumpens, ubique diſpergebatur; ac ab omnibus non ſolùm honore, ſed veneratione etiam dignus habebatur. Effulgebat in eo viro inter cetera cæleſtia chariſmata, præcipuè gratia ſanitatum; eoque fiebat. ut multi ægroti, cùm medicorum artes deficerent, ab ejus meritis ſperarent, obtinerentque incolumitatem.

Prior Florentini Monaſt. eligitur.

ſanctiſſimè regit, ſeipſũ præbendo exemplum cæteris:

Gratia ſanitatum in eo effulget:

866. Prædives & nobilis quidam Florentinus civis filiam unicam virginem habebat, quæ hectica febri adeo vexabatur, ut medici, nihil eorum artibus proficientibus, de ſalute ejus prorſus deſperarent. Illa tamen de miſericordia Dei, & ſancti viri charitate non deſperans, patrem rogavit, ut Andream ad ſe inviſendam adduceret; pro certo enim credere, ſi ab ejus manibus, vel ſemel cibum acciperet, ſanitatem ſe recuperaturam. Rogavit igitur Andream pater, ut domum ſuam puellam inviſurus accederet, ejuſque credulitati ſatisfaceret. Reſpondit ille, ſe plurimis peccatis obnoxium eſſe, indignumque, per quem Deus talia beneficia præſtaret. At pater, & deſolationem domus ſuæ, ſi filia è vivis exceſſiſſet, fiduciamque quam de eo ipſa conceperat, cum lacrymis commemorans, rogare atque obſecrare non deſiſtebat, ut utrumque conſolaretur. Certabant in ſancti viri animo geminæ ejus præcipuæ virtutes, humilitas, & charitas: altera retrahebat, altera hortabatur, & vi quodammodò facta impellebat. Vicit tandem, quæ omnia vincit, charitas; inviſitque ægrotantem virginem Andreas: panemque vino madentem cùm puellæ comedendum tradidiſſet, Deum precatus eſt, ut qui Corpus ſuum panis & vini ſpecie obumbratum diſcipulis, ad ſalutem animæ tradidiſſet; panem quoque illum, vinumque ad ſanitatem mentis, corporiſque medelam virgini præſtandam ſanctificaret. Accepto igitur, ut optaverat, è manibus Andreæ pane puella, cùm modicum obdormiſſet, ſe ab omni ægritudine penitus liberam ſenſit; patremque advocans, ut veſtes ſibi afferentur rogavit; juſſiſſe etenim dicebat ſibi in ſomnis Andream, ut ad Eccleſiam ſtatim pergeret. Sana igitur effecta, viribuſque integris, ad Eccleſiam venit, gratiaſque ob tam eximium beneficium Deo reddidit; ac ejuſdem ſancti viri ſuaſu, virginitatem, totamque vitam ſuam Jeſu Chriſto devovit; ac Monaſterium S. Annæ Florentinæ Civitatis ingreſſa, religioſas veſtes ſuſcepit: Eam poſtmodum vir ſanctus factus Epiſcopus, Florentino Antiſtite indulgente, Sororem Thaddæam Complobeſiam nuncupatam, in Eccleſia cathedrali, ut ejus ætatis conſuetudo erat, ſolemni ritu conſecravit.

Ad puellam hecticâ laborantem, à Medicis derelictam vocatur:

panem vino intinctum orando præbet,

& ſic integre ſana ſubitò effecta,

ejus conſilio virginitatem vovit, & monaſterium ingreditur.

867. Ægrotabat eo tempore in cœnobio Florentino ejuſdem Inſtituti ſectator Ventura Piſanus hydrope veteri. Huic Andreas, nomine Domini Jeſu Chriſti invocato, digitum in os immiſit; ſtatimque ex ipſius ore omni intercute fuſa aqua, ſanus incolumiſque factus eſt. Nec illud ſane omittendum, incidiſſe ejus annum quadrageſimum ſeptimum in tempus illud univerſo humano generi luctuoſiſſimum, quo ſcilicet prodigioſa ac prorſus immanis peſtilentia univerſum terrarum orbem incredibili hominum ſtrage depopulata eſt: cùm unico tantum anno ejus ſeculi quadrageſimo octavo, intra mœnia Florentinæ Civitatis ultra centum millia hominum ſublata ferantur. Pro comperto igitur habendum eſt, hominem hunc operibus miſericordiæ adeo addictum, & qui ſui ipſius oblviſci ſolitus eſſet, ut ceteros juvaret, non fuiſſe otioſum, nec vitæ ſuæ pepercilſe: quinimo certiſſimis ſe periculis objectaſſe, ut quæ ad ſalutem tam interioris, quàm etiam exterioris hominis conducerent, ægrotantibus procuraret.

Hydropicũ, Dei invocato nomine ſubitò curat.

Peſtis luctuoſiſſima, Florentiæ auferens 100 millia hominum.

quid tunc fecerit S. Andreas,

Sed

IV. Febr. Sed hæc, quæ præclariſſima fuiſſe oportuit, incuriâ hominum, & temporum injuriâ delitescunt; & ille ſolus novit, qui videt, quæ in abſcondito à ſervis ſuis fiunt, & condigna operibus, eorum unicuique præmia rependit.

Futurorum præſcientiâ illuſtratus,

868. Futurorum etiam præſcientia virum ſanctum, ab eo, qui ad Eccleſiæ ſuæ ædificationem dona, prout vult, elargitur, inſigniter illuſtratum fuiſſe, id quod mox dicturi ſumus, oſtendit. Magno familiæ gaudio cuidam nobili viro natus erat filius. Rogatus B. Andreas, ut eum è ſacro Fonte ſuſciperet, libens aſſenſit; cùmque poſt ſalutaris undæ lavacrum in ulnis puerum haberet, flere mirum in modum cœpit. Quærentibus cognatis, quid ſibi vellent intempeſtiva hujuſmodi in tanta omnium lætitia lacrymæ, reſpondit, prævidere ſe infantem illum, niſi plane puer ex humanis rebus deceſſiſſet, aut in aliquo cœnobio religioſam vitam duxiſſet, non ſine ingenti ignominia vitâ exceſſurum, ac univerſæ domui, atque agnationi dedecori, exitioque futurum. Vaticinium à præſentibus cum riſu exceptum eſt; ſubjecitque pater, ſi eum vitam cœnobiticam ducturum crederet, ſe prorſus eum expoſiturum, nec pro ſuo educaturum. Vix juvenis vigeſimum ætatis annum attigerat, cùm conjuratione in Reipublicæ Florentinæ perniciem, cum quibuſdam factioſis hominibus initâ, occupatoque per vim caſtro quodam, ibique cædes ac latrocinia exercens, demum captus, turpiſſima meritaque morte mulctatus eſt; omneſque qui eundem agnatione proximè contingerent, antiquo urbis inſtituto, quo atrociora crimina plectere conſuevit, jure adipiſcendorum magiſtratuum adempto, omni honore, ac dignitate exuti, verum ac divinum fuiſſe ſancti viri præſagium re ipſa approbarunt.

fletu prædicit infantem toti familiæ ſuæ exitio futurum.

Id reipſa probavit eventus

CAP. V.

Epiſcopatus Dei revelatione collatus, comitante Virginis Deiparæ apparitione: eximiis virtutibus abſolutiſſimum exemplar Præſulum: liberalitas, & charitas erga egenos planè admirabilis.

869. IGitur, cùm jam tantarum ejus virtutum ſplendor magis, magiſque in dies augeretur, tempuſque adveniſſet, quo à dierum æternitate ſtatuerat Deus aureum hoc candelabrum ſuper ſacroſanctum altare ſuum conſtituere, ut perpetuò ante conſpectum ſuum multiformis gratiæ radiis luceret, atque univerſum templum illuminaret, Fulgineo Carbone Epiſcopo Fæſulano, viro pio ac prudenti, peſtilentia è vivis ſublato, Clemens Sextus ſummus Pontifex, ſeu Clero Fæſulano ſuggerente, ut temporum mores tum ferebant, ſeu tam eximiæ ejus ſanctitatis, ut veriſimilius videtur, opinione permotus, Andream Epiſcopum Fæſulanum renunciavit; literaſque ejus rei, ut moris eſt ad eum, & Clerum, populumque Fæſulanum dedit, anno ejus ſæculi quadrageſimo nono: quod adeo non ſolum præter ſpem, ſed omnem prorſus expectationem Andreæ contigit; ut nuncio accepto, ſtatim, ut eum honorem evitaret, ſe in fugam dederit, latebriſque abdiderit: cumque diu jam, fruſtra quæſitus fuiſſet, & ejus inveniendi parum ſpei ſupereſſet, Eccleſiæ Fæſulanæ Canonici quid agendum eſſet inter ſe conſultabant, Tunc Deus, qui ex ore infantium perficit laudem, ſuſcitavit ſpiritum pueri triennis, qui magnis vocibus exclamavit, *elegiſſe Deum Andream Sacerdotem ſibi, proinde in Eccleſia quadam non longè ab Urbe eum orantem inventuros.* Interim vero Andreas, Angeli, atque ipſius Angelorum, Reginæ hortatu, ac cæleſtis auxilii promiſſione firmatus, onus Epiſcopale ſuſcipere ſtatuit; renovato antiquæ Eccleſiæ exemplo, ut nolentes, fugienteſque, in Epiſcopos eligerentur, ac ad eam dignitatem idonei divino teſtimonio denotarentur. Andreas igitur ætatis ſuæ anno quadrageſimo octavo Epiſcopus Fæſulanus mira Cleri, totiuſque populi lætitia conſecratus eſt. Et quoniam de ſanctiſſimo nobilis Eccleſiæ Præſule, agendum eſt, de Fæſulana Civitate nonnulla dicenda videntur.

Epiſcopus Fæſulanus eligitur:

fugiens latebris ſe abdit:

divino indicio proditur:

Regina cœli auxilium ſpondet

870. Ea igitur inter primas quondam totius Hetruriæ urbes nobilitate, & antiquitate pollens, in prealto montis vertice conſtituta, Florentinæ urbi imminet; ipſamque totam, atque univerſa ejus ſuburbia gratiſſimo, ac ſupra quam dici poſſit pulcherrimo proſpectu intuetur: ſed illud in primis eam claram, conſpicuamque reddit, quod ab ipſo Apoſtolorum Principe Chriſtianæ Fidei rudimenta per Romulum Epiſcopum, illuc ab eo deſtinatum, ſuſcepit. Qui ſtatutâ in ea urbe Epiſcopatus ſui Sede, per univerſam fere Hetruriam Chriſtianæ fidei ſemina jecit: ibique unà cum prædicationis ſociis illuſtri pro fide Chriſti martyrio perpetrato, egregiè munere ſuo defunctus eſt. Longa dehinc ſanctorum Epiſcoporum, ac Martyrum ſeries apprime illuſtrem Fæſulanam reddit Eccleſiam. Eam civitatem Florentini, ut nimis vicinam, ac loco ſuperiorem, ad annum humanæ ſalutis milleſimum decimum expugnatam diruerunt, nulla prorſus relicta urbis forma; ſancita etiam lege, ne in eo loco ædificia excitare liceret, manſit tamen, manetque ei Epiſcopalis dignitas, cum ampliſſima diœceſi, utque olim potentia, nunc amœnitate, & cæli ſalubritate nobilis, & ingenti populorum concurſu, qui ſtatutis diebus ad colendas ſacroſanctas baſilicas tot ſanctorum Epiſcoporum, ac Martyrum pignoribus decoratas, & vicinis oppidis undique confluunt, celebris.

Fæſulana urbis, antiquitas, & ſitus,

Quando, & quomodo diruta.

871. Ad hujus igitur Eccleſiæ adminiſtrationem manifeſtâ, ut dictum eſt, Dei voca-

IV. Febr.

S. Andreas Corſinus abſolutiſſimum optimi Præſulis exemplar.

vocatione aſſumptus Andreas, ea cura divino cultui incubuit, ea vigilantia animarum ſaluti proſpexit, ea demum ſanctimonia opus ſibi divinitus demandatum explevit, (a) ut meritò omnibus Eccleſiarum paſtoribus abſolutiſſimum optimi Præſulis exemplar eſſe poſſit. Et primùm quidem, quamvis provectioris eſſet ætatis, ac diverſis morbis obnoxius, non ſolùm quicquam rigoris, quo anteacta vita ad ſenſus omnes in poteſtatem redigendos utebatur, non remiſit, ſed plurimum auxit. Non enim jam fœno dormiens incubabat; ſed, quod planè incredibile videatur, ſuper vitium ſarmentis, arborumque ſtratis ramis quieſcebat, ſuppoſito capiti, pulvini loco, ſarmentorum faſce: quamvis ad effugiendam tam duræ in ſe ipſum auſteritatis famam, pictis veſtibus cubile velaret. Ferrea præterea catena perpetuo præcingebatur, quæ ad hoc uſque tempus, populo cum veneratione oſtentatur, & ob aſperitatem, & immane pondus, magnum ſpectantibus horrorem incutit: quæ ex ejus membris tantum virtutis hauſit, ut multis ægrotis contactu ſalutem reſtituerit. Divinis officiis, quæ in Cathedrali ejus Eccleſia, die noctuque à Canonicis recitabantur, ſemper intererat; atque inde ſæpe ad aliquam ex viciniotibus Eccleſiis viſitandam, unico tantùm ex ſuis Clericis comite, occultè pergebat. Contigit autem, cùm nocte quadam ab Eccleſia, quam Abbatiam vocant, reverteretur, ut altiſſimo interclusam muro ſemitam inveniret. Miranti ſocio quiſnam tantum ædificium tam ſubito excitaſſet; reſpondit Andreas, inſidias eſſe diaboli, orationibus profligandas; genibus itaque ſubmiſſis, ac Davidicis pſalmis, unà cum comite pronunciatis, ſanctiſſimæ Crucis ſignum oppoſuit, ac ſtatim Satanicum figmentum, ſicut fumus defecit.

rigorem monaſtica vita ſervat, & ſuperat:

vitium ſarmenta ejus lectus, & cervical.

ferrea catena perpetuò cingitur:

qua nunc ægris ſanitatem præſtat:

Divinis officiis die noctuque aſſidens:

dæmonis inſidias preces, & ſigno crucis diſſipat:

872. Noverat vir ſanctus, animoque ſemper revolvebat, à ſuis potiſſimum præceptis, exemplîſque, populi ſuæ diligentiæ à Deo crediti in Chriſtianis virtutibus profectum dependere; ac proinde ſibi ſedulò Chriſti opera imitanda eſſe, ut ipſe aliis ſe præſtare poſſet imitandum. Ut igitur hoc facilius aſſequeretur, quædam præcipua Domini Noſtri Jeſu Chriſti acta ſelegerat ſibi ſæpius repetenda. Conſueverat itaque inter cetera Beatus Andreas, quinta feria per ſingulas hebdomadas, omnibus, quotquot adeſſent, mendicis pedes abluere, convivioque exceptis ipſemet inſervire. Igitur cùm die quadam omnibus, uno tantummodò excepto, mendicis pedes abluiſſet, rogaretque illum Andreas, ut ſe quoque lavari pateretur; reſpondit, ſe tanti Præſulis benignitate minimè abuſurum, quòd crura adeò ulceribus, ſanieque deformia haberet, ut nec eorum aſpectus abſque gravi ſtomacho perferri poſſet. At vir Dei ea cauſa magis ad propoſitum peragendum incenſus, vincula, faſciaſque ſolvens, *Confide*, inquit, *fili*, *& de Dei bonitate præſume: ipſe enim ſanabit languores tuos.* Quo dicto pauperis pedes, lacrymis magis quàm aquâ humectans, ulcera illius exoſculatus eſt: ſtatimque vir ille perfectam conſecutus ſanitatem, ingenti lætitia exultans exiliensque, laudabat Deum.

pauperum pedes feria 5. lavat,

inter quos ulceribus, & ſanie horrida crura lavans, & oſculans ſanat:

873. Tantæ erat vir ſanctus erga inopes miſeroſque clementiæ, & benignitatis, ut nec eorum meminiſſe abſque lacrymis poſſet: quoties etenim de pauperibus, orphaniſque, vel de carceribus mancipatis, vel mulieribus parturientibus, ceteriſve egeſtate oppreſſis, ipſo præſente, verba fierent, ſtatim in lacrymas ſolvebatur, & de præſidiis neceſſariis conferendis conſilium inibat. Et ſanè perpetuo ſanctus Antiſtes illud dominicum in mente habebat, ut omni petenti demus. Illud certè ſatis exploratum habetur, neminem unquam pauperum ab ejus conſpectu triſtem diſceſſiſſe. Ipſe enim plerumque ad ædium ſuarum januam ſedens, ſuis manibus panem mendicis elargiebatur. Cùmque magna aliquando annonæ penuriâ laboraretur, accidit, ut ejus rei fama pervagante, etiam è remotioribus regionibus pauperes undequaque ad ipſum confluerent; quibus ille omnibus, nullo unquam rejecto, panes adeo largè ſuppeditabat, ut ſæpenumerò, qui ad ſe, univerſamque domeſticam familiam commodè integro menſe alendam ſufficere potuiſſent, panes, unico tantùm die erogaret. Cùm igitur huic rei diligentiùs die quadam incumberet, & novis viciſſim ſuccedentibus mendicis panes ſibi afferri poſtularet, retulerunt famuli, ſe promptuarium prorſus inane reliquiſſe, ac ſupereſſe tantum panes quindecim in familiarium cœnam reſervatos. Reſpondit vir ſanctus, ut diligentiùs ſcrutarentur; cordi enim Deo eſſe ne pauperes illi, qui adhuc reſtarent, triſtiores abirent. Reverſus ex illis unus invenit arcam, calidis, optimiſque panibus refertam; Deique benignitatem, ac ſanctitatem Andreæ multùm admirans lætus ſancto Præſuli pauperibus diſtribuendos attulit. Neque hoc tantùm loco conſiſtebat hujus ſancti viri benignitas, ſed longiùs latiuſque progrediebatur, nam, & erga eos, quos rei familiaris anguſtiis preſſos noverat, atque ad ſe palam adeundum, aut conditio, aut ætas, aut natalium dignitas prohibebat, apprimè largus, ac munificus fuit; nam ſponte tanta eos liberalitate præveniebat, ut quibuſdam annuum etiam frumentum, nec exiguum, præſtaret.

miſeris homines miré condolebat:

pauper nullus inconſolatus ab eo abiit.

in magna annonæ penuria inſignis ejus liberalitas,

à Deo miraculo celebrata.

erga rei familiares anguſtiis preſſos, valdè munificus,

874. Nec illis ſolùm, qui ad ejus diœceſim pertinerent, inſignis hæc Andreæ beneficentia proderat, ſed ad Florentinos etiam cives, exteroſque alios redundabat; quos omnes, non annonæ tantum, ſed veſtimentorum etiam largitione juvabat; quorum ingentem vim, opportunis temporibus in vicinis emporiis coëmebat: Quæ cuncta in adverſariis, quæ ejus manu conſcripta in Archivo Feſulanæ Eccleſiæ adhuc aſſervantur, non ſine admiratione videre omnibus licet. Ac ne quid prorſus omitteret, quod ad pulcherrimum optimi Præſulis, ac miſericordiſſimi patris

frumenti & veſtes largitur,

IV. FEBR.

nomina pauperum in codice deſcripta habet.

pios viros procuratores pauperum conſtituit,

patris exemplar efformandum faceret, inſtar magni illius Alexandrini Antiſtitis Joannis, quem antiqui Miſericordem dixerunt, ac Sancti Gregorii Papæ, omnium, qui ad ejus curam pertinerent, pauperum nomina in codice deſcripſerat. Quin etiam, novo exemplo, ſingulis ferè annis, qui pauperum curæ invigilarent, plures viros pios, & de quorum charitate confideret, procuratores conſtituebat: quibus etiam mandabat, ut eorum, qui piè ac religiosè legata pauperibus reliquiſſent, teſtamenta conquirerent, ac mandata exequerentur; & quæcunque alia ad commodum ipſorum ordinata & conſtituta eſſent, in eorum uſum utilitatemque ut converterentur, curarent. Placet autem ipſamet verba ſanctiſſimi Præſulis, quæ adhuc in publicis tabulariis extant, paſtoralem ejus charitatem mirifice ſpirantia apponere: TANQUAM, inquit, MISERABILIUM PERSONARUM, ET PAUPERUM CHRISTI PATER. Hoſpitales verò domos, ſive ad peregrinos ſuſcipiendos, ſive ad ægrotos curandos inſtitutæ eſſent, tanquam vera Chriſtianæ benignitatis domicilia, ſingulari cura fovit: nam, & earum vectigalia, ut in uſus ab inſtitutoribus deſignatos inſumerentur, ſedulò curavit; ipſarumque adminiſtratores, qui pecuniam interverterent, aut dilapidarent, ſeveriſſimè coërcuit; & quamplurimos ea de cauſa, anathemate etiam notatos, cum ignominia adminiſtratione ſe abdicare coëgit: nec facilè in ejus commentariis reperies aliud negotium attentiori cura ab eo procuratum, aut frequentiùs, ſeveriuſque, quàm in hujuſmodi delicta animadverſum. Quo fiebat, ut multi tanti Pontificis, non verbis modò, ſed & quòd omnibus rebus quæ ad earum utilitatem profectumque pertinerent, tanta ſolicitudine proſpectum vellet, ad hoſpitales domos ædificandas animarentur, quod frequentiſſime, eo Pontifice, in ejus diœceſi factitatum eſſe, liquido conſtat.

miſerabiliũ, & pauperum Chriſti Pater nuncupatus:

Hoſpitales domos ſingulari cura fovet.

ejus exemplo, & hortatione hoſpitales domus multæ ædificatæ.

ANNOT. Meritò omnibus Eccleſiarum Paſtoribus abſolutiſſimum optimi Præſulis exemplar. *Circa hoc perpendas Lector ea, quæ hîc, & ſequenti capite referuntur, ac unà teſtimonia Summi Pontificum, & S. R. Eccl. Cardinalium idem adſtruentium.*

CAP. VI.

Zelus ardens in excitandis, & inſtaurandis ſacris ædibus: Eccleſiaſtici juris vindicatio: Apoſtolicæ Sedis veneratio: Legatio Apoſtolica: Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenax vigor.

in ædes ſacras ingentes pecunias expendit,

875. INgentem etiam pecuniarum vim Sanctus vir profudit in excitandis, inſtaurandiſque ſacris ædificiis: & Cathedralem ſanè ædem ruinæ proximam, fere univerſam reſtituit, ſectiſque lapidibus anteriorem partem incruſtavit. Canonicorum præterea cœnacula, & cubicula ædificavit: Epiſcopales ædes maximis ſumptibus inſtauravit, auxitque: Ædiculas inſuper in Sanctorum honorem multas excitavit: Sacraria Cathedralis baſilicæ, aliarumque Eccleſiarum, ſacris veſtibus, omnique ad Dei cultum neceſſaria ſuppellectili affluenter inſtruxit, ornavitque: ut ſæpenumerò admiratio animum ſubeat, undenam tam ingens pecuniarum copia illi ad tantos ſumptus ſuſtinendos ſuppetierit: ſatis etenim conſtat, Eccleſiæ illius proventus haud ſanè amplos tum temporis fuiſſe. His etiam accedunt, quas ut ſodalibus ſuis Carmelitis gratificaretur, expenſas fecit: nam & ipſorum Eccleſiam ex parte labentem reſtituit, & bibliothecam plurimis, optimiſq; Sanctorum Patrum codicibus locupletavit, aliiſque eos quamplurimis beneficiis affecit. Nec etiam prætereundum eſt, ejus Epiſcopatum in eam tempeſtatem incidiſſe, quà acre bellum inter Piſanos, Florentinoſque vigebat: utque ſæpè Florentinorum copiæ ad urbis uſque Piſanæ mœnia populabundæ diſcurrebant, ita quandoque eadem in ſuburbiis ſuis Florentini cives patiebantur. Immiſſæ igitur aliquando à Piſanis in eorum agrum conductitiæ Anglorum equitum turmæ, omnia Feſulanæ Eccleſiæ prædia, domos, prætoriaque devaſtarunt, ac prorſus ſolo æquarunt. Ea omnia ſanctiſſimus Antiſtes rurſus ut reſtitueret, neceſſe fuit. Quodque vel præcipuè mirum eſt, licèt tot impendiis penè oppreſſus videri poſſet, fundos tamen, nec eos quidem exiguos, Eccleſiæ ſuæ nomine coëmit; ut vel hinc perſpicere liceat, Sanctum virum, eorum, quæ in pauperes alendos erogaverat, à Deo fideli ſponſore, centuplum in hoc ſæculo accepiſſe.

Eccleſiæ ſuæ proventus novos procurat.

876. Et ſanè inter tot tantaſque ejus virtutes, nec ea defuit, quam Apoſtolus perfecti paſtoris notam requirit; ut qui ſcilicet Eccleſiaſticæ adminiſtrationis provinciam ſuſcepturus ſit, domui primum ſuæ præeſſe noverit. Namque haud modò inter fratres ſuos Carmelitas, ubi exactiſſimam ad religioſæ vitæ normam Præfecturam geſſit, optimum ſe patrem familias præſtitit, ſed & in ipſo Epiſcopatu egregiè ad Chriſtianam diſciplinam domeſticos ſuos continuit; ac in Eccleſiæ patrimonio procurando attentiſſimus, ac vigilantiſſimus ſemper fuit. Eccleſiaſtici juris prędia ab iniquis poſſeſſoribus occupata, acerrimè vindicavit: atque ab aliis etiam, qui beneficiis præeſſent, ut idem fieret ſedulò cavit. Eos verò, qui humanis, diviniſque legibus neglectis, ac Dei timore poſtpoſito Eccleſiæ, & ejus miniſtris Decimas Dei præcepto debitas, per avaritiam uſurparent, aut ſolvere detrectarent, impiorum loco habuit, ac prorſus coërcendos, & ad officium revocandos duxit. Denique nihil omninò prætermiſſum voluit, quod ad Eccleſiæ vectigalia tuenda, augendaque pertineret; quæ tanquam fidelis diſpenſator, & ultimi etiam quadrantis rationem Deo redditurus, adminiſtrabat potiùs, quàm erogabat; domi parciſſimus, foris in iis, quæ

Chriſtianã diſciplinam inter domeſticos ſervari ſolicitè ſatagit:

Eccleſiaſtici juris, & bonorum acerrimus vindex:

domi parciſſimus, foris liberaliſſimus.

IV. Febr.

quæ ad Dei cultum, & egenorum ſubſidia pertinerent, profuſus, ac planè prodigus.

ejus charitate æſtuantis exemplo alii ad charitatis opera excitati.

877. Igitur cùm tanta charitate ſanctus Antiſtes æſtuaret, & ea quæ ad honorem Dei facerent, adeo diligenter curaret; fiebat, ut plebs ei commiſſa, ad imitationem ipſius, dilectione decoris domus Dei ferveret, & ad exercenda charitatis opera incitaretur. Nec inter minima recenſendum profectò eſt, quòd ejus ſuaſu Lapus Villelmi Feſulanus civis, ſacrarum Virginum cœtum, quæ ſummitatem arcis Feſulani montis temporibus illis incolebant, & ob loci anguſtiam, & ſolitudinem, rerum omnium ad vitam opportunarum inopiam patiebantur, ad radices montis in commodiorem locum tranſtulit, novo eis monaſterio ædificato; quod à conditoris nomine, adhuc Lapi Monaſterium appellatur. Nec longè ab eo Thomas Theoduli, ejus itidem exhortationibus adductus, aliud ſacrarum Virginum domicilium conſtruxit, ditavitque prædiis attributis, ac S. Bartholomæi Apoſtoli nomine nuncupavit.

Apoſtolica Sedis venerabundus & promptiſſimè parens:

878. Sedem Apoſtolicam eo obſequio & cultu venerabatur, ut nihil amplius deſiderari poſſet: ſingulis etenim annis, aut ad ſummum bienniis, legatos, ad obſequium ei exhibendum, & de Eccleſiæ ſuæ ſtatu referendum deſtinabat; ejuſque mandatis non ſolum promptiſſimè parebat; ſed etiam cùm ſe occaſio offerret, juſſa officiis præveniebat. Franciſcum Ordelaffium Forilivii, & multarum prætereà Eccleſiaſticæ ditionis civitatum, & oppidorum occupatorem tyrannumque, Eccleſiæ hoſtem Ægidius Albornotius Cardinalis, in Italia Sedis Apoſtolicæ Legatus, Innocentii Sixti Pontificis Maximi juſſu declaraverat; contumacemque, ac hæreſis crimine convictum damnatumque, ſacrorum participatione ſummoverat, eique bellum indixerat. Mirum dictu eſt, qua cura Eccleſiæ cauſam in ſua diœceſi ſanctus Andreas juverit: nam Sacerdotibus mandavit, dum in concionibus verba facerent, vel inter Divina officia populum alloquerentur, ut evidentem Romanæ Eccleſiæ juſtitiam populis declararent; omneſque hortarentur, ut non ſolùm piis precibus divinum præſidium implorarent, ſed & pecuniam in tam ſanctum ac neceſſarium opus conferrent: atque ita effectum eſt, ut non contemnenda ſubſidia ex piorum hominum ſpontaneis oblationibus Legato mitterentur.

ejus cauſam verbo & facto ſtrenue juvit, contra Eccleſiæ hoſtem:

peculiariter excellens in dirimendis diſcordiis,

879. Multus autem erat ſanctus Antiſtes in componendis diſcordiis, quæ inter cives Florentinos aſſiduè oboriebantur; nec ſolum privatim odiorum ſemina familiaribus colloquiis opprimebat, ſed & in publicis concionibus de Chriſtiana charitate, civilique concordia ſæpenumerò ſermonem inſtituebat: cumque præclarè diceret, & ob inſignem ſanctitatis famam jam omnibus venerabilis eſſet; quamplurimi, non ſolum ex proximis villis, ſed etiam ex Florentina Civitate ad ipſum audiendum confluebant. Igitur cùm in Feſulano foro, unde univerſa proſpectatur Florentina Civitas, in magna civium corona de ſuperiori loco diceret, eorumque diſcordias damnaret, ac mirum in modum execraretur, Deum precatus eſt, ut omnibus quotquot adeſſent, eos, qui tantos diſſenſionum ignes accenderent, manifeſtè contueri permitteret. Ac ſtatim, *Surgite*, inquit, *& aſpicite, quinam ſint, qui veſtras diſcordias nutriant*. Viderunt itaque omnes innumeros corvorum, milviorum, aliarumque obſcenarum avium greges Florentinæ Civitati ſupervolitantes, atque inter ſe atrociter concertantes. Intellexerunt igitur perennes, ac exitiales illorum diſcordias ab humani generis hoſtibus ſeri, ac foveri; atque in poſterum ſe pacis, concordiæque præcipuos auctores ſemper præſtitêre. Quæ cùm famà evulgarentur, in cauſa fortaſſe fuere, cur ejus potiſſimum opera, in componendis civilibus Bononienſium contentionibus Summus Pontifex uteretur. Vindicata etenim nuper ab immani Vicecomitum tyrannide Bononienſium Civitas in Romanæ Eccleſiæ ditionem redierat: graviter tamen externo bello, interniſque ſeditionibus laborabat. (a) Urbanus ergo Pontifex ejus nominis Quintus, res bellicas Ægidio Cardinali Legato demandarat; ad domeſtica verò diſſidia ſedanda, quas præpotentes quædam familiæ alebant, Sanctum Andream delegavit. Qui ſingulari æquitate, ac prudentia omnia brevi compoſuit, ordinavitque, nam, & ſi quidam ex potentioribus civibus Sancto viro refragari, atque obniti cœpiſſent, variis tamen morbis exagitati, ac præſens Dei numen experti, concordibus demum votis, propoſitas ab Andrea pacis conditiones amplexi ſunt. Tantam rem paucis attigiſſe ſufficiat: nam quæ ſingillatim in graviſſimo eo negotio ab ipſo ſunt geſta, eive acciderunt, temporis diuturnitate obliterata ignorantur. Tradunt nonnulli Beatum Andream Bononiæ, dum ea agerentur, carceribus, & vinculis mancipatum; aliiſque contumeliis vexatum; quæ de Civitate religioſiſſima, & Sedis Apoſtolicæ ditioni ſubjecta, & eo præſertim tempore, cùm ab hoſtibus undequaque premebatur, obſequentiſſima, nobis ſuaderi non poſſunt.

quas à dæmone ſuſcitari, viſibiliter, miraculosè oſtendit.

(a) *Urbanus V. Pontifex eum Bononiam ad diſſidia ſedanda delegavit:*

880. Tot igitur clarus virtutibus ſanctus Antiſtes, totque ſignis prodigiiſque Servi ſui ſanctitatem, ipſomet Deo atteſtante, populum ſuæ cuſtodiæ divinitùs demandatum, ſumma cum pietatis, & prudentiæ laude gubernabat; atque ut alii parochiarum Paſtores ad ejus exemplum muneri ſuo diligenter incumberent, ſatagebat: utque erga bonos, benignum, manſuetumque, ita adverſus eos, qui partes ſuas implere negligerent, ſeverum ſe, verendumque oſtendebat. Probè etenim didicerat ſapientiſſimus Præſul manſuetudinem Paſtoris rigori judicis attemperare. Et primùm quidem, ut omnes apud Eccleſias ſuas reſiderent, perpetuis edictis ſingulis annis cavit, pœniſque inflictis, reluctantes ad officium compulit; multoſque contumaces, titulis, non ſine ignominia, decreto

Paſtoris manſuetudinem ſuo tempore erga negligentes rigori judicis attemperat.

IV. FEBR.

Cleri, populique vitiis extirpandis zelosè ſe impendit,

privavit. Eos verò, qui mulieres parùm honeſtè in contubernio haberent, aut aliis criminibus ordini dedecori, populo offenſioni eſſent, acriter corripuit; quoſque paternis monitis ad caſtè & piè vivendum emendare non potuiſſet, beneficiis expulit. Multis verò, præcipuiſque vitiis tum Clerus, tum populus eo tempore laborabat; quæ, quoniam peculiaria erant illius ætatis, magnoſque labores vir ſanctus illis extirpandis exantlavit, ſaltem ex parte commemoranda videntur. Clericorum igitur longè major portio, non ſolùm cujuſcunque doctrinæ, ſed & proprii officii adeo ignari erant, ut non modò populo non prodeſſent, ſed adjecto plerumque pernicioſo eorum vitæ exemplo, inſcitiâ ſuâ obeſſent plurimùm. Neceſſe igitur fuit ſancto Antiſtiti, cùm diœceſim ex ſacrorum Canonum præſcripto inviſeret, de omnium doctrina, accurato examine, rursùs dijudicare; & quos ad Eccleſiaſtica onera ſuſtinenda, & ſaltem animarum procurandam parum idoneos comperit, qui planè permulti fuerunt, à beneficiis eiicere, eaque aliis, qui aptiores eſſent conferre.

inſcitiam à Clero eliminare ſatagit,

Eccleſiaſtic. poſſeſſionum invaſoribus generosè ſe opponit.

881. Multi præterea, aut nullis, aut falſis cauſis Eccleſiarum poſſeſſionem invaſerant: Horum impiam temeritatem nullo modo ferendam duxit Beatus Andreas; magnumque illorum numerum à Sanctuario Dei exturbavit: & quoniam id genus hominum audax & litigioſum eſt, magnos ſane labores eum ſubiiſſe in hujuſmodi negotio oportuit. Nec eos etiam tolerandos exiſtimavit, qui quæſtum ex mercatura facerent, multoque minus, qui præfecturas, & officia exercerent. Major ſiquidem ejus diœceſis pars minutis quibuſdam oppidulorum, & vicorum dominis ea tempeſtate abundabat, qui fortaſſe virorum ad jus dicendum aptorum penuriâ, locorum præfecturas, ac magiſtratus clericis demandabant. At ſanctus Antiſtes indecorum, & valde periculoſum ratus, ſi ii, qui in ſortem Domini vocati eſſent, talibus negotiis implicarentur, omnia ejuſmodi munia eis interdixit. Cùm igitur Eccleſiarum Rectores officium ſuum, aut ignorantia obcæcati neſcirent, aut dum alieno incumbunt, negligerent; fiebat, ut oves ſine paſtoribus errantes in præceps malorum, nemine opem ferente, corruerent. Et quamvis permulta eſſent vitiorum capita, quæ ſanctiſſimo Pontifici amputanda fuerunt; duo tamen præcipuè multum ei negotii, ac laboris attulêre. Nam & commercia contractuſque, qui promiſcuè fiebant, ſæpè vetiti fœnoris crimini obnoxii erant; & matrimonia plerumque inter perſonas ſacris legibus prohibitas, ac ſæpius furtim, & abſque ulla Eccleſiæ ſolemnitate, aut etiam ſcientia firmabantur; ex quibus duobus teterrimis fontibus, quàm ingens animarum pernicies longè latèque graſſaretur, nemo eſt qui non videat. His Beatus Andreas omni Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore obviavit, eorumque ora oppoſitis ſanctiſſimis legibus obſtruxit; nec paucos ſane contractus uſurarum titulo damnatos, irritos reddidit; multorumque connubia contra Eccleſiaſtica decreta ſancita, reſcidit, diremitque; ac ne deinceps clam, & abſque ſacerdotum notitia celebrarentur, ſeveriſſimis edictis ſtatuit. Atque ut omnes quibus animarum cura mandata eſſet, tam ſalutaria ejus præcepta ſervarent, atque ut ab aliis ſervarentur efficerent; novos Vicarios in longinquioribus ſuæ diœceſis regionibus conſtituit; qui & jus dicerent, & omnia Dei cultui, & animarum ſaluti neceſſaria cominùs inſpicerent, curarentque. Non ſumus neſcii, pleraque ex iis quæ diximus, ab aliis etiam Eccleſiarum paſtoribus frequenter actitata, nec planè digna, quæ de tanto Antiſtite commemorentur, multis videri poſſe: Nobis verò quælibet Sanctorum ad incrementum divini cultus, aut populi profectum dicta, factaque pertinentia, celebranda videntur. Nam ſicut ea, quæ in ſuperioribus cæli regionibus conſpiciuntur, quamvis adeo parva ſæpenumerò appareant, ut pene ſenſus effugiant; eam tamen claritudinem, virtutemque à loci nobilitate deducunt, ut diligenti obſervatione digna cenſeantur: Ita Sanctorum geſta, cùm de cordibus eorum prodeant, quæ cælorum inſtar domicilia ſunt, ac templa Spiritus ſancti; etſi exigua nobis videantur, omni tamen honore, ac reverentia ſuſcipienda ſunt, ac ut plurimùm Eccleſiæ Dei utilia, perpetuæ memoriæ commendanda.

Munia ſecularia Clericis interdicit:

uſuris frænandis, & matrimoniis ritè celebrandis ſolicitam operā adhibet,

Cur hactenùs dicta, pleraque etiam ab aliis Præſulibus aſſumata, hîc commemorata ſint.

ANNOT Urbanus Pontifex . . . S. Andream delegavit *videlicet Bononiam. De Legatione S Andreæ ad Bononienſes, & quid ibi egerit, ac paſſus fuerit, ex teſtimonio Epiſcopi Bononienſis, Cardinalis Sanctæ Crucis traditur in ejus vita prima apud Bollandum cap 7 num.* 35. *& in Annalibus Carmelitarum ad annum* 1368.

CAP. VII.

De mundo ad cælum evocatio per B. Virginem Mariam: ſanctus obitus, variis apparitionibus nobilitatus: incorruptæ virginitatis laureâ decoratio: multiplicia miracula: corporis tranſlatio.

882. IGitur cùm toto vitæ ſuæ die ſanctus Andreas in vinea Domini laboraſſet, magnoſque, atque uberes fructus, indefeſſis vigiliis, in domo ejus congregaſſet; jam ſenio confectus, operis ſui finem, debitam mercedem conſequuturus, deſiderabat, expectabatque. In ipſa itaque Dominicæ Nativitatis die, cùm ad Miſſæ ſacrum, quod illi poſtremum fuit, ſolemni pompa de more celebrandum ſe, orans, pararet, Beata Virgo Maria, quæ primordia ſacerdotii ejus præſens honeſtaverat, adfuit ei etiam ad vitæ occaſum, horâ Sacrificii Veſpertini; ipſumque de propinquo ejus ad cæleſtem vitam tranſitu admonuit; prædixitque fore, ut ſacroſancto Epipha-

IV. FEBR.

In poſtremo Miſſæ ſacrificio (ſicut in primo) ei apparens B. Virg. Maria, obitum, & ſui in cœlis conſortii diem nunciat.

Inde ingenti jucunditate perfunditur.

Epiphaniæ die, ipſi quoque Deus, in cælorum regno, facie ad faciem perpetuo contemplandus manifeſtaretur. Hoc nuncio mirum in modum lætus Andreas, jam æternarum deliciarum ſuavitatem in terris prægustans, ingentem animi jucunditatem continere non poterat, quin etiam exterius erumperet, & ipſo corporis habitu perſpicua efficeretur. Nam vultus hactenus aſſiduis jejuniis, vigiliiſque, ac mira vitæ auſteritate exanguis, ac ſquallidus, repentè in lætum adeo, ac rubentem verſus eſt, ut cæleſtis patriæ alicujus civis divini amoris incendiis exardeſcentis imaginem referre videretur.

febri corripitur:

inviſentes ſalutaribus inſtruit monitis:

883. Paulò poſt itaque febri correptus, cum Vidonem Feſulanum Canonicum, quem unicè diligebat, de inſtanti morte ſibi per Beatam Virginem prænunciata certiorem reddidiſſet, ſtraminco lectulo decubuit. Increbreſcente verò ejus ægrotationis famâ, non clerici modò ex vicinioribus Eccleſiis, ſed civium etiam Florentinorum quamplurimi ad eum, officii gratia inviſendum veniebant: quos ille benignè comiterque ſuſcipiens, ad Chriſtianam charitatem, & civilem concordiam ſervandam, ut conſuetudo ipſius erat, exhortabatur, aliiſque ſalutaribus monitis erudiebat. Adveniente igitur ſuprema vitæ hora, cùm pſalmos Davidicos alternatim

(a) cum ſuis clericis recitaſſet, (a) pronunciato

Moritur,

Apoſtolico Symbolo, omnibus Eccleſiæ Sacramentis, ſummâ animi demiſſione perceptis, ad ſupernam Patriam, corporis vinculis abſolutus, perpetuò cum Deo regnaturus

(b) evolavit, (b) anno Dominicæ nativitatis MCCCLXXIV. * à Religionis ingreſſu quinquageſimo octavo; cùm Feſulanam Eccleſiam quatuor & viginti annis ſanctiſſimè gubernaſſet. Ipſâ ejus obitus hora cubiculum, in quo Sanctus recumbebat, mira luce illuſtratum, ac ſuaviſſimo odore perfuſum fuiſſe traditur.

* legendū videtur MCCCLXIII. vide not.

Virgini decennis apparet aſcendens in cœlum:

Eâdem verò quâ deceſſit nocte, virgo quædam decimum ætatis annum agens ſubitò exclamavit, videre ſe lucidam ſcalam, à terra cælos pertingentem, hominemque pontificiis veſtibus indutum, ac duorum Epiſcoporum medium, per eam, ad cæleſtia aſcendiſſe: quæ audiens mater intellexit, quod revera erat, eâdem hora Sanctum Andream ad æterna tabernacula tranſmigraſſe.

Aliam virginem è vita evocat, quæ unà cœlum conſcendit:

Alia itidem virgo, cujus matri Andreas prædixerat fore, ut eadem nocte ipſe, & ejus filia ex hac vita decederent; appropinquante mortis hora, elatâ ſubitò voce, Expecta, inquit, me ſanctiſſime Pater, ut unà cæleſtia regna ingrediamur, ſtatimque, eodem ſanè, quo Beatus Andreas temporis momento expiravit.

Canonico apparet manu geſtans lilia & roſas, in ſignū incorruptæ virginitatis,

884. Paucis elapſis diebus idem Sanctus Vidoni intimo ejus, ut diximus, amico apparuit, Epiſcopalibus indumentis candidis ornatus, lilia, roſaſque manibus geſtans; rogatuſque, cur flores, quod Pontificiam gravitatem haud decere videbatur, haberet; reſpondit, ſe virginitatem incorruptam ad mortem uſque ſervaſſe, atque idcirco cum virginibus, floribus redimitum Agnum ſequi. Ad ſancti viri corpus venerandum, magnus factus eſt undequaque populorum concurſus; multique ægroti, debileſque non ejus modo attactu, ſed percepta etiam jucundiſſima, ac ſalutari odoris fragrantia, quæ ab eo mirè emanabat, ſanitatem conſequuti feruntur.

ad venerandum corpus populorum magnus concurſus:

miracula varia,

Ejus exuviæ ab omnibus, quotquot aderant avidè abreptæ, ſublatæque ſunt: ferream cathenam, cujus ſuperius meminimus, vidua quædam mulier clam abſtulit; eamque haud multo poſt Fratribus Carmelitis, ut honorificentiùs aſſervaretur detulit. Demum quamvis idemmet teſtamento caviſſet, ut ejus corpus Florentiæ in Carmelitarum Eccleſia ſepulturæ mandaretur; non permiſerunt tamen Feſulani montis accolæ ſe tanto theſauro ſpoliari; ſed in Cathedrali æde, ut honorificè conderetur curarunt:

Feſulis ſepelitur in æde Cathedr.

transfertur Florentiam,

quod deinde iidem Carmelitæ, noctu, pia fraude clam ſublatum in eorum Eccleſiam, ubi idemmet religioſas veſtes, & tam eximiæ ſanctitatis initia ſuſceperat, eandem tum quoque odoris ſuavitatem diffundens aſportarunt: Ibidemque hactenus aſſervatur in ſublimi marmoreo ſepulchro, ſignis, picturiſque, ut ea ferebant tempora, egregiè exornato; ac integrum, incorruptumque populo ad hæc uſque tempora colendum oſtentatur.

ibi integrū, & incorruptum uſque in præſens,

(c) Epitaphium, quod ſubjecimus, atque ibidem marmorea tabula, pio magis quam erudito ſtilo, exaratum legitur, Coluccius Salutatus Reip. Florentinæ ab epiſtolis Secretis, magnique ſua ætate in litteris nominis, ſcripſiſſe fertur. (c)

Epitaphium,

Montis Carmeli de Religione vetuſta
Raptus ad Eccleſiam, Fæſuleamque Mitram
Progenie celebris, virtute celebrior omni
Hoc de Corſinis marmore ſubtegitur,
Andreas Chriſti famulus de jure vocatus
Numinis æterni totus in obſequio
Virtutis cultor Pater auxiliator egenis
Exemplo vitæ mirus & eloquio:
Qui qualis fuerit miracula multa fatentur
Quæ Deus oſtendit corporis ad tumulum.

Nerius Corſinus germanus frater ſucceſſor in Epiſcopatu,

885. Canonici Feſulani tantæ ſanctitatis, tantorumque in ſe, eorumque Eccleſiam beneficiorum memores, ut Nerius Corſinus Florentinæ Eccleſiæ Præpoſitus, Sancti Andreæ germanus frater, quo etiam Vicario idem Sanctus multo tempore uſus erat, eidem in Epiſcopatu ſuccederet optarunt; & per Petrum Corſinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ejus patruelem, tum Avenione commorantem, à Gregorio ejus nominis Undecimo Pontifice Maximo impetrarunt. Qui deinceps multis annis eandem Eccleſiam magna cum prudentiæ, ac integritatis laude adminiſtravit.

mediante Petro Corſino patruele, Cardinale,

Miraculis coruſcat undiq;

886. Coruſcabat intereà ſignis, prodigiiſque Beati Andreæ defuncti corpus; famaque & veneratio ejus magis magiſque diffundebatur, augebaturque; & multi, qui ſe ſuaque, in neceſſitatibus quibuſcunque,

IV. FEBR.

Ibique quotidianus ad ejus ſepulchrum concurſus:

ejus patrocinio commendaverant, voti compotes effecti, ut gratias agerent, & beneficiorum acceptorum monumenta appenderent, ad ejus ſepulchrum quotidie confluebant. Singula verò recenſere, quæ ejus interceſſione patrata ſunt miracula, longum ſanè & arduum eſſet. Attamen, ne aliquo ſaltem eorum guſtu lectores fraudemus, pauca quædam omni fide comprobata, commemoranda putavimus.

adoleſcens de alta turri lapſus, S. Andrea invocato incolumis:

887. Petrus Victorius nobilis adoleſcens, qui deinde domi, militiæque clarus, inter principes ſuæ ætatis cives Florentiæ habitus eſt, Prati, quod inſigne eſt Hetruriæ oppidum, alta turri prolapſus, dum præceps rueret, implorato Sancti Andreæ præſidio, non vivus modò, ſed incolumis, illæſuſque ab ipſis mortis faucibus mirabiliter ereptus, ſervatuſque eſt.

Mulier verò infirmitate afflicta, ei ſe commendans ſubitò ſana:

888. Eodem oppido mulieri cuidam ſiniſtra corporis pars adeo obſtupuerat, ut nec aure audiret, nec brachio prorſus uteretur. Hæc ſacerdotem in majori Eccleſia de virtutibus, ac miraculis Sancti Andreæ pro concione dicentem cùm audiſſet, ſpem concepit, ſe etiam ejus beneficio ſalutem conſequi poſſe. Toto itaque animo ad ipſum converſa, ejus ſe interceſſionibus commendavit: ſtatim igitur ibimet obdormiſcens, viſa ſibi eſt morbo prorſus levari; ac paulo poſt exurgens, ſanam ſe, ac vigentem ſenſit: atque ut apud poſteros facti memoria maneret, id ipſa jurata profeſſa eſt, actiſque publicis conſignari juſſit.

Puer animam agens attactu catenæ ejus, momento temporis ſanus:

Florentiæ, cùm Bernardinus duorum annorum puer, graviter ægrotans jam animam ageret, admota pectori Beati Andreæ catena, ac Pontificali ejus anulo digitis inſerto, temporis momento adeo convaluit, ut ſtatim cum ceteris pueris luſum ierit.

ita & alius attactu mitræ.

Vincentius Ardiſimus, à gravi infirmitate emotæ mentis factus, appoſita ejus capiti Sancti viri mitra, repentè ſanus, & animi compos ad ejuſdem Sancti altare ſacroſanctam Dominici Corporis communionem eâdem die participavit.

obſeſſa liberata,

Eliſabet Serralia dæmonibus obſeſſa, invocato ad ejus ſepulchrum ejuſdem Sancti auxilio, ſe penitus liberam ſenſit.

cæca illuminata,

Alia itidem cæca mulier febribus oppreſſa, cum ob inopiam nullam medicorum opem experta eſſet, ad ſancti viri præſidium confugiens, voto nuncupato, unà febre, & cæcitate ſanata eſt.

889. ANNOT. (a) Pronuntiato Apoſtolico ſymbolo *Lezana in Conſultis variis, conſulto 1. ex proceſſu Canonizationis S. Andreæ iſta refert:* Apparuit ei B. Virgo, prædixitque illi futurum, ut in nocte Epiphaniæ immediatè ſequenti, eſſet animam Deo redditurus, promiſitque ſe ad eum venturam, & ejus animam ad cœlum aſſociaturam: quo nuncio B. Andreas tanto gaudio perfuſus eſt, ut ſtatim facies ejus roſæ, & Cherubino ſimilis evaſerit. Cùm autem die ſequenti febris ſuperveniſſet viſionem cuidam Canonico revelavit: in nocte autem Epiphaniæ, cum Cives ſuos ad pacem hortatus fuiſſet, ſymbolumque fidei devotè recitaſſet, cubiculum in quo jacebat factum fuit luminoſum ſicut in meridie, & poſt ſpatium unius horæ dicto Cantico NUNC DIMITTIS anno 72. ſuæ ætatis obdormivit in Domino, ejuſque anima ab aliquibus devotis viſa fuit aſcendere ad cœlum. *Id conſequenter multorum teſtimoniis comprobat. Quod moriens recitaverit canticum:* Nunc dimittis, *traditur etiam in Florentino proceſſu. Vide hic infrà num. 955. dicit obiiſſe anno ætatis 72. ſcilicet inchoato.*

(b) Anno MCCCLXXIV. *Error videtur irrepſiſſe in numero (ut frequentiſſimè ſolet) & legendum* MCCCLXXIII. *ſicut tradunt plerique vitæ ejus ſcriptores, & id indubitatum eſt ex fideliſſimis regeſtis Vaticanis, de quibus hic ſuprà in Prolegomenis §. 1 ipſaque ſucceſſione Epiſcoporum Feſulanorum, tradita ab Ughello in* Italia ſacra tom. 3. *his verbis:* XXXIII. Fulignus Oliverii ... conrabuit anno 1348. ... XXXIV. S. Andreas *è Nobili gente Corſina, anno 1349 3. Idus Octob. evolavit ad cœlos ... an. 1373.* XXXV. NERIUS CORSINUS ... *ſancti anteceſſoris frater anno 1373.*

(c) Epitaphium &c. *De illo, & ejus auctore quædam dicta ſunt in Notis ad caput 5. Vitæ præcedentis: de utroque iſta annotant PP. Bollandus, & Henſchenius in Commentario prævio ad vitam S. Andreæ Corſini §. 1.* Poſtquam tranſlatum Florentiam eſt ad ædem Carmelitarum corpus S. Andreæ, multa ad illud patrata eſſe miracula probatur ex Epitaphio, quod illi Collucius Salutatus tunc temporis Cancellarius Florentinus poſuit. Hic eſt Colluccius Pierus Florentinus, qui à ſecretis fuit Urbano V, & Gregorio XI. ipſius proindè Andreæ æqualis, cujus auditor, Poſſevino teſte, fuit Leonardus Aretinus.

C A P. VIII.

Miraculum nobiliſſimum, & teſtatiſſimum, Florentinorum, ac ipſius Summi Pontificis gravi bello preſſorum, victoria: Beatificatio Canonizatio.

890. Sed quod narraturi ſumus miraculum, longè nobiliſſimum, ac præclariſſimum, tum magnitudine facti, tum rei evidentiâ, profectò eſt; approbantibus, atque una teſtimonium dicentibus, non univerſa modò Florentina civitate, ſed auguſtiſſimo etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio, ipſoque demum Summo Pontifice, quin etiam ipſiſmet Eccleſiæ hoſtibus: quod paulò accuratius enarrandum videtur. Invaſerat Florentinorum ditionis loca Nicolaus Picininus, Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſium Ducis copiarum ductor, qui Florentinos, quibuſcum Eugenius Quartus Pontifex Maximus fœdus junxerat, internecino bello aggreſſus fuerat. Is cùm vicina urbi loca, magno tum civium, tum Pontificis, qui Florentiæ commorabatur, terrore ac trepidatione depopulatus eſſet, inde diſcedens, occupato per vim Sancti Sepulchri oppido, ac Tiferno obſeſſo, majores in dies progreſſus faciebat. Sed cùm eodem tempore Franciſcus Sfortia ingentia damna Mediolanenſium Duci inferret; ſtatuit Picininus, ut illi quamprimùm ſuppetias ferret, cum Florentinis confligere; & tanquam de victoria certus, unico prælio de re tota decidere. Trepidantibus itaque Florentinis, quibus de rerum ſumma cum peritiſſimo, & clariſſimo ſuæ ætatis Duce alea

Miraculum præclariſſ. & evidentiſſ.

Florentini gravi bello preſſi.

IV. Febr.

alea ſubeunda eſſet, inter cetera ſubſidia, quæ adverſus illum turbinem parabant, ea non poſtrema fuerunt, quæ in hujus Sancti patrocinio collocarunt. *[trepidantes confugiunt ad patrocinium S. Andreæ:]* Frequens igitur civium concurſus ad ejus ſepulchrum erat; atque inter eos, qui ardentiori ſtudio Beati Andreæ opem, in tanto diſcrimine, Patriæ implorabant, adoleſcens quidam fuit. Huic Beatus Andreas die ſancti Joannis Baptiſtæ nativitati ſacra, ſe maniſeſtè videndum obtulit, præcepitque, ut ſuo nomine Decemviros, ad quorum curam res bellica pertinebat, adiret, juberetque, copiarum ducibus ſcriberent, ut quinta ab ea die, cum hoſtibus manus conſerere non detrectarent; Deum enim eorum hoſtes profligaturum, ac inſignem Florentinis victoriam elargiturum. *[is apparens, jubet cum hoſte manus conſerere, ſpondens victoriam:]* Paruit adoleſcens, remque belli præfectis detulit; qui cæleſtibus promiſſis fidem adhibendam, juſſiſque parendum cenſuerunt. Factum adeò pervulgatum eſt, ut non modò tota civitate notum ac celebre fieret, ſed & ad hoſtes ejus fama perveniret; quamvis illi Florentinos tanquam ſuperſtitioſos cavillati, rem pro deridiculo habuerint. *[Id innotuit toti civitati, & etiam hoſtibus, qui id vanum irridebant:]* Igitur cùm præſtituta die Florentinorum exercitus in armis eſſet, Picininus tanquam imparatos oppreſſurus, eos totis viribus adortus eſt. Satis conſtat, adeò illum ſibi indubitatam victoriam promiſiſſe, ut vicinorum oppidorum accolas inermes, tanquam ad certam prædam adduxerit. *[& victoriâ ſibi certam promittebant,]* Commiſſo igitur ad Anglarium prælio, cum per multas horas acriter pugnatum utrimque fuiſſet, tandem victoria, eaque prorſus incruenta, pro Florentinis ſtetit. Major hoſtium pars cæſa, captaque: Dux cum paucis fugâ vix evaſit. De Florentino exercitu nullus pene deſideratus eſt. *[at cæſi, & capti: & Florentinis ceſſit incruenta victoria,]* Tradunt nonnulli, Beatum Andream à quibuſdam in aëre viſum, albo equo inſidentem, ac cæleſtis exercitus acies in hoſtes immittentem.

891. Hæc victoria non modò grandi metu Summum Pontificem, Florentinoſque liberavit, qui periculoſiſſimo bello feliciter, glorioſeque defuncti ſunt, ſed infracta Vicecomitum potentia, majori Italiæ parti pacem conciliavit, reſque Eccleſiæ in tuto conſtituit. *[Eugenio IV. Pontifice ibi præſente, & Florentinis congaudente.]* Quæ tam eximia, ac ſalutaria bona ſingulari Beati Andreæ beneficio profectò adſcribenda ſunt. Maximo ſane gaudio tantæ rei nuncius Florentiæ exceptus eſt; & inter cetera lætitiæ ſigna, illud haud poſtremum fuit, quòd publico decreto, ad gratias Deo agendas, debitoſque honores Beato Andreæ exhibendos, ut à Metropolitana æde, ad uſque Carmelitanam Eccleſiam, Clerus, populuſque univerſus, unà cum Reipublicæ Magiſtratibus procederent, ac munera ſancti viri ſepulchro ſinguli offerrent, ſancitum eſt. *[Quo volente, & approbante indicta proceſſio ad corpus S. Andreæ:]* Geſta ſunt hæc volente, ac probante Summo Pontifice Eugenio; qui etiam Senatus, Populique Florentini precibus, agentibus præſertim Dominico Capranica, Juliano Cæſarino, & Proſpero Columna Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, viris religioſiſſimis, ac de Republica Chriſtiana optimè meritis, indulſit, ut perpetuis futuris temporibus anniverſarius dies, quo ad cæleſtem gloriam B. Andreas tranſlatus eſt, ſolemnis in ea Eccleſia eſſet, atque in ejus memoriam Sacra Deo fierent; ceterique omnes honores Sanctis haberi conſueti, Beato Andreæ haberentur. *[& Sanctorū honores annui S. Andreæ impendendi, conceſſit.]* Accidit itaque, cùm primùm ſancti viri Corpus, omnibus videndum, colendumque, in altiſſimo ſuggeſtu collocatum fuit, ut primo ſtatim conſpectu, populus, qui infinitus prope ad eam celebritatem convenerat, magno erga eum devotionis affectu incitatus adeò exclamaret, Sancte Andrea ora pro nobis, ut tantæ multitudinis vox tonitrui inſtar cælum uſque ferretur. *[corpore ejus expoſito tonitrui inſtar, populi innumeri voces inſonabant: S. Andrea ora pro nobis.]* Quod cum iterum iterumque fieret, & repetitis vocibus Sanctus ab univerſis acclamaretur, uſus obtinuit ut deinceps ab omnibus abſq, diſcrimine ſemper diceretur Sanctus. *[exinde ſemper Sanctus appellatus,]*

892. Nec popularis tantum auræ ſuffragiis adeo inſignem, ac honorificam appellationem adeptus eſt, ſed ſummorum etiam virorum graviſſimis ſententiis, meritorum, ac indubitatæ apud omnium animos opinionis ſanctimoniæ jure, eidem attributa fuit: iiſdem etenim diebus, cum Orationem de laudibus ejus quidam ex Carmelitis Fratribus, coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & mágna Cleri, ac populi frequentia habiturus, ambigeret utrum in publica concione Sanctus nuncupandus eſſet; conſulti iidem Cardinales reſponderunt, honores à Summo Pontifice illi delatos, ſpeciem ſolemnis Canonizationis referre; ideoque eum Sanctum appellandum videri, atque inde factum arbitror, ut plerique omnes ſcriptores, qui res ipſius geſtas memoriæ mandarunt, ejuſvè ex occaſione mentionem fecerunt, præſcripto ſemper ſanctitatis titulo ejus nomen honeſtarint. *[& ut talis colendus judicio Cardinalium,]* Quibus (a) Senatus, Populuſque Florentinus ad ejus cultum, venerationemque magis, magiſque incitatus, (a) ampliores adhuc ei honores non decrevit modò, ſed eos etiam qui in Catholica Eccleſia ampliſſimi eſſent, ut ab Apoſtolica Sede decernerentur, curavit. Statuit itaque, ut recurrente quot annis die obitus Beati Andreæ, omnes urbani Magiſtratus ad Carmelitanam Eccleſiam honoris causâ convenirent; idemque fieret in Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli feſta die, quo tam illuſtris victoria Florentino populo divino munere obtigit: hoc adjecto, ut viginti pauperes, ad hujus Sancti honorem, novis veſtimentis publico ſumptu induti, ad ejus ſepulchrum ſiſterentur; quod & hactenus ſervatur. *[Veneratio, & honores annui decreti S. Andreæ.]*

893. Haud multo poſt, ut in Sanctorum Pontificum numerum Beatus Andreas adſcriberetur agere cœpit; ac Paulum Secundum, & Sixtum Quartum Pontifices Maximos quæſitiſſimis precibus rogavit, ut hoc ei maximi beneficii loco tribuerent; à quibus eò etiam deventum eſt, ut rei examen diverſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus *[Florentinorum inſtantia apud varios Pontifices pro ſolemni canonizatione.]*

bus

IV. FEBR.

bus mandarent. Clemente verò Octavo, negotium diu intermiſſum rurſus inchoatum eſt; quod a Paulo Quinto longius provectum, demum à Sanctiſſimo Domino Noſtro URBANO OCTAVO, univerſo Chriſtiano orbe approbante, perfectum eſt: Qui petente Ludovico XIII. Chriſtianiſſimo Galliarum Rege; ac Sereniſſimo Ferdinando Secundo Hetruriæ Magno Duce, inſtante etiam Gregorio Canalio Carmelitarum Priore generali, ac Illuſtri Corſinorum Familia, ſumptus abundè ſuppeditantibus Octavio Corſini Archiepiſcopo Tarſenſi, Philippo ejus fratre, Neriique alterius fratris vita functi filiis; ſolemni pompa, ſplendidiſſimo apparatu, ac longe majori quam unquam hactenus factum ſit magnificentia, Beatum Andream Corſinum Carmelitam, Epiſcopum Feſulanum, ad Dei honorem, & gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ decus & præſidium, in Sanctorum Epiſcoporum numerum feliciter retulit.

ea demùm inſolità magnificentià facta fuit ab Vrbano VIII.

(a) ANNOT. Senatus, Populuſque Florentinus . . . ſtatuit. *Quid ulteriùs decreverit ſic refert P. Lezana in Conſultis variis, conſulto 1. num. 239* Reſpublica ordinavit, quòd ſingulis annis in ſecunda Dominica Junii, Domini Priores liberati, vexillifer juſtitiæ & alii Magiſtratus deberent accedere ad Eccleſiam B. Mariæ de Carmine & ibi cum cereis accenſis offerre donarium in honorem B. Andreæ. Cumque de anno 1460 per aliquot paucos annos dicta oblatio fuiſſet intermiſſa, fuerunt in CONSILIO FACTA, & fuit decretum ne memoria dictæ revelationis omitteretur, quòd loco dictæ oblationis veſtirentur 10. Novitii dicti Monaſterii B. Mariæ de Carmine, qui proceſſionaliter ire deberent ad Eccleſiam S. Petri majoris, & inde ad dictam Eccleſiam de Carmine, quod uſque ad præſens ſervatur.

Florentini Senatus decretum de annua pietate erga S. Andream in memoriam, & gratitudinem victoriæ.

MIRACVLORVM

PRÆCIPUORUM RECENSUS.

894. DE *S. Andreæ nativitate ex ſterilibus diu parentibus, & ejus quaſi ex lupo in agnum mutatione, meritis SS. Virginis Mariæ: deque chariſmatibus quibus ab eadem in primitiis ſacrificii, in electione ad Epiſcopatum, & in morte delibutus fuit: de cæco ab eo illuminato, cruribus mendici ulceribus plenis, lotione, & oſculo, ſubitò curatis, & variis aliis infirmitatibus per eum ſublatis ac frumento, & panibus ejus oratione multiplicatis, jam ante dictum, atque quidem iſta in vita. Quòd miraculis multis coruſcaverit etiam poſt mortem, & propterea in magna fuerit veneratione, habetur ex dictis ſupra in Prolegomenis §. 2. & quidem mox ab obitu, ac ante ſepulturam, nam* corpus erat redolens; ita quòd ex illo odore multi in diverſis infirmitatibus liberati ſint. Veniebant multi infirmi, qui ipſum tangendo ſanabantur. Hæc quidem atteſtatur (a) Collucius Salutatus tunc temporis Cancellarius Florentinus, in Epitaphio, quod ſculptum eſt in ſepulchro, quod incipit: MONTIS CARMELI &c. *Ita vita ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ apud Bollandum ad 30. Ianuarii cap. 6. (Epitaphium iſtud inſertum eſt vitæ hic ſuprà cap. 7) In altera vita apud eundem, cap. 4.* Sed quid ego narrem, quæ circa hujus Beati viri obitum geſta ſint, quæ verba, quæ præcepta vitæ, quas traditiones Religionis dederit, quæ lux circumtulerit morientem, quantæ ſuavitatis odor à defuncti corpore ſpiraverit? Multi ex diverſis languoribus atque morbis, tactu corporis ejus mirabiliter liberati ſunt. *Nonnulla ex illis relata ſunt in ejus vita jam ante cap. 7. Quantum ad ſuavem odorem emanantem ex corpore incorrupto iſta (teſtimonio plurimorum confirmata) P. Lezana in* Conſultis variis *conſulto 1. num. 245 iſta tradit:* Teſtes, & hiſtoriæ ſupra proximè citatæ dicunt corpus B. Andreæ poſt mortem remanſiſſe ita odoriferum, ut ex tali odore multi ex ſuis infirmitatibus fuerint liberati, & ad hoc adeſt viſitatio corporis per peritos ex ordine delegatorum Apoſtolicorum facta, de qua in primo proceſſu remiſſ. fol. 149. in qua fuit dictum corpus repertum integrum, & immaculatum perindè ac ſi hodie defunctus fuiſſet, & prætera eſſe odoriferum, quæ omnia Medici, qui partes dicti corporis diligenter inſpexerunt, & tetigerunt, non ſine miraculo fieri poſſe retulerunt.

Miracula S. Andreæ Corſini multa in vita, & poſt obitum,

(a) de quo hic ſupra num. 889.

895. Cardinalis Deto in Relatione coram Urbano VIII. Summo Pontifice, & Cardinalibus, ac aliis Præſulibus in Conſiſtorio congregatis (unde præcipua de S. Andreæ virtutibus adducta ſunt hic ſuprà *a*) inter cætera miracula de plurimis (ut ait) recenſet ſequentia. (a) nu. 834. & ſeqq.

Iunipera Riccii Florentina, contracto à partu gravi morbo, mox & ad inſaniam redacta, adhibitis fruſtra medicamentis; tandem admotis B. Andreæ reliquiis, priſtinæ corporis ſanitati reſtituta, & (quod raro contingit) compos mentis effecta eſt. *ope S. Andreæ curata contractio & amentia,*

896. Bonaventura Caſſandræ filius, duorum annorum, cùm dies ſeptemdecim in cunis æger jacuiſſet, atque omni cibo, & potu abſtinens pro mortuo haberetur à medico; admotà ad pueri pectus B. Epiſcopi catenà, & ejuſdem annulo in pueri digitum inſerto, ſtatim cibum petiit, veſtes induit, domo egreſſus cum pueris colluſit. *febris,*

897. Triginta annos lepra coopertas manus habuerat Angelica de Caſtro ex Romandiola: ac fruſtrà ope medicamentorum adhibità, ad B. Andreæ auxilium confugit; ac votivas ad ejus ſepulchrum manus pollicita, ſubitò mundari cæpta eſt, atque intra octiduum ne veſtigium quidem lepræ manibus apparuit. *lepra,*

898. Elizabetha Petri de Cavarella, Florentina, febri aſſidua, & comitiali morbo miſerè vexata ſpatio triginta menſium, deſtituta, ob paupertatem, medicorum, ac medicamentorum ſubſidio, præſentiorem medicinam reperit in B. Antiſtitis ope: cujus catenam ſummà fiducià, ac religione contingens, ex utroque morbo repentè convaluit. *febris & epilepſia,*

899. Ad terram cùm cecidiſſet, fregiſſetque ſiniſtrum brachium Flametta Jacobi, nihil proficientibus artis humanæ remediis, ad B. Andream confugit: atque in templo Carmelitarum, impoſito ſuper ejus altari brachio, *brachii fractura,*

IV. Febr. brachio, ſanitatem recuperaverit. In eodem templo, dum in die Aſcenſionis corpus B. Andreæ oſtenderetur, Catharina uxor Julii de Garbo Florentina, auditu omninò capta, coronam B.V. porrexit, ut Beati corpus tangeret: eamque cùm recipiſſet ac magna ſpe deoſculata eſſet, admoto ad aurem uno ejus grano, ſtatim perfectèque audire cœpit.

auditus recuperatus,

brachii infirmitas & auris ſurditas.

900. Betta, Chriſtophori filia, Pratenſis, cum diu ſiniſtri Brachii, ac ſiniſtræ auris, partiſque capitis uſu caruiſſet; dum concioni de B. Andreæ laudibus intereſt, eique ſe magnâ ſpe commendat, ac cereum caput ad ejuſdem tumulum vovet, poſt brevem quietem expergefacta, illicò tam brachio, quàm aure & capite ſanata eſt.

901. *Miracula alia referuntur in vita S. Andreæ ex Vaticana Bibliotheca codice, apud præfatū P. Bollandum, & quidem cap. 8.* De Parocho à ſuis ſubditis neci deſtinato, voto S. Andreæ nuncupato, benignè ab iis excepto. *Ibi proximè ſequitur iſtud:* R. Theologus Magiſter frater (a) Nicolaus Kenton Provincialis Angliæ Ordinis Carm. maximâ febre gravatus eſt, ita quòd ex dolore capitis die noctuq; clamans, quodammodò in maxima anguſtia conſtitutus mortem cupiebat. Accidit autem, quod cùm campanæ multum pulſarentur ex concurſu populi, ut interrogaret dictus Provincialis, cur tantum campanæ pulſantur? dicitur ei, quia novus Sanctus inventus eſt, & Deus per ipſum multa miracula operatur, qui eſt Ordinis veſtri, & fuit Epiſcopus Feſulanus. Tunc prædictus Provincialis ait: Citò adjuvetis me, quia ire volo ad Eccleſiam; fortè me non deſpiciet, ſed mihi etiam auxiliabitur, ne moriar exaſperatus. Intrando Eccleſiā venit ante ejus imaginem, & videbat homines ac mulieres ejus imaginem tangentes, & poſtea facies proprias fricantes, & ait: Quid faciunt illi? Cui reſpondetur: patiuntur capitis dolorem, & ex illa devotione multi ſanantur. Cum autem talia Provincialis audiſſet, imagini ſive iconi appropinquavit, in quâ picta eſt imago B. Andreę, & ait: Oro B. Andrea, oro te ac ſupplico, ut me non deſpicias; ſed adjuva, qui de tuo ordine ſum: vide dolorem meū, & capitis mei vexationem, & libera me, quoniam exaſperatus ſum; & ſic dicens tetigit prædictam imaginē maximâ cum fide, devotione, & ſpe, ac fricavit deinde caput & ejus faciem, qui veriſſimè ſtatim ab omni dolore & febre liberatus eſt. Cum autem ad propria rediret, ſolemniter B. Andreæ imaginem cum aliquibus miraculis pingi fecit.

attactu imaginis S. Andreæ curatis morbis,

capitis dolor & febris in Provinciali Angliæ Ord. Carm.

902. *Ibi conſequenter, ſub titulo:* Miracula oſtenſa circa tempus ſuæ tranſlationis, videlicet an. Dom. MCCCCXXXIX. *ex authenticis Actis coram R.mo D. Benottio Epiſcopo Feſulano factis, traduntur ad longum ſequentia: de muliere* à pedum contractione ſubitò ſanata: *de viro* à vermibus liberato: *de alio* à tibiæ dolore curato, *de alio*, irridente venerationem Reliquiarum ejus ſubitò in terram lapſo, & cœco effecto, & poſteà veniam petente lumen oculorum impetrante.

Miracula varia alia.

903. ANNOT. (a) Nicolaus Kenton Provincialis Angliæ: *occaſione miraculi iſtius in illo Provinciali dicitur in Officio proprio S. Andreæ (ita quidem in Breviario Venetiis impreſſo apud Petrum Dehuchinum an. 1573 fol. 296.) canebatur & etiam nunc:* Te novit Anglia. *De iſto Provinciali P. Bollandus ad diem 30 Januarii ſub finem vitæ primæ S. Andreæ iſta annotat:* Egregia hic & ſanctimoniæ & doctrinæ laude floruit.

SUMMI PONTIFICIS, S.R. ECCLESIÆ

Cardinalium, nec non aliorum Præſulum teſtimonia

De eminenti ſanctitate B. Andreæ Corſini, publicè verbo proclamata, ac ſcripto tradita in ſacro Conſiſtorio Romæ habito menſe Martio anno MDCXXIX.

904. P*Rimæ auctoritatis humana teſtimonia ſunt Summi Pontificis, & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, prolata publicè, & tradita ſcripto, præſertim in negotiis magni momenti, præviâ accuratiſſimâ diſcuſſione maturè ponderatis. Ejuſmodi ſunt teſtimonia de ſublimi ſanctitate, & eminentibus virtutibus B. Andreæ Corſini, quæ ſequuntur, excerpta, & (vitandæ prolixitatis causâ) in compendium tradita ex Actis Conſiſtorii Romæ habiti, præſentibus Summo Pontifice Vrbano VIII. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis tunc Romæ exiſtentibus, aut ſpecialiter vocatis.*

Summi Pontificis & Cardinaliū teſtimonia, magnæ ſunt auctoritatis,

§. I. Urbani VIII. Romani Pontificis, *teſtimonium, & inſigne elogium.*

905. MIlitantis Eccleſiæ ſolicitum, variiſque perturbationibus obnoxium ſtatum, non aptiùs alio, quàm *Navis* in mari fluctuātis ſymbolo, ſi quis attentè conſideret, exprimi poſſe crediderit, quod facili negotio comprobarit, ſi velit ire per ſingula, quæ congruunt utriuſque regimini. Nec abs re fuerit exiſtimare, nobis hanc à Chriſto Domino inſinuatam fuiſſe cognitionem, dum ſæpiùs in mari voluit è navicula docere diſcipulos: & huc forſan reſpexerunt Summorū Pontificum primi, qui ſibi ad ſubſignanda diplomata delegerunt annulum effigie Piſcatoris in navicula cælatum: hinc etiam videtur invaluiſſe mos, ut de Eccleſia diſſerentes, eam *Petri Navim* dicamus; nec Patrum deſideratur auctoritas, qui *Navim* Eccleſiæ typum eſſe confirment. Hanc profectò navim ſancti Spiritus afflatu dirigi, non licet ambigere.

Eccleſia paſſim Petri Navis appellatur,

906. Quod cùm ita ſit, quis eat inficias, ab eodem ſancto Spiritu Eccleſiæ eam injectam fuiſſe mentem, ut Beatiſſimam Virginem *maris Stellam* nuncupet? Hujus ſaluberrimæ lucis opem ſentire eos, qui rerum humanarum tempeſtatibus agitati, ejuſdem Virginis implorant patrocinium, pro comperto eſt: quod illa ſæpè liberaliter ſolet, & clementer impartiri, fuſis ad Filium precibus, ut divinam ob peccata noſtra vindictam nobis imminentem avertat. Noſtris verò præſertim temporibus, varias minitantibus procellas, luculentum liberalitatis exhibuit, & clementiæ teſtimonium. Non ſatis enim fuit, ut ipſa genus humanum pravis affectibus æſtuans, luce ſua juvaret, & ſolaretur: ſed quos antiquitùs vana

Maris, in qua fluctuat, Stella Maria.

IV. FEBR.

veluti Caſtor, & Pollux, gemini S. Andreas, & S. Tereſia.

gentium ſuperſtitio ſplendores Caſtori & Polluci ad tutelam navigantium perperàm tribuit, videmur jure optimo nos Sanctiſſimæ Virginis beneficio acceptos referre debere. Suſpicimus enim geminos ab ejus luce radios recenter promicantes, Sanctam videlicet Tereſiam, nuper albo Cælitum adſcriptam, & Beatum Andream Corſinum, præcipuis ejuſdem Virginis prærogativis inſignitum; ex cujus religioſa de monte Carmelo familia, prodiit amborum decor, & ſplendor, qui nobis affulget. Omnium jam patet oculis affatim ſanctæ lumen Tereſiæ: ſed ut etiam magis eſſet conſpicuum Beati jubar Andreæ, ferventiſſimis votis, & accuratiſſimis precibus olim Reſpublica Florentina ſuo Civi generis nobilitate præſtanti, ſuppliciter à noſtris Prædeceſſoribus petiit, Sanctorum cultum ritè decerni: nec minori deinde ſtudio Corſina Gens, & Ordinis Carmelitani Generalis Præpoſitus, intermiſſam rerum viciſſitudine petitionem proſecuti ſunt; quibus pluries iterata Regum, aliorumque Magnorum Principum efficax acceſſit poſtulatio.

S. Andreæ ſanctitas per tria ferè ſecula conſtanti famâ percrebuit:

907. Quamobrem Servi Dei, quæ per tria fere ſæcula conſtanti famâ percrebuit, ſanctimoniam, ac priuſquam naſceretur, præſagitam, & in mira ad Epiſcopatum Feſulanum electione celebratam, diligens habita more majorum perquiſitio comprobavit. Nam in Palatii noſtri Auditorio, & per Patres à ſacris Ritibus ſolerter eſt examinata; ac demum in Conſiſtorio noſtro ſecreto relata ſimul cum operibus, quæ ſupra mortalis conditionis vires B. Andreas vivens, & poſt obitum mirabiliter patravit: Inter quæ hecticæ, & aſſiduæ pulſæ repente febres, morbus comitialis ſanatus, corpus à lepra mundatum, crura ulcerum ſanie ſcatentia ſtatim priſtinæ reſtituta valetudini, cæcoque lux reddita. Poterant hæc cæleſtem B. Andreæ partam felicitatem præmonſtrare: ſed certiorem de ea facile eſt concipere notitiam. Nam Dei mater Virgo famulo ſuo, integerrimè vitâ peractâ, paucos dies antequam decederet, in ſomnis apparens, perennem beatarum mentium voluit gloriam prænunciare. Ceterùm, cùm Sancta Tereſia fœminis exemplar virtutum, è Beatiſſimæ Virginis Carmelitano Inſtituto propoſita ſit; ſi templis, & aris colatur B. Andreas, habebunt etiam viri generatim, quem invocent, & imitentur. Nec quiſquam, licèt perditiſſimis imbutus moribus, ſalutaris immutationis privabitur ſpe: nam & ipſe è lupo in agnum converſus, ac tandem Paſtor effectus, egregiè Paſtorali functus eſt munere; cujus optimè adminiſtrandi ſpecimen petere poterunt Epiſcopi; & hinc præcipuè qui fortiter onus Epiſcopale ſuſtinent, ſolicitudinum, & perturbationum quibus premuntur, ſingulare ſolamen accipere. Denique de tutelari præſidio Beati Andreæ, in quo ſe gloriaturam Dei Mater aſſeruit, cur gloriari poſſe non ſperet Mater Eccleſia, cùm ſit aliàs illum adversùs hoſtiles acies propitium Apoſtolicæ Sedis experta propugnatorem?

& declarata à Deo miraculis in vita, & poſt mortem:

S. Andreas paſtoralis muneris optimè adminiſtrandi exemplar.

SVFFRAGIA
S.R.E. CARDINALIUM.

908. O*ctavii Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis Bandini*: Vixit in hoc ſeculo ante trecentos fere annos Andreas Corſinus Florentinus ita ſobriè, ita juſtè, ita piè, ut beatam illam ſpem, quam expectabat, ac divinam gloriam aſſecutus meritò credendus ſit. Sobrietatem ut coleret, & frænum ſuis cupiditatibus imponeret, ad Carmelitanorum conſortium confugit, ut procul eſſet à mundi illecebris. Ut juſtitiam, & charitatem in proximos, profuſiùs, ac promptiùs exerceret, poſt longam recuſationem, Epiſcopatum Feſulanum renuere non eſt auſus. Quàm piè ac religiosè erga Deum ſe geſſerit, clariſſimè oſtendunt ſigna, ſupra humanam conditionem, ejus precibus ac meritis, publicè, ac omnibus admirantibus conſpecta; præſertim in ſubita cœci illuminatione; in parvo pane, ad multorum ſaturitatem ſuperfluenter multiplicato; in reſtituta ægrotantium deſperata valetudine, atque aliis innumeris miraculorum prodigiis.

S. Andreæ virtutes præcipuæ.

Miracula.

909. *Andreæ Epiſcopi Præneſtini Cardinalis Peretti*: Præclaræ B. Andreæ Corſini virtutes, & admirabilia, quæ Deus eodem intercedente, operari dignatus eſt, eximiam viri ſanctitatem, & ſummam Dei in illum benevolentiam mirè teſtantur. Nam præfervidæ adoleſcentiæ motus ab eo cohibiti, ne aliquam ejus pudicitiæ notam inurerent, ſuſceptum arctioris vitæ inſtitutum, pœnis ultro irrogatis corpus edomitum, & ille omnium virtutum comitatu inſtructus charitatis ardor in Deum, velut quidam clariſſimi eximiæ ejus ſanctitatis radii præfulgent. Præterea redditus, ejus patrocinio cæcis viſus, multæ res prædictæ in poſterum tempus, & Florentina Civitas ab eo ſervata, validiſſimus hoſtium exercitus, ipſo propugnante, ad internecionem deletus, aliaque id genus multa; quid aliud ſignificant, niſi illum arctiſſimo benevolentiæ vinculo fuiſſe cum Deo conjunctum?

S. Andreæ caſtitas cuſtodita, charitatis ardor, & miracula, ſunt radii eximiæ ejus ſanctitatis.

910. *Dominici Epiſcopi Tuſculan. Cardinalis Gymnaſii.* Ecce quomodò ex eodem fonte diverſæ oriantur aquæ, ex eodem corde pœnæ debeantur, & præmia. Dum enim Andreas juvenis, & dives eſſet, & cor in ramorum umbra arboris divitiarum poſitum, elatumque haberet, ad ima deſcendit, quia peccavit. Sed poſtquam qui ſedebat in regione umbræ mortis, lux orta eſt ei, in ſe reverſus, ad radicem arboris reſpiciens, humilis factus, inter humiles receptus, humilia ſemper reſpiciens, & in humilibus ſe exercens, altiora ſe videre, & audire meruit à voce illa divina è Cælis emiſſa, ANDREAS SERVUS DEI ELECTUS.

S. Andreas humilis à Deo exaltatus:

911. *Caroli Emmanuelis Epiſc. Alban. Cardin. Pii.* Eugenium Quartum Pontificem Maximum, & cum eo Cardinalium complures, Florentiæ tutatus eſt B. Andreas Corſinus:

non

IV. FEBR.

non deſeret nunc idem Beatus Antiſtes, publicis Eccleſiæ votis, & honoribus provocatus, illud patrocinium, quod tunc paucorum precibus liberaliter attribuit. Itaque cenſeo non ſolum B. Andream vitæ ſanctitate, virtutum excellentiâ, & miraculorum præſtantiâ inſignem, in Sanctorum numerum referendum; ſed etiam agendas Sanctitati Veſtræ gratias, quòd tandem huic ſanctæ Sedi, & ſacro noſtro Collegio Patronum adoptet.

Patronus Collegii Cardinaliũ.

912. *Scipionis S.R.E. Cardinalis Burghefii tit. S. Chryſogoni Majoris Pœnitentiarii*: Si qui Chriſtum Agnum quò ierit, ſequitur, habere aliam nequit metam, niſi felicitatis, ſanè magna acceſſione gloriæ Andreas apicem beatitatis cumulavit, qui ut ſua, cum cæleſtis Agni præeuntis veſtigiis exæquaret, admirabili Dei prodigio, velut alter Paulus, è lupo factus eſt agnus.

S. Andreas, ſicut S. Paulus, è lupo agnus:

Ioannis Garſiæ tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Mellini: Ea ſunt, quæ dicenda mihi eſſent de Beati Andreæ Corſini ſacerdotis Carmelitani & Epiſcopi Feſulani, patria, familia, moribus, ſanctitate, miraculis, & virtutum omnium concurſu florentiſſimo; ut ſilentio potiùs ſuſpicienda, quàm verbis exprimenda exiſtimem, nunquam ſatis pro rei dignitate facturus. Tanta virtutum illius affluentia, tamque præclara, & conſtans ejus ſanctitatis fama per tria ferè ſecula uſque in hanc diem perducta.

in eo virtutum omnium concurſus Florentiſſ.

913. *Marcelli Tit. S. Praxedis Cardinalis Lantes*: Ad ſingularem B. Andreæ commendationem & laudem illud in primis pertinere exiſtimo, quòd inter Carmelitas religioſiſſimi Viri ſpecimen edidit, inter Epiſcopos abſolutiſſimi Præſulis ſimulacrum expreſſit.

Præſulis abſolutiſſimi, & Religioſi perfectiſſimi ſimulacrum.

914. *Aloyſii tituli S. Petri ad Vincula Card. Capponii*: Quos habuerit auctores, quave ſuborta de ſtirpe ſit B. Andreæ Corſini ſanctitas, abundè cognovimus, cùm ipſum à Deipara Virgine, hoc eſt, à genitrice ſanctitatis, velut initiatum audivimus ea voce: SERVUS MEUS ES TU: & à Deo integritatis omnis, & juſtitiæ fonte, qui linguas infantium facit diſertas, ex ore pueri oraculo prolato, rerum ſacrarum Antiſtitem delectum percepimus.

Dei, & Mariæ oraculo Sanctus:

915. *Gaſparis Tit. S. Crucis in Hieruſalem Card. Borgiæ*: Si candori vitæ, ſi morum integritati, ſi egregiis virtutibus, ſi heroicæ ſanctitati ara debetur, & religioſus cultus; meritò B. Andreas Hetruſcæ gentis gloria, triumphanti Cælitum numero adſcribetur, coleturque veneratione publicâ, cujus inclyta virtus tot miraculis innotuit orbi.

ſanctitas ejus & virtutes heroicæ:

916. *Roberti Tituli S. Alexii Cardinalis Vbaldini*: Beatum Andream Corſinum Epiſcopum Feſulanum in Sanctorum numerum referri, & pia, miraque geſta, & trium ſæculorum conſenſus, & legitima documenta jure ſuadent: poſtulant Summi Principes, religioſiſſimus Ordo, nobiliſſima gens, florentiſſima Patria: ut ſanctiſſimus hic Confeſſor, & Pontifex, qui toties Civibus ſuis, & finitimis populis in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, idem nunc Catholicæ Eccleſiæ voce, clamore valido invocatus. Italiæ laboranti opem ferat, iram Dei avertat, pacatamque reddat, & tueatur.

Ideò meritò Sanctorum catalogo adſcriptus.

917. *Tiberii Tituli S. Priſcæ Cardinalis Muti.* Virtutes eximiæ, vitæ ſanctitas, miraculorum claritas, tot annorum ſerie continuatæ populorum acclamationi conjunctæ, in B. Andrea Corſino parentum precibus à Deo impetrato, eique ante ortum dicato, modo eminenti refulgent.

vitæ ejus ſanctitas miræ refulgens:

918. *Iulii Tituli S. Sabinæ Cardinalis Sabelli.* Ab eo jam decurſu temporis, ex quo B. Andreas Corſinus, quaſi alter Paulus, è lupo agnus eſt effectus, afflictatione corporis, rerum humanarum deſpicientia, & cæleſtium bonorum inquiſitione percupida, devios ſenſus ab impuris hujus ſæculi cogitationibus ſejunxit; vigiliis, oratione, & jejunio, trinâ veluti cuſpide communitus, teterrimum hoſtem profligavit, & divini muneris uberrimam elargitionem ſibi promeruit.

è lupo agnus quibus armis dæmonem profligaverit.

919. *Guidonis Tituli S. Mariæ de Populo Cardinalis Bentivoli*: Ex iis quæ relata ſunt de B. Andreæ Corſini vita, & miraculis, facilè apparet illum potiùs vitam cæleſtem, quàm humanam in terris egiſſe. Nactus eſt hanc lucem mortalem peculiari Beatiſſimæ Virginis dono. In Carmelitana porrò familia, cui adoleſcens nomen dedit: quid illo humilius, quid innocentius, quid ad perfectiſſimum exemplar omnium virtutum præclarius? Feſulanæ autem Eccleſiæ Præſul factus, non Præſul, ſed populi ſibi crediti potius parens optimus & ſanctiſſimus fuit. Jam verò poſt mortem adeo nomen ejus ubique ob tot illuſtria miracula inclaruit, ut exinde veriùs cœpiſſe vivere, quàm deſiiſſe, exiſtimandum ſit.

vitam cæleſtem in terris egit:

920. *Deſiderii Tit. S. Caroli Cardinalis Scaglia.* Congruenter huic tempori, quo paſchalis Agnus immolatur, de ejus honoribus agitur, qui ex lupo agnus effectus, poſtquam in Carmeli vertice ad virtutum omnium paſcua aliquandiu conſedit, maturus ad aram, ita quotidie ſacrificium peragebat, ut ſimul ipſe ſe Deo immolaret, ac cæſa victima ipſemet eſſet; dum corpus attenuatum jejunio, confectum vigiliis, ferrea catena diſcerptum, immiti flagello ſub finem ſacrificii cruentaret. Dignus profectò, quem cæleſtis in meditatione exardeſcens ignis totum abſumeret in Deum, totum in proximorum ſalutem creſcente incendio derivaret. Dignus, qui novo miraculo ex agno, agnorum Paſtor efficeretur, divina ita diſponente providentia; ut qui lupum exuerat factus agnus, lupos ab agnis ſibi creditis, Paſtor effectus, arceret.

ex lupo agnus & Dei victima:

ex agno, Paſtor agnorum, ab iis lupos arcens.

921. *Coſmi Tit. S. Pancratii Cardinalis de Torres*: Beatus Andreas Corſinus Præſul Feſulanus ob eximiam & ſanctimoniam & ſapientiam, duorum præſtantiſſimorum ordinum, regularis videlicet, & Epiſcopalis, clariſſimum lumen extitit.

Epiſcoporum, & Religioſorum clariſſ. lumen.

922. *Fr. Antonii Tit. S. Honufrii Cardinalis Barberini*: Arcanâ quadam cæleſtis muneris

IV. FEBR. præmonitione, Beati Andreæ Corſini ſanctitas eximia videtur indicata fuiſſe, vel ex ipſo nomine, quod ex græco idiomate deductum *fortitudinem* ſignificat. Fuit enim athleta Chriſti, fortis in bello contra antiquum ſerpentem; & in hoc vitæ curriculo bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit, inſtituti religioſi, & Epiſcopalis vigilantiæ ſe præbens exemplum.

& juxta nomen ſuum FORTIS *fortitudinis exemplum præbens Epiſcopis, & Religioſis.*

923. *Aloyſii Tit. S. Pudentianæ Cardinalis Cajetani*: Cultus proponitur publicus, ac debitus ſanctitati honor B. Andreæ Corſino Epiſcopo Feſulano, inter illos adſcribendo, quos divinæ altitudo prudentiæ non ſolùm glorificat, ac coronat in cælis, ſed excellentiâ meritorum, venerationis officio, ſingulari ejus providentia attollit in terris. Qua ſtudioſa inquiſitione, diuturna examinatione, ac diligenti diſcuſſione, vitæ ſanctitas, ac miraculorum veritas publicis documentis conteſtatæ, ac comprobatæ fuerint, ex proceſſibus, & relationibus apertiſſimè conſtat.

S. Andreæ ſanctitas, & miraculorū veritas publicis documentis conteſtata:

924. *Laudivii Tituli S. Sixti Cardinalis Zachiæ*: B. Andreas Feſulanus Antiſtes egregiè Sanctorum eſt imitatus exempla. Ejus vita Divino addicta ſervitio, virtutum omnium luminibus claruit, inconcuſſa fide, ſtabili ſpe; flagrantiſſima in Deum charitate, paſtorali in proximos ſolicitudine, inexhauſta in pauperes beneficentia, magnanimo ſui contemptu, honorum fuga, aſperitate vitæ, ejuſque comite caſtimonia, & numquam violato candore virginitatis. Cæli Regina, ſicut peculiari patrocinio illum eduxit in lucem, & à luce in tenebras deflectentem reduxit; & ne ejus violaretur integritas, rarâ prærogativâ perfecit: ſicut ex lupo in agnum convertit, atque ad agni paſcua in Carmelum tranſtulit: ſicut de virtute in virtutem euntem perpetuò texit, ac *Servum* ſuum appellavit, ſeque in illo gloriaturam dixit.

ejus caſtimonia in violato candore virginitatis & virtutes heroicæ aliæ.

ea omnes à Cæli Regina ipſi obtenta:

925. *Berlingerii Tit. S. Auguſtini Cardinalis Gypſii*: Beatum Andream Corſinum, divinitùs à Parentibus impetratum, Cælum ſibi à mundi illecebris jure ſuo repoſcebat, dum is Religioni ſe mancipans, ſumma ſui deſpicientia ſemet Angelis, & hominibus ſuſpiciendum præſtitit, ac pudici animi florem inter ipſos adoleſcentiæ æſtus illibatum ſervavit, & profuſiſſimæ præbuit exempla charitatis omnibus omnia factus. Qua virtute reliquis præluxit ad Feſulanæ eccleſiæ regimen accerſitus: Idque cùm Infantis præconio firmatum ſciamus, verendum minime eſt, quin Deus voluerit ejus laudes ex ore infantis mirabiliter perficere; quemadmodum ad ejus preces pauperi luminibus capto viſum reparavit, novoſque repente panes procreavit; & quod maximè à me laudandum eſt, Andreæ ipſius pietate, & opera, Bononiam diſcordiis, ac ſeditionibus penè obrutam, ſecuræ tranquillitati reſtituit.

in Virginali candore, & charitatis ardore maximè excelluit,

atque etiam in ſeditionibus tollendis.

926. *Fabritii Tit. S. Laurentii in Pane & perna Card. Veroſpii*: Beatus Andreas Corſinus, parentum voto ac precibus ortus, necnon Deo, & Deiparæ Virgini oblatus prius, quàm conciperetur ... Præcipua Beati Andreæ virtus, ac ſanctitas in componendis diſſidiis, ſedandiſque controverſiis potiſſimum enituit, unde fuit etiam illius opera uſus Vrbanus Quintus in pacandis Bononienſium Civium animis, qui armati jam pridem, & in partes diſtracti, magnum imminebat periculum ne Civitatem perderent.

927. *Hippolyti ſancti Angeli in Foro Piſcium Diaconi Cardinalis Aldobrandini*: Audivit B. Andreas ipſam Sanctorum Reginam, & Cæli Imperatricem dicentem ſibi: SERVUS MEUS ES TU, QUONIAM ELEGI TE, IN TE GLORIABOR. In quo autem ipſa Virgo virginum gloriabitur, niſi in optimo? quem ſibi ſervum adſciſcet, niſi Dei ſervum? quem ſuum Dei matrem elegiſſe exiſtimabimus, niſi Dei novum filium, certum cæli hæredem, & cohæredem Chriſti? Qui jàm ex lupo agnus factus, jam ſcriptus in libro vitæ Agni, juſtus in morte verba illa ſalutis æternæ erat auditurus: *Euge ſerve bone intra in gaudium Domini tui*: à quo Florentia decorem, Carmelitana familia vivendi exemplum, Epiſcopi boni Paſtoris formam, univerſalis Eccleſia tutelam, tota denique Chriſtiana Reſpublica, difficillimis præſertim temporibus, ſolidum patrocinium ſibi poterit vendicare.

qui quantus ſit, ex eo conjicere licet, quod de eo dixerit Virgo Virginum: IN TE GLORIABOR.

In quo Epiſcopi boni Paſtoris formam habent,

928. *Franciſci S. Agathæ Diac. Cardinalis Barberini*: Andreæ Corſini memoria in compoſitionem odoris facta eſt: etenim à cælo terris mirificè datus, Paradiſi fragrantiam latè diffudit; aſcendens nimirum in deſerta Carmeli, meſſuit myrrham ſeverioris diſciplinæ cum virtutum aromatibus, quæ manus ejus diſtillaverunt. Hinc ad præcelſum collem thuris, hoc eſt ad Epiſcopale munus, invitus licèt, evehitur; ubi tot illuſtria religionis & probitatis præbuit exempla, ut inde Præſules capiant quod imitentur. Quæ verò beneficia divinitus in homines contulerit, incorrupta rerum ab eo geſtarum monumenta teſtantur: Avenio præcipuè lucis uſuram cæco reſtitui vidit; Pacificatorem agnovit Apoſtolica ditio, cùm ad componenda diſſidia Civium allegatus, publicam illi reddidit tranquillitatem. Senſit ipſamet patria Liberatorem, dum propulſavit hoſtem tectis & mœnibus imminentem.

& Præſules omnes exemplum quod imitentur.

929. *Hieronymi SS. Quatuor Coronatorum Diac. Cardinalis Vidoni*: Si quæritur innocentia vitæ, B. Andreas Corſinus, ex lupo agnus, & virgo: ſi virtutum exercitatio, ſpirans eorundem templum fuit: ſi bonorum operum, theſaurus longè ditiſſimus: ſi miraculorum auctoritas, alter fere Thaumaturgus. Hujus Beati Viri ſepulchrum cùm ducentos ante annos Florentinus populus præſentibus Cardinalibus veneraretur, repente conclamavit: S. ANDREA ORA PRO NOBIS.

in miraculis fuit alter ferè Thaumaturgus:

930. *Lælii SS. Viti & Modeſti Diac. Cardinalis Biſciæ*: Mirabilia operatus eſt Deus in hoc Sancto ſuo: quem Beatiſſima Virgo ſterilibus parentibus impetravit. Et qui, cùm

natus

IV. Febr.

Divinis cumulatus chariſmatibus, natus eſſet mundi hujus obnoxius illecebris, juſtificatus eſt à Domino; ductus in viam rectam, & factus decor Carmeli, creatuſque Epiſcopus, ſcivit aliorum infirmitatibus compati, & ſe ipſum in carne mortificando potuit alios Chriſto lucrifacere. Superaddidit etiam illi Deus ſpiritum virtutum prophetiæ, & ſanitatum: Quia deſperatos multorum languores curavit: cæco lumen reſtituit: panes multiplicavit: diſſidentes Florentinorum animos (oſtenſo de cælo ſigno) conciliavit, quæ omnia cùm in digito Dei operaretur, dextera Excelſi credita eſt eſſe cum illo. Horam denique ſuæ dormitionis præcognovit, & ad cæleſtem patriam tranſlatus, miraculorum frequentia in dies magis ac magis clarificatur à Domino, qui ad ejus memoriam viventium ſanat ægritudines.

931. *Martii S. Mariæ Novæ Diac. Cardinalis Ginetti.* B. Andreæ Corſini clariſſimè ſanctitas eluceſcat, *præcipua quædam recenſentur:* qui ad ſingularem divinæ gratiæ cumulum, antequam naſceretur, eſt deſtinatus, & delectus à Deo. Ad Carmelitanum Ordinem cæleſtibus invitatus oraculis, religioſæ perfectionis apicem tenuit: exinde ſacris initiatus, inter primitias ſingulare teſtimonium accepit innocentiæ ſuæ. Nam quis unquam inter litandum à Deipara Virgine hoc eſt ornatus elogio: Servus meus es tu? In Epiſcopatu, ad quem pertractus eſt vi, & è latibulis ſuis divinitùs evocatus, exemplum ſe præbuit bonorum operum, & in ſingularum virtutum officiis humano pene faſtigio major apparuit. Illi zelus animarum eximius, de credita ſibi Eccleſia ſolicitudo quædam irrequieta; erga Deum, hominesque perfecta charitas, profuſa liberalitas in egenos, dexteritas, & prudentia pene divina; ſtudium paupertatis, & humilitatis ardentiſſimum, religioſiſſima pietas, pudicitiæ flos illibatus, aliaque illi fuere virtutum genera complura; per quæ tanquam per eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtipendia laudabiliter acta, de ſui exitus die divino nuncio ad extremum admonitus, gratiæ meritorumque pleniſſimus evolavit in cælum, ut beatiſſimus finis præclaro ſanctitatis initio reſponderet.

932. *Alexandri S. Mariæ in Dominica Diac. Cardinalis Caſarini.* Meritò B. Andreæ Corſino impoſita eſt Corona aurea expreſſa ſigno ſanctitatis, gloriæ, & honoris: nam inventus eſt ſine macula, functus eſt Sacerdotio magno, placens Deo habuit laudem; *elogia ejus alia:* & qui vivens in tempore iracundiæ factus fuit reconciliatio, nunc quaſi arcus refulgens, Eccleſiæ eum clarificantis ſemper tempeſtates ſerenabit.

933. *Antonii S. Mariæ in Aquiro Diac. Cardinalis Barberini.* Eximia doctrina, profunda humilitate, præcellenti charitate, exacta clauſtralis Inſtituti obſervantia, conſpicua paſtoralis curæ ſolicitudine, *maximum præbet imitationis incitamentum:* cæteriſque heroicis Chriſtianæ Religionis virtutibus adeo fulget ornatus, & præclaris miraculis inſignitus B. Andreas Corſinus, ut maximum omnibus admirationis, & imitationis incitamentum præbeat.

934. *Hieronymi S. Agnetis in Agone Diaconi Cardinalis Columnæ.* B. Andream Corſinum *In S. Andrea cum illibata pudicitia aliarum omnium virtutum complexio:* illibata pudicitia, honoris contemptus, Deiparæ Virginis tutela, adhæc virtutum omnium complexio cum miraculorum laude conjuncta, inter beatos cæleſtis Hieruſalem Cives enitère teſtantur:

Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum judicia.

935. Alexandri, *Patriarchæ Alexandrini, & Archiepiſcopi Beneventani Aſſiſtentis:* Tam multa ſunt, quæ de B. Andreæ Corſini vitæ ſanctitate, ſapientia, ac rebus divinitus geſtis hìc hactenus fuere enumerata, ut, quando pari orationis genere minùs exornari poſſunt, in memoria ſaltem continenter, atque in omnem æternitatem hærere debeant.

936. *Attilii Amalthei Archiepiſcopi Athenarum Aſſiſtentis.* B. Andreæ, Carmelitani Ordinis primum alumni, deinde Feſulanæ Eccleſiæ Antiſtitis, eminentes & ſolidæ Chriſtianæ virtutes, necnon præclara & grandia miracula, meritis & interceſſione ipſius, tam in morte, quàm in vita edita, omnia tanto teſtium fide dignorum numero probata ſunt, ut neminem futurum arbitrer, qui certo ſibi non perſuadeat, eundem B. Andream digniſſimum eſſe, qui honorificentiſſimo Canonizationis teſtimonio decoretur, & illuſtretur.

937. *Octavii Benſii Archiepiſcopi Andrinopolitani Aſſiſtentis.* Fuit B. Andreas lucerna ardens poſita ſuper candelabrum Feſulanæ, imò potius totius Catholicæ Eccleſiæ: qui in carne hac ſine carne, in terra ſine terra mirabiliter vixit, abnegans ſæcularia deſideria, *in carne quaſi ſine carne vixit,* excellens miraculorum gloria in vita, & poſt mortem; pollebat enim excellenti fide, inſigni pietate, charitate ferventi, admirabilem in dignitate humilitatem oſtendens.

938. *Petri Franciſci Montorii olim Epiſcopi Neocaſtren. Aſſiſtentis.* In B. Andrea Corſino exemplum proponitur Epiſcoporum Choro, quod aſſiduè imitari contendat; quemadmodum ſanctimoniæ ſpecimen habituri ſunt *S. Andreas exemplum Epiſcopis, & Religioſis.* præ oculis, qui ſe dicatis Deo familiis addixère.

939. *Ioannis Baptiſtæ Rinuccini Archiepiſcopi Firmani:* B. Andreas Epiſcopus Feſulanus, præter innumeras virtutes, ſacro præcipuè Epiſcoporum ordini, tam in ſuſcipiendo, *Pontificiæ dignitatis exemplar,* quàm in obeundo munere ſuo, novum extitit Pontificiæ dignitatis exemplar.

940. *Petri Emi Veneti Epiſcopi Cremenſis.* Beatus Andreas Corſinus, Florentinæ nobilitatis decus, Carmelitanæ Religionis ſidus, Epiſcopalis ordinis ſplendidiſſimum lumen, Euangelicæ legis Nazaræus, nive candidior, *ac ſplendidiſſimum lumen.* ut verbis utar Hieremianis, ob admirabilem caſtitatis candorem; lacte nitidior ob incredibilem morum ſuavitatem ac humilitatem; ebore rubicundior antiquo, ob excellentem in Deum proximumque charitatem; ſapphiro pulchrior, ob ſap-

IV. FEBR.

phirinam, cæleſtemque in terris vitæ rationem, ob hyacinthorum copiam, nempe miraculorum multitudinem, quibus manus ipſius tornatiles & hyacinthinæ plenæ erant, inter quæ præcipuè enitent data Avenione cæco lumina, colloquiaque honorifica cum ſanctiſſima Deipara Virgine:

941. *Alexandri Philonardi Epiſcopi Aquinatis:* B. Andreas Corſinus matri ſe lupum, & agnum præbuit in ſomniis, antequam natus evigilaret ad vitam: mox laborioſo curſu virtutis conſecraturus originem illius quietis, ac ſomnii, è lupo agnus effectus, primitias Deo & Agno ita ſe obtulit, ut & Agni deliciis gratus, & robore Numinis formidandus, Divinitatis bonitatem moribus, miraculis exprimeret etiam poteſtatem. Tum Epiſcopatum fugiendo aſſequutus, genus virtutum omnibus etiam fructuoſum inſtituens, ſacræ doctrinæ ſtudiis Auguſtinum, zelo religionis Ambroſium, expulſione ſeditioſorum Leonem, liberalitate in egenos Gregorium Magnum ſequi conatus;

S. Andreas Epiſcoporum maximorum exempla ſectatus,

942. *Laurentii Azolini Epiſcopi Ripani:* Tria præcipuè coruſcant in his, quæ B. Andreas Corſinus mirabilia patravit; multiplicatio panum, ſanatio ægritudinum, ſedatio tumultuum: Spes inde affulget, hoc ipſo tempore, quo per Chriſtiani Orbis regiones turgent diſſidia, ſævit fames, graſſatur peſtilentia, ſi Vir iſte ſanctiſſimus à Catholica Eccleſia luculentiùs colatur, ac proinde vehementiùs obſecretur, ipſum impetraturum à Deo Opt. Max. (niſi hominum peccata præpediant) aëris ſalubritatem, annonæ ubertatem, bellorum quietem.

943 *Benedicti Vaez Epiſcopi Umbriaticeń.* Pulcherrimum lilium (Beatum dico Andream, Florentiæ laudem, parentum gloriam, Pontificum decus & coronam) in Florentina Valle ex nobili Corſinorum germinatum ſtipite, & ab amœno Carmelo monte in æternæ voluptatis paradiſum tranſlatum, jampridem in Altari triumphantis Eccleſiæ divinam fragrantiam efflat, ac cæleſtem ſpirat ſuavitatem.

Pontificum decus, & corona,

944. *Fr. Celſi Zani Epiſcopi Civitatis Plebis.* Arcanum illius æternæ, infallibiliſque electionis Sanctorum, caliginoſa nocte obrectum, nulli mortalium intelligentiæ, divinâ non aſpirante revelatione, reſeratum eſſe, irrefragabilibus teſtimoniis Orthodoxæ fidei ſemel atque iterum axiomata plurima decernunt. Veruntamen noſtratis Andreæ beatiſſimam illam electionem ſatis ſuperque adſtruunt Dei Genitricis, ac Chriſti Jeſu electiones mirificæ: de illa enim aſſeritur: SERVUS MEUS ES TU, QUIA ELEGI TE, de iſta: ELEGIT DEUS ANDREAM SACERDOTEM SIBI.

Chriſti, & Mariæ teſtimonia, de Andreæ ſanctitate.

945. *Franciſci Venturii Epiſcopi Sancti Severi:* Ad Chriſtianæ vitæ integritatem maximè tuendam, duæ res præcipuè conducere videntur; Epiſcoporum vigilantia, & regularium diſciplina: in utraque hic ſanctus Vir adeò excelluit, ut tanquam egregium exemplar in Eccleſia proponi poſſit.

S. Andr. Corſinus exemplar Epiſcoporum & Religioſorum.

946. *Antonii Ricciulli Epiſcopi Bellicaſtreń Viceſgerentis:* Citra controverſiam liquet Beatum Andream cæleſti munere nobis datum, cæleſtem vitam in terris exegiſſe, eamque divinorum prodigiorum gloria comprobaſſe; Regularem pariter, ac Epiſcopalem ordinem, utrumque licèt per ſe ſanctum, ſanctorum tamen operum fructu ſanctiorem reddidiſſe.

Ordinem illuſtratremque ſanctiorem reddens;

947. *Nicolai Benigni Epiſcopi Civitatis Ducalis:* Æquum eſt, ut qui ex lupo in agnum mutatus, candidis decorus veſtibus, roſas, & lilia manibus geſtans, unà cum virginibus Agnum in Cælis ſequitur. Hic etiam inter mortales, Sanctorum veneratione colatur.

cum virginibus agnū ſequitur:

Ranutii Franciſci Scottii Placentini Epiſcopi Burgi Sancti Domnini: Andreas Corſinus Servatoris noſtri doctrinam, & morum integritate, & rerum geſtarum magnitudine profeſſus eſt, nam amor in Deum verè divinus, aſſiduo precandi ſtudio; amor in proximum ſingularis, profuſiſſimis eleëmoſynis; vitæ mundi contemptus, ſacræ Deo familiæ nomen dando, corpuſque ſuum rigidiſſimè affligendo, mirificè in illo enituerunt: necnon laborans, vigilans, ac opus Evangeliſtæ faciens, partes omnes optimi Paſtoris ita implevit, ut additâ gloriâ miraculorum illuſtri, *vas auri ſolidum, omni lapide pretioſo ornatum* appellari meritò poſſit.

virtutibus heroicis refulgens,

948. *Hieronymi Pariſani Epiſcopi Polignaneń.* B. Andreæ Corſini vita, ſingularibus virtutibus, & clariſſimis teſtata miraculis, via quædam fuit, & curſus ad metam perfectæ ſanctitatis: quod ejus nomen ſignificat: CURSOREM FORTISSIMUM.

B. Andreas idem quod Curſor fortiſſimus,

949. *De B. Andrea eminenti Sanctitate, teſtimonia ſimilia, & elogia, etiam dederunt Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini* Paulus de Curte *olim* Epiſcopus Æſernienſis. Eraſmus Paravicinus Epiſcopus Alexandrinus. Philippus Salviati Epiſcopus Burgi S. Sepulchri. Thomas Ximenes Epiſcopus Feſulanus. Chriſtophorus Cajetanus Epiſcopus Laodiceæ. Antimus de Aptis Epiſcopus Ortonenſis & Camplen. Joannes de Guevara Epiſcopus Theanenſis. SS. D. Urbanus VIII. *auditis præfatorum omnium ſententiis, ſeu ſuffragiis diem Canonizationis ſtatuit XXII. Apr. an. MDCXXIX. & previè indixit jejunia, orationes, ac eleemoſynas hiſce verbis:* Venerabiles Fratres … jejuniis, orationibus, & eleëmoſynis humiliter ab eo flagitate, qui Pater eſt luminum, & à quo omne datum optimum & perfectum provenit, ut ad ſui nominis & Eccleſiæ ſuæ gloriam, noſtræ menti prælucens, ſacram hanc dirigat, & ſanciat actionem. *Qualiter autem Canonizatio peracta ſit, in ſequenti Inſtrumento declaratur.*

Epiſcopi aliâ de S. Andrea ſententias ferentes.

Canonizationis dies indicitur: preces, & jejunia commendantur.

IV. Febr.

Inſtrumentum in Canonizatione S. ANDREÆ CORSINI Carmelitæ.

ex impreſſo Romano Typographiæ Rev. Cameræ Apoſtolicæ anno 1629.

Principium inſtantiæ pro canonizatione S. Andreæ Corſini:

950. NOs Conſtantinus Presbyter Ianuenſis utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, Prothonotarius de Rimere nuncupatus, de numero Participantium, & à S. D. N. URBANO Divina providentia Papa VIII. ad Canonizationes Sanctorum Dei ex præſcripto S. R. E. more celebrandas ſpecialiter deputatus, Univerſis, & ſingulis præſentes inſpecturis, lecturis, & audituris fidem facimus, & atteſtamur in verbo veritatis, qualiter ad inſtantiam Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum, & Ferdinandi Etruriæ magni Ducis, & Venerabilis Carmelitarum Ordinis, & nobilis Corſinæ familiæ, per fel. rec. Clementem VIII. demandatá cognitione cauſæ ſuper vita, ſanctitate, ac miraculis ſervi Dei Antiſtitis Feſulani Andreæ Corſini Carmelitæ tribus Sacræ Rotæ Auditoribus Franciſco Peniæ Decano, Io. Garſia Millino, qui nunc eſt S. R. E. Cardinalis, & Alexandro Iuſto, ac poſtea dicto Clemente è vivis ſublato, Paulus V. repetitis eorundem procerum, aliorumque precibus annuens iiſdem Rotæ Auditoribus cauſam rite cognoſcendam confirmavit. Verùm ex iis Auditoribus uno abſente, duobus vitá functis, aſſumptoque ad Cardinalatus gradum qui ſubrogatus fuerat Horatio Lancellotto, ſubſtituti demum ſunt hujus cauſæ judices ex eadem Romana Rota Franciſcus Sacratus, Ioannes Baptiſta Coccinus, & Alphonſus Manzanedus; qui ſæpe convenientes ad extremum, & proceſſum ritè fabricatum declararunt, & expenſis ſigillatim omnibus conſtare de illius ſanctitate, excellentia vitæ, atque miraculis cenſuerunt, conſurámque ſuam eidem Pontifici retulerunt; At verò deinde cùm beneficio Dei factum ſit ut S. D. N. URBANUS VIII. meritorum ſuffragio ad ſupremum ſacerdotii culmen eveheretur, inſtare denuò cœperunt, præter laudatos jam Proceres, etiam Octavius Archiepiſcopus Tharſenſis, & Philippus ejus frater, & Nerei fratris jam defuncti filii ex nobiliſſima Corſinorum Familia, necnon F. Gregorius Canalius Venetus Carmelitani Ordinis Generalis, ut cauſa jam toties agitata, atque ad exitum propemodùm adducta ſupremam manum imponere pro ea qua poteſt, poſſetque auctoritate dignaretur. Placuit Sanctitati V. tam æquis iteratiſque multorum precibus aſſentiri, factamque à Paulo V. relationem Sacræ Rituum Congregationi diſcutiendam benignè tranſmittere, quæ illa pluribus ſeſſionibus, accuratè diſcuſſa, tandem unanimi voto, conſenſuque cenſuit omnia in proceſſu Florentiæ fabricato fuiſſe valida, teſtes ritè, ac rectè examinatos, probationes ſuper ſanctitate, excellentia fidei, ac præclaris miraculis legitimas, & ſufficientes ad Canonizationem dicti ſervi Dei Andreæ Corſini, juxta ſacros R. E. Canones perficiendam, & ſolemni ritu celebrandam.

Congregationes plures in hac cauſa.

& Conſiſtoria iterata præſente Summo Pontifice, & Cardinalibus:

951. Cumque nihil jam ulterius ſupereſſet, niſi ut ad ipſum Pontificem URBANUM VIII. in Conſiſtorio ſecreto de omnibus ſupradictis plena fieret relatio, idem Sum. Pont. ſecretum hujuſmodi Conſiſtorium die 14. Martii 1629. pro more convocari juſſit, in quo Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Andreas Epiſcopus Cardinalis Perettus pro Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Io. Baptiſta Epiſcopo Cardinali Deto, ſuo, & totius Congregationis nomine retulit ſcripturas, proceſſus, omniaque hujuſmodi cauſæ acta legitime confecta eſſe, ac maximæ auctoritatis, probataque veritatis vim obtinere, deinde ſervi Dei Andreæ vita, geſtis, virtutibus, & miraculis enarratis, ſe, cæteroſque dictæ Congregationis Sacræ Rituum Cardinales cenſuiſſe dixit Andream (ſi ita SS. videretur) poſſe Sanctorum Catalogo aggregari. Die verò 20. menſ. Martii 1629. ex antiquo inſtituto Romanorum Pontificum Publicum Conſiſtorium S. D. N. convocavit, in quo præter Illuſtriſſimos S. R. E. Cardinales, etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prothonotarii, ac alii Prælati, necnon SS. familiares convenerunt, in illoque Comes Antonius Montecatinus Conſiſtorialis Aulæ Advocatus eximiam ſervi Dei Andreæ charitatem, vitæ ſanctitatem, & miracula ornatiſſimá ſuá oratione demonſtravit, ac demum ſupradictorum Regis Francorum, Ducum, Principum, ac totius Ordinis Carmelitani, necnon nobiliſſimæ Corſinorum Familiæ nomine ſuppliciter flagitavit, ut Andream ſanctorum numero vellet adſcribere. Quibus auditis idem Pontifex reſpondit, excipere ſe libenter Regum, & Principum vota, ſolemnes Sanctorum titulos Andreæ Corſino ab Apoſtolica auctoritate petentium, ejuſdemque Andreæ merita, ac miracula diſertis verbis expoſita, ac ſapientum Iudicum quæſtionibus ritè cognita illuſtria eſſe cœleſtis beatitudinis argumenta; ſed quia non audet Apoſtolica auctoritas librum illum æternæ vitæ, in quo ſcripta ſunt Dei Electorum nomina, niſi Spiritu ſancto aperiente, perſcrutari; idcirco in re adeo gravi maturius adhuc cum eiſdem fratribus S. R. E. Cardinalibus, & Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, deliberandum eſſe, & interim eadem Sanctitas ſua cenſuit, & propterea omnes in Domino hortatus eſt, ut unà cum SS. orationibus, jejuniis, atque eleëmoſynis divinæ ſapientiæ arbitrium explorarent, ut SS. Deinde eorum ſententiis auditis, tandem Spiritu ſancto docente in hac graviſſima cauſa rectum è Chriſtianæ veritatis cathedra pronunciare poſſet.

tandem in Conſiſtorio ultimo Cardinales, Patriarchæ, & Epiſcopi ſententias ferunt:

952. Demum die 2. Aprilis ejuſdem an. 1629. Conſiſtorio (quod ſemipublicum dicitur) ex S. R. E. Cardinalibus, ac Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis congregato, in quo etiam Apoſtolicæ Sedis Prothonotarii, & Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores vocati interfuere, idem Pontifex, poſtquam elegantiſſimá oratione proceſſum, ſanctitatem, miracula, & merita dicti Servi Dei retuliſſet eorundem Fratrum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſententias requiſivit, cumque primò Cardinales, mox Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnes ex ordine, conſenſu reſpondiſſent unanimi, ex iis quæ in univerſo proceſſu comprobata fuerunt, meritò ſervi Dei Andreæ Sanctorum conſortium Apoſtolica auctoritate poſſe declarari; Prædicta SS. primum gratias egit per Ieſum Chriſtum quòd tanta eſſet omnium in Spiritus ſancti nomine convocatorum ea de re quaſi cordis unius, & animæ unius conſenſio; Deinde præſcripto die Canonizationis dicti ſervi Dei Andreæ Corſini videlicet 22. menſis Aprilis

Canonizationis dies præſcribitur, preces, jejunia, eleemoſynæ indicuntur:

IV. FEBR. *Aprilis præſentis anni 1629. omnes in Domino monuit, ut interim iteratis precibus, jejuniis, & eleemoſynis, illius qui illuminat ſenſus, & corda hominum, gratiam, & auxilium in re hac graviſſima ſimul cum SS. implorarent.*

Canonizatio quanto apparatu facta: 953. *Omnibus itaque juxta Sanctorum Patrum traditiones ſacrorumque Canonum inſtituta, ac S. R. E. ritum, & antiquam conſuetudinem ritè, & rectè peractis præfata die 22. Aprilis ad ſacroſanctam B. Petri Principis Apoſtolorum Baſilicam ſumptuoſiſſimo apparatu, varioque ornamentorum genere inſtructam, cereiſque facibus innumerabilibus relucentem, idem* S. D. N. URBANUS *Pontifex Pontificiis maximèque pretioſis veſtibus amictus, atque thiarâ gemmis refulgente redimitus unà cum eiſdem Illuſtriſſimis S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſacris veſtibus indutis, ac Cæſareo, Chriſtianiſſimoque & aliorum Principum Oratoribus, necnon Romanæ Curiæ Prælatis, & Officialibus, familiaribuſq; SS. præcedentibus univerſo regulari cujuſque Ordinis, & ſæculari Clero, Collegiatarumque & cæterarum Vrbis Baſilicarum, & Eccleſiarum Canonicis, Cottis, & Rochettis pro cujuſque more indutis, accenſoſque cereos deferentibus, Cantorum cœtu Hymnum* AVE MARIS STELLA *à SS. inchoatum decantante ſolemni ceremonia proceſſit, ibique poſt iteratas primò, ſecundò, & tertiò per Illuſtriſſimum, & Excellentiſſ. D. Philippum de Bethunes Comitem de Selles à Conſiliis Chriſtianiſſimi Regis apud S. D. N. Oratorem &c. & ſupradictorum Regis, Ducum, & Principum, atque Carmelitæ Religionis, necnon nobiliſſimæ Corſinæ Familiæ nominibus ſupplices petitiones, ut Andream Corſinum inter Sanctos SS. adſcriberet, & poſt trina reſponſa ejuſdem SS. quibus congruo temporis intervallo, Litanias, hymnos, preceſque adjecit. Denique abſolutis omnibus, quæ in ſimilibus Romani Pontifices ſervanda inſtituerunt, & adimplere conſueverunt, ac implorata communibus precibus Spiritus ſancti opera infraſcriptum Decretum pronunciavit.*

Decretum, ſeu formula Canonizationis, *Ad honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Noſtrâ, de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus bonæ memoriæ Andream Corſinum Florentinum Ordinis Carmelitarum, & Epiſcopum Feſulanum Sanctum eſſe, ac Sanctorum catalogo adſcribendum, ipſumque catalogo hujuſmodi adſcribimus, Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die obitus dicti Andreæ feſtum, & Officium ipſius, ſicut pro uno Confeſſore Pontifice devotè, & ſolemniter celebretur. Inſuper eadem auctoritate omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis qui annis ſingulis eodem die Feſto ad ſepulturam devotè acceſſerint, unum annum, & quadraginta dies, accedentibus verò annis ſingulis in Octavam dictæ feſtivitatis ad ſepulturam quadraginta de injunctis penitentiis miſericorditer relaxamus.*

954. *Peractis tandem ritè omnibus ad dicti S. Andreæ Corſini Canonizationem pertinentibus, & decantato ſolemniter hymno* TE DEUM LAUDAMUS, *atque divinâ ope S. Andreæ meritis per peculiarem ad id orationem, quam prædicta SS. piè recitavit imploratâ, ſacroſanctum, & incruentum Miſſæ ſacrificium ſolemni pompâ, & ritu ad Altare Principis Apoſtolorum idem Pontifex celebravit, ac omnibus Chriſtifidelibus intereſſentibus confeſſis, & contritis plenariam omnium peccatorum veniam, & indulgentiam ad Dei laudem, & gloriam S. Andreæ impertitus fuit. Et quia Ego Conſtantinus ſacerdos Ianuenſis, utriuſque Signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, Prothonotarius de Ruvere nuncupatus, de numero participantium ſpecialiter vocatus, & adhibitus, & in his cauſis à Sanctiſſimo* D. N. D. URBANO VIII. *deputatus præſens fui, & omnia vidi, & audivi, hoc præſens publicum Inſtrumentum alterius manu ſcriptum confeci, & manu mea propria ſubſcripſi, & ſigilli mei appenſione munivi ad perpetuam rei memoriam rogatus. Datum Romæ in ædibus meæ ſolitæ reſidentiæ hac die 22. Menſ. Aprilis 1629. Indictione XII. Pontificatus autem* S. D. N. D. URBANI *Divina providentia Papæ Octavi, Anno ejus Sexto.* *peculiari oratione S. Andream invocatur: Sum. Pont. Miſſam ſolemnem celebrat.*

Conſtantinus Prothonotarius de Ruuere, &c.

APPENDIX.

ad vitam S. Andreæ Corſini, Epiſcopi:

Epiſcopalis munificentiæ in pauperes, ac Fabricas Eccleſiæ, nec non ſolicitudinis in Epiſcopali munere obeundo, atque erga S. Sedem Apoſtolicam ſingularis reverentiæ rara exempla, in S. Andrea Corſino reſplendentia.

Ex Actis, & proceſſu Canonizationis, aſſervatis Romæ in Archivo Conventus S. Mariæ Tranſpontinæ.

955. IBi *igitur, ſub titulo:* Florentinus proceſſus Canonizationis S. Andreæ Corſini *num. 8. habentur ſequentia.* Acta coram Adm. Illuſtri & R.mo Alex. Martio de Medices Epiſcopo Feſulano cum aliis. Anno 1602. indict. 15. die Mercurii, menſis Octobris die 23. anno 11. Pontificatus Clementis VIII. tempore Ferdinandi Medices Etruriæ Ducis, comparuerunt coram Epiſcopo præfato, in palatio Epiſcopali Feſulano, ſito Florentiæ, apud Eccleſiam B. Mariæ in Campo. *Ibi conſequenter referuntur nomina perſonarum qualificatarum, qui comparuerunt coram dicto Epiſcopo: & habitæ fuerunt plures ſeſſiones, ac de die in diē, ibi dicta, & probata & quidem in prima hæc:* Parentes ſteriles aliquo tempore, ante Iconem B. Virginis noſtra Donna de Populo, de ſe invicem non ſcientes anno 1300. venerunt, paulò poſt conceptus. Anno 15. ætatis admonetur à matre

de

IV. Febr. — *Chronotaxis ſuccincta vitæ S. Andreæ.*

de mala vita: poſterà die, poſt orationem ad B.V. adit P. Hieronymum de Melioratis Provincialem Tuſciæ: Expleto anno probationis, emiſit profeſſionem in craſtino Epiphaniæ: dehortantibus amicis à profeſſione, dixit: recedite à me omnes &c. In Capitulo Piſis celebrato fuit miſſus Pariſios ſtudiorum causâ: in reditu aurifici viſum reſtituit aquâ benedictâ: in Capitulo Prior Conventus conſtitutus: F. Venturam ex Piſis ab Hydrope curavit; ex ore ejus effluxit haurile aquæ . . . Sub Clemente VI. eſt electus Epiſcopus Feſulanus: fugit ad Carthuſianos: dum oraret, puer candidus illi apparuit, dicens: ne timeas, Andreà, quoniam tuus cuſtos ero, & Maria in omnibus erit tua adjutrix, ſecurè Epiſcopatum aſſume. Obiit recitans canticum NUNC DIMITTIS, die 6. Januarii 1373. ætatis 71. Religionis ingreſſus 56. Epiſcopatûs 24. *Poſt alia ſequitur:* Comparuit in judicio &c. magnus & eximius Dominus Jacobus quondam Lucæ de Galenis I. V. D. Curiæ Epiſcopalis Feſulanæ Prior Fiſcalis, & fecit interrogatoria: inſtat & petit teſtes: monentur teſtes de pœna perjurii &c. interrogatio nominis cognationis, patriæ &c. An noverit B. Andream, an ſciat locum ejus ſepulturæ, an ſciat quod B. P. fuerit obſervator Regulæ & Conſtitutionum: an audiverit illum feciſſe miracula: an ſciat fuiſſe vera miracula.

956. *Et poſt alia* 1602. 21. Novembris D. Alexander quondam Domini Benedicti Franciſci Abbizino civis Florentinus, ac unus ex Notariis Epiſcopalis Curiæ Feſulanæ, ad inſtantiam Procuratorum curiæ, compulſus, monitus, & coactus eſt, ad producenda jura, & monumenta penes eum exiſtentia, & ad hanc cauſam facientia, metu excommunicationis ductus, & non alio modo, tradidit, primo librum coopertum chartâ pergamenâ in quarto intitulatum, MEMORIALE EPISCOPI FESULANI, in quo continentur introitus Epiſcopatus Feſulani, & expenſæ variæ factæ per bonæ memoriæ B. Andream Corſinum, nec non diverſæ aliæ partitæ eleëmoſynarum & ſolutionum ab illo factæ, incipit, IN NOMINE SS. TRINITATIS. Item alium tempore D. F. Andreæ ſcriptum, continentem inſtrumenta, procurationes &c. incipit ab anno 1354. IN DEI NOMINE. Ex primo libro intitulato, MEMORIALE &c. repererunt fol. 13. partitas grani dati pauperibus amore Dei. Item notam debiti Nicolai laboratoris, cui B. Andreas remiſit libras 77. & ſolidos 18. amore Dei. Item nonnullas partitas eleëmoſynarum particularium Madona Catharina, cui dimiſit florenos duos amore Dei. Item partitas remiſſionis 5. florenorum factæ Margaretæ Remitæ. Item particulam remiſſam floreni unius auri, factæ Vamino Puccini. Item partitas grani amore Dei dati. Item partitam florenorum 5. auri ad effectum emendi pannum pro pauperibus. Item partitas grani dati amore Dei. Item partitas

Eleëmoſyna per S. Andream, remiſſiones debiti, pecunia data,

veſtium,

vini dati amore Dei. Item partitam florenor. 20. auri ad emendum veſtes pauperibus. Item partitas grani dati amore Dei. Item partitas vini dati amore Dei. Item invenerunt introitus grani diverſorum annorum ſpectantes ad Epiſcopum. Anno 1368. dedit amore Dei ſtaria 14. Anno 1369. dedit amore Dei in ſuis partitis ſtaria 15. grani. Anno 1370. amore Dei ſtaria 44. Anno 1361. amore Dei dedit 55. Anno 1372. dedit amore Dei 40. (*Ibidem accurate etiam deſcribitur de anno in annum, quot ſtaria ſingulis annis receperit, & quot pro domo ſua conſumpſerit*). Item repererunt omnes expenſas factas in domo Epiſcopali Feſulana ac in cathedrali deſcriptas in dicto libro, manu propriâ Reverendiſſimi Domini Epiſcopi B. Andreæ.

grani,

957. Item in libro MEMORIALE. Granum quod dabimus anno 1369. amore Dei: Fratribus de Carmelo ſtaria duo grani: Item cuidam pauperi de Mugueni ſtarium unum. *Et ſic conſequenter de anno in annum:* Granum quod dabimus amore Dei anno iſto, *ſimiliter & de pecunia, ac etiam de vino ſic:* Vinum quod datum amore Dei: Fratribus de Carmelo barillia duo: Fratribus ſervorum unum barillettum: *ita quoque Ordinibus aliis, & ſic de anno in annum.* IN EODEM LIBRO. Iſtæ ſunt expenſæ, quas ego F. Andreas Epiſcopus Feſulanus feci in domibus Epiſcopatûs Feſulani: 1352 fecimus portam Palatii de Feſulis, conſtitit, omnibus deputatis, florenis 45. auri. Item 1355. fecimus teſtudinem, ſive cellarium Feſulis, & columnas in puteo & logia: conſtitit florenis 150. Item anno iſto fecimus reaptare domum de corregi: conſtitit flor. 40. Item 1357. fecimus tectum de aula Palatii de Feſulis: conſtitit flor. 150. auri. Item 1358. fecimus cooperire Eccleſiam S. Mariæ in Campo: conſtitit florenis 30. de auro. Item 1360. fecimus reaptare domos de S. Maria in Campo: conſtiterunt flor. 50. Item 1361. fecimus reaptare domos de Caſtiglione de Bonte, & de Faglia: conſtiterunt flor. 100. Item 1362. fecimus ſolarium novum Palatii de Feſulis, ſcilicet de aulas & in omnibus conſiſtit flor. 300. de auro. Item 1364. fecimus reaptare domos combuſtas à Piſanis de Corrigi, del Vignale, & del Caffagio: & omnia combuſta à Piſanis tempore guerræ conſtiterunt florenos ducentos quinquaginta. Item 1362. fecimus domum ſupra pratellum, & cellarium inferius, & caminum ſuprà tectum flor. 152. Item 1362. fecimus porticum de Fighina conſiſtit flor. 15. de auro. Item 1366. fecimus palatium novum Feſulis juxta viam conſtitit flor. 680. de auro. *Et poſt alia*, quòd inſtauraverit Eccleſiæ ſuæ chorum, in eo fecerit ſedes pro Epiſcopo & Canonicis, ac tres portas magnas. *Ita conſequenter de anno in annum.*

vini,

Fabrica nova, & inſtaurata veteris:

958. *In libro* ACTORUM CURIÆ EPISCOPALIS: *hæc inter alia leguntur.* Anno Domini 1349. Reverendus in Chriſto Pater & Dominus

IV. Febr.

minus D. F. Andreas Dei gratiâ Epiſcopus Feſulanus fecit & conſtituit ſuum Syndicum & Procuratorem ad petendum; & recuperandum omnia legata relicta pauperibus, & pro infraſcriptis in his conſtituit cum patientia & diſpenſatione pauperum fratrem Salvium Andreæ Ordinis Carmelitarum præſentem, & conſtitutionem, actum Florentiæ apud Eccleſiam S. Mariæ in Campo, præſentibus Nerio, & Joanne &c. teſtibus rogatis. Ego Soldus Flor. Filius quondam Palatini de Piſtorio Imperiali auctoritate Notarius & Judex Ordinarius, & nunc Not. Epiſcopalis curiæ Feſulanæ prædictis omnibus interfui, rogatus ſcripſi.

Syndicus, & Procurator pro Pauperibus,

In libro Instrumentorum et Procurationum tempore D. F. Andreæ Epiſcopi Feſulani. In Dei nomine amen. Anno Domini ab ejuſdem ſalutiferâ incarnatione 1365. indict. 4. die 11. Novembris. Noverint omnes & ſinguli hoc præſens inſtrumentum ſpectaturi, quòd Reverendus in Chriſto D. D. F Andreas, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Feſulanus omni viâ, jure, & modo quibus melius potuit, conſtituit, & ordinavit ſuos veros legitimos Procuratores, factores & certos nuntios ſpeciales diſcretos Viros M. Bartholomæum Franciſci de Piſtorio Scriptorem, & abbreviatorem Domini noſtri Papæ Andream Tini, & Baynum Philippi de Piſtorio Mercatores Romanam Curiam ſequentes, nominatim ad viſitanda limina Apoſtolica pro eo, pro quocumque biennio, & comparendum, & ſe præſentandum coram Sede Apoſtolica, & Domino Papa Urbano præſenti, & futuro, & quancumque reverentiam & obedientiam exhibendam &c. *poſt multa:* Actum Feſulis in Epiſcopali Palatio &c. *Pro annis aliis ſimilia ſequuntur mandata procuratoria de viſitandis liminibus Apoſtolorum, & comparendum coram Sede Apoſtolica. Animadvertendum autem quòd iſta duntaxat reperiantur pro annis poſterioribus vitæ ipſius, ingraveſcente ætate; veriſimiliter, quòd anterioribus annis ipſe perſonaliter ſingulis bienniis id præſtiterit. Poſteà ſequitur: ex eodem libro.* In Dei nomine amen. Anno Domini ab ejuſdem Incarnatione 1367. indict. 5. die ultimo Martii, actum Feſulis in Palatio Epiſcopali præſentibus teſtibus ad hoc rogatis & vocatis; R. in Chriſto Pater & D. D. Fr. Andreas, Dei gratiâ Epiſcopus Feſulanus, omni viâ, & jure, & modo quibus melius potuit, tanquam pater & legitimus adminiſtrator pauperum Chriſti, fecit & conſtituit, & ordinavit ſuos veros, & legitimos adminiſtratores Syndicos Procuratores, actores, factores, & cæteros nuntios ſpeciales Preſbyterum Andream rectorem Eccleſiæ S. Mariæ in Campo Matthæum Gerardi Notarium, & Nicolaum Cocchii Notarium Florentinum, & quemlibet eorum inſolidum & in totum in omnibus ſuis cauſis.

Actus comparitionis ſingulis bienniis Romæ coram Sede Apoſt.

Syndici, Procuratores pauperum inſtituto,

Florentini Senatûs, & populi eximia pietas, ac ardens ſtudium erga cultum S. Andreæ Corſini.

959. *In præfatis Actis Canonizationis S. Andreæ etiam hæc referuntur.* Dom. Alexander Martius medices Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Feſulanus, & hujus cauſæ Judex ordinarius, & ego præſentis cauſæ Notarius atque Scriba prædictus, ad inſtantiam ſacræ & Ven. Religionis B. Mariæ de monte Carmelo, & Ill. & Clar. Dom. Bartholomæi &c. acceſſimus ad officium reformationum vulgariter nuncupatum, quod eſt poſitum in Magiſtratibus Florentinis, prope palatium Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ, in quo quidem officio conſervantur libri Decretorum & Reſolutionum factorum per olim inclytam Rempublicam Florentinam ab immemorabili tempore, & ex eodem archivio, ſeu officio Reformationum extraxi copiam ſive exemplum inferiùs deſignatum, & illud cum ſuo Originali tenente eodem Ill. & Reverendiſſimo Dom. Epiſcopo, auſcultavi, cujus tenor eſt.

ex archivo Florentino extractæ Litteræ,

ad Paulum II. Summ. Pontif. litteræ ſeq. pro canonizatione S. Andreæ,

Paulo II. Pontifici Maximo.

960. STimulant nos, Beatiſſime Pater, nec quieſcere permittunt merita B. Andreæ Corſini, ut iterum atque iterum à Tua Sanctitate humillimè petamus, atque omnibus precibus commendemus, ut eum in Collegio Sanctorum cooptare digneris. Facit etiam nos audaciores reſponſum tuum, quod dediſti alteris noſtris litteris, pleniſſimum humanitatis & clementiæ Pontificalis. Omnis populus noſter eam rem imprimis exſpectat: arrecti ſunt animi omnium, & propter famam eum cooptandum eſſe mirum in modum devotio populi adaucta eſt. Nihil eſt in præſentia, Beatiſſime Pater, quod majus dari poteſt nobis, aut magis exſpectatum; quodque magis gratum ſit futurum. Nos & populum noſtrum Beatitudini Tuæ ac Sanctitati vehementiſſimè commendamus: duodecimâ Februarii 1465.

ardens Florentini Populi ſtudium pro eo.

Littera alia ad eundem

Sanctiſſimo Pontifici Paulo ſecundo.

961. COgnoſcimus petere rem grandem, Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater, tamen non inſolitam neque indignam vitâ ſanctiſſimâ, & meritis Beati Andreæ ejus, pro eo ſupplicaturi, neque indignam majeſtate & clementiâ Pontificis maximi, neque indignam fide & devotione Florentini populi gregis tui. Fuit enim Andreas Corſinus civis noſter Epiſcopus Feſulanus eâ vitæ ſanctimoniâ, & religione, & ſapientiâ, ut non ſolum his, qui eum noverunt, admirandus fuerit; ſed in hunc uſque diem poſt centum etiam annos auctum ſemper nomen ejus extiterit, atque opinionem divinitatis non nobis ſolùm, ſed externis etiam hominibus & univerſo etiam.

B. Andreæ inſignis ſanctimonia, & inde ſemper aucta veneratio,

Orbi

IV. Febr. Orbi de ſe præbuerit. Quotidie enim nova & admiranda quædam viſuntur, & jam tam latè patet, ut apud divinam Majeſtatem inter primos habeatur interceſſores à noſtris hominibus. Multa id declarant; & illud imprimis, quòd fit quotidie ad eum locum, ubi corpus ejus extat, frequentiſſimus concurſus virorum, mulierum, juvenum, ſenum, ſacrorum, ac prophanorum: Beatum Andream ipſum colunt & reverentur, preceſque porrigunt, & in ſuis neceſſitatibus auxilium, miſericordiamque implorant. Id cum adverteret olim Divinæ mem. Eugenius Quartus Summus Pontifex eum concurſum, atque eam populi devotionem augendam ratus, etiam ſacrificiis honorari præcepit, quando etiam de induſtria id fieret, & majoribus & crebrioribus miraculis effluxit. Nos igitur, & populus omnis noſter, cùm exiſtimemus dignum eſſe, quòd conſortium Sanctorum augeatur, petivimus aliàs à clementiſſima Sanctitate Tua, & idem ſæpènumerò petemus, & humaniſſimæ menti tuæ ſupplicabimus, ut mentem ſuam adhibere velit, aliquandò admiranda & divina merita Beati Andreæ ad fidem & devotionem Florentini populi, qui nihil avidius expectant, nihil majori deſiderio expetunt quod divinâ gratiâ & beneficentiâ tuâ, connumerari inter Sanctos & electos Dei ipſum Andream, qui profectò ejuſmodi fuit, ut nihil omninò deſit, niſi hoc ultimum & maximum teſtimonium ſanctitatis & Beatitudinis Pontificis. Die decimâ Decembris milleſimi Quadringenteſimi, ſexageſimi quinti.

Littera alia ad eundem ex eodem libro

Paulo II. Pontifici Maximo.

962. **E**Tſi videmus apud te, Beatiſſime Pater, non negligi ſupplicationes Florentini populi, quæ ingenti cum ardore animorum porriguntur, ut B. Andreas Corſinus conſortio adſcribatur Sanctorum. Audimus enim, demandatum fuiſſe iſtud negotium tribus Cardinalibus, ut ritè omnia fiant; tamen deſiderio populi noſtri nihil ſatisfacit. Incredibile enim dictu eſt; quibus agamur ſtimulis: non videtur ex nobis eſſe hujuſmodi deſiderium. Deus profectò, Deus eſt, qui commovet, Spiritus Domini accendit hominum noſtrorum voluntates, & corda populorum inflammat, ut niſi perfectâ re, & cooptato eo inter Sanctos, conquieſcere poſſe omninò videantur. Velimus igitur pro Divina clementia, humanitatem tuam, quemadmodum cœpiſti, perficias Civitati Florentiæ tantum atque pium opus. Nihil eſt, quod majus dare poſſet Summus Pontifex, aut magìs exſpectatum, ut vehementiori ſtudio quæſitum & concupitum; ab omni penitùs civitate, majoribus & precibus & ſupplicationibus. Nos & urbem noſtram Beatitudini tuæ & Sanctitati commendamus. Quintâ Maii, anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto.

Mira Florentini Senatûs, & populi devotio erga S. Andream.

963. *Ex eodem Archivo Senatûs Florentini, ibidem referuntur quoque litteræ plures à Senatu Florentino*, Collegio Cardinalium, *una*: Cardinalibus, Cardinali Rothomagenſi, Cardinali Theanenſi, Cardinali Papienſi, Cardinali Niceno, Cardinali Spoletano, Domino Antonio Allio Epiſcopo Raguſeo, & Domino Leonardo Dattho, *duæ*: Item Cardinalibus tribus mandatariis in cauſa B. Andreæ de Corſinis, una: & Cardinali Rothomagenſi, *una: quæ omnes flagrantibus votis, & efficacibus verbis ſupplicantes de eodem ſubjecto, ſimilis ferè tenoris ſunt; ideò opus non eſt, ea hìc referre. Litteris præfatis permotus Paulus II. negotium Cardinalibus tribus Rhotomagenſi, Theanenſi, ac Papienſi commiſit: ſed eo, antequam abſolveretur è vivis ſublato, iterata ſupplicationes, & inſtantia facta fuère apud ejus ſucceſſores Pontifices præ'ertim Clementem VIII. Paulum V. Gregorium XV. ac denique Urbanum VIII. ſub quo habitis variis Conſiſtoriis, & Congregationibus, qualiter cauſa illa abſoluta, & Canonizatio facta fuerit, in antecedentibus declaratum eſt* (a). *Porrò Canonizatio illa anno 1629. die 22. Aprilis, Romæ in Vaticana Eccleſia peracta fuit* ſplendidiſſimo apparatu, ac longè majori, quàm unquam hactenùs factum ſit magnificentiâ, *ſicut teſtantur Franciſcus Venturius in ejus vita, & Conſtantinus de Ruvere hìc ſuprà* (b) *ac proximè poſt etiam Romæ in Eccleſia S. Mariæ Tranſpontinæ à die 29. Aprilis uſque ad ſextam Maji incluſivè & proximè poſt pari, aut ſuppari apparatu Florentia, ac deinceps in aliis Chriſtiani Orbis regionibus.*

S. Andreæ Canonizatio quantâ magnificentiâ facta fuerit.

(a) n. 831. & 951. ac ſeqq.

(b) n. 893. & 953. ac ſeq.

XIII. FEBRUARII.

VITA MIRABILIS
S. EVPHROSINÆ VIRGINIS.

Heroicô, non imitandô exemplô, Deo inſpirante, inter Monachos Elianæ poſteritatis vitam ſolitariam agentis. *

* Obiit circa an. CCCCLXX. Lezana agit de ea in Annal. ad an. CCCCXXIV.

NOTATIO PRÆVIA.

964. IN Kalendario Miſſalis, & Breviarii Carmelitani auctoritate Summorum Pontificum approbatorum ad diem XI. Februarii annotatur: Euphroſynæ Virginis, Ordinis noſtri, duplex minus: & ſub eo ritu colitur iſto die in toto Ordine. In Breviario Venetiis impreſſo anno MDLXXIII ad diem XI. Februarii iſta eſt Oratio, ſeu Collecta ad Horas: Clementiſſime Pater omnium, qui fragilia roboras, & roborata protegendo conſervas, tribue quæſumus, ut ſicut Beatam Euphroſynam virginem in vitæ ſanctimoniam direxiſti, & uſque in finem virtutibus amplificaſti, ita ejus præſidiis, tuâ cooperante gratiâ, nos te Dominum noſtrum purâ mente ſectari. Per Dominum noſtrum, &c. In Miſſali anni 1574. ad diem XI. Februarii ſic legitur: S. Euphroſynæ Virginis, Ordinis noſtri, Duplex. Introitus: Dilexiſti juſtitiam &c. Oratio: Clementiſſime Pater omnium, qui fragilia roboras, &c. (ſicut jam præceſſit) In officio iterato vicibus à S. Congregatione Rituum recognito, & approbato, illa nonnihil immutata nunc quoque legitur ad horas Canonicas, & etiam Miſſam. Ad eundem diem in Martyrologio Uſuardi, aucto à Ioanne Molano iſtis commemoratur verbis: Alexandriæ, depoſitio ſanctæ Euphroſynæ Virginis, quæ in monaſterio, ut illius vita docet, virtute abſtinentiæ, & miraculis etiam claruit: Etiam ibi memoria ejus fit ad diem primum Ianuarii: eodem ſic quoque ejus meminit Martyrologium Romanum: Alexandriæ depoſitio S. Euphroſynæ Virginis, quæ in monaſterio virtute abſtinentiæ ac miraculis claruit. Cardinalis Baronius in Notationibus ad iſta verba ſcribit: De ea, tàm Latinorum Martyrologia, quàm Græcorum Menologia agunt hâc die. Ejus res geſtas edidit Metaphraſtes ex antiquioribus monumentis acceptas. Vita iſtius apud Metaphraſtem initium eſt: Cum Romanorum ſceptra Theodoſius ... teneret. Habent eandem Aloyſius Lipomanus tomo 6. & Laurentius Surius tomo 1. (& illam hîc damus, ut Sanctorum Ordinis Carmeli, præſertim qui ſolemni officio coluntur, vitæ omnes in uno volumine hoc ſimul extent) PP. Bollandus, & Godefridus Henſchenius, in Actis Sanctorum ad diem XI. Februarii habent eandem collatam cum Græco ſcripto, atque etiam alteram ſimiliter ex MSS. & Vitis Patrum quæ incipit: Fuit vir in Alexandria nomine Paphnutius, & utramque notationibus illuſtrarunt, ad ſingula capita, & inſignem præmittunt Commentarium de Actis ejus ſcriptis, ætate, reliquiis, & cultu (quæ ibi videri poterunt) & quidem de ejus memoria in Martyrologiis, ac cultu iſta: Celebrant S. Euphroſynam virginem variis diebus faſti Eccleſiaſtici: ac primò Kalendis Januarii Uſuardus, Beda, cum variis antiquis Martyrologiis... Alii memoriam S. Euphroſynæ, quam nonnulli Euphroſiam, & Euphraſiam appellant, celebrant XI. Februarii, quo die in antiquo Martyrologio Romano à Roſweydo edito, in MSS. Centulenſi, Leodienſi S. Lamberti, Aquiſgranenſi, aliiſque hæc habentur: Alexandriæ S. Euphroſynæ Virginis... Eandem hôc die ſub ritu feſti duplicis colit univerſus Ordo Carmelitarum, cum lectionibus propriis ſecundi nocturni, itidem ex vita acceptis: quæ nobis cauſa fuit, ut à Kalendis Januarii, ad hunc XI. diem Februarii eam remitteremus. Conſequenter tradunt, eam à Græcis coli XXV. Septembris: de quo mox latiùs.

S. Euphroſyna cultus antiquus, in Ordine Carmelit. ad diem XI. Februarii:

Vita ejus à quibus ſcripta:

965. Vita ejus compendioſior traditur in Menologio Carmelitano per P. Petrum Thomam Saracenum, in Chronico Carmelitano per P. Didacum Corſa libro 8. cap. 27. in opere cui titulus: Decor Carmeli, per P. Philippum à S. Trinitate, nec non in Annalibus Carmelitanis tomo 3. ad an. Chriſti 424. & 425. ubi iſta: Ad cujus (Theodoſii) etiam tempus meritò referenda historia ſanctæ Virginis Euphroſynæ, Eliani, & Carmelitici Ordinis alumnæ celeberrimæ: prout ex Officio Eccleſiaſtico, ab Eccleſia approbato, & ejus Ordinis Breviario inſerto colligi datur. Cuncta etiam alia adducta in fundamentis anterioribus confirmant jam dicta de Eliano S. Euphroſynæ inſtituto, præſertim cùm illa vixerit in monaſterio inter Monachos: quos veteris inſtituti primordialiter à S. Propheta Elia per Filios Prophetarum, Rechabitas, & Eſſenos derivatos, fuiſſe, habetur ex cunctis in XII. iſtis fundamentis. Nec Lectorem moveat Abba ſeu Abbas nomen Græcum, ſeu Syriacum, idem ſignificans quod Pater, quod legitur in Vitis Patrum, attributum Superiori monaſterii in quo S. Euphroſyna vixit; etenim olim in hoc Ordine ita Superiores nuncupabantur, ſicut habetur ex dictis tomo præcedenti (a) & etiam hîc ſuprà Fundamento VIII (b). Porrò quod Monachi Ægyptii, præſertim circa Alexandriam (inter quos vixit S. Euphroſyna) eandem vitæ rationem tenuerint, quam Palæſtinæ, primordialiter hæreditaria ſucceſſione deſcenden-

Carmelitani Ordinis alumna fuit.

(a) n. 900. & 307.
(b) n. 325.

XIII. FEBR.

ſcendentes à S. Elia per Filios Prophetarum, & Eſſenos, firmatum eſt præcipuè Fundamento 3. 4. & 5. Celebrant autem Græci S. Euphroſynam pariter & ejus patrem Paphnutium die XXV. Septembris. Et ad eum in Kalendariis his commemorant verbis: Natalis ſanctæ Matris noſtræ Euphroſynæ, B. Paphnutii Ægyptii filiæ. *Et variis piis elegantibus efferunt hymnis, ac odis: eſtque hoc initium:* Mater ſancta, admirabilis Euphroſyna, lætitiam, quæ vera eſt, deſideraſti, eam viam, quâ illa conciliatur, ingreſſa: divitias enim in paupertatem commutaſti, pro ſponſo carnali eum qui æternum vivit, elegiſti. *Et finis:* In te, ô Mater accuratè ſervata eſt Chriſti Regula: quia ſuſtuliſti crucem, Chriſtum ſecuta, & ipſo facto docuiſti, deſpectu carnis & diligenti animæ curâ opus peragi immortale, atque ideo ſpiritus tuus, ô ſancta Euphroſyna, cum Angelis exultat. *Alia circa hæc plura videri poterunt in præfatis Actis Sanctorum.*

VITA

Ex Simeone Metaphraſte

CAPUT I.

S. Euphroſyna fructus orationis: ejus parentes: pia educatio, deſponſatio: electa à Deo in ſponſam.

966. Cùm Romanorum ſceptra Theodoſius Archadii filius * regeret, vir quidam, nomine Paphnutius, cognoſcebatur in magna civitate Alexandrina, divitiis quidem locuples, ſed multò magis virtutis divitiis, & animi nobilitate ſplendidus ac præclarus. Is matrimonio erat conjunctus mulieri virtutis ſtudioſæ, & quæ magna erat in Deum pietate, adeò ut eſſet hoc reverà minimè fallax conjugium, & quod benevolentia utrimque tenebatur. Hanc filios non habentem cum videret maritus angebatur animo. Quidni enim? Nam quicumque junctus eſt matrimonio, hoc principaliter cupit, ſe filiorum eſſe patrem. Quærebat ergo invenire rationem, quâ ab hac liberaretur moleſtia: & cùm rem vitæ ſuæ ſociæ rectè communicaſſet, conſulebat ut confugeret ad eum, qui poteſt omnia. Quocircà illa quidem vacans jejuniis & precibus, Annam imitabatur, & ea, quæ illa, loquebatur: Adonai, dicens, Domine Eloi Sabaoth, ſi adſpiciens adſpexeris ſuper ancillam, * & dederis mihi filium ex utero meo, offeram tibi Deo, qui * es daturus. Ille autem ſacra obibat monaſteria, eos, qui in ipſis exercebantur, provocans ad Deo ſupplicandum.

** piè,*

S. Euphroſynæ parentes ſteriles,

jejuniis, & orationibus inſtans,

** tuam*

** dederis*

967. Porrò autem cùm audiiſſet in quodam ſacro monaſterio eſſe ſenem, cui magna vitæ puritas conciliabat apud Deum fiduciam, eum adiens Paphnutius, cum, quæ conveniebat, eſſet collocutus, deindè eum rogavit de iis, quæ erant propoſita: Adſpice, dicens, ad me, pater, & vide meam humilitatem, & luce tuarum orationum diſcute nubem mœroris, quæ me premit. Eſt enim jam longum tempus, ex quo verſans cum uxore, quæ eſt æquè, atque ego, juvenis, & moleſtiarum matrimonii particeps, iis, quæ ſunt ex eo, bonis, ſi matrimonii bonum eſt liberorum ſuſceptio, ſum privatus miſerabiliter: & proptereà quòd caream liberis, totius premor animi ægritudine, ſi nihil aliud, probra non ferens vicinorum, qui me irridentes, tanquàm ſterilem & infertilem conviciis appetunt. Hæc ille quidem dicebat cum lachrymis, prehenſans pedes ſacroſancti illius ſenis. Ille autem (ſunt enim miſericordes, qui virtuti & Deo dant operam) verbis flectitur Paphnutii, & ſe totum confert ad orationem. Iuſti itaque oratio, operante apud Deum vi eorum, quæ ipſum ad hoc provocabant, jejuniis & precibus, & communicatione ac benignitate in pauperes, fuit exaudita ab eo, qui audit preces eorum, qui ipſum invocant: & Paphnutio naſcitur filiola, quæ ab infantia præ ſe ferebat eximiam corporis pulchritudinem: quæ etiam utique ſubindicabat elegantem & ſcitum, qui in ea poſtea fuit, animum; & protinus quidem ſolvit matris filiorum egeſtatem, ſolvit autem patris quoque triſtitiam. Ut ergo etiam eſſet nomen conveniens illi rei, quam erant aſſecuti, eam protinùs nominant Euphroſynem, hoc eſt, lætitiam.

mediante oratione Monachi filiam obtinet:

Euphroſyna nuncupatur, & cur:

968. Hanc ergo Paphnutius, cùm eſſet fidei fructus, alebat potius virtute, quam iis, quæ carnem pinguefaciunt: & iis, quæ ſtant ac manent, magis quam iis quæ efflorescunt, perſuadet animum adhibere, & animæ curam gerere, rei immortalis, magis quàm ejus, quod citò mareſcit, docebat corporis. Ipſaque adſpiciens ad virtutem parentum, & ab illorum probitate animum non habens diſcrepantem, creſcebat, ut corpore, ita etiam animæ pulchritudine. Erat ei jam annus duodecimus, & mater è vitâ præſenti exceſſerat. Filia autem ſic formata, & ei ætate procedente virtutem magis habens accedentem, deſiderabat verum ſponſum, &, quam ille diligit, curam gerebat animæ pulchritudinis. Qui autem attendebant res ſolas corporeas, & ſpectabant illius formam corporis, & rectè ſciebant, quam eſſet nobili loco nata, octavumdecimum jam annum agentem, patrem convenientes, petebant in matrimonium. Is autem, cum non poſſet eorum poſtulata repellere, uni, qui præſtabat omnibus opibus, gloria & virtute, deſpondet puellam, conſilium capiens ejus virtute longè indigniſſimum, ut qui non adſpexerit ad filiæ ſuæ ſtatum, & illius in Deum pietatem: nec quod tota evaſiſſet Deo familiaris, eique ſoli placere, & ejus eſſe ſponſa perpetuò eſſet meditata. Horum ergo ille nihil reputans, parabat nuptias filiæ minimè convenientes. Sed zelans zelavit Dominus ejus verus ſponſus, & abripit quidem à matrimonio, & iis, quæ

pia educatio:

ſollicitata ad nuptias deſponſatur:

ſed illa quærens placere Deo, ab eo ſponſa eligitur:

XIII. Febr.

quæ conſequuntur matrimonium, ut procedens oſtendet oratio: eam autem ad vitam compellit præſtantiorem, quæ eam ipſi conjungebat per multam puritatem.

969. Nam cum pater quidem hoc cepiſſet conſilium, non eſſet autem illa tuta, ſi non ſenis priùs precum particeps, quarum ipſa erat fructus, ſic veniret ad nuptias, benedictionis gratia ad magnum illum ſenem venit cum parente. Deindè cùm illius audiiſſet ſermones, & Monachorum tunc primùm vidiſſet ſtatum, ſæpe dixit: Beati, qui hoc vitæ genus propter Chriſtum ſuſcipiunt. Ille autem cum animi perſpicacibus oculis, quid puella vellet, eſſet contemplatus, preces quoque fudit ejus deſiderio convenientes; Deus ô filia, dicens, faciat quod ſit tuæ animæ futurum conducibile, & in ejus timore confirmet, & dignam cenſeat bonis paratis iis, qui * placuerunt. Cum hæc dixiſſet, & ſic ei eſſet precatus, illius animæ duplicem immittit erga Deum amorem, & vehementius accendit eam, quæ inerat, pietatem. Domum ergò revertens, rurſus dicebat: Beati qui ſuſcipiunt vitæ genus monaſticum, quoniã & hic ſic vivunt, ut parùm aut nihil ab Angelis differant: & poſtquàm hinc exceſſerint, vita fruuntur æterna.

Monaſtica vita deſiderio tenetur:

* ipſi;

CAPUT II.

Deſiderium vitæ præſtantioris: fuga: vita in monaſterio virorum: tentationes: vita ſolitaria per annos 38.

970. Cum domum autem veniſſet, negligebat quidem cultum corporis, adeo ut nec aqua quidem frigida faciem lavaret: lachrymis autem & jejuniis, animæ lætificabat ſpeciem. Torques autem, inaures, & monilia, & aurum, quod manus exornabat, traducebatur ad ornatum animæ, ſuppeditatum pauperibus. Non erat ei curæ mollis veſtis, ſed illius loco ei curæ erat inducere cilicium. Ex æqualibus non iis omninò delectabatur, quæ loquebantur ad voluptatem: ſed cum iis, quæ ſibi ſimilem habebant in Deum amorẽ, ſemper lubenter verſabatur. Aniles autem nugas, & vanos mulierum ſermones, ne ſummas quidem ſuas aures ſinebat tangere. Erat verò hoc quoque ei ſtudio, cum iis qui illic verſabantur, Monachis, quique piâ aliquâ de cauſâ ad patrem accedebant, differere, & ab illis divina diſcere.

abiicit ornatum corporis:

cilicium aſſumit:

971. Non multum interceſſit temporis, & pater accerſitus venit in monaſterium, ubi erat ille magnus, ſimul cum Monachis peracturus memoriam illius, qui extruxerat monaſterium. Cùm illic ergò tres totos dies manſiſſet in monaſterio pater ejus ſecundum carnem, Euphroſyne acceptâ occaſione, & accerſito quodam Monacho ex monaſteriis * Scetis, qui tunc divina providentia venerat Alexandriam, (erat autem is magnus virtute, ei ſuum communicat conſilium. Ille autem: Audiiſti, inquit, Ipſa quoque cum ſis pia in Deum, quantum poſſum videre, & verſata in doctrina divina, quænam Salvator dicit in Euangeliis, quod qui patrem aut matrem honorat pluſquàm ipſum, ipſo indignus efficitur. Hac utens doctrina, & hac ſententia tuum erigens animum, quod ſtatuiſti, citò velis effectum reddere: & ignem in corde ſuſcipiens ejus, qui eum miſit in terram, vide nè ſocordiâ & morâ eum extinguas: ſed quàmprimum ad finem deducas id quod animo agitas. Nemo enim mittens manum ad aratrum (ut divina dicit ſcriptura) & retrò converſus, eſt aptus regno cælorum. Hæc cum audiviſſet à ſene, ejus verbis paret protinus, & ab eo petit, ut monaſticum conſequatur habitum. Ille autem prompto, & alacri animo implevit, quod * preces conſuetas, & quicquid erat in more poſitum, impleviſſet, monaſtico eam induit habitu. Et cum precatus eſſet ei finem ſcopo convenientem, in ſuum revertitur monaſterium.

* à

instruitur de vita Monaſtica:

habitu Monaſtico induitur;

* petebatur. Et cum

972. Poſtquam autem pius ille ſenex receſſiſſet, conſiderabat apud ſe Euphroſyne, quomodò, & ubi ſibi datum ad mercaturam exerceret talentum, maximè cum ſciret patrem ſibi fore impedimento ad id, quod deſiderabat. Cum ergo quæſiviſſet modũm, perquem poſſet omninò latere & benevolentiam patris, & ſponſi amorem, ſtatuit quidem veſtem exuere muliebrem, virilem autem induere. Et quoniam ſciebat eos, qui * eam eſſent perſecuturi tanquam fœminam, eſſe ſcrutaturos in monaſteriis mulierum ſtatuit ſe ipſam collocare in numero Monachorum. Hoc autem conſilium capiens, nocte quadam exuit quidem ſuam veſtem & ſimul cum tunica etiam muliebrem exuit imbecillitatem: induit enim veſtem ſalutarem, & quamprimum tranſmutatur in virilem habitum. Deinde cum latuiſſet ancillarum multitudinem, & ipſos parentis oculos, & ædes deſpexiſſet præclaras ac magnificas, Chriſti crucem tollens, protinus abiit, volens ſe dignam reddere eo, quod deſiderabat, & venit ad illud monaſterium, cui præerat ſenex, cujus precum fuerat fructus. Et * cùm veniſſet in conſpectum præfecti monaſterii, interrogata fuit, quiſnam eſſet, & unde, & quanam de cauſa ad eum acceſſiſſet. Illa autem dixit, ſe vocari quidem Smaragdum, eſſe autem ex aula Imperatoris: (ſic enim dicebat volens latere) reliquiſſe verò omnia, ut inſida & inutilia, ac deſideraſſe vitam Monachorum: & ex urbe quidem fugiſſe regia, ut quæ eſſet plena tumultibus, & quod amicorum & familiarium nollet vexari congreſſione, & ab eis interrumpi ſuum quietis deſiderium: cum autem de iſtorum ſanctitate Monachorum multa audiviſſet, eò veniſſe, ſi quo pacto digna haberetur referri in [illegible] numerum.

virili Habitu ſe induit ut poſſit latere:

* ipſam

fugit à domo paterna,

* his ita ordinatis

ingreditur monaſterium virorum,

ſe nuncupat Smaragdum:

973. Lætatus eſt vir ille, & verbis & morum

XIII. FEBR.

morum modeſtia admirandus, &, Ecce monaſterium, inquit, fili, ſi tibi placet referri in numerum fratrum, nemo eſt prohibiturus. Sed quoniam es ætate adhuc juvenis, & ſtatus monaſtici nondum perfectam cœpiſti experientiam, oportet te eſſe ſub magiſtro, & ab eo diſcere vitæ perfectionem. Illa autem, hoc quoque mihi eſt cordi, & volo non unum ſolum, ſi videtur, ſed multos etiam habere, qui ad virtutem me ſint inſtituturi. Sic ea, cum tanquam ſolidum & validum fundamentum, ſeni prius jeciſſet obedientiam, traditur Agapio monacho, qui & in rebus divinis erat eruditus, & (a) proceſſerat ad ſummam impatibilitatem: & ab eo, ut dicam ſicut divinus David, diurno fingitur figmento, & componitur ad vitam piam ac religioſam.

Magiſter ei traditur,

(a)

974. Verumenimverò qui nobis invidit ab initio, & gloriatur ſe totum orbem terræ, tanquam nidum, comprehenſurum, non ferebat, videns mulierem callidos ſuos laqueos ſupervolantem, & tanquam columbam * ſpiritum ferri ſublimem. Sed angebatur videns tam prudens conſilium, & quod ita ſe ad latendum inſtruxerat: & ægreferebat videre ſuas artes eludi à juvenili corpore, eoque muliebri. Aliquando quidem certè ejus in Deum curam ac meditationem ſtudebat avellere, parentum accendens deſiderium: aliquando autem divitiarum, gloriæque & ſponſi memoriâ conabatur ejus emollire ſpiritus. Præterea ei in memoriam revocabat conſuetudinem familiarium & æqualium. Sed cùm omni ex parte eam aggrederetur, & ei immitteret tentationem, repellebatur. Quid ergò facit? Se aliorum oculis diſpertiit, & eos ſauciavit telis ejus pulchritudinis. Illi autem cùm non poſſent continere vehementem cupiditatem: ſcirent autem non eſſe tutum celare morbum, rem Præfecto aperiunt: & triumphant de bello, quod illatum fuerat à maligno. Et hoc fit eis quidem mali remiſſio, illi autem majus incrementum ad perfectionem virtutis. Monaſterii enim præfectus eis convenientia dat morbi medicamenta: Illi verò nihil ſcienti eorum, quæ facta fuerant: volo, te, inquit,* ſeorſum degere in cella aliqua, in qua traditam tibi ſervans regulam, neque ullos illic admittes, neque omninò egredieris, neque te ullis præbebis ad colloquendum. Solus autem, quæ tibi erunt uſui, ſubminiſtrabit Agapius. Dixit, & ſtatim præcipit Agapio, ut Smaragdi, quam oportet, curam gerat, non ſolum in ſpiritalibus, ſed etiam in iis, quæ ad corpus pertinent, quoad ejus fieri poterit, ut nulla re neceſſaria indigeat. Itaque beata illa, ut ei erat gratum, liberata à moleſtiis, in Chriſtum magis auxit amorem, laboribus quidem addens labores, jejuniis autem jejunium, & prioribus vigiliis adjungens majorem adverſus ſomnum decertationem, adeò ut & ipſe videns miraretur Agapius, & hæc aliis manifeſta redderet. Sed hæc quidem poſteà.

à ſpiritu Diaboli tentationes adverſus eam,

tentando Monachos per ejus pulchritudinem:

** o fili,*

cellæ includitur.

ANNOT. (a) Proceſſerat ad ſummam impatibilitatem, *ſcilicet Agapitus, de quo in alia vita: vir ſanctus,* & impaſſibilis. *Circa hæc annotat Lezana in Annalibus tomo 3. ad an. 424. n. 5.* impaſſibilitatem, de qua Agapitus hic ſanctus commendatur, non eſſe illam accipiendam, quam ex Origenis vitiatis fontibus hauſtam ejus diſcipuli ebibiſſe dicuntur. *Et poſt alia:* Ne ſcilicet impaſſibilis æſtimetur hæretico ſenſu, nempè pro impeccabili ex natura, ſed quia ad eum gradum heroicæ virtutis pervenerit, ut paſſiones domitas habens, parum, aut nihil contradictionis in bonis operibus pateretur.

impaſſibilitas quid importet.

CAPVT III.

Paphnutii patris mœror de filia non inventa: inquiſitio: conſolatio.

975. QUæ autem prætermiſimus dicere, nunc recenſeamus. Cùm ejus pater domum è monaſterio rediviſſet, & chariſſimam filiam non inveniſſet, tandem domi non adeſſe chariſſimam filiam cognoviſſet, primum quidem adductis famulis & ancillis, rogabat quid hoc eſſet, & ſciſcitabatur ad quemnam ex cognatis aut familiaribus profecta eſſet filia. Cùm autem ii quidem dixiſſent, eam veſpere, poſtquam ut conſueverat, oſtium clauſiſſet cubiculi, in lecto dormiſſe: mane autem, ea non procedente, eos eſſe ingreſſos, & inveniſſe vacuum ejus lectum & domum, arbitrabatur eam abiiſſe ad ſponſum: & ad eum mittens, rogavit, an ad ipſum veniſſet Euphroſyne. Poſtquam autem ipſe quoque ſponſus, qui nihil acceperat eorum, quæ acciderant, repentino nuncio perturbatus ad eum acceſſit, invenit Paphnutium victum à paternis viſceribus, barbamque vellentem, & genas lacerantem unguibus, & miſerabiliter dicentem: Quo profecta es filia? cur me tuum parentem, lugentem, & triſtem reliquiſti? Non te ad hanc ſpem alebam, ſed ut haberem baculum ſenectutis, & ſolatium imbecillitatis. Hei mihi filia, quomodo feram tui orbitatem? Quomodò patiar ſolitudinem, cùm in te ſola ſpem defixiſſem? Non eſt mihi ampliùs ullus filius, ut ad eum adſpiciam, & quem propter te capio, doloris ex eo inveniam ſolatium. Nihilominus dolebat, quàm pater, ſponſus, & contendebat cum illius lamentationibus, præter ſpem tali bono fruſtratus. Conſulebat tamen, ut viriliorem ſuſciperent cogitationem, & miſſis lamentationibus, ſurgerent ad eam quærendam. Mittunt ergò quamprimùm in omnem partem, qui illam ſcrutarentur: & proficiſcuntur equites in Libiam, & Ægyptum, & ipſam Paleſtinam. Portæ præoccupantur civitatum, occupantur portus, viæ, trivia, * & ſi quid erat, quod latebat, & poterat celare. Sed Dei agna, qui ab ipſo cælabatur, non poterat capi ab iis, qui eam cupiebant capere. Quomodò enim, cùm ille nollet?

pater ejus valde affligitur.

ſolicitè eam quærit:

non inveniens lamentatur:

** monaſteria.*

976. Omni ergò ex parte dubius erat, & perplexus Paphnutius, non habens, qui eum conſolaretur: nam & domus lamentationibus

mœrore repletur:

tionibus plena erat, & fletibus, & quicquid ei occurrebat ſpectandum, ducebat ad majorem mali reminiſcentiam. Sive enim veſtis ejus, ſeu ornamentum aliquod, aut aliquid aliud fortè videretur præſens, id erat occaſio fletuum, & illud imponens oculis, & cum maximo verſans deſiderio, humectabat lacrymis. Mærore ergo omni ex parte appetitus, & non valens medicamentum invenire ad ſolatium, ſtatuit rursùs venire ad magnum illum ſenem, per quem dignus erat habitus vocari ejus pater, & narrare quod evenerat. *monaſterium adit in quo erat Euphroſyna:* Sic enim ſtatuebat, quòd qui eam, quæ non erat, potuerat ſuis præbere precibus, is eam latentem poterit reddere manifeſtam. Venit itaque ad eum, & ad illius pedes procidens: Hei mihi, O pater, clamavit: Perdidi fructum tuarum orationum, & ſum orbus liberis, qui per te pulchram habebam prolem. Invidiâ alicujus dæmonis periit Euphroſyne domus meæ lætitia: periit præter ſpem, nullo ſciente ex domeſticis, ubi ſit, vel quonam ſit profecta. Te ergò mihi paululum concede, & eos, qui ſunt tecum: & huic rei vacans aliquantulum, pete ab eo, qui à piis colitur, ut mihi ſignificet, ubinàm ſit lux meorum oculorum.

977. Flexus itaque ſenex, & animo perturbatus, cum Paphnutii lachrymis eſſet illachrymatus, *Superior monaſterii eum conſolatur;* accerſit omnem fraternitatem, & eorum, quæ Paphnutio acciderant, proponit narrationem; jubetque ut totam hebdomadam ſe jejunio dedant, & orationi, ſi fortè alicui apparuerit, ubinam terrarum lateat Euphroſyne. Hoc tamen facto, ad nihilum redibant eorum preces. Reſiſtebant enim illius orationes, petentis ut ignoraretur. Statuebat namque Deus ſinere illum potius parum lugere, quam ipſum liberans à dolore, dolore magis afficere animam, quæ & naturæ, & paternæ benevolentiæ propter ipſum nullam duxit rationem, * & alioqui, retardaret & impediret virtutem, quà nihil eſt præſtantius. Cùm hæc ita contigiſſent, dicit ſenex Paphnutio: Nè ſis triſtis, ò fili Paphnuti, neque ut quiſpiam ex infidelibus, & qui hac vita omnia metiuntur, nihil autem poſſunt amplius cogitare, puſillo & abjecto animo defleas receſſum tuæ filiæ. Crede autem mihi ſeni, hanc piè & religioſo ſcopo eſſe progreſſam: aliàs nos non celaſſet, quod factum eſt, Dominus. Age ergò ipſi gratias, & venerare diſpenſationem, quæ ſit, ut ei videtur: & videbis quidem ipſam paulò poſt etiam in hac vita, ſic hoc conducit [b] utriuſque: ſin minus, poſtquam quidem certè ex hac vita exceſſeritis, divina tabernacula ambos omninò excipient. Hoc enim mihi dat cogitandum tanta illius pietas, & amor in Deum. Sic Paphnutius cum multum remiſiſſet de ſua animi *animæquior domum redit:* ægritudine, domum redit, & rebus ſuis benè ordinatis, revertitur in monaſterium.

* al. nè

[b] utriſque

CAPUT IV.

S. Euphroſynæ colloquium cum patre: ſui manifeſtatio ipſi facta: utriuſque ſanctus obitus.

978. CUm autem ſic aſſiduè ventitaret in monaſterium, virtutis ſtudioſiores requirens Monachos, ut qui lubenter eorum frueretur conſuetudine, (vide ineffabiles rationes providentiæ) audit ex fratribus monaſterii, quòd ſit apud eos quidam frater, qui non longo quidem tempore ſe exercuit, ad ſummam autem brevi pervenit virtutem: eique nomen Smaragdus, illuſtri quidem loco natus, & qui divitiis abundabat, & pe- *regreſſus indè monaſterii ducitur ad S. Euphroſynam filiam ſuam:* cuniis: his verò omnibus contemptis, vitam elegit monaſticam, tantumque profecit in virtute, ut nemo ferè ſit ex omnibus aliis, qui poſſit cum eo contendere. Eum trahit auditio, ut veniat in ejus conſpectum. Per Agapium itaque convenit illum virum virtute ſuſpiciendum. Illa autem cum patris faciem adſpexiſſet, & cognoviſſet quidem, non eſſet autem cognita: mutata enim erat propter nimiam aſperitatem & inediam, & habebat non aperta vultus lineamenta: vincitur à natura, & ſenſim fontes emittit lacrymarum. Pater autem ejus exiſtimabat hoc evenire ex compunctione, non valens con- *pater eam non agnoſcit:* iicere ſe eſſe lachrymarum occaſionem, ut qui eam paterno fauciaſſet ſpectaculo. Deindè cùm ceſſaſſet flere, nihil quidem fatetur eorum, quæ pertinebant ad cognitionem, veluti contendens vincere naturam, quæ jam eam vicerat, & effecerat ut ei orirentur lachrymæ. Tanta autem eum implet utilitate, & ex morum moderatione, & ex *maximam conſolationem ab eo accepit.* doctrina ſermonum, ut plenus admiratione acceſſerit ad ſenem, & dixerit ſe multum ei debere, quòd dignus ſit habitus, qui talem virum videret & conveniret.

979. Cùm triginta itaque & octo annos *poſt 38. ann. S. Euphroſ. infirma,* talem vitam Euphroſyne egiſſet in monaſterio, & quænam eſſet, nulli fuiſſet omninò cognita, quando oportebat eam ex hac vita excedere, patrem, qui omninò divinâ quadam providentia tunc erat in monaſterio, propter uſum aliquem, accerſit illa beata, & rogat, ut tres dies maneat in monaſterio, di- *patrem ad ſe vocari curat:* cens non inutilem eam moram ſibi fore. Sed cui ſummæ erat curæ de chariſſima aliquid ſcire filia, pater lubens obediit. Cùm autem jam adeſſet tertius & ultimus, eum prope ſe advocat & dicit: Quoniam Deus res meas, ut voluit, adminiſtravit, & ut in propoſito ab initio ſuſcepto uſque ad finem permanerem, mihi vires tribuit, volo te hodie liberare multis ſolicitudinibus, & de filia tuâ, *ei revelat ſe ejus eſſe filiam;* quod ſcio, dicere: quam ſat ſcio te ſitire, & ejus ardere deſiderio. Scias ergò, inquit, ô pater, me eſſe tuam filiam, vultum oſtendens quam fieri potuit evidentiſſimè: ut lateret

autem,

autem, me in hunc tranſmutaſſe habitum, ex quo mihi omninò Dei benignitate evenit, ut licèt te viderim per totam vitam, nullum tamen à te mihi allatum ſit impedimentum in ſuſcipiendo certamine exercitationis: & tu nunc adſis, ut tuis manibus ſepulturæ meæ mandentur reliquiæ. Sic dixit, & Domino ſtatim tradidit animam.

conſternatus cecidit inſtar mortui:

980. Ille autem re inopinata ſtupefactus, non reſpirans, humi cecidit, tanquam mortuus, adeò ut aqua ejus faciem adſperſerit Agapius, & cùm eū ad ſe revocaſſet, rogaret qui factum ſit, quod ei defecerit animus. Ille autem dixit ſe vidiſſe res adeò admirabiles, ut cuperet etiam mox vitam cum morte commutare. Deindè cùm ſurrexiſſet, & circumfuſus ſanctis illis eſſet reliquiis, & eas irrigaret lachrymis, & commixtos gaudio fletus emitteret, & clamaret: Hei mihi, filia dulciſſima, cur non te mihi diu antè aperuiſti? Cur non me unà tecum aſſumpſiſti ſocium in opere tui propoſiti? Heu me miſerum, quid mihi accidit? Quomodò fuit tanta mea ignorantia? Quomodò neſciebam me in manibus habere, quod quærebatur? Quid agam? Feſtumne celebrabo, hanc videns quæ proceſſit ex meis lumbis, an lugebo victus paternis viſceribus? Sed non eſt honeſtum eos lugere, qui poſtquàm hinc exceſſerint, vadunt ad vitam meliorem, etiamſi natura domeſticos amplectens, me cogat hoc facere. Verumenimvero lugentem me excipit gaudium, fontes reprimens lachrymarum, & perſuadet ut poſtulem quam primùm hinc excedere. Scio enim fore, ut eam videam, & ab ea videar, hoc concedente Dei benignitate, & ſimul vivam in ſecula cum ea, quæ à me quidem eſt genita, ei autem vixit, & beatam illi tradidit animam.

varius animi ejus motus,

gaudii & luctus:

S. Euphroſyna moritur,

rei novitate conſternati Religioſi, accurrunt:

981. His verbis cùm totum actum intellixiſſet Agapius, id annunciat cum clamore & admiratione Præfecto & fratribus. Illi autem contendebant alius alium prævenire, obſtupefacti nova & aliena auditione, & ſtudebat unuſquiſque primus venerandas amplecti reliquias. Cùm autem acceſſiſſet quidam ex fratribus altero oculo orbatus, ipſe quoque amplexurus, lucem eſt aſſecutus ab ea, quæ divina luce digna erat habita, & duos habuit illæſos oculos, certum effectus teſtimonium illius fidei & beatitudinis, quam illa fuerat aſſecuta. Non ampliùs ergò ſepulturæ meminerant, qui aderant, ſed ejus obliti, glorificatione & admiratione diviſi erant cum lætitia. Cùm autem vix tandem reputaſſent, etiam poſt ſepulturam eundem eſſe theſaurum, illam deponunt in monumentis patrum, luce divinâ in facie illuſtratam.

S Euphroſyna merita miraculo declarantur.

982. Ejus autem pater ne cogitavit quidem, diſcedere à monaſterio. Cùm autem ſolùm tantùm receſſiſſet, quantùm ſatis eſſet ad ſuas facultates dividendas pauperibus & eccleſiis, & iis qui alioqui piè vivunt, & non habent ea quæ ſunt neceſſaria, & etiam aliqua conſecraret cœnobio, ſe deinceps refert in numerum fratrum, & illic reliquum vitæ tempus tranſigit, in ſtorea & cella Euphroſynes recumbens, & id eſſe magnum ducens ad lætitiam. Cùm ergo ipſe quoque decem annos tranſegiſſet in monaſterio, & vitam peregiſſet accuratam & perfectam, (a) migravit ad Dominum, cùm juſſiſſet ſuum corpus deponi prope filiam, hoc etiam poſt mortem ducens eſſe ſatis ſolatii, ſurdo pulveri corporis largiri propinquitatem ejus, quod deſiderat. Ad perpetuam memoriam, & gloriam Dei, qui hæc ſic diſpenſavit. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

ejus pater Paphnutius in filia ſua cella vivere pergit, & obiit: (a)

ſanctè moritur.

ANNOT. (a) Migravit ad Dominum, *ſcilicet* Paphnutius *qui à Græcis unà cum S Euphroſyna, colitur die XXV. Septembris, ſicut dictum ſuprà, in Not. prævia.*

XXV. FEBRUARII.

annus obitus veriſimilior eſt MCCCLXXX.

VITA S. AVERTANI, CONFESSORIS
ab ipſa Cœli Regina in peculiarem clientem, ac filium adoptati.

NOTATIONES PRÆVIÆ.

983. S. Avertani *mentio aliquoties fuit in Tomo præcedenti: in* Viridario Joannis Groſſi (a) *eſt vita ejus epitome.* (*Iſte fuit Generalis Ordinis, primùm electus anno* 1359. *annis novem ab obitu S. Avertani:*) *In libro* de Patronatu B. Virginis *Arnoldi Boſty cap.* 9. *nuncupatur:* vir ſublimis ſanctimoniæ: *& quòd* Miraculorum ingentium gloriâ multis innotuerit. *Liber ille ſcriptus fuit anno* 1479. *In* Faſciculo Tripartito *Ioannis Palaonydori typis edito Moguntia anno* 1497. *libello* 3. *cap.* 12. *ſimilibus elogiis, & brevi compendio vita commemoratur. Iſtorum, & aliorum teſtimonia de S. Avertano collegit P. Segerus Pauli* (*de quo mox*) *& hoc ordine reliqua digeſſit. Baptiſta Mantuanus Italus, Generalis Carmelitarum, Poeta, ac Theologus præclarus:* (*florere quàm maximè cœpit ab anno* 1483.) in vita S. Nicolai Tolentini *libro* 1.

(a) Tomo præced. n. 604.

S. Avertani vitam & encomia quinam ſcripſerunt,

Bap. Mantuanus,

Tu quoque Lunenſi claudit quem marmore Luca,
Avertane Pater, nec vis in mænia ferri.

984. Baptiſta Venetus *de Cathaneis, Theologus, Carmelita: In magno Speculo hujus Ordinis,* * *impreſſo Venetiis anno* 1507. Sanctus Albertanus, ex partibus Galliæ oriundus,

Bap. Venet.

* folio 103. in catalogo Sanctorum.

XXV. FEBR.

videlicet Lemovicenſis diœceſis, qui in ſua peregrinatione moriebatur Lucæ, & non eſt ſepultus in Conventu, ſed in Eccleſia ſancti Petri majoris, extra muros civitatis Lucanæ. Aubertus Miræus *Bruxellenſis, Decanus Antverpienſis, in Opuſculo ſpeciali, de* origine ac progreſſu Ordinis Carmelitarum: S. Avertanus, natione Francus, vitâ ac miraculis claruit circa annum 1370. De his Sanctis propria, ut vocant, officia Eccleſiaſtica recitant Carmelitæ Excalceati: ut patet ex Proprio Sanctorum hujus Ordinis, à Sixto V. Pontifice Maximo, anno 1589. approbato; quod in Gallia apud Ebroicenſes anno 1606, & alibi typis editum legitur.

Aubertus Miræus,

985. Abraham Bzovius, *Polonus, Ordinis Prædicatorum Theologus & Hiſtoriographus: In Annalibus Eccleſiaſticis, ad annum* 1366. *nu.* 16. *Tomo* 14 *conſcripto anno* 1617. Avertanus, quem alii Albertanum vocant, hoc anno Lucæ in Italiâ obiit. Is Lemovicis in Aquitania natus, & ad Ordinem Carmelitarum cooptatus, multis miraculis Sanctitatem ſuam declaravit. Qui cùm in Italiam veniſſet, apud Lucam in Ætruria, obitus ſui divinitus præſcius, à portarum cuſtodibus, (quod peſtis in locis finitimis graſſaretur) in urbem minime admiſſus fuit. His ille prædixit fore, ut quando ſe vellent introducere, non poſſent. Paulo poſt gravi morbo oppreſſus animam Deo reddidit, ad 5. Kalendas Martias. Cumque ex ejus corpore tum ingens ſplendor, tum fragrans odor egrederetur, atque diverſis languoribus laborantes inter accedendum ſanarentur, Lucenſes illud in urbem trahere conati, nunquam loco dimovere potuerunt, donec mutato conſilio, & extructo ei Templo, ponte ſuper mœnia urbis erecto, illius corpus, non per portas, à quibus vivum excluſerant, introduxerunt, & ſepulchro honorifico indiderunt: ſubſecuta feruntur ſuper infirmis Miracula infinita.

Abraham Bzovius, tradit vitæ epitomen,

986. Martyrologium Carmelitarum, *inſertum Officiis Propriis ejuſdem Ordinis, impreſſis Burdigalæ anno* 1624. Quinto Kalendas Martii: Lucæ in Tuſcia, ſancti Avertani Confeſſoris, Ordinis Carmelitarum, vitâ & miraculorum gloriâ illuſtris. Cujus corpus in eadem civitate in Cathedrali Eccleſia honorifice conditum eſt. Philippus Ferrarius *Italus, Alexandrinus, Ordinis Servorum B.M.V.* in Catalogo generali Sanctorum, *ſeu* in Martyrologio ſuo, *impreſſo an.* 1625. Quinto Kal. Martii: Apud Lucam in Hetruria, depoſitio ſancti Avertani Confeſſoris Ordinis Carm. *Et infra*: Is genere Aquitanus fuit, patria Lemovicenſis, circa annum 1366. vixit. *Ejuſdem quoque* S. *Avertani honorificam mentionem faciunt.* Didacus de Coria, *Hiſpanus, Theologus: in ſuo Dilucidario Carmelitico, edito Hiſpanicè anno* 1597. Hieronymus Gratianus à Matre Dei, *egregius pietate ac doctrina Theologus,* S. *Tereſæ Virginis Confeſſarius, in ſuo Theatro Vitæ Sanctæ & alibi.* Thomas à Jeſu *Hiſpanus, Carmelita Diſcalceatus, libro* 1. *Antiquitatum Ordinis hujus, Salmanticæ impreſſo in lingua Hiſpanica anno* 1599.

Martyrolog. Carm. Philip. Ferr. atque alii.

987. *Vita* S. Avertani *habetur etiam & in libro, cui titulus:* Decor Carmeli, *per P. Philippum à* SS. *Trinitate. P. Lezana Tomo* 4. *Annalium ad annum Chriſti* 1380. *alios quoque recenſens, de S. Avertano tractantes, iſta, inter alia, ſcribit:* Beatus Avertanus, Ordinis noſtri gloria, ſub anno iſto 1380. ex hac peregrinatione ad cœleſtem patriam aſcendit. Natione fuit Gallus, patriâ Lemovicenſis, & Ordinem ingreſſus ſanctitate eminenti, ac ſublimi, vitam peragebat. Ipſius vitam ſcripſerunt Cæſar Franciottus Sacerdos Congregationis Beatæ Virginis Lucenſis, in hiſtoria Sanctorum Lucenſium. Abraham Bzovius tom. 14. Annal. ſub an. 1366. ex noſtris Joannes Palæonydorus lib. 3. cap. 12. Didacus Coria in Cronic. Carmelitar. lib. 11. cap. 14. Petrus Thomas Saracenus in Menologio Carmelitar. Imò, ut audio, etſi non viderim, Segerus Pauli Colonienſis diligens auctor. *Et ea eſt quæ hic ſequitur.*)

Vita S. Avertani à quibus ſcripta:

988. PP. Bollandus & Henſchenius *in* Actis Sanctorum, *ad diem XXV. Februarii vitam* S. Avertani *ex Italico in Latinum traductam habent, luculento Commentario prævio illuſtratam, ubi §.* 1. *hæc, inter cætera:* Populo Lucenſi acceſſit ex Ordine Carmelitarum Patronus advena, ex Gallia Tranſalpina Avertanus, aliis Albertanus, & Alvertanus, aut etiam Averardus dictus, cujus ſacra oſſa, ut pleniùs infra referetur, ad Eccleſiam urbis Lucenſis Cathedralem an. Chr. CIↃ IↃ XIII. delata ſunt, antea in ſuburbio, cum honore aſſervata. *Infra de vita ſeu Actis ejus:* Vita Italicè ſcripta, Latinè tranſlata... Eamdem methodo commodiori, ſtyloque concinniori digeſtam nobis communicavit Segerus Paulus ex eodem Carmelitarum Ordine vir eruditus. Addiderat Segerus ſuas Annotationes, & varia aliorum Scriptorum teſtimonia, quorum aliqua in hac diſceptatione prævia ex eo protulimus. *Ita illi: Ibidem §.* 3. *habent inſtrumentum publicum de Reliquiis* S. Avertani *in Eccleſia Cathedrali depoſitis. Autographum vitæ à præfato Segero Pauli in Latinum traductæ, ejus manu exaratum, in plura breviora capita diſtributum etiam nos accepimus, unà cum teſtimoniis pleriſque præmiſſis, & Vitam iſtam hîc damus, cum ejuſdem Auctoris Præfatione, & notationibus quibuſdam Vitæ ſubjectis.*

P. Bollandus eam habet ex Italico traductam, per P. Segerum Paulum.

§. 2. Antiqua veneratio, & cultus S. Avertani.

989. FEſtum S. Avertani *in Ordine Carmelitano ab antiquo celebratum fuiſſe, vetera docent monumenta. Ejus namque nomen Kalendario Miſſalis hujus Religionis inſertum legitur ad diem XXV. Februarii cum hac inſcriptione:* Avertani Confeſſoris, Ordinis Carmelitarum. *In Kalendario Breviarii anni* 1564. *typis rubricatis legitur:* Avertani Confeſſoris, Ordinis noſtri, Duplex: *Miſſali Ordinis hujus Venetiis impreſſo anno* 1574. *iſtæ ſunt Orationes propriæ:* COLLECTA: Da quæſumus Domine, S. Confeſſoris tui Avertani vitam Religioſam, ſub vexillo Beatiſſimæ Virgi-

S. Avertani Feſtum ab antiquo celebratum in Ordine Carmelit.

XXV. Febr.

cum Orationibus propriis,

Virginis Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo, ſanctè vivendo, inceſſabili devotione venerari; ut quam hodie pronâ mente commemoramus, humilibus frequentemus obſequiis. Per Dominum &c. (*Eadem oratio inſerta eſt Breviario Venetiis excuſo anno* 1573. *in cujus Kalendario ad diem XXV. Februarii iſta:* Avertani Confeſſoris Ordin. noſtri: duplex.) Secreta (*in præfato Miſſali anni* 1574. *eſt iſta:* Tueatur, quæſumus, omnipotens Deus, Filii tui, populum ſupplicantem, ſacra oblatio; quam ad remedium ſalutis noſtræ contuliſti, & eam nunc ſolemni miniſterio recolentes, S. Avertanum Carmelitâ illius virtute, pium ſemper mereamur habere interceſſorem Per eundem Dom. *&c.* Post-communio: Da nobis, Domine, dignè flere mala, quæ fecimus; & quos tuis reficis Sacramentis, facias meritis S. Avertani Confeſſoris tui conſolationis gratiam invenire.

auctoritate Sedis Apoſt. illud celebrant Carm. Diſcalc.

990. *Anno Chriſti* MDLXXXIX. *Carmelitis Diſcalceatis, qui Breviarium Romanum ſuſceperant) auctoritate Apoſtolica Sedis per ſpeciale diploma Sixti Quinti datum Romæ, die* 27. *Iunii Officia nonnulla propria, juxta antiquam hujus Ordinis conſuetudinem, celebrari conceſſa ſunt. Quod iteratò conceſſit ſeu confirmavit Paulus Papa V. per Decretum S. Congregationis anno* MDCIX. *die* XX. *Iunii. Demum ſub Urbano Papa VIII. in Congregatione Sacrorum Rituum anno* MDCXXVIII. *die* XII. *Iunii. Idem confirmatum fuit per Decretum hujus tenoris:* Officia ſupraſcripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum, ad inſtantiam Generalis ejuſdem Ordinis, & Fratrum Reformatorum, quos Diſcalceatos vocant, qui Breviarium Romanum acceptarunt, ad uſum dicti Breviarii Romani reformata, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Cardinali de Tornes recognita, & ſubſcripta, & quorum aliqua aliàs ſub die 20. Junii 1609. ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Cardinali Bellarmino de mandato Sac. Rituum Congregationis reviſa & approbata fuerunt, eadem Sacra Congregatio, ut ab univerſo Carmelitarum Ordine liberè & licitè recitari, ac etiam pro majori commoditate imprimi poſſint, licentiam & facultatem dedit & conceſſit, die 12. Junii 1628. *Subſcriptum erat.* Coſ. Cardinalis de Torres. *Et infra:* F. Fulvius Benig. Secr. *Inter illa autem officia eſt quoque de S. Avertano die XXV. Februarii ſub iſto titulo:* In Feſto S. Avertani Confeſſoris Ordinis noſtri. Duplex.

Decretum SS. Rituum Congregat. de Officiis propriis Ord. Carm.

S. Avertani antiqua veneratio Lucæ in Tuſcia:

991. *Antiqua venerationis, & cultus* S. Avertani, *pariter & ſocii ejus B. Romæi (de quo hic infrà cap.* 14 *vitæ) inſtrumentum publicum teſtimonium perhibet quoque in Eccleſia S. Petri Cathedrali Lucenſi de reliquiis ibi depoſitis expeditum* anno Nativitatis Domini MDXIII. Indictione primâ die XXXI. Auguſti. *Illud integrum habent præfati PP. Bollandus, & Henſchenius in Commentario prævio ad vitam S. Avertani* §. 3. *ubi ex Cæſare Franciotto, in tractatu de Templis, & Reliquiis Lucenſibus etiam iſta referuntur:* Corpora SS. Avertani, & Romæi ſolùm in depoſito pro S. Petro majore. *Et recenſitis reliquiis Eccleſiæ S. Petri Majoris. Addit (Franciottus)* Hæc debent ſuo tempore referri tria ſancta corpora prædicta, videlicet S. Seneſii Martyris, & SS. Avertani & Romæi. *Extat quoque in præfata Eccleſia S. Petri hoc utriuſque vetus Epitaphium, quod ex præfato Cæſare Franciotto à P. Lezana in Annalibus ad annum Chriſti* 1380. *& in præfato Commentario prævio* §. 1. *memoratur.*

ejus & B. Romæi epitaphium.

Carmeli quondam, nunc Avertanus Olympi
Cultor, in hac moriens oſſa reliquit humo.
Græcus Joannes Lucenſis origine, nuper
Eruit, & celſo ſuſtulit illa loco.
Romæumque dedit comitem, quo jungeret urnæ
Unus honor, quibus eſt Ætheris una domus.
Et quia perpetuæ regnant cum Principe vitæ,
Luca ſub ipſorum numine tuta valet.

S. Avertani antiquus cultus in Belgio:

992. *Quantùm ad* S. Avertanum, *ejus cultus antiqui in Belgio teſtimonium perhibent litteræ Epiſcopales, quarum hoc eſt initium:* Martinus Cupęrus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Chalcedonenſis S. Theologiæ Profeſſor ex Carmelitarum Ordine aſſumptus, nec non Abbas S. Landelini in Criſpino univerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Gratum pariter, & acceptum Altiſſimo credimus impendere famulatum, dum Chriſti fideles ad illa invitamus exercenda charitatis opera, quæ ſalutem inducunt animarum, &c. *Ibi conſequenter traditur, quòd* Altare in Sacello S. Crucis, *propè Mechliniam (ad quod celebris eſt devotio)* in honorem S. Crucis, *&c. &* S. Avertani Confeſſoris dedicatum *fit. Et* in Feſtivitatibus S. Crucis, ac S. Avertani (*ſicut & aliorum in iſtis litteris expreſſorum*) Indulgentiæ quadraginta dierum, perpetuis futuris temporis duraturæ conceſſæ vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ipſum Sacellum viſitantibus. Actum anno 1555 Menſis Julii die octavo... Mechliniæ. *Extant litteræ illæ originales in Archivo præfati Conventus Mechlinienſis.*

Altare illi dicatum:

Indulgentiâ ejus Feſto conceſſa.

§. 3. *Triplex ſepultura, ſeu tranſlatio S. Avertani, & quædam de B. Romæo, ex notis P. Segeri.*

S. Avertani corpus ſepultum Lucæ in ſuburbio,

993. P*oſt vitam S. Avertani iſta annotavit P. Segerus:* Triplici in loco S. Avertani corpus reconditum, ſeu ſepultum fuiſſe. Primo quidem in Eccleſia Xenodochiali, ſeu Hoſpitali S. Petri majoris extra urbis mœnia. Hoc enim manifeſte docet Joannes Groſſius, dicens: [Cujus glorioſum corpus eſt ſepultum in Eccleſia S. Petri extra murum civitatis Lucanæ, &c.] Idem confirmant Baptiſta Venetus in majori Speculo Ordinis, & plures alii. Secundo reconditus fuit in Eccleſia Parochiali ſancti Petri, intra urbis muros. De hac ſepultura plenè & circum-

poſteà tranſlatum ad aliam Eccleſiam,

XXV. FEBR. ſtantialiter agit Petrus Thomas Saracenus, Bononienſis Theologus, dicens* Pio Sancti viri funere evulgato, atque Sanctitate per

* in Menologio Carmelit. in vita S. Avert. teſtes fideles comprobata, Dominus Paulus de Gabrielis Eugubinus, tunc temporis Epiſcopus Lucenſis, annuente Senatu, populoque Lucenſi, decreto ſancivit, magna cum ſolemnitate ſacrum pauperrimi Carmelitæ corpuſculum nobiliori loco in civitate collocandum eſſe. Præfinito die, incredibili populorum frequentia à toto Clero in urbem Lucæ devotiſſimè tranſlata, & in Eccleſia Parochiali S. Petri honorifico tumulo ſacra ſunt condita pignora Divi Avertani Carmelitæ. *Sic ipſe, conformiter ad ea, quæ infrà dicentur in vita cap. 12. Tertiò tandem ſepulturam accepit in Eccleſia Cathedrali ejuſdem Vrbis. Quæ verò occaſione id contigerit, teſtatur Saracenus præcitat'o cum ait: Temporis ſucceſſu, ob novam Divi Petri Templi fabricam erigendam, de Civium Lucenſium aſſenſu, ſacra Sanctorum Avertani, & Romæi corpora ſolemni apparatu tranſlata, depoſitaque fuere in Cathedrali Eccleſia. Hactenùs P. Segerus.*

ac denique depoſitum in Eccleſia Cathedrali.

994. *Conſequenter prolixè differit de B. Romæo, an idem ſit cum B. Henrico qui in nonnullis antiquis Kalendariis, & Catalogis Sanctorum Ordinis inſertus legitur: & reſolvit quod ſit, hiſce (in Compendium redactis) fundamentis. [In Speculo antiquo Ordinis Venetiis impreſſo anno 1507. ſub titulo: de Sanctis Ordinis Carmelitarum fol. 203. & iterum ſub finem, in Catalogo Sanctorum Ordinis, ſeu tabula legitur:* Decimus ſeptimus fuit S. Henricus, cujus corpus Lucæ requieſcit, in quadam Eccleſia Parochiali, ubi multa per eum fiunt miracula. *Quod ille Henricus idem ſit cum Romæo inde habetur, quia Lucæ non tres; ſed duo Ordinis Carmelitani Sancti habeantur. Ille B. Henricus etiam in antiquo Kalendario Ordinis in Codice MS. Carmeli Mechlinienſis, ad diem XVII. Ianuarii iſtis commemoratur verbis:* Decimo ſexto Kalendas Februarii Henrici Confeſſoris non Epiſcopi, Converſi Ordinis noſtri. *Et in alio vetuſto quoque Kalendario in eodem Codice MS.* Sanctus Henricus Confeſſor non Epiſcopus Converſus Ordinis Carmelitarum 17. die Januarii. *Sed cur illo die ibi commemoratur; cum non illo ſed octiduo poſt* S. *Avertanum (id eſt 4. Martii) obierit? quia fortè dies 17. Ianuarii fuit corpus ejus tranſlatum, ſeu elevatum.] Sic ibi Segerus: qui & iſta.* Romæus, ſeu binominis Henricus Romæus appellatur. Binâ vice Romam proficiſcens, in altera vice ſocius adhibitus S. Avertano, Lucam dumtaxat pervenit. Ubi octiduo poſt S. Avertanum obiit an. 1380. die 4. Martii. In hoc tamen Kalendario (*ſcilicet præfato Mechlinienſis Codice MS.*) continetur forſitan dies elevationis, ſeu tranſlationis corporis ejus.

B. Romæus binominis etiam dictus Henricus.

VITA

Ex Italico in Latinum tranſlata.

Per R. P. Segerum Paulum Colonienſem Ordin. B. V. Mariæ de monte Carmeli.

PRÆFATIO.*

* P. Segeri.

995. *INter alios Sanctitate claros viros, quos Lemovicenſis patria Ordini Fratrum Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo poſt Aymerici Reformationem ſuppeditavit (quales fuere præcipui B. Bertholdus Aquitanus, primus inter Latinos Prior Generalis; & B. Petrus de Caſa, ex Priore itidem Generali Epiſcopus Vaſionenſis, Patriarcha Ieroſolymitanus (& juxta quoſdam S. R. E. Cardinalis Tit. S. Marti in Montibus) unus ex eis ſanctus Avertanus poſtremum ſanè locum non obtinet, licèt eum inter Laicos ſeu Converſos Fratres ſui Ordinis vivens tenuerit. Verumtamen cùm Deus non tam gradum altum, ſeu ſtatum digniorem vitæ hujus mortalis, quàm Sanctitatis merita ſpectet; idem vir Sanctus quantis apud Deum meritis fulgeat creberrima ad tumulum ejus quondam patrata miracula declarant, & mors in conſpectu Domini pretioſa demonſtrat. Hujus res geſtas, ſeu vitam Italicè per quendam Lucenſis Carmeli Patrem ſcriptam, in Latinum ſermonem tranſlatam, in capita diſtributam hîc damus; addentes (quæ ab Auctore prætermiſſa erant) nonnulla veterum Scriptorum monumenta ad pleniorem vitæ ejus habendam cognitionem: ea tamen (ut Auctoris primariò ſua remaneat ſubſtantialis relatio) per hæc ſigna [ ] ſeu clauſulas interpoſitas diſtinximus.*

Lemovicenſes Sancti in Ord. Carm. unus ex eis S. Avertanus. vita ejus primùm Italicè ſcripta.

CAPUT I.

Nativitas, S. Avertani, & pueritia admodum virtuoſa.

996. AVertanus glorioſum germen, ac ſplendor montis Carmeli, natione Gallus, patriâ Lemovicenſis, modicis fortuna, ſed virtutibus ditiſſimis parentibus ortus fuit. Nomen ipſius Avertanus myſterio non caruit; quippe, qui plurimas liberaturus erat peccatrices animas à tartarea fauce Averni. [Sunt tamen ex vetuſtioribus Scriptoribus (& ii communitèr) qui eum Albertanum nominant, à Divo forſan Alberto Carmelita viro Sanctiſſimo derivato vocabulo; ab eo ſcilicet tempore, quo huic ſeſe Religioni incorporavit.]

S. Avertanus Lemovicenſis.

997. Ab ipſa porro infantia cæleſtium theſauris virtutum animam ſuam ditare cæpit. Obſervavit quippe non raro mater ipſius infantis, quod in profeſtis quibuſdam ſolemnibus, inſtar Sanctiſſimi Præſulis Nicolai, lac maternum ante ſolis occaſum ſugere renueret, magna cum admiratione parentum; adeo ut cùm mater aliquoties vi cibum ei ingerere tentaret, clamoribus in

profeſtis ubera ſugere renuens.

XXV. FEBR. cælum directis, ipſos quaſi cælites in ſui adjutorium advocare videretur.

998. Nec minorem parentibus admirationis materiam ſuppeditavit, cernentibus illum integris ſubinde horis, fixis oculis cælum aſpicere, quaſi in futuram adſcribendum ſupernæ civitatis poſſeſſionem. In diſcurſu ſpirituali (ſi quis occurrebat) divinus puer adhuc balbutiens, aures præbebat, attentas; mirabili quadam propenſione inſinuans, ſe, quaſi benè inſtructum in ſchola divini amoris, talibus delectari colloquiis. Vix ulla demum virtus erat, quam in tenella adhuc ætate non videretur poſſidere, ſupergrediens ſemper de ſe conceptam parentum opinionem.

puer amans virtutum.

CAPUT II.

Angelico monitu jubetur ingredi Ordinem B. Virg. Mariæ de monte Carmeli.

999. SIc exereſcens puer Avertanus ſapientia & ætate, vehementi accendebatur deſiderio, victimam ſe Deo conſecrandi in clauſtris Religioſis. Unde integros ſubinde conſumebat dies in oratione ac jejunio, divinam inſtantiſſimè rogans majeſtatem, nec non digniſſimæ Cæli Imperatricis implorans patrocinium, quatenus ſibi inſinuaret Dei voluntatem, ſeque in rectam viam dirigeret perfectionis. Quod dum nocte quadam, majori ex parte in lachrymis & orationibus inſumpta, intentius poſtulaſſet, conſolari eum volens Deus, miſit ad ipſum Seraphinum Angelum, hiſce illum verbis alloquentem: Deus te ſoletur, fortunate juvenis, ſerve dilecte Altiſſimi, à quo miſſus ſum ad tuum complendum deſiderium; in cujus nomine tibi denuncio, ut omni ſpoliatus affectu mundano, ſine mora ſummo manè Templum accedas B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, ibique cum devotis Religioſis illis piè vivendo, in holocauſtum te offeras divinæ majeſtati. Quibus dictis, ſuaviſſimo relicto odore, cæleſtis nuncius evanuit.

Angelico monitu jubetur ingredi Ordinem Carmelitarum.

1000. Sanctus vero juvenis totus attonitus, ſimulque interna repletus conſolatione, ac jubilo ſpirituali, lachrymas fundens præ gaudio, gratiarum actiones Deo egit, quas potuit maximas, dicens: Gratias tibi ago, Deus æterne, ob tantos mihi exhibitos favores. Et unde ego illos promeritus ſum; cùm tantis peccatis, tantis cum erroribus, quibus te offendi (tametſi ipſe Angelica penè niteret puritate.) Omnia hæc de tua benignitate mihi exhibita recognoſco. Benedicta ſit in ſæcula tua divina bonitas. Laudetur ſemper nomen tuum Sanctiſſimum. Sequar te, ſequar vocem tuam amantiſſimam:

CAPUT III.

Parentes ex ejus valedictione magnò afficiuntur mærore, quos ipſe plenè conſolatur.

1001. VIx igitur matutina apparente aurora, ſurgens è lectulo ſuo pauperrimo, patrem ſuum acceſſit, narrans genuflexus cum lachrymis mirabilem quam habuerat viſionem, inſtanter ac humiliter ejus poſtulans benedictionem, licentiamque adimplendi id, quod nuncius cæleſtis ſibi commendaverat. Credi haud poteſt, quanti tunc fuerint ſingultus ac lachrymæ ſeniculorum parentum ipſius, qualem in pectore intrinſecus ſenſerint dolorem: Dicebat ſuſpirans pater: Ergone fili, unica ſpes mea, tu me derelinques tantis in miſeriis meis? Te ſolum habeo ſublevamen decrepitę ſenectutis, & infelicis canitiei, & jam me fruſtrabis ſpe ac deſiderio meo? Te perdendo vitam perdam, te abeunte abibit infelix ſpiritus meus. Similiter anguſtiata & mater, vix eloqui valens: Fili, fili, ait, ex te ſolo expectabam lactis mercedem, quod tibi tot menſibus præbui, & in medio neceſſitatum mearum me deſolatam relinques? Moveat te, fili, amor maternus, quo ſemper te proſecuta fui. Sine tua præſentia vivit in me dolor, vita morietur, infelix mihi erit lux iſta mortalis, ac vita tædioſa.

parentes ei renuntios,

1002. Totus ergo afflictus & anguſtiatus Avertanus, inter ſuſpiria & lachrymas hoc eis reſponſum dedit: Chariſſimi parentes, ac progenitores mei, ne me affligatis rogo, dolores veſtros obiiciendo, ſed concedite mihi ut obedientem me exhibeam divinæ voluntati. Non vos derelinquo, ſed cum affectu poſſibili impreſſos habeo in pectore & corde meo. Plus vos pro certo juvabo, incluſus in eremitico quodam tuguriolo ac paupercula veſte inſtituti Religioſi, licet remotus ab oculis veſtris, quam Regio in palatio, & auguſto throno ſemper vobis præſens. Major, vobis continget jubilus ac lætitia, videntibus me in ruſtica melote, & arido involutum ſacco, quam regio coronatum diademate, ac veſtitum purpura & byſſo.

ſolatur & reddit parentes.

1003. Hac pia reſponſione Sancti juvenis, commoti parentes devoti, reſponderunt cum lachrymis dicentes: Non poſſumus, chare fili, piæ petitioni tuæ non ſubſcribere: vade tandem, vade cum benedictione noſtra, fac quod placet, quod Dominus mandat. Benè habebunt dolores noſtri de perditione tuæ præſentiæ, modò cum effectu tuum conſequaris propoſitum. Suſtine cum patientia, quæ tibi occurrent adverſa, omnia quippe illa in dulce vertentur ſolatium.

XXV. FEBR.

CAPUT IV.

(a) *In ejus Religioſa inveſtitione (a) inter Fratres Laicos, auditur melos Angelicum, ac Virgo Deipara eum benedicens, in clientelam ſuam ſuſcipit.*

1004. HIs auditis, S. Avertanus humiliter exoſculans pedes piorum parentum, gratias eis retulit de hujuſcemodi conceſſa ſibi licentia. Feſtinanter itaque accurrit ad monaſterium Carmelitarum Lemovicenſe, eo tempore virorum Sanctitate ac doctrina illuſtrium percelebre; atque in ipſo ejus introitu obvium habens Cœnobii Priorem, coram eo proſtratus, enarrata Angelica viſione ac præcepto, multis cum *admiſſus in monaſterium,* lachrymis ac profunda humilitate, ab eo inſtanter petiit habitum ac inſtitutum beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo.

1005. Sanctus Prælatus jam ante divinâ revelatione probè inſtructus, quid factus opus eſſet, conſolando lachrymantem juvenem, promiſit, quod petebat, concedere. Cui Avertanus, poſt terræ, ejuſque pedum oſcula, de promiſſo ſibi favore maximas egit gratias. Propoſita ergo à Priore Patribus pii juvenis petitione, omnes divinitus inſpirati, votis favorabilibus ipſum admiſerunt, magnô ejus cum jubilo, ac dulcedine interna.

1006. Spoliatus igitur habitu ſæculari & *habitum induit,* circumdatus luce ineffabili Spiritus divini, magna cum ſolemnitate adornatus ac ditatus fuit pretioſo habitu Religionis. Aderat ejus inveſtitioni devotus quidam contemplator, unà cum multis aliis perſonis piis, à quibus tunc auditi fuere concentus Angelici, ac voces Seraphicæ, ſuaviſſima cum melodia inter alios hymnos Spirituales: Gloria in excelſis Deo: reſonantes. Viſa quoque fuit *cum favore cœleſti.* Cœleſtis Imperatrix Angelorum, extenſa dextera eum benedicere, & ſub filiatione ac tutiſſimo ſuo patrocinio acceptare.

1007. ANNOT. (a) Inter Fratres Laicos, *Fuit igitur S. Avertanus non Sacerdos, aut Clericus, ſed laicus, ſeu Converſus: id etiam traditur in Viridario Joannis Groſſi, in tractatu* de Sanctis Ordinis hujus, *ubi iſta*: S. Avertanus Converſus in Ordine &c. *Idem autem eſt* Converſus, *quod* Laicus.

CAPUT V.

De perfecta obſervantia trium votorum Religioſorum, ac mentis exceſſu quo in Deum rapiebatur.

1008. INdutus jam ſacro habitu Religionis, ac totus in Deo renovatus, *patitur mentis exceſſum,* atque in ſe recollectus, poſt varia cum anima ſua habita colloquia de modo ſincerè Deo ſerviendi, vitia extirpandi, virtutes inſerendi, ac vota potiſſimum Religionis exequendi, ſpiritus ejus ad Deum raptus, non paucis horis in extaſi manſit, ut, quantum fas eſt homini mortali, Deo frueretur. Ad ſe porro reverſus, tanto cum affectu ac fervore executioni mandavit ea, quæ aliàs mente conceperat virtutum opera, ut cunctis Fratribus, etiam ſenioribus Cœnobii ſui, palmam præriperet, eoſque in ſui amorem & admirationem alliceret.

1009. Vilia monaſterii exercitia non ſpernebat, ſed ingenti cum charitate amplectebatur. Non expectabat ſuperioris præceptum ſecundum, ſed vix ejus aperto ore *ſummè obediens.* mox executioni mandabat, quæ præcipiebantur; adeo ut ſæpius Prælatum ſuum rogaret, quatenus aliqua ſibi facienda injungeret, quibus ſeſe in obedientia ac humilitate exerceret. Unde & paſſim ab omnibus Filius obedientiæ audiebat.

1010. Pari modo Paupertatis extitit ſtudioſiſſimus, in tantum, ut obſervatum fuerit, numquam ipſum tetigiſſe, aut nominaſſe pecunias, quin & ab earum aſpectu, veluti à peſte animæ pernitioſiſſima, oculos avertebat. Offerebat illi quandoque Superior ſuus pro ſubſidio (juxta morem Religionis) veſtimentum, & alia neceſſaria? nec poſſibile erat inducere Avertanum, ut acceptaret. Cum lachrymis quippe ac ſuſpiriis rogabat ſuperiorem ſuum, ne ad illa ſuſcipienda eum *paupertatem amat,* obligaret obedientiæ præcepto: in exemplum Paupertatis & indigentiæ adducens Chriſtum Redemptorem noſtrum, ac magnum Eliam Prophetam, Fundatorem Ordinis ſui.

1011. Mirabilis quoque in ſâncto juvene refulſit Caſtitas. Pulcherrimis quippe corporis erat ornatus donis, ac membris delicatioribus; quæ tamen non ſinebat ſervire *caſtè vivit,* ſenſualitati, quin potius exterior pulchritudo cum magna majeſtate ac venuſtate ſpirituali, conjuncta erat: ita ut omnibus intuentibus cauſa eſſet admirationis ac devotionis, nec ab ulla unquam perſona malè ſollicitaretur ad actum quemcunque illicitum.

CAPUT VI.

Ejus perfecta Charitas oſtenditur.

1012. SIlentio prætereunda non eſt perfectiſſima B. Avertani Charitas. In hac quippe virtute adeo ſeſe eminentem exhibuit, ut quemlibet intuentem ad creden- *fervet charitate proximi,* dum pene induceret, ſe non ſimplicem hominem quempiam, ſed magnos illos ac divinos intueri Prophetas Moyſen & Eliam, aut Paulum Apoſtolum. Tanto enim amore converſabatur cum proximo, tanto cum affectu diſcurrebat, cum tanto ardore ſalutem ejus quærebat, adeo ſitiebat peccatoris converſionem, ut in mille mortes paratum ſe ire oſtenderet, dummodò ejus affectus ſortiretur effectum.

1013. Languentem pauperem videre non poterat, quin mox miſeratione commotus,

XXV. FEBR.

motus, in ſeipſo ejus ſentiret languores, & modis omnibus ad inopiam illius ſublevandam, neceſſaria inquireret; ſubtractis quoque ſibi (de ſuperioris tamen licentia) alimentis neceſſariis. Quod ſi quandoque cum proprio temporali ſubſidio indigenti miſero ſubvenire haud poſſet, ditiores Civitatis accedens, & in terram coram eis ſe proſternens, oculis lachrymoſis clamabat in hæc verba: *Date neceſſaria infelici pauperculo.* Quâ viri Sancti formâ ſupplicandi divites commoti, non modo dabant abundanter, ſed & ipſi pietate ac lachrymis perfundebantur: immo nonnulli eorum ſæculo valedicentes, relictâ avaritiâ, patrimonia ſua opulenta in paupereulos Dei ſervos erogabant, ipſiuſque exemplo Religioſa intrabant clauſtra.

pauperes juvat,

etiam conquiſita eleëmoſyna,

CAPVT VII.

Orandi aſſiduitas animam ejus in extaſim rapit, & genua ipſius ferri inſtar indureſcere facit.

1014. IN Orationis quoque & Contemplationis virtute ita celebris extitit inclytus Dei Servus Avertanus, ut dies ſæpè integros jejunus, citra ullam proprii corporis curam, in Oratione tranſegerit; idque cum tali Spiritus alienatione, ut ſubinde Religioſis nonnullis de Superioris mandato, cellam ejus accedentibus, & magnis excitatis clamoribus ac tumultibus, vix tandem ad ſe redire poſſet. Quod non parum inſerviebat iiſdem devotis & contemplativis Religioſis Confratribus ſuis.

orans rapitur in extaſim,

1015. Conſuetudo illi erat in aliquot per annum feſtivis diebus (etiam in majori tranquillitate ſomni) nocte media abſque ſtrepitu ullo è duro ac pauperculo lecto ſurgere, colles Monaſterio vicinos genuflexus aſcendere, ſupra duros lapides, brachiis in modum Crucis extenſis, & lachrymantibus oculis orare, nec non adhibito lapide duriſſimo, pectus ſuum ad ſanguinem uſque percutere, donec illuceſceret.

ob longam genuflexionem,

1016. Fertur cum ſtupore de glorioſo Jacobo Apoſtolo Jeroſolymorum Epiſcopo, quòd ex aſſiduitate Orandi, ita cutis ejus in genibus obduruerit, ut Cameli pelle durior appareret. At ceſſet nunc ſtupor iſte, ac portentum mirabile: nam Servus Dei Avertanus taliter obduratam ex nimia genuflectione habuit pellem, ut ferri inſtar, cutis in genibus ejus appareret. Nec hoc adeo impoſſibile cuiquam videatur, licèt creditu forſan difficile; cum perſæpè dies integros ab ipſa puerili ætate, genibus flexis conſumeret orando; & ex aſſidua ſanguinis effuſione in petra duriſsima, ut dictum, tenerrimæ carnis ejus durities creſceret Angelicus igitur hic ſanctus Avertanus cunctis Chriſtianis, ac Religioſis ad imitandum noſtris temporibus Speculum eſſe deberet.

pelle indureſcente.

CAPVT VIII.

Sacra loca, cum ſocio Romæo, devotè viſitat.

1017. CReſcebat hoc modo vir Sanctus in virtute ac perfectione. Unde & magnus ei inerat affectus loca ſacra, ac Sanctorum illic quieſcentium Reliquias inviſere, almam præſertim Urbem Romanam plurimarum theſauro Reliquiarum illuſtrem. Pro quo etiam itinere à ſuperioribus licentiam impetravit, adjuncto ſibi Ordinis ſui ſocio, B. Romæo, magno Dei ſervo. Anno igitur Chriſti milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo nono, poſt ſolemnitatem omnium Sanctorum iter ſuum ingreſſi ſunt.

reliquias Sanctorum veneraturus,

1018. Non eſt autem, quod me fatigem in declaranda devotione & affectu, quocum duo illi terreſtres Angeli amoroſam ſuam exequebantur pietatem. Non erat Eccleſia in urbibus, quas pertranſibant, quam non affectuoſiſſimè viſitarent. Non eis colloquia erant fabuloſa, ac mendaciis reſperſa: non incompoſitæ Commædiæ formabantur, nec ridiculoſi ſucceſſus narrabantur, ut modernis quibuſdam peregrinis in uſu eſt. Aliud nihil ex ore eorum prodibat, præter inditia Charitatis Dei ac dilectionis proximi. Aures illorum non delectabat quidquam præter Scripturam ſacram ac verba cæleſtia.

iter Romanum ſanctè peragit.

CAPVT IX.

Italiæ urbibus ob peſtis rumorem excluditur, & Lucam perveniens, infirmitate corripitur.

1019. BOna ergo ex parte conſummato feliciter itinere, cum perveniſſent ad Alpes, ſeu contines Italiæ, eo tempore graſſante peſtilentia, aliove pernitioſo morbo infectos, neceſſe eis fuit graviſſimas ſupportare moleſtias & animi dolores, quod nullam intrare poſſent Italiæ civitatem, de morbo videlicet peſtifero ſuſpecti: unde & cum dedecore ubique repulſi ſunt. Quam tamen repulſam Sancti viri, magna cum patientia. Sufferebant, gratias agentes divinæ majeſtati, quòd dignos illos fecerit tantas pro amore ſuo pati tribulationes.

graſſante peſte ubique excluſus,

1020. Non poterat tamen non contriſtare B. Avertanum, privari ſe hac occaſione viſu corporum tot Sanctorum Martyrum, tot aliis pretioſis theſauris ſpiritualibus non perfrui. Unde correptus levi febricula, coactus fuit una cum dilecto ſocio ſuo (qui & ipſe longo ac laborioſo itinere defatigatus erat) ad locum quempiam, quietis ergo divertere. Ideoque divinitus, ut creditur, inſpirati verſus inclytam ac nobilem civitatem Lucam, iter direxerunt. Iuxta cujus urbis muros Hoſpitale erat, S. Petri majoris nuncupatum,

febricitans,

in ſuburbano Lucenſi Hoſpitali,

XXV. FEBR. cupatum, in quo ordinariè peregrini ac viatores recipi ſolebant. Ad hoc idem Hoſpitium ambo divertentes charitative ac benigne recepti ſunt, totaque nocte illa ibidem remanſerunt.

1021. Mane vero ſequenti ſurgens S. Avertanus, & cognoſcens inſtare tempus, quo animam ſuam Creatori ſuo redderet, acceſſit ad portas urbis, humiliter rogans cuſtodes earum, quatenus ſibi ac ſocio ſuo civitatem intrare liceret. Sed in vanum ejus ceſſit petitio: de peſte namque ſuſpecti, repulſi fuere. *manet,* Ex omni itaque parte afflictus vir Sanctus, in eodem Sancti Petri majoris Hoſpitali perſiſtere coactus fuit.

CAPUT X.

Ingraveſcente febris ardore, extaſim paſſus, tria divinitus cognoſcit ac prædicit futura.

1022. Febris autem infirmitate quotidie incrementum ſumente, anhelans expectabat diem fortunatum, quo relicta hac vita mortali, gaudio æternæ gloriæ (cunctis fidelibus Chriſti ſervulis repromiſſo) perfrueretur, non ſine ſui ſocii Romæi, cunctorumque aſtantium dolore. Omnibus itaque Eccleſiæ Sacramentis ritè munitus, cùm *Extremis Sacramentis munitus,* Sancta ejus anima ad ſui ſeſe præpararet Creatoris præſentiam, in majori febris ardore, totus in Deo abſorptus piis meditationibus, defeſſum corpus ſuum hoc modo paululum ſublevabat.

1023. Volens vero Deus (in mercedem, credo, tantorum, quos patienter ſufferebat, dolorum) prophetiæ dono eum cohoneſtare, die quodam intenſioris ſuæ infirmitatis, ſpiritu raptus in cælum, tres mirabiles cognovit, ac prædixit eventus. *tria prædicit futura,* PRIMO quidem, interceſſione Sanctiſſimæ Dei genitricis Cælorum Reginæ ſedandum fore atrox ac generale ſchiſma Eccleſiæ. SECUNDO, Corpus ſuum, quod vivum Lucani cives ingreſſu prohibuerant, mortuum magno cum honore in digniori civitatis loco reponendum. TERTIO, Confratres ſuos Carmelitas, maxima cum obſervantia ac perfectione poſſeſſuros fore præfati Hoſpitalis ſancti Petri majoris Templum extra urbem, in quo ipſe Creatori ſuo redditurus erat animam ſuam. [Hæ vero prædictiones, qualiter ſuum deinceps ſint ſortitæ effectum, dicetur infra plenius, Capite XIII.]

CAPUT XI.

In magna ſui deſpicientiæ moritur: à Chriſto ejuſque Matre inviſitur: ipſeque locus odore mirifico, ac ſplendore cæleſti illuſtratur.

1024. Appropinquante igitur hora fortunata, qua valedicturus erat vitæ huic mortali, cùm ſentiret deficere paulatim ſpiritum ſuum, totus reſolutus in lachrymas ac ſuſpiria, culpas ſuas deflere cæpit, mundiſſimus licèt à qualibet gravioris peccati macula. Et oculis in cælum defixis, ait: Veni, Veni, dulcis JESU, cum infinita miſericordia tua, ſuccurre huic animæ tibi devotæ. Non mereor gloriam, cùm te tot culpis offenderim; ſed de ſola tua confiſus amoroſa pietate, audeo tibi infelicem hunc offerre ſpiritum. *miſericordiam Dei ſupplex implorat:* Superabundet mi dulciſſime JESU, gratia, ubi abundavit malitia; qui proprio ore dixiſti: Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Peccaſſe me non nego, ſed ecce jam cum lachrymis ad benigniſſimos pedes miſericordiæ tuæ remiſſionem peto. Pone nunc, amate JESU, pietatem tuam ineffabilem in hoc indigno peccatore, qui dignum me agnoſco perpetuo igne, in meorum pœnam peccatorum: non tamen diffido de paterno tuo amore, cum quo, licet indigniſſimum, ſemper me amaſti, & ſecurè mihi promitto gloriam cæleſtem.

1025. Aderat morienti fideliſſimus ſocius ſuus B. Romæus, qui cum aliis circumſtantibus cognoſcens ac videns animæ hujus devotæ ſuſpiria, dolores, lachrymas, cum ſat perſpectam haberet Sanctitatem ejus, audiens nihilominus verba hujuſcemodi humillima, & abjectam adeo ac vilem, quam de propria ſua perſona habebat opinionem, & ipſe à lachrymis abſtinere non poterat.

1026. Vix tandem abſolverat vir Sanctus præfatam orationem ſuam, cùm, ecce, ſubitò locus totus, ubi moribundus jacebat Avertanus, divino quodam repletur ſplendore, ac ſuaviſſimo odore cæleſti. Nec mirum: advenit quippe Chriſtus JESUS Creator cæleſtis, cum sereniſſima Cælorum Regina Virgine Deipara, innumerabili Angelicorum ſpirituum multitudine circumdatus; de *à Chriſto apparente vocatur:* cujus glorioſis vulneribus radii ſplendidiſſimi emicabant, ad conſolationem videlicet dilecti ſervi ſui. Qui & dulciſſimis verbis eum alloquebatur, dicens: Veni, veni, anima dilecta, mihique devota, in requiem Salvatoris tui. Intra in hoc apertum latus, ad recipiendum præmium, tuis condignum laboribus. Veni jam glorioſus mecum in paradiſum, ad fruendum gloria tibi promiſſa. *moritur:* Quibus dictis, benedicens dilectum ſervum ſuum, ſuſcepit puriſſimum ſpiritum ejus, ut illum glorificaret jugiter in cælo cum ceteris civibus paradiſi cæleſtis.

CAP.

CAPUT XII.

Defunctum campanæ in circuitu ſuâ ſponte pulſantes honorant, aliaque multa ſubſequuntur miracula: & corpus ejus ſolemni proceſſione in primariam urbis Eccleſiam Parochialem transfertur.

1027. MOrtuum jam glorioſum Confeſſorem Avertanum, ut Deus palam faceret vivere in omni æternitate, mox in circuitu auditæ fuere divinitus reſonantes campanæ, non ſine miraculo, citra ullam videlicet operam humanam. Unde divulgato Sancti viri tranſitu, innumerabilis hominum accurrit turba ad ſacras ejus Reliquias viſitandas.

campanæ ultrò ſonant,

1028. Volens quoque Deus adhuc glorificare dilectum ſervum ſuum in terris, quem regnare fecerat in cælis, ſacro ejus corpori virtutem tribuit patrandi miracula, eaque ſtupenda, & inaudita. Non fuit quiſquam, quacunque etiam infirmitate infeſtiſſima laborans, qui viſitando idem corpus ſanus non redierit. Omnes ſtabant attoniti, videntes quæ fiebant mirabilia: Cæcos illuminari, Claudos ambulare, ſurdos audire, ſurgere paralyticos, & mortuos reſuſcitari. Quam ob rem cuncti omnipotentem laudabant Creatorem in omnibus mirabilibus cæleſtis hujus peregrini.

Miraculis claret,

1029. Pervenit rumor tantorum mirabilium ad aures Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Pauli Gabrielis Eugubini, Lucenſis Epiſcopi vigilantiſſimi. Hic de totius rei ſerie inſtructus, cum Excellentiſſimi Senatus pio conſenſu, ſub decreto ac præcepto injunxit, ut cum ſolemni proceſſione ſacrum corpus illud tranſportaretur in nobilem urbis Parochiam ſancti Petri, ibidemque in ſublimiori loco collocaretur. Ordinata itaque jam dicta proceſſione, cum maximo populorum concurſu lachrymantium præ devotione, & ſacras Reliquias honorantium cum coronis & floribus odoriferis, tranſlatum fuit Regiâ pompâ idem Sacrum corpus in Eccleſiam jam dictam, & in puriſſima Criſtallo incluſum, ad honorem & gloriam Dei Omnipotentis, ſuique glorioſi Confeſſoris ſancti Avertani: qui mortuus eſt anno noſtræ ſalutis milleſimo, treceteſimo, octuageſimo, die vigeſimo quinto Februarii.

transfertur in primariam urbis Eccleſiam.

CAPUT XIII.

De effectu triplicis Prophetiæ, à B. Avertano morituro prolatæ.

1030. HOnoraverat divina majeſtas dilectum ſibi Avertanum Prophetiæ dono; quo in PRIMIS prædixerat, interceſſione B. Virginis Mariæ ſedandum fore ſchiſma illud Eccleſiæ, quod à malignis quibuſdam introductum, eandem graviter afflixerat. Id vero feliciter ſucceſſit; inſtituto ſiquidem feſto Viſitationis Deiparæ ab Urbano Papa VI. requievit Eccleſia in pace & quiete priſtina. [Incepit porrò ſchiſma illud Eccleſiæ an. Chriſti MCCCLXXVIII, biennio ante mortem B. Avertani, inter Urbanum Papam VI. violenter, ut pleriqùe volunt, electum 2. Aprilis, & Clementem, dictum VII, ſuperinductum 20. Septembris ejuſdem anni. (a) Feſtum vero Viſitationis V. Mariæ inſtitutum eſt anno octuageſimo nono ejuſdem ſæculi. Schiſma tandem ceſſavit, nono ſequentis ſeculi anno, in Concilio Generali Piſano, per electionem Alexandri V. & abdicationem Gregorii XII. ac Benedicti XIII. Licèt itaque Prophetia S. Avertani non mox ab obitu ſuo, nec ſtatim ab inſtituto feſto Viſitationis adimpleta fuerit, effectum tamen ſuum habuit non multo poſt (nec enim certum tempus ſpecificavit S. Avertanus) poſteaquam videlicet idem feſtum non ſolum inſtitutum, ſed & pro magna parte in Eccleſia receptum ac propagatum fuit.]

ſecundùm morientis prædictionem, ceſſat ſchiſma,

1031. Prædixerat SECUNDO: quòd corpus ſuum, vivum repulſum à Lucenſibus, mortuum deportaretur honorificè in ſublimiorem Baſilicam eorum. Quod & ipſum contigit: divulgatâ ſiquidem ejus morte, ac vitæ Sanctitate, ſumptuoſo cum apparatu collocatum eſt in majorem Eccleſiam Parochialem ejuſdem urbis.

corpus urbi illatum.

1032. Demum TERTIO prædixerat, ſui Ordinis Fratres Carmelitas cum perfectiſſima obſervantia poſſeſſuros fore locum illum ubi ſpiritum Deo redditurus erat. Sed & hoc factum: nam paulo poſt Sereniſſima Reſpublica Lucenſis eundem locum eis attribuit.

1033. ANNOT. Feſtum Viſitationis V.M. inſtitutum &c. *Molan. in Annotationibus ad Uſuardi Martyrologium die 2 Iulii de ejus inſtitutione iſta tradit*: Viſitationis Beatæ Mariæ Euangelicum feſtum, a Romanis Pontificibus inſtitutum eſt, ut, viſitatione Deiparæ Eccleſia libera ſit à ſciſſura, & incurſione hoſtili. Extantque Bullæ, Urbani VI & Bonifacii IX parte 2. Legendæ. *De Viſitationis Feſto, & ejus antiquitate, plura dicemus ad diem 2. Iulii.*

XXV. FEBR.

CAPUT XIV.

De felici morte B. Romæi, cui S. Avertanus in obitu apparuit.

à Romæo dormienti,

1034. B. Romæus ex toto afflictus, ac deſolatus de perditioſe ſocii ſui Avertani, defeſſus quoque ex laboribus & auſteritatibus itineris, ſuperveniente febris infirmitate, lectulo affixus manſit in ſeptimum uſque diem, morbo quotidie incrementum ſumente. Die vero octavo ad extrema perveniens, receptis Eccleſiæ Sacramentis, & abſorptus in divinis tunc ſibi exhibitis myſteriis, gratiam expetiit à divina majeſtate, pertingendi ad fruitionem gloriæ cæleſtis, ac præſentiam ſibi ablati dilecti ſocii ſancti Avertani.

apparet Chriſtus cum S. Avertano.

1035. Motus Redemptor noſter pietate ac deſiderio famuli ſui Romæi, venit ad eum jam morientem, innumerâ aſſociatus Beatorum multitudine, una cum anima glorioſa ſancti Avertani, ipſa die octava à morte ejus, ad ſuſcipiendum ſpiritum B. Romæi, virtutum Candore ornatum, ut eum glorificaret in omni æternitate paradiſi cæleſtis.

ANNOT. *De B. Romæo alia quadam dicta ſunt in Notatione prævia, præſertim § 3. ſub finem.*

APPENDIX.

S. Avertani à pueritia pietas erga SS. Virg. Mariam.

1036. S. Avertani, & B. Romæi *vita compendium extat quoq; in Martyrologio Gallicano in quo iſta:* Sancti Avertani Confeſſoris Ordinis Carmelitarum: qui patriâ Lemovicenſis à piis parentibus ipſâ ab infantiâ edoctus eſt, Deum timere, & Virginem colere benedictam. Quò factum, ut ab ineunte adoleſcentia, luce ſupernâ præeunte, abdere ſe mundo cœperit, Dei ſolius intuitum ambire, Virginis ipſius (ante cujus aram lacrymas preceſque aſſiduas fundebat) opem, quâ quid ſibi conduceret ad animæ ſalutem dignoſcere poſſet, enixè flagitare. Votorum ſpes haud inanis fuit. Angelus enim lucis paulò poſt aſtans oranti multo cum ſplendore, illum admonuit, ut ſacram ædem B Virginis Ordinis Carmelitani, quæ eſt Lemovicis, ocyùs adiret. *Conſequenter agitur de ejus admiſſione, pietate erga Deum, & Deiparam ferva-re, obedientiæ promptitudine, ſingulari deſpicientia ſui, & rerum caducarum, abſtinentia, vigiliis, contemplationis aſſiduitate, peregrinatione, vaticinus, ſancto obitu, variis tranſlationibus, & quod* Lucenſis populus merita ſancti advenæ, jam ſui titularis, frequenti concurſu, magnaque devotione proſequatur: *ac denique de ejus comite, de quo iſta:* Accepto comite fratre Romæo, qui ſancti viri ductum, affectu ejus virtutum incenſus, fideliter ſequebatur ... Cæterùm octavo poſt beati viri tranſitum die, fidelis ejus ſocius B. Romæus, volente Deo, gravi morbo, quem mæſtitiâ contraxerat, confectus, è Romanæ itidem peregrinationis ſtadio, æternum ad gaudium evocatus eſt: dilectiſſimique ſodalis tumulo illatus, iiſdem ut claruit beatitudinis indiciis, ſic & venerationis potitus eſt obſequiis; nam indè propter teſtimonia gloriæ, in cathedralem Eccleſiam Lucenſem ſacra utriuſque pignora ſolemni apparatu tranſlata depoſitaque unicâ arcâ plumbeâ occluſâ, in Sacriſtia religioſè hactenùs obſervantur.

ejus ſocius peregrinationis, tumuli, & venerationis B. Romæus.

MARTIUS

I. MARTII.

DE S. EUDOCIA, ET B. GERMANO.

1037. P*Rima die Martii in Romano Martyrologio, & Græcorum Menæis memoria eſt* S. Eudociæ, *quæ ſub finem primi ſeculi, & initium ſecundi tempore* Trajani *Imperatoris in Cæleſyria monaſticam vitam egit in aſceterio triginta Virginum, ſub cura* B. Germani, *cujus monaſterium ſeptuaginta Monachorum haud longè indè diſtabat.* S. Eudociam, & B. Germanum, *cum ſibi ſubjectis Monachis, & monialibus vetus Eliæanum Inſtitutum tenuiſſe habetur quidem ſtabilitum in* XII. *Fundamentis hîc ſuprà* (a) *traditis: ſed planiùs id declarabitur in ſequentibus. Vita B. Eudociæ extat in Actis Sanctorum per PP. Bollandum, & ſocios die 1. Martii. Indè habetur cap. 4. quòd monaſterium S. Eudociæ, & B. Germani fuerit in ſolitudine; ſicut eruitur ex iſtis verbis:* Quare vos Monachi in locis deſertis habitatis? *Ex cap. autem novo habetur, quòd veſtis ejus fuerit* cilicina, *id eſt* melota: *ſuperior autem erat* candidâ: *Veſtis igitur illi fuit ſimilis Eliæ, & diſcipulis ejus Filiis Prophetarum, de quibus ſcripſit S. Paulus:* Circuierunt in melotis ... in ſolitudinibus &c.

(a) nu 308. & ſeqq. etiam ante,

VITA

Floruit ante, & poſt an Chr. MCC.

VITA S. CYRILLI, DOCTORIS, Tertii Prioris Generalis, Ordinis Carmelit.

Divinis revelationibus, & Virginis Deiparæ apparitionibus illuſtrati.

NOTATIO PRÆVIA.

In faſtis ſacris, & à Scriptoribus plurimis deprædicata Cyrilli ſanctitas; quam etiam manifeſtant cæleſtes viſiones, ac revelationes illi factæ: à quibus vita ejus ſcripta.

1038. S*anctitas B. Cyrilli in variis Martyrologiis, Kalendariis, & Catalogis Sanctorum, ac continuatâ Scriptorum ſerie ab ejus obitu uſque in præſens celebratur à multis ſæculis. Ipſum adhuc viventem Ioachim Abbas in Calabria his titulis decoravit:* Stellæ manenti in ordine ſanctitatis, orbem opacum, deformem, & ſquallidum virtutibus illuſtranti, moribus informanti, exemplis ornanti Cyrillo Presbytero in monte Carmelo. *Gulielmus de Sanvico Carmeli incola, & Prior eo ſeculo, quo ipſe S. Cyrillus in Carmelo vixit, & obiit, in libro inſcripto,* Chronica, *&c. cap. 3. deſcribens revelationem illi à Deo factam, de deſolatione Terræ ſanctæ, & de multiplicatione Ordinis Carmeli in Europa, iteratis vicibus eum* Beatum *nuncupat:* Voluit Deus, ſicut revelavit B. Cyrillo eremitæ montis Carmeli, quòd in noviſſimis diebus iſtis viri diverſarum nationum profiterentur ſacram hanc Religionem, &c. *Et iterùm infrà:* Per Beatum Cyrillum eis propheticè prædixit. *De iſta revelatione S. Cyrillo facta, & qualiter adimpleta fuerit, plura videri poterunt Tomò præcedenti, in præfato libro Gulielmi de Sanvico* (a), *& apud Palæonydorum, in* Faſciculo tripartito (b), *& Arnoldum Boſtium, in libro de* Patronatu B. Virginis *cap. 4.* (c), *& in ejus vita cap. 5. hic infrà. Celebratiſſima autem revelatio ea eſt, quæ de futuro Eccleſiæ ſtatu illi facta fuit, & nuncupatur,* Oraculum Angelicum: *(de quo hic infrà cap. 4. & peculiariter in ſequentibus poſt ejus vitam) undè ſatis conſtat, quàm Deo charus fuerit: quod etiam confirmant miracula, quibus Deus ipſum tam in vita, quàm poſt mortem honoravit.*

Cyrilli ſanctitas celebrata a tempore quo adhuc vivebat, & deinceps continuatè:

cum Deus revelationibus variis honoravit.

(a) n. 416. & ſeq.
(b) lib. 3. cap. 4. ſub finem. Vide Tom. præced. n. 1045.
(c) vide Tom præc. num. 1590.

1039. *Non diu poſt obitum, ſaltem ſeculo eum ſequenti, cultum* Sancti, *aut* Beati *illi attributum fuiſſe, habetur ex eo, quod ſcribit Segerus Pauli, in vita S. Cyrilli cap. 17. quòd Conradus de Alpendorp Germanus, Epiſcopus Azotenſis, Suffraganeus Trevirenſis (qui claruit circa annum Chriſti 1383. & deinceps) Officium proprium compoſuerit, quod idem teſtatur ſe vidiſſe in diverſis Conventibus ſcriptum in pervetuſtis libris manuſcriptis Choralibus, in membrana. Teſtatur quoque P. Lezana in Annal. Ordinis,* (d) *quòd* in perantiquo Ordinis Breviario in membranis manuſcripto, & in Bibliotheca Tranſpontinæ reſervato, feſtum ejuſdem S. Cyrilli habetur. Item in Miſſalibus Ordinis antiquioribus, ut patet ex duobus Venetiis impreſſis, alterô, annô 1509. altero autem 1551. quæ etiam in eadem Tranſpontinæ Bibliotheca reperiuntur, ejuſdem S. Cyrilli Miſſæ extant. *Ibidem habet & iſta:* Hinc S. Cyrilli Officium Canonicum ordinatum fuit in Ordine celebrari in Capitulo Generali Conventus Silvarum Provinciæ Thuſciæ, anno 1399. prout patet ex libro Ordinis fol. 23. ubi habetur hoc Decretum: [Item ordinârunt, quòd eôdem modô fiat omni annô Officium de S. Cyrillo Doctore montis Carmeli, & Confeſſore, cujus feſtum celebratur ſeptimô Idus Martii.] *Vnde colligitur, quòd jam ante Officium de S. Cyrillo celebraretur, fortè ſub ritu ſemiduplici: tunc verò ordinatum fuit, ut ſub ritu duplici, ſicut idem P. Lezana ex libro Ordinis refert, infra ad annum Chriſti 1399. ubi iſta:* Quantùm ad Conſtitutiones, & decreta, ſic ordinatum eſt, primò, quòd de S. Eliſeo Propheta montis Carmeli fiat omni annô feſtum duplex majus, & de S. Cyrillo Doctore montis Carmeli, & Confeſſore eôdem modô.

Officium proprium de eo compoſitum an. 1383.

(d) ad an. 1224. n. 7.

à quo tempore illud celebratum:

1040. *Faſtis ſacris, vetuſtis Kalendariis, ſcilicet Miſſalium, & Breviariorum, & Catalogis Sanctorum manuſcriptis, & impreſſis Ordinis hujus ad diem VI. Martii inſcribitur his verbis:* Sancti Cyrilli Confeſſoris, & Doctoris, Ordinis noſtri, Duplex. *In Martyrologio antiquo Ordinis manuſcripto, & excuſo in membrana, ſic commemoratur:* Pridie nonas Martii, in monte Carmelo B. Cyrilli Presbyteri, melliflui & aurei Carmeli Eremicolæ prædevoti: cui Deus tamquam fideli, ac familiari amico de futuro mundi ſtatu complura revelavit, more cunctis inauditô. *Eadem ferè habentur in Martyrologio, ſeu Hagiologio Ioannis Gillemanni Canonici Regularis, & Hermanni Greven Carthuſiani, & in Martyrologio adjuncto Legendæ aureæ Coloniæ anno MCCCCXC. excuſæ, & etiam eodem anno Lubecæ. In alio autem Martyrologio Ordinis hujus inſerto Ceremoniali, ſeu Ordinali, ſic legendum ad Primam præſcribitur:* In monte Carmeli Natalis S. Cyrilli Confeſſoris, Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo; qui omnibus tum humanis, tum Divinis litteris eruditus, ſanctitate præclarus, ſpiritu prophetico illuſtratus, & univerſarum virtutum ornamento repletus fuit. Huic om-

Martyrologiis variis, & faſtis adſcriptus:

VI. MARTII.

omnipotens Deus ſuam voluntatem, angelico miniſterio aperuit dum argenteas tabulàs Græcis litteris ſcriptas, ab eo meruit obtinere. Soldanum Iconii ad fidem convértit, àc totam ſimiliter Armeniam: Patriarchatumque Jeroſolymitanum ſibi à Cœleſtino Papa tertio oblatum, cum Monaſtica vita noluit permutare, &c.

1041. *Franciſcus Maurolicus Abbas Meſſanenſis in Martyrologio his eum verbis commemorat:* Sancti Cyrilli Carmelitæ, cui in duabus tabellis argenteis, Græcè ſcriptis, multa cœlitùs ſunt revelata. *Ioannes Molanus* in Auctario ad Uſuardi Martyrologium, *ad eundem diem:* In monte Carmeli, Beati Cyrilli Presbyteri, Carmeli Eremicolæ prædevoti, cui Deus tamquam fideli amico de futuro mundi ſtatu quàm plura revelavit. *Revelavit, ſcilicet, de deſolatione Terræ-ſanctæ, propter peccata Chriſtianorum ab infidelibus occupandæ, & de multiplicatione Ordinis ſui in Europa (ſicut jam ante audivimus ex Guilielmo de Sanvico, & aliis) atque alia contenta in Oraculo Angelico, de quo peculiariter in ſequentibus. Similia leguntur in Martyrologiis Caniſii, Catalogo generali Philippi Ferrarii, & aliis nonnullis Martyrologiis, & Catalogis Sanctorum.*

(a) ad an. 1204.

1042. *In Faſciculo temporum* (a) *Werneri Rolevinci Carthuſienſis, hòc decoratur Elogiò:* Beatus Cyrillus Græcus, mellifluì Carmeli Prior tertius, Doctorque tum vitæ ſanctitate, cum Prophetiæ ſpiritu conſpicuus, multa conſcribit poſteris profutura ſeculis, & copioſis miraculis Deo procurat gloriam, mundoque ſtuporem. *Hermannus Schedelius in Chronicis, ſextâ mundi ætate, ſimilia ſcribit. In Auctario ad Philippi Bergomenſis Supplementum Chronicorum libro 12. ad annum Chriſti 1199. impreſſionis Pariſienſis anni 1535. hæc de ſanctitate, & doctrina ejus:* Cyrillus natione Græcus, ejuſdem Ordinis montis Carmeli Generalis Prior, & ipſe hâc tempeſtate & doctrinâ, ac Propheticô ſpiritu illuſtratus, inſignis multùm fuit; qui cùm eſſet admodùm doctus, ſcripſit quædam ingenii ſui opuſcula ad Abbatem Joachim de Oraculo Angelico librum unum, qui incipit: TEMPORE ANNORUM CHRISTI. Item de proceſſu ſui Ordinis librum unum, & epiſtolas plures ad diverſos. *Sub titulo:* De Sanctis nuperrime canonizatis, *in Auctario ad Catalogum Sanctorum Petri de Natalibus Epiſcopi Equilini, impreſſionis Lugdunenſis anni 1519. cap. 3. vita ejus Epitome traditur, referenda inferius, ubi agetur de Oraculo Angelico.*

& ab aliis illuſtr. Scrip. ſingulariter celebratus:

(b) Tom. 6. lit. P. verbo *Propheta* pag. 688. col. 1. impreſ. Lugd.

1043. *Theatrum magnum vitæ humanæ, Auctore Laurentio Beyerlinck* (b) Cyrillus natione Græcus, Carmelita, revelationem habuit futurorum. Perſuaſit Regi Armeniæ, ut ſeſe Romano Pontifici ſubijceret: quod ille fecit anno 1181. decemque annos in Armenia Euangelium propagavit. Reverſus ad locum ſuum; viſionem habuit inter ſacra, pueri elegantiſſimi, qui de futuris rebus eum inſtruxit. Mantuanus lib. 3. Faſtorum hiſtoriam hanc verſibus deſcripſit. *Et infra* (a) *ferè eadem traduntur: ſed de iſtis plura in vita cap. 3.*

(a) lit. R. verbo *Religioſus* pag. 155. col. 2. vita ejus ſcriptores.

1044. *Vitam S. Cyrilli compendioſe ſcriptam habent Ioannes Groſſi, in Viridario Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmelo, parte 2. & Ioannes Paleonydorus in Faſciculo tripartito libello 3. cap. 4. Utramque Actis Sanctorum ad diem VI. Martii inſertam habent PP. Bollandus, & Conſortes: utraque etiam extat in Tomo præcedenti, in præfatis Viridario, & Faſciculo tripartito. Compendium vitæ ejuſdem habet quoque Arnoldus Boſtius, in libro* de Viris illuſtribus Ordinis hujus: *(ſequitur hìc infrà, parte 5. initio) plenius autem eandem digeſſit in Speculo hiſtoriali libro 7. per aliquot capita: & illam hìc damus. Etiam in Menologio Carmelitano, & in libro, cui titulus eſt:* Decor Carmeli, *traditur vita S. Cyrilli: quam etiam ex vetuſtis Scriptoribus collectam habet Segerus Pauli, digeſtam in XVII. capita, nondùm typis editam. Baptiſta Mantuanus eandem verſibus ſtrinxit libro 3. faſtorum, ſicut hìc infrà ſequitur prætermiſſis aliis vitam S. Cyrilli non concernentibus. Anterior fuit Conradus Alpendorp de quo iſta Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro:* Conradus Alpendorp, Germanus, Carmelita & Epiſcopus * Arotenſis, ſcripſit hiſtoriam Cyrilli Doctoris. Claruit an. Dom. 1390. *Idem ex Biſcarreto, traditur in Annalibus Carmelitanis* (b) *Eumdem etiam compoſuiſſe officium de S. Cyrillo jam dictum ante.*

* *leg.* Azotenſis.

(b) ad an. 1390. n. 8.

1045. *Vitam S. Cyrilli ſcripſit quoque ſanctimonia & eruditionis laude illuſtris Nicolaus Kenton Anglus (cujus mentio fuit hìc ſuprà & etiam redibit in ſequentibus) qui ſanctiſſimè obiit anno 1468. die 4. Septembris, de quo plura Pitſæus libro de Angliæ illuſtribus Scriptoribus, ubi inter ejus opera recenſet:* Vitam S. Cyrilli Græci librum unum, *& ejus initium ponit:* Geſta Sanctorum Patrum. *Habetur quoque in Legenda Sanctorum Manerbii Veneti, Venetiis an. 1630. impreſſa ... S. Cyrilli etiam vitam brevem nobis tradiderunt præfati PP. Ioannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius: & initio annotatur:* Ex manuſcripto S. Salvatoris Trajectino. *Illius hoc eſt initium:* Fuit vir doctus, ſcientiis ſacrarum litterarum eruditus, Deo multum devotus nomine Cyrillus in Terra Sancta tunc à Chriſtianis poſſeſſa, ſancte, & pie converſatus in ordine presbyterii conſtitutus, qui quidem ob contemplationem miræ ſanctitatis, & vitæ puritatis, Fratrum in monte Carmeli commorantium, & omnipotenti Deo, ac ejuſdem glorioſæ Genitrici Virgini Mariæ gratum famulatum die noctuque in pœnitentiæ auſteritate, & proprietatis abdicatione præſtantium, eundem montem affectuoſiùs adiit. Mons enim iſte utique eſt amœniſſimus. *Ibi conſequenter traditur, eum in monte illo ſanctorum Prophetarum Eliæ, Eliſei, ac aliorum Filiorum Prophetarum incolatu celebri, devotis Fratribus in chara fraternitate, & dulci convictu ſociatum, divinis revelationibus crebro fuiſſe illuſtratum: prolixiùs autem deſcribitur revelatio quam inter Miſſarum ſolemnia habuit, quando Angelus illi attulit duas tabulas argenteas: de qua plura in ſequentibus. Sub*

finem

VI. MARTII. *ſinem iſtius vitæ addantur ſequentia :* Cyrillus Eremita montis Carmeli, Doctor ſanctus, cujus Feſtum eſt ſextâ feriâ Martii ſic ſcribit de profeſſoribus Ordinis montis Carmeli [Sacræ hujus Religionis priſci profeſſores inſtitutionem ſuam in divina Scriptura tanquam in amœno paradiſo ſpeculabantur.] *Iſtud eſt initium libri, ſeu Opuſculi S. Cyrilli,* de proceſſu, & variis Regulis Ordinis hujus *ex vetuſtis MSS. impreſſum extat in Vinea Carmeli, ſub initium & in hoc opere tomo præcedenti lib.* 8. (a) *& ejuſdem pars libro* 7. (b)

(a) nu. 289. & ſeq. (b) n. 273. (c) n. 416. (d) n. 594. (e) n. 1590. (f) Tom 4. ad an. 1224 & etiam ad an. 1191. n. 4. & ſeq.

ANNOT *De S. Cyrilli prophetico ſpiritu, & revelationibus illi factis frequens tractatio fuit in tomo præcedenti locis hic ad marginem notatis : parte* 1. (c) *parte* 2. (d) *& parte* 3. (e) *Auctores alii plures de S. Cyrilli vita, miraculis, revelationibus, prophetico ſpiritu, prædicatione, videri poterunt relati in Annalibus Ordinis per P. Lezana.* (f)

VITA

Ex Arnoldi Boſtii Speculo hiſtoriali libro 7. *

* cap. 4. 5. 6. 7. & 8.

CAPUT I.

S. Cyrilli patria : ſtudia : profectio ad Sultanum Iconii : Legatio nomine Imperatoris ad Summum Pontificem : controverſia cum Patriarcha Conſtantinopolitano.

S. Cyrilli patria,

1046. POſt deceſſum Beati Brocardi; S. Cyrillus Doctor Græcus apprimè tam in Philoſophia, quàm in Theologia eruditus, ab omnibus tertius Prior Generalis dicti Ordinis eligitur. Vitam hujus præclari viri relaturi, eam altiuſculè, à nativitate ſcilicet repetemus. Græcia itaque ſeptem habet provincias, quarum una nuncupatur Ellades, quæ & Attica . . . ubi fuit Athenarum civitas, mater liberalium artium, & philoſophorum nutrix, quâ nihil habuit Græcia clarius atque nobilius. In hac provincia civitate Conſtantinopolitana, ubi maximè viguit lingua Attica, natus eſt Cyrillus honeſtiſſimis parentibus. Puer ſtudioſiſſimus adeo liberalibus artibus edoctus & Theologiâ exercitatus, ut Philoſophus & Theologus in lingua Attica haberetur luculentiſſimus.

doctrina :

1047. Igitur Cyrillus Doctor egregius, divinarum, ac humanarum litterarum eruditiſſimus, cùm ingeniò & eloquentiâ clareſceret, intellexit Soldanum Iconii libros ſacros religionis Chriſtianæ plurimùm exoptare. Sumptis ergò codicibus, quorum lectione Soldani animum faciliùs exiſtimabat imbuendum, Iconium perrexit, & brevi intervallô temporis, ipſius informatione ſic fuit inſtructus, ut Chriſtianus fieri poſtularet; ſicque Cathecumenus effectus, tempus præſtolabatur, ut cum Paſchali ſolemnitate baptiſmi lavacrô, depoſitâ, cum aquis regenerationis, peccati vetuſtate, in novam animæ innocentiam, & vitæ infantiam Soldanus renaſceretur.

Soldanum Iconii in Chriſtiana fide inſtruit :

1048. Interea Beatum Cyrillum urgebat ex parte Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, ad Alexandrum tertium urbis Romæ Summum Pontificem legatio; quâ idem Imperator Domino Papæ pollicebatur magnas copias in Fredericum Imperatorem, & amicam mentem omnium Græcorum, cum Eccleſia Romana convenientem, ut Orientalis cum Occidentali eadem fieret, ſi pateretur Imperium Romanum, anteà diviſum, in unum corpus redigi. Miſit etiam idem Imperator Emanuel aliquos Oratores cum Beato Cyrillo, qui majora pollicebantur, ſi Pontifex in ſententiam ſuam deſcendiſſet. Cyrillus ergo ex tunc primò Romam veniens, ipsâ urbe inſpectâ, obſtupuit. Quibus Alexander Papa ita reſpondit, ſe nolle id in unum conjungere, quod olim de induſtria Majores ſui disjunxiſſent. Cùm ergo intellexiſſet Alexander Papa à Beato Cyrillo Soldani deſiderium de tenebris prodire in lucem, & amplecti ſaluberrimam Chriſti legem, ſcripſit ei epiſtolam, quæ erat inſtructio fidei, docens quòd Chriſtianæ converſationis primitias Baptiſmali lavacrô neceſſe ſit conſecrari, quatenùs depoſitâ in aquis regenerationis peccati vetuſtate, in novam animæ innocentiam, & vitæ infantiam Soldanus renaſceretur. Epiſtola autem hunc tenorem habet. [Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Soldano Iconii veritatem agnoſcere, & agnitam cuſtodire. Ex litteris tuis, & Nunciorum fideli relatione cognovimus, quòd in votis habeas ad Chriſtianiſmum converti, &c.]

Legatione Imperatoris fungitur ad Alexand. III Summ. Pont.

quem informat de Soldani deſiderio :

1049. Prædictâ autem Legatione fideliter expletâ, aliquot tranſactis diebus, non tàm ſubortæ, quàm reſuſcitatæ ſunt controverſiæ, inter Beatum Cyrillum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, de Spiritus ſancti proceſſione; unde Græci, quod ratione non poterant, vincere cupientes, virum Dei ab urbe Conſtantinopolitana vi deturbant. Ille juxta Dominicum conſilium cedere cenſuit malitiæ: nam animô revolvens, in unam Catholicam ſententiam Græcos & Latinos vix poſſe convenire, cùm cerneret Græcorum codices aſtu ſchiſmaticorum admodùm vitiatos, ſtatuit eos ex eo toto deſerere.

diſſenſio inter S. Cyrillum & Patriarch. Conſt.

ANNOT. (a) Poſt deceſſum B. Brocardi S. Cyrillus . . . eligitur; *quo anno id contigerit, declarabitur hic infrà in Appendice ad vitam S. Bertholdi, & etiam ad diem* 2. *Septembris, ubi de S. Brocardo.*

1050. Hellades, *de* Hellade, *ſeu* Græcia propriè *dicta, ubi* Athenæ, *videri poteris* Introductio in Geographiam Claveri *libro* 4. *cap* 8. *de* Conſtantinopoli *ſcribit conſequenter cap* 14. *&* 15. *ubi* de Thracia.

(c) Cyrillus intellexit Soldanum Iconii *&c. de S. Cyrillo proficiſcente ad Sultanum, & hujus ad Chriſtianam fidem converſione, ac baptiſmo copiosè tractat Lezana in Annalibus ad annos Chriſti* 1168. *&* 1169. *& Cardinalis Baronius ad an.* 1169 *ferè ſub finem : ubi*

VI. Martii.

ex Petro Bleſenſi refert partem litterarum Alexandri III ad Iconii Soldanum.

(d) Cyrillum urgebat ex parte Emmanuelis Imp. &c. *De iſta S. Cyrilli ex parte Imperatoris ad Alexandrum III. legatione plenius tractant idem Lezana ad an. 1170. atque etiam Baronius: in vita S. Cyrilli apud Manerbium eadem memoratur.*

(e) Controverſiæ inter B. Cyril. & Patr. Conſt. *etiam circa hæc latiùs Lezana ad an. 1172. nu. 3. & in vita S. Cyrilli apud Manerbium.*

CAPVT II.

Qualiter idem ſanctus à B. Virgine admonitus religionem Fratrum montis Carmeli intraverit.

(a) 1051. (a) Cum ergo talia vir Dei animô revolveret, quâdam nocte, qualiter in hanc vitam intraſſet, & qualiter eſſet egreſſurus, cogitanti; mulier aſtitit quædam venerabilis ætatis & luminis forma, quæ virginem & habitu nunciabat & facie. Hæc igitur, cùm ſtupentem inſuetæ lucis aſpectum, & adversùs radios, quos oculorum ſuorum ſol pandebat, non audentem oculos attollere, ſic alloquitur: Noli trepidare, errores quibus Græcia involvitur, miſerata, de longinquo tempeſtivum tibi auxilium latura deſcendi. Satis hactenùs terram caligantibus oculis aſpexiſti; ſi miſeriam Græcorum cupis exire, & errores eorum à te procul abiicere, tibi, non aliis laborabis; Nam ſola virtus animam felicitat, ſi fides fuerit abſque errore, per vitam in eremo montis Carmeli tibi monſtrandam, ſic itur ad aſtra. His ergò auditis, Cyrillus reſpondit: O Domina Virgo Maria, gaude, nam cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo. Tu enim Dux, tu conſultrix, tu magiſtra; calcatum publicè callem me figere oportet, & ad altiora ſuſpirantem pauciſſimorum ſignatum veſtigiis arripere.

[Margin: Maria Virgo Deipara apparet S. Cyrillo: — monet ut adeat Carmelum:]

1052. Igitur cùm Latinæ linguæ ignarus Latinis convivere nequiret, montem Carmeli adire deliberans, Fratribus ipſis, more Græcorum, ſed fide Latinorum viventibus, ſicut in mandatis acceperat, ſe conformandum decrevit. Relinquens ergo ſecularibus ſecularia, & diſtribuens temporalia pauperibus, versùs Syriam navigans, ad Terram ſanctam peregrè properavit, deſideriô viſitandi loca ſancta, & manendi in ea. Qui cùm civitatem ſanctam Jeruſalem ingreſſus eſſet, (b) Beatum Brocardum Priorem Fratrum montis Carmeli, Dei nutu, obviam habuit: Is ut Cyrillum Græcô aſpexit collobiô veſtitum, Philoſophum eum fore, aut Doctorem ſpiritu agnovit; Sed cùm eſſet Prior linguâ Græcâ & Latinâ imbutus, ait illi: Salve bone vir, quid iſthîc tibi negotii eſt? Quidnam apportas? Beatus autem Cyrillus gaudens, quod hominem inveniſſet, Græcam, Atticamq; linguâ habentem, deſiderium ſuû ei patefaciens, reſpondit: nihil apporto, niſi bonam voluntatem, & ideò huc veni, ut eam offerrem Domino: At Brocardus eum lætanter ſuſcipiens, gaudebat, ſibi divinitùs talem Doctorem tranſmiſſum: (c) duxitque illum ad monaſterium montis Carmeli, & dixit ei: ſequere me hac in via. Quod cùm feciſſet, duxit eum ad Eccleſiam ejuſdem monaſterii Brocardus, & ait: De his gratias agamus ei, qui hoc in te incœpit, ut feliciter conſummet; cumque diutiùs unà ſecum oraſſet, cameram hoſpitum intraverunt, ut de Scripturis tractarent. Incipiens autem Brocardus, ita exorſus eſt: In monte hoc omnis Religio primordialiter effluxit, ipſe eſt caput, & principium omnium Religioſorum, qui cæteris cujuſcumque habitus formam vivendi præſtitit, normam, regulam, ſtatuta, & omnia, quæ à quacumque religioſa inſtitutione noſcuntur approbata. In hoc monte ſancto Beatiſſima Dei Genitrix Virgo Maria traditur à Patribus ſæpiùs viſa fuiſſe, & Eremitas pro tunc ibidem degentes, Fratres ſuos appellaſſe: Semper enim dicta hæc, atque habita Soror. Igitur oratione factâ, poſt collationem itur dormitum, & eâdem nocte B. Virgo Maria, mira cum claritate eidem ſecundò apparuit, dicens: Hîc tutus eris: qui ex tunc gratias agens Deo, & ſuæ Matri Mariæ, ſæculoque valedicens, vitam eremiticam in eodem monaſterio ducere cœpit.

[Margin: ad terram S. Navigat. — (b) — (c) ducitur ad Carmelum: — eidem iterato apparet B. Virgo:]

ANNOT. (a) *Ea quæ hoc capite traduntur contigerunt circa annum Christi 1173. ad quem illa Tom. 1. cumulatiùs referuntur in Annalibus Ordinis Carmelit.*

(b) B. Brocardum Priorem; *quia in Carmelo Prior localis erat, vel vicem Prioris Generalis pro Bertholdo abſente gerens. Ita dicto loco Annalium. Plura ad hoc intentum dicentur infra in Appendice ad vitam S. Bertholdi.*

(c) Duxitque illum ad Monaſterium: *Monaſterium iſtud tunc temporis adhuc erat (ſicut olim) per modum Lauræ: ſicut videre licet tom. præcedent. n. 314. & 333.*

CAPVT III.

De converſione Armenorum per eundem Sanctum.

1053. Mox eum Deus mirabili gratiâ perfudit; nam paucis annis evolutis, dum ſomnum caperet Beatus Cyrillus; nimiô primùm ſplendore terretur, quem poſtquàm ſine trepidatione ſuſtinuiſſet, mirâ dulcedine captus, orare cœpit; itaque videndi avidus, caput elevans, hinc inde reſpexit: & ecce lumen prætereà, quod acies humana non pertulit, & virum juxta ſe ſtantem, grandævum, & multa majeſtate venerandum conſpexit. Non fuit neceſſe nomen ejus percunctari, quia religioſus habitus, & caput infulâ decoratum; ſed & Græca facundia (a) Magni Baſilii olim Eremitæ montis Carmeli, & poſtea Epiſcopi apertè ſatis indicium præferebat: qui dixit, ſe à Deo miſſum, injungere ipſi, qui

[Margin: apparitio alia. — (a) S. Baſilii Magni.]

ſemper

VI. MARTII.

eum Dei juſſu mittentis in Armeniam:

ſemper ſui nominis amantiſſimus fuit, ut in Armenia verbum Dei prædicaret, cujus linguam nuper in civitate Conſtantinopolitana didicerat, & continuò, inter alia, ſubjunxit; Dilectus es à Deo ex millibus, & in hoc ſæculo, & in futuro maximè honorandus. Ubicumque igitur tibi viſum fuerit, fidem fige, & per Armeniam prædicando, lucernam Chriſti accendas.

Regnum illud ad fidem convertit:

1054. Quod cùm ſanctus Cyrillus Beato Brocardo, & aliis Patribus indicaſſet, dederunt ei ſocium Fratrem Euſebium, & versùs Armeniam miſerunt, qui decem annis ibidem prædicavit, & totum Regnum ad Chriſtum convertit; qui interim Regi, & ejus militibus perſuaſit, ut Domino Papæ ſe ſubjicerent: quod & fecit. Et ex tunc tota Armenia, cum Epiſcopis & ſubditis Lucio Papæ Tertio ſe ſubjecit. Miſſis namque Legatis, rogat ſibi verum ritum ſacrificandi, & ſubditos regendi Romanô more miniſtrari, eò quòd in his cum Græcis diſcreparet. Papa libenter petita faciens, Miſſam coram eis in feſto Dedicationis Eccleſiæ S. Petri, quod in Octava S. Martini colitur, ut diligenter addiſcerent, monendo Armenos, celebravit: quorum unus, qui fuit Epiſcopus, ſolaris fulgoris radium, & in ipſo duas columbas aſcendentes, & deſcendentes ſuper caput Papæ aſpexit, undè ad ſubjectionem magis animatus, hoc Domino Papæ indicavit: qui non hoc ſuis meritis, ſed ut ipſi agnoſcerent Sacramentorum virtutem, veritatis luce perfuſam, factum eſſe affirmabat: & eis Canones veræ fidei Catholicæ exhibuit.

inde Legati mittuntur Romam ad Pontificem.

ſuper cujus caput radius fulgens viſus fuit.

S. Baſilius Monachus Elianè Inſtitutis.

1055. ANNOT. (a) Magni Baſilii olim Eremitæ montis Carmeli: *Quòd S. Baſilius in monaſterio unà cum S. Gregorio Nazianzeno habitaverit legitur in Eccleſiaſtico officio utriuſque ad Matutinum lect. 4. Quòd Elianum inſtitutum ſectati fuerint, & etiam ad tempus in Carmelo manſerint plenius declaratur in Annalibus Carmelitanis Tomo 2. ad annum 327. num. 8. & 352. num. 4.*

Illa quæ hoc capite narrata ſunt, contigerunt annis Chriſti 1181. & ſequentibus. In Annalibus Ordinis ad dictum an. 1181. plures referuntur Auctores, qui de iſta Armenorum per S. Cyrillum converſione tractant. Baptiſta Mantuanus, in vita quæ ſequitur paucis verſibus, ab iſtis verbis: Tu verò venerande Pater . . . per Armenias urbes, *hiſtoriam illam exprimit. Diverſa fuit iſta Armenorum converſio ab ea de qua Baronius ad an. 1145.*

CAPUT IV.

De duabus Tabulis argenteis, eidem ſancto viro celebranti, per Angelum oblatis.

S. Cyrilli vita qualis in Carmelo:

1056. BEatus Cyrillus ad montem Carmeli reverſus, & in Ordine ſacri Presbyterii conſtitutus, in contemplatione miræ ſanctitatis, & vitæ puritatis, Fratrum Eremitarum in monte Carmeli degentium, & Omnipotenti Deo, ejuſque Glorioſæ Genitrici Virgini Mariæ gratum famulatum, die, noctuque in pœnitentiæ auſteritate, & proprietatis abdicatione præſtantium, ſe eiſdem Fratribus in eodem Monte devotè conformem fecit. Vitam itaque cælibem ducens, angelico aſpectu frequenter conſolatus eſt, & divinis revelationibus crebrò illuſtratus. Dùm ergo pro veneranda celebritate (a) Beati Hilarionis, quondam iſtius montis Eremitæ, in Oratorio Chriſtiferæ Virgini dedicato, Miſſarum ſolemnia cum Fratre Euſebio, ſuo chariſſimo comite, inchoaſſet: & ad locum illum Canonis perveniſſet, ubi dicitur: [Hanc igitur oblationem,] Ecce nubecula condenſa cerulea tibi aſtitit ſtupeſcenti; & protinùs Angelus virgineô aſpectu in ipſa nubecula viſus eſt illi, virgulam habens filiatam, & (b) duas Tabulas argenteas, litteris aureis Græcè deſcriptas & ait Angelus ad Cyrillum: Has Tabulas miſit tibi Deus Omnipotens, tamquam familiari ſuo amicô, & fideli præconi: dumque Sacramenta compleveris, has ſcripturas in membrana tranſcribe. Poſt hoc, conflatis Tabulis, formabis eas in calicem, & thuribulum, ad libanda, & adolenda ſacrificia. Manſit autem Angelus in altari, uſque ad gratias poſt-miſſales. (a) (b)

Angeli apparitio tempore Miſſæ:

ab eo S. Cyrillus accepit binas tabulas argenteas:

1057. Itaque vir ſanctus, atque Deo charus, cum ſumma gratiarum actione, & qua decuit reverentia, fratribus convocatis, Tabulas cœlitùs miſſas apprehendit, & juxta edictum Angeli, poſt prophetiæ ingroſſationem, conflavit. Ex his Fratres conſiderate, quàm laudabilem iſte ſanctus Cyrillus adhibuit diligentiam, ut Frater Gilbertus Anglicus, ille magnus Theologus de eò in ſcriptis proteſtatur; ut ne modicum quid omitteret in ſcribendo ſtemma. Nec dubium eſt, ſummæ capacitatis tantum hominem extitiſſe, cùm occupatus miſſalibus ſtudiis, quæ totius hominis totalem curam exigunt, & requirunt, tanta, tàm varia, tàmque ſubtilia, in tam parvula mora memoriæ commendaverit, tamque curioſè deſcripſerit; nec eò minùs proceſſerit in miniſteriis. Erat quidem quoddam compendium, undecim capitulis diſtinctum, obſcuris vocabulis inſertum, de ſtatu futuro militantis Eccleſiæ prædicens.

continentes ſcriptum de futuro ſtatu Eccleſiæ:

ejus exemplar mittitur ad Abbatem Ioachim:

1058. Hic ſanctus Pater Cyrillus, quamvis ut præclarus ingeniô, prophetiam prædictam menti fixam commendaverit; tamen quid Spiritus ſanctus in ea prætenderet, hoc clarè ſcire non præſumpſit. Viguit autem tunc temporis in Calabriæ partibus Abbas Joachim, Doctor eximius: cui epiſtolam curioſè, rhetoricèque dictatam miſit, cum compendio prophetiæ prædictæ, de verbo ad verbum ingroſſato, rogans eum, hanc prophetiam exponi, & in epiſtola, poſt ſalutationem, & narrationem inſeruit, dicens: Diligenter præcaveas, ſecretorum doctiſſime, ne eloquiorum breviter traditorum veritas aliqualiter corrumpatur, aut calami pravitate devitietur; ſed ſicut divinitùs, & ordinatiſſimè miſſa ſunt, ita à peritis ſcriptoribus conſerventur. Et ſequitur: Supplico

quoque

VI. Martii.

quoque tibi, venerande Pater, cui caulas ovium ſuarum credidit proinde Rector Orbis, ut tu, qui ex fonte puriſſimo Jeſu Chriſti, ſpiritum futurorum, & intelligentiæ Scripturarum cum Joanne divinitùs hauſiſti, ſicuti multorum relatione, & eloquiorum tuorum inſpectione percepi, ſuper hoc obſcuro Oraculo Commentariolum digneris conficere, quid excelſus cœlorum Rex hoc compendioſo tractatulo voluerit ſignificare, quatenus abſcondita proferas in lucem, & nubem umbroſam profundiſſimi affatus in ſolem ſplendentem clariſſimi intellectus.

Reſponſio Ioachimi:

1059. Prædictus Abbas ſancto Cyrillo reſpondit in hæc verba: Stellæ manenti in ordine ſanctitatis, in formula honeſtatis, in nidulo puritatis; Orbem opacum deformem, & ſqualidum virtutibus illuſtranti, moribus informanti, exemplis ornanti, Cyrillo Preſbytero in monte Carmelo, monte ſancto, monte uberrimo, pauperi quidem ſuperfluis opibus hujus mundi, quod bonum eſt; ſed diviti gratiâ Jeſu Chriſti, quod optimum eſt, Joachim, Abbas, ſolummodò nomine, ſed ethnicus opere, gratiam & gloriam. Chariſſima cœleſte recipiens, latore Theleſphoro, quem miſiſti, & Faſto fideli ac devoto interprete quem inveni, quantò geſtiverim gaudio, ipſe tibi litteris explicare nequirem. Quis ex inſolito munere à Rege regum, & Domino dominantium piè porrecto non diceret medullitùs exultandum, ſi foret poſſibile, etiam in immenſum. Puto autem hunc ſtylum novellum ornatè, compendioſè, & obſcurè ſcriptum à cœleſti Doctore demiſſum, ut in ſe primùm oſtenderet divitias plenitudinis ſcientiæ, tam futurorum, quàm præteritorum, quod & in multis aliis ſcripturis collegimus.

ANNOT. (a) B Hilarionis, quondam iſtius montis Eremitæ. *Quòd S Hilarion aliquamdiu moratus fuerit in Carmelo declaratur in Annalibus Ordinis Carmelit ad an 291 num. 5*

(b) Duas tabulas . . . *De illis & Oraculo illo, ſeu prophetia de futuro ſeculi ſtatu circa varios eventus, cumulatior erit tractatio hic infrà poſt vitam à Cyrilli.*

CAPUT V.

Miracula: Electio in Priorem Generalem: revelatio de multiplicatione Ordinis in Europa: ſanctus obitus.

Piſcis prodigium prope Carmelum:

1060. Porrò unâ dierum prope montem Carmeli inventus eſt piſcis tam quantitatis immenſæ, quàm qualitatis inuſitatæ, & cùm plures interrogarent de piſcis futuro prodigio, Beatus Cyrillus ait: Omnipotens Creator Deus, qui ſuâ voluntate cuncta creavit, ſicut figulus ex luto, quæcumque vult, fabricat; imò longè præcelliùs operatur, quàm exprimi, vel excogitari poſſit: Qui nimirum omnia, quæcumque voluit, fecit: qui dixit, & facta ſunt, quæcumque mandavit, & creata ſunt; à quo omnes ſapientiæ theſauri, tamquàm a fonte originaliter emanant, ultra Angelici intellectus capacitatem. Cum igitur Angelicâ naturâ tantò inferior ſit humana conditio; quâ fronte, & quâ temeritate homo ea ſcrutari præſumit, & ad unguem exprimere laborat, ad quorum indaginem ipſi ſe reputant Angeli longè minores; & homines contendunt illum comprehendere, & verbis explicare, quæ nullâ arte, vel capi poſſunt, vel ingeniò comprehendi; ſicut enim incomprehenſibilis eſt, cujus majeſtatem adorant Dominationes, tremunt poteſtates; ſic & incomprehenſibiles viæ ejus.

1061. (a) Quâdam etiam die, dum vir ſanctus cæco eleëmoſynam daret, pauper denarium oculis admovit, oſculatus eſt, & continuò lumen recepit: qui ex tunc petiit in monaſterio cum eo manere; ſed cùm Beatus Brocardus Prior Generalis in brevi affuturus eſſet, diſtulit eum recipere, ille verò infra triduum mortuus eſt. Venit autem ad Conventum quartâ die Brocardus, & Fratribus funeri obſequium præſtantibus, qui fuerat mortuus, ſurrexit vivus, dixitque ad Beatum Cyrillum, ſe nunc à morte ad vitam revocatum, cujus meritis fuerat à cæcitate mentis & corporis liberatus. (a)

cæcus illuminatus: idemque mortuus, reſuſcitatus meritis S. Cyrilli,

1062. Porrò (b) Cæleſtinus Papa Tertius audiens famam ſanctitatis viri ejuſdem, annô ſuo primò adhortatus eſt eum, ut Epiſcopatum ſuſciperet, promittens ei Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcham ſe facturum, quod Pater ſanctus omninò recuſavit, inter cætera, ita ſcribens: Sufficit mihi paupertas mea: ſufficit mihi præeſſe dumtaxat corpori meo, ut non regnet in me peccatum: ſufficit mihi theſaurum Domini ſervare in hoc vaſe fictili, animam meam dico, pro qua ille magnus Mercator ſanguinem ſuum fudit. Video enim in hoc monaſterio montis Carmeli cœleſtes homines, aut potiùs terreſtres Angelos, quorum converſatio in cœlis eſt, qui quâdam nobili ſuperbiâ deſpiciunt honores ſæculi, & divitias hujus mundi contemnunt. (b)

qui oblatum Patriarchatum Hieroſolymit. humiliter recuſat:

1063. Fuit autem hic vir ſanctus tempore non modicò (c) Prior localis monaſterii montis Carmeli. In ſacra inſuper ſcriptura ſe occupans, ſcripſit Græcò idiomate in Theologiam plures libros, præter illos, quos ſcripſerat Doctor exiſtens ſæcularis; ſunt autem aliqui in Latinum tranſlati, ut eſt (d) libellus ejus, quem ſcripſit de Proceſſu Ordinis Fratrum Carmelitarum, à tranſitu Joannis Patriarchæ Jeroſolymitani Quadrageſimi quarti Carmelitæ uſque ad tempora ſua. Demum ingreſsò viam univerſæ carnis Beato Brocardo, ab omnibus tertius Prior Generalis eligitur. Præſciens autem Dominus Deus, propter demerita nefandorum Chriſtianorum, totam Terram ſanctam à Chriſtianis auferendam, & ſacram noſtram Religionem ab eadem terra eradicandam, providit dictam Religionem non delere, ſed eam (c) (d)

Prior localis Carmeli:

Generalis eligitur:

(e) *ei revelatur, Carmeli Ordinem à Terra S. eradicandum, & in Europa multiplicandum,*

eam alibi tranſplantare. Propterea quidem (e) voluit Deus, ſicut prædicto ſancto Cyrillo revelaverat, quod viri diverſarum nationum, hanc ſacram Religionem in monte Carmeli profiterentur, ut cùm perſecutio, propter quam oporteret eos de Terra ſancta fugere, adveniret, tantò patientiùs dictam Religionem de Terra illa eradicari tolerarent, tantòque leviùs ferrent, quantò in ſuis propriis nationibus copioſiùs multiplicari viderent.

(f) *obitus,*

1064. Cunctis ornamentis repletus virtutum, (f) tres annos ſupervivens, morbô gravari cœpit. Ordinatis itaque rebus monaſterii ſui, & Ordinis, atque Sacramentis Eccleſiaſticis devotiſſimè ſuſceptis, ex hac luce migravit, Prophetarum, & Confeſſorum Chriſti ordinibus in cœlo conjunctus.

(g) **potius leg. MCCXXIV, vid. not.*

(g) Obiit autem * an. ſalutis Dom. MCCIII. pridie nonas Martji. Corpus ejus ad Eccleſiam delatum dùm quidam claudus tangeret, ſanitatem integram conſecutus eſt. Eôdem menſe quidam ex Cypro navigans, in itinere diem clauſit extremum: cùmque ad littus montis Carmeli nautæ perveniſſent, corpus ejus exanime, more ſuô, in mare projecerunt, quod ubi à Fratribus ſuper tumbam viri ſancti depoſitum eſt, redivivus ſurrexit, dicens, ſe à Beato Cyrillo meliori vitæ aſſervatum, & continuò petiit habitum Ordinis, & obtinuit: atque duodecim annis Deo, & ſuæ Genitrici Mariæ ſedulò ſerviens, quievit in Domino.

ad ejus ſepulcrum mortuus revixit:

1065. ANNOT (a) Quâdam die *Mirac dum illud contigiſſe circa an. Chriſti 12.0 autumat P. Lezana in Annalibus ad iſtum annum: ubi etiam de prodigio piſcis.*

(b) Cæleſtinus Papa III audiens famam &c. *Iſtud de Cæleſtino Patriarchatum Hieroſolymitanum vacantem obitu Heraclii offerente S. Cyrillo in Annalibus Ordinis refertur ad annum Chriſti* 1191.

(c) Prior localis monaſterii montis Carmeli *Et Vicarius S. Brocardi, in viſitationibus occupati, videlicet poſt obitum Hæremitæ, ſenio venerabilis, de quo in vita S. Angeli cap. 6 Plura circa hæc videri poterunt infra ad diem XXIX. Martji in Appendice poſt vitam S. Bertholdi.*

(d) Libellus ejus quem ſcripſit de Proceſſu Ordinis. *Is inſertus eſt tomo præcedenti parte* 1. *libro* 8. *cap.* 1. 2. *&* 3 *& pars etiam lib.* 7. *cap* 6. *Totus eſt in Vinea Carmeli, ibi primum occupans locum*

(e) Voluit Deus, ſicut prædicto S Cyrillo revelaverat: *De iſta revelatione facta S. Cyrillo, & qualiter ea paulò poſt impleta fuerit mirabiliter frequens fuit mentio, & copioſius ea deſcripta extat tomo præcedenti, videlicet parte* 1, *libro* 9 *cap.* 3 *num* 416. *& ſeq parte* 2, *lib.* 10 *cap* 4 *num.* 1035 *& parte* 3. *lib.* 2. *cap* 5. *cujus titulus eſt:* Quòd præglorioſa Virgo Maria, Carmeli Patrona digniſſima, patrocinium efficaciſſimum Fratrum ſuorum cœtui ſemper exhibuerit. Et veluti B Cyrillo cælitus promiſſum extitit, ſacram ſuam Religionem frequentibus ſignis dilataverit. *Videatur n* 1190. *& etiam n* 1742

(f) Tres annos ſupervivens. *De ejus obitu, anno tertio regiminis, breviter agitur in Annalibus Ordinis ad an.* 1224 *n* 2.

quo anno obierit S. Cyrillus,

1066. (g) Obiit anno MCCIII. *Omninò veriſimilius* anno MCCXXIV. *juxta calculationem noſtram hic infrà, in Appendice poſt vitam S Bertholdi Ita quoque Annaliſta Ordinis P. Lezana, in Annalibus, ad annum* 1224 *n.* 2. *ubi iſta:* Sub iſto anno fœliciſſimus Sancti Cyrilli tranſitus ad cæleſtia Regna contigit. Cum enim pro anno 1221. Generalis electus fuerit, & tribus tantum aliis ſupervixerit, abſdubiè huic tempori mors ipſius adſcribenda . . . accuratiſſimam computandi rationem, nos, ut credimus, ſecuti ſumus ſub hoc anno ſanctum ipſius tranſitum reponentes *Et verò obitum ejus non poſſe adſcribi anno MCCCIII. certum eſt ex eo, quòd S. Brocardus Prior Generalis (cui ſucceſſit S. Cyrillus) tunc adhuc viveret, & Regulam Ordinis à S. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano acceperit circa annum MCCV. aut poſt: & deindè ſupervixerit uſque ad an MCCXXI ſicut infra ad ejus vitam declarabitur ad diem* 2. *Septembris.*

VITA

Ex Baptiſtæ Mantuani libro 3. Faſtorum, ſeu de ſacris diebus.

1067. Martius ingreditur Martis de nomine dictus

* Hic nonnulla ad vitam S Cyrilli non ſpectantia prætermittuntur.

Sexta dies, Cyrille, tuum venerabile nomen
Commemorat, ſacraſque tibi famulamur ad aras.
Te ſacro dignum pietas celeberrima cultu,
Et doctrina facit geminæque peritia linguæ
Græcus eras, doctus primùm præcepta lycæi *S. Cyrillus Græcus:*
Quidquid habet frugum ſapiens Academia, quidquid
Porticus à variis nomen ſortita figuris *ejus ſapientia:*
Poeſi la verſaſti ſtudioſæ in flore juventæ.
Nec divina tibi minùs explorata fuêre
Scrinia, cùm flores in frugem tranſtulit ætas.
Inclyta Carmeli traxit te gloria montis
Longiùs: Et fecit peregrina inviſere regna: *adit Carmelum:*
Vulgares igitur fugiens moreſque domoſque
Vertiſti ad ſolymos & corda & vela penates.
Cæſareæ mons eſt in finibus equora propter
Vertice ſublimi ſurgens in ſidera ſylvis *cujus ſitus deſcribitur:*
Undique crinitus, ſtatio placidiſſima ſemper;
Nam cùm friget hyems & ſolis & æquoris æſtum
Accipit, æſtatem frigenti temperat aurâ:
Eliæ magni quondam domus, illius inquam
Eliæ qui vivit adhuc ubi naſcitur Eurus:
Sanctificat locus hic homines, nova corda, novoſque
Influit affectus, hîc ſunt ergaſtula vitæ,
Simplicis & mundæ, qualem vixêre parentes
Ante nefas primum. Divi labuntur olympo
Sæpiùs, & ſanctis habitant cù Patribus. Ergo
Argolicis illuc nâvit Cyrillus ab oris
Nec mora longa fuit, Divû conſortia nactus
Evaſit Divinus homo: cùm ſacra litaret
Mane ſub Auroram ſacrâ veſtitus (a) abollâ (a)
(Res miranda) puer fulgenti ſplendidus ore
Aſtitit ante virum, liquidis ſuſpenſus in auris: *Angelica apparitio mirabilis:*
Argentumque docens annorum fata ſequentum
Protulit: & manibus pronis demiſit in aram
Adjiciens: Deus iſta tibi ſecreta revelat,
Sancte Pater: tu fac populis ea nota Latinis
Continuò mutans Romanis attica verbis
Nomina ad Abbatem Siculum tranſmiſit: & ille
Confeſtim in Latium ſcholiis ad ſingula junctis.

 (Quæ

VI. MARTII.

(Quæ ſuperant, & habentur adhuc, paſſimque leguntur)
Tu poſtquā probitas tua ſe virtutis in altum
Felici profectu apicem provexit, ab ipſa
Gente tua factus paſtor communis, habebas
Jus ſuper Eliæ totum genus, omnia juſſis
Parebant ſemnēā tuis Aſiana per arva.

Tu verò venerande Pater per medica cùm jam
(b) Regna, per (b) Armenias urbes, Parthoſque per omnes
Undique ſparſiſſes Divini ſemina verbi,
Attritus gravitate ævi, gravitate laborum,
Ad ſtata perpetuæ migraſti gaudia vitæ.
Æternum vale, & eſto tuæ cuſtodia genti.

(b) Armeniam peragrat prædicando,

ANNOT (a) Abolla (*propriè veſtis ſenatoria, ſeu militaris*) *hic accipitur pro caſula.*

(b) Armenias urb. *de prædicatione S. Cyrilli in Armenia, & ejus ad fidem converſione latiùs actum hic ſuprà cap. 3.*

DE ORACVLO ANGELICO

ſeu Revelatione quoad futurum ſeculi ſtatum, expreſsâ in duabus tabulis argenteis, ab Angelo allatis ad S. Cyrillum, annò Chriſti MCLXXXXII. die XXI. Octobris Feſto S. Hilarionis.

§. 1. *Teſtimonia variorum de iſto Oraculo.*

1068. DE *iſta Revelatione peculiariter actum eſt jam ante in vita cap. 4. & etiam in compendioſiori vita verſibus expreſſa per Baptiſtam Mantuanum ab iſtis verbis:* Cum ſacra litaret, *uſque ad illa:* paſſimque leguntur. *In Annalibus Carmelitanis ad præfatum annum Chriſti 1192. de iſta Revelatione copioſiùs agitur: ibi autem inter cætera, iſta:* Celebris valde annus iſte 1192. Carmeli Religioni eſt, propter mirabilem viſionem, quam B. noſter Cyrillus à prædicatione Euangelii in Armenia Carmelum reverſus, inter Miſſarum ſolemnia, à Deo, cœleſti medio paranympho, habuit, poſt decem annos in ea Provincia conſumptos: quā toti mundo celebre ſuæ ſanctitatis, & ſpiritus Prophetici ſpecimen dedit, & ſui clariſſimam notitiam ad poſteros tranſmiſit. Angelus enim virgineò aſpectu, dum Sacra faceret in commemoratione S. Hilarionis, Tabulas duas argenteas Græcè conſcriptas, futuri ſæculi myſteria continentes, ipſi tradidit. *Et poſt producta de iſto Oraculo variorum teſtimonia ſubjungit:* Prædictum verò B. Cyrilli oraculum magni ſemper fuit in Eccleſia, ut propterea duo ipſius exemplaria manuſcripta in S. Vaticana Bibliotheca reſervata viderimus, operibus Abbatis Joachimi ſcholiaſtis inſerta: *& ante:* Habemus enim nos firmiſſimum Propheticum ſermonem, Eccleſiæ nempè auctoritatem, quæ ſæpiùs prædictam ſacram viſionem decretis approbavit. Quater enim à Sede Apoſtolica Officium ipſius, ubi de hac viſione fit mentio, robur accepit, & graviſſimorum calculum virorum, apud quos inoffensò pede, Catholicò nullò muſſitante, in veneratione fuit. *In illo autem approbato Officio iſta ad Miſſam, & Officii Divini horas canitur Oratio:* Deus, qui Beato Cyrillo Doctori ſacrum in monte Carmeli facienti, Angelico aſpectu futuri ſæculi ſtatum revelaſti, tribue nobis, ejus imitatione terrena deſpicere, & ad æterna jugiter aſpirare. *Et in Matutinis lect. 5. Hæc inter cætera:* Cùm aliquandò ſanctus Cyrillus in commemoratione Beati Hilarionis Miſſæ ſacrificium faceret, Angelus virgineò aſpectu duas tabulas argenteas litteris Græcis inſcriptas illi afferens ... Continebat autem ſcriptura undecim capita, quibus gravis perſecutio Eccleſiæ denunciabatur. Quæ vir ſanctus perficiens, illa myſteria perfectè eſt aſſecutus. *In Carmelitano Breviario impreſſo anno 1480. extracto ex approbato uſu Dominici ſepulchri ſanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, & in excuſo anno 1495. ac in cæteris Breviariis, & Miſſalibus antiquis etiam Collecta præfata aliquantò prolixior extat.*

Tabulæ argenteæ Oraculi Angelici quo anno allata ad S. Cyrillum:

Eccleſiæ,

1069. Ex Gilberto Anglico in libro reperto in Bibliotheca Vaticana numero 3820 (* *& immediatè ſequitur:*) Cùm ad monaſterium Cluniacenſe, quibuſdam negotiis exigentibus perveniſſem, contigit, ut nobis multa volumina revolventibus hic modicus codicillus nigro corio coopertus occurreret, antiquiſſimis ſeu vetuſtiſſimis litteris deſcriptus: in litteris Capitalibus, quæ ſunt in toto volumine undecim deauratus: ſed & tota Cyrilli Presbyteri Eremitæ Carmeli ſalutatio, litteris aureis effulgebat. Angelus quoque cum nebula, & quæ infra ſcribuntur ſuo loco curioſiſſimè ſcripta erant; cujus titulum cùm legiſſem, & vidiſſem in eo Joachim famoſum deſcribere textum, converſus ad librariam monaſterii, & hunc petii cum antelato volumine commodari, quod renuens ipſe Librarius Monachus, tandem precibus devictus aſſentit. Ecce quàm laudabilem iſte Cyrillus Eremita adhibuit diligentiam, ut nec modicum quid omitteret in ſcribendo iſta; Nec dubium eſt ſummæ capacitatis tantum hominem extitiſſe, cum occupatus miſſalibus ſtudiis, quæ totius hominis totalem curam exigunt, & requirunt tanta, tam varia, & ſubtilia, in tam parvula morula, memoriæ comendavit, nec eo minus proceſſit in myſteriis. *Hæc Gilbertus Anglus cognomento* Magnus, *de quo in Catalog. Script. Britanniæ centur. 3. Ioannes Piſeus libro de Angliæ illuſtribus Scriptoribus* (2) *Hæc inter alia, de iſto Gilberto ſcribit:* Gilbertus cognomento Magnus, Theologum nonnulli cognominant, natione Anglus, Monachus Ciſtercienſis, & tandem totius illius Ordinis Præpoſitus Generalis. Vir acuti ingenii, ſolidi judicii, tenacis memoriæ. *Et inter ejus ſcripta recenſet:* Conciones in Oraculum Cyrilli Carmelitæ, Græci, librum unum: cujus

* Ita in MS. exemplari Romā miſſo.

de illo oraculo teſtimonia,

Gilberti Anglici cognomento Magni.

(2) ætat. 13. ad an 1280. n. 402.

VI. Martii.

cujus initium adjungit : Cùm ad monaſterium Cluniacenſe: *& infra :* Toloſæ tandem mortuus & ſepultus, in magna veneratione habitus eſt circa annum reparatæ ſalutis 1280. *Eo igitur ſæculo floruit, quo S. Cyrillus vixit, & obiit.*

Teleſphori de Cuſentia,

1070. *Teleſphorus de Cuſentia presbyter & Eremita in libro* de magnis tribulationibus, & ſtatu Eccleſiæ (*qui inter aliqua opera Abbatis Ioachim habetur.*) Univerſis, & ſingulis fidelibus perſonis Eccleſiaſticis, ac ſæcularibus humilis Frater Theleſphorus de Cuſentia pauper presbyter & eremita propè Thebas, humiliavit ſe ſub divina potentia Majeſtatis, & ipſius gratia & gloria. *Ibi conſequenter refert, & teſtatur, quòd cùm magnâ jejuniorum, & lacrymarum copiâ ſæpiùs humiliter Deum exoraſſet, tempore pernicioſiſſimi ſchiſmatis, quod in Eccleſia tunc erat; anno Chriſti 1386. circa auroram diei Reſurrectionis ipſi leviſſimè dormienti apparuerit Angelus Domini, monens, ut inquireret librum* Deo dilecti Cyrilli Presbyteri & Eremitæ in monte Carmelo, *ac quorumdam aliorum, & ibi reperiret circa ſtatum Eccleſiæ, quæ ipſum, & alios ſcire expediret; & quòd cum maxima diligentia unà cum ſocio ſuo Euſebio Vercellenſi inquiſiverit, ac tandem hæc de S. Cyrilli libro teſtatur.* Tandem invenimus Cyrilli librum, qui incipit : Domui totius &c. Cujus libri verba Angelus Domini in duabus tabulis argenteis continentia futura magna negotia, incipiendo ab anno Nativitatis Domini 1254. ipſi Cyrillo nunciavit & dedit. *Et infrà :* In hoc autem libello magis innitor verbis præfati Cyrilli in dicto libro, quæ non fuerunt verba hominis, ſed Dei. *Inferiùs quoque ſæpiſſimè dum verba ſancti Cyrilli refert, ait,* Hæc Spiritus ſanctus *&c. vel ſimilia. Theleſphorum illum vixiſſe an. 1386. & ſcripſiſſe* Prophetiarum librum unum *tradit Poſſevinus* in Apparatu.

Bartholomæi Piſani,

1071. *Bartholomæus Piſanus Minorita in libro Conformitatum vitæ Beati Franciſci ad vitam Ieſu Chriſti denuo in lucem edito per Ieremiam Buchio Doctorem Theologum.* Sexto ipſe B. Franciſcus fuit etiam declaratus, & ejus Ordo per Cyrillum Presbyterum, & Anachoretam montis Carmeli, cui celebranti Miſſam Angelus Domini duas tabulas græcè ſcriptas æneas * detulit, eidem mandans, ut ſcriberet in eis contenta, & in Latinum verteret, & occidentali Eccleſiæ mitteret, qui ſic egit; Verùm cùm prophetia multum ſit in verbis obſcura, interpretandam & dilucidandam Abbati direxit Joachim, qui ipſam expoſuit. *Hæc Piſanus. Poſtque partem magnam prophetiæ Cyrilli refert cum expoſitione Ioachim, præſertim ferè quoad totum caput undecimum, illudque ejuſdem cap. undecimi,* ſi ad petram fortem & firmam quadram &c. *De B. Franciſco Minorum Inſtitutore intelligit. Poſſevinus in Apparatu de iſto Bartholomæo Minorita ſcribit :* Vivebat anno 1399.

* argenteas.

1072. *In Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus Epiſcopi Equilini, in auctario ſub titulo :* De Sanctis nuperrimè canonizatis *cap. 3. de S. Cyrillo iſta traduntur :* Cyrillus Confeſſor olim presbyter fratrum Eremitarum in monte Carmeli conſors factus adeò corde devoto pura mente contemplationi vacabat, ut ſæpiùs Angelico foveretur aſpectu, & divinis revelationibus illuſtraretur, die quadam huic Miſſarum ſolemnia celebranti in nubecula Angelus apparens, virgam & duas argenteas tabellas, litteris græcis futuri ſtatum ſæculi continentes attulit. *Conſequenter referuntur verba Angeli ad S. Cyrillum : & quod Cyrillus juſſa Angeli adimpleverit : ac tandem additur :* Ejus (*Cyrilli*) feſtivitas pridie nonas Martii colitur.

& aliorum.

1073. *Iacobus Græcus Syllanæus Ciſtercienſis in Chronologia Ioachim Abbatis, iſte inter alia, ad intentum ſcribit :* Eſt irrefragabile teſtimonium deſumptum ex cæteris de vita ſancti Cyrilli Carmelitæ, ut etiam videre eſt in vitis Sanctorum, quæ paſſim, & vulgari idiomate ab Eccleſia nunc habentur, ſub de Voragine inſcriptione. Cyrillo profectò tanti teſtimonii cauſa fuit Angelica apparitio, duas eidem argenteas tabulas in Carmelo celebranti divinitùs inſcriptas, atque directas celebri prærogativa offerens. (*Conſequenter tradit rationem, cur cum S. Cyrillus tabellarum ſenſum optimè ſciret, miſerit tamen exemplar ad Abbatem Ioachim (quam paulò poſt adferemus.) In præfata legenda Sanctorum Iacobi de Voragine, quam Nicolaus Manerbius Venetus in Italicum ſermonem traduxit impreſſa Venetiis an.* 1630. *in vita S. Cyrilli. Ipſius prophetia, & oraculum Angelicum referuntur Italicè, ſicut jam aliquoties recitata ſunt. Ioannes Erghon Anglus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Oraculum S. Cyrilli circa annum Domini 1490. cum aliis collegit in unum corpus, quod appellavit :* Compilationes vaticiniorum, *& in lucem emiſit, Hereferdiæ Comiti nuncupatum.*

1074. *Oraculum iſtud Angelicum conſtans undecim capitulis, cum Commentario Abbatis Ioachimi & litteris mutuis S. Cyrilli, ac Ioachimi extare in Vaticana Bibliotheca & quidem bis, teſtatur Lezana verbis ſupra adductis, & rurſus infra ubi poſt iſta :* (a) Extracta ea ſunt ex S. Vaticana Bibliotheca, ubi tam Oraculum, quàm ipſius expoſitio cum mutuis litteris Cyrilli ad Joachimum, & Joachimi ad Cyrillum inter ejuſdem Ioachimi Abbatis opera habentur. Quorum etiam copiam pro noſtra Tranſpontina Bibliotheca extrahendam curavimus, ubi etiam reſervantur. *Ab ipſo P. Lezana etiam copiam ex Vaticana Bibliotheca extractam, cum plurimorum teſtimoniis de iſto Oraculo, & cum gloſſulis, ſeu notationibus ipſius P. Lezana accepimus. Et illud Operi huic inſerere pridem fuit intentum noſtrum : ſed tum (ac præcipue) ob rationem ab ipſo P. Lezana traditam ibidem* (b), *tum vitanda nimia prolixitatis cauſa, tum quod ipſum integrum intereà typis prodierit à paucis annis Lugduni, operâ R. P. Philippi à SS. Trinitate Præpoſiti Generalis Congregationis S. Tereſiæ Carmelitarum Diſcalceatorum; duntaxat ipſam ipſius S. Cyrilli epiſtolam, & partem epiſtolæ Ioachimi, ac quædam notata circa illud, hic ſufficere arbitramur.*

(a) ad ann. Chriſti 1193. n. 4.

Oraculum Angelicum ubi extat.

(b) ad an. 1193. n. 4. & 6. in fine.

VI. Martii.

§. 2. *Epiſtola S. Cyrilli ad Abbatem Ioachim: & hujus reſponſio.*

S. Cyrilli Epiſtola ad Ioachim Abbatem:

1075. E*Piſtola S. Cyrilli ex MS. Vaticano, eſt tenoris, ut ſequitur (notationes ad marginem ſunt à P. Lezana)* Domui totius ſapientiæ divinæ, ſeptiformi columnæ ſancti Spiritûs, qui à Patre luminum ineffabiliter promanat, ſuffultæ; Abbati Ioachim, pauper Cyrillus Presbyter Eremita montis Carmeli, ſeipſum in Domino cum obſecratione orationum, &c. Quod mihi detruſo pauperculo Dominus meus Chriſtus dignatus eſt aperire tibi meo * Priori & Domino, quem Deus multâ ſapientiâ perluſtravit, referam pleno verbo, ut ſecundùm ſcientiam tibi datam tranſmittas ad poſteros Deo devotos, & Sanctos tibi chariſſimos, illos potiſſimè, qui ſacrarum Scripturarum ſcientiam devotè, & dulciter amplectuntur, & margaritas norunt à porcis ſubtrahere, quæ futuris temporibus Deo permittente occurrent, prout inferius annotata prætendunt, ut juxta ſolatia ſanctorum librorum quibus Eccleſia indeſinenter reficitur, & hunc charius ſecum habeat codicillum, ab illo magiſtro, qui cathedram habet in Cœlo, dignanter demiſſum. Hæc itaque mea verbula quodammodò neceſſaria, ut ſum ratus, his ſermonibus Omnipotentis à Regalibus ſedibus, mihi directis, præmiſi, ut quæ cælitùs miſſa ſunt, clariùs, quid ſint, per hæc præcedentia, eluceſcant. Diligenter autem caveas, lectorum doctiſſime, ne eloquiorum breviter traditorum veritas aliqualiter corrumpatur, aut calami pravitate dematur, ſed ſicut divinitùs, & ordinatiſſimè miſſa ſunt, ita à peritis Scriptoribus conſerventur. Supplico quoque tibi, Venerande Pater, cui caulas ovium ſuarum providè credidit Rector Orbis, ut tu, qui ex fonte puriſſimo pectoris Ieſu Chriſti ſpiritum futurorum & intelligentiam hauſiſſe cum Ioanne viderís (ſicut relatione multorum, & eloquiorum tuorum inſpectione percepi) ſuper hoc ſancto Oraculo Commentariolum digneris conficere, quid excelſus Cælorum Rex hoc compendioſo tractatulo voluit intelligere; quatenùs abſcondita producas in lucem, & nubem umbroſam profundiſſimam affatu, convertas in Solem ſplendentem clariſſimi intellectus. Igitur cùm pro veneranda celebritate B. Hilarionis Coeremitæ noſtri quondam ſacrarum Miſſarum ſolemnia inchoaſſem, cum fratre Euſebio Comite meo chariſſimo, & ad illum locum Canonis perveniſſem: [Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ] nubecula denſa cerulea mihi aſtitit ſtupeſcenti. Protinus Angelus aſpectûs virginei diſtans binis cubitis, & ſemiſſè, in ipſa nubecula viſus eſt, capillis flavis, & criſpis, geminis alis ornatus, ab humeris, uſque ad talos partim nitentibus pennis, albâ latâ, talarique amictus, labiis rubicundis, coccineo ſtrophio cinctus, ſandalibus aureis, rubriſq; pedalibus calceatus, afferens virgam liliatam, & tabulam argenteam pendentem in dextera, & aliam tabulam argenteam in ſiniſtra litteris Græcis deſcriptas, & dixit: Cùm ſacra compleveris has ſcripturas tranſcribes membranâ, & poſt hæc conflans Tabellas conformabis in calicem, & thuribulum ad libanda, & adolenda in hora ſacrificii matutini. Manſit autem Angelus in Ara uſque ad gratias poſt-Miſſales; deſcendens verò ad menſæ poſterius pavimentum Tabellas depoſuit, & in ictu diſparuit.

* Patri forſan.

Angelicæ apparitionis deſcriptio.

1076. *Sed cur S. Cyrillus ad Abbatem Ioachimum exemplar Oraculi iſtius tranſmiſit? Id ipſe in præfatis litteris innuit his verbis:* Quod mihi detruſo pauperculo Dominus meus Chriſtus dignatus eſt aperire, Tibi . . . referam pleno verbo, ut ſecundùm ſcientiam tibi Datam tranſmittas ad Deo devotos. *Et Mantuanus iſtis:* Tu fac populis ea nota Latinis; *igitur ut contenta in illo Oraculo, in Eccleſia Latina, per Europam innoteſcerent quoque per ipſum Abbatem Ioachim, illis temporibus Propheta opinione conſpicuum. Iacobus Græcus Silanæus in libro ante citato, & hanc adfert:* Etſi ſanctus Dei Cyrillus tabellarum ſenſum optimè teneret, fratribuſque enodaret, humilitatis tamen intuitû ad Ioachim in Calabriam & monaſterium Floris dirigere procuravit. *Hoc verò Angelicum Cyrilli Oraculum recipiens Ioachimus, latore Theleſphoro, ut ipſe in epiſtola ad Cyrillum teſtatur, ab Eaſto interprete, quem ipſe ibidem fidelem &* devotum *commendat, Latinitati donatum brevi Commentario illuſtravit, epiſtola etiam Cyrilli alia reſpondit, ubi ſummatim, præcipua, quæ in Oraculo ipſo reperiebantur, enucleavit. Epiſtola Ioachimi ad S. Cyrillum hoc eſt initium:*

Cur S. Cyrillus ad Ioachim miſerit exemplar Oraculi:

1077. Stellæ manenti in ordine ſanctitatis, in formula honeſtatis, in nidulo parcitatis, orbem opacum, deformem, & ſqualidum, virtutibus illuſtranti, moribus informanti, exemplis ornanti, Cyrillo Presbytero in monte Carmelo, monte Sancto, monte uberrimo, pauperi quidem ſuperfluis opibus hujus mundi, quod bonum eſt, ſed diviti gratiâ Ieſu Chriſti, quod optimum eſt, Ioachim Abbas ſolo nomine, ſed ſcurra, & ethnicus opere, gratiam & gloriam &c. Chariſma cæleſte recipiens latore Theleſphoro, quem miſiſti, & Eaſto fideli ac devoto Interprete, quem inveni, quanto geſtiverim gaudio, ipſe tibi litteris explicare nequirem. Quis ex inſolito munere à Rege Regum, & Domino Dominantium piè porrecto non duceret medullitus exultandum? Et, ſi foret poſſibile in immenſum? Puto autem hunc ſtylum novellæ, ornatæ, compendioſæ ſcripturæ Cæleſti Doctore demiſſum, ut in ſe primùm oſtenderet divitias plenitudinis ſcientiæ, tam futurorum, quàm præteritorum (quod & in multis aliis ſcripturis collegimus) & nos qui ejus miranda ſcripta devotione amplectimur, devotiores ad ſe ipſum, & ſacrorum voluminum penus quodammodò inextricabiles enodandos, ſolicitiores

Ioachimi epiſtola ad S. Cyrillum.

VI. Martii.

tiores efficeret, & profundum eloquiorum nobis per ipſum detegi, ferventiores redderet ad petendum. Quod autem tibi divinum Oraculum gloſſulis declarari poſtulaſti, quippe cùm intellectus tui perſpicacitatem, & eloquii venuſtatem intuear, ex tranſmiſſa epiſtola, hoc percepi, te poſſe differere, ſi differi poteſt humana indagine. Sed ut referam tibi quod reor, hoc non puto poſſe per hominem plenariè, niſi fortè clavem David ſuper humerum deferens de gratia ſpeciali ſenſum alicui aperiret, ut intelligeret hanc ſcripturam. Quis namque poterit explicare quid TERRA PERIURII, & TERRA GULOSA, & EGENS? Quid SOL IN UTERO SCORPIONIS. *Sic Ioachim ad S. Cyrillum: Conſequenter alia Oraculi iſtius obſcuriora proponit, & rationem ſui Commentarii reddit, quæ vitanda prolixitatis causâ hic prætermiſſa videri poterunt in Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 1193. & in impreſſo Lugdunenſi. Tandem autem ſic concludit.* Sed Spiritus, qui eſt verè Deus abſconditus ut memorat Iſaias, ita dividit ſingulis prout vult ſermonum ſuorum interpretationes, teſte Apoſtolo, ut ſit ſemper abſconditus, in ſe totus, non palliſicans quidquid intenderit, ne gloriam ſuam alteri tradere totaliter videatur. Nec tamen ex hoc fraudantur à ſuo deſiderio gloſſatores, cùm & Spiritus ſanctus ultra ejus intentum, quod in ſua poſuit poteſtate; idipſum intenderit, quod ipſi deſcripſerint. Vale Millеſies Chriſti miles. *Quantum ad præfatum Abbatem Ioachimum, ſeveriori cenſurâ à nonnullis notatum; videat Lector Antonium Poſſevinum, in Apparatu, verbo* Joachimus *& Iacobum Græcum Sılanæum in* Chronologia Joachim Abbatis, *nec non Annales Carmelitanos ad an. 1201. num. 2. & ſeq.*

§. 3. ANNOTATA *quædam circa Oraculum illud: & quædam excerpta indè, & ex ejus expoſitione, ac gloſſulis P. Lezanæ.*

1078. E*X Oraculo illo, & Ioachimi expoſitione, ac P. Lezanæ gloſſulis hic libamus, & annotamus præcipua quædam: non autem illud integrum tradimus, ob rationes hic paulò ante (§. 1. ſub finem) expreſſas. Conſtat Oraculum capitulis undecim: primi initium hoc eſt.* Tempore Annorum Chriſti 1254. Februarii Kalendas octavo Sol orietur inter muros perjurii lymphis vallatos in hora Leonis zizaniorum; & vepriuм. Et creſcet Altiſſimo dedicatus. *Ioachim Abbas variis adductis Scripturæ ſimilibus cenſet ibi numerum an. 1254. non determinatum eſſe intelligendum: Hinc ibi ad Ioachimi expoſitionem iſta annotat Lezana:* Ex verbis Ioachimi eruitur numerum annorum 1254. in principio hujus capitis & prophetiæ poſitum pro tempore indeterminato ſumendum juxta non inſolitam ſacræ Scripturæ phraſim, quâ conſtat tempus, ſeu numerum determinatum pro incerto & indeterminato deſignari. Undè nec mirum quod

Ann. 1254. initio Oraculi an determinatus, an indeterminatus:

ea quæ de Sole iſto in hoc capite nominato ſcribuntur nequeant facilè de aliquo intelligi ex iis qui circa præfatum annum 1254. florebant. Etiì cum Ioachimo ipſo in Epiſtola relata ad B. Cyrillum proculdubio per Solem virum aliquem famoſum & nobilem accipere debeamus. *Ita ibi Lezana: qui in Annalibus Carmelitanis ad eundem annum, factâ mentione illorum in Oraculi iſtius Angelici verborum ſeribus veriſimiliter certum annum, & diem videri intelligendum. Addit:* Quis verò fuerit ſol iſte, de quo in prædicto capite mentio fit, quamvis certum, nobilem aliquem, aut clariſſimum virum deſignare, quis tamen ille fuerit, uſque modò incompertum. Cui Deus dederit id exponat, nobis enim in eo immorari modo non vacat. Illud tamen non prætermittendum; quòd cùm S. Ludovicus Galliarum Rex, qui ab aliquibus annis in Oriente pro Catholicæ fidei propagatione contra Mahumetanos pugnans, verſabatur hoc anno 1254. juxta computum Spondani, Gordoni, Oderici, & noſtri Cheroni, in Patriam poſt mortem Blanchæ matris reverteretur; ſæpiùs mente revolvimus, an is fuerit Sol ille clariſſimus per B. Cyrillum in ſuo Angelico Oraculo denotatus; vel ſaltem an Solis nomine Cyrillus intellexerit ſuum Carmeliticum Ordinem, per eundem S. Ludovicum Pariſios eo anno delatum, & exinde per Gallias, aliaſque Europæ partes extenſum, quod extraneum omninò non videtur capitis primi illius Oraculi contextui, ſi non omninò ad litteram, ut jacet, ſed ſub alicujus metaphoræ umbra, aliarum inſtar Prophetiarum accipiatur. *Circa iſta prolixè diſſerit, & hanc P. Lezana opinionem corroborat P. Philippus à SS. Trinitate.*

Sol ibi nominatus, quis:

1079. *Iſta ejuſdem capitis verba:* Tunc ad Urbium antemurale gliſcet aſcendere, ut rubrum Patrum cruorem lambat, *ſic exponit Abbas Ioachim:* ANTEMURALE URBIUM, eſt Roma omnium Vrbium Metropolis & protectrix. Rubrum. Si hæc ſcriptura foret alterius textus, dicerem de Martyrum ſanguine intelligere, quo tota Roma aſperſa eſt, ad quem lambendum, id eſt devotione deoſculandum, gliſcet aſcendere. *Circa quæ Lezana:* ANTEMURALE. Titus Livius de Roma hæc habet l. 1. Nulla unquam Reſpublica, nec major nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. TOTA ROMA: tradunt calculatores periti pluſquam trecenta Martyrum millia in ſola Roma occiſorum. Bozius de ſig. Eccl. l. 7. c. 5. *Hæc Lezana: qui Tomo 4. Annalium etiam ex Oraculi Angelici aliis capitulis varia adfert, & exponit, ac jam impleta eſſe declarat. Videri poterit ad annum 1266. n. 4. ad annum 1276. n. 3. ubi de Imperii Græcorum defectione ab Eccleſia Romana: ad an. 1283. n. 2. & 3. ubi de Regibus Siciliæ, & Neapolis: ad ad an. 1294. n. 1. ad an. 1305. n. 2. ad annum 1328. n. 2. de magna Eccleſiæ calamitate, quæ contigit circa illum annum: ad an. 1336. num. 5. ad an. 1378. n. 2. 3. & 4. ubi de perniciosiſſimo ſchiſmate à S. Cyrillo prædicto: ad an. 1500. n. 2.*

Roma, urbium antemurale:

In ea quam ingens numerus martyrum.

VI. MARTII.

num. 2. ubi de Carolo V. & geſtis ejus.

Antichriſti tempora, & perſecutiones deſcripta in oraculo Angelico;

Genimine. Forſan genimen, proles, vel generatio

viratum venenoſum

aſſolet. Forſan, aſſiliat, invadat, oppugnet.

fuit. pro erit.

1080. *Porrò in exemplari ab ipſo nobis donato gloſſulas, & notationes ad reliqua etiam capitula Oraculi hujus adjecit. Peculiariter ad caput X. in quo agitur de temporibus Antichriſti, & hujus eſt tenoris:* Intereà antiqui ſerpentis genimine viratum creſcet, ſeque ſubnixè ad prælium præparabit, ut cornua Crucis confringat, & aſſolet. Quamobrem antiquus dierum, quem ſcripſit juvenis Daniel, pueros ſuos præmuniet, ut conterant caput ejus, nec poterunt. Eriget quoque in tramite, undè ſerpens fuit tranſiturus binas columnas lapideas, & vetuſtas, ſe altrinſecùs ſpectantes, ut cum tranſierit ipſe nequam cum ſuis ſequacibus, faciat eas in illos corruere. Ipſe verò iniquus aſtutus & ſagax à longè hoc perpendet, & erigens caudam ſuam, torquenſque, involuet conſtrictim eas, ipſarumque epyſtilia cruentabit. Inſuper ad electos, ſanctoſque Domini Orthodoxos ſeſe convertet, qui in columnarum erectione riſerint, ut riſum eorum convertat in fletum. Tunc lætabitur Cananæus, & non filius Abraham, quia quod jam dudum altercans diſputaverat adventurum eſſe, effabitur adveniſſe. Poſt hoc qualis fuerit ipſe ſathanas apparebit, quippè antiquus dierum animabitur contra eum, & ſpiritum ignitum per narens emittens exuret illum intrinſecus, & fœtor aduſtionis illius perflabitur per filios Chanaam. *Notulæ marginales ſunt ipſius P. Lezanæ: qui & iſta annotat:* INTEREA &c. Hinc habeas, ô Catholice, contra infelices Novantes, Antichriſtum unum quendam, ac peculiarem hominem eſſe, non Regnum, Thronum, aut Monarchiam quorumdam ſibi in Eccleſia ſuccedentium. Undè Nazianzen. lib. Cygn. Carm. Quis eſt Antichriſtus, hoc eſt adverſarius Chriſti? plena veneni bellua, & homo magnâ potentiâ præditus. INTEREA &c. Quando hæc erunt? De die illo, vel hora nemo ſcit &c. Matth. 24. Mar. 13. Conjecturaliter tamen, probabilis eſt ſententia plurium credentium mundum ſolùm ſex millia annorum duraturum. Hi ſunt Iuſtin. l. quæſt. ad gent. q. 71. Irenæus l. 1. adverſus hær. c. 28. Lactant. lib. 7. c. 14. & 25. Hilarius in Mat. 17. Hieronym. in expoſ. pſ. 89. quia tamen incertiſſimæ ſunt, ſecumque repugnantes, rationes numerandi hos ſex mille annos, ideo ſoli Deo, qui tempora ſcit, & momenta reſeruentur. Petrus Kliacenſ. ſic cavillatur ut credat Antichriſtum venturum anno Domini 1789. Nicolaus Cuſſan. etiam Cardinalis ann. 1700. vel 1734. Mannuera Bruſchins an. 1645. Joannes Pic. Miranda 1994. De his & aliis variis ſuſpicionibus lege Thom. Maluend. de Antichriſto lib. 1. c. 37. *Ad iſtud:* CANANÆUS: *notat:* Hebræos ſuſcepturos pro Meſſia Antichriſtum venturum eſt communis Patrum ſenſus ſpecialiter Irenæi l. 5. c. 25. Hyppolitus Mart. orat. de conſumm. mundi. Hilarius can. 25. in Matth. S. Ephrem ſerm. de Antichr. Cyrillus cathec. 15. Ambroſ. in Pſal. 43. Hieronym. q. 11. ad Algas. Auguſt. tract. 29. in Ioann. & alii Patres poſteriores. *Et ad iſtud:* EVIGILANS: *addit:* Traditio Patrum eſt, Antichriſtum à Chriſto Domino interficiendum juxta ad Iſai. 11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium & 2. Theſal. 2. Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Irenæus, Origenes, Athanaſius, Baſilius, Nazianz. Cyrill. Tertull. Cyprian. Hilar. & Hieronym. ſuper hæc loca.

Cananæus id eſt Hebraicus populus

Antichriſtus homo præcipuus,

velut bellua,

mundi finis quando:

Hebræi Antichriſtum ſuſcipient,

1081. *Eadem de Antichriſto ſic exponit Abbas Ioachim:* INTEREA ANTIQUI SERPENTIS. Hic incipit tractare de Antichriſto; *& infrà:* PUEROS. Id eſt prædicantes verbum Dei, de quibus dicitur per pſalmum: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem. Et Chriſtus cum dixit: Gratias tibi ago Rex cæli & terræ &c. UT CONTERANT. Per CAPUT DOCTRINÆ principium, vel mentis ſuperbia intelligitur, quod prædicantes, vel prædicatores intendent conterere, nec poterunt, quia in ruinam multorum, & mortem ponendus eſt. ERIGET: id eſt roborabit, vel confirmabit antiquus dierum. IN TRAMITE. *Trames* eſt brevis via, & ſemita, per quod datur intelligi, quod modico tempore ſit in malitia regnaturus. In hoc ergo tramite, id eſt in regionibus, quas ſub veneno, id eſt prava doctrina ipſe ſerpens repleturus eſt. BINAS COLUMNAS. Enoch ſcilicet, & Eliam. Hæ columnæ dicuntur lapideæ propter conſtantiam veritatis dicendæ uſque ad mortem, & vetuſtate propter antiquitatem dierum, quia ambo modò ſunt in Paradiſo deliciarum expectantes adventum hujus nequiſſimi, ut referunt gloſſæ Sanctorum. ALTRINSECUS. Quia ex toto corde erunt in una fide roboranda, vel in confeſſione illius. SEQUACIBUS. Non erit ſolus in ſua malitia, ſed innumeros, & quaſi inauditos, ſcenoſque populos ſibi coacervabit, ut quos doctrinâ non poterit ſuperare, ſaltèm tumultibus, vel ſævitiis multiplicium gentium tyrannicarum ſuperet & confundat in Chriſto. Ipſe verò verſutus, & fallax ſciet antiquas ſcripturas quæ de ſe loquuntur, propter quod de his duobus famulis ſuis contrariis, & aliis prædicatoribus eidem contradicturis ſciens. A LONGE, id eſt ab antiquis temporibus, & ſcripturis, ut puta de Enoch ante diluvium, & de Elia medio tempore Regis Iſraël. ET EXIGENS. Scilicet acuens malitiam more ſcorpionis cauda venenantis. TORQUENSQUE. Id eſt inclinans ſuper illos malitiæ ſuæ furorem involvet, id eſt capiet, & ligabit frequenter. EPYSTILIA. Id eſt capita amputabit. IN FLETUM. Quia innumeros interficiet, & confundet: ſuperabit enim majores, & avaros divitiis, mediocres & maximè curioſos miraculis, juſtos & fideles tormentis: ut ſic pauci evadant, qui non corruent. De hoc dicit Salvator, quòd niſi breviati fuiſſent dies illi non foret ſalva omnis caro, ſed propter electos breviabuntur. CANANÆUS. Populus Hebræus, quem appellat ſemen Canaan, propter infidelitatis contumaciam, & ſervitutem legis quam ſubeunt.

VI. MARTII.

ſtibeunt. Et non filius Abrahæ per fidem ſed per carnem. Quia quod Abraham verè credidit juxta illud Euangelii: Abraham vidit diem meum, & gaviſus eſt, hic negavit, & credere recuſavit. EVIGILANS. Dormiviſſe videtur antiquus dierum, cùm tam validam poteſtatem ſuo adverſario tribuet, ut omnes ſuos electos ſuperet & confundat, qui, ut alibi dicitur, factus eſt, ut neminem timeat; & ut in templo Dei ſedeat, tanquam ſit Deus. Sed EVIGILANS quaſi de gravi ſomno animabitur contra eum, quaſi finis advenerit malorum ejus.

Religioſis à primævo ſuo inſtituto, & Patriarcha ſuo imitatione devii væ multiplex.

1082. *In præfatis Annalibus P. Lezana ad annum 1270. n. 9. refert quorundam expoſitionem circa Oraculi iſtius capitulum XI. cujus initium eſt hoc:* Væ mulieribus exciſis de petra duriſſima Vallis virginis, & puellis de monte umbroſo, & beſtiis de monte Libano. A ſuæ tempore juventutis uſque in ſenium earum, noviſſimum væ multiplex eis incumbit. In infantiæ ſuæ primordio uſque in tempora pubertatis margaritis multiplicibus parentum ſanguine rutilantibus renitebunt; ſed in proceſſu pedetentim muſcarum ſtercoribus, & viarum pulveribus fuſcabuntur. Væ unum, & væ iterum hos præſtolantur. *Abbas Ioachim iſta, & ſequentia exponit de triplici genere Religioſorum qui à primæva ſui Inſtituti perfectione, & à ſui fundatoris, ac anteriorum Patrum regulari obſervantia deviantes, & ſe multipliciter variis vitiis contrariis ſuæ profeſſionis votis, & in illis veteraſcentes, miſerabili, & irreparabili caſu corruunt in interitum: & ideo incipit cum dictione VÆ, quæ quater repetitur. Nuncupantur autem* mulieres; *quia, inquit Ioachim* molles, delicati, curioſi, ut fœmina: *dicuntur* exciſi de petra; quia eorum Fundator erit ſanctus, conſtans, & firmus ut petra. *Ita Ioachim. Circa iſta hæc annotat Lezana.* Mirandum hic ſanè quòd graves aliquot Auctores, qui hoc Opuſculum legerunt, hæc quæ de improbis quibuſdam Regularibus à B. Cyrillo, & Joachimo in hoc capite deſcribuntur, Religionibus modò in Eccleſia vigentibus attribuant, non ſine ipſarum injuria, hæreticorumque debachantium deriſu, qui peſſimi argumentatores ſingularium defectus in totius Monaſtici ſtatus opprobrium vertunt. Pietati proindè conformiùs apparet ſi dicamus Religioſos hoc capite comprehenſos forſan fuiſſe Mendicantes illos à Gregorio X. & Concilio Lugdunenſi extinctos cap. Unico de Religioſ. domib. in 6. eò quod confirmationem à Sede Apoſtolica, juxta præſcriptum Concil. Lateranenſ. ſub Innocentio III. non obtinuiſſent. Vel Templarios fortè, à Clemente V. & Concilio Viennenſi ob varia ipſis ſcelera imputata deletos. Et cur non Fratricelli, Beguardi, Beguinæ, aut ſimilis farinæ pſeudo-Religioſi, jampridem ab Eccleſia exſufflati: quibus potiori jure in hoc capite deſcripta appingi poſſent quàm aliis ſacris Regularium Ordinibus, Eccleſiæ ſanctæ columnis, eamque fulcientibus. *Et ad illa verba:* ad invicem corrodentur & alter alterum ſuaviter manducabit, *adſcripſit:* Ad hoc forſan tendit viſio de qua inter hiſtorias Germaniæ ad annum 1292. ſic habetur. In Lombardia apparuerunt in aëre duo Monachi parvi: albus & niger bonam horam ſe mutuo impugnabant, & poſteà in vallem, ſeu vaſtàm ſolitudinem deſcenderunt. Hæc vallis abſdubiè infernus eſt, locus ſanè rixantibus Monachis aptus. *P. Philippus à SS. Trinitate ad iſtud caput ait:* Quidam auctores completam cenſent hanc prophetiam, & variis Religionibus prætcritis applicant; ſed nulla eſt, cui cuncta quæ prædicuntur in Oraculo poſſint adaptari: unde futuræ potius timendæ ſunt... Credo tamen quòd tanta corruptio in prædictis Ordinibus Religioſis continget tantùm in fine mundi, cùm vix ſtabit fides, & frigeſcet charitas, & quòd hi flagitioſi erunt illi, quos prædicens Apoſtolus deſcribit Epiſt. 2. ad Timotheum cap. 3. dicens: Hoc autem ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi.

quinam ſint Religioſi iſti.

[illegible] peſſimi argumentatores ſingularium defectus in totius monaſt. ſtatus opprobrium vertentes.

Religioſis rixantibus locus infernus.

Veriſimilius, prophetia illa jam partim impleta eſt in iis de quibus jam ante Lezana, & partim implenda futuris noviſſimis diebus. Verumtamen Religioſi quivis paveſcant ad quadruplex iſtud VÆ, & ne de illorum numero ſint, ſatagant per ſuarum regularum obſervantiam, & ſuo Inſtituto conformem vitam ad exemplum ſui Fundatoris, ac priſcorum Patrum, ſolicitè cavendo, ne qui à ſæculo ſe ſeparàrunt, vitiis ſæculi involvantur, irretiantur, ac ad interitum provolvantur.

Veriſimiliter præfata Oraculi prædictio partim implebitur in fine mundi.

Religioſi quid facere debeant, ne de illorum numero ſint:

1083. *Capituli iſtius, & totius Oraculi ferè finis eſt:* Caveant miſeri, ne quidquid ſeverint ſe vertat in ſtipulam. Nempè ſi ad petram fortem & formem, quadram, & latam, politam, & albam, mundam, & ſanctam undè originem pertraxerunt, devotè & fideliter, & perfectè ſpectaſſent; & ejus conſtantias, efficacias, & virtutes prout ab infantia cœperunt, & ſuper petram deſcriptas viderunt, totis viribus inſecuti fuiſſent, nedùm ſexaginta, ſed & centum ſextarios in apothecis egregiè collocaſſent. *Ioachim Abbas iſta exponit de Religioſis, quorum Patriarcha in Oraculo nuncupatur: etiam* petra. *Ejus verba ſunt iſta:* PETRAM. Hoc ideo dicit; quia morum inſignia, quæ iſtorum Pater eis dedit obſervanda, ipſe Pater in ſe perfectiſſimè adimplevit. CENTUM. Quaſi aureolam Martyrum, ſummorumque prædicatorum aſſecuti fuiſſent. Etenim, qui benè regularem modeſtiam obſervaverunt, quæ in mentis, & cordis caſtitate, obedientia prompta, paupertate voluntaria, vigilantia aſſidua, parcitate diſtricta, ſilentio irretragabili, humilitate perfecta, conſiſtit; audeo dicere, quod pluribus, qui brevi martyrio ex hac vita migrarunt ægregiè perferuntur. Laudabilis quidem valdè vita religioſa ſi recta, valdè vituperabilis ſi iniqua eſt; quia neutrum mundum acquirit ad votum. *Iam dicta Religioſis negligentibus magno pavori eſſe debent: ideo dicitur:*

nempè inſpicere, & facere juxta exemplar ſibi monſtratum in ſuo Inſtitutore:

id qui fideliter faciunt, martyribus æquiparari poſſunt:

dicitur: Caveant miſeri; *ne ſcilicet illis contingat iſtud propheticum:* multum ſeminaſtis, parum intuliſtis: *verè miſeri; quia* neutrum mundum acquirunt ad votum. *Econtra magna conſolationi, & incitamento ſunt iſta: qui ad* petram fortem *&c.* mundam & ſanctam, undè originem protraxerunt, ſpectant *videlicet ad ſuum Patriarcham, & Fundatorem, ejus virtutes, fideli & perfectâ imitatione ſuas quoque faciendo, modo prædicto, atque ita ſui inſtituti, & tenaces, ac Regularum ſuarum obſervatores ſunt. Nam ſperare poſſunt fructum in cœlo referre etiam centeſimum & in præmio compares, aut ſuppares eſſe martyribus. Et iſta hactenus ex Angelico Oraculo S. Cyrilli delibata ſufficiant.*

1084. ANNOT. *Ex hactenus dictis habetur, non eſſe nova, ſeu novas narrationes (ſicut aliqui exiſtimarunt) ea quæ de S. Cyrillo in Annalibus Carmelitanis, & in Vinea Carmeli traduntur; ut pote eadem, & vix alia quàm quæ jam prætulerunt ex Ioachimo Abbate, ſcribente circa annum Chriſti 1173; vivente S. Cyrillo, & ex aliis qui à ſæculo quo obiit ipſe S. Cyrillus, ſucceſſivè de ipſo ſcripſerunt; videlicet Guilielmus de Sanvico, (qui in Carmelo) & Gilbertus Anglicus (in Anglia floruerunt eodem ſæculo quo vixit, & deceſſit S. Cyrillus:) Teleſphorus de Coſentia, Bartholomæus Piſanus, Conradus Alpendorp, & alii, qui ſequenti ſæculo claruerunt: Ioannes Groſſi, Baptiſta Mantuanus, Wernerus Rolevinck, Arnoldus Boſtius, Ioannes Gillemannus, Ioannes Molanus, atque alii in antecedentibus adducti, qui plerique à duobus ſæculis, aut ultrà, paulove citrà ſcripſerunt: quibus jungantur vetuſta Ordinis Miſſalia, & Breviaria, ac Kalendaria: quæ & qui Neotericorum, aut novas narrationes habentium, nomine, venire nequeunt. Sed iſta obiter.*

Ab Antiquis illis iiſdem Auctoribus ea traduntur de S. Cyrillo quæ in Annalibus Carmeli, & in Vinea Carmeli.

XIII. MARTII.

VITA S. EVPHRASIÆ VIRGINIS

ad an. CCCLXXXVII & an. CCCIII. refertur ejus hiſtoria in Annal. Carm.

Eliani Carmelitici Ordinis alumnæ, profundâ humilitate, cœcâ arduâ obedientiâ, mirâ abſtinentiâ, Divini officii jugi aſſiſtentiâ, triumphali victoriâ adversùs dæmones, atque aliis heroicis virtutibus conſummatæ in brevi, explentisque tempora multa.

NOTATIO PRÆVIA.

Euphraſiæ ſanctitate plures,

1085. E*Uphraſia ſeu Euphraxia ſanctitate illuſtres in Eccleſiaſticum hiſtoriis quatuor præcipuè celebrantur. Prima Euphraſia Martyr in Paphlagonia, de qua in Martyrologio Romano ad diem 20. Martii. Secunda Euphraſia Virgo, & Martyr Ancira, de qua in eodem Martyrologio ad diem 18 Maji. Tertia Nicomedienſis Virgo, quæ mirâ arte, & heroico facinore eluſit laſcivum adoleſcentem: de qua Nicephorus* (a) *libro 7. Eccleſiaſtica hiſtoria cap. 13.*

(a) in Eccl. Hiſt. l. 7. cap. 13.

celebrior eſt Euphraſia Virgo monialis Eliani Carmelit. Inſtituti.

1086. *Quarta verò celebrior eſt, de qua hic conſequenter. De ea Lezana in Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 387. iſta:* Circa hoc tempus Antigonus, & Euphraxia, pietate celebres conjuges, & Imperatoris Theodoſii conſanguinei, parentes eſſe meruerunt Sanctæ & celeberrimæ Virginis Euphraſiæ. Cujus piiſſima hiſtoria calamum noſtrum vocat, quòd ſacra Monialis fuerit in Thebaidis Ægypti partibus, ubi, prout ſæpiùs inculcatum, fœminarum (ſicut, & virorum) cœnobia erant inſtituti Eſſeni, ac proindè Eliani. Unde non ſolùm Chronologi noſtri, ſed & exteri etiam hanc celeberrimam Virginem inter Carmeli fragrantiſſimas odore roſas accenſent. *Pro cujus confirmatione vide hîc ſuprà, Fundamento XI. Obitum ejus refert ad annum Chriſti 413. ubi rectè annotat, errare eos, qui ſcribunt eam propè Alexandriam floruiſſe. Scribunt de ea Arnoldus Boſtius in Speculo Hiſtoriali, Ioannes Paleonydorus in Faſciculo Tripartito atque alii hiſtorici Ordinis. Vita ejus compendioſa extat in Menologio Carmelitano & in Opere, cui titulus:* Decor Carmeli.

de hac quinam ſcribant,

1087. *In Martyrologio Romano ad diem XIII. Martii, hîs commemoratur verbis:* In Thebaide depoſitio ſanctæ Euphraſiæ Virginis. *Verbis iiſdem ad eundem diem de illa agit Vſuardus. Annotat Molanus:* Euphraſiæ vitam habet Surius, quæ etiam cum Vitis Patrum eſt impreſſa. *Vitam illam Surius deſumpſit ex P. Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu in Vitis Patrum quæ cùm paſſim obvia ſit, ſatis nobis viſum fuit, eam hic tradere compendio contractam. Ex antiquis MSS. eadem illa vita cum Græco textu Vaticanæ Bibliothecæ collata, & commentario prævio, ac notationibus illuſtrata, inſerta eſt Actis Sanctorum per RR. PP. Bollandum, Henſchenium, & Papebrochium ad diem XIII. Martii, ubi oſtenditur, quanta auctoritatis vita hæc ſit, & olim fuerit; cum S. Ioannes Damaſcenus in oratione III. pro imaginibus, duos ex hac vita textus tranſcripſerit, pro defenſione ſacrarum imaginum. Ibidem declaratur, quòd ex Græcarum vocum proprietate nuncupanda ſit* Eupraxia, *à benefaciendo, ſumpto nomine; ſicut à benedicendo* Euphraſia: *ſub quo nomine officio Eccleſiaſtico in Breviariis nec non in Miſſalibus Carmelitanis ſub ritu duplici colitur auctoritate Eccleſiæ per totum Ordinem Carmeli die XIII. Martii, ad quem in Miſſalibus, & Breviariis prænotatur:* Sanctæ Euphraſiæ Virginis, Ordinis noſtri: Duplex. *Olim hæc Oratio, ſeu Collecta legebatur:* Omnipotens, ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam novâ prole ſemper fœcundas, & auges, nobis ſupplicibus ita jugiter adſit tua propitiatio, ſicut Beatæ Euphraſiæ Virgini virtutibus & miraculis adfuiſti: cujus interceſſione ab omnibus vitiorum tenebris eruamur, & de ejus feſtivitate lætemur. Per Dominum

ſub ritu duplici colitur 13 Martii in Ord. Carmelit.

XIII. MARTII. minum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. *Ita in Breviario Ordinis Venetiis impreſſo anno 1573. legitur folio 481. In Miſſali autem anni 1574. ſic Miſſa præſcribitur:* XIII. Martii. S. Euphraſiæ Virginis Ordinis noſtri. Introitus: Vultum tuum deprecabuntur, &c. Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam &c. (*ſicut jam præceſſit*) *eadem parùm immutata nunc quoque legitur ad Miſſam, & horas Officii Canonici. Et in Officiis propriis Carmelitarum Diſcalceatorum auctoritate Sedis Apoſtolicæ, per ſpecialem Bullam Sixti V. anni 1589.) conceſſis, ac iteratis vicibus à Sacrorum Rituum Congregatione recognitis, & approbatis* (*ſicut hîc ſuprà ad diem XXV. Februarii pleniùs retulimus*) *ad diem XIII. Martii legitur:* S. Euphraſiæ Virginis Ordinis noſtri Duplex. *Et oratio ad horas, ac lectiones ſecundi nocturni ſunt propria, ſicut in Breviario Carmelitano. Quòd autem Præfecta monaſterii, in quo S. Euphraſia vixit, nuncupetur* Abbatiſſa; *meminerit Lector, quòd olim in Eliana Carmelitana Religione etiam inter viros ordinarium nomen Superioris fuerit* Abba: *videatur hîc ſuprà Fundamento VIII. n. 325. Cùm autem in Martyrologio Romano, & Uſuardi, ac Molani, & Miſſalibus ac Breviariis uſurpetur nomen* Euphraſiæ, *atque etiam ſubindè promiſcuè ab aliis, & communiùs ſit in uſu loquendi, iſtud quoq; deinceps retinebimus.*

Abba & Abbatiſſa olim nomenclatura Superiorum in Ord. Carm.

Euphraſiæ nomen cur hic uſurpetur.

V I T A,

in Vitis Patrum copioſè ſcripta, compendioſiùs hîc tradita.

CAPUT I.

S. Euphraſiæ parentes pietate, & nobilitate illuſtres: deſponſatio: profectio in Ægyptum, Matre vidua: ingreſſus in monaſterium: obitus Matris.

1088. Euphraſia Virgo filia Antigoni Senatoris, & Euphraſiæ nobiliſſimæ de civitate Conſtantinopolitana tempore Theodoſii Imperatoris originem duxit. Cujus pater Auguſto amiciſſimus, & propinquus, totius Liciæ negotia gubernabat. Erat autem & compaſſibilis homo, cunctis neceſſaria præbens. Diligebatque eum Princeps non ſolùm tanquam parentem ac ſenatorem, ſed etiam tanquam Chriſtianum & pium, & ſemper conſilia utilia proferentem. Erat autem hic locuples vehementer, ita ut civitas regia alium divitiis, ſermone & opere ſimilem non haberet. Euphraſia, ex eodem Imperiali ſanguine deſcendens, mulier erat religioſa, & timens Dominum nimis, & Eccleſiæ vacans, & offerens Deo preces cum lacrymis. Hæc multos in opere Dei fecit idoneos, multaſque oblationes in Eccleſiis & ſanctuariis offerebat. Vehementer eam diligebat Imperator & Auguſta, præcipuè quod ex eorum genere erat, nec non & moribus compoſita, & honeſta, & valdè religioſa. Nata eſt autem eis filia, & vocaverunt eam nomine matris ſuæ Euphraſiam. Cumque habuiſſent hanc filiam, unâ dierum dixit Antigonus Euphraſiæ, quia nihil eſt iſta vita, nihil divitiæ, nihil vanitas hujus ſæculi temporalis. In octoginta namque annis hominis tempus impletur cum ruina: divitiæ autem in cœlo repoſitæ, in infinita ſæculorum ſæcula timentibus Deum manent: & privamus nos illis divitiis, mundanis cogitationibus obligati; & in fallacia poſiti temporalium divitiarum, dies noſtros fruſtrà conſumimus, nihil animabus noſtris utiliter acquirentes. Audiens autem hæc Euphraſia, dixit Antigono viro ſuo: Et quid jubes, Domine mi, ut faciamus? Cui dixit Antigonus: Unam filiam per Deum acquiſivimus, quæ ſufficit nobis, & nequaquam ultrà conveniamus infelicitati ac miſeriæ ſeculi. Audiens hæc Euphraſia, conſurgens extendit manus ad cœlum, & ingemiſcens dixit viro ſuo Antigono: Benedictus Deus, qui dignum te fecit timore ſuo, & ad cognitionem veritatis adduxit. Verè, Domine, ſæpiùs ſupplicavi Deo, ut cor tuum illuminaret, & mentem tuam pro hac cauſa faceret eluceſcere; ſed hoc tibi pandere non præſumpſi: quia verò ipſe feciſti principium, jube me ut loquar. Cui dixit Antigonus: Dic ſoror mea quod vis. Reſpondit: Noſti, Domine meus, quia ante multas generationes Apoſtolus teſtatur, & dixit: Tempus breve eſt: reliquum eſt, ut qui habent uxores, tanquàm non habentes ſint. Deficit enim hujus ſæculi cupiditas. Ad quam enim utilitatem erunt iſta pecunia & tanta abundantia poſſeſſionum? Nihil eorum eſt, quod nobiſcum poterit deſcendere in infernum. Cùm bono ergo Conſilio tuo feſtina multa dare pauperibus, ut non illud conſilium quod tractaſti, inveniatur infructuoſum. Audiens autem Antigonus, glorificavit Deum. Cùm igitur adeptus eſſet optimam converſationem, & multa pauperibus erogaſſet Antigonus, unum ſolummodò annum vivens, poſtquam ſuæ renunciavit uxori, vitam ſuam piè diſponens, completo anno defunctus eſt, & ſepultus in pace. Tunc Imperator pariter & Auguſta fleverunt eum, tanquam ex eorum genere deſcendentem, virum juſtum & religioſum.

S. Euphraſiæ parentes imperatoris conſanguinei,

pietatis operibus valdè dediti;

contemptores vanitatis, & voluptatum,

in continentia vivunt,

Antigonus pater moritur;

1089. Euphraſia vidua remanens, poſt ſolutas viro exequias, ad Imperatorem & Auguſtam accedit, & ad eorum pedes proſtrata filiam ſuam, velut orphanam, ipſiſque ſanguine conjunctam enixè commendat: cujus curam ſuſcipiens Imperator, ei debitè juxta conditionem natalium providere cœpit: vix enim erat annorum quinque puella, cùm ei Senatorem ditiſſimum deſtinavit ſponſum, qui futuri ſponſalitii arrhas Euphraſiæ tradidit; ſed dum expectatur ætas, longiori expectatione inquietus matrem puellæ juvenem adhuc Auguſtâ mediante ſollicitat: quæ tamen nunquam de ſententia continentiæ,

Euphraſia infantula per arrhas deſponſatur.

XIII. MARTII.

quam Deo voverat conſervandæ dimoveri potuit, etiam à pleriſque aliis ſollicitata. Cumque Imperator Auguſtam ſeverè reprehendiſſet, quòd Euphraſiam matrem ad prædictas nuptias cum illo Senatore voluiſſet inducere; ipſa Euphraſia videns in Domo Imperiali rixas propter ſe, triſtatur nimis, & de fugienda civitate Conſtantinopolitana cogitat.

Euphraſia mater ſollicitata ad ſecundas nuptias clam in Ægyptum cum filia diſcedit:

1090. Undè tutiorem viam eligens, ſicut carnis voluptatibus jam fecerat, ſic & mundo renunciare decrevit. Curiam igitur inſcio Imperatore deſerens, cum filia adhuc puella venit in Ægyptum, ubi plura poſſidebat prædia: ibi ſuorum prædiorum curam procuratoribus committit, & aliquandiu commorata Eccleſiis & monaſteriis multa contulit dona. In interiorem Thebaidem profecta unà cum filia virgine, ibi reliquum vitæ vicinis monaſteriis ex facultatibus, quæ ei plurimæ ſuppetebant, neceſſaria jugiter exhibens, conſumpſit. Dum autem piis illis operibus ſeriò incumbit, ecce Deo providente contigit illam ad peramplum quoddam virginum Monaſterium cum filia venire, in quo ſub Abbatiſſa unà pluſquam centum & triginta Moniales degebant, diſciplinæ ſeverioris obſervantiſſimæ: quibus cilicium erat veſtis quotidiana; jejunia verò ſic ordinaria, quòd earum plures biduum, aliæ etiam triduum, reliquæ non niſi veſperi cibum ſumerent. Ordinarius earum cibus erant olera & legumina, potus autem aqua: vinum enim, oleum, uvas, ficus, aut etiam poma, vel contigiſſe piaculum erat. Cùm Euphraſia mulier devota harum virginum pià converſatione mirabiliter delectaretur, frequentiùs ad monaſterium accedebat, & eleëmoſynas largiebatur. Moniales verò cum puella ſeptem annorum Euphraſia converſantes, ei per jocum dicebant, an vellet fieri Religioſa: Quibus puella reſpondit, verè ſi non contriſtaretur mater mea, ulteriùs non egrediar de loco iſto.

venit ad monaſterium in quo degebant 130 Moniales miræ auſteritatis.

Euphraſia ſeptennis pium deſiderium vitæ Monaſticæ.

1091. His velut vocationis ſuæ præludiis ad ſtatum religioſum allicitur Virgo Euphraſia, & tandem interiori gratia firmatur. Unde cum quadam die dixiſſet ei Mater; Filia mea veni, pergamus ad noſtram Domũ, quia jam veſpera eſt: Reſpondit puella; Hic ego maneo cum Domina Abbatiſſa. Dixit Abbatiſſa; Vade Domina in domum tuam; non potes hic manere, nemo hic manere poteſt, niſi ſe devoverit Chriſto: Cui reſpondit virgo, ubi eſt Chriſtus? Illa gratanter ei Dominicam Imaginem demonſtravit: Pergens autem Euphraſia oſculabatur Dominicam figuram, & converſa dixit Abbatiſſæ; Verè & ego me voveo Chriſto meo, & ulterius cum Domina matre mea non vado. Cumque nec mater blanditiis, & lacrymis, nec Abbatiſſa variis artibus & terrore pœnitentiæ eam dimovere potuiſſent, dixit Abbatiſſa matri: Domina mea dimitte hanc puellam hic; video enim quòd gratia Dei illuxit in ea, & juſtitia patris, & honeſtas tua, & orationes utrorumque veſtrûm vitam æternam ei meruerunt.

Dominicam Imaginem oſculatur, & Chriſto ſe devovet:

1092. Surgens igitur Euphraſia, & filiam ſuam aſſumens ad Dominicam Imaginem eam adduxit, & extendens manus ad cœlum, cum magno clamore & fletu Dixit: Domine Jeſu Chriſte habeto curam iſtius infantulæ, quia te concupivit, & ſe tibi commendavit. Deinde converſa ad filiam dixit: Euphraſia filia mea Deus qui fundavit montes immobiles, ipſe te in ſuo timore confirmet. Et cùm hæc dixiſſet tradidit ſuis manibus eam Abbatiſſæ, & deflens pectuſque ſuum tundens receſſit à monaſterio collachrymantibus aliis. Alia die virgo Euphraſia habitu Monachali induitur: mater verò non multo poſt valè dicens Monialibus, & filiam oſculata receſſit, & juxta morem circuiens neceſſaria pauperibus erogabat: cujus optima converſatio ubique etiam in Curia Imperiali emicabat. Cumque jam Cœlo matura eſſet, Deus eam ad coronam gloriæ voluit adducere, quod prædictæ revelavit Abbatiſſæ. Unde poſt paucos dies vocat eam Abbatiſſa ſuamque manifeſtat revelationem dicens; vidi in ſomnis Antigonum virum tuum gloria præfulgentem, qui Chriſtum rogabat, ut tu cum illo fieres ejuſdem gloriæ particeps: Quæ cum audiſſet pia mulier; domum reverſa de ſuis diſponens negotiis ſe morti præparat, & poſt accedens ad filiam, ei bonorum ſuorum tradit dominium in favorem monaſterii; ſuamque mortem inſtare denuntiat. Hæc audiens Euphraſia virgo, flere cœpit dicens; væ mihi, quia peregrina ſum, & orphana: Cui pia Mater dixit; Filia Chriſtum habes pro patre & ſponſo, & Dominam Abbatiſſam loco matris, adimple quæ promiſiſti; Deum time, ſorores honora, pauper eſto in terra, ut in cœlo diteris. Poſt hæc die tertia obdormivit in Domino, & ſepelitur in monaſterio.

habitu Monaſtico induitur,

Euphraſia matris optima converſatio,

ejus obitus,

CAPUT II.

S. Euphraſiæ literæ ad Imperatorem: abſtinentiâ mirabilis: humilitas: prompta & cæca obedientia: tentationes dæmonis multiplices, victorioſè ſuperatæ.

1093. Cum Imperator mortuam audiviſſet Euphraſiam matrem, indicat prædicto Senatori, quod Euphraſia virgo ſe monaſterio dedicaverat: ad cujus inſtantiam ipſi per nuncium ſcribit, ut Conſtantinopolim veniret, & nuptias ſuas celebraret. Propria manu reſcripſit virgo in hęc verba: [Domine Imperator, ſuadeíne ancillæ tuæ, ut reſpuam Chriſtũ, & homini corruptibili conjungar, qui hodie eſt & cras non erit? Abſit ab ancilla tua, ut hanc iniquitatem faciam: Quapropter, Domine, ne ulterius vos vir ille fatiget; ego enim Chriſto conſenſi, & impoſſibile eſt me eum negare: ſed

S. Euphraſia repetitur à ſponſo per imperatorem:

cui ipſa ſcribit:

XIII. MARTII.

ſed ſupplico poteſtati veſtræ, ut memoriam parentum meorum habeatis. Idcirco tolle omnem ſubſtantiam, & diſpenſa pauperibus, ſimul & orphanis, & da univerſa Eccleſiis ... ut ſine ſollicitudine mearum terrenarum rerum conſiſtens, Chriſto ſine quolibet ſervire valeam impedimento, cui animam meam commendaſſe cognoſcar. Orate pro ancilla veſtra, tu & Auguſta, ut mereatur Chriſto ſervire, prout dignatur ancillam ſuam.] Hanc cùm legiſſet epiſtolam Imperator cum Auguſta, & Senatoribus communicaſſet, fleverunt omnes ſanctum Virginis propoſitum laudantes, & ipſam eſſe verè filiam tam piorum parentum dicentes, & ſanguinis Imperialis gloriam. Tunc erat Euphraſia Virgo annorum duodecim, & ad certamina ſe fortiter exercebat. Primum quidem ſemel tantùm in die ad veſperam comedebat, deinde poſt biduum, demum poſt triduum. Humilia quæque monaſterii officia præſtabat, triclinia mundans, cubicula ſororum ſternens, aquam culinæ providens, & ſimilia valde rigida continuò præſtans virgo delicata: & cum tanta alacritate, ut omnibus eſſet admirationi.

Euphraſia duodennis pia exercitia:

1094. Hæc autem conſuetudo erat in monaſterio: ſi quando contigerat aliquam ſororem tentari à diabolo per ſomnum, mox Abbatiſſæ pandebat. Illa verò cum lacrymis Deum poſtulabat, ut diabolus ab ea recederet, jubebatque ut lapides portaret, & ſubſtratum ſub ſago cinerem ſuper cilicium ſpargeret: & ita dormiret uſque ad decimum diem. Unâ verò dierum ipſa à diabolo tentata eſt, & ſuperpoſuit ſtratui ſuo cinerem. Videns autem Abbatiſſa cinerem ſub ſtratu Euphraſiæ, riſit, & ait ad unam ſororem ſeniorem: Verè hæc puella tentari cœpit, & orans Abbatiſſa, dixit: Deus qui creaſti eam ſecundùm tuam voluntatem, tu eam in tuo timore conforta. Et vocans eam Abbatiſſa, dixit ad eam: Quare non indicaſti mihi tentationem diabolicam? Illa verò cadens ad pedes Abbatiſſæ, dixit: Ignoſce mihi, domina mea, quia confuſa ſum indicare tibi hanc cauſam. Dixit ad eam Abbatiſſa: Filia mea, ecce pugnare cœpiſti: viriliter age, ut vincas & coroneris.

eam diabolus tentationibus impetit;

monetur diaboli tentationes patefacere Abbatiſſæ:

1095. Poſt paucos dies verò denuò tentata eſt, & narravit alicui ſorori, nomine Iuliæ, quæ multùm diligebat Euphraſiam: quæ etiam in certaminibus eam exercebat. Dixitque ei Julia: Domina mea Euphraſia, non abſcondas hoc Abbatiſſæ: ſed refer hoc, ut oret pro te. Omnes enim tentamur à diabolo: ſed ſperemus in Chriſti nomine, quia vincimus eum. Ergo ſoror mea non moreris, ſed indica Abbatiſſæ cauſam, & noli confundi. Audiens autem hæc Euphraſia, gratias egit Iuliæ: & dixit ad eam: Adjuvet te Deus, ſoror, quia ædificaſti me, & meam animam confortaſti. Verè ingredior, & cauſam Dominæ Abbatiſſæ pronuntio: dixitque Iulia: Etiam ſic fac, ut oret pro te, & adiiciat tibi abſtinentiam. Illa verò ingrediens, indicavit Abbatiſſæ cauſam. Dixitque ei Abbatiſſa: Non pertimeſcas, filia, omne bellum diaboli, quo contra nos nititur: certa igitur fortiter immobili animo, & non prævalebit adverſùm te. Multùm enim ab ea tentanda es: ſed certa, ut vincas, ut victorias & triumphum accipias à ſponſo tuo Chriſto, & quantum potes adiice abſtinentiæ tuæ. Qui enim præcipuè decertat, præcipua dona percipiet. Poſt aliquantulum verò temporis ſpatium interrogavit eam Abbatiſſa, dicens: Poſt quot dies comediſti filia? Puella dixit: Poſt tres dies, Domina mea. Dixit ei Abbatiſſa: adiice adhuc unum diem. Illa verò juſſionem ejus cum lætitia magna ſuſcipiens, diſceſſit.

qua illam conſolatur & confortat:

1096. Cumque facta eſſet annorum viginti, ætate confortabatur & prævalebat. Erat enim nimis ſpecioſa, tanquam vera matrona, & ſanguine regio procreata. Denuò autem tentata indicavit Abbatiſſæ cauſam: Dixitque ei Abbatiſſa: noli timere, filia, Deus tecum eſt. Erat autem in aula monaſterii acervus lapidum. Volens autem Abbatiſſa tentare Euphraſiam, & ad matris provocare obedientiam: dixit ei: venis filia mea, iſtos lapides tranſporta hinc, & pone eos juxta clibanum. Euphraſia verò mox acceſſit lapides tranſportare: erant autem & grandes lapides inter eos, quos duæ ſorores vix poterant agitare. Illa verò ſuper humeros ſuos arripiebat eos, nullo adjutorio opus habens; erat autem juvenis, & valde fortis, nec dixit Abbatiſſæ: Adjuvet me alia ſoror. Nec dixit: grandes ſunt lapides, non prævaleo. Nec dixit: jejuna ſum & deficio, & opus hoc grande eſt: ſed cum fiducia juſſionem per obedientiam adimplevit.

S. Euphraſia obedientia fortis, & caeca,

1097. Aliâ verò die dixit Abbatiſſa ad eam: Non eſt juſtum, ut lapides iſti juxta furnum ſint poſiti, ſed reporta eos in locum ſuum. Illa verò denuò confidenter juſſionem Abbatiſſæ ſuæ complevit. Hoc ergo opus viginti dies juſſit eam facere, ut patientiam ejus comprobaret. Omnes itaque ſorores videbant quod fiebat, & puellæ obedientiam demirabantur. Triginta verò dies impleti ſunt. Denuò divini operis celebratione factâ, die quâdam pergente Euphraſia ut lapides portaret, dixit ei Abbatiſſa: dimitte, filia, hoc miniſterium, & tolle farinam & conſperge, & coque panes in furno, ut inveniaris ad veſperum in miniſterio ſororum. Illa verò cum magna lætitia & gaudio juſſa complevit.

ac perſeverans in magna patientia:

1098. Poſt completum verò miniſterium uſquè ad horam tertiam, tenens codicem Euphraſia, ſtabat, legens ſedentibus, & poſteà ſtans ad horam tertiam in miniſterio. Poſt completionem verò tertiæ, mox Euphraſia ſororibus neceſſaria parabat, mundiciam in triclinio faciens, & lectos ſternens, aquam implens, & ad coquinam portans: ligna frangens, & legumina coquens: farinam conſermentans, & coquens panem in clibano. Et dum hæc omnia faceret, nec in

occupatur in variis,

XIII. MARTII.

à divino officio interim nunquã abſens,

nocturna pſalmodia deerat, nec in tertia, nec in ſexta, nec in nona, nec in veſpera. Nam poſtquàm complevit veſpertinas orationes, per ſe miniſterium faciebat inferendo. Cum ea etiam laborabat Julia: ſatis enim diligebat Euphraſiam. Denuò ſiquidem diabolus per ſomnum vehementer eam tentans, ei certamen immiſit maximum, quæ mox anxietatis ſuæ certamen abbatiſſæ confeſſa eſt. Pro qua dùm oraret abbatiſſa, dixit ei: filia mea Euphraſia, tempus certaminis eſt: vide ne molliat diabolus mentem tuam, & perdas laborem tuum. Adhuc enim parvo tempore dimicans tecum, dum fuerit ſuperatus à te, rurſùm effugiet. Dicebatque ei ſimul Iulia: Domina, & ſoror mea, ſi modò ei non repugnamus, & vincimus, in ſenectute quale bellum cum eo faciemus? Cui reſpondit Euphraſia: Vivit Dominus, ſoror Iulia, quia ſi mihi præceperit abbatiſſa, non guſtabo in tota ſeptimana panes, donec eum, Domino adjuvante, vincam. Cui Iulia dixit: Si tu hoc potes implere in terra, beata eris in cælo. In iſto namque monaſterio nulla potuit ſine cibo totam ſeptimanam permanere, niſi Domina noſtra Abbatiſſa. Tunc ingreſſa Euphraſia, nuntiavit tentationem diaboli per ſomnum Abbatiſſæ: eamque rogavit, ut ei præciperet, quatenus totam hebdomadam ſine cibo perſiſteret. Cui Abbatiſſa dixit: fac quidquid videris facile eſſe, filia mea. Deus, qui creavit te, confirmet te, & contra diabolum donet tibi victoriam. Cœpit igitur Euphraſia totam ſeptimanam jejunare, & neque pſallendi officium dereliquit, nec ſororum miniſterium, ita ut omnes tolerantiam ipſius mirarentur, & pulchritudinem ſimul, & juventutem ætatis. Dicebant autem quædam de collegio earum: Habemus hodie annum, cuſtodientes Euphraſiam, & ſedentem eam non vidimus, neque per diem, neque per noctem, niſi ſolùm quando requieſcebat in loco ſuo nocte. Numquàm enim ſedit, vel quando etiam panem comedit. Omnes ergo ſorores diligebant Euphraſiam, quia ſe ita humiliter exercebat, & cum ſtudio famulatum ſororibus exhibebat, dùm præcipuè utique de ſanguine imperiali deſcenderet.

à dæmone graviſſimè tentatur:

eum ſuperat jejunio integra ſeptimana.

Integro anno numquàm ſedit,

1099. Semper virtus ſuos habet æmulos: quamvis Euphraſia Virgo Monialibus eſſet chariſſima, erat inter eas una nomine Germana, humili loco ex ancilla nata, quæ dedit ipſi magnum patientiæ exercitium: undè quadam die inſurgens in ſanctam Virginem, ſeverè reprehendit, quòd integrâ jejunaret hebdomadâ, dicens, hanc ſingularem abſtinentiam aliis eſſe nocivam, & ex parte ipſius malitioſam: nocivam quidem aliis, quia ad ejus exemplum poterat Abbatiſſa cæteras ſimili jejunio impoſſibili obligare; malitioſam verò, quia tali apparentiâ gradum ſibi ad dignitatem Abbatiſſæ parabat. Et prorumpens in injurias dixit ei: Impoſtrix, & omni calliditate plena, quis neſciat, quia hoc arte facis, ut poſt mortem Abbatiſſæ ſucce-

ab æmula injurias impetitur:

ſe humiliter proſternit:

das ei? Credo in Chriſto, quòd te nunquam dignabitur ad hanc dignitatem pervenire. Hæc audiens humilis Euphraſia ſe proſtravit ad pedes ejus, dicens: Ignoſce mihi Domina mea, & ora pro me. Talem diſcens exceſſum Abbatiſſa Germanam corripit coram omnibus, dicens ei: Ancilla nequam, & à Deo extranea, quid tibi nocuit Euphraſia, quia feſtinaſti ſtudium ejus obrumpere? Severè caſtigavit, nec niſi poſt triginta dies ad preces Euphraſiæ pepercit ei.

1100. Expertus dæmon, quantùm ipſi noceret Euphraſia bonæ virtutis exemplo, & amplius ab illa timens, mortem inferendam meditabatur. Dum humilis ancilla Chriſti ad hauriendam aquam quadam die ad puteum acceſſiſſet, eam diabolus, permittente Deo, cum vaſe projecit intra, ita quod caput ejus ad fundum putei perveniret. Quæ ſublevata, & tenens funem ſitulæ clamavit: Chriſte adjuva me: ad ejus vocem exterritæ accurrunt Moniales, & extrahunt eam de puteo: ipſa verò ſe Crucis ſigno muniens ſubriſit, & ait; Vivit Chriſtus meus, quia non me vinces diabole, nec cedo tibi; hactenùs unicum vas aquæ portabam in culinam, deinceps duplici vaſe aquam portabo; & revera ſic fecit. Alia vice dum ligna ſcinderet, dæmonis arte ſibi tibiam vulneravit, & tunc ligna deferens, ut officio, ſatisfaceret, dum gradus aſcendit calcans extremitatem tunicæ ſuæ ſuper ligna cadit, & vultus ejus læditur, unde copioſus ſanguis emanabat, nec tamen propterea ſuum reliquit miniſterium.

Dæmonis acriores in eam inſidiæ,

mortem inferre variis caſibus conatur:

1101. Dum alia die cum Iulia ad tertium ſolarium aſcenderet, arripiens eam diabolus præcipitavit deorſum, quæ concurrentibus occurrit Monialibus, & interroganti Abbatiſſæ, an læſa eſſet: reſpondit; Vivit Dominus, quia nec quomodo ceciderim novi, nec quomodo ſurrexerim. Audiens Abbatiſſa, quod de tanta corruens altitudine non fuerit læſa, glorificavit Deum dicens; Vade filia ad opus tuum, & erit Dominus tecum. Dum alia die præ manibus ferventem ollam teneret ut coctionem olerum in vas funderet, obſtupefactis pedibus corruit retrorſùm, & coctio fervens ſuper ejus faciem defluit; quæ tamen non læditur mirantibus cunctis, qui reſiduum coctionis in olla fervere videbant: & interrogata dixit Abbatiſſæ; Verè Domina mea, coctio velut aqua frigida venit in faciem meam. Cui dixit Abbatiſſa penitùs admirata: Filia Deus te cuſtodiat, & tibi ſine intermiſſione pati concedat in ſuo ſancto timore. Videntes ſacræ Virgines tot ſanctitatis indicia, & continuum virtutis exercitium in Euphraſia, conſiderabant eam velut illuſtrem ancillam Chriſti, & ſummopere diligenter venerabantur.

ſed fruſtrà, illâ ſemper victrice Dei adjutorio.

CAP.

CAPUT III.

S. Euphraſiæ poteſtas à Deo data ſanandi infirmos, & liberandi energumenos: imperium in dæmones: ſanctus obitus ejus.

1102. Cum tam ſanctæ forent hujus monaſterii Virgines, in tota erant provincia celeberrimæ, ita ut ad eas undique afferrentur infirmi, qui precibus earum ab omni infirmitate ſubitò curabantur. Tunc erat in monaſterio quædam energumena, quæ ſpiritum habens immundum ſpumabat, dentibus ſtridebat, horribiliter clamabat, omnibus timorem incutiens, adeò ut nulla propiùs ad eam auderet accedere; ſed ei inferiùs exiſtenti cibus fune dimitteretur. Videns Abbatiſſa Virginem Euphraſiam jam miraculis claram, ei curam energumenæ demandavit, obediens virgo ſancta, ſic dæmonem ſubjecit, eamque reddidit manſuetam, ut deinceps facilè accederent omnes, & Euphraſiæ audito nomine ſtatim quieſceret.

S. Euphraſia miraculis clara puerum variè infirmum ſanat:

Accidit, quod quædam mulier filium ſuum octo annorum, paralyticum, ſurdum & mutum adduceret ad monaſterium ſanitatis gratia: vocat Euphraſiam Abbatiſſa, dicitque ei, vade ad oſtium monaſterii, & parvulum infirmum de matris ſuæ manibus aſſumens huc affer: Illa vadens ad imperium Abbatiſſæ, & videns parvulum trementem, ingemuit præ commiſeratione, & ſigno crucis muniit dicens; qui te creavit, ipſe te ſanet fili: & ſumens eum præ manibus pergebat ad Abbatiſſam, eum ſubitò ſanum vidit, & matri ſuæ clamantem audit; unde perterrita depoſuit eum in terra, & ille cucurrit ad matrem, qui priùs nunquam ambulaverat, nec locutus fuerat.

Energumenam liberat,

1103. Accedente tempore, quo Dominus prædictam energumenam liberare volebat, permiſit ut ſævior exiſteret: nam & Germanam rurſus Euphraſiæ detrahentem, & patienti cibos afferentem arripuit, unguibuſque, & dentibus laceravit, donec Euphraſia vocata ſuccurreret: veſtes ſuas alia die diſcerpens ſeipſam nudavit, & ſtercora colligens comedit; ſola Euphraſia poterat eam domare. Hæc ſancta Virgo compatiens ejus miſeriæ, preces offerebat Domino pro ipſius libertate: ipſe Dominus Abbatiſſæ revelavit patientem ab Euphraſia fore liberandam. Cui ait: Chriſtus tibi poteſtatem dedit in dæmones, ut eos eiicias: ipſa præ humilitate ſe confundens Abbatiſſæ mandato reſiſtebat, ſed tamen obedire coacta acceſſit ad patientem, & dixit; Sanet te Dominus meus Jeſus Chriſtus, qui te creavit, & ſignum Crucis in fronte fecit. Tunc dæmon clamavit: ô qualiter ab iſta impoſtrice, ac fallace cogor exire! habitantem hic plures annos me nullus expellere potuit, & hæc immunda, atque luxurioſa conatur me perſequi: reſpondit Euphraſia: Non ego te perſequor, ſed Chriſtus omnium Deus; ego quidem immunda ſum, & omni malignitate plena, ut tu quoque teſtaris, verumtamen jubente Domino egredere ex ea. Poſt multas tandem replicas jubet dæmonem recedere, dicens: In nomine Domini, abi miſer in tenebras inferiores, in ignem æternum, in infinita tormenta, parata tibi & patri tuo ſathanæ, & facientibus voluntatem ejus: reſpiciens in Cœlum ait: Domine Ieſu Chriſte ne permittas me in hac hora confundi, & ab immundo dæmone ſuperari: ad hæc continuò ſpumans dæmon, dentibus ſtridens, & horribili voce clamans exiit cum admiratione circumſtantium, qui Deum, glorificaverunt; & patiens illa manſit omninò libera.

Dæmoni imperando ut exeat:

revelatio de ejus obitu inſtante, & magna gloria in cælo;

1104. Cùm Euphraſia ſerviret Domino in lætitia, ſuum continuans vitæ rigorem, & obſervantias regulares adimplens, maximam perfectionem acquiſiſſet, voluit Dominus ipſe bonus & juſtus ei coronam juſtitiæ in æterna gloria reddere. Et felicem ejus tranſitum Abbatiſſæ revelavit; quæ vidit in ſomnis duos viros ab ipſa petentes Euphraſiam: poſt paululum duos vidit alios, qui dicunt ipſi; Aſſumens tecum Euphraſiam, deduc eam ante Dominum. Quam cùm aſſumpſiſſet, & ſimul properarent, venerunt ad portam magnificentiſſimam, quâ ultro apertâ ingreſſæ ſunt, & glorioſum videntes palatium, & in illo nuptiale ſolium; non auſa fuit Abbatiſſa interiùs progredi, ſed vidit aſſumptam Euphraſiam offerri Domino, ejuſque pedes immaculatos oſculari, poſtea à Matre Domini ad nuptialem thalamum deduci coronandam, vocemque audiit Euphraſiæ dicentem: Ecce merces tua, nunc itaque perge, poſt decem dies veniens fruere his in ſæculis infinitis. Hanc viſionem Abbatiſſa conſiderat, & de futuro ejus ſucceſſu certior divinitùs effecta, die nona cœpit vehementer affligi, ſciens dilectæ Euphraſiæ mortem imminere: nolebat interrogantibus mœſtitiæ cauſam indicare, tandem coacta manifeſtat. Quædam ſoror viſionem audiens, accurrit ad Euphraſiam in furno cum Iulia panes coquentem, dixitque ei; Scito Domina Euphraſia, quia magnus luctus eſt apud Abbatiſſam propter te. Cumque viſionem prædictam confusè referret, dixit Iulia; Putaſne audivit Abbatiſſa, quod ad inſtantiam illius, qui delectus aliquando fuerat tuus ſponſus, juſſit Imperator te adduci ex monaſterio, & propterea lamentatur? Cui reſpondit Euphraſia; vivit Dominus meus Ieſus Chriſtus, quia licet omnia terræ fundamenta moveantur, non mihi ſuadere prævalebunt, ut Chriſtum Dominum meum derelinquam; verumtamen Domina mea Iulia vade, & vide fletus iſtos, diſce quid contigerit, ne anima mea perturbetur.

viſa à Dei Matre duci ad thronum gloriæ coronanda;

Magnus eſt luctus ob inſtantem obitum ejus.

1105. Audiens Iulia prædictæ viſionis relationem, tundens pectus ſuum, & faciem, flenſque amarè rediit ad clibanum. Quam

 videns

XIII. MARTII.

videns Euphraſia dixit ; Conjuro te per Filium Dei ſoror Julia, indica mihi quid audiſti, & quare plangis : Cui reſpondit Iulia ; Plango, quia brevi ſeparabimur à te, cras enim morieris, ut didici a Domina Abbatiſſa. Ad hæc verba expavit Euphraſia, & decidit in terram : deinde in proximum reducta cubiculum, præ humilitate Dominum rogabat, ut ſibi unius anni tempus ad pœnitentiam concederet. Cujus luctum ut didicit Abbatiſſa, jubet eam adduci, & nimis afflictam, ac defectum pœnitentiæ deflentem conſolatur dicens ei ; Vivit Dominus, quia cœleſti Senatu dignam te fecit rex tuus Chriſtus, & cœpit omnibus manifeſtare, quibus bonis Euphraſia eſſet fruitura ; & rogabat eam, ut pro ipſa Dominum ſupplicaret, quatenùs particeps ejus eſſe mereretur, & ad cæleſtium bonorum poſſeſſionem brevi ejus interceſſione vocaretur.

S. Euphraſia optat tempus unius anni pro pænitentia facienda;

1106. Tunc frigus, & febris vehemens Euphraſiam invaſit, quæ juſſu Abbatiſſæ defertur in cubiculum tanquam brevi moritura. Sub veſperam dimiſſis aliis, ſola remanſit Abbatiſſa cum ſorore Julia ad lectum infirmæ : rogat utraque morituram, ut ſui recordetur cùm ad Dominum pervenerit, nec patiatur ab invicem ſeparari quas intimæ charitatis amicitia tam ſtrictè conjunxerat. Precibus utriuſque annuit Euphraſia, & tota nocte ſuum Domino tranſitum commendat. Mane facto jubet Abbatiſſa cunctas ſorores vocari, ut Euphraſiæ ſtatim ad cœlum diſceſſuræ ſupremum vale dicerent : Accurrunt ſingulæ, cum lacrymis devotionis eam ſalutant, rogantque ut ſui memor exiſtat apud Dominum, oſculantur ejus manus, & fœlicem tranſitum deprecantur. Accurrit & illa ſoror, quam Euphraſia à dæmone liberaverat, & morientis manus oſculando dicebat ; Iſtæ manus quantum mihi indignæ & peccatrici miniſtraverunt! Per Deum & per iſtas manus dæmonium à me fuit expulſum. Cui cum Euphraſia non reſponderet, dixit ei Abbatiſſa ; Filia mea non misereris vel hujus ſororis afflictæ? quare non loqueris, ei, quæ causâ tui ſic tribulatur ? Tunc ad eam ait Euphraſia ? Quare me luges Domina ſoror ? dimitte me requieſcere, quia deficio ; Tu benedic Deum, & ipſe te conſervabit ; Ora pro me, quia magnum certamen nunc eſt in anima mea. Paulò poſt finitis precibus ſancta Virgo Euphraſia fœliciter obdormivit in Domino die 13. Martii anno Chriſti 412. ætatis ſuæ 30. religioſæ profeſſionis 23. ſepelitur in eodem matris ſuæ tumulo. Cunctæ Moniales poſt lacrymas devotionis, glorificaverunt Deum in ſanctis ſuis.

febri corripitur:

moritur;

1107. Poſt mortem Euphraſiæ ſoror Iulia tribus continuis diebus ad ejus ſepulchrum oravit : quarta verò die factâ ſibi ſuæ mortis revelatione, acceſſit ad Abbatiſſam læta dicens ; Domina mea ora pro me, quia vocavit me Chriſtus intercedente pro me beata Euphraſia : Quinta tandem die ſalutatis ſororibus moritur, & juxta Euphraſiam ſepelitur. Similiter Abbatiſſa poſt triginta dies ſacris Monialibus ſignificavit ſe brevi morituram, dicens ; vocavit me Dominus, ſupplicavit enim pro me Domina Euphraſia, multumque ſuis precibus laboravit, quatenùs ego cœleſtem thalamum promererer, ſicut & Iulia : deinde juſſit ſucceſſionis ordine Abbatiſſam creari. Eligitur Theogenia, cui moritura dixit ; Conjuro te per intemeratam Trinitatem & conſubſtantialem, ne quæras iſtius mundi divitias aut poſſeſſionem, neque ſorores occupes ad terrenas ſollicitudines, ſed magis ut contemnentes bona temporaſia mereantur accipere ſempiterna. Deinde dixit omnibus ? Quomodo perfectè noſtis vitam & converſationem Euphraſiæ, eſtote imitatrices illius, ut participes etiam efficiamini ? recedens in cubiculum paulo poſt moritur, & juxta Euphraſiam & Iuliam ſepelitur. In ſepulchro autem ſanctæ Euphraſiæ multa miracula & ſanitates fiebant, & expulſi dœmones clamabant ; Poſt mortem prævalet contra nos Euphraſia, & nos perſequitur. Hæc eſt vita S. Euphraſiæ Virginis, quæ cœleſti ſenatui intereſſe promeruit. Feſtinemus igitur & nos, tam fratres quàm ſorores hujuſmodi converſationem habere, & ſectari humilitatem, obedientiam, laborem, manſuetudinem, longanimitatem; ut & nos ita Angelorum converſationem mereamur.

& ejus precibus mox ſequuntur Iulia ſoror, & Abbatiſſa.

ad ſepulchrum S. Euphraſiæ miracula multa facta:

ejus imitantes virtutes, etiam merebimur conſortium in cœlis.

DE

DE S. IOSEPHO,

Sponſo Deiparæ Virginis, Nutritio Chriſti.

§. I. *Cultus antiquus S. Ioſephi in Ordine Carmelitano.*

1108. ABbas *Tritbemius libro* 2. de B. Virgine in Urticeto, *cap.* 12. *ſub finem, agens de Religioſis Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmeli, de illis ſcribit iſta hic ad propoſitum*: Sunt enim præ cæteris multis ex primæva inſtitutione ſui Ordinis beatiſſimæ Dei genitrici ſemper immaculatæ Virgini Mariæ ſingulari famulatu devotiſſimi, & in veneratione Sanctorum pientiſſimâ celebratione religionis præcipuæ. Maximè autem honorant Dominicam parentelam, Divum videlicèt Joachim Nazarenum, & ſanctiſſimam conjugem ejus Annam, parentes intactæ Virginis Matris Dei, ſanctum quoque Ioſeph ſponſum Dominæ noſtræ ſanctiſſimum, & caſtiſſimum, & Salvatoris Nutritium: *Et cap.* 12. *ſub iſto titulo*: Carmelitarum ſingularis devotio in D. Virginem, S. Annam, Ioſeph, & Ioachim; *iſta de peculiari devotione erga præfatos S. Ioſephum, S. Ioachim, & S. Annam continuans*: Cùm ergo, *ſcribit*, prima Ordinis ſui ſanctæ inſtitutionis primordia in Iudæa fratres Carmelitæ ſuſceperint, magnamque, & ſingularem amicitiæ familiaritatem cum ſanctiſſimis parentibus Domini olim Patres eorum, in monte prædicto commorantes habuerint; ſintque providentiâ miſerationis divinæ tam inſignis prærogativæ titulô ſublimati, ut præ ceteris Ordinibus Clauſtralium cunctis, FRATRES BEATISSIMÆ DEI GENITRICIS nominentur; ne Domino Deo, & Ordinis ſui Patronæ atque protectrici viderentur ingrati, ſpeciali devotione ſempèr ejus parentes venerantur, & amicos, quorum merita non dubitant Deo eſſe gratiſſima: præcipuâ tamen omnes Carmelitani Ordinis fratres devotione Dei genitricis Mariæ matrem honorant, colunt, & venerantur Annam... Sanctum quoque Ioachim beatiſſimæ Virginis Mariæ patrem, & ejus caſtiſſimum ſponſum Ioſeph pari devotione venerantur, quotannis eorum feſta ſummâ reverentiâ, & ingenti pietatis affectu concelebrant.

Carmeli Ordo peculiariter addictus cultui Deiparæ, & S. Ioſephi,

& S. Annæ, & Ioachimi:

ratio iſtius ſingularioris devotionis.

1109. *Ita quoq; Arnoldus Boſtius in libro* de Patronatu B. Virginis (*quem ſcripſit annô Chriſti* 1479.) *cap.* 12. *teſtatur de antiquitate cultus, & venerationis prædictorum in hoc Ordine: & quidem de S. Ioſepho*: Sanctum inſuper Ioſeph virginem integerrimum, æterni Dei tutorem, nutritium, œconomum, & vicepatrem diligentiſſimum, ſponſum Mariæ prædilectum, virginitatiſque ſuæ teſtem & cuſtodem fideliſſimum, ad ſimilitudinem ſponſæ ſuæ virgineæ, pro omnium ſalute ſollicitiſſimum, & omnimodâ virtute perfectum, & ſanctas Mariam Iacobi, & Mariam Salome præelectas Domini Ieſu materteras, quarum laus in ejus præconium ſingulariter redundat, affectione devotâ proſequimur; feſta eorum ſolemniore cultu celebrantes. *Porrò feſtum S. Ioſephi (ſimiliter S. Ioachimi, & S. Annæ) ſub ritu ſolemniſſimo, videlicèt Duplicis majoris celebramus. Hinc S. Tereſia Ordinis hujus filia, ſingulariſſimum devotionis erga S. Ioſephum affectum imbibit, ſicut ipſa teſtatur in hiſtoria Vitæ ſuæ, quam juſſu Confeſſariorum ſuorum ſcripſit, in qua cap. 6. iſta ſcribit de S. Ioſepho*: In Patronum verò, & Dominum ſelegi glorioſum virum S. Ioſephum, ejuſque me patrocinio unicè commendabam. Liquidò deindè perſpexi, ſanctum hunc Patrem & Dominum meum, tam ab hac me neceſſitate, quàm aliis majoribus, in quibus de animæ meæ, & honore, & perditione agebatur, liberaſſe: idque majori meô bonô, quàm eum rogare potuiſſem. Non memini me aliquid ab eo hactenus petiiſſe, cujus me compotem non reddiderit. Et verò admirationem merentur magna illa beneficia & gratiæ, quæ glorioſi hujus viri interceſſione, mihi Dominus conceſſit, nec nòn pericula, tam corporis, quàm animæ, à quibus me liberavit: nam aliis ſanctis gratiam Deus dediſſe videtur, ut in una neceſſitate, invocantibus ſe opitulentur; ſed hunc glorioſum virum ego experta ſum, in qualibet neceſſitate adjuvare, & adeſſe. Adeò, ut Dominus nobis indicare velle videtur, quòd, quemadmodùm illi viventi in terra ſubditus fuit, (nam ſicut pater illius dictus fuit, cùm nutritius ejus & ſuſtentator eſſet, ita & imperare pro jure ſuo illi potuit) ſic ei exiſtenti in cœlo, nihil eorum quæ petierit, deneget. Quod etiam alii nonnulli, quibus, ut ei ſe commendarent, ſuaſeram, reipsâ experti ſunt. Undè jam plurimi ſunt, qui ſingulari quôdam affectu erga eum feruntur. Hoc porrò verum eſſe, ipſa rursùs in illis experta ſum. Omni quâ mihi poſſibile erat, ſolemnitate, & pompâ, feſtum ejus celebrare procurabam. *Hæc ibi ipſa, & paulò infrà*:

S. Ioſephi feſtum in Carmeli Ordine ſolemniſſ.

hinc S. Tereſia devotionem illam hauſit,

& magnificè commendat:

1110. Perſuadere omnibus omninò vellē, ut mirificè erga glorioſū hunc virū afficerentur, quòd

XIII. MARTII.

& quàm utilis illa devotio energicè declarat.

quòd ſæpiùs experta ſim, varia illum bona & gratias à Deo obtinere. Neminem, inquam, novi, qui cùm verè & ex animo illi devotus eſſet, particularibus quibuſdam obſequiis eum coleret, non plùs per ejus opem viſus ſit in virtute profeciſſe: mirum enim in modum illos, ut in ea proficiant, juvat, qui ei ſe commendant. Jam aliquot (ſi benè memini) elapſi ſunt anni, quibus ſemper die ejus feſtô, aliquod ab eo donum poſco, & ſemper id mihi datum fuiſſe, comperio; &, ſi fortè petitio mea uſquequaque recta non ſit, ipſe eam ad majus meum bonum dirigit, & rectificat. Si eſſem, quæ aliquam ad ſcribendum auctoritatem haberem, quàm libentiſſimè me in beneficiis, quæ glorioſus hic vir tam mihi, quàm aliis perſonis eſt elargitus, ſigillatim enarrandis effunderem: verùm nè præſcriptos mihi à Superioribus ſcribendi terminos tranſgrediar, & plura, quàm juſſa ſim, faciam, in multis futura ſum brevior, quàm quidem vellem, in aliis, quàm neceſſe ſit, diffuſior, utpote quæ in omni eo, quod bonum eſt, parùm diſcretionis habeo. Hoc ſolùm ex amore Dei peto, ut quiſquis mihi dicenti non credet, experiri velit; & reipsâ, & experientiâ ſentiet, quantum ſequatur boni ex eo, quòd glorioſo huic Patriarchæ ſe quis commendet, & eum particulari aliquò obſequiò colat, ſpeciatim illi, qui orationis ſtudio tenentur, ſemper eum patronum deligere deberent, & erga eum affici. Neſcio enim, quomodò de Regina Angelorum meditari quis poſſit, præſertim de tempore illo, quô tam multa cum puero Jeſu pertulit, qui non ſimul S. Joſepho, ob opem & obſequium eis tunc impenſum, gratias agat. Qui magiſtrum, & inſtructorem non habet, à quo orandi rationem, & modum diſcat, glorioſum hunc virum in magiſtrum deligat, & eo præeunte, haud errabit.

S. Ioſephus optimus magiſter orationis.

Et iterùm cap. 33. Cùm ſemel in magna neceſſitate conſtituta eſſem, neſciremque quid agerem, vel undenam operariis nonnullis mercedem perſolverem, ſanctus Ioſephus, verus meus pater & Dominus, mihi apparuit, ſpondens; pecuniam mihi nequaquàm defuturam, ac proinde cum operariis de ſtipendio convenirem: quod & feci, ne obulum quidem in promptu habens. Dominus porrò iis mihi modis de pecunia neceſſaria providit, ut, quicumque audirent, ſummoperè obſtupeſcerent.

ab ipſo S. Tereſia in omni neceſſitate adjuta.

1111. *Franciſcus Ribera in ejus Vita* (a) *ex quadam ſchedula, in qua deſcribit quandam à Chriſto ſibi factam viſionem, hæc ab ipſa exarata refert:* Intellexi, ſingulari me in Deiparam matrem, ac ſponſum ejus Ioſephum ferri affectu, obſequiôque debere: cùm enim in extremum ſæpiùs interitum ipſa ruerem, illorum patrocinió factum, ut quâ penè excideram, ſalutem mihi Deus clementiſſimus reddiderit. *Hinc primum Reformationis ſuæ monaſterium S. Ioſepho dedicavit, & ejus, ac Virginis Mariæ imagines ad valvas locari curavit, ſicut idem Ribera refert cap. 13. ſequenti, & cap. 15. id quod ſequitur:* Tam inſolens eam derepentè occupavit raptus, ut propè à ſenſibus avocaretur. In hoc ſe vidit candidiſſimâ, ac ſplendidiſſimâ veſte circùmdari: Initiò quidem non videbat, à quonam indueretur; pòſt verò à dextra adſtantem ſibi Deiparam, à læva S. Ioſephum conſpexit, & ab his ſeſe veſtiri. Hòc intellexit ſignô, ab omni ſe delictorum inquinamento purgatam, & ſuâ à ſacratiſſima Matre Maria apprehenſâ manu, pergratam ſibi rem ex eadem audivit ſe facere, quòd S. Ioſepho ſponſo ſuo peculiari famularetur affectu. *Similem omninò gratiam promeruit quoque S. Maria Magdalena de Pazzis, etiam ipſi S. Ioſepho devotiſſima.*

(a) lib. 1. cap. 9.

1112. *Porrò à tempore S. Tereſiæ, cultus S. Ioſephi propagatus fuit per univerſam Eccleſiam, & aucta quàm maximè devotio ad ipſum. Igitur inter obſequia à Carmelitano Ordine præſtita Eccleſiæ, id (inter cætera) ſingulare eſt, de invecto in eam cultu ſolemniori S. Ioſephi: atque etiam S. Annæ, & S. Ioachim, quorum Officia ab immemoriali tempore traducta à Patribus noſtris ex Terra ſancta, ubi olim in hoc Ordine Officium Canonicum celebrabatur, juxta uſum Dominici ſepulchri: quod etiam notant PP. agiographi Bollandus, Henſchenius, & Papebrochius, ſcribentes de cultu, & feſto S. Ioſephi, in Actis Sanctorum* (a) *ubi agentes de Carmelitana Religione, & cultu, ac ſolemnizatione feſti S. Ioſephi in hoc Ordine, ſub iſtis titulis marginalibus:* Cùm jam Græci Officium ſolemne ordinaſſent: cui aſſueti in Syria Carmelitæ, credi poſſunt ejus uſum traduxiſſe in Europam: *ubi iſta:* Tandem etiam ipſa in Europam migravit, ubi Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ritus, & Officium Græcum, quò ſecundùm S. Sabæ typicum primitùs utebantur, in Latinæ liturgiæ atque pſalmodiæ formam paullatim commutarunt: ſervatis tamen præcipuis quibuſdam antiquorum Ordinis Patronorum feſtis: inter quæ credibile eſt, hoc ipſum S. Ioſephi fuiſſe, tranſlatumque ad diem, quô Latinis faſtis inveniebatur adſcriptus. Etenim in Eccleſiaſtico Officio ad honorem S. Ioſephi ordinando primos fuiſſe, & cum Eccleſiis aliis, tum ipſi Romanæ præiviſſe exemplô Ordines mendicantes, ex ipſorum Breviariis conſtat: quinam autem priores, quàm qui in Oriente jam pridem conſueverant illud annuè celebrare? *Eadem eſt ratio de cultu, & ſolemnizatione feſtorum, de quibus ſpecialiter in ſequentibus.*

S. Ioſephi, S. Annæ, & S. Ioachim cultus à Carmeli Ordine in totam Eccleſiam derivatus.

(a) ad 19. Martii de S. Ioſepho §. 3. n. 14. & 15.

§. 2. *S. Ioſephi excellentia, ſeu honores XII. matrimonium ejus cum Virgine Maria: votum utriuſque virginitatis.*

IN *Breviariis antiquis extat totum Officium proprium de S. Ioſepho: quod cùm valde pium ſit, & ipſius S. Ioſephi contineat duodecim excellentias, ſeu prærogativas valde ſingulares, fundatas, imò perſpicuè expreſſas in ſacris Evangeliis; indè hôc locô convenienter hymnum unum & lectiones ad Matutinum legi ſolitas, & orationem exhibemus, prætermiſſis, vitandæ prolixitatis causâ, antiphonis, reſponſoriis, & aliis.*

S. Ioſephi feſto olim totum Officium proprium in Breviariis Carmelit.

Hym-

XIX. MARTII.

S. Ioſeph à Dei Sapientia electus,

1113. *Hymnus ad primas Veſperas, & Matutinũ,*

Collaudemus toto corde
Dei ſapientiam,
Virgini qui junxit ſorte
Joſeph diligentiam:
Qui naſcentis ſine ſorde
Aleret infantiam.

Quem inviolatæ matris
Peperit integritas,
Ipſum putativi patris
Aluit virginitas:
Hoſtibus celatur atris
Hàc arte divinitas.

Joſeph portat, Joſeph tractat,
Joſeph mulcet oſculis,
Dum Herodes parvos mactat
Artubus minuſculis:
Joſeph hunc quem virgo lactat
Subtrahit periculis.

Puer in Ægyptum ductus,
Joſeph miniſterio:
Ab eodem poſt reductus,
Patris eſt imperio:
Matureſcit cæli fructus,
Fit crucis myſterio.

Gloria ſumma parenti,
Laus æqualis genito,
Ab utroque procedenti
Par decus paraclito:
Qui nos ſalvet præpotenti:
Sancti Joſeph merito. Amen.

LECTIONES, AD MATUTINUM *continentes XII. prærogativas, ſeu honores S. Ioſeph.*

S. Ioſephi honores XII.

1114. SI colligimus in unum, quæ ſparſim de ſancto Joſeph Euangelica Scriptura commemorat: invenimus eum profectò magnis laudum præconiis commendatum, propter quæ ſancta Mater Eccleſia feſtivis gaudiis meritò duodecim ejus honores recitat. Namque PRIMO ex nobiliſſima, & regia ſtirpe propagatur, teſtante Euangeliſta, *qui librum Ieſu Chriſti filii David* ab Abraham inchoans, terminat: quod *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ: de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* SECUNDÒ Mariæ Virginis Matris & Ieſu ejus filii verus conſanguineus appellatur, quia ipſe ex ſemine David naſci teſtimonio ſcripturæ comprobatur. Nam *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David.* Quod non tantùm ad Ioſeph refertur: ſed etiam ad Virginem ei deſponſatam. Ad HONOREM cedit ſancti Ioſeph TERTIUM, quod ſacratiſſimæ Virgini Matri Dei matrimonialiter deſponſatur, prout ſancti Euangeliſtæ frequenter commemorant, *deſponſatam virginem viro, cui nomen erat Ioſeph:* & *Ioſeph virum Mariæ.* Non virili more carnaliter copulatus, ſed virtuoſo amore ſacramentaliter junctus. Sed QUARTUS HONOR ei datur, dum virginitatis decoratur titulo. Sanè *deſponſata erat Maria Ioſeph:* quando miſſus eſt ad eam Gabriel. Cui cùm dixiſſet: Ecce concipies, & paries Filium, reſpondiſſe legitur: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco,* id eſt, nunquam cognoſcere propono. Sponſa igitur erat & virgo, &, conſentiente ſponſo, perpetuæ virginitatis propoſitum obſervabat.

*1. *ex regia ſtirpe David:**

2 Chriſti, & Deiparæ con. anguineus:

3 ſponſus Deiparæ:

4 Virgo:

1115. HONORATUR QUINTO beatus Ioſeph, dum non ſolùm ad Virginis matris, ſed etiam ad ejus filii obſequia ſingulariter deputatur. Nam ultra generales cauſas ejus deſponſationis quædam ſpeciales à ſanctis dicuntur; ut videlicet diabolo Virginis partus celaretur; ut Ioſeph ejus teſtis caſtitatis eſſet, defendens eam ab infamia ſuſpicionis, ne ut adultera juxta legẽ damnaretur; poſtremò, ut ab ipſo mater cum filio ſuſtentaretur, & ejus foveretur obſequio. HONOR SEXTUS eſt, quòd ei tamquam ſecretario cœleſti ſecretum Incarnationis myſterium Angelus intimavit. *Et pariet,* inquit, *filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Cauſam nominis ſubjungens: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* SEPTIMUS S. Ioſeph HONOR eſt, quòd *juſtus* Euangelico teſtimonio comprobatur. *Ioſeph,* inquit, *vir ejus cùm eſſet juſtus:* hoc eſt, cùm eſſet fide, ſpe, & charitate, ac omnium bonorum morum, & cunctarum virtutum honeſtate probatus. Nam in ſcripturis ſub juſtitiæ nomine virtuoſæ vitæ ſanctitas generaliter accipitur: quare Ioſeph etiam *juſtus* dicitur, quia fide juſtificatus, ſicut pater ejus Abraham. De quo Apoſtolus. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Credidit & Ioſeph, quòd Meſſias naſceretur non de virili ſemine, ſed ex myſtico ſpiramine, & de fæmina Virgine, ex ſemine David: quâ fide juſtificatus, verè *juſtus* eſt vocatus. Et ejus OCTAVUM HONOREM, teſtatur Euangelium, quòd hoc nomen IESUS à Deo æternaliter impoſitum, ab Angelo temporaliter revelatum, ab ipſo ſancto Joſeph hominibus ſolemniter publicatur. Ab Angelo namque ante Chriſti nativitatem dictum eſt de futuro, juſto Joſeph: *Vocabis nomen ejus* JESUM. Quod factum non ambigimus. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo antequam in utero conciperetur.*

5 ad filii Dei obſequiũ peculiariter deputatum;

6 Secretarium cœleſtis:

7 Juſtus id eſt generalitate virtutum decoratus:

8 Jesus nomen publicavit:

1116. NONUS HONOR juſti Ioſeph attenditur ex hoc, quòd illo præſente multa magna noſtræ fidei myſteria declarantur. Præſens erat, dum Chriſtus naſceretur, dum à paſtoribus mira de ipſo dicebantur. Nam, ut Euangeliſta Lucas refert: *Invenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Et mirati ſunt de his, quæ dicta ſunt à paſtoribus ad illos.* Præſens erat, dum Chriſtus circumcidebatur, & ſanguinis innocentis primitiæ fundebantur. Et tunc propter nos Chriſti paſſio, & propter Chriſtũ Ioſeph compaſſio inchoabatur. Præſens erat, quando à Magis adorabatur. Præſens erat dum Chriſtus conferebatur in templo, quandò ipſe cum Maria *tulerunt Ieſum in Ieruſalem; ut ſiſterent eum Domino.* Sed & HONOR Ioſeph DECIMUS fuit, quòd non ſolùm veterum, ſed

9 Myſteriis præcipuis fidei fuit præſens:

XIX. MARTII.

10 Teſtamenti utriuſque oraculis fuit edoctus.

ſed novorum prophetarum oraculis de his edoctus eſt, quæ in Chriſto erant ventura. Nã Simeon ſenex benedixit eis, & prophetans de Chriſti paſſione dixit ad Mariam Matrem ejus: Tuam ipſius animã pertranſibit gladius, id eſt paſſio illius. S. Joſeph HONOR UNDECIMUS eſt, quòd non ſolùm propheticâ allocutione, ſed & Angelicâ ſæpè & familiariter conſolatur.

11 Angelicâ allocutione ſæpè conſolatus:

Quater ex relatione Euangelica audivimus, verba conſolationis Angelicæ ſuis inſonuiſſe auribus. Primò, cùm de imprægnatione uteri virginalis hęſitaret, ait ei Angelus, *Ioſeph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Demùm cùm Herodis perſecutio immineret, *apparuit ei Angelus in ſomnis dicens: Ioſeph accipe puerum, & matrem ejus: & fuge in Ægyptum: futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eũ.* Et poſt ſeptenniũ mortuo Herode rursùm apparuit ei Angelus, & dixit. *Exurge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſraël.* Poſtmodùm cùm veniſſet in Iſraël timuit Archelaum regnantem pro patre: & tunc admonitus ab Angelo ſeceſſit in partes Galilææ.

12 Dei Filius ei ſubditus fuit.

DUODECIMUS HONOR B. Joſeph eſt, quòd non ſolùm Dei Mater, cęlorum Regina, ac Domina Angelorum, ſed & Dei Filius, Rex Regum, cui omne genu flectitur, cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum ei fuerit ſubditus, ſacra Scriptura, & Euangelica hiſtoria teſtatur. Nam de Matre Dei quis dubitat, cùm vir ſit caput mulieris, ſponſaq; ſubdita ſponſo, & ſub poteſtate ejus exiſtat? De filio quoq; adſtruit Euangeliſta, quòd *erat ſubditus illis:* quibus illis? Utique Marię & Ioſeph. O mira & ſtupenda novitas! O mira, & miranda humilitas! Subditur ſervo Dominus, humiliatur homini Deus.

Oratio ad Veſperas, laudes, & Horas.

1117. Omnipotens, & mitiſſime Deus, qui B. Ioſeph juſtum filium David B. M. Virgini tuæ matri ſponſum providiſti, & tuum nutricium elegiſti: da quæſumus, ut ejus precibus, & meritis Eccleſia tua tranquilla pace lætetur, & ad perpetuæ viſionis tuæ conſolationem perducatur. Qui tecum &c.

S. Ioſeph virgo.

1118. *Quantùm ad hoc:* Quartus honor ei datur, dum virginitatis decoratur titulo: *identidem id repetitur in antiphonis, reſponſoriis, & hymnis, his & ſimilibus verbis:* Virginem cum filio ipſe virgo nutriit... Virgo ſervans virginẽ, Deum vidit hominem...: Hic parituræ Virgini dignè virgo conjungatur. *Quantùm ad genealogiam S. Ioſephi, & ejus cum ſua ſponſa Virgine Deipara propinquitatem; ipſum ac illam ex progenie David, eoſdem habuiſſe progenitores uſque ad Mathan incluſivè, utriuſque avum (aut juxta alios eamdem fuiſſe aviam) declarabitur ad ſequentem diem (XX. Martii) ubi de Genealogia S. Ioachimi, & conſequenter SS. Virginis Mariæ, & Ieſu Chriſti. Qualiter matrimonium cum caſtiſſima Virgine Maria contraxerit, ſic pius & eruditus Scriptor Carthuſianus Ludolphus de Saxonia in opere* de vita Chriſti *tradit:* (a) Virgo itaque Domini Maria cum ætatis proceſſu quotidie etiam in virtutibus proficiebat... Itaque ſic uſque ad ann. XIV. pervenit. Tunc Pontifex

(a) parte 1. cap. 3.

Maria Virg. vovet virginitatem.

publicè denunciavit ut virgines quæ in templo conſtitutæ hanc ætatem impleſſent domum reverterentur, ac nuptiis operã darent: cui mandato cùm cæteræ pronæ paruiſſent: ſola V. M. hoc ſe facere non poſſe reſpondit. Siquidem & parentes ſuos ſe dixit Domini ſervitio mancipaſſe: & inſuper ſeipſam Domino virginitatem voviſſe. Pontifex igitur in anguſtia poſitus: cùm neq; contra Scripturã, quæ dicit [Vovete & reddite] votum infringendum putaret, neque morem genti inſuetũ introducere auderet, conſiliũ habuit cum primoribus quid eſſet faciendũ. Et cæteris quidem orationi incumbentibus Pontifex ex more ad conſulendum Dominũ acceſſit. Nec mora, & cunctis audientibus de propitiatorii loco vox facta eſt Eſaiæ vaticinio requirendum eſſe: cui virgo commendari & deſponſari deberet, illo ſcilicet: Egredietur virga de radice Ieſſe &c. Cunctoſq; de domo & familia David nuptiis habiles non conjugatos, virgas ſuas ad altare juſſit allaturos. Erat autẽ inter cæteros homo nomine Ioſeph: qui cùm virgam ſuam attuliſſet, & ipſa illicò florem germinaſſet: atque in ejus cacumine columba de cœlo veniens conſediſſet: liquidò omnibus patuit ipſi virginem deſponſandã fore.

S. Ioſeph quo ſigno acceperit in ſponſam Virg. beatiſſimam:

Unde in Numeris XVII. legitur quod Moyſes invenit virgã Aaron germinaſſe: & turgentibus gemmis flores erupiſſe, qui foliis dilatatis in amigdalas deformati ſunt. Per iſtam intelligi poteſt B. V. quæ inſtar Virgæ fuit gracilis per paupertatem, & flexibilis per humilitatẽ, & recta per intentionem & charitatem. Iſta Virgo inventa eſt gemmis turgentibus quando Filium Dei in utero ſuo concepit ex qua flores fructiferi eruperunt quando Dei Filius ipſâ manente virgine natus fuit. Nam ſicut flos non violat arborem, ſed ornat, ſic Dei filius non violavit Virginem, ſed magis donis & gratiis adornavit... Fuit itaque V. Maria Ioſeph viro ſuæ tribûs deſponſata: quia mulier viro alterius tribûs nubere non poterat, quando ad ipſam hæreditas paterna pertinebat. Beata autẽ Virgo fuit unica Ioachim patri ſuo, ſuccedens ei in hęreditate: & ideo ex lege cogebatur viro ſuæ tribus nubere. Ambo autem de eadẽ tribu erant: quia ambo à David deſcenderant: ſed Maria per Nathan, & Ioſeph per Salomonem. Et licèt Ioſeph etiã cogeretur ad Matrimoniũ contrahendum ſecundùm temporis illius modum, tamen habebat virginitatem in deſiderio, & propoſito, ſed nondum expreſſerat in voto. Contraxit itaque Matrimonium cum virgine, committens ſe voluntati divinæ. Et poſtmodùm ex divina revelatione Ioſeph agnovit propoſitum Mariæ, & tunc ex communi conſenſu voverunt virginitatem ſervare:

1119. *Iſta de voto virginitatis facto à SS. Virgine Deipara, & ſponſo ejus Ioſepho tradũt quoq; Patres, & Doctores alii: ſatis erit hic audiviſſe ea quæ ex S. Auguſtino (a) adfert Thomas Waldẽſis in celebri opere:* DOCTRINALE FIDEI (*b*) Annuncianti Angelo, Maria reddidit. Quomodo, fiet iſtud quoniã virum non cognoſco? Quod profecto

Voto virginea Deiparã, & S. Ioſeph.

(a) lib. de bono virginal.

(b) To. 1. l. 3. c 22.

non

XIX. Martii.

non diceret niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet: ſed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto non violenter ablaturo, ſed potius contra violentias cuſtodituro quod ipſa jam voverat. Et ſequitur. Virginitatem jam Deo dicavit cùm adhuc quid eſſet conceptura neſciret. Hæc Auguſtinus. AUCTOR ... Decretum Eccleſiæ docet iſtud votum Virginis fuiſſe non ſolùm promiſſum, ſed priùs corde, ac demùm ore profeſſum: immò ab utroque conjuge Joſeph & Maria initum affectu concordi. Undè XXVII. q. 11. Matrimonium ſub ejuſdem Auguſtini auctoritate. DECRETUM. Sicut Auguſtinus ait, inquit, B. Maria propoſuit ſe obſervaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum non expreſſit ore: ſubjecit ſe divinæ diſpoſitioni dum propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus aliter revelaret. Committens ergo virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam non illam appetendo ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſteà verò filium genuit, quem corde conceperat: virginitatiſque votum ſimul cum viro labiis expreſſit, & uterque in virginitate permanſit. *Hactenus ex Waldenſi. Iſta igitur de virginitatis voto tanta auctoritatis ſtabilita fundamentis, ut certa tenenda ſunt. Quantùm ad hiſtoriam de virga S. Ioſephi miraculosè florente, à nonnullis ea minus probatur:* interim eam confirmant nonnullæ antiquæ in Eccleſia picturæ, in quibus prædicta repræſentantur, & congruentia; quia ſi Virga Aaron Numerorum XVII. floruit in ſignum, quòd ipſe à Deo electus eſſet Sacerdos, jure etiam id in Joſepho contingere poterat, qui ad tantam dignitatem, ut Virginis Sponſus eſſet, & Chriſti Pater putaretur, evehebatur. *Ita Lezana Tomo 1. Annalium Carmelit.* (a) *ubi Auctores illuſtres eam tradentes refert.*

& de utroque auctoritas Patrum.

(a) ad an. mundi 4051. n. 3.

1120. *Quòd autem divino conſilio B. Virgo Maria tradita ſit S. Ioſepho commemorat S. Gregorius Nyſſenus his verbis* (b): Cùm puella creviſſet, & adulta eſſet, ſacerdotes conſilium agitare, ne quid de ſacro illo corpore ſtatuentes, in Deum peccarent, cœperunt ... (*intellexerant enim illam voto perpetuo virginitatis ſeſe Deo conſecraſſe*) Deliberantibus igitur eis ſuper hac re, divinitùs incidit conſilium, ut darent eam cuidam viro nomine deſponſationis; is autem ad cuſtodiendam virginitatem ejus eſſet idoneus. Inventus eſt igitur Ioſeph talis, qualem ratio conſilii requirebat, ex eadem cum Virgine familia & tribu; iſque de conſilio ſacerdotum ſibi puellam deſpondet: *ſcilicet virginem virgo, ſicut jam ante audivimus: & fortiſſimè propugnat S. Hieronymus iſta ſcribens adverſus Helvidium hæreſiarcham:* Ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur, Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potiùs fuit, quàm maritus: relinquitur eum virginem manſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. *Hæc ille. In eandem ſententiam etiam Auguſtinus.* (c) Habe, *inquit*, Ioſeph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum: quia de virginis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti in carne ſua, virginitate ſervatâ: ſis autem & tu pater Chriſti, curâ caſtitatis, & honorificentiâ virginitatis.

(b) orat. de S. Chriſti nativit.

(c) Serm. 14. in Nativit. Dom.

§. 3. *Ex Baptiſtæ Mantuani librô 3. de ſacris diebus.*

1121. G*Ratum fore arbitramur lectori, cui ad manum non fuerit opus Baptiſtæ Mantuani de* ſacris diebus, *ſeu* Faſtorum libri XII. *indè verſus aliquot, ſolitam Auctoris iſtius ſuavitatem, & elegantiam redolentes, hîc conſequenter legere poſſe, ad devotionis erga S. Ioſephum, incrementum, pariter & ad ſpiritualem oblectamentum.*

Sancte Faber veniens ab Hebræi ſanguine Regis,
Qui fuerat paſtor: tua ſunt natalia noſtris
Addita (ſic ſtatuit Patrum prudentia) faſtis.
Te Deus in terris, ex tot mortalibus unum
Repperit, arcani fieres qui conſcius alti:
Cui benè virginitas magnæ ſanctiſſima Matris,
Cui benè committi divinæ infantia prolis
Poſſet, & alterius ſecli ſurgentis origo.
Hinc tua quanta foret nobis cognoſcere fas eſt
Integritas tua perſpicuis Deus intima corda
Inſpiciens oculis, culpæ veſtigia vidit
Nulla, nec indicium ſcabræ rubiginis ullum:
Felix officiô, tali felicior illô,
Synceri candore animi, quem Rector Olympi
Intuitus, ſubitò ad tantos te aſſumpſit honores.
Te tamen Omnipotens talem formârat, ut eſſes
Baiulus & cuſtos, ad munera idoneus illa.
Iſta tibi, ut divis, qui ſcire pericula poſſunt,
Communis tutela fuit, facienda monebant:
Ipſe capeſſebas animô juſſa omnia forti:
Ipſi aderant quandò Nilotica rura petebas:
Quandò poſt cædem infantum, lamentaque matrum:
Quæ penetraſſe polos, & olympica tecta feruntur:
Inde revertebas, in avernum Herodibus actis.
Poſt decimam lux nona tua eſt: tua templa ſacerdos
Velat, & ad numerum tibi tinnula verberat æra:
Verrit humum: ſegit areolis nova gramina tonſis,
Et poſtes vernare facit, frondere columnas
Albentes ſplendere aras, redolere ſacellum,
Thura cremat, lentôque ſuper myrrham infriat igni.
Græcia jam ſileat veteres Corybantes alumnos,

S. Ioſephi magna dignitas,

virginitas,

inculpata vita;

Angelû familiaritas.

antiqua feſti ejus ſolemnizatio,

Cuſtodesque Jovis: finxerunt talia Grai.
At tibi (quæ loquimur, non ſunt inſomnia, non ſunt
Vana) fuit data divinæ cuſtodia prolis.
Nos quoque ſub tanto nunc glorificatus alumno
Reſpice, & optatâ memor impertire ſalutem
Italicæ toti, noſtriſque penatibus eſto.

XX. MARTII.

DE S. IOACHIM,

Patre B. Virginis Genitricis Dei Mariæ, Protectore Ordinis Carmelitani.

§. 1. *Cultus antiquus S. Ioachim in Ordine Carmelitano.*

S. Ioachim cultus antiquus in Carmeli Ordine:

1122. ABbas Tritbemius, *antiquitatis Eccleſiaſticæ inſignis illuſtrator*, *librò* de B. Virgine in Urticeto, *cap. 13. traditurus genealogiam S. Ioachim, & tractaturus de antiquo ejus cultu, ac ſolemnizatione feſti ejus in Religione Carmelitana, hæc præmittit*: Cùm Fratres memorati Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli exordium primævæ inſtitutionis ſuæ, ab Elia, & filiis in Judæa ſuſceperint Prophetarum, longè ante incarnationem Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, viris tunc in Iſrael juſtis, & Deum timentibus, familiari ſemper devotione præ cæteris adhæſerunt. Sanctiores autem & juſtiores eo tempore nullos fuiſſe in mundo crediderim, quàm eos, de quibus natus eſt Dei filius in terra ſecundùm carnem. Quis enim fidelis Chriſtianus addubitet, Ioachim Nazarenum patrem innocentiſſimæ, & ſemper immaculatæ Virginis Mariæ, virum omnium ſuò tempore juſtiſſimum extitiſſe: ejus verò conjugem Dei genitricis venerabilem matrem, quis vitæ meritò negabit fuiſſe ſanctiſſimæ? *Hæc Tritbemius, & infrà, continuans iſta*: Mons etenim Carmelus à temporibus Eliæ & Eliſeî Prophetarum, uſque in Adventum Domini, ſanctis & juſtis ſemper claruit Eremitis, Deo, ſecundùm Phariſaicam traditionem inculpatè famulantibus, ad quos pro conſilio, & informatione doctrinæ ſalutaris ad juſtitiam, & ſacratioris vitæ inſtitutionem, non modò præſcripti Salvatoris noſtri ſecundùm carnem parentes, verùm etiam alii quique de univerſa Iudæa viri boni & juſti frequenter & crebrò leguntur habuiſſe recurſum. *Conſequenter refert, Religioſos omnes Ordinis hujus,* præcipuâ devotione ſanctum Ioachim Beatiſſimæ Virginis Mariæ patrem venerari, & ejus feſtum ſummâ reverentiâ, & ingenti pietatis affectu, cultuque concelebrare. *Videantur jam ante dicta, ad diem præcedentem, ubi de S. Ioſepho.*

S. Ioachim vita ſanctiſſima:

ipſe cum S. Anna & filia Maria Carmelitas inviſit ſæpe:

ideo ab antiquo Religioſi hujus Ord. ipſi devoti,

1123. *Feſtum autem S. Ioachim olim celebrari in hoc Ordine conſuevit poſtridiè Octavæ Nativitatis B. Virginis Mariæ (XVI. Septembris) ad quem diem, in omnibus vetuſtis Miſſalibus & Breviariis, inſcribitur his verbis*: Sancti Ioachim Patris B. Mariæ Virginis, Duplex. *In Miſſali autem tres illæ erant Orationes, ſeu Collectæ propriæ:*

& ab antiquo ejus feſtum ſolemnizant.

1124. ORATIO. Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuâ providentia ſanctum Ioachim de tribu Iuda, cum ſua caſtiſſima conjuge Anna, per plures annos ſine liberis eſſe voluiſti, & tandem Angelicâ monitione recreatis mirabilem prolem tribuiſti: concede propitiùs, ut interceſſione parentum, & Filiæ, Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ab omnibus adverſitatibus corporis, & animæ, liberemur. Per eumdem SECRETA. S. Ioachim Confeſſoris tui, atque Genitoris Beatæ Mariæ Virginis, quæſumus Domine, annua ejus ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos; ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet Per Dominú, &c. POSTCOMMUNIO. Deus mœrentium conſolator, & juſtè ſperantium ſalus; qui Beati IOACHIM, & ANNÆ lacrymas miſericorditer ſuſcepiſti, da nobis, utriuſque interventu, peccata noſtra deplorare; & gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum, &c. *Succeſſu autem temporis, feſtivitas illa tranſlata fuit ad diem XX. Martii: quæ etiam nunc ſolemnizatur ſub ritu Duplicis majoris, utpote Protectoris Ordinis.*

§. 2. *Genealogia S. Ioachim, & conſequenter Deiparæ, & Ieſu Chriſti, nec non S. Ioſephi.*

1125. CErtiſſimum eſt, S. Ioachim eſſe regali ex progenie David; *cùm Eccleſia catholica id tradat de ejus filia Virgine Deipara: imò & Scripturarum teſtimoniis Chriſtus ſit filius* David, *& conſequenter etiam avus ejus Ioachim. Verùmtamen, inter alia fidei obſcura puncta, eſt ipſa genealogia Chriſti (ac conſequenter S. Ioachim) ſicut fateri coguntur omnes ſacri Evangelii interpretes, & alii quicumq; de ea tractantes. Cauſa obſcuritatis, & difficultatis ſunt plures: una, quòd in ſacris Evangeliis Genealogia ipſius Ss. Virginis, aut S. Ioachim non deſcribatur, ſed duntaxat S. Ioſephi, cujus filius ſecundum carnem non fuit Ieſus, natus ex ſola Virgine Maria, à Spiritu ſancto, & virtute altiſſimi obumbrante, fœcundata: altera eſt, quòd SS. Evangeliſtæ texentes genealogiam Chriſti (ſeu S. Ioſephi) unus procedat* *S. Ioachim ex progenie regali David.*

juxta

XX. MARTII.

juxta ordinem carnalis generationis, alter verò ſecundum ordinem Legalis ſucceſſionis. Præterea S. Matthæus à Davide uſque ad Chriſtum procedit per ſtirpem Salomonis (filii David:) S. *Lucas verò per ſtirpem Nathan (etiã filii David) atq; ita uterque alios recenſet progenitores: S. Matthæus patrem Ioſephi nuncupat* Iacob; *aſt S. Lucas ſcribit* Heli: *atque ita in aliis. Denique in S. Matthæi Euangelio omiſſa eſt una generatio, ſicut Cornelius à Lapide, & alii declarant, ad capitis primi verſum* 12. Iechonias autem genuit Salathiel. *Iſtis difficultatibus enodandis Patres, & Doctores non parũ inſudarunt, ac in varias abierunt expoſitiones.*

ejus, & Chriſti, ac S. Ioſephi genealogia traditur.

1126. *Præfatus Abbas Trithemius jam dictò locò* genealogiam S. Ioachim laborioſè comportatam (*uti teſtatur*) *ſic tradit*: Ut pietatis, ac devotionis officio fratrum prædictorum ſatisfiat, quo Domini Salvatoris mundi venerantur parentes, genealogiam Beatiſſimæ Virginis Mariæ Dei memoratæ genitricis, ex hiſtoria Philonis, Hieronymo, & aliis ſcriptoribus ſatis laborioſè comportatam, his placuit inferre ſententiis: quam non ego, ſed alii ante me viri Religioſi, & ſtudioſi conſcripſerunt. *Et poſt aliquot recenſitas ex S. Matthæo generationes, hæc de proximioribus S. Ioſephi, pariter & Deiparæ Virginis progenitoribus tradit*: Levi autem genuit Mathan, qui duxit uxorem nomine Veſtam, de qua genuit Ioachim (qui & Elich) patrem S. Mariæ ſemper Virginis. Habuit autem hæc mulier ante Mathan patrem S. Ioachim, alium maritum ejuſdem nominis Mathan filii Eleazar, de quo filium pepererat nomine Iacob, qui pater extitit S. Ioſeph ſponſi Mariæ genitricis Dei ſemper intactæ. *Iuxta hanc ſententiam Ioachim Pater Deiparæ Virginis, & Iacob pater S. Ioſephi, ſponſi ejuſdem Virginis eandem habuerunt Matrem: atque ita ſacra Virgo Maria, & ejus ſponſus communem habuerunt aviam. Ex aliorum ſententia eundem habuerunt avum, ut mox audiemus.*

1127. *Quòd S. Ioſeph fuerit filius naturalis Iacob, tradunt veteres paſſim; ut Iuſtinus, Iulius Africanus* S. *Hieronymus, Euſebius, Nazianzenus,* S. *Auguſtinus lib. 2. Retract: cap. 7.* S. *Ambroſius,* S. *Thomas, Anſelmus, Beda, Damaſcenus; Salmeron, quos fuse citat hic Maldonatus. Pro elucidatione genealogiæ Chriſti (& conſequenter Ioachimi & Deiparæ, ac* S. *Ioſeph) peculiariter ſcribit celebris nominis Commentator S. Scripturæ Cornelius à Lapide explicans illud Lucæ capitis tertii*: ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, *ubi iſta*: Valdè veriſimile eſt, quod tempore Chriſti notiſſimum erat, Mathan fuiſſe communem avum Ioſephi & B. Virginis: Iacob verò qui fuit Pater Ioſephi, ac Heli, ſive Ioachim (qui fuit pater B. Virginis) fuiſſe fratres germanos, ut vult Franciſcus Lucas. *Id variis probat rationibus, unà inter eas hæc eſt*: Numerorum cap 6 v. 7. fœminæ quæ deficiente prole maſculâ parentum ſuorum ſunt hæredes, jubentur nubere non ſolùm in eadem tribu, ſed etiam in eadem cognatione & familia proxima, ne ſcilicet hereditas illa ad remotas abeat, ſed ad proximos, qui viciniſſimum ad eam jus habent, tranſeat. Ergo Maria (quæ unica erat Ioachimi & Annæ filia, ideoque eorum heres) & Ioſeph fuerunt ejuſdem familiæ, ſcilicet filii, id eſt nepotes, Mathan avi ſui. *Inter tales autem matrimonium in veteri Lege non tantùm licitum, ſed aliquando in præcepto erat. Magnâ indagine hoc perplexitatibus involutum punctum, de genealogia Chriſti, ac conſequenter S. Ioachimi, & S. Ioſephi pertractarunt PP. Bollandus, Henſchenius, & Papebrochius ad diem XIX. Martii ſcribentes de S. Ioſepho, ubi §. 3. illa inter alia*: Spiritûs ſancti œconomia eſt (*inquiunt*) inſpergere res credendas dubitandi cauſis, ut trans obtutum nitens, penetranſque, credulitas non ignavâ victoriâ præmium auferat. Id cùm in loco ac tempore nati ex divinâ promiſſione Meſſiæ, tum maximè in ejus genealogiâ licèt cernere: quem quidem ex Abrahami ſemine & Davidis ſtirpe deſcenſurum nota erat paſſim, & ubique prædictio, ſed huic quomodò ſua ſubſiſteret veritas tum maximè obſcurum fecerunt Euangeliſtæ Lucas atque Matthæus. *Scilicet divinâ ordinatione; ut in eo ſcrutando poſterorum conſlictaretur diligentia, & fides exerceretur. Deindè ex Petro Poſſino, & Ioanne Beſſono, concludunt*: Utrumque Euangeliſtam genealogiam Chriſti per Ioſephum non aliter texuiſſe, niſi quatenùs iidem prorsùs omnes qui Ioſepho, Mariæ quoque majores fuerint: undè Patres per legitimam conſequentiam à genealogiâ Ioſephi ad Mariæ genealogiam, adeoque ipſius Ieſu, duci voluerunt.

Genealogia Chriſti cur perplexitatibus involuta.

1128. *Denique de S. Ioachim hic adjungimus ea quæ tradit Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus* (a): Ioachim namque ex Galilæa ex civitate Nazareth de tribu Iuda ſanctam Annam filiam Garizi de Bethleem ejuſdem tribùs duxit uxorem. Ambo autem juſti ante Deum erant: omnemque ſubſtantiam ſuam trifariè dividebant, unam partem templo & ejus ſervitoribus; aliam peregrinis, & pauperibus erogabant; tertiam ſibi, & ſuæ familiæ uſibus reſervabant: Et ita per annos XX. prole carentes, voverunt Domino, quòd ſi eis ſobolem concederet, eam ſervitio Domini manciparent. *Et poſt alia refert, quomodò ei apparuerit Angelus, nuncius nativitatis Filiæ Mariæ.* Nunciavitque ei Angelus quòd Anna uxor ſua filiam pareret, quæ vocaretur Maria, quæ juxta votum parentum eſſet ab infantia Domino conſecranda, & adhùc ex utero matris Spiritu ſancto plena, ſemperque in templo Domini moratura. Et ſicut ipſa naſcitura erat mirabiliter ex ſterili matre; ſic ipſa Altiſsimi filium ex ſe incomparabiliter generaret, qui Ieſus vocatus omnibus gentibus Salvator foret futurus. Deditque ei Angelus ſignum, ut cùm perveniret ad Auream Ieroſolymæ portam, uxorem ſuam Annam obviam haberet, quæ de ſua retardatione ſollicita, tunc in conſpectu ejus gauderet. Hiſque dictis Angelus ab eo diſceſsit. Anna autem cùm amarè flèret, & quònam vir ejus iviſſet, ignoraret, &, quaſi ad remedium, pomerium ſuum intraſſet, idem Angelus ei apparuit, & eadem verba quæ Ioachim nunciave-

(a) in Catalogo lib. 8. c. 51.

S. Ioachim patria & virtutes:

ei Angelus apparet nuncius Nativitatis Mariæ:

S. Ioſeph, & B. V. Mariæ conſanguinitate proximi.

XX. MARTII.

ad Auream portam occurrit et S. Anna:

ciaverat, indicavit, addens ut pro ſigno ad Auream portam Jeruſalem pergeret, & viro ſuo redeunti obviaret. Ambo ergo ſibi ibidem occurrentes, & de mutua viſione lætati, & de prole promiſſa ſecuri, adorato Domino domum redierunt, divinum promiſſum certi & hilares expectantes. Concepit igitur Anna & peperit filiam, & vocavit nomen ejus Mariam. Completo igitur triennio ablactationis tempore ad templum Domini virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa templum, juxta quindecim graduum pſalmos, quindecim aſcenſionis gradus. In quorum infimo Virgo conſtituta cunctos ſine ducentis & levantis manu ita per ſeipſam conſcendit, ac ſi jam perfectæ ætatis fuiſſet. Perfectâque oblatione filiam ſuam parentes cum aliis virginibus in templo dimittentes ad propria reverſi ſunt.

1129. *Hactenus dicta etiam ab aliis Patribus auctoritatem, & fidem ſibi vendicant, videlicet de Præſentatione Virginis in templo, de ſterilitate S. Annæ, & quòd precibus Deiparam parentes impetraverint. Ita quidem S. Gregorius Nyſſenus* (a) *ſic ad propoſitum*: Inſignis quidem in illa exactâ, ſecundùm legem, vivendi ratione, & nobilis propter ſummam virtutem pater Virginis erat: ſed expers ſobolis conſeneſcebat, propterea quod conjux ejus ad liberorum procreationem apta non eſſet: habebatur autem matribus à lege quidam honor, cujus honoris ſteriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis narrantur, & Sanctum Sanctorum ingreſſa, ſupplicat Deo, ne legum beneficio privetur, quæ nihil in legem peccaſſet, ſed ut mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, conſecraret: confirmata autem nutu divino, donum, quod petiit, accepit. *Ita quoque ſcribunt Patres alii. Quòd autem Angelus Ioachimo, & Annæ nativitatem filiæ prædixerit, quid mirum? cùm id contigerit parentibus Sampſonis, Ioannis Baptiſtæ, & aliis.* Magna quidem, & per omnia admiranda, quæ nec verbis ſatis dignè perſequi ulli poſſint, præceſſiſſe natalem Dei Genitricis Mariæ, non puto adeò anguſti pectoris & emotæ mentis reperiri hominem, qui non intelligat; ſi mente revolvat, atque animo expendat, tot tantaque ſervis Dei, ante ipſorum ortum, impartita divinitùs privilegia. Quis enim apud ſe repetens, quæ Sampſonis, Samuelis, Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ natalitia præceſſerunt, mox non firmiter credat, non tantùm illis non caruiſſe Dei Genitricem Mariam, ſed longè amplioribus, auguſtioribuſque ornatam, auctamque eſſe muneribus. *Ita rectè Cardinalis Baronius.* (b)

(a) Orat. in Natal. Dom.

(b) Annal. tom. 1. in Apparatu.

S. Annæ Conventus ad Portam auream.

ANNOT. Ad portam auream. *De illa, & Conventû S. Annæ circa eam aliquoties memini ſuis tomo præcedenti. In Conventu illo S. Annæ habitum religioſum ſuſceperunt, & aliquamdiu morati ſunt S. Angelus, poſtea martyr, & ejus Frater, deindè Patriarcha, & ibidem ſepulti fuerunt eorundem parentes, ſicut teſtatur Enoch Scriptor vitæ S. Angeli cap. 3. & 4.*

Completo triennio ... ad templum ... adduxerunt. *De Præſentatione SS. Virginis Mariæ in templo peculiariter agetur ad diem XXI. Novembris.*

§. 3. *Sanctitas, & magna apud Deum merita B. Ioachimi verſibus expreſſa.*

EXcerpta ex Iacobi Reimolani, Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, Conventûs Gandavenſis, Carmine Sapphico de S. Ioachimo.*

* apud Ludolphum de Saxonia libro *de vita Chriſti*, ſub finem impreſſ. an. 1529.

1130. Iam preces ſummo meritas parenti
Ante ſacratas reſonemus aras
Corde devoto, ſimul & vocemus;
O Ioachime.
O tuum ſanctum, Ioachime, nomen
Blandiùs quamvis ſonet hoc Hæbræis,
Id magis deinceps placeat rogamus:
O Ioachime.
Multa cùm cælo tibi ſit poteſtas
Ob tuum ne nos patiare fructum
Laude prædignum tenebras adire;
O Ioachime.
Carne qui quondam fueras gravatus
Arce jam ſummâ poſitus, favere
Rebus humanis meliùs valebis:
O Ioachime.
Grata nam multùm tua vita cunctis,
A Deo primam meruit ſalutem,
Nec tuis tantùm ſed & univerſis,
O Ioachime.
Debuit dignè chorus ille divûm
Eſſe ſuppoſitus tibi, quin & exin
Ne quidem ceſſat celebrare dicens:
O Ioachime.
Sic Magiſtratus tuus hic beato
In polis non eſt oneroſus ulli.
Sed magis tecum jubilant feruntque:
O Ioachime.
Cùm novos cuncti meditentur hymnos
Ad tui laudem ſuperi frequenter
Ritè terreni tibi quid ſonabunt:
O Ioachime.
Magna cùm magnum tua dona carmen
Exigant & non valeamus, ipſum
Noſtrum hoc acceptes modò qualecumque eſt:
O Ioachime.
Sancte tu nobis, Ioachime, ſervis
Ab tuo, Chriſto, veniam nepote,
Poſce peccatis, tibi ſupplicamus:
O Ioachime.
Patriarcharum decus es priorum,
Hinc herus ſanctæ peramandus Annæ,
Indè tu dignus pater es Mariæ:
O Ioachime.
Cujus (ut tandem ſileant miſelli)
Verus & clemens avus es: ſit illi
Mira laus: Summæ quoque Trinitati;
O Ioachime. Amen.

*Ejuſdem Iacobi Reimolani aliud carmen Sapphicum de S. Ioachimo.**

* Ex eod. Ludolpho.

1131. O Pater patrum Ioachim beate
Ut tibi gratos modulemur hymnos
Tu fove dulci modò nos clientes
Nectare cæli.

Te

XX. Martii.

Te ſacer tantùm Chorus Angelorum
Si ſatis dignè celebrare poſſit,
Nos tibi laudes reſonemus abſque
Nectare celi.
Hinc tuum nobis petimus juvamen,
Sancte ſanctorum Joachim parentum,
O Pater patrum nimiùm referte
Nectare celi.
Qui quod in partes tua dividendo
Erogas juſtè miſeris & Aræ,
Nonnè cantamus benè te refertum
Nectare celi?
Et qui in templo patiens ferebas
Quæ tibi probro dederat ſacerdos,
Nonnè cantamus benè te refertum
Nectare celi?
Quodque te dignum Deus eſſe duxit
Angelo ſancto relevare triſtem,
Nonne cantamus benè te refertum
Nectare celi?
Tu (quod eſt magnum) fueras maritus
Illius ſanctæ venerandus Annæ
Quam modo plenam canit omnis orbis
Nectare celi.
Tu (quod eſt majus) genitor beatæ
Dignus inventus fueras Mariæ,
Quam quidem ſcimus magis eſſe plenam
Nectare celi.
Tu (quod excedit) novitate, Chriſti
Solus è cunctis avus es vocatus,
Qui ſuperplenus, ſuperfluitque
Nectare celi.
O potens ergo, Joachim ſacrate,
Sic tuam nobis modò ferto dextram
Ne ſacro tandem careamus illo
Nectare celi.
Nunc Deo laudes pariter canamus
Qui ſuo nato Joachim colendum
Hunc avum ſumpſit mediante ſacro
Nectare celi. Amen.

Roberti Gaguini Generalis Miniſtri Sacri Ordinis SS. Trinitatis, ad Arnoldum Boſtium Carmelitam Gandenſem.

S. Ioachim præconia nemo ſatis exprimere poteſt.

1132. Mille licèt ſtudeas Ioachim præconia linguis
Dicere: nec muſis inferiora canas:
Contendes fruſtrà titulos expromere divi:
Alter ab extremo fervet adeſſe gradus:
Quis ſatis accumulet preclarâ laude parentē
Virginis: undè ſalus perdita grata datur?
Si fructu infelix fuit arbos illa ſciendi:
Quâ ruit in miſerâ noſtra propago necem:
Quàm juſtè extollas toto conamine germen,
Undè parens magni prodiit alma Dei?
Principium Ioachim ſanè eſt & janua lucis:
Quam reducem terris ejus alumna tulit.

1133. *Et hactenùs de S. Ioachim dignitate, quæ plenè à quopiam exprimi nequit; nam quemadmodùm Mariæ tota dignitas in illis verbis continetur Matth. 1.* De qua natus eſt Ieſus: *ita & Ioachim & Anna in illis:* De quibus nata eſt Maria. *Hinc tota dignitas, gloria, majeſtas, in hos conjuges manavit, quòd genuerint eam, quæ Deum peperit. Certum enim eſt, quòd, dempto* Dei Matris *titulo, nullus ſit ſublimior, ac dignior in terris, quàm eſſe* parentes Matris Dei, omnium Conditoris. S. *Thomas* (a) *plenitudinem gratiarum præ cæteris Sanctis majorem fuiſſe in Maria, ex eo probat, quòd* propinquiſſima fuit Chriſto ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; *eadem ratio urgere videtur de Ioachimo, & Anna, qui poſt Mariam Chriſto fuerunt propinquiores. Vndè ſicut Maria ex eo, quòd fuit Chriſto propinquiſſima ſecundùm carnem, præ omnibus puris creaturis cumulatiore gratiâ donata fuit: ita Ioachim & Anna, ex eo quòd poſt Mariam Chriſto propinquiſſimi fuerunt, poſt Virginem majoribus gratiis, favoribus, donis, aucti fuiſſe videntur. Itaque circa dignitatem S. Ioachim, illa prìs omnibus perpendenda relinquitur, & ponderanda in binis illis titulis:* Pater Mariæ Deiparæ, Avus Chriſti, filii Dei, Regis Regum, & Domini Dominantium.

(a) p. 3. q. 27. art. 5.

XXV. MARTII.

DE FESTO ANVNCIATIONIS

Admirabilis Virg. Matris Mariæ: ac de myſterio Incarnationis

Et Corolla virtutum, *hoc, & cæteris omnibus ejuſdem Feſtis utiliter legenda, utiliùs conſideranda, utiliſſimè (practicâ imitatione Virginis Deiparæ) in ornamentum animæ noſtræ aſſumenda.*

Incarnationis myſterium omniū maximum, & admirabile quæ Deus fecit.

1134. M*Yſterium Incarnationis Dominicæ, & Annuntiationis Angelicæ principium noſtræ ſalutis eſt, omnium quæ Deus fecit maximum, & ſummè admirandum, dum cæli terræque conditor Deus factus eſt verus homo, & homo factus verus Deus; dum Virgo fit Mater, & Mater permanet Virgo; & una eademque mulier conſtituitur eodem momento Dei filia, ſponſa & Mater: dum, qui ab æterno eſt genitus verè gignitur in tempore; & is cujus eſſentia, exiſtentia, ſubſiſtentia, ſubſtantia & natura ob ſimplicitatem unum idemque eſt, verè componitur ex duabus naturis in unâ numero perſonâ conjunctis. Hoc ergo myſterio nihil majus factum eſt, neque fiet. Tunc igitur bina maxima myſteria, & miracula contigerunt:*

unum

XXV. MARTII.

unum ſuperadmirabile, quòd Deus factus ſit homo: alterum de quo melliſluus Bernardus, ſic admirandus ſcribit (a): Unum eſt in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia matris habens cum Virginitatis honore; Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri. *Et in alio ſermone.* SIGNUM MAGNUM: ſola hæc eſt beata Deipara, in qua virginitas & maternitas obviaverunt ſibi: in ea factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum. *Eccleſia utrumque illud myſterium magnâ ſolemnitate celebrat à temporibus Apoſtolorum, qui illud celebrandum ſanxerunt ex inſtitutione, & exemplo prævio ipſius ſacratiſſimæ Virginis Deiparæ, quæ mox poſt illud peractum in ſuo cantico* MAGNIFICAT, *myſteriis plano, Deum pro eo magnificavit, & laudavit, ac ſuperexaltavit. Hinc meritò credendum, quòd ſingulari veneratione, ac devotiſſimo cultu quotannis recolere ſolita fuerit divinum beneficium, hôc die ſibi, & toti generi humano præſtitum; quando* VERBUM *in ſuo virginali utero* CARO FACTUM EST, *& ipſa Annuntiationi Angelicæ aſſenſum præbens, Mater Dei eſt conſtituta.*

(a) Serm 4. de Aſſump.

illud primùm fuit celebratum à SS. Virg. Maria:

triplici de causâ præcipuâ devotione illud ſolemnizandum à Carmelitis.

1135. *Triplici de cauſa illud peculiari devotione ſolemnizandum à Religioſis hujus Ordinis: prima, quia accidit in Nazareth Carmelo Ordinis hujus loco originario, vicina, ſicut aliquoties declaratum eſt tomo præcedenti* (b). *Si Catanenſes magno ſibi honori ducant, quòd in ſua civitate nata ſit S. Agatha, & propterea eam ſingulari cultu proſequantur: an non meritò Carmeli Ordo, locum ſuum Originarium habens vicinum Nazareth, peculiari ratione venerabitur myſteria præfata ibi facta? Secunda, quia Nazarethana ſacra ædes, quam Angelus ingreſſus fuit, & in qua Verbum caro factum eſt ſub cura Ordinis hujus in Terra ſancta per annos circiter mille, & ultra, ac etiã aliquamdiu in Europa fuit, ſicut tradunt hiſtoria domeſtica, & extera* (c). *Propterea olim etiam in Europa omnes ferè Conventus noſtri in Anglia, & Sicilia fuerunt nuncupati Diva Annuntiata, atque etiam plures in Provinciis aliis, & quidem in Belgio antiquus Conventus B. Virginis ad Mulum, & celebre monaſterium Antuerpienſe, devotiſſimo, ac ſumptuoſiſſimo* Anuntiatæ *ſacello decoratum.*

(b) nu 103. & 553. & 865. & ſeq. & 1528. ac alibi ſæpè.

(c) Videatur Tomo præced. n. 1736. & Annal. Ord. ad ann. Chr. 1165. & 1291.

1136. *Tertia, cùm hac die SS. Virgo Maria, Ordinis hujus peculiaris Mater, & Patrona, ſummâ, quæ puro homini conferri poteſt, dignitate à Deo decorata fuerit, videlicet Dei-Maternitate, & ideò dicatur, & ſit* THEOTOCOS, *id eſt Dei Genitrix, eundem habens filium ex tempore, quem Deus Pater genuit ab æternitate, ſicut tradit noſter S. Cyrillus in ſacro œcumenico Concilio Epheſino his verbis:* Profitemur, quod ipſum unigenitum Dei Verbum natum ex ipſa Patris eſſentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta ſunt, ſive in cœlis, ſive in terra, ſalutis noſtræ causâ deſcendens, ad exinationem ſeſe dignatus eſt inclinare, natus autem, & homo factus, id eſt, carnem de Virgine ſancta ſuſcipiens. *Et infrà:* Et propterea Dei Genitricem ſanctam Virginem (peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Verbum caro factum eſt.) *Plura de ineffabili illo myſterio Incarnationis, & Dei-Maternitatis videri poterunt hìc ſuprà, in vita S. Cyrilli cap. 3. n. 558.) Hinc peculiariter ipſi gratulari, & congaudere debent peculiariores ejus filii, & fratres illius nuncupati: è quibus unus (præfatus S. Cyrillus) primarium ejus honorem tam ſtrenuè propugnavit, ſicut pleniùs relatum eſt hìc ſuprà* (a) *Indulgentiæ à pluribus Romanis Pontificibus conceſſæ Eccleſiis hujus Ordinis relata ſunt ad diem 2. Februarii, ubi de feſto Purificationis. Plenariam conceſſit SS. Dom. Clemens X.*

(a) nu. ... & ſeq.

1137 *Sed quâ ratione feſtum hoc, & illius præfata myſteria debitè pro poſſe celebrabimus? Illum in finem ab antiquo nobis decreta ſunt pro ejus vigilia diſtrictioris jejunii obſervantia, & diſciplinæ pia receptio, ac variis in locis etiam veſperi ſub Completorio proceſſio ad ejus Sacellum. Ipsâ autem die* dignum eſt, ut ei ſummâ cum devotione famulemur (*ſicut ſancta cantat Eccleſia*) *ſcilicet piâ, & reverenti aſſiſtentiâ in divinis officiis, ac attentâ meditatione, & cum S. Auguſtino* conſideratione altitudinis conſilii Divini ſuper ſalutem generis humani, *nec non Angelicæ Annuntiationis, ac virginitatis, & maternitatis mirabilis conjunctionis. Veruntamen inter iſta gratiſſimum Deo, Deiparæ, ſicuti & Sanctis omnibus, obſequium, nobis quoque utiliſſimum eſt ac* ſumma religionis, imitari quos colimus: *Propterea convenientiſſimè hìc conſequenter ipſam proponemus tanquam Speculum, & exemplar, quod imitari debemus, & texemus Corollam, ſeu ſertum virtutum XV. præcipuarum, quibus ipſa* SS. *Virgo animam ſuam exornans, ſe dignam reddidit, fieri Dei Mater, & deindè exaltari ſuper omnes Angelos, ac Sanctos, atque à Deo Eccleſiæ exhiberi* Speculum juſtitiæ, *& (poſt Filium ſuum)* exemplar virtutum, *quod identidem* inſpicere, & ſecundùm illud facere debemus. *Deus enim Sanctos velut* ſpecula viva, & animata *nobis ob oculos ponit, quatenùs ea aſpicientes, & pulchritudinem virtutum in eis contemplantes, eam amplecti ſtudeamus. Inter hæc* ſpecula, *lucidiſſimum ac terſiſſimum* ſpeculum eſt B. V. Maria, *in qua variarum virtutum formas conſpicimus, quæ nobis ad imitandum proponuntur. Eſt enim ipſa, teſte S. Ambroſio* (b) velut ſpeculum, de quo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.

Annuntiationis feſtũ, & cætera Deiparæ quâ ratione ritè celebrentur.

devotio Deo, & Deiparæ gratiſſima, & nobis utiliſſima.

imitari virtutes Deiparæ:

(b) lib. 2. de Virgin.

COROL-

COROLLA, SEV SERTVM VIRTVTVM,

quibus (gratiæ Dei cooperando) ſe dignam reddidit fieri Matrem Dei, & exaltari ſuper omnes Angelorum, ac Sanctorum choros, *ex S. Scriptura contexta:*

ETIAM HÆC EST SCALA CÆLI

veluti XV. graduum, quibus nobis omnibus conceſſum, ad ipſam certò, & ſecurè conſcendere in cælum;

QUOLIBET EJUSDEM FESTO UTILITER LEGENDA.

1138. V*irtutibus omnibus, veluti floribus vernantem Virginem Matrem, & quæ inter eas præcipuè admirabiles ſint, ſic tradit S. Bernardus* (a). Tu virtutum omnium, *inquit*, ſpecioſis vernas floribus, inter quos pulcherrimos tres miramur in te, ô excellentiſſimâ. Hi ſunt, quorum odore totam domum Domini reples; ô Maria, viola humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis. *Virtutes igitur ſunt veluti flores, è quibus Corollam, ſeu ſertum texemus, ut eorum cæleſti odore allecti etiam ex illis nobis ſertum conficiamus. Sunt quoque virtutes ſingulæ veluti gradus, conficientes ſcalam, quâ poſt ipſam cœli Reginam ad cœlum certò, & ſecurè conſcendamus.*

(a) in deprecat. ad B. Virg.

In cæteras virtutes maximè admirabiles.

Primus flos Corollæ, ſeu Serti (primus quoque gradus Scalæ Cæli) VIRTUTUM CARDINALIUM AMICABILIS CONFOEDERATIO.

1139. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM, EXCIDIT COLUMNAS SEPTEM. (b) Myſticè: *Sapientia*, id eſt Filius Dei, *ædificavit ſibi*, id eſt in proprium ſuum uſum, *domum* ſe dignam, ſcilicet uterum Virginis Deiparæ, cùm illum ſibi in habitaculum elegit: ideoque ut eſſet divinum ac dignum Deo, præ Angelis, Cherubinis & Seraphinis, ſummis id gratiis adaptavit & adornavit, putà ſeptem columnis, id eſt robuſtiſſimis virtutibus; tribus Theologicis, robuſtâ fide, ſpe, & charitate, ac quatuor cardinalibus, robuſtâ prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine & temperantia. Ad hoc propoſitum S. Athanaſius Sermone de SS. Deipara verba illa: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*; exponens, docet Spiritum ſanctum illapſum fuiſſe in eam, ac omnibus ſuis virtutibus eſſentialibus exornaſſe. Ita quoque mellifluus Doctor (c): *Hæc itaque* SAPIENTIA *quæ Dei erat, de ſinu Patris ad nos veniens*, ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM, *ipſam ſcilicet matrem ſuam Virginem Mariam; in qua* SEPTEM COLUMNAS EXCIDIT. *Quid eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignum ſibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem, propter Sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales virtutes.* Primùm hic agemus de iſtis quatuor virtutibus Cardinalibus ſimul junctis, deindè de cæteris, quæ in quatuor illis veluti cardinibus vertuntur, initium ducentes ab humilitate reliquarũ fundamento; tum de tribus virtutibus ſubſtantialibus monaſticis, ac de cæteris moralibus, randem de virtute Religionis, & ei annexis, ac denique de tribus virtutibus Theologicis: Itaque quantùm ad virtutes Cardinales.

(b) Prov. 4.

(c) Serm. 9. inter parvos.

Domus myſtica quam Sapientia ædificavit, 7. columnas, eſt Deipara:

1140. QUOMODO FIET ISTUD? (a) Verba iſta B. Virginis, ſicut, & ſequentia: FIAT MIHI SECUNDÙM VERBUM TUUM prudentiæ ejus pleniſſima ſunt. In negotiis graviſſimis magna opus eſt conſideratione, & circumſpectâ valdè locutione. Sic B. Virgo Maria, quæ, cùm magna conſideratione audiviſſet legationem Angeli, dixit: *Quomodo*, firmiſſimè quidem credens dictis Angeli, ſed modũ inquirens (*non dubitans de facto, ſed modum quærens & ordinem*, inquit S. Bernardus b) cùm enim voviſſet perpetuam virginitatem (ſicut poſteà declarabitur) quærit ab Angelo, *quomodò* illà conſiſtere poſſet cum Dei maternitate? id cùm ab Angelo intellexiſſet, paucis, prudentiæ (& aliarum comitantium virtutum) verbis reſpondit: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM. Prudentia illa reſplendet pariter in iſtis verbis, VINUM NON HABENT? quibus poſtulat non imperando, nec rogando (Fili procura eis vinum) ſed dùmtaxat neceſſitatem indicando: *verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior*, inquit S. Ambroſius, inſtruens virgines. Dicit: *Vinum non habent: precatur Dominum: non imperat filio; defectum vini tantùm nuntiaſſe contenta.* Ita S. Bernardus (c). Prudentiſſimum & breviſſimum verbum: *Vinum non habent*, totum complectens; etenim *cùm prudentiſſima eſſet Virgo; pauciſſimis uſa eſt verbis, & in voluntate Filii, ac Domini ſui relinquens, quid agere vellet*, inquit Carthuſianus. Sic in cæteris verbis & actibus excellentiſſimam prudentiam præ ſe tulit: hinc meritò Eccleſia hôc titulô eam honorat: *Virgo prudentiſſima.*

(a) Luc. 1.

Prudentia ejus:

(b) Serm. 4. ſuper Miſſus.

(c) Serm. 46. in Cant.

XXV. MARTII.

(a) in Speculo cap 8.

Iuſtitia:

1141. SPECULUM JUSTITIÆ meritiſſimè nuncupatur; cùm *ex ea ortus ſit Sol juſtitiæ*. Hinc S. Bonaventura (a) concludit Deiparam juſtiſſimam eſſe; quia *Chriſtus, qui eſt juſtiſſimus, juſtiſſimè fuit eam ita.* Et ſubiicit: *Quæ anima eſſet juſta, ſi non Maria eſſet juſta?* Juſtitiæ partes ſunt duæ, *declinare à malo, & facere bonum.* At Deipara ab omni malo tantùm declinavit, ut nec minima labes animam ejus umquam commacularit. Bonum etiam fecit, virtutes omnes exercendo in excellentiſſimo gradu, præ omnibus Sanctis: & etiam hinc *juſtiſſima* fuit.

(b) Prov. 10

Fortitudo:

(c) Serm 9. inter parvos.

(d) Serm 2. ſuper *Miſſus eſt.*

fortitudinis actus duplex:

1142. MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET. (b) Mulier fortis, imò heroina omnium fortiſſima, ac Martyrum princeps & regina eſt B. Virgo, quæ ut ait S. Bernardus (c) *adeò fortis fuit, ut illius ſerpentis caput contereret, cui à Domino dictum eſt: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* In alio ſermone (d) ad idem intentum ſcribit: *Cui hæc victoria* (contriti ſerpentis) *ſervata eſt niſi Mariæ? Quam verò aliam Salomon requirebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet?* Sequitur: *fortitudo, & decor indumentum ejus*; nam ſummâ pollebat fortitudine, & mentis conſtantiâ. FORTITUDINIS *actus duplex eſt, unus, res adverſas ſuſtinere: alter, res arduas fortiter aggredi.* In utroque B. Virgo ſummè excelluit. Quoad primum, adverſa plurima ſuſtinuit in crebris itineribus, ad Montana Judææ, ac Nazareth, ad Bethleem, in Ægyptum, rursùs in Galilæam, & per ſingulos annos ad feſta Jeroſolymitana; ex commoratione per ſeptem annos in terra Ægypti inter populum ignotum, barbarum, idolorum cultui deditum, ſuſtinuit; graviſſima ſanè fuerunt quæ ex filii quem unicè diligebat, doloribus, & cruciatibus per comp. ſſionem ſenſit. Adfuit morienti Filio Virgo, ita tamen, ut in ea nunquam conſtantia ac firmitas moreretur: *Stabat*, inquit ſanctus Euangeliſta, *juxta crucem Mater ejus*, non corpore, non animo concidit, nec vinci tot dolorum agmine potuit. In altero etiam perfectiſſimè enituit, etenim rem ſummè arduam præſtitit, cùm in Chriſti paſſione ac morte adeò inperturbabilis ſtetit, ut ſi carnifices, ſi milites crucifigentes defuiſſent, ipſamet Virgo æterni Patris voluntatem perficiens, ſuis manibus filium pro generis humani ſalute immolaſſet. Sed de iſtis plura in ſequentibus. Præterea verè *manum ſuam miſit ad fortia*, cùm ſæviſſimos humani generis hoſtes domuit, & caput ſerpentis infernalis contrivit. Et ob id dicitur: (e) *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Ita quidem*, inquit, Richardus Victorinus: (f) *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere eamque tentare non præſumpſerint: deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationis, & fervor devotionis: ſtupebant immunem à peccatis.*

(e) Cant. 6.

(f) cap 26. in cantica.

Temperantia,

(a) Matth. 4.

(b) de vita Chriſti c. 3.

1143. JEIUNAVIT QUADRAGINTA DIEBUS ET QUADRAGINTA NOCTIBUS (a) JESUS Deus homo. Hunc ſummum abſtinentiæ amatorem digna fuit lactare ſacra Virgo Maria. De cujus temperantia ſic teſtatur S. Chryſoſtomus: *Beatiſſima Maria ultra omnem humanæ naturæ modum modeſtiam atque temperantiam excoluit, atque ob id univerſorum Dominum in utero geſtare meruit.* S. Bonaventura (b) refert B. Virginem cuidam Religioſæ ancillæ apparuiſſe, & his verbis eam compelleſſe. *Filia, tu credis, quòd omnem gratiam quam habui, habuerim ſine labore? ſed non eſt ita. Imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo, ſine magno labore, continuâ oratione, ardenti deſiderio, profundâ devotione, multis lacrymis, & multa afflictione; exceptâ ſanctificationis gratiâ.* (Speculum hoc temperantiæ & abſtinentiæ inſpicientes permulti, exemplo Virginis, vigilias Feſtorum ejus, & dies Sabbati in pane & aqua jejunarunt, & etiam nunc non pauci præfatis & aliis diebus carnem ſuam domant jejuniis, & abſtinentia eſcæ & potus.) Iſta igitur virtus temperantiæ, & eidem cognatæ, ſobrietas, abſtinentia, jejunium ſingulariter reſplenduerunt in ſancta Dei Matre. Quamvis enim ſatisfactione opus non haberet, quamvis peccati expers eſſet, quamvis in ſua carne nullum inordinatum motum, nullam inclinationem rationi repugnantem, vel ad malum impellentem, vel à bono retardantem ſentiret, nihilominus ad Dei gloriam, & ut Chriſti paſſionibus magis communicaret, jejuniis, vigiliis, aliiſque pœnalibus operibus, puriſſimam carnem ſuam affligebat. Et licèt universè in rebus omnibus abſtinentiam coluerit, maximè tamen à cibis & deliciis abſtinuit. Sicut in cibo, ita & in ſomno temperatiſſima fuit; nam teſte S. Ambroſio: (c) *Quid ego exequar* inquit, *ciborum parcimoniam... congeminatos jejunio dies? Et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non priùs cupiditas, quàm neceſſitas fuit. Et tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus.*

abſtinentia, jejunium:

(c) lib. 2. de Virgin.

II. *Flos (& Gradus)* HUMILITAS.

Humilitas:

(d) Luc. 1.

(e) Serm. in illud: Signum magn.

(f) Serm. de Aſſumpt.

1144. ECCE ANCILLA DOMINI: (d) Ecce profundiſsimam Mariæ humilitatem: ab Angelo ſalutata Mater Dei, ejus ſe *ancillam* nuncupat. Quantùm iſtâ humilitate meruerit ſic declarat S. Bernardus (e): *Meritò*, ait, *facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam.* Eadem paulò poſt ſic reduplicavit: RESPEXIT HUMILITATEM ANCILLÆ SUÆ: quæ perpendens S. Auguſtinus (f) exclamat: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, & hominum animas liberavit, facta eſt*

XXV. MARTII.

Maria humilitas ſcala cæleſtis per quam Deus deſcendit ad terras. Perpendendum quoque, quòd cùm in ejus laudes erumperet Elizabeth, ipſa non inani gaudio exiliit, non ſe jactavit, ſed totum in Dei honorem, & laudem retulit, dicens: MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM: quaſi diceret: Tu Elizabeth me laude, & honore magnificas: ego Dominum meum magnifico, eique omnem laudem, & honorem defero: Tu miraris quòd ego veniam ad te; ego miror quòd Dominus dignatus ſit venire ad me. Dicit quoque ſacer textus: EXURGENS AUTEM MARIA ... ABIIT ...: ET SALUTAVIT ELISABETH. Sed cur? Patres & interpretes varias adferunt cauſas: una eſt: ut daret omnibus futuris ſæculis inſigne humilitatis & charitatis exemplum, quâ ipſa jam mater Dei, & regina mundi effecta, dignatur viſitare Eliſabetham, quæ ipſi potiùs ancillare & ſervire debebat: ut & nos ſimiliter, ejus exemplo, viles, pauperes, alioſque nobis inferiores libenter viſitare, ſalutare, eiſque ſervire, & opitulari in animum inducamus. Quocircà exemplo & titulo Viſitationis B. Virginis multæ Congregationes ad viſitandos pauperes, hoſpites, infirmos, incarceratos &c. inſtitutæ ſunt. Porrò B. Virgo *prior ſalutavit*, ait S. Ambroſius; *decet enim, ut quantò caſtior virgo, tantò humilior ſit, noverit deferre ſenioribus. Sit magiſtra humilitatis, in qua eſt profeſſio caſtitatis &c.* Unde S. Chryſoſtomus (a) docet, ridiculos eſſe & ſuperbos, qui nolunt prius ſalutare, nec niſi ſalutati reſalutant; ſapientes verò & humiles eſſe eos, qui priùs ſalutant.

(a) Homil. 18. in Mat. ſub fin.

Inſuper hominis Ethnici imperio ſe ſubdens ivit in Bethleem, ut cenſum penderet. Non dixit: Quid ad me Imperator? majorem geſto Dominum. Repulſam paſſa à domibus in Bethleem, ſubmiſſiſſimè antrum ſubiit, & inter pecudes manſit. Inter pauperes, & immundas in purificatione ſe locat: fabro cui nupſerat, ſe gubernandum committit. Poſt Chriſti aſcenſionem ultimum inter omnes locum indicat ſacer textus (b). *Erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre* JESU. Quam illa Filii monitum ſervaſſe dicenda: *Vade & recumbe in noviſſimo loco?* Quia igitur ſe ſubmiſit infra omnes homines, evecta eſt ſuper omnes Angelos. Congruè hoc divinis oraculis: *qui ſe humiliat, exaltabitur.*

(b) Act. 1.

Obedientia: *III. Flos (& gradus)* OBEDIENTIA.

1145. FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM (c) Quaſi diceret: *En tabula ſum, quamvis ſcripturam recipere idonea; ſcribat in me ſcriba ille, quodcumque viſum fuerit, faciat de me univerſorum Dominus quidquid libuerit.* Illo verbulo *fiat*, ex perfectiſſimo obedientiæ motivo prolato tam excellentem obedientiæ, ſimul & fidei, & reſignationis actum exercuit, ut eo plus meruerit, quàm omnes Sancti omnibus ſuis actibus ſimul. Per illum etiam de congruo ſaltèm, ipſam meruiſſe dignitatem Matris Dei ſentit S. Bernardinus (a). Verba ejus ſunt: *Elevabatur ad infinitatem perfectionum ac gratiarum, ad imperſcrutabilem abyſſum chariſmatum Spiritus ſancti.* Dixit enim verba illa: *fiat mihi* &c. ex ſubliniſſimo obedientiæ affectu, & ferventi in Deum amore ſuccenſa, ac liquefacta, juxta illud: (b) *Anima mea liquefacta eſt.* Et iſtud Pſalmi: *Cor meum tamquam cera liqueſcens* (c) nempe ſicut liquefacta cera ad omnem formam imprimendam idonea (uti etiam metallum liquefactum) ita Maria ſe ad Dei nutum omnem ſe reddidit indifferentem. Iſtud igitur verbum virgineum *fiat* non minoris admirationis eſt & efficaciæ, quàm illud divinum *fiat*, quò dixit Deus: *fiat lux*, *fiat firmamentum.* Siquidem hoc Dei *fiat*, creaturam ſolùm in lucem dedit; ab hoc verò Virginis almæ *fiat*, Deus homo factus eſt. Per illud *Dei fiat*, ſeu *faciamus*, conditi ſumus, poſtmodùm iterùm morituri: à Virginis *fiat*, æternùm victuri reficimur, & inſtauramur. Quod benè ponderat S. Bernardus (d) *In ſempiterno verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi reſponſo, ſcilicet* FIAT, *ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* Et S. Anſelmus: *Unde verè & audacter auſim affirmare de Virgine, quod Ioannes de Verbo.* ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL: *ita ſine Virgine nihil eſſe refectum. Majus igitur aliquid attribuit Deus* FIAT *Virginis, quam ſuo: ſed cur ita? Quia ſcilicet* FIAT *Dei imperantis erat, Virginis autem* FIAT *obedientis.* O mira obedientiæ efficacia, & meritum! Obedientiam eandem præſtitit domi parentibus, in templo Sacerdotibus, ac deindè Joſepho ſponſo; quamvis eum & gratia & dignitate præcelluerit, tamen ut ſuo ſe capiti ſubmiſit in omnibus, velut ipſi Deo, idque que annis circiter triginta, ſeu Nazarethum, ſeu Hieroſolymam ſeu Bethlehemum iret, ſeu in Ægyptum contenderet. Quin imò Imperatori Auguſto idololatræ, jamque partui vicina, promptiſſimè, nec juſtâ quidem excuſatione uſa, obtemperavit. Obedientiam quoque exactam præſtitit legi, etiam ad quam non tenebatur; ſic puerperarum legem de purificatione, cui obnoxia non erat, utpote Virgo puriſſima adimplevit. Hinc meritò S. Bernardus (e) exclamat: *Verè, ô Beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt Purificatione; ſed numquid & Filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquàm una earum, nam & Filius tuus ſic eſt in numero puerorum.*

(c) Luc. 1.

quantum per eam meruerit?

(a) Ser. 15. de B. Virg.

(b) Cant. 5.

(c) Pſal. 21.

ea mediante Deus factus homo:

(d) Homil. 4. ſuper Miſſus eſt.

(e) Serm. de Purif.

Obedientia ejus erga homines, & Legem etiam ſingularis.

Caſtitas: *IV. Flos (& Gradus)* CASTITAS.

1146. ECCE VIRGO CONCIPIET. (f) Hæc illa eſt Virgo, de qua S. Lucas (g) MISSUS EST ANGELUS GABRIEL AD VIRGINEM, & quidem ad Virginem caſtitatis voto adſtrictam, ideò quærit ab Angelo: *Quomodò fiet iſtud quoniam virum non cognoſco*, id eſt cognoſcere non poſſum, ob votum caſtitatis:

(f) Iſa. 7.

(g) cap. 1.

XXV. MARTII.

(a) Orat. de nativit. Christi.

Scribit S. Gregorius Nyſſenus (a) dum ait: *Quoniam virum non cognoſco*, idem eſt acſi diceret, ſi res meæ voluntati committitur, potiùs nolo in Matrem Dei eligi, quàm jacturam virginitatis aliquam pati ac promiſſum votum violare. Idem tradunt alii. Splendet quoque ejus caſtitas, ut notant communiter Patres, in illo addito: *fiat mihi ſecundum verbum tuum*; non enim generaliter dat conſenſum, ſed ad concipiendum juxta modum præſcriptum ab Angelo ſine viri copula. Caſtitatis amor impulit, ut hæc diceret, quamvis ſciret, ſe ſine ope viri concepturam, ut ab Angelo annunciabatur. Et ita ait: D. Hildephonſus (b) *quòd in ortu filii aucta eſt caſtitas: integritas roborata Mariæ.* Quantâ autem puritate ſplenduerit ſic paucis declarat S. Bernardus (c): *Quæ vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritûs ſancti ſacrariū fieri, & habitaculum Filii Dei?* Hinc S. Chryſoſtomus, S. Baſilius, S. Hieronymus, & alii Patres docent B. Virginem Angelicâ ſuâ puritate meruiſſe de congruo, ut Mater Dei fieret. Hinc meritò ſalutatur: *Virgo Virginum, Mater caſtiſſima, mater intemerata, poſt partum Virgo inviolata permanens.* Et iſtud ſummum eſt miraculum, quòd ſicut ſolares radii vitrum tranſeunt, nec lædunt vitrum: ita Chriſtus ex utero Matris venit in præſepe. Præterea *ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium; ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem.* Ita ſcitè mellifluus Bernardus (d). Illam quoque præſignavit Rubus ardens, & virorem non amittens, Aaronis virga floribus, & fructibus abundans. Verecundia caſtitatis comes eſt & cuſtos: ejus etiam exemplum habemus in hac ſacra Virgine, cum ſalutata ab Angelo non reſalutat; *Quamvis eſſet humilis, præ verecundia tamen non reſalutavit Angelum, nec unum reſponſum retulit, niſi ubi de ſuſcipienda Domini generatione cognovit.* Ità S. Ambroſius. (e)

ejus votum:

(b) Serm. de Aſſump.

(c) Ser. de Aſſumpt.

comparatio pulcherrima.

(d) Homil. 2. ſuper Miſſus.

(e) lib. 1. offic. c. 18.

V. Flos (& Gradus) PAUPERTAS VOLUNTARIA.

Paupertas vol.

1147. RECLINAVIT EUM (infantem Deum hominem) IN PRÆSEPIO; QUIA NON ERAT EIS LOCUS IN DIVERSORIO (f). Quæ major paupertas, & paupertatis effectus admirabilis excogitari poteſt in Virgine Dei Matre, pariente in ſtabulo, & reclinante infantem in præſepio, cunarum loco, ut ibi halitu beſtiarum calefieret Deus conditor mundi, in hyemis aſperitate. Alii hoſpitium inveniebant pro pecunia: Matri Dei pauperculæ nec viliſſimum quidem cubiculum patebat. Paupertatem illam ſic expendit S. Vincentius (g) *Cogitate ſi Virgo Maria habebat frigus, quia non legitur quod portaret veſtes ſoderatas: propter hoc poſuit Filium ſuum in præſepio, ut animalia calefacerent eum anhelitu.* Ejuſdem paupertatem teſtantur duo turtures, ſeu pulli columbarum, qui erant oblationes pauperum; divites autem agnum offerebant. Sed quanta paupertatis incommoda in triſtiſſima, ſubitanea fuga in Ægyptum? Quantum penuriæ, quantum & cæterarum ærumnarum inibi tolerandum fuit inter gentes illas barbaras, idololatras. Porrò Mariæ paupertas non coacta fuit. Erat enim ex ſtirpe regia, de domo, & familia David nata. Parentes ejus Joachim & Anna divites erant, & tripartitam ſubſtantiam habebant, partem in Templum, partem in victum familiæ partem in pauperes eam diſpoſuerant. Maria quoque cum lana, lino, ſerico, biſſoque laborabat, ut S. Epiphanius in vita Deiparæ teſtatur, & tunica Chriſti inconſutilis ab ipſâ Deipara contexta per totum, indicat. Ioſeph item faber erat.

(f) Luc. 2.

maxima in ſtabulo,

(g) Ser. de Nativit.

& in Ægypto.

VI. Flos (& Gradus) SOLITUDO ET SILENTIUM.

Solitudo, ſilentium:

1148. MISSUS EST ANGELUS GABRIEL AD VIRGINEM ... INGRESSUS ANGELUS AD EAM (a) Maria ab Angelo inventa eſt ſola: ſolitudinem ſic amabat hæc virginum Virgo, ut meritiſſimum hoc illi encomium aſſignarit Ambroſius (b) *Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret; ſola ſine comite, ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* Hinc S. Bernardus (c). *Quando in ſolitudine contemplabatur Virgo Maria, tunc veniſti, & in ea, & de ea carnem aſſumpſiſti, ô bone Ieſu! ô ſolitudo beata! ô Ereme mors vitiorum, vita virtutum! Te lex & Prophetæ mirantur: & quicumque ad perfectionem venerunt, per te in te paradiſum introierunt.* Solitudinem amans, à Deo inſpirata exire foras, ut ſalutaret Eliſabeth, *abiit cum feſtinatione; ſed cur cum feſtinatione?* (cum feſtinatione modeſta ſicut decebat virginem Deo plenam) Cauſam adfert S. Ambroſius: *feſtinavit Virgo*, inquit, *ne extra domum diu in publico moraretur, &c. Diſcite virgines non demorari in plateæ, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in domo ſera, feſtina in publico.* Sicut ſolitudinis, ita & ſilentii amantiſſima fuit. In colloquio cum Angelo, ſalutatur ab Angelo Virgo, & turbatur ſtatim. *Turbata eſt*, inquit S. Euangeliſta, *in ſermone ejus.* Et cur turbatur: *Quia ſilentium ſuum quod valde amabat; infringere, vel orationes ſuas interrumpere cogebatur.* Ita Richardus (d). Ab hoc amore ſilentii quo Maria tenebatur, natum eſt, ut audiens Angeli ſalutationem ipſum non reſalutarit: non interrogavit, quid ſibi vellet, & quorſùm tenderet iſta Salutatio, ſed ſolum cogitavit. *Cogitabat*, inquit, S. Lucas, *qualis eſſet iſta ſalutatio*, maluit intra ſe cogitare, & ſolitum ſilentii rigorem tenere, quam Angelum de ſalutationis qualitate interrogare. *Hinc eſt*, inquit S. Petrus Damianus (e) *quòd tacendo audire meruit, quò i in terrogando inquirere non præſumpſit. Ait enim Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries Filium.* Secundò, taciturnitas Mariæ eniteſcit in

(a) Luc. 1.

(b) lib. 2. in Lucam initio.

(c) Homil. de negotiatore.

(d) lib. 4. de laude Virg.

(e) Homil. de Nativit. Virg.

XXV. MARTII.

Secreti cuſtodia, & ſilentium in B. Virg. ſummè admirandum.

in occultatione myſterii Incarnationis. Dei Mater electa Virgo, nulli rem patefecit, nulli myſterium prodidit, nec Sponſo quidem Joſepho. Sed ſummè admirandum, & tanquam cæleſte prodigium obſtupeſcendum iſtud circa Joſephum ſilentium, etiam poſteà. Ipſe anxius erat cùm adverteret ipſam *in utero habentem*, ut habet ſacer textus, neſcius quomodo: fugam meditabatur, teſtante S. Euangeliſta (a): *Voluit occulte dimittere eam.* Hæc Virgo Deo plena non obſcurè advertit, & tamen tacuit; Taciturnitas hæc, quàm admiranda, quàm fiduciæ plena! (ſed de ejus fiducia plura hic paulò poſt). Ulteriùs volue Euangelicæ hiſtoriæ libros: *In omni textu quatuor Euangeliſtarum*, inquit S. Bernardus (b) *ſi benè meminimus, non niſi quater Maria loquens auditur. Primò quidem ad Angelum, ſed cum jam ſemel atque iterum allocutus eam fuiſſet. Secundò ad Elizabeth, quando vox ſalutationis ejus Ioannem exultare fecit in utero, & ea magnificante Mariam, ipſa magis Dominum magnificare curavit. Tertiò ad filium, cum jam eſſet annorum duodecim, quod ipſa & pater ejus dolentes quæſiſſent eum. Quartò in nuptiis ad filium, & ad miniſtros.*

(a) Math. 1.

(b) Serm. in verba Apocal. SIGNUM MAGNUM, &c.

Quoties B. Virgo in Evang. loquatur.

Patientia:

VII. Flos (& Gradus) PATIENTIA.

(c) Luc. 1.

1149. TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS. (c) Gladii animam Virginis pertranſeuntes fuerunt contradictiones, probra, calumniæ, blaſphemiæ, in Chriſtum filium ſuum prolatæ, & tormenta ipſi illata, clavi, flagra. Audiens enim calumnias, & blaſphemias, à Judæis & Scribis jaci in Chriſtum etiam crucifixum, mirè iis cruciabatur, perindè ac ſi gladius animam ejus tranſverberaſſet. O quàm acuti gladii clamores inſanientis populi: *Crucifige, crucifige:* & Filio Dei præferentis Barrabam: *Non hunc, ſed Barrabam* petentis dimitti: & multò acutiores mœſtiſſima Filii vociferatio: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Clavi quoque, lancea, & cætera tormenta non tantùm Chriſti corpus, ſed & matris animam pertranſierunt. Porrò dolor matris, aſtantis Filio ejus dolorem augebat, & viciſſim à Chriſto in Matrem reflectebatur. Propterea tradunt Doctores B. Virginem eſſe martyrem, imò pluſquam martyrem, quia gladius aliorum martyrum corpora, gladius verò Chriſti & Virginis animam pertranſivit: quare ſicut Chriſtus patiendo magis cruciatus eſt quàm omnes martyres, ſic & B. Virgo Chriſto compatiendo, adeoque hôc cruciatu & dolore exanimata & mortua fuiſſet, niſi Deus per ſingularem concurſum eam in vita conſervaſſet. Quocircà ab Eccleſia, & Patribus meritò nuncupatur *Regina Martyrum; nam pluſquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm majoris eſt intus gladio vulnerata*, inquit S. Ildephonſus (d). Conformiter S. Bernardus (e): *Tuam animam pertranſibit vis doloris, ut pluſquàm martyrem prædicemus in qua nimirum corporeæ paſſionis ſenſum excesserit compaſſionis affectus.* Et S. Bernardinus Senenſis. *Tantus fuit dolor Virginis, quòd ſi in omnes creaturas divideretur, omnes ſubitò interirent.* Inter iſtos autem dolorum fluctus quaſi immenſos *ſtabat Maria in fide ſua conſtantiſſima & patientiſſima*: inquit S. Anſelmus Sed ad Patientiæ ſociam perſeverantiam nunc ſermo noſter procedat.

præſertim tempore paſſionis,

major quam aliorum Martyrum.

(d) Ser. de Aſſump.

(e) Serm. in illud Apoc. 12. Signum Magnum.

VIII. Flos (& Gradus) CONSTANTIA, PERSEVERENTIA.

Perſeverantia, conſtantia:

1150. STABANT JUXTA CRUCEM JESU MATER EJUS &c. (a) ..... *Stabant*, inquit S. Euangeliſta; *juxta crucem Ieſu Mater ejus.* Non præ vehementia doloris in terram cadebat, non clamores extollebat; non militum crudelitatem arguebat; non furentis populi inſaniam accuſabat, ſed *ſtabat* firma, voluntatem ſuam divinæ voluntati conformans, & omnibus futuris ſeculis conſtantiæ, perſeverantiæ, patientiæ, fortitudinis relinquens exemplum; *Nam diſcipulis fugientibus, cunctiſque viris recedentibus, in gloriam totius fœminei ſexûs, inter tot preſſuras filii ſui conſtanter ipſa ſola ſtabat in fide Ieſu firma.* Ita S. Anſelmus (b). Verbum iſtud *ſtaba* devotâ & ſublimiori contemplatione ruminemus cum S. Bonaventura (c) ſic Virginem alloquente: *O Domina mea ubi ſtas? numquid juxta crucem? imò in cruce cum Filio cruciaris; ibi enim crucifixa es ſecum. Hoc ſolùm reſtat, quod ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa: nec non ſingula vulnera per corpus ejus diſperſa, in tuo corde generaliter ſunt unita, quia nempe tuam ipſius animam doloris gladius pertranſivit.* Stabat, & plagas, opprobria, vulnera Filii in ſe recipiebat. Aſtabat Martyri commartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa; eodem doloris gladio tranſverberata. Cum livente liveſcebat, cum pallente pallebat, cum ſaucio ſauciabatur, cum lachrymante lachrymabatur, cum ſilente obmuteſcebat, morienti commoriebatur. Adſtabat cruci, ut aſtare ſolet mater ægrotanti filio, cùm ſanguis ab eo elicitur. Stabat aſpiciens priſſimis ſuis oculis hiantia Filii vulnera. Stabat recta, magna cum animi fortitudine, & admirabili invictaque conſtantiâ. Perſeverantia docet hominem bonis actibus inhærere, contra omnes difficultates ex actuum diuturnitate provenientes: at verò conſtantia munit hominem adverſus difficultates è quibuſcumque aliis impedimentis emergentes, & in proſperis ac adverſis animum firmat. Sic firma, conſtans, perſeverans ſacra Virgo Maria ſtetit ad conciones, ſtetit ad crucem Filii: adfuit miracula patranti, adfuit & in patibulo expiranti: æſtate perſtans & hyeme, inter luctus & gaudiorum vices, admirabilis perſeverantiæ exemplum, pariter & modeſtiæ, ut jam audiemus.

(a) Ioan. 19.

(b) apud Cornel. à Lap. in c. 19. Ioan. v. 25

(c) in Stimulo amoris c. 4.

præſertim ſub cruce,

XXV. MARTII.

IX. *Flos (& Gradus)* MANSUETUDO, MODESTIA.

Manſuetudo, modeſtiæ

1151. SPIRITUS MEUS SUPER MEL DULCIS: (a) Propterea in celeberrimo cantico ſic eam ſalutat Eccleſia: *ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.* In ipſa corporaliter requievit dulcis Jeſus, & cum ea annis 30. converſatus fuit: interea ipſa præ omnibus Chriſto ſimillima, iſtam Chriſti perfectiſſimè aſſecuta eſt lectionem: *Diſcite à me quia mitis ſum.* Hinc iterum de ea canit Eccleſia: *Virgo ſingularis, inter omnes mitis.* Quàm excellens in ea virtute fuerit S. Bonaventura his declarat verbis: *Maria manſuetiſſima fuit per patientiſſimam lenitatem contra omnem adverſitatem: gladius quidem cor ejus pertranſiit, ſed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit.* Nam *ſermo ejus*, ut Damaſcenus loquitur, *jucundus ex leni anima progrediens. Eſt enim manſuetudo animi dulcedo, quam non vincit amaritudo.* Virgo verè mitis inter omnes ſingularis. *Propter veritatem & juſtitiam & manſuetudinem deduxit illam mirabiliter Filii dextera.* Modeſtiam ejus ſic nobis proponit S. Ambroſius (b): *Quando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quandò faſtidivit humilem? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? Virgo verè mitis in omnes, virgo ſingularis. Nihil torvum in ejus oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; ut ipſa ſpecies corporis ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Sed ſicut cæterarum virtutum heroicos exercuit actus, ita modeſtiæ ſpectatiſſimum ſe præbuit exemplum, & exemplar tempore paſſionis, præſertim in triſtiſſimo illo ſpectaculo, quando *ſtabat juxta crucem.* Quomodò ſtaret, & qualiter modeſtiam ſummæ conſtantiæ, & firmiſſimæ ſpei conjungeret, ſic declarat, & pariter ipſam in exemplum modeſtiæ virginibus proponit S. Ambroſius (c). *Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida. Videte, utrùm pudorem mutare potuerit mater Ieſu, quæ animum non mutavit.* Et S. Anſelmus, illa verba: *Stabat juxta crucem Ieſu mater ejus* exponens, ait: *Et pulchrè ſtabat, ut decet pudicitiam virginalem, non ſe laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hoſtium à Deo petebat; ſed ſtabat diſciplinata, verecunda Virgo.*

(a) Eccli. 24

(b) Ambr. lib. de Virg. ſub initiũ.

(c) Serm de inſtit. virg. c. 7.

X. *Flos (& Gradus)* MISERICORDIA, & CHARITAS ERGA PROXIMUM.

Charitas erga proximum. Miſericordia:

1152. DEFICIENTE VINO DICIT MATER JESU AD EUM: VINUM NON HABENT: (d) Iſta expendens S. Bernardus (e): *Compaſſa eſt*, inquit, *eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet niſi pietas? Quid, inquam, mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nonne qui pomum in manu ſua tenuerit dimidiâ die, reliquâ diei parte pomi ſervabit odorem? Quantùm igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus requievit? Nam & ante mentem replevit quàm ventrem, & cùm proceſſit ex utero, ab anima non receſſit.* Idem in ſermone alio (a) *Quis miſericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus uſque in diem noviſſimum, invocantibus eam ſubvenit univerſis. Latitudo ejus replet Orbem terrarum, ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem; & profundum ejus ſedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem.* Et ſuperiùs idem S. Bernardus dixerat: *Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe.* Ita quoque Damaſcenus (b) *Dei Mater*, inquit, *eſt inexhauſtum pelagus gaudii, unica mœroris obliteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulſans.* Et Damianus: *Scio*, inquit, *ô Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore invincibili, quos in te & per te filius tuus ſummâ dilectione dilexit.* Amorem Virginis in humanam gentem ardentiſſimum fuiſſe, ex amore in Deum diſcimus. Uterque ſiquidem pari paſſu incedunt, & ut Theologorum princeps Thomas Aquinas loquitur, *unus utriuſque eſt habitus.* Hæc mulier eſt amicta ſole, ut undequaque amoris radios evibraret. Hæc Virgo cælum cryſtallinum eſt, quod amoris æſtum velut pluvias, & rorem effundit. Nec ſtillare deſiit hoc celum. Quotidiana in nos beneficia indè ſunt. Ob hunc amorem maximum, quo omne genus humanum complectitur à priſcis Patribus *cælum, & cælum empyreum* quandoque nuncupata legitur: nam ſicut cælum empyreum maximum mundi corpus cætera continet omnia; ita Maria univerſos homines, amicos, inimicos, amoris brachiis ſtringit. Propterea meritò ab Eccleſia in Litaniis aſſiduè invocatur: *Conſolatrix Afflictorum, Refugium peccatorum, Salus infirmorum, Auxilium Chriſtianorum, Ianua cæli &c.*

(d) Ioan. 2.

(e) Serm. 1. in Domin. 1. eſt Oct. Epiph.

(a) Serm 4. de Aſſump.

quâ plenâ eſt omnis terra:

(b) Orat. 2. de Aſſump.

id toſt amoris titulo, ipſi attribui,

XI. *Flos (& Gradus)* RELIGIO ORATIO, MEDITATIO, CONTEMPLATIO, INTERMIXTA OPERATIONI.

Religio, Meditatio Contemplatio, & illa ſociata operatio:

1153. MARIA AUTEM CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC CONFERENS IN CORDE SUO. (c) eadem repetuntur. Maria igitur de divinis myſteriis meditabatur, & contemplando illa inter ſe conferebat. *Quia* inquit Venerab. Beda, *ſcripturas legerat, & ſciebat prophetas, conferebat ea, quæ ſecum ſunt acta de Domino, cum his, quæ noverat à Prophetis ſcripta de Domino: & collata ad invicem cognovit inſtar cæleſtium Cherubim ſociâ ſui vultus luce concordiâ. Dixerat enim Gabriel*, ECCE CONCIPIES IN UTERO, ET PARIES FILIUM. *Prædixerat Iſaias;* ECCE VIRGO CONCIPIET, ET PARIET FILIUM. *Prædixerat Michæas, filias Sion in*

(c) Luc. 2.

XXV. MARTII.

turre gregis adventuram, & poteſtatem primam tunc eſſe venturam. Dicebant paſtores ſuperna ſibi civitatis in turre gregis apparuiſſe cohortes, quæ natum canerent Chriſtum. Legerat Maria, bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepè Domini ſui. Videbat in præſepi Dei filium vagientem, qui homines ſalvat, ac jumenta: & in his ſingulis, atque hujuſmodi conferebat quæ legerat, & comparabat his quæ audiebat, & videbat. Meditationi & contemplationi quandoque etiam vocalem miſcebat orationem, & viciſſim meditationem ac contemplationem etiam operi manuali; ita ut omnis ejus operatio, etiam fuerit precatio; nam animo in cœlo erat, & coram Deo. Undè meritò à priſcis Patribus appellata eſt *Altare Thymiamatis*, in quo thura, odoreſque nobiliſſimi incendebantur. Hinc & beatus Ephrem, *Thuribulum aureum* Domini Matrem appellat, ob aſſiduum, quod in illa fuerat, precandi ſtudium. Orationis exercitio intermiſcebat quoque lectionem ſacram, & manualia opera. Id ſic paucis exprimit S. Ambroſius (a): *Parca erat ad loquendum, ſtudioſa ad legendum, intenta ad operandum.* Domeſticam hanc legem Virgo obſervavit ſtrictiſſimè: numquam otiari, & orationem ſociare operationi, ac viciſſim. Undè meritò illi conveniunt iſta Salomonis (b): *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Hinc conſtans Scriptorum aſſertio eſt, inconſutilem Chriſti togam, quam milites ſub cruce ſcindere verebantur, hujus Virginis artificioſâ manu elaboratam. Quod etiam tradunt nonnulli de mappa quâ Chriſtus uſus fuit in ultima cœna.

oratio & operatio comites in B. V. Maria:

(a) lib. 2. de virginit.

(b) Prov. 31.

ab ipſa elaborata tunica inconſutilis Chriſti.

XII. Flos (& Gradus) DEI LAUDATIO, ERGA EUM REVERENTIA, GRATITUDO, CUM EIUS BENEPLACITO CONFORMITAS.

Dei laudatio, gratitudo,

1154. MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM (c) quaſi diceret, non ſolum lingua mea, nec ſola manus mea, ſed ipſa anima mea, tota quanta eſt *magnificat Deum*, hoc eſt, ego ex intimis animæ meæ penetralibus, ſinibus, & ſenſibus, totis mentis meæ facultatibus laudo & glorifico Deum: omnes animæ meæ vires in ejus laudem expromo & exhaurio, ut intellectus meus non niſi ipſum conſideret; voluntas nullum niſi ipſum amet & celebret & gratias agat pro beneficiis mihi collatis, memoria nil niſi ipſum cogitet; os meum nil niſi ipſum loquatur & prædicet, manus mea non niſi ea quæ ad cultum ejus ſpectant operetur; pedes mei non niſi ad ea, quæ ad gloriam ejus ſpectant, progrediantur & procedant. Quomodò nos Mariam imitari debeamus, Deum magnificando, ſic tradit S. Auguſtinus (d) *Quæcumque*, inquit, *anima ſancta, verbum concipere poteſt credendo, parere prædicando, magnificare amando, ut dicat,* MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM. Hinc etiam voluntatem ſuam SS. Virgo Maria ſemper habuit conformem divinæ; non ſemel dumtaxat dicendo: *fiat mihi ſecundum verbum tuum*: ſed identidem corde ſe reſignando in omnibus. Reſignatio, indifferentia, & conformitas voluntatis ſuæ cum divina in hoc conſiſtit, ut homo ſeipſum totum cum rebus ſuis omnibus in Dei manu reponat cum omnimoda indifferentia, ad contemptum & honorem, ad paupertatem & divitias, ad infirmitatem & bonam valetudinem: & ſic in cæteris, dicendo identidem: *Domine tu ſcis quia amo te; ob iſtum in te amorem in æquilibrio me pono quoad omnia.* Virtutem hanc, in ſupremo gradu, præ omnibus mortalibus, poſſedit Virgo Maria: de qua ſic S. Antoninus (a) *ô Domina, ita divinæ voluntati conformis fuiſti, ut audeam dicere, ſi nullus fuiſſet, qui filium crucifigeret, ut adimpleretur voluntas Dei, ipſa illum in cruce poſuiſſes, & clavis affixiſſes. Neque enim minoris te obedientiæ fuiſſe credendum, quàm Abraham, qui proprium filium propriis manibus Deo obtulit occidendum & comburendum.* Nec aliter ea de re locutus Gerſon: *Ipſa*, inquit, *ſi Deus juſſiſſet, filium crucifixiſſet.* Nam quod D. Paulus (b) de cœleſti Patre aſſerit: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; idem de Matre aſſerendum? Proprio filio non pepercisset, ſed illum pro nobis tradidiſſet. Sed nunquid hæc Mater, dum filii tormenta ſpectabat, non inter ingentes dolorum fluctus volvebatur? Quàm ingens dolor, veluti mare fuerit in corde Mariæ, tempore paſſionis Filii, audivimus jam ante ubi de ejus patientia: intereà (teſtatur Euangeliſta) *ſtabat juxta crucem.* Quomodò ad tam infandum ſpectaculum *ſtabat*? & ad ultimum uſque actum tam cruentæ tragædiæ duravit, nec animo concidit? Da Matrem, quæ in unico, dilectiſſimo Filio talia cernat, & audiat, & non corruens tabeſcat: & tamen *Maria ſtabat.* Una; atque unica reſignationis virtus in ſtatu Matrem tenuit, dum ad omnia illa tam oculorum quàm aurium acerbiſſima vulnera illud aſſiduè ſecum ingeminavit. *Ita Pater*, ita mi Pater, *quoniam ſic placitum fuit ante te. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſecundum voluntatem tuam.

(c) Lucæ 1.

(d) Serm. 2. de Aſſump.

reſignatio ejus admirabilis,

(a) part. 4.

præſertim tempore paſſionis.

(b) Rom. 8.

XIII. Flos (& Gradus) FIDES.

Fides,

1155. BEATA QUÆ CREDIDISTI. (c) Ita Elizabeth ad Mariam, ejus excellentiſſimam fidem, in Annuntiatione Angelica præſtitam extollendo. Fides ejus tunc peculiariter emicuit, quandò Angelo dixit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Si enim aſſenſum præbet, ut fiat ſecundùm verbum Angeli; ergo credidit omnia, quæ Angelus ei dixerat, quæ erant valdè magna, myſterium Trinitatis, Incarnationem Verbi, Redemptionem generis humani. Et quamvis aliqua difficultatem facere poterant; quid ſi vir meus Joſeph, conſanguinei, vel vicini viderint me gravidam, quid ſecum cogitabunt? Si dixero, opus eſſe Spiritus ſancti, non credent;

(c) Luc. 1.

maximè emicans in Annunciatione,

XXV. Martii.

dent, & de blaſphemia judicabor. Nihil tamen diſceptavit, ſed in omnibus credidit Deo, ac omnia ſua magnâ fiduciâ, & ſpe in ejus manibus commendavit. (Sed de ejus firmiſſima ſpe. & fiducia, mox plura). Magna ipſius fides fuit, quæ ejus uterum in Dei præparavit habitaculum, & fidei latitudine hoſpitii anguſtiæ occurrit. Etenim cùm Virgo cœleſti nuntio firmiſſimè crediderit mox è cœlo mons montium, mons infinitæ magnitudinis, in ditiſſimum mare, in beatiſſimæ Virginis uterum ſeſe demiſit, Deus humanum corpus induit. Hoc opus grande Virginis fides plurimum juvit. Hinc S. Auguſtinus (a). *Sacratiſſima Virgo beatior fuit per fidem perfectam concipiendo Deum in anima, quàm in corpore. Nam etſi tanta ſit dignitas, Dei Matrem eſſe, ut major homini conferri non poſſit, ea tamen ſola jus ad immortalem gloriam non dedit, ſed fides vivaciſſima. Hac charitate juncta virtutem ſuper universos Angelorum Ordines erexit.* Fidem conſtantiſſimè profeſſa fuit ſub cruce, cum non ſolùm fugientibus Apoſtolis, ipſa comitata fuit ad crucem, ſed infra crucem generoſiſſimè adſtitit, profeſſa illum in ea pendentem eſſe Deum, & à morte rediturum ad vitam. Cum triduo ſacræ hebdomadis preces decantantur matutinæ unicus cereus ardens ad ſacrarium defertur. Ea res piam hanc interpretationem habet: Apoſtolorum fides eo tempore utcumque nutabat, tutius illis viſum latere, & velut cereum extincto lumine abſcondi. Unica fax illa, Domini Mater cum ventis certabat, nec ullis turbinum flaminibus extingui poterat. Hinc jure merito à S. Ignatio appellatur: *Chriſtianæ religionis magiſtra*: à D. Auguſtino, *Mater credentium*: à D. Athanaſio: *hæreſum interemptrix*: à S. Cyrillo: *Sceptrum fidei*: ſceptrum hieroglyphicum regni eſſe, ex litteris ſacris tradit Pierius lib. 41. Beata igitur Virgo, *ſceptrum fidei* dicitur: quia fides ejus tam ſublimis eſt, ut veluti rex inter aliorum fidelium fidem emineat: à S. Ildephonſo: *Signaculum fidei.* Propterea etiam Eccleſia de ea canit: *cunctas hæreſes interemiſti*: & ad hoc propoſitum S. Irenæus (b). *Quod Eva ligavit propter incredulitatem, hoc Virgo Maria ſolvit per fidem.* Et B. Albertus Magnus (c). *Fidem habuit in excellentiſſimo gradu.*

(a) lib. de S. Virginitate c. 3.

& ſub cruce.

(b) lib. 3. contra hæreſes c. 33.

(c) in cap. 1. Lucæ.

XIV. Flos (& Gradus) Spes, fiducia in Deum.

Spes.

1156. Mater ... sanctæ Spei (d) meritò nuncupatur SS. Virgo. Magna ejus fiducia in Deo, & firma ſpes reſplendent (ſicut jam audivimus) aſſenſum præbendo Angelo: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Sed & in cæteris ſummam in Deum fiduciam divinæ hujus Virginis compendio ſubiiciamus. Cùm Joſepho deſponſata eſſet, virginitatis ſuæ propoſitum, & votum Deo commendavit, firmiſſimè credens, cum effecturum, ut ſalvis nuptiarum fœderibus, perpetuum virginitatis propoſitum ſibi integrum remaneret. Ulteriùs ſummam hanc in Deum confidentiam Virgo prodidit, cùm Joſeph ſponſum ſuum adeò turbatum vidit, ut de ea deſerenda cogitaret. Matth. 1. 19. nec tamen Joſephum cœleſtis conceptûs certiorem fecit. Quâ putas in Deum ſpe cor ejus tunc rapiebatur, cùm ne verbulo quidem dilecto ſponſo ſuo mentis ſuæ arcana patefaceret, ſed ex ſolo divino arbitrio ſuſpenſa hæreret, firmiſſimâ ſpe freta, Deum ex illo animi cruciatu & angore Joſeph ſponſum ſuum liberaturum, ſuamque pudicitiam ab omni malæ ſuſpicionis nota indicaturum. Imò certiſſimè credebat, hæc omnia ad divinæ Majeſtatis gloriam, ſponſique ſui Joſeph, & omnium electorum ſalutem ceſſura. *Tacebat Virgo, ſed Deo maximè confidebat, bonorúmq; ſui cauſam in Deum jactabat,* inquit, Seraphinus Firmianus (a) iſtud ſervans divinum monitum (b). *Jacta ſuper Dominum curam tuam.* Stabat immobilis, divinæ providentiæ anchorâ firmata. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur* (c). Denique, cùm in Cana Galilææ vinum deficere advertiſſet, quantâ fiduciâ Filium ſuum interpellata eſt. Nondum eum miracula facientem viderat, nondum divinitatis ſuæ potentiam declarantem conſpexerat: & tamen ſpem certiſſimam concepit, eum tantæ inopiæ inigni cum miraculo ſubventurum, & quamprimum occultam divinitatis ſuæ potentiam manifeſtaturum. Eradverte, quomodo negotium tam grande, opus tam ſublime, & tanto ſtudio à B. Virgine optatum, ipſa nec rationibus fulcit, nec importunis precibus extorquet, ſed tantùm neceſſitatem indicat, ut hinc diſcas magnæ fiduciæ in Deum argumentum eſſe, ut poſtquàm feceris, quæ officii tui ſunt, reliqua divinæ voluntati committere. Propter iſtam Spei excellentiam in B. Virgine, meritò ſalutatur ab Eccleſia: *Spes noſtra ſalve*; atque etiam Mater in Deo ſperantium rectè nuncupari poteſt: quia, ut inquit Bernardus (d): *Fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem, collabentemque confidentiam ſublevat.*

(d) Eccli. 24.

(a) de orat. mentis c. 12.

(b) Pſal. 54.

(c) Pſ. 124.

(d) Serm. de Nativit. Virg.

XV. Flos (& Gradus) Charitas erga Deum:

quâ mediante, & cæteras omnes informante, promeruit ſibi peculiarem chorum in cælo, medium inter Deitatem, ac Sanctorum univerſitatem.

Charitas erga Deum,

1157. Gratia plena (e) ſalutatur, & *Mater pulchra dilectionis* dicitur. Quàm fuerit *gratiâ plena*, & conſequenter intenſiſſimus in ea Dei amor, ſuperans gratiam, & amorem ſupremi Angeli, à primo inſtanti conceptionis, & exindè Dei gratiæ cooperando continuè auxerit, ſic declarant Theologi nonnulli (f) B. Virgo hoc inſtanti Conceptionis, amans laudanſque Deum intenſiſ-

(e) Luc. 1.

(f) Suarez in 3. p. disp. 18. ſect. 4.

XXV. MARTII.

tenſiſſimè ſuperavit amorem, & conſequenter meritum ſupremi Angeli. Secundo verò operationis & amoris ſui inſtanti, ex gratiæ augmento quod primo inſtanti merita erat, & reipſa acceperat, gradus amoris, & conſequenter meriti duplicavit. Tertio verò inſtanti eoſdem duplicando, meritum cum gratia quadruplicavit. Et ſic ſemper duplicando uſque ad finem vitæ. Atque ita Maria ſola Deum plus amavit, & ab eo plus amatur, quàm omnes Angeli, & homines ſimul ſumpti (a). Hinc à S. Gregorio (b) iſta Iſaiæ cap. 2. verba *Mons in vertice Montium*, ei appropriantur. *Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate transcendit. Annon mons ſublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem. Iſaias vaticinans ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſuper omnes Sanctos refulſit.* Et quidem præ omnibus Sanctis ſummo amore B. Virgo Maria dilexit Filium, cujus illa ſola genitrix fuerat, & in qua matris ſimul, & Patris amor erga Filium erat. Filium, inquam, qui eam ad dignitatem penè infinitam evexit, ut nimirùm eſſet illius mater, cujus Deus eſt pater. Sicut ergo Pater æternus infinitè diligit unigenitum ſuum, ita Deipara incomparabiliter pluſquam omnes Sancti diligebat Chriſtum Dominum à ſe genitum. Et quid mirum, inquit D. Bonaventura, *quod præ omnibus diligat, quæ præ omnibus eſt dilecta?* Præterea: *Una eſt Mariæ, & Christi Caro, unus ſpiritus, una charitas*, ait Arnoldus Carnotenſis (c). Deus charitas dicitur: *Deus Charitas eſt*. Maria quoque charitas appellatur (d). *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam*: S. Gregorius Nyſſenus (e) legit: *Si excitetis, & expergiſci faciatis charitatem.*

(a) Ita Cornel. à Lap. in cap. 1. Lucæ.
(b) apud Cornel. à Lap. in cap. 24. Eccli. v. 24.
Mariam extulit ſuper omnes Sanctos.
(c) Tract. de laud. Virg.
(d) Cant. 2.
(e) Hom. 4. in Cant.

1158. Nec mirum, *Eſt ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modò confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed totò corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret*: ita S. Bernardus (f) & in alio Sermone (g) *Nihil unquàm elegit ſibi Maria, niſi quod ei Sapientia Divina demonſtrabat, tantumque ſemper dilexit Deum, quantùm à ſe diligendum exiſtimavit.* Et Suarius (h) *Fuit etiam in jugi divinarum rerum contemplatione, & in ea ardentiſſimè Deum amabat, & frequentiſſimè actum ferventiſſimum in Deum repetebat.* Repetebat, inquàm ferventiſſimum actum amoris Dei correſpondentem ſummæ plenitudini gratiæ, de qua (præter jam dicta) iſta S. Hieronymus (i) illud *gratiâ plena* explicans: *Benè*, inquit, *plena, quia cæteris per partes præſtatur; Maria verò ſe tota infudit plenitudo gratiæ.* Et S. Bonaventura: (k) *Plena eſt Maria inundatione gratiæ in affectu, tanta nempè inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo fuit in Maria, ut ipſa benè Mare plenum dici poſſit.* Et infra: *Quàm plenum ſit hoc mare, quàm plena gratiâ ſit Maria, B. Hieronymus aperit, dicens: Benè plena, quia cæteris per partes præſtatur. Maria verò ſimul ſe tota infudit gratiæ plenitudo.* In hunc ſenſum idem Bonaventura verſat verba illa Eccleſiaſt. 14. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Et ex D. Bernardo ſubjungit: *Ideò in plenitudine Sanctorum Mariæ detentio fuit, quia in mirifica perfectione ſua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi defuit nequaquàm.* Et Divus Petrus Chryſologus (a) *Hæc*, inquit, *eſt gratia, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, ſalutem ſæculis redditura.* Et S. Thomas de Villa-Nova (b) *Sicut in creatione mundi, in homine collecta eſt omnis creatura; ideò Microcoſmus dicitur: ſic in reformatione mundi, in Virgine collecta fuit omnis Eccleſia, & Sanctorum perfectio.*

(f) Ser. 29. in Cantic.
(g) Ser. 51. in Cant.
(h) p. 3. tom. 2. diſp. 18. ſect. 4.
(i) Serm. de Aſſumpt. B. Virg.
(k) in Speculo cap. 6.
Maria mare eſt, in quod omnium Sanctorum chariſmata intrant;
(a) Ser. 43.
(b) Concione 3. de Nativit.

1159. Hinc nonnulli tres conſtituunt ordines, ſeu choros in cælo, Supremum Chriſti Domini, medium tribuunt Chriſti Matri, imum Sanctorum univerſitati, (Deitatis autem, & SS. Trinitatis immensâ majeſtate, & gloriâ, ac redundante voluptate pleni ſunt cœli) & quidem de tribus iſtis ordinibus, ſeu choris in cœlo, non obſcurè tradit Apoſtolus (c) ſermonem attexens de diverſitate gloriæ, quâ Beati fruuntur in cælis. *Alia*, inquit, *claritas ſolis*, id eſt, Chriſti; *alia eſt claritas lunæ*, id eſt, Mariæ; *alia eſt claritas ſtellarum*, id eſt, reliquorum Beatorum. Scitè ad noſtrum intentum ait Bernardinus (d) *Certitudinaliter*, ait, *tenendum eſt, quòd ipſa ſit ſupra omnem puram creaturam in gloria exaltata, tanquam per ſe implens, & complens unum integrum, ac totalem ſtatum.* Et Gerſon, (e) *Virgo*, ait, *ſola conſtituit Hierarchiam ſecundam ſub Deo trino, & uno, Hierarcha primo & ſummo, apud quem Hierarchiam humanitas Filii ſola ſublimata ſedet à dextris virtutis Dei per unitatem ſuppoſiti.* Id ipſum innuit Eccleſia, dum pangit: *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna.* Atque iſtis.

Te beatorum chorus Angelorum,
Te ſacri Vates, & Apoſtolorum
Ordo prælatam ſibi cernit unam,
Poſt Deitatem.

ipſa ſola conſtituit unum chorum in cælis.
(c) 1. Cor. 15.
(d) Serm. 3. de gloria nom. Mariæ art. 2. c. 1.
(e) Tract. 4. ſuper Magnificat.

1160. EPILOGUS. Sic perfectâ Corollâ virtutum Deiparæ Virginis, Carmeli Matris peculiarioris; meipſum, & fratres meos, cunctoſque fideles (ut Corollâ iſtâ eâdem animam noſtram exornemus) alloquor, & hortor verbis S. Ambroſii (f) *Sit igitur vobis tamquàm in imagine deſcripta vita B. Mariæ ... forma virtutis ... Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tamquàm in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt ... Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit ...* QUICUMQUE SIBI EIUS EXOPTAT PRÆMIUM, IMITETUR EXEMPLUM.

illius ſi ſequamur virtutes,
(f) lib. 2. de Virg.
participabimus & gloriam.

XXIX. MARTII.

VITA S. BERTHOLDI, primi ſub nomine Prioris Generalis. *

* Obiit an. MCLXXXVII. aut circiter.

NOTATIO PRÆVIA.

§. I. Ordinis hujus ſtatus, uſque ad tempus S. Bertholdi: mutatio tunc facta: cur dicatur Primus Prior Generalis.

Carmeli Ordo in magna temporum varietate proceſſit:

1161. *Carmeli Religio à ſuo exordio, inter magnas temporum, locorum, & rerum varietates proceſſit uſque in præſens, quandoque in tranquillitate pacis, frequenter autem inter procellas perſecutionum, & graviſſimorum bellorum, ac intereà vaſtationum, incendiorum, lanienatum, ſicut pleniùs referetur infrà, ad diem XII. Novembris. Et quidem ad præſens propoſitum, à tempore Conſtantini Magni, quaſi tranſacta rigidiſſima hyemis (graviſſimarum perſecutionum) inclementiâ, incœpit gratiſſimis veris amœnitas, ut verè dici potuerit:* Hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra. (a) *Et ſic Eccleſia, atque etiam Carmeli Ordo reviviſcendo, florebat, & Vinea Domini botros germinabat. Atque ita perſtitit, & profecit hic Ordo uſque ad annum Chriſti quadringenteſimum duodecimum, tempora Honorii Imperatoris (quandò à Joanne Ieroſolymitano Regula ſcripta, & tradita fuit) & exindè per annos circiter ducentos quinque, videlicet uſque ad ſexcenteſimum decimum ſeptimum (aut juxta Baronianum computum, ſexcenteſimum decimum quartum) etiam profeſſores Ordinis hujus pacificè in Carmelo, & aliis Terræ ſanctæ locis converſati fuerunt, uſque ad tempora Heraclii Imperatoris, quando Coſdroes Rex Perſarum totam Terram ſanctam devaſtavit. Et aliquantò poſt Homar Rex Arabiæ, Mahumeti impii impius ſucceſſor tertius, Hieroſolymam, & totam Terram ſanctam cepit, & omnes Chriſtianos partim trucidavit, partim duriſſimo ſuo ſubjugavit imperio: & ſub ejuſdem ſucceſſoribus ſicut ibi Eccleſia, ita & Carmeli Religio valdè afflicta perſtitit annis quadringentis ſexaginta, videlicet ad milleſimum nonageſimum nonum: quò inclytus Godefridus de Bulyon, & exercitus Chriſtianus dictam Terram ſanctam Chriſtianitati reſtituerunt. Ex tunc Ordo hic rursùs inſtaurari cœpit, & amplificari: & plures ex Occidente, ſeu Europæi ad eum recepti fuerunt, ac inter eos S. Bertholdus, qui doctrinæ anteà parte pietatem ſocians, tantùm profecit in Religionis ſuæ obſervantia, ut, defuncto Superiore, unanimi omnium aſſenſu ſucceſſerit, & omnibus præfectus fuerit, ſub nomine Latino* Prioris Generalis, *& ſub ea nomenclatura primus; cum anteà Superioris titulus eſſet* Abba, *Syrâ linguâ, id eſt* Pater, *Latinâ. Et iſta pleniùs tradita ſunt in Tomo præcedenti* (a) *hic paucis declaranda videbantur, pro elucidatione Vitæ S. Bertholdi.*

ſubindè in tranquillitate pacis,

(a) Cantic. 2.

deindè per annos 460. graviſſime afflictus:

reſpiravit & inſtauratus fuit poſt an. 1099.

S. Bertholdo inſtituto 1. Priore Generali.

(a) parte 1. lib 8. cap. 2. & ibi in Notis nu. 300. & 307.

1162. *Itaque S. Bertholdus in ſerie Priorum Generalium primus eſt: non quod (ſicut aliqui erroneè opinati ſunt) ejus tempore Ordo hic initium habuerit, ſed quòd ſub novo ſtatu eſſe cœperit. Pro quo ſciendum,* TRIPLICEM *ab hiſtoricis poni* STATUM ORDINIS *(ſunt qui in plures diſpertiunt)* PRIMUM *tempore Legis veteris, ſub Prophetis, Filiis Prophetarum, Aſſidæis, & Eſſenis commorantibus potiſſimùm quidem in eremis, & locis ſolitariis, ſed tamen etiam in urbibus.* SECUNDUS STATUS *tempore Legis Evangelicæ uſque poſt recuperatam per Godefridum de Bulyon Ieruſalem, ac deinde Terram ſanctam. Illo intervallo Ordo hic etiam erat magis eremiticus, quàm cœnobiticus: & cellæ, ſeu manſiones Religioſorum in Carmelo, & etiam in aliis pleriſque eremis ſeparatæ, ſeu diſſitæ ab invicem erant, nullo ſepto, ſeu muro circulariter cinctæ. Nuncupabantur autem tunc Superiores Ordinis linguâ Syrâ* Abba, *quod Græcè & Latinè* Patrem *ſonat. Circa iſta ſunt quædam dicta hic ſuprà Fundamento 7. & 8.* (b) TERTIUS *denique* STATUS *eſt ab anno circiter Chriſti 1141. circà quem, propter multitudinem Latinorum (ſeu Europæorum) mutatô aliqualiter per Aymericum Lemovicenſem natione, Patriarcham Antiochenum, & Sedis Apoſtolicæ Legatum, vivendi modô, conformatôque normæ Latinorum, Ordo magis cœpit eſſe cœnobiticus, omneſque conventus, & cuncti Religioſi Carmeliticæ inſtitutionis ſub uno Generali Prælato, qui proptereà,* Prior Generalis *diceretur, conſtituti fuêre, juſſique ipſi ſe* ſpeciali votô *adſtringere. S. Bertholdus igitur* primus *dicitur* Prior Generalis; *quia primus fuit, qui à Patriarcha Latino, ſub diſpoſitione & nomenclatura Latina inſtitutus fuit de qua Ordinis reſtitutione, & inſtauratione agens Onuphrius Panuinus in Chronico Eccleſiaſtico ad annum Chriſti 1141. ſcribit:* Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico &c. *Verba ejus pleniùs adferentur in ſequentibus. Tunc quoque Profeſſores hujus Ordinis in Carmelo, & aliis Terræ ſanctæ eremis ſparſim in cellis ſeparatis, & ab invicem diſtantibus habitare ſoliti, magis, more Latinô conventualiter habitare cœperunt, prout latiùs videre licebit Tomô præcedenti (parte 1. libro 8. cap. 2. & ibi in notis num. 314.) Quædam etiam ad hoc propoſitum ſunt dicta hîc ſuprà Fundamento ſeptimo, octavo, & nono.*

Status tres Ord. Carm.

primus.

ſecundus.

(b) n. 320. & 325.

tertius.

S. Bertholdus quâ ratione dicatur primus Prior Generalis.

Neu-

XXIX. MARTII.

1163. *Neutiquàm igitur S. Bertholdus dicitur* primus Prior Generalis, *quòd abſolutè primus fuerit Superior, & tunc Ordo originem ſumpſerit, ſed quia primus fuit, ſub iſta nomenclatura; cùm antea Superior diceretur* Abba, *id eſt*, Pater: *nam in Carmelo, & Terra ſancta Ordo habens præſertim alumnos iſtius patriæ, ac etiam Superiores ejuſdem nationis, etiam ejuſdem nationis (Syriaca) nomen tribuebatur Superiori. Poſtmodum autem, tempore S. Bertholdi, multiplicatis ex Europa advenis Latinis, ex illis primus Superior, ſub Latina nomenclatura fuit S. Bertholdus: qui ſcribitur à nonnullis præfati Patriarchæ Antiocheni Aymerici frater (forſan juxta phraſim S. Scripturæ, quâ ſubinde conſobrini, ſeu conſanguinei dicuntur fratres) ab aliis Aymerici nepos, à quibuſdam ejuſdem conſanguineus: circa quæ plura videri poterunt in Annalibus Carmelitanis* (a). *Id certum, utrumque fuiſſe natione Gallum, & patriâ Lemovicenſem, ac ejuſdem cognominis, Malaſayda, ſeu Malephaida.*

S. Bertholdus conſanguineus Aymerici Patriarchæ.

(a) ad ann. 1141. n. 14.

§. 2. *Scriptores de S. Bertholdo, & ſanctitate ejus.*

Scriptores de S. Bertholdo,

1164. T*Omò præcedenti frequens fuit mentio S. Bertholdi, & ſanctitatis ejus. Parte 1. libro 8. cap. 2. à S. Cyrillo Conſtantinopolitano, qui cum eo in Carmelo vixit, nuncupatur:* Perfectus Religioſus, ſanctuſque Presbyter. *Parte 2. librô 1.* in Viridario *Ioannis Groſsi Prioris Generalis primùm electi annô* 1389. Clave 2. *dicitur* Vir religioſus, ſanctus: *deinde in Tractatu de Sanctis, in epitome vitæ ejus, refertur* multis claruiſſe miraculis: *& quòd* multorum Religioſorum à Paganis interfectorum animas viderit ab Angelis in cœlum cum corona martyrii elevari. *Eâdem parte, librô 7.* in Chronico *Ioannis de Veneta, qui claruit circa annum* 1360. *vocatur ſimiliter* ſanctus & famoſus. *Eâdem parte libro 10. qui eſt* Faſciculus tripartitus *Ioannis Palaeonydori, pleniùs agitur de ejus natalibus, revelationibus à Deo illi factis, & miraculis. & cur dicatur* Primus Prior Generalis, *Latinus ſcilicet. Eadem iſta etiam referuntur in Speculo hiſtoriali Arnoldi Boſtii, unde quædam excerpta de S. Bertholdo habentur libro 11. præfati Speculi. & inde vita, ſeu analecta ſubſequuntur. Et iſti omnes Scriptores domeſtici: præter quos alii plures domeſtici & exteri eadem tradunt, peculiariter Didacus Coria in Carmelitana hiſtoria; Petrus Thomas Saracenus in* Menologio Carmelitano *& Philippus à SS. Trinitate Generalis Carmelitarum Diſcalceatorũ, in libro, cui titulus:* Decor Carmeli. *Inter omnes de S. Bertholdi natalibus, geſtis, virtutibus, tempore nativitatis, & obitus, ſanctitate & cultu accuratiſſimè tractat Lezana* Tomô 3. & 4. Annalium Carmelitarum: *ubique inſpiciendus Index, verbo* Bertholdus.

S. Cyrillus Conſtantin.

Ioan. Groſsi.

Ioan. de Veneta,

Ioan. Palæonyd.

& alii plures:

1165. *Ioannes Molanus* in Martyrologio *ad diem 29. Martii, his eum verbis commemorat:* Ipsô die ſancti Bertholdi Confeſſoris, Ordinis Carmeli. *Ferè eadem leguntur in Martyrologiis Germanico Canisii, Gallico Andreæ Sauſſaii; & Catalogo generali Ferrarii. Wernerus Rolewinck Carthuſienſis,* in Faſciculo temporum, *ad annum* 1184. *ſic paucis varia complectitur:* Sanctus Bertholdus Carmeli montis ab Aymerico Patriarcha Antiocheno in Priorem aſſignatus, famâ celebriori multis innoteſcit. Hic, inter cætera præclara ſuæ ſanctitatis indicia, animas quàm plurium fratrum ſuorum, quos Saracenorum abſumpſit gladius, cum corona martyrii, ab Angelis in cœlum deferri vidit. *Onuphrius Panvinius (infrà referendus) inſtitutionem ejus referens ſcribit:* BERTHOLDUS VIR SANCTUS: *Aubertus Miræus* libro de Origine & incrementis Ordinis Carmelitani *cap. 6. epitomen habet vitæ ejus, in qua, inter cætera, iſta:* Sanctus Bertholdus à Malefaida, natione Gallus, patriâ Lemovicenſis, adiuit ſacræ illi, pro recuperanda terra ſancta, expeditioni, quam Godefridus Bolioneus, Dux Lotharingiæ, inſtituit, & feliciter perfecit anno 1099. Voverat Bertholdus jam Sacerdos, & Pariſienſi Doctorum infulâ decoratus, dum Antiochia ab hoſtibus obſidione premeretur B. Mariæ Virgini, ſe perpetuo ei in monte Carmelo famulaturum, ſi Chriſtianis contra Saracenos victoriam obtineret. Voti compos effectus promiſſis ſtetit. Carmelique juga conſcendit, ac Marianæ militiæ nomen dedit. Tanta fuit ejus erga Beatiſſ. Virginem devotio, ut nulla decurreret hora diei, quâ non ſuſpiriis ac orationibus eamdem Virginem humi advolutus ſalutaret, ac conveniret. *Benedictus Gononus* in Chronico SS. Virginis (a) *agens de exercitu Chriſtianorum in Terra ſancta:* Quia verò Chriſtiani variis vitiis dediti erant, res proſperè eis non ceſſerunt. Videns hoc Bertholdus de Malefayda, frater * Aymerici Podienſis Epiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati, promiſit ſe Deo, & beatæ Virgini jugiter in monte Carmeli ſerviturum, ſi Dominus reſpiceret plebem ſuam. Tunc eidem Dominus Jeſus, ſplendidam crucem ſuper caput geſtans, cum beatiſſima matre ſua, & ſancto Petro Apoſtolo, apparens, durè increpavit Chriſtianorum ingratitudinem. Cùmque minaretur ſe vindicaturum, ſanctiſſima & piiſſima virgo Maria, miſericordiæ mater, cum beato Petro, ad pedes Domini corruit: ſupplicans, ut iram, ſuâ clementiâ mitigaret. Deindè Dominus ait Bertholdo: Vade, dic populo meo, Lupanar, proſtibulum, & omnem à vobis abuſum proiicite: & optimum vobis præſtabo auxilium. Si reverſi fueritis ad me, ego quoque revertar ad vos... (*Et ita evenit; nam cùm Chriſtiani in prælium procederent:*) Ecce de montibus innumerabilis exercitus cruce ſignatus... Igitur in conflictu diei illius ceciderunt Turcarum fortium armatorum, tam peditum, quàm equitum pluſquam centum millia, præter illos cœleſti igne conſumptos.

Martyrologia de S. Bertholdo,

Faſciculus temporum Werneri,

Aub. Miræus:

S. Bertholdi devotio erga B. V. Mariam.

(a) ad an. Chr. 1099.

* *Al.* Aimeri.

votum ejus Deo, & B. V. Mariæ

quæ cum Chriſto ipſi apparet.

victoria celeberrima de Turcis,

1166. *In Menologio Carmelitano hæc, inter alia, de S. Bertholdo memorantur:* Religioſa Carmelitarum familia facie renovatâ, & Latinorum ſanctioribus, ſatius quàm Græcorum moribus, auguſtiſſimam ſui ipſius imaginem à Bertholdo viro ſancto delineatam poſt diuturna tempora vidit... Carmeli namque juga dives miles aſcendit, & in Car-

XXIX. Martii.

meli arenam nudus Eremita deſcendit. Ille quem clauſit eremus, eremum ipſe innumeris aliis aperit, & ne de ſeipſo triumphet mundus, de mundo lætè triumphare ſtuduit, atque cellâ cœlum contendens, à caſtris militum, ad Caſtra Mariæ contendit. In ſacra igitur Religionis palæſtra ſe Chriſti athleta exercens, cæteros Eremitas noſtros vitæ aſperitate vincere conabatur. Unicâ in die contentus refectione, radicibus, & coctis oleribus, frugali menſâ utebatur, quam ſacris meditationibus, & lectionibus gratiſſimam reddebat palato. Veſtibus laneis, illiſque Eremitarum noſtrorum uſu rudibus incedebat amictus. Nulla ſanè decurrebat hora diei, quâ ſuſpiriis, ac orationibus Deiparam Virginem humi advolutus non ſalutaret, non conveniret . . . Religio noſtra Carmelitana tres præclaros Patres & inſignes Magiſtros Generales cognoſcit, ac reveretur. (a) Primus eſt Elias omnium Prophetarum Vates eximius, qui Inſtituto noſtro in Carmeli monte, alta dedit initia. (b) Secundus eſt Joannes Baptista Eremi cultor, qui in spiritu et virtute Eliæ veniens, à Chriſto Domino, eodem nomine alter Elias vocatus eſt. Ultimus eſt Bertholdus, de quo in præſenti, qui omnium Latinorum primus, Ordinem noſtrum rexit. Sub Elia fundata eſt noſtra Religio; ſub Joanne Baptista fide, & pœnitentiæ baptiſmo ad Chriſtum perducta. Tandem ſub Bertholdo viro ſancto per Haimericum reformata; & Joannis 44. Hieroſolymorum Patriarchæ Regulâ in Carmelo colligata. *Traditur quoque, eum ſepties per diem in Carmeli vertice ſolitum ſalutare Deiparam, in memoriam illius Nubeculæ, quam conſpexit Dux noſter Elias de mari aſcendentem, futuræ Incarnationis ſacrum prognoſticon. Quòd etiam modum orandi, & Deiparam ſalutandi per globulos in annorum B. Virginis, quibus vixit, commemorationem, à Petro Eremita traditum, ſuis Coeremitis commendaverit. Sed de iſtis plura videri poterunt in Annalibus Ordinis* (c). In Actis Sanctorum *PP. Bolland. &c. ad diem XXIX. Martii, iſta, inter alia, de eo referuntur:* De ſancto Bertholdo, primo Priore Generali Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo . . .: Acta quàm plurimorum Sanctorum hujus Ordinis ſingulis menſibus referimus. Inter hoſce viros eminet S. Bertholdus, primus Ordinis in monte Carmelo Prior . . . Ejus feſtum quotannis hôc itidem die Officiô Eccleſiaſticô, ſub ritu duplici per totum Ordinem Carmelitarum celebratur . . . Nomen Bertholdi Teutonicum eſt, & plurimùm à Germanis, Belgis, & Francis uſitatum: ac S. Bertholdum ut Lemovicenſem Gallicanô Martyrologiô, ad hunc diem inſcripſit Andreas Sauſſayus.

(a) de S. Elia Patriarcha Ord. Carmelit. v. infra ad 20. Julii.

(b) de S. Joan. Bap. altero Elia v. ad 24. Junii.

(c) Tom. 3. ad an. 1130. & ſeq. n. 3. nec non ad an. 1086.

Bertholdi nomen Teutonicum.

VITA,

Ex libro 6. Speculi hiſtorialis Arnoldi Boſtii.

1167. A*rnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali librô 6. per plura capita diffusè tractat de S. Bertholdo. Cùm autem ibi hiſtorias alias (juxta intentum operis iſtius) inſerat, quædam dumtaxat hîc damus præcipuè concernentia S. Bertholdum, prolixitatis nimiæ vitandæ gratiâ prætermittentes alias fuſe ſcriptas hiſtorias.*

CAPUT I.

S. Bertholdi proſapia, ſtudia, profectio ad Terram ſanctam.

B*oſtius igitur dicto libro cap. 1. agit de Guidone de Malephaida Lemovicenſi nobili militante in exercitu Imperatoris Henrici, & de Gerardo Carmelita Patriarcha Antiocheno, & qualiter hic quâdam nocte viſionem habuerit de iſto Guidone, & ideo* patriam reviſere ſuam, uxoremque ducere, & filios procreare perſuaſit. Et cùm idem miles de tanti viri conſilio ſubitò mutato miraretur, addidit Epiſcopus dicens: de fœmore tuo duo luminaria magna hâc nocte omnipotens Deus mihi oſtendit Eccleſiam Orientalem illuſtrantia procedere. Quod & poſtmodùm contigit. *Capite 2. refertur, quòd Guido ob militares actus generoſos, in uxorem acceperit neptem Regis Hungariæ Salomonis, de qua genuit Haymerum, ſeu Ademarum, poſteà Epiſcopum Podienſem, & ſanctum Bertholdum primum Priorem Generalem Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmelo: & quòd illi Pariſios miſſi fuerint eo tempore, quo ibi floruit S. Bruno, poſteà Ordinis Carthuſienſis inſtitutor. Haymerus autem, & Bertholdus tantos in ſtudiis fecerunt progreſſus ut ille tandem Romæ ab Urbano II. Epiſcopus Podienſis conſecratus fuerit:* ſed & Bertholdus frater ejus omni virtute proficiens, per gradus Eccleſiaſtici ordinis aſcendit, & ad Sacerdotalis officii pervenit benedictionem.

S. Bertholdi ſtudia, & pietas.

1168. *Capite 3. prolixè agitur quomodò annô Domini milleſimô nonageſimô quintô Urbanus II. indixerit Claromontanum concilium, pro expeditione Chriſtianorum, ad recuperationem Terræ ſanctæ: & qualiter Haymerus ibi inſtitutus fuerit iſtius expeditionis Legatus Apoſtolicus, & ſecùm aſſumpſerit germanum ſuum Bertholdum: & quomodò iſti, & exercitus Chriſtianus, ſuperatis ſummis difficultatibus, tandem pervenerint ante Antiochiam, annô Domini milleſimô nonageſimô ſeptimô, in Octobri. Hæc autem ibi Boſtius, inter cætera:* Annô Incarnationis Dominicæ milleſimô nonageſimô quintô, magnum intra fines Galliæ concilium celebratum eſt in Alvernia, in civitate ſcilicet, quæ Clarus-mons appellatur; cui Papa Urbanus II. cum Romanis Epiſcopis & Cardinalibus præfuit. Fuit autem illud Concilium celeberrimum conventû

Claromontanum Concilium celeberrimum:

XXIX. MARTII.

conventû Gallorum & Germanorum, tam Epiſcoporum, quam Principum Ordinatis ergo in eo rebus Eccleſiaſticis, exivit Dominus Papa in quadam ſpatioſæ latitudinis platea, quia non poterat omnes illos capere cujuſlibet ædificii clauſura: qui ſuadelâ rhetoricæ dulcedinis, generaliter ad omnes in hæc verba prorupit, dicens: [Gens francorum, gens tranſmontana, ad vos ſermo noſter dirigitur. Scire vos volumus, quæ lugubris cauſa ad veſtros fines nos adduxerit. Hieroſolymorum finibus, & urbe Conſtantinopolitana relatio gravis ad aures noſtras pervenit, quòd gens regni Perſarum, gens prorsùs à Deo aliena terras illorum Chriſtianorum invaſerit ferrô, rapinis, incendiô depopulaverit... Altaria ſuis fœditatibus inquinata ſubvertant, Chriſtianos circumcidant, cruoreſque circumciſionis aut ſuper Altaria ſundunt, aut in vaſis Baptiſterii immergunt. Quoſdam verò ſtipiti ligatos ſagittant: quoſdam extento collo, & nudatô gladiô appetunt, & utrum uno ictu truncare poſſint, pertentant. Quid dicam de nefanda mulierum conſtupratione, de quibus loqui deteriùs eſt, quàm ſilere... Ceſſent igitur inter vos odia, conticeſcant jurgia, bella quieſcant, & totius controverſiæ diſſentiones ſopiantur. Viam S. Sepulchri incipite, Terram illam nefariæ genti auferte, eamque vobis ſubiicite. Arripite igitur viam hanc, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, ſecuri de immarceſſibili gloria regni cœlorum.] Hæc, & id genus plurima ubi Papa Urbanus urbanô ſermone peroravit, ita omnium, qui aderant, affectus in unum conciliavit, ut acclamarent, DEUS VULT, DEUS VULT. Quod ut venerandus Pontifex audivit, erectis in cœlum luminibus, Deo gratias egit, & manu ſilentium indicens, ait: [Fratres chariſſimi, hodiè eſt in nobis oſtenſum, quod Dominus dicit per Evangelium: Ubi ſunt duo vel tres, &c. Niſi Dominus Deus mentibus veſtris affuiſſet, una omnium veſtrûm vox non fuiſſet ...] His itaque completis, unus ex Romanis Cardinalibus, nomine Gregorius, pro omnibus terræ proſtratis, dixit confeſſionem ſuam, & ſic omnes pectora ſua tundentes, impetraverunt ab iis, quæ malè commiſerant, abſolutionem, & factâ abſolutione, benedictionem, & poſt benedictionem, ad propria remeandi licentiam. Ad ſua itaque reverſus eſt unuſquiſque laicorum: & Urbanus Papa in craſtinum reſidere fecit conventum Epiſcoporum, quibus reſidentibus, accepit conſilium, quem præponeret tantæ multitudini. Univerſi ergò elegerunt Haymerum de Malephaida Podienſem Epiſcopum, aſſerentes eum rebus humanis ac divinis valde eſſe idoneum, & utrâque ſcientiâ peritiſſimum. Ille itaque, licèt invitus, ſuſcepit quaſi alter Moyſes Ducatum, ac regimen Dominici populi, cum benedictione Domini Papæ, ac totius Concilii. O quòt diverſæ ætatis, ac potentiæ, ſeu domeſticæ facultatis homines in illo concilio cruces ſuſceperunt, & viam

in eo Urbanus PP. II. habet inſignem orationem mira efficacia:

quâ omnes ad bellum ſacrum animati:

Haymerus Legatus totius Chriſtianæ militiæ conſtituitur:

S. Sepulchri ſpoponderunt! hinc divulgatum eſt ubique terrarum illud Concilium venerabile, & ad aures Regum ac Principum pervenit Concilii conſtitutum honorabile, & congregatus eſt immenſæ multitudinis exercitus, cujus majores extiterunt Haymerus Podienſis Epiſcopus, Legatus totius Chriſtianæ Militiæ, Magiſtrô Bertholdo germanô ſuô Sacerdote Sanctô ſecùm comitante: Petrus Heremita, vir magnæ famæ: Ugo Magnus Comes Viromandenſis frater Philippi Regis Franciæ, ſignifer exercitus Domini: Robertus Dux Normaniæ Filius Guilelmi Normanii Regis Angliæ: Godefridus Dux Bulionenſis, & Lotharingiæ, cum Balduino, & Euſtachio fratribus ſuis: Boamundus Dux Apulienſis: Tancredus Princeps, & nepos jam dicti Ducis: Robertus Comes Flandrenſis, frater Theodorici Comitis Hollandiæ: Stephanus Carnotenſis Comes, Raymundus Comes S. Ægidii, & Stephanus Comes Bleſenſis, cum multis aliis Principibus, & Nobilibus ex Francia, Alemania, Italia, Ungaria, Anglia, Britannia, Apulia, Cicilia, & Calabria diverſique per diverſas vias versùs Terram ſanctam perrexerunt... Tandem autem exercitus cum magna difficultate venit in vallem Antiochiæ, quæ eſt Syriæ metropolis, & obſedit eam. Hanc igitur urbem primò obſedit Boamundus à tribus portis tertiò decimò Kalendas Novembris Feriâ quartâ, annô Domini milleſimô nonageſimô ſeptimô.

qui ſecum aſſumpſit Bertholdum:

Principes præcipui ſacri exercitus:

per diverſas vias profecti ſunt ad Terram S.

Antiochiam Syriæ metropolim obſident:

1169. *Capite 4. libri præfati Speculi hiſtorialis deſcribitur obſeſſio Antiochiæ, &, qualiter Chriſtus, causâ correptionis populi Chriſtiani, apparuerit S. Bertholdo, oranti pro exercitu, propter peccata ſua, præſertim fornicationis, graviſſimâ fame afflicto, ubi iſta:* Fames magna hôc obſidionis tempore in civitate invaluit, in tantùm, ut vix ab humanis carnibus ſe abſtinerent. In hac ergo tribulatione S. Bertholdus de Malephaida, germanus Haymeri Podienſis Epiſcopi valde dolens, promitit ſe jugiter ſerviturum Beatæ Mariæ Virgini in monte Carmeli, ſi civitas imminens evaderet periculum. Tunc poſt multas orationes eidem ſancto Sacerdoti apparuit Dominus Jeſus Chriſtus cum Beatiſſima Genitrice ſua Virgine Maria, & Beato Petro Apoſtolo, cruce ſuper caput reſplendente, exprobrans beneficia, quæ Chriſtianis contulerat, & ingratitudinem eorum. *Conſequenter refertur, quomodò Chriſtiani pœnitentes, & per dies quinque cantantes Reſponſorium* Congregati ſunt inimici noſtri, &c. *poſteà ſummam victoriam conſecuti ſint. Ibi igitur iſta:* Cùm autem Chriſtiani exirent de civitate ad pugnam cum lancea Domini adverſus Corberanum, quædam dulcis pluviola tamquam roſcida ſtilla cecidit ſuper eos, equos, & equites lætificans, ut equi hinnirent, & equitum animi exhilareſcerent. Erat enim pluvia illa tam ſubtilis, & modica, ut magis ſentiri poſſet, quàm videri, velut quedam guttulæ rorantes. Non multò poſt ab ipſis montibus exire

fame graviſſimâ premuntur ob peccata:

votum S. Bertholdi:

Chriſtiani pœnitentes miſericordiam Dei conſequuntur.

XXIX. MARTII.

& cæleſti adjutorio ſummam obtinent victoriam:

exire viſus eſt exercitus innumerabilis, equis albis inſiſtentes, & in manibus vexilla candida præferentes: cujus agminis Duces erant ſanctus Georgius, S. Demetrius, S. Mauritius, & S. Mercurius, ille qui Julianum Apoſtatam interfecit, quos ut primum vidit Haymerus Podienſis Epiſcopus, exclamavit voce magnâ, dicens: O milites! ecce venit auxilium, quod nobis promiſit Deus. Tunc tremor maximus irruit in hoſtes, & verſis vultibus, terga vertunt, & fugam, quò unicuique locus dabatur, arripiunt... O miranda virtus Dei omnipotentis, & univerſa poteſtas! Miles tuus longò afflictus jejunió proſequitur tumentes adipe, & pinguedine, ita ut etiam nec ad ſua bona, quæ attulerant, auderent reſpicere. Sicut in macello beſtiarum corpora ſolitum eſt dilaniare, ſic & noſtris licitum erat turcorum corpora mactare; evolat ſanguis de corporibus vulneratorum: evolat pulvis agitatus equorum pedibus diſcurrentium. Æther obnubilatus, & quaſi crepuſculum fuit. Perſecuti ſunt autem illos, uſque ad pontem ferreum, & uſque ad Caſtellum, quod in manu Tancredi erat, & ultra non potuerunt perſequi, quia nox obſcura finem rei impoſuit. Mortui ſunt autem illò die centum millia equitum, ſed propter faſtidium nullus numeratus eſt de tota multitudine peditum... Ibi videri poterat venerandus Sacerdos Podienſis Epiſcopus loricâ veſtitus, & caſſide, & lanceâ ſanctâ in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat uberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, ut Deo gratias agerent, per quem victores extiterant, dicebatque eis: ex quo milites eſſe cœpiſtis, nulli vobis compares fuerunt, quia nulli in tam brevi tempore, tot, tantaque bella illata ſunt, quanta & vos peregiſtis, ex quo mare Conſtantinopolitanum tranſiſtis. Facta eſt autem hæc victoria quartò Kalendas Julii anni Domini milleſimi nonageſimi octavi... Requieverunt itaque Chriſtiani in Antiochia quinque menſibus, & novem diebus: & cùm ſumma pax eſſet, Kalendis Auguſti obiit Haymerus Epiſcopus Podienſis, cujus ſancta anima, vinculis carnis ſoluta, tranſlata eſt in Paradiſum Dei, in feſtivitate ſcilicet S. Petri, quod dicitur ad vincula. Et ut cenſurâ divini judicii id actum eſſe clareſceret, in die quo Princeps Apoſtolorum exutus è vinculis carceris anniverſario, ſolutus eſt Pontifex à corporis vinculis. Nec unquam pro ulla tribulatione tantus fuit in illa Dei militia mœror, tantaque triſtitia, quanta pro morte ſua. Erat enim carus Deo, & omni populo. Hujus ergo S. Pontificis germanus Bertholdus nomine, eâdem ſanctitate fulgens, cui Dominus Jeſus in Antiochia, ut dictum eſt, apparuerat, Petro Eremitæ ſe poſt hæc ſociavit, & tandem cum Dei militia ad terram promiſſionis pervenit.

cæduntur 100. millia equitum, & peditū innumera multitudo:

id contigit an. 1098. die 28. iun.

Haymeri Epiſcopi obitus.

1170 ANNOT. *De S. Bertholdi patria, parentibus, ſtudiis, ac profectione ad Terram ſanctam, & geſtis, ac viſo ejus facto circa Antiochiam, plenius tractat P. Lezanatione 3 Annalium, ad annos 1061 & 1088. Porrò ad eundem annum 1061 num. 5. rectè notat, quod quidem Guido pater S. Bertholdi* matrimonio conjunctus fuerit fœminæ Hungarorum Regum proſapiâ ortæ, *ſed veriſimile non illa non erat neptis Salomonis Regis Hungariæ: veriſimilius dici poteſt neptis Andreæ patris ejus, atque ita Salomonis fuit proneptis. Salomon ille quinquennis Rex Hungariæ coronatus fuit anno Chriſti 1053. ſicut refert Melchior Inchofer in Annalibus regni Hungariæ tomo 1 ad præfatum annum 1053.*

CAPUT II.

Ieroſolymitanus triumphus: Carmelitanæ Religionis renovatio, auctore præcipuo S. Bertholdo: revelatio ipſi facta: obitus: miracula.

1171. B*Oſtius dicto libro 6. cap. 5. prolixè & accurate tradit, quomodò Chriſtianus exercitus ulterius ſit progreſſus verſus ſanctam civitatem Ieruſalem, & eam obtinuerit anno Domini 1099. die 18. Iulii. Ibi ſequitur ſic, inter alia:* Annò Domini milleſimò nonageſimò nonô Chriſtianis Turcos fortiter debellantibus, eorumque urbes ac caſtella ſibi, bellando, vendicantibus, expeditio illa non minorabatur, ſed quotidiè numeroſior reddebatur: nam ex multis mundi partibus ſecuti erant multi egregii milites & pedites, priorum veſtigia: quotidieque creſcebat Chriſtiana militia; exercitus autem Dei, divino monitu ab Antiochia in interiora Terræ ſanctæ profectus eſt, largâ Dei manu refocillatus; quia cives & caſtella illius regionis Legatos cum multis muneribus ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere. A quibus Chriſtiani ſecuritate acceptâ, & indictô urbibus tributô, uſque ad Tripolim pergunt... Tùm venerunt ad urbem Baruch ſupra mare ſitam, deinde ad aliam, quæ dicitur Sagutta. Poſt hanc aliam, quæ Sur dicitur. Deinde ad Achon: de Achon ad Caſtellum, cui nomen Caiphas circa pedem montis Carmeli, & ſic ad Cæſaream. Eſt autem Cæſaræa inſignis civitas Palæſtinæ, in qua Philippus Apoſtolus dicitur domum habuiſſe, quæ uſque hodie monſtratur, & cubiculum filiarum ejus Virginum Prophetantium. Juxta illam civitatem tunc ſua tentoria fixerunt, & ſanctum Domini Pentecoſten celebraverunt... Deindè ad civitatem ſanctam Jeruſalem direxit iter Chriſtianus exercitus. O bone Jeſu, ut caſtra tua muros Jeruſalem viderunt, quantos exitus aquarum oculi eorum deduxerunt, & mox terræ procumbentes, ſonitu oris & nutu inclinati corporis ſanctum Sepulchrum ſalutaverunt, quis enarrare poteſt? Surgentes ab oratione, ad Regalem civitatem properaverunt... Ab Epiſcopis & Clero triduanum indicitur jejunium, & ſextâ feriâ proceſſionem univerſi Chriſtiani circa urbem facientes: deindè ad montem Oliveti venientes, in loco, ubi Dominus Jeſus Chriſtus aſcendit: ac indè procedentes, alio in loco, ubi diſcipulos ſuos orare

Exercitus Chriſtianus quotidie creſcens,

larga Dei manu refocillatur:

proficiſcitur verſus S. civitatem Ieruſalem:

cujus tandem muris viſis magnus fit fletus præ gaudio:

jejunium triduanum, & proceſſio indicuntur:

XXIX. Martii.

diſcordiæ dirimuntur;

orare docuit, cum omni devotione, & humilitate conſtiterunt. Illic in eodem loco Montis Dominus Petrus presbyter & quondam Heremita, & Arnolphus de Zohes Caſtello Flandriæ, Clericus magnæ ſcientiæ & facundiæ, ſermonem ad populum facientes, plurimam diſcordiam, quæ inter Peregrinos, de diverſis cauſis excreverat, extinxerunt. Porrò cùm hæc ita fierent, Proceres à longo terræ ſpatio ligneas trabes adduci faciebant, quibus turres & machinæ fierent, unde Civitatem expugnarent.

machinæ conſtruuntur:

Quibus adductis, Dux Godefridus ſuam turrim conſtruxit ab Orientali plaga prope urbem; & Comes S. Ægidii à meridiana parte ſuum caſtrum ſtatuit.

civitas impugnatur;

Sextâ verò feriâ, obſidionis autem die triceſimâ nonâ, aurorâ ſerenò lumine coruſcante, turres egregii bellatores aſcendunt, & ſcalas mœnibus apponunt. Illic eminebat in ſua turri Dux Godefridus, qui ſagittis inimicorum pectora, & utraque latera transforabat: & apud eum ſteterunt Balduinus, & Euſtachius fratres ejus ut leones: & dum ſic deſuper mœnia pugnarent, proceſſio circa ipſa mœnia agebatur.

interim circa mœnia fit proceſſio cum crucibus, & reliquiis.

Et cruces, ac Reliquiæ, & ſacrata Altaria deferuntur. Totâ itaque die alternis ictibus decertatum eſt. Sed ut appropinquavit hora, quâ Salvator omnium crucem ſubiit, miles quidam, nomine Letoldus, de Caſtro Godefridi Ducis muro primus inſilivit, eumque ſecutus eſt Guitherius, qui leonem propriâ virtute proſtravit & occidit.

Godefridus Dux cum ſuis inſilit in mœnia:

Statim Godefridus milites ſuos ſequitur, & omnes alii milites Ducem ſuum, & fulminei enſes arripiuntur. Quibus viſis, Pagani illicò murum deſerunt, & ad terram dilabuntur: & milites Chriſti celeri greſſu, cum magnis vocibus proſequuntur. Qui autem manibus Chriſtianorum evadere poterant, Templum Salomonis intrare inhiaverunt.

tantam Paganorum cædes fit, ut ſanguis inſtar torrentis flueret;

Sed noſtri eos inſequentes, adita Templi irrumpunt, illoſque miſerâ morte peſſumdant. Tantum ibi humani ſanguinis fuderunt, quòd cæterorum corpora, ſanguinis undâ impellente, volvebantur per pavimentum, & brachia, ſive truncatæ manus ſuper cruorem fluitabant, & extraneo corpori jungebantur, ita ut nemo valeret diſcernere, cujus erat corporis brachium, quod truncato corpori erat adunitum. Ipſi etiam milites, qui hoc carnificium operabantur, exhalantes, calidi cruoris nebulam vix patiebantur.

& ſic capta eſt Ieroſolyma die 18. Iulii an. 1099.

Capta eſt ergo Jeruſalem annô Domini milleſimô nonageſimô nonô, die decimâ octavâ menſis Julii. *Capit. 6. 7. 8. & 9. agitur de electione Godefridi in Regem Ieruſalem, & reliquis victoriis ejus, & obitu, ac ſucceſſore Balduino.*

S. Bertholdus viſitatis locis ſanctis,

1172. *Capite 9. iſta peculiariter concernentia S. Bertholdum traduntur:* Porrò cum ſic, ut præmittitur, Terræ promiſſionis loca ſancta glorioſè à Principibus Chriſtianis bellicô apparatu recuperarentur, ſanctus Bertholdus ſupradictus, qui Petro Eremitæ poſt mortem Haymeri Epiſcopi Podienſis Germani ſui adhæſerat, & uſque ad introitum ſanctæ civitatis Jeruſalem ſecutus fuerat, inæſtimabili gaudiô replebatur; quàpropter imbre multô lacrymarum ſingula loca ſancta perluſtrans, de tantis myſteriis magnâ cum devotione immenſas Deo gratias peragebat.

ſatisfacturus voto, Carmelum adiit:

Deinde votum pium, quod Deo, & Beatæ Virgini Mariæ in Antiochia, obſidionis, & famis tempore promiſerat, reddere diſponens, juxta Scripturam dicentem: Vovete, & reddite; locum Carmeli montis adiit: viſitatiſque ſingulis antiquis Patribus Eremitis ejuſdem uberrimi Montis, per diverſas eorum ſeparatas cellulas, imitator ſanctiſſimæ vitæ illorum, ac Sanctorum Eliæ & Eliſei Prophetarum fieri decrevit.

ibi Elianæ Religionis habitum ſuſcepit:

Quod cùm omnibus Eremitis illis valde gaudenter placuiſſet, ab eiſdem habitum Religionis cum oratione ſolemni ſuſcepit. Verùm ipſe ſanctus in ſancto propoſito indies proficiens, tandem Eremiticæ vitæ finis, & cœnobiticæ diſciplinæ ibidem extitit recuperator eximius. Nam cùm cultus divinus, propter Chriſtianorum proſperitatem in Terra ſancta augmentari cœpiſſet, quàm plures devoti peregrini, qui ab Occidente quotidiè ſupervenerunt, odore hujus ſancti Montis tracti, & devotione Religioſorum Eremitarum montem hunc inhabitantium, permoti, mundo renunciabant, & pro contemplatione cœleſtium, ſe eorum contubernio jungebant.

alii etiam Europæi clariſſimi ibidem religioſam eremiticam amplexati ſunt vitam:

Inſuper à diverſis etiam mundi partibus multi devoti Chriſtiani deſiderantes Terram illam videre, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus fuit natus, converſatus, baptizatus, tentatus, transfiguratus, paſſus, mortuus, ſepultus, & poſt reſurrectionem in cœlum aſſumptus, accedebant ad eam perſcrutantes tùm ſecurè, non ſolùm loca ſancta, in quibus ſancti Patres veteris teſtamenti magnifica egerunt, ſed præcipuè illa, in quibus Chriſtus Jeſus Sacramentum redemptionis generis humani adimplevit. Hos itaque devotos diverſarum nationum advenas ſancta converſatio, & abundans juſtitia dictorum Religioſorum montis Carmeli ita ædificabat, & ad contemplationem cœleſtium trahebat, ut multi ex ipſis advenis, intuentes dictos Religioſos in pulchritudine pacis vivere, & tranquillâ mente in antris Carmeli montis reſidere, ſe felices putarent, cùm per devotionem ſpretis & relictis mundi oblectamentis, poterant eorum conſortio aggregari.

& valdè multiplicati;

Qui cùm ita multiplicati fuiſſent, ut in monte Carmeli jam recipi commodè non poſſent, repleverunt etiam deſertas Terræ ſanctæ ſolitudines, in quibus prædeceſſores eorum antiquitùs habitaverunt.

repleverunt etiam alias Terræ ſanctæ ſolitudines.

Qui omnes quamvis eſſent locis ſejuncti, eandem tamen vitam ſolitariam, habitum & Regulam ſervare ſatagebant, quam ſervabant Eremitæ montis Carmeli.

1173. *Conſequenter memoratur, quomodò S. Bertholdus ab Aymerico Patriarcha inſtitutus fuerit Prior Generalis, & quòd tunc liber Ioannis XLIV. qui pro Regula habebatur, traductus fuerit in Latinum. Sic igitur ibi:* Aymericus conſan-

XXIX. MARTII. conſanguineus ſupradicti S. Bertholdi, vir venerabilis, Deo & hominibus multùm amabilis circa annum Domini MCXXI.* Patriarcha Antiochenus, & Terræ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus à latere floruit, qui prædictorum prædeceſſorum noſtrorum Eremitarum Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli laudabilem converſationem attendens, eos multum, ſpecialiter ſuo tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem idem Patriarcha, quoſdam eorum, & præcipuè Latinorum, qui ex Occidente nuper ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religioſæ vitæ Eremiticæ, in libro Joannis XLIV. Epiſcopi Jeroſolymitani olim deſcriptæ, perpendensque hæc maxime ideò contingere, quòd illi Græcas ignorantes litteras, neſciebant codicem illum legere, idcircò fecit librum, ſeu normam ſupradictam Joannis Epiſcopi in Latinum de Græco transferri... Itaque inter eos idem Pontifex reperit nepotem ſuum ſupradictum fratrem Bertholdum. De Maleſayda virum Religioſum, ſanctum, & famoſum; & hunc de unanimi omnium aſſenſu in Priorem Generalem eis conſtituit.

* ſeq. MCXLI.

1174. *Capite 10. dicitur, qualiter liberalitate Regis Ieruſalem, ob ſanctitatem Bertholdi, plurima fuerint ſubminiſtrata pro illo Carmeli monaſterio perficiendo, atque etiam alia monaſteria huic Ordini ædificari ipſe curaverit, adhortante S. Bertholdo: cujus tandem ſanctus obitus his traditur verbis:* Sanctus Bertholdus, annô ætatis ſuæ centeſimô quintô decimô plenus operibus bonis, obiit feliciter in Domino, poſtquàm Conventum, & Ordinem montis Carmeli rexiſſet annis 45. Et quia temporibus ſuis Terra ſancta multos bellorum impetus à Saracenis, & Turcis ſuſtinuit: Multi fratres noſtræ ſacræ Religionis, diverſis temporibus, & Eremis ab eiſdem pro Chriſto crudeliter jugulati ſunt. Quorum animas cum corona martyrii ab Angelis in cœlum deferri idem Sanctus multotiès oculis ſuis conſpexit. Obiit autem quartô Kalendas Aprilis ſepultus in monte Carmeli, ubi & multis miraculis claruit, paralyticos curando, cæcos illuminando, & claudis greſſum præſtando.

S. Bertholdus obiit anno ætatis 115. regiminis 45.

divinis revelationibus, & miraculis clarus,

ANNOT. *De S. Bertholdi inſtitutione in Priorem Generalem, & quæ tunc in Carmelo per Aymericum Patriarcham geſta ſunt, pleniſſimè tractatur in tomo 4. Annalium, ſub initium, videlicet ad an. 1141. & ad ann. 1147 traditur, ipſum antiquiſſimam devotionem in Carmelo vigentem de celebrando feſto puriſſimæ Conceptionis Deiparæ Mariæ, reddidiſſe ſolemniorem: ſed de hoc plenius infra ad diem VIII. Decembris. In iiſdem Annalibus ejus obitus refertur ad annum Chriſti 1187.*

VITA,

Ex antiquis monumentis, & ſcriptoribus compendioſè digeſta per Segerum Pauli, Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli Theologum, Colonienſem.

CAPUT I.

S. Bertholdi patria: votum de capeſſendo ſtatu Religioſo: ingreſſus in Ordinem Carmeli.

1175. GUido de Maleſayda nobilis Lemovicenſis, induſtrius & devotus juvenis, bellum ſecutus, in Hungariam profectus circa annum Chriſti milleſimum quadrageſimum primum, ibi ob ſtrenuos actus gratus Henrico Regi Germaniæ (poſtea Imperatori) eum contra Ovonem tyrannum bellis implicitum ſecutus; tandem illuſtri filiæ regio ſanguine ortæ junctus matrimonio, cœleſti revelatione didicit, ex ea naſcituros duos filios, qui tamquam fulgida ſidera, Orientalem Eccleſiam illuſtrarent. Poſtquàm reverſus eſſet in Galliam, & in patriam ſuam, natus ei fuit primogenitus Aymerus, aliàs Ademarus, poſteà Epiſcopus Podienſis, & Legatus Apoſtolicus totius exercitus Chriſtiani: quo in munere magnam nomini ſuo famam ac gloriam peperit, ſanctèque obiit Kalendis Auguſti, annô 1098. Alter verò Bertholdus nuncupatus fuit, qui à prima competenti ætate litterarum ſtudiis traditus, magnos in illis progreſſus fecit, etiam conjungens pietatis exercitia.

S. Bertholdi patria, & parentes.

1176. Sub illa tempora ſanctitatis opinione clarus Petrus, re, & nomine Eremita, natione Gallus, patriâ Ambianenſis in Terram ſanctam profectus, ac ibi aggregatus inſtituto Eremitarum montis Carmeli (quos & coronam Deiparæ Virginis Mariæ edocuiſſe memoratur) cùm aliquoties dolenter conſpexiſſet Chriſti incunabula, ejuſque Sepulchrum ac reliqua loca ſancta ab infidelibus Turcis profanari, omnique contumeliarum genere, ſicut & ipſum Patriarcham Jeroſolymitanum Simeonem affici, acceptis ab eo litteris commiſeratione dignis; atque ab ipſo Chriſto Redemptore noſtro per viſum admonitus, annô Domini milleſimô nonageſimô quintô Urbanum Papam ſecundum, aliosque Occidentales Reges ac Principes ad idem bellum ſacrum potenter accenderat. Itaque cùm dictô annô Chriſti milleſimô nonageſimô quintô Urbanus Papa ſecundus in Generali Concilio Claromontano, ſeu Arvernenſi die 18. Novembris inchoata, ſacram expeditionem in Syriam contra

Petrus Eremita, auctor belli ſacri:

ibi ſe jungit S. Bertholdus:

XXIX. MARTII.

contra Turcas indixiſſet; eaque annô mox ſequenti 1096. ſub diverſis Ducibus, à die 8 Martii, profectionem inchoaſſet. S. Bertholdus & ipſe eôdem annô, tàm fidei zelô, quam Terram ſanctam viſitandi deſideriô accenſus, eidem ſacræ, ſeu Cruciatæ militiæ comitem ſeſe adiunxit, ſub Ductore Venerabili Petro Eremita, qui aliquantò poſt, ante dictum diem Martii, iter cum ſuis arripuit.

1177. Poſtquàm ſacer exercitus Chriſtianorum in Oriente annô milleſimô nonageſimô ſeptimô, die 10. Junii cepiſſet celebrem illam Nicenam in Bithynia civitatem; nec non annô ſequenti milleſimô nonageſimô octavô, die 2. Junii ipſam Antiochiam Syriæ Metropolim, mox alterâ die, ab ipſis quos devicerant, Saracenis, ac Turcis, immenſâ eorum coactâ multitudine, viciſſim obſideri cœperunt Chriſtiani. Undè fame, ac morbô miſerè per dies viginti ſex afflicti fuerunt, peccatis eorum, ac vitæ præſertim turpidine id exigentibus. Infideles civitatem adeò vehementer obſederunt, ut fame graviſſimâ opprimerentur Chriſtiani, ita ut pauci ab humanis carnibus ſe continerent. In hac tribulatione S. Bertholdus de Maleſayda, magnô mœrore confectus, promiſit ſe Deo, & B. Mariæ Virgini jugiter in monte Carmeli ſerviturum, ſi Dominus reſpiceret plebem ſuam. Licèt autem Bertholdus eò uſque forſan nullos adhuc vidiſſet in Occidente iſtius Ordinis Religioſos; potuit eorum ſufficientem notitiam habuiſſe ex Venerabili Petro Eremita, de quo ſupra actum eſt. Suſcepit autem Deipara votum dilecti famuli ſui: nam apud Deum precibus ſuis obtinuit, relaxari eandem obſidionem Antiochenam die 28. Junii, cæſis à Chriſtiano exercitu Turcarum ampliùs centum millibus.

qui in magna tribulatione ſe voto obligat,

& exauditur.

1178. Placuit autem Divinæ bonitati bienniô poſt, annô Domini milleſimô nonageſimô nonô civitatem Hieruſalem, & conſequenter totam Terram ſanctam pedetentim à perfidis Saracenis liberare, & eam, ac indigenas ejus fideles poteſtati ac Dominio Chriſtianorum reddere. Propter quod cœpit tunc cultus Religionis in monte Carmeli inſtaurari, & ampliari: quàmplures enim devoti peregrini, qui ab Occidente ſupervenerant, odore hujus ſancti loci tracti, & devotione Religioſorum Eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renunciabant; & pro contemplatione cœleſtium, ſe eorum contubernio jungebant. Ex iſtis devotis Occidentalibus peregrinis cùm unus quoque eſſet S. Bertholdus, tàm ob vitam exemplarem prædictorum montis Carmeli Eremitarum, quàm ob votum, quô tenebatur adſtrictus, cùm in Carmelum veniſſet, Religionis habitum poſtulavit, & dignè recepit. Ibi autem tantum profecit, ut eximius virtutibus, & ſanctitate clareſceret. Inter alias porrò virtutes S. Bertholdi quàm maximè commendatur cultus Deiparæ Virginis, & in proximos ſuos fervens charitas. Nulla enim recurrebat hora diei, quâ ſuſpiriis & orationibus Deiparam Virginem humi advolutus non ſalutaret, in præruptis Carmeli montis ſepties quotidie reclinatus, versùs mare angelicâ ſalutatione eam honorabat, in illius nubeculæ memoriam, quam Dux noſter Elias è marinis fluctibus aſcendentem ſeptimâ vice conſpexit, futuræ incarnationis ſacrum prognoſticon.

Hieruſalem, & tota Terra S. à Chriſtianis occupantur:

Chriſtianæ Religionis cultus, & Carmeli Ordo inſtaurantur,

S. Bertholdus Carmeli Religioſis jungitur;

ejus devotio ſingularis erga Deiparam.

ANNOT. (a) Petrus ſe & nomine Eremita. *Illum anachoreſim exercuiſſe ſub inſtituto Eremitarum montis Carmeli, & in hujus Ordinis habitu ſepultum, traditur in Annalibus Carmelitanis tom. 3. ad an. 1061. & ſeq & 1073. & præcipuè ad an. 1100. & 1115 quo obiit*

CAPUT II.

S. Bertholdus primus ſui Ordinis Prior Generalis Latinus.

1179. Cùm Carmelitana Religio ob Saracenorum perſecutiones, & Iconoclaſtarum tyrannidem, demumque ſub Græcorum ſchiſmate languens, poſt recuperatam Terram Sanctam, ſub inſtitutione, in libro Joannis Jeroſolymitani Epiſcopi, modò jam dictô, refloreſcere, ac multiplicari cœpiſſet; nihilominùs tamen per quoſdam Latinos advenas, eorum Ordini aggregatos, propriô arbitriô vivere cupientes, non modicas pateretur moleſtias, (a) Aymericus Patriarcha Antiochenus, & Legatus Summi Pontificis, requiſitus, iis obviare volens, congregatis in monte Carmelo Ordinis comitiis eorum Fratrum, qui diverſas Terræ ſanctæ ſolitudines incolebant, primum eis Generalem Priorem, de conſenſu tamen omnium, Bertholdum, auctoritate, quâ fungebatur, Apoſtolicâ, præfecit. Hujus rei mentionem facit Onuphrius Panuinus Auguſtinianus, in celebri Chronico ſuo Eccleſiaſtico, ad annum Chriſti 1141. dicens: [Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Maleſayda Lemovicenſe, Patriarcha Antiocheno, & Apoſtolicæ Sedis trans mare Legato, in monte * Suriæ Carmelo, quorum primus Prior fuit F. Bertholdus vir ſanctus.] Sic ipſeque integrô ſeculo præceſſit Wernerus Rolevinck Carthuſianus, qui in ſuo temporum Faſciculo iſtam S. Bertholdi famâ celebriore multis innoteſcentis inſtitutionem in Priorem, per Aymericum Antiochenum Patriarcham, commemorat.

(a) Aymericus Patriarcha Antiochenus venit in Carmelum.

S. Bertholdus Prior General. inſtituitur:

** Al. Syriæ.*

1180. Porrò non uni duntaxat Carmeli montis eremitorio; ſed & aliis Palæſtinæ, ac Syriæ locis S. Bertholdus generaliter præfectus fuit. Etenim ab anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, circa quem Homar Rex Arabiæ, Mahumetanæ ſectæ cum ingenti multitudine Saracenorum contra Terram ſanctam veniens, eam totam obtinuit, ſanctamq; civitatem Jeruſalem cepit, quamvis pauci, verumtamen probatiſſimi monachi hujus Religionis, dimiſſis pleriſque manſionibus,

cui ſubiiciuntur cætera eremitoria, & monaſteria hujus Ord.

XXIX. MARTII.

ſenſis parentum, negligentias votorum fractorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & malè acquiſita, ſi non noſcitur cui reſtitui debeant, Carmelitarū Eccleſiis,ſeu Conventibus aſſignentur. Deceſſit verò idem Lucius Papa annò 1185. Deniquè Clemens tertius, qui ab anno 1188. uſque ad 1191. ejuſdem ſæculi Pontificatum adminiſtravit, ſecutus non paucos prædeceſſorum ſuorum, iiſdem fidelibus hujus Ordinis Eccleſias ubilibèt exiſtentes devotè viſitantibus, in quatuor præcipuis Beatiſſimæ Virginis, & aliis ſolemnioribus anni feſtivitatibus, ac per earum Octavas, tertiam partem peccatorum in Domino relaxavit; quæ in Mari magno Indulgentiarum hujus Religionis à Sixto Papa quarto, annò 1477. evulgata, veluti in ſuo fonte legi poſſunt. Tempore ejus in Terra ſancta Fratres multi,ob Chriſtianę fidei conſtantiam à Paganis interfecti fuerunt: quorum animas cum corona martyrii ab Angelis in cœlum deferri conſpexit.

S. Bertholdus animas ſuorum in cœlum deferri videt.

moritur anno ætatis 115 & regiminis 45.

1183. Cùm Ordinis ſui fræna annis quadraginta quinque magna cum ſanctitate moderatus eſſet, miraculis ſæpè patratis, ſalutis monitis tum ſcriptis,tum verbis relictis,mirâ charitate ac pietate fulgens, ſenio venerando confectus, quintumdecimum ætatis ſuæ annum, ſupra centeſimum agens, relicto corpuſculo, Deo animam mirificis operibus plenam, atque virtutibus refertam, lætanter tradidit. In monte Carmeli reconditum eſt corpus in Oratorio Virginis glorioſæ Mariæ. Joannes Groſſius in Viridario ipſius miracula ſpecificans ſcribit: [In monte Carmeli, ubi ejus corpus quieſcit, multis claruit miraculis; duos paralyticos curando, cœcos illuminando, & claudis greſſum præſtando] Baptiſta quoque Venetus, in majori Speculo Ordinis hujus foliò 103. ſic de eodem: [Beatus Bertholdus primus Prior Generalis Ordinis,in Terra ſancta, & præſertim in monte Carmeli multa fecit miracula.] Feſtum ejus ſub ritu Duplicis colitur die XXIX. Martii, ad quem in Miſſalibus impreſſis Venetiis anno 1574. & Lugduni anno 1575. extat proprium Sacrum de eodem integraliter diſpoſitum, cum ſculpta ejus imagine, in dextra lilium in ſiniſtra Eccleſiam geſtante, in quo & hæ tres ORATIONES ſeu COLLECTÆ leguntur: [Protegat nos Domine S. Bertholdi Confeſſoris tui veneranda ſolemnitas, ut ſicut Carmelitarum Ordinem omni ſanctitate rexit & auxit, ita cujus feſtum ſine intermiſſione colimus perpetuam ejus defenſionem ſentiamus. Per Dominum &c.] SECRETA [Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacrificium quod immolamus, noſtrorum vincula peccatorum abſolvat, & quidquid pro illis meremur, accedentibus meritis & precibus S. Bertholdi Carmelitæ, propitiatus avertat. Per eundem. &c.] POSTCOMMUNIO [Effulgeat ſuper nos clementiſſime Pater ſplendor tuæ claritatis,ut qui Sacramentorum perceptione ſuſtinemur, & ſancti Spiritus illuſtratione confirmamur, B. Bertholdi Confeſſoris tui precibus in Eccleſia tua pace & concordia gaudeamus, atque vitâ & gratiâ ſempiternâ. Per Dominum &c.] In Menologio Carmelitano hâc Oratiunculâ vita ejus clauditur: [Tu ergo, Pater ſancte, qui Carmeli clavum omnium Latinorum primus,tot annis rexiſti,tot virtutibus illuſtraſti,tot exemplis muniiſti; Tu,inquam,in rebus omnibus, humanæ gloriæ contemptor egregie,tuæ poſteritati impetra, ut per ſecula cuncta, te imitatione ſequatur, te precatorem, teque Ducem habere mereatur.]

colitur die 29. Martii.

1184. ANNOT. Studuit S. Bertholdus eandem (*Religionem*) propagare. *De novis monaſteriis tempore S. Bertholdi receptis in Terra ſancta, & in Europa (præſertim in Sicilia) agitur tom. 5. Annal. ad annos, quibus præfuit S. Bertholdus. Porro generalis tranſmigratio Ordinis & propagatio per Europam, facta fuit anno Chriſti 1238. & ſeq.*

Sub ipſius (*Bertholdi*) regimine, Ordinem confirmavit Alexander Papa III *Ita tradunt domeſtici Scriptores, relati in Annalibus* (a) *Et de externis Cardinalis Bellarminus in Chronologia poſt librum de Scriptoribus Eccleſiaſt.* Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. anno 1180. *Ita quoque Trithemius: videatur tomo præcedenti num.* 1207.

(a) ad annum 1180.

Annis 45. &c *Quòd annis 45 Ordini præfuerit tradunt S. Cyrillus, qui cum ipſo vixit, & cæteri hiſtorici Ordinis unanimiter. Conveniunt quoque ſcriptores de obitu ejus anno ætatis CXV annorum.*

Feſtum ejus ſub ritu Duplicis colitur: *In Kalendario Breviarii Venetiis apud Petrum Debuchinum excuſi anno* 1573 *legitur ad* 29. *Martii*, Bertholdi Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex. *Ita quoque in Kalendariis aliis, etiam antiquioribus. Sed de ejus ſanctitate, & cultu plura videri poterunt in Annalibus Ordinis tom.* 4. *ad an.* 1187.

Protegat nos. *Eadem Oratio etiam pro Officio canonico legitur in Breviario præfato Veneto anni* 1573. *atque etiam (verbis aliquot prætermiſſis) in Officio à Sacra Rituum Congregatione approbato anno Chriſti* 1629. *ſub Urbano VIII. & uſque in præſens in uſu eſt in Miſſalibus ac Breviariis, cum Lectionibus propriis ad Matutinum, auctoritate Clementis X. approbatis.*

APPENDIX
AD VITAM S. BERTHOLDI.

Chronologia regiminis, & ſucceſſionis in Officio Prioris Generalis, S. Bertholdi, & ſex aliorum ſubſequentium, illuſtrata.

1185. *Hiſtoriis multum claritatis adfert (imò veluti baſis eſt, & fundamentum) perſpicua temporum ratio; cum autem inter Scriptores varietas ſit circa annos regiminis ſeptem Priorum Generalium; & hinc Ordinis hiſtoria in variis partibus ſit obſcurior, quid ut certum, aut veriſimilius tenendum ſit, perſpicuè declarari operæ pretium eſt. Brevitati ſtudentes, & non neceſſariam prolixitatem vitare cupientes, varias Scriptorum ſententias huc adducere, & refellere, opus non eſſe cenſuimus, aſt dumtaxat ex certis & probatis ac receptis hiſtoriis fundamenta noſtræ ſupputationis ſtatuimus: ea plenius deducta videri poterunt in Annalibus Ordinis tomo* 3. *&* 4. (b)

Hiſtoriæ baſis, ratio temporum.

(b) utrobique videatur index verbo *Bertholdus*;

1186. *Quantùm ad tempus regiminis S. Bertholdi conveniunt omnes de* annis quadraginta quinque; *ſed de anno primo, quotus à Chriſti nati-*

nativitate, difficultas eſt, & inter Scriptores differentia ad annos circiter viginti; nam alii ſtatuunt annum Chriſti milleſimum centeſimum vigeſimum primum: alii vero annum milleſimum centeſimum quadrageſimum primum, aut circiter; & hanc ſententiam ſequimur & rationem aſſignamus. Cùm enim Prior Generalis inſtitutus fuerit tempore quo Patriarcha Antiochenus fuit Aymericus (ſicut omnes conſentiunt) & is anno MCXX. nequaquàm Patriarcha fuerit, nam apud Hiſtoricos, Annaliſtas, ſeu Chronologos ſine controverſia eſt, eo anno illum Patriarchatum geſſiſſe Bernardum quendam prout diſerte habent Genebrardus, Onuphrius, Baronius, ac alii. Aymericus verò demum circa annum 1137. ex Antiochena Eccleſia Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptus fuerit, ſicut copioſius declaratur in Annalibus Ordinis hujus (a). Atque ita pro comperto eſt, illam S. Bertholdi per Aymericum Patriarcham Antiochenum inſtitutionem in Priorem Generalem ſaltem ante annum Chriſti MCXXXVII. fieri non potuiſſe. Porrò annò Chriſti MCXXXVII. Aymericum ex Antiochena Eccleſiæ Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptum P. Lezana tomo 3. Annalium, ſub finem, tradit, & confirmat ex Onuphrio Panuino in Chronologia Eccleſiaſtica, Pineda lib. 18. Monarch. cap. 8. ex Genebrardo, Hieronymo Bardo, Maſchardo & aliis, quos citat. Ibidem refellit nonnullos referentes iſtam aſſumptionem ad annum Chriſti MCXLIII. Etenim eum jam ante Patriarcham Antiochenum fuiſſe, evincit auctoritas præfatorum, necnon Willelmi Tyrii in opere de bello ſacro *lib. 16. cap. 3. ita ſcribentis:* Annò Incarnationis Dominicô milleſimò centeſimò quadrageſimò ſecundò, præſidente . . . Antiochenæ (*Eccleſia*) Domino Aymerico. *Quòd etiam annò præcedenti Patriarcha fuerit, habetur ex præfato Onuphrio Panuino Chronologo inter accuratiores habito, ad annum MCXLI. ſic inter cætera ſcribente:* Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Maleſaida Lemovicenſi, Patriarcha Antiocheno &c. *addit:* Primus Prior Bertholdus vir ſanctus. *Quòd autem S. Bertholdus vixerit uſque ad annum Chriſti MCLXXXVII. certum eſt ex teſtimonio S. Cyrilli, in libro* De proceſſu, & variis regulis Ordinis, *in tertio tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 2. ubi iſta:* Mortuo Bertholdo, ſub regimine cujus quadraginta quinque annis manſerant: perplexitas magna eorum animos invaſit de ſucceſſore ejus inſtituendo: de cujus inſtitutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus, morte præventus, eis reliquerat. *Inde evidens eſt, S. Bertholdum è vita migraſſe poſt Aymericum, aut ferè eodem tempore. Porrò Aymericum adhuc in vivis fuiſſe dicto anno MCLXXXVII. habetur ex ejus lamentabili epiſtola ad Regem Angliæ illo anno ſcripta: quam ex Rogerio ad iſtum annum refert Baronius. Illo autem annò Aymericum deceſſiſſe ſupponunt illi, qui (ut ſupra dictum eſt) ſcribunt eum Patriarchale ſolium aſcendiſſe annò MCXXXVII. & annis quinquaginta in eo ſediſſe. Atque ita obitus S. Bertholdi referendus ad eundem, aut ſequentem annum. Plura circa hæc videri poterunt in iiſdem Annalibus Carmelitanis.* (b)

S. Bertholdus inſtitutus Prior Gen. an. Chr. 1141. aut circiter.

(a) ad an. 1118 n. 4. & an. 1130. n. 4.

Aymericus Patriarcha Antiochenus an. Chr. 1137.

S. Bertholdus, & Aymericus vixerunt uſque ad an. 1187.

(b) to. 3. ad an. 1121. & 1141. nec non to. 4. ad an. 1166. n. 2. & an. 1187. n. 7. & 8.

1187. *S. Bertholdo ſuffectus eſt S. Brocardus, patriâ Hieroſolymitanus, non ſtatim poſt (veriſimiliter anno MCLXXXVIII.) ſicut ex illis S. Cyrilli in præfato libro colligitur verbis:* Tandem poſt lapſum temporis Fratrem Brocardum, virum perfectum, unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiſerunt, ſub regimine cujus triginta tribus annis permanſerunt. *Per illa:* Tandem poſt lapſum temporis *denotatur, inter obitum S. Bertholdi tempus interceſſiſſe uſque ad ſucceſſionem S. Brocardi; qui cum annis XXXIII. Ordinem rexerit, ejus obitus rectè aſſignatur anno MCCXXI. ſicut pleniùs declarabitur ad diem II. Septembris, in Notatis prævis ad vitam ejus. De Regula à S. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita S. Brocardo circa annum Chriſti MCCV. aut paulo poſt (& non ante) agetur hic paulò infrà, ad diem VIII. Aprilis, ad vitam S. Alberti §. 3. & ex certis hiſtoriis, ac ſolidis fundamentis, ſtabilitum eſt tomò præcedenti, parte primâ in fine libri VIII. in* Additamento.

S. Brocardus quando, & quam diu Prior General.

1188. *Eodem annô MCCXXI. Ordinis regimen ſuſcepit S. Cyrillus, qui præfuit annis tribus, & obiit anno MCCXXIV. ſicut pleniùs declaratum eſt in ejus vita poſt caput V.* (a) *& illi eodem annô ſucceſſorem habuit Bertholdum II. natione Lombardum: & hic poſt ſeptem annos Prioratus Generalis, anno MCCXXXI. Alanum Britonem: qui Ordinem rexit uſque ad annum MCCXLV. quo in Capitulo Generali Aylesfordiæ celebrato electus fuit S. Simon Anglicus, cognomento Stock (qui jam ante annis multis Vicarius Generalis in Europa fuerat) is anno regiminis vigeſimo (Chriſti MCCLXV.) ad Chriſtum migravit: &* eodem anno Domini MCCLXV. defuncto Beato Simone Stock, communi electione R. P. Nicolaus, natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum conſtitutus eſt. *Ita Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali lib. 7. cap. 25. & Lezana tom. 4. Annalium ad annum 1265. ſub finem. Iſte autem Nicolaus Gallicus jam ante per annos quindecim fuerat Vicarius Generalis in partibus Orientis, ſicut latius traditur in Chronologia vitæ S. Simonis, & in Annalibus Ordinis ad annum 1250. num. 7. & ipſe ut talis S. Ludovicum Regem Franciæ anno 1254. recepit in Carmelo, ac eidem petenti Religioſos ſex in Franciam ducendos conceſſit. Anno MCCLXX. reſignante Nicolao Gallico, cùm Ordinem rexiſſet annis 15. in Oriente, ut Vicarius Generalis, & annis 5. ut Prior Generalis primarius in Europa, Pariſiis celebratum fuit Capitulum Generale in feſto Nativitatis B. Virginis Mariæ, & electus Radulphus Alemannus. Deinceps vero perſpicua & certa eſt ſucceſſio Priorum Generalium. Chronologiæ præfatæ ratio ad ſingulos Priores Generales redditur in Annalibus Ordinis, ad ſingulos Priores iſtos Generales præfatos.*

(a) hîc ſuprà num. 1064 & 1066.

S. Cyrilli, & ſequentium Generalium ſucceſſio.

Nicolaus annis 15. Vicarius Gener. & 5. Prior Generalis.

1189. *Animadvertendum autem, quòd S. Bertholdus Prior Generalis ſubinde in viſitationibus, aut negotiis abſens, ac deindè ſenio confectus Priorem in Carmelo, & ſuum Vicarium inſtituerit S. Brocardum, qui ut talis ad Ordinem hunc recepit S. Cyrillum, ſicut in Annalibus Ordinis notatur ad annum 1173. his verbis:* Vocatur porrò

SS. Berthold. & Brocard. habuerunt Vicarium ſuum in Carmelo.

XXIX. MARTII.

Brocardus Prior montis Carmeli, quia ejus montis, & eremi Prior localis erat, vel vicem Prioris Generalis pro Bertholdo abſente gerens. *Ita quoque tempore S. Brocardi Generalis Prior in Carmelo erat Hieremias, de quo in vita S. Angeli cap. 6. & in Annalibus Ordinis ad annum 1208. num. 2. & poſt ipſum S. Cyrillus, ſicut traditur in ejus vita cap. 5. Prætereà, primi quinque Priores Generales præfati fuerunt inſtituti, aut electi in Carmelo, & reſidebant in Terra ſancta & etiam ibi obierunt, excepto Alano, qui indè veniens in Europam, Coloniæ deceſſit. Cùm autem Ordo valdè multiplicaretur in Europa; ne ibi quaſi acephalus eſſet (difficulter enim Priores Generales in Terra ſancta exiſtentes; ejus regiminis in Europa poterant intendere tunc cùm difficultates, & contradictiones non paucæ contra Ordinem moverentur) Vicarius Generalis, ſed ſubordinatus primario Generali in Terra ſancta reſidenti, fuit S. Simon Anglicus (ab anno MCCXV. juxta aliquos, aut ab anno MCCXXI. ſicut tamquàm veriſimilius tradit Lezana in Annalibus ad iſtum annum.) Plura circa illam S. Simonis inſtitutionem in Vicarium Generalem per Europam videri poterunt in Chronologia vitæ ejus in Vinea Carmeli, & in ejus vita hic infra ad diem XVI. Maji. Tempore S. Simonis, qui in Europa reſidebat, in Terra ſancta Nicolaus Gallicus fuit Vicarius Generalis ab anno MCCL. uſque ad MCCLXV. quo (defuncto S. Simone in Majo) electus fuit in Septembri primarius Ordinis Generalis pro Europa. Exindè Vicarii Generales in Terra ſancta veriſimiliter fuerunt ipſi Provinciales Terræ ſanctæ uſque ad totalem ejus amiſſionem.*

Generales duo olim in Ordine, unus abſolutus, alter ſubordinatus, & Vicarius.

Perutilis, jucundæque lectionis QVÆSTIVNCVLA,

Quâ ratione S. Bertholdus in magna vitæ auſteritate, & ſolitudine vitam produxerit ad annos CXV.

1190. Ecquis dubitet, in ipſo verificatum fuiſſe illud Eccleſiaſtici 37. QUI ABSTINENS EST, ADJICIET VITAM. In Menologio Carmelitano de eo legitur: *Cæteros Eremitas noſtros vitæ aſperitate vincere conabatur. Unicâ in die contentus refectione, radicibus & coctis oleribus frugali menſâ utebatur.* Sic quoque in magno vitæ rigore, & abſtinentia vitam produxerunt S. Franciſcus de Paula ad annos 91. S. Hieronymus ad decrepitam ætatem (juxta Vsuardum, & Molanum in Martyrologio ad an. 98.) S. Simon Anglicus cognomento Stock, ad annos 100. S. Antonius ad 105. S. Paulus nuncupatus primus Eremita ad annos 115. S. Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus anno ætatis 120. martyrium crucis fortiter ſuſtinuit. Totidem annis vixit S. Arſenius præceptor Arcadii Imperatoris, nempe 65. in ſæculo, & 55. in deſerto abſtinentiæ admirabilis: & S. Romualdus etiam totidem annos numeravit, 20. in ſæculo, & 100. in monaſterio. Sic alii multi in eremis, in jugi contemplatione, divinis rebus intenti, in mira victus aſperitate, & magna abſtinentia, valde longævi vixerunt. Philo, & Joſephus Judæorum ſcriptores illuſtres teſtantur de Eſſenis, eximiæ pietatis, & abſtinentiæ viris, quod vixerint quam longiſſime, & plures eorum ad centenariam ætatem, propter ſimplicitatem victus. Vidi ipſe in Leodienſi ditione circa fontes Spadanos homines pane hordeaceo, & polenta ex avena, & ferè ſicco pane victitantes, aquâ pro potu ordinario utentes, valdè longævos: & in pago inde diſſito ad ſeſqui milliare fœminam pauperculam, quæ communiter nuncupabatur *femme de cincq fois vingt cincq ans*, id eſt, mulier quinties habens annos viginti quinque: id eſt. CXXV. Vulgatiſſimum eſt in illis partibus, & in Belgio, de Paſtore, ſeu Parocho 125. annorum, PASTORE ANNIS CENTUM IN EODEM LOCO. Effigiem ejus recenter defuncti vidi Antuerpiæ apud Alexianos; & vivi ſculpta in ære, ac expreſſa in imaginibus paſſim venditur cum hac inſcriptione: *Antonius Haaſecbus, primus Paſtor Gulenſis, in Diœceſi Leodienſi, per centum annos in eodem paſtoratu vixit; obiit autem ætate 125. annorum. Anno 1586. Interrogatus ab Epiſcopo Leodico, quo vitæ regimine vitam adeò longævam produxiſſet, reſpondit, ſe trium abſtemium ſemper extitiſſe; videlicet mulierum, ebrietatis, & iracundiæ.*

Vita prolonganda ratio abſtinentia:

Id exemplis confirmatur:

Antonius Haaſecbus annis 100. Paſtor in eodem loco; quo regimine tam diu vixerit.

1191. Quòd luxuria vitam abbreviet, teſtatiſſimum eſt in Scripturis, Patribus, & Medicis, ſic & de ira; hinc tritus verſus

Si vis longævam, ſi ſanam ducere vitam
——————— iraſci crede prophanum

Ita quoque de ebrietate gula, & ingluvie; etenim teſtante Spiritu ſancto (a) PROPTER CRAPULAM MULTI OBIERUNT: & paulò antè: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas.* Imò communiter dicitur: PLURES OCCIDIT CRAPULA, QUAM GLADIUS. Hinc verè nonnemo ſcribit (b) Etiamſi natura homini taxârit annos & dies vitæ, ſobrius tamẽ eos prorogare poteſt per abſtinentiã cibi; ebrius verò & guloſus eos decurtare per gulam & crapulam. Denique axioma eſt viri ſapientis, eſtò nonnullis videatur paradoxum: PENE OMNES HOMINES MORI GULA. Nam pleriqué omnes ſæpè excedunt in cibo & potu, præſertim in conviviis, feſtis & recreationibus; atque hôc exceſſu vitam abbreviant, mortemque ſibi accelerant, alii plus, alii minus pro quantitate & qualitate exceſsûs. Gula igitur & ingluvies corpus gravat, morbos creat, & vitam decurtat. Unde medicorum præceptum: *Veſcere citra ſaturitatem: ſurge è menſa non cum faſtidio, ſed cum fame. Omnis ſaturitas noxia.* Medicorum princeps Galenus lib. 5. de Tuenda ſanitate, ait: *Arte illâ quæ diætam præſcribit, eos qui ab ipſo ortu imbecillum corpus non ſunt ſortiti, ſenſibus illæſis, & ab omni morbo & dolore alienos, ad ſummam ſenectutem pervenire.* Deinde addit de ſeipſo: *Ego verò tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum ab ipſo ortu ſim nactus, nec vitam planè liberam egerim, hac tamen ipsâ arte uſus, poſt 28. ætatis annum, nec minimo quidem laboravi morbo, niſi fortè diarià febri ob laſſitudinem aliquandò contractâ.*

Quæ vitam abbrevient.

(a) Eccli. 37.

Vita prolongari quâ ratione poſſit.

(b) Palacius apud Cornel. à Lap. in c. 37. Eccli.

Gulâ major hominum pars moritur:

Sobrietas vitam prolongat.

1192. *Sic & Silvicolæ* * *prioris ævi*
Hoc victu tenui, lèvique, ſani
Degerunt placidiſſimam ſenectam.

Ita verè Doctor medicus (c) &, ut ſequitur, alius, Theologus (d)

Sic nempe veram pura mens lucem adſpicit,
Et abſque face, limpido fruitur die:
Et, ſeu quietam ſe libris velit abdere,
Seu magna cæli permeare mœnia,
Et ſe beatis applicare mentibus
Nullo tenetur illigata compede.
O grata longi temporis compendia!
Centum Decembres ſenibus indulſit Deus
Vixiſſe multis; rara quæ nunc gratia eſt.
Quæ cauſſa? ———————————
Eſt venter extra ſobriæ vitæ orbitam
Effuſus, appetentia immodici cibi,
Plerumque Solem mentibus ſuum eripit,
Rationis ipſum crapula obtundens jubar.
O miſera vita tam bona diſpendia!

* Eremitæ, Anachoretæ, Monachi veteres.

(c) Franc. Saſſenus.

(d) Herm. Hugo Soc. Jeſu.

Vita brevis quæ cauſa.

XXIX. Martii.

1193. Profectò hoc grande paradoxum est. [Omnes cupimus eſſe longævi, & quàm diutiſſimè vivere, & tamen plurimi tam intemperantem & confuſam vitæ rationem ſequimur, ac ſi hoc omni ſtudio agamus, quam celerrimè extingui. Intemperantiam, cui aſſueſcimus, nulla nobis monita, non oracula divina, nulli qui inde ſunt morbi, diſſuaſerint. Ægrotare malumus, & male habere, quam frugaliùs & temperantius vivere. Non neſcimus nil æque longævitati officere, quam victum varium, copioſum, immoderatum; nihilominus perniciem noſtram amamus, & damnis noſtris hilareſcimus.] Ita ſcitè & verè Drexelius (a) *Nec minus appoſitè Leſſius.* (b) [Hæc diligenter conſideranda & perpendenda viris prudentibus, maximè Eccleſiaſticis & Deo dicatis, quorum profeſſio eſt functionibus mentis vacare, & rebus divinis intendere. Si enim iſta accuratè expendamus, fieri nequit, quin ſobrietas nobis ſit placitura, & facilis ac jucunda futura; intemperantia verò horrori & deteſtationi... Miſeram mortalium ſortem, quæ tantæ vanitati ſubjecta eſt, tantis tenebris occæcata, tantis erroribus obnoxia! cujus mens in judicando & eligendo, inani ſpecie boni delectabilis quaſi per ſomnium deluditur.]

Paradoxum grande: Diu omnes vivere cupiunt: & media contraria aſſumunt,

(a) de Roſis ſelect. virt. p. 1. c. 11

(b) in Hygiaſtico c. 13.

1194. Et hactenus quidem de temperantiæ, ſobrietatis, & abſtinentiæ commodis, reſpectu corporis: ſed (quod potiſſimum eſt) eæ etiam utiliſſimæ, ſunt animæ; nam per iſtas S. Bertholdus, & cæteri Sancti ſanctitatem, & omnigenas virtutes adepti ſunt. E contra ex crapula, & ebrietate veluti è fonte, plurima in animam derivantur mala. Hinc Chriſtus Dominus nos omnes ſic hortatur (c) *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Harum mala, & iſtarum bona graphicè depingunt Patres, & quidem quam utilis animæ temperantia, ac jejunium, S. Ambroſius libro de Elia & jejunio, cap. 3. *Hoc ad Deum gradu citius pervenitur: hoc gradu Elias aſcendit: antequam curru, hanc hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cœlum abiens, diſcipulo dereliquit: In hac virtute, & ſpiritu Eliæ venit Ioannes.* Plura de S. Eliæ abſtinentia, & ſobrietate, ac jejunio (quo mediante mira patravit) videri poſſunt hic ſupra (a) ex eodem S. Ambroſio, & S. Baſilio, quibus concinunt Patres alii plures; ſufficient hic pauca multo fœta ſenſu, verba S. Chryſoſtomi (b) de commodis vitæ ſobriæ, & jejunii. *Iejunium, Angelorum imitatio eſt pro noſtra virili, contemptus præſentium, ſchola precum, alimonia animæ, frænum oris, mitigatio concupiſcentiæ, ut probè nôrunt, qui jejunant: mollit furorem, compeſcit iram, ſedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram reddit mentem, alleviat carnem, fugat nocturnas fœditates, capitis dolores tollit, claros adfert & colores, & aſpectus.* Quibus hactenus dicta ſapiunt, uberiùs ſimilia peceruditè, & eleganter tradita, haurire poterunt ex præfati Drexelii libris duobus, inſcriptis: Aloe amari, sed salubris succi Jejunium: Et Hygiastico Leſſii, ac ſubjuncto Tractatu Ludovici Cornari, ſic tandem illum concludentis. [O ſanctiſſima, & innocentiſſima ſobrietas, unicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi, quàm corporis medicina! quantum te mortales laudare, quantò affectu & promptitudine amplecti deberent! ... Utinam ipſis tua bona perſpecta forent, præſertim iis qui vitæ ſanctæ & ſpirituali dediti, in monaſteriis contemplationi & orationi vacant! Quantò & ipſi, & eorum actiones ſummo Deo gratiores forent, ſi totos ſe ad te colendam conferrent! Quantum hunc mundum & Eccleſiam Chriſti exornarent! nam in terris æſtimarentur ut verè Patres ſancti, ſicut olim habiti fuere antiqui Eremitæ, Religioſi, & Epiſcopi, qui præter vitam ſpiritualem etiam hanc ſobriam ſervabant.] Et iſta hic obiter, occaſione sobriæ et longævæ vitæ S. Bertholdi. Sed ne diutius iſti ſubjecto, alioqui utili, inſiſtendo, minùs sobrii, extravagari, atque extra chorum ſaltare videamur, hinc abeuntes, ad propria regredimur.

Sobrietatis commoda,

(c) Luc 21.

(a) nu. 259.

(b) Hom. 1. de Iejunio.

DE FESTO S. MARIÆ DE PIETATE

Feria 6. poſt Dominicam Paſſionis,

& quolibet Sabbato Quadrageſimæ utiliter legenda.

1195. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (d) Quemadmodum *oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam* (e) ita quoque Mater ejus immaculata, quæ nullis terrenis inquinata fuit affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus (cùm eſſet cælum animatum) per crucem pervenit ad cœleſtia tabernacula. Non quidem corpus, ſed, quod multò acerbius eſt, *ipſius animam pertranſivit gladius: & ſicut Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* (f) ita etiam proximè à Chriſto ſummum patientiæ exemplum nobis præbuit Mater Chriſti. Propterea S. mater Eccleſia frequenter quidem in Miſſis & divinis officiis paſſionem Chriſti nobis in memoriam revocat: ſed potiſſimè tota in illa occupatur à Dominica Paſſionis, uſque ad Paſcha, nobis proponens *ejus exemplum, ut ſequamur veſtigia*, in adverſitatibus, perſecutionibus, infirmitatibus, & quibuſvis animo & corpori moleſtis. Congruè igitur in Carmeli Ordine peculiariter dicato B.[ma] Virgini Mariæ nobis peculiaribus clientibus & filiis stantæ Matris (ut ſimiliter *ſequamur veſtigia ejus* in perferendis æquanimiter quibuſvis adverſis & moleſtis) in exemplum proponitur feriâ ſextâ infra hebdomadam Paſſionis: quin imò etiam ſingulis Quadrageſimæ hebdomadibus ſemel, juxta Breviarii Rubricam 15. in qua agitur *de officio B. Virginis, Sabbatis per annum* (aut alio die non impedito) ubi præſcribitur: *A Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum legatur officium de noſtra Domina de Pietate.* Et meritò cum Paſſione Chriſti etiam commemoratur paſſio ejus, quæ tunc *ſtabat juxta crucem Chriſti* patientis, paſſionis ejuſdem cumulatiſſimè particeps, & unà tunc Chriſtum atque ejus, & ſuam paſſionem Deo pro ſalute mundi offerens; ſicut præclarè exprimit Arnoldus Carnotenſis (c) his eam alloquens verbis: *Omninò enim tunc erat Chriſti, & tua una voluntas, unumque holocauſtum: ambo pariter offerebatis Deo, tu in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis, unde communem in mundi ſalute, cum illo effectum quoque obtinuiſti.* Iſti

(d) Lucæ 2.

(e) Luc. 24.

(f) 1. Petri 2.

Patientiæ exemplum perfectiſſ. Chriſtus, & Maria;

Maria compaſſio congruè Carmelitis proponitur;

(c) Serm. de laude Virg.

ut ejus exemplo ad patientiam, & tolerantiam animetur:

Iſti feſtivitatis hujus myſterio pro dignitate explicando etiam copioſiſſimi tractatus, & magni libri haud ſufficerent quidem: diffuſiorem autem tractationem præſentis operis ratio non permittit. Attamen, intactam prætermittere non ſinit filialis in hoc Ordine obligatio erga peculiarem Matrem ſuam, ut illi compaſſivo dolore aliqualiter aſſimiletur: atque ejus exemplo, ad quævis adverſa æquanimiter ſuſtinenda animetur. Itaque paucula ſaltem de perutili illo ſubjecto libabimus: quæ iſtis diebus utiliter legentur, utilius expendentur, & utiliſſimè practicabuntur.

1196. Prædixerat pridem ante Juſtus Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (a). Quæ conſiderans S. Ambroſius: *Nec litera*, inquit, *nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe; non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſverberatur ..: Vivum enim verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, artuum quoque & medullarum.* Et quidem *ipſius animam gladius pertranſivit* gladius non unicus, ſed multiplex, etiam jam antequàm illa verba à S. Simeone fuerint propheticè prolata, & quidem in Chriſti nativitate, dum ſummo afficeretur gaudio, de nato Salvatore, magna quoque animam ipſius torquebat compaſſio, cùm tenerum infantulum, Dei, & ſuum filium, nudum, hyemis aſperitatem, præſepii duritiem ſuſtinentem, & in ſtabulo, in præſepio repoſitum cerneret, nec aliter fovere poſſet. Quæ crux, quis dolor in mente ejus obortus eſt, cùm parvuli delicatiſſimi carnem octavo die à nativitate, cultro lapideo circumcidi vidit? Quæ moleſtia Virgini contigit, cùm intempeſtâ nocte natali ſolo excedere, & in Ægyptum fugere quantocyùs debuit? Quæ afflictio eam occupavit, cùm in Ægypto per ſeptem annos, inter homines feros, & incultos, Dei veri ignaros, multis ſceleribus coopertos, vitam traduxit? Quàm dirus doloris gladius animam ejus transfixit, ubi Herodem furentem, & tantâ immanitate in innoxios pueros oppidi Bethleem, & finium ejus ſævientem cognovit, ut totam terram illam ſanguine Innocentum rigaret, quando unius jugulum impius Herodes in tot millium infantium innocuo ſanguine quærebat? Quantus mœror mentem ipſius obſedit, cùm Jeſum duodennem in Jeruſalem amiſit? Quam graviter eam contriſtavit nuncius de carcere, de trucidatione Joannis Baptiſtæ?

(a) Luc. 2.

ipſius animam non tantùm unus ſed multiplex gladius pertranſivit:

1197. Quàm acerba illi fuerunt convitia, blaſphemiæ, calumniæ Scribarum, & Phariſæorum, qui eum *ſeductorem, impoſtorem, potatorem, dæmonium habentem* nuncupabant, & ipſum nunc capere, nunc lapidare, nunc de monte præcipitare tentabant? Quantum dolorem ſenſit, cùm primùm funeſtus ille nuncius ei allatus eſt, Regem gloriæ cum magna ignominia captum, funibus, & catenis vinctum, milite armato ſtipatum, ab uno judice ad alium tractum, per vias urbis Jeroſolymitanę tamquàm ſceleratiſſimum latronem circumductum? Quo doloris ſenſu ſpectavit in domo Annæ alapam ei impingi? ſputis faciem oppleri? In domo Herodis, velut fatuum, veſte albâ indui? In domo Pilati flagellari, ſpiniſque coronari? Quantus dolor eam afflixit, cum inconditos populi clamores; *Crucifige, crucifige*, audivit, & Barrabam latronem Filio ſuo innocentiſſimo in vita præferri vidit. Quò doloris ſenſu perculſa eſt, cùm Filium ſuum dulciſſimum è prætorio Pilati in publicum prodeuntem, flagellatum, coronatum, purpurâ indutum, ſceptrum arundineum in manibus portantem, vultum ejus ſputis deformatum, alapis contuſum, & ita populo monſtratum vidit, & Pilatum dicentem audivit: *Ecce homo*? Quantum doluit, cùm filium jam morti adjudicatum, tam dirè excarnificatum, & tandem cruce oneratum vidit: jamque viribus fractum, laſſum, oneri ſuccumbere, & in terram prolabi conſpexit?

præſertim tempore Paſſionis:

1198. Sed potiſſimè *ipſius animam pertranſivit gladius* tunc, quando *ſtabat juxta crucem Jeſu Mater ejus*; tunc enim *dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum lacerum reparturiens.* Ita Damaſcenus (a). Interim ſtabat corpore erecta, & excelſa, animo excelſior, ſpectans, & admirans magnum hoc pietatis ſacramentum, ſcilicet Deum in cruce. Hinc Sophronius (b) apud S. Hieronymū, B. Virginē vocat *Martyrem*, imò *pluſquam Martyrem*: *Quia*, inquit, *mente paſſa eſt, pluſquam martyr. Nimirum & ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Sic & S. Ildephonſus (c). *Pluſquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mœroris fuit: eſt intus gladio vulnerata & parata enim fletit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix jure pluſquam martyr mater eſt, quæ nimio amore vulnerata, tiſlù extitit Salvatoris, & præ mœrore in animo cruciatum ſuſtinuit paſſionis.* Conformiter S. Anſelmus (d). *Quidquid*, ait, *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſuâ immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benigniſſimi cordis intima; & utique pia Domina non crediderim te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem; quod in ipſo fieri cotàm moribundo videbas.* S. Bernardus (e): *Nec lingua*, inquit, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvis Virgo cum uſura, quod in partu non habuiſti à natura: Dolorem pariendo filium non ſenſiſti, quem millies replicatum, filio moriente paſſa fuiſti.*

(a) lib. 4. c. 15.

(b) Serm. dē Aſſumpt.

(c) Serm. 2. de Aſſumpt.

(d) de excell. Virg. c. 5.

Martyr. & plus quàm martyr fuit:

(e) in Lām ment B. Virg.

1199. Dolores Chriſti & Mariæ mutuò ſe augebant: Chriſtus enim, dulciſſimâ ſuâ Matre cruciatus ſuos ſummo cum mœrore ſpectante, gravius patiebatur: Mater quoque filium ſibi compatientem conſpicata, vehementius

Chriſtus, & Maria duæ cythara myſtica.

hementius dolebat. Quemadmodum duo ſpecula ſibi è regione oppoſita pleraſque imagines, ſuique reflexus mutui in ſe mutuò recipiunt: ita Chriſtus & Maria cruciatus ſibi invicem communicabant. Matris dolore Chriſtus corripiebatur: Chriſti dolore Mater afficiebatur: Chriſtus dolebat, dolorem ſuum doleri à Maria; Mater dolebat, dolorem ſuum doleri à filio. Erant duæ myſticæ cytharæ, quarum unâ ſonante, reſonat altera, nullo etiam pulſante: Chriſto crucifixo, crucifigitur & Mater. Id his verbis obſervavit S. Bernardus: (a) *O dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio ſancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur matri: mater verò compaſſa eſt patienti filio: tantus nempe impetus paſſionis Domini Ieſu fuit, ut quaſi torrens ipſum impleret patientem, quia, teſte Pſalmiſta, de torrente paſſionis in via bibit, ut ſic Chriſto impleto, in matrem fluctus compatientiæ, quâ ſimiliter impletâ, ad filium redundaret inundatio amaritudinis & mœroris.* Idipſum clariſſimis verbis conteſtata eſt ipſa B. Virgo Maria apud S. Birgittam (b). *Cùm reſpexiſſet*, inquit, *filius meus ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quaſi de venis lachrymæ exibant; & cùm ipſe me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat, præ dolore meo, quem in me videbat. … Filius meus videns me, & amicos ſuos, oculis in cælum directis, clamabat ad Patrem: PATER, QUARE DERELIQUISTI ME? quam vocem ego numquàm, donec ad cælum veni, oblviſci potui, quam plus ex compaſſione mea, quam paſſione ſua permotus protulit.* Quàm acutus gladius ipſius animam pertranſivit cùm dulciſſimum filium ſuum è ſublimi cruce ad Patrem æternum vociferantem audivit: DEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? Quàm ingens dolor ille Virginis fuit, cùm Jeſum clamantem audivit, SITIO? Audivit, nec ei poculum aquæ frigidæ porrigere, nec caput inclinatum ſuſtentare, nec vulnera alligare, nec ullum prorsùs ſubſidium ei adferre potuit. Quanta crux illi fuit, cùm dilectum filium, inclinato capite, vultuque ſqualido, noviſſima illa verba: PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM, proferentem audivit, illiſque prolatis, expirantem vidit? Quo dolore concuſſa eſt, cùm crudelem illam lanceam vibrari, & in pectus filii magno impetu adigi, & ex vulnere ſanguinem cum aqua profluere conſpexit? Quantum dolorem ſenſit, cùm de cruce depoſitum filium in ſinum ſuum recepit, pectorique applicuit? Cùm totam ſanctiſſimi corporis compagem à capite ad calcem ſolutam, & undique convulneratam, plagiſque deformatam vidit?

(a) Homil. ſuper: *Stabat juxta crucem.*

(b) lib. 1. Revel. c. 6.

Maria paſſio quam diuturna,

1200. Paſſio autem illa B. Virginis duravit toto tempore Paſſionis Chriſti; ſed non tantum; nam paſſio Chriſti deſiit in morte, tunc autem B. Virginis paſſio & compaſſio non deſiit, ſed crevit. Nam Chriſti corpus mortuum de cruce depoſitum ipſa excepit cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies ſepulturæ, cruciatus Chriſti crucifixi, quos ipſa cominùs oculis aſpexerat, vivi hærebant in imaginatione ejus, eamque cruciabant, & *ipſius animam gladius doloris* intereà jugiter *pertranſibat*. Ex hactenùs dictis conſtat, quòd SS. Dei Mater, paſſionis nobilitate, diuturnitate, fortitudine, invictâque conſtantiâ alios omnes Martyres ſuperaverit; & idcirco jure meritò *Regina Martyrum* ſalutetur. Martyres alii paſſi ſunt in propria carne, quæ interdum fuit illis occaſio & illecebra peccati. Verum namque eſt de unoquoque noſtrûm, quod Apoſtolus ait (a) *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* At Beatiſſima Virgo paſſa eſt in anima ſua innocentiſſima, ſanctiſſima, ſpiritui ſuo obedientiſſima: paſſa eſt in vita filii ſibi dilectiſſima, & pretioſiſſima; utpote quæ totius mundi prætium fuit. Prætereà aliorum Martyrum cruciatus eorum morte terminantur; at Virginis ſanctiſſimæ Dolor à Chriſti nativitate, uſque ad ejus mortem, quamdiu ipſa vixit in hoc mundo, in ejus corde perpetuò hærebat. Prævidebat prophericâ, imò pluſquàm propheticâ mente Virgo Beatiſſima filii ſui mortem, eamque præ oculis habebat, cùm filium ſinu ſuo fovebat, ulnis geſtabat, uberibus lactabat. Undè ab illa hora, quâ eum genuit, ſtatim cognovit ſe illius matrem eſſe, qui pati, qui crucifigi, & mori pro peccatoribus debebat, adeò ut ſingulis horis ac momentis Chriſti filii ſui mortem intueretur. Verè longum martyrium, quod per triginta tres annos, & eò ampliùs duravit; non enim illo dumtavat tempore paſſa eſt, quo Chriſtus comprehenſus, vulneratus, crucifixus eſt; ſed ab ipſo momento, quo Dei Mater effecta eſt, eum ab improbis comprehendi, malè tractari, ſcilicet, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri prævidit: & ex tunc *gladius* doloris *animam* ejus *pertranſivit*. Hic congruunt quæ tradit Rupertus Abbas (b) in perſona Virginis ita loquens: *Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum malè tractari, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit. ſed antequàm ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit; Propheteſſa namque eram, & ex quo Mater ejus facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum. Cùm igitur talem filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis Materni doloris pertuliſſe paſſionem?* Eadem tradunt S. Bernardus (c) & S. Birgitta (d). Diuturni itaque fuerunt Mariæ dolores, quia paſſionem filii, antequam eſſet, antea cogitavit; diuturni fuerunt, quia cogitavit etiam, poſtquam præterivit. Poſt mortem enim & Aſcenſionem filii in cœlum ſemper memoriâ retinebat, & aſſiduâ meditatione revolvebat, quæ Chriſtus pro ſalute humani generis pertulit ut ipſa S. Birgitta

(a) 1. Cor. 15.

ſcilicet à Chriſti nativitate uſque ad mortem ejus.

(b) lib. 1. in Cant.

(c) Serm. 40 in Cant.

(d) in Serm. Angel. c. 16. & 17.

(a) lib. 6. revel. cap. 65.

gitta (a) narravit, in hæc verba: *Omnis temporè, quo poſt Aſcenſionem filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit: ſic quoque paſſio ſua in corde meo fixa erat, quòd ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Hinc collige, quot in uno martyrio B. Virgo Maria ſubierit martyria, quot cruciatus, quot tormenta: ſuperavit igitur omnes Martyres Virgo; & leve fuit, quidquid paſſi ſunt Martyres omnes, ſi Mariæ cruciatibus comparetur. Verè itaque *Regina Martyrum* dicitur, quæ tam nobile, ac tam diuturnum martyrium pertulit.

1201. De ſacris arcanis B. Virginis, paſſionem & mortem Chriſti Domini plangentis plura expetens, adeat inſignem Deiparæ encomiaſten Joannem de Carthagena, qui in Homiliis libro 12. in XI. Homiliis cumulatiſſimè ſubjectum hoc pertractat: & inde hic paucula libamus. [Si Samuel Dei Propheta, & amicus, ſuper improbo Rege Saul gravi dolore commotus eſt: & ſi pius David, ob infelicem Abſolonis, inobedientis, necem ejulabat, dicens: (b) *Abſolon, fili mi, fili mi, Abſolon!* Et quod amplius eſt, Chriſtus Dominus ad tumulum Lazari, nec flentes nec dolentes increpavit, nec à fletu prohibuit; imò & ipſe flevit cum flentibus, Evangeliſtà dicente: *Et lachrymatus eſt Jeſus.* Ac tandem videns ingratam civitatem Hieruſalem penitus ruituram: *flevit ſuper illam*; quantò, quæſo, magis dignum erat; ut piiſſima mater doleret & fleret ſuper morte non improbi Regis Saulis, ſed ſanctiſſimi Regis Regum & Domini dominantium: non rebellis Abſolonis, ſed obedientiſſimi filii, ut ait D. Lucas: *ſubditus erat illis*; non Lazari puri hominis, qui aliquandò peccaverat, ſed Dei, & hominis ſimul, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Acerbiſſimi autem doloris B. Virginis in Paſſione & morte filii variæ fuerunt cauſæ: notiſſima autem eſt ardentiſſimus ejus amor, qui menſura doloris de amati paſſione eſſe noſcitur. Ad hunc reſpiciens D. Bonaventura (c) dixit: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Doctiſſimus Guilielmus in Commentario ſuper Cap. 1. Canticorum, ſingulari pietate ait: *Tantâ virtute Chriſtum dilexit; ut ad titulum ſuæ laudis ſufficiat; quòd mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus diſcipulis, oblita ſexûs fragilis, ipſa cum lachrymis aſtans cruci, & condolens morienti, animam ſuam pro filio ſuo, etſi minimè potuit patiendo, tamen expoſuit compatiendo.* Et S. Anſelmus (d) *O Domina,* inquit, *quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes unicum filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari; & carnem ejus diſſecari crudeliter!*]

(b) 2. Reg. 19.

Doloris Deiparæ Virginis comparatio cum aliis:

(c) in officio de compaſſione B. Virg.

(d) de compaſſ. Virg.

Fructus duo præcipui doloris acerbiſſimi Deiparæ.

1202. Sed quinam fructus fuerint acerbiſſimi iſtius Mariani doloris, inſpiciamus: duo præcipui fuerunt: unus, quòd licèt ſecundùm fidem Catholicam ſolus Chriſtus Dominus ſuo ſanguine nos redemerit; tamen juxta Sanctorum Patrum loquendi modum, etiam ipſa quâdam ratione cooperata fuit: duorum aut trium aſſerta audiviſſe ſufficiet. In primis S. Irenæus (a) ſcribit: *Sicut Eva inobediens facta eſt, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa mortis fit & Maria habens prædeſtinatū virum, tamē Virgo obediens, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* Divus Anſelmus (b) hæc habet: *Pura ſanctitas, & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, ſive ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret.* Sic & S. Bernardus: (c) *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus: ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Sed bonum non erat nobis, hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, ut adeſſet noſtræ reparationis ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Ex eo igitur dicitur à Patribus *noſtræ ſalutis cauſa*, quia filium propriâ ſponte crucis tormentis, ac morti obtulit, cùm enim Filius aliquid Matris proprium haberet, offerendo filium, aliquid quod ſuum erat, pro noſtra omnium ſalute Patri obtulit. Unde ait D. Bonaventura: *Sic Maria dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Itaque Virgo B. Chriſtum nobis gignens, materiam ſubminiſtravit, ex qua Deus nummum excudit noſtræ redemptionis, nempe Chriſti humanitatem; medium profectò ac remedium, in hunc finem aptiſſimum; in illa enim Deus imprimens ſui infiniti valoris ſigillum, eam conſtituit æquivalentem ſummam, ac pretium ſuperabundans, ut nos ſibi coëmeret, redimeretque à poteſtate & ſervitute Diaboli. Itaque B. Virgo auri materiam ſuppeditavit; Verbum autem Divinùm valorem infinitum illi addidit, materiam excudens & ſigillans; atque adeò non parum noſtræ redemptioni auxiliata fuit. Prætereà ſeipſam pro totius generis humani redemptione & etiam filium ſuum tradidit morti, ut docet Arnoldus Carnot. (d) *Ipſa*, inquit, *ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas, & latices conferebat. Optabat Maria ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatis in cruce manibus, celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Jeſu corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium.*

(a) lib. contra Valent.

(b) de laudibus B. Virg. cap. 9.

(c) Ser. de Aſſumpt. B. Virg.

(d) Tract. de illis verbis: *mulier ecce filius tuus.*

1203. Alter fructus compaſſivi doloris acerbiſſimi in anima Mariæ eſt, exaltatio ſuper omnes Angelos, & Sanctos. Sicut enim Chriſtus ſuâ *humilitate & morte crucis* promeruit *à Deo exaltari ut in nomine ejus omne genu flectatur*: ita Maria ſuâ compaſſione *exaltata eſt ſuper choros Angelorum.* Paſſionem utriuſque ſi pio affectu recolamus, & patientiæ ſequamur documenta, etiam beatæ reſurrectionis, & perennis felicitatis conſortia habebimus. Et iſte hujus Tractatus eſt finis intentus, ac fructus ſperatus. Sed nunc ad alia progrediamur.

Intentio ſinis, & fructus hujus Tractatus:

APRILIS

II. APRILIS.

1204. AD hunc diem in antiquo Ordinis Kalendario Codicis MS. Carmeli Mechliniensis legitur: Nicolai Confeſſoris, non Epiſcopi,

Nicolai Gallici memoria in Kalendariis, & Catal. Sanctorum:

Ordinis noſtri, ſeptimi Generalis. *In Catalogo alio Sanctorum in eodem Codice:* Sanctus Nicolaus, Confeſſor, non Epiſcopus, ſecundâ die Aprilis. *Vita ejus epitomen habet Ioannes Groſſi in Viridario parte 2. quæ eſt* de Sanctis: *ubi hæc inter alia:* S. Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Generalis Ordinis. *Et infra:* Secundâ verò die menſis Aprilis, clarens multis miraculis, ab hac luce migravit. *Agunt de eodem Ioannes Paleonydorus* in Faſciculo tripartito, *lib. 3. cap. 9. & Arnoldus Boſtius libro* de Viris illuſtribus, *qui hic infra ſequitur: &* in Speculo hiſtoriali *libro 7. cap. 25. ita ſcribens:*

vita epitome:

Annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô quintô, defunctô Beatô Simone Stock, communi electione Reverend. Pater Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis conſtitutus eſt, qui ſtatim curam gregis ſibi commiſſi acceptans, corpus ſuum in Dominico onere, & ſervitio mancipare ſtuduit. Tempore regiminis iſtius venerandi Patris Dominus Clemens Papa Quartus multa privilegia conceſſit Ordini noſtro, ſicut patet in privilegio Maris magni. Cùm annis quinque Ordinem Fratrum Carmelitarum ſtrenuè in omni ſanctitate cum multa patientia rexiſſet, renuntiavit officio, & velut alter Elias turbas hominum declinare volens, ad Eremum ſe tranſtulit, & ſolitariam vitam duxit. Prætereà hic vir doctus, & ſanctimoniæ ſublimitate egregius, calamum in corde tingens, conſcripſit librum perutilem, quem propter ſuæ veritatis lucidum acumen Igneam ſagittam prætitulavit, à quo cuivis facilè poteſt pateſcere, auctorem ſui, tam divinis, quàm humanis litteris eruditiſſimum fuiſſe. Hunc ſe librum ſcripſiſſe annotat, & Prioris Generalis recenter exoneratum officio, cui (a) ferè quinque annis

(a) laborioſè adminiſtravit, ſuccedens B. Simoni Stoch Anglico omni laude cumulato. Tandem hic Pater Nicolaus ſecundâ die menſis Aprilis ab hac luce decedens, Chriſtum adiit, multis clarens in vita, & poſt mortem mira-

(b) culis, & (b) in Auraica tumulatur. *Ubi ſita* Auraica, *dicetur infra, in Annotatione. Fuit autem natione Gallus, & ideò communiter nuncupatur* Nicolaus Gallicus. *In Terram ſanctam profectus fuit veriſimiliter, aut occaſione belli ſacri, ſicut S. Bertholdus (variæ enim diverſis temporibus in Orientem fuerunt Chriſtianorum expeditiones) aut ex motivo devotionis, inviſendi Terram ſanctam. ubi compertâ pietate Carmelitani Inſtituti, illud amplexatus fuit, & in eo tantum profecit, ut deinde fuerit aſſumptus in Priorem Carmeli, & Vicarium Generalem in Oriente, ac tandem in totius Ordinis Generalem. Quòd Prior fuerit in Carmelo, quandò illum aſcendit S. Ludovicus Rex Galliæ, qui inde ſex natione Gallos ſecum duxit Pariſios, & ibi monaſterium conſtruxit, traditur in Chronologia vitæ S. Simonis Stock* * *& in libro, cui titulus:* Decor Carmeli. * ad an. 1254.

1205. *In Annalibus Carmelitanis de ejus in Generalem electione tractatur ad annum 1265. & de ejus reſignatione ad annum 1270. ac de ejus ſancta vita ad annum 1272. ubi iſta:* His annis poſt renunciationem Generalatus, in Eremo ſanctè, & ſolitariè Deo vacabat exGeneralis noſter Nicolaus Gallicus, de quo ſub anno 1270. diximus. Optimam enim partem, quam ſuis Fratribus amplectendam ſuaſerat, cum Magdalena eligens, Chriſti pedibus dulciter fruebatur... Hic Nicolaus, cognomento Gallicus, patriâ Narbonenſis, à S. Simone Stock annô Chriſti 1250. in coadjutorem, ſeu Vicarium Generalem ſui Ordinis aſſumptus, ſic præfuit annis 15. & defunctô Simone, ſolus aliis quinque annis.

Scriptores alii de ipſo:

Depoſito verò Generalatu, in Eremum montis, quem vocant Eratrof ſeceſſit, ineunte anno 1270. Poſt mortem verò diverſis claruit miraculis. De quo plura Grotius, Boſtius, Trithemius, & alii (*& iſta ex Segero Pauli*). Sanctum propterea, vel ſanctitate inſignem, præter noſtros, ipſum appellant, Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplement. Hiſtor. Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Marcus Guazzus in Chronic. tempore Bonifacii VIII. Hæc Lezana. *Agit quoque de illo idem Trithemius libro* de viris illuſtribus Ordinis hujus, *qui hic ſequitur, in parte 5. Speculi hujus, poſt præfati Arnoldi Boſtii librum ejuſdem ſubjecti.*

1206. ANNOT. (a) Ferè quinque annis laborioſè adminiſtravit. *Nonnulli ſcribunt, quod* annis 20. Ordinem rexerit; *utrumque verum eſt: videlicet annis quindecim, ut Vicarius Generalis in Terra ſancta, ac deinde poſt deceſſum S. Simonis, annis quinque, ut Prior Generalis primarius in Europa. Vide hic ſuprà Appendicem ad vitam S. Bertholdi, nec non jam ante ex Annalibus Carmelit.*

quot annis fuerit Generalis.

(b) In Auraica tumulatur. *Quo ad patriam & locum ſepulturæ ejus, R. P. Andreas à S. Nicolao, Prior Carmeli Cabellionenſis, in Tractatu (nondum typis edito)* de Conventibus, & viris illuſtribus Provinciæ Narbonæ Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli, *ad nos miſſo ſub finem anni 1673. ſcribit:* Notandum pro Nicolao Gallico Generali, patriâ Narbonenſem fuiſſe, non Toloſatem, ac conditum fuiſſe in Auraica, hoc eſt, in Conventu noſtro Arauſionenſi (d'Oranges) Provinciæ Provinciæ, qui alias procul à muris urbis conditus fuerat; tranſlatus eſt enim ad urbem ipſam à trecentis annis. *Eſt autem* Arauſio (*in hiſtoriis Carmelitanis* Auraica) *Gallicè* Orange, *urbs Galliæ Narbonenſis, Principatûs titulo illuſtris, nunc gentis Naſſaviæ. In hiſtoria Carmelitani Ordinis per R. P. Philippum à SS. Trinitate lib. 6. c. 4. Conventus ille in ſerie Conventuum Provinciæ Provinciæ nuncupatur:* Arauſicanus: *in Catalogo Conventuum hujus Ordinis apud P. Blaſium Hoviuum Polonum ſcribitur:* Orangelenſis: *Mons Eratof. in quo, poſt Generalatûs abdicationem, vitam ſolitariam egit, & librum ſuum,* Sagitta ignea, *ſcripſit, ab illo Conventu, tunc extra muros ſito, veriſimiliter non longè diſtabat.*

VITA

VITA S. ALBERTI PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI Carmelitanæ Regulæ Scriptoris,

(a) vide hic ſupra nu. 402. & 543.

Digeſta ex vetuſtis monumentis, & illuſtribus Scriptoribus (a)

§. I. Teſtimonia ſanctitatis, & eruditionis.

SS Alberti duo celebrantur in Ordine Carmeli:

1207 *ALberti duo, ſanctimoniâ, & doctrinâ celebres in hoc Ordine coluntur (quod animadvertendum, ne perperàm unus cum altero confundatur, aut geſta unius alteri tribuantur). Iſtorum unus, & anterior eſt Legifer, ſive Regulæ ſcriptor (ſeu veriùs compendiator, & explanator, modò hic infrà §. 3. declarando) Patriarcha Hieroſolymitanus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus: alter verò aliquantò poſterior fuit iſtius Regulæ obſervantiſsimus cultor, Provincialis Siciliæ in cujus funere Angeli Introitum Miſſæ:* Os IUSTI *intonarunt, cujus feſtum ſolemni ritu celebratur per totum Carmeli Ordinem die VII. Auguſti: & ad illum vitam ejus dabimus: de priore autem ſermo hîc eſt ad diem octavam Aprilis, quo in eodem hoc Ordine feſtum ejus ſolemnizatur ſub ritu duplici. Quòd autem feſtum iſtud antiquum ſit in Ordine, conſtat ex Miſſali (quod præ manibus habemus) excuſo an. 1509. ſicut fidem faciunt iſta ſub finem rubricatis litteris:* Lucaſantonius de Giunta Florentinus in Venetorum civitate florentiſſima impreſſit, Anno Natalis Dom. MDIX. idibus Januarii. *In cujus Kalendario ad VI. Idus Aprilis (id eſt diem VIII.) legitur:* Alberti Epiſcopi & Confeſſoris, Hieruſalem, Ordinis Carmelit. *Ad eundem diem VIII. Aprilis à Ioanne Molano in Auctario ad Vſuardi Martyrologium his commemoratur verbis:* Beati Alberti Patris Ordinis Carmeli Epiſcopi, & Confeſſoris, Jeroſolymitanæ Eccleſiæ. *Nuncupat* Patrem; *non quòd Ordinem inſtituerit (nam in ſequentibus ad XV. Kalendas Iunii S. Eliam eo titulo Patriarcham appellat ſic:* Raptus in cœlum ſancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ) *ſed quia Regulam, quæ nunc in Ordine ſervatur, ſcripſit, & tradidit, atque ita Ordinis eſt Legiſlator. Ad illum diem in aliis Miſſalibus, & Breviariis, ac Kalendariis Ordinis Carmelitani, ſuſcribitur his verbis:* In feſto S. Alberti Epiſcopi, & Confeſſoris, Ordinis noſtri. *Dicitur:* Ordinis noſtri; *quia ejus Legiſlator (ſicut jam dictum) & Regulam quam ſcripſit, commorando ad tempus in Carmelo aut Acconenſi monaſterio, etiam opere adimplevit, & obſervavit. In Canonico officio, Eccleſia auctoritate approbato ad matutinũ legitur* (b): Ex Divi Baſilii, & Joan. XLIV. Epiſcopi Jeroſolymitani operibus Regulam concinnavit, quam Carmelitis, ſibi arctiſſimo amoris vinculo junctis, tradidit obſervandã: & Chriſtianæ pietatis fovendæ ſtudioſus in monte Carmelo, ac in urbibus Ptolomaide, Tyri, Sareptæ, Sidonis, Tripolis, & Libani monaſteria extrui curavit. Impiorum hominum furore divexatus clàm ſe ſubduxit, & Carmeli Eremitis ſe adjunxit, ubi & Jeſum Chriſtum viſibili ſpecie habuit conſolatorẽ, & Deiparæ Virg. præſentià mirificè eſt confortatus. *Quod* Regulam concinnaverit ex Ioannis XLIV. Epiſcopi Jeroſol. operibus *declarabitur pleniùs §. 3. ubi quoque, quomodò etiam ex* Divi Baſilii.

Primus Patriarcha Hieroſol Legifer, & ideo Pater Carmelitis dictus.

(b) lect 6.

Carmeli eremitis aliquamdiu convixit.

1208 *Doctrinam ejus ſanctitati conjunctã collaudat Abbas Trithemius, libro* de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *ubi iſta:* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir doctus atque ſanctiſſimus, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. degentibus Regulam dedit, quam iidem Fratres jam in Europa conſtituti per Apoſtolicam Sedem modificatam, & approbatam ubique profitentur. Ad inſtantiam Innocentii Papæ Tertii deſcripſit luculento ſermone & veraci Statum Terræ S. lib. 1. Regulam Carm. lib. 1. *Ita quoque Sixtus Senenſis in* Bibliotheca ſancta *lib. 4.* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir ſanctitatis & doctrinæ admirandæ, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. commorantibus, vivendi formam, Regulamq; dedit, juſſu Innocentii Papæ ejus nominis Tertii ſcripſit de ſitu, & ſtatu Terræ S. *In Italia ſacra to. 4. Ferdinandus Vghellus ſcribens de Epiſcopis Bobienſibus vitæ ejus ſeriem ſic paucis complectitur:* B. Albertus de Caſtro Gualterii Canonicus Regularis, mortariæque Præpoſitus hujus (*Bobienſis*) Eccleſiæ eligitur Pontifex an. 1184. ad Vercellenſem Eccleſiã, antequam in Bobienſi inaugureretur, tranſlatus: ac deinceps factus Hieroſol. Patriarcha, per martyrium tandem ad cœlos aſcendit, cùm priùs Carmelitis Fratribus vivendi normam dediſſet. *De geſtis ejus pleniùs tractat ſub titulo:* Vercellenſes Epiſcopi: *& indè vitæ epitome ſequitur hic infrà. Antè iſtos Thomas Waldenſis, in celebri opere,* Doctrinali fidei (a), *ſic de eodem, & virtutibus, quas exercuit, & in Regula præcipuè commendavit:* Accedat Legifer noſter S. Albertus, cum ſuis Carmelicolis; & creſcat in ſilentio, in ſolitudine cellæ, & in aſſidua meditatione in lege Domini. *Iſta etiam confirmat auctoritas Clementis Papæ VIII. in litteris ad Scibabam Regem perſarum, miſſam per P. Paulũ Simonem, & Ioannem Thadaum, Carmelitas Diſcalceatos, de quorum inſtituto mentionem faciens, inter alia ſcribit:* A B. Alberto Patriarcha Hieroſol. magni nominis viro, proprias Regulæ Conſtitutiones acceperunt. *Alii quoque plures eum* Sanctum, *vel* Beatum, *alii,* ſanctæ, *vel* ſanctiſ. vitæ *nuncupant.*

inſignis ejus doctrina.

(a) de Sacram tit. 9. cap. 84. num. 7.

virtutis monaſtica inter Carmelicolas.

§. II. S. Alberti Epiſcopatus, & Patriarchatus Ieroſolymitanus.

1209. *AN Albertus Patriarcha Ieroſolymitanus idem ipſe fuerit etiam Epiſcopus Bethleemiticus: quando promotus ad Patriarchatum Ieroſolymitanum? circa quem annum Regulam dederit: & undè Regula iſta deſumpta, accu-*

XXIX. MARTII.

conſanguineus ſupradicti S. Bertholdi, vir venerabilis, Deo & hominibus multùm amabilis circa annum Domini MCXXI.* Patriarcha Antiochenus, & Terræ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus à latere floruit, qui prædictorum prædeceſſorum noſtrorum Eremitarum Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli laudabilem converſationem attendens, eos multum, ſpecialiter ſuo tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem idem Patriarcha, quoſdam eorum, & præcipuè Latinorum, qui ex Occidente nuper ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religioſæ vitæ Eremiticæ, in libro Joannis XLIV. Epiſcopi Jeroſolymitani olim deſcriptæ, perpendensque hæc maximè ideò contingere, quòd illi Græcas ignorantes litteras, neſciebant codicem illum legere, idcircò fecit librum, ſeu normam ſupradictam Joannis Epiſcopi in Latinum de Græco transferri... Itaque inter eos idem Pontifex reperit nepotem ſuum ſupradictum fratrem Bertholdum. De Maleſayda virum Religioſum, ſanctum, & famoſum; & hunc de unanimi omnium aſſenſu in Priorem Generalem eis conſtituit.

** leg MCXLI.*

1174. *Capite 10. dicitur, qualiter liberalitate Regis Ieruſalem, ob ſanctitatem Bertholdi, plurima fuerint ſubminiſtrata pro illo Carmeli monaſterio perficiendo, atque etiam alia monaſteria huius Ordinis ædificari ipſe curaverit, adhortante S. Bertholdo: cujus tandem ſanctus obitus his traditur verbis:* Sanctus Bertholdus, annò ætatis ſuæ centeſimò quintò decimò plenus operibus bonis, obiit feliciter in Domino, poſtquàm Conventum, & Ordinem montis Carmeli rexiſſet annis 45. Et quia temporibus ſuis Terra ſancta multos bellorum impetus à Saracenis, & Turcis ſuſtinuit: Multi fratres noſtræ ſacræ Religionis, diverſis temporibus, & Eremis ab eiſdem pro Chriſto crudeliter jugulati ſunt. Quorum animas cum corona martyrii ab Angelis in cœlum deferri idem Sanctus multoties oculis ſuis conſpexit. Obiit autem quartô Kalendas Aprilis ſepultus in monte Carmeli, ubi & multis miraculis claruit, paralyticos curando, cæcos illuminando, & claudis greſſum præſtando.

S. Bertholdus obiit anno ætatis 115. regiminis 45.

divinis revelationibus, & miraculis clarus,

ANNOT. *De S. Bertholdi inſtitutione in Priorem Generalem, & quæ tunc in Carmelo per Aymericum Patriarcham geſta ſunt, pleniſſimè tractatur in tomo 4. Annalium, ſub initium, videlicet ad an. 1141. & ad ann. 1147 traditur, ipſum antiquiſſimam devotionem in Carmelo vigentem de celebrando feſto puriſſimæ Conceptionis Deiparæ Mariæ, reddidiſſe ſolemniorem: ſed de hoc plenius infra ad diem VIII. Decembris. In iiſdem Annalibus ejus obitus refertur ad annum Chriſti 1187.*

VITA,

Ex antiquis monumentis, & ſcriptoribus compendiosè digeſta per Segerum Pauli, Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli Theologum, Colonienſem.

CAPUT I.

S. Bertholdi patria: votum de capeſſendo ſtatu Religioſo: ingreſſus in Ordinem Carmeli.

1175. GUido de Maleſayda nobilis Lemovicenſis, induſtrius & devotus juvenis, bellum ſecutus, in Hungariam profectus circa annum Chriſti milleſimum quadrageſimum primum, ibi ob ſtrenuos actus gratus Henrico Regi Germaniæ (poſtea Imperatori) eum contra Ovonem tyrannum bellis implicitum ſecutus; tandem illuſtri filiæ regio ſanguine ortæ junctus matrimonió, cœleſti revelatione didicit, ex ea naſcituros duos filios, qui tamquam fulgida ſidera, Orientalem Eccleſiam illuſtrarent. Poſtquàm reverſus eſſet in Galliam, & in patriam ſuam, natus ei fuit primogenitus Aymerus, aliàs Ademarus, poſteà Epiſcopus Podienſis, & Legatus Apoſtolicus totius exercitus Chriſtiani: quo in munere magnam nomini ſuo famam ac gloriam peperit, ſanctèque obiit Kalendis Auguſti, annô 1098. Alter verò Bertholdus nuncupatus fuit, qui à prima competenti ætate litterarum ſtudiis traditus, magnos in illis progreſſus fecit, etiam conjungens pietatis exercitia.

S. Bertholdi patria, & parentes.

1176. Sub illa tempora ſanctitatis opinione clarus Petrus, re, & nomine Eremita, natione Gallus, patriâ Ambianenſis in Terram ſanctam profectus, ac ibi aggregatus inſtituto Eremitarum montis Carmeli (quos & coronam Deiparæ Virginis Mariæ edocuiſſe memoratur) cùm aliquoties dolenter conſpexiſſet Chriſti incunabula, ejuſque Sepulchrum ac reliqua loca ſancta ab infidelibus Turcis profanari, omnique contumeliarum genere, ſicut & ipſum Patriarcham Jeroſolymitanum Simeonem affici, acceptis ab eo litteris commiſeratione dignis; atque ab ipſo Chriſto Redemptore noſtro per viſum admonitus, annô Domini milleſimô nonageſimô quintô Urbanum Papam ſecundum, alioſque Occidentales Reges ac Principes ad idem bellum ſacrum potenter accenderat. Itaque cùm dictô annô Chriſti milleſimô nonageſimô quintô Urbanus Papa ſecundus in Generali Concilio Claromontano, ſeu Arvernenſi die 18. Novembris inchoato, ſacram expeditionem in Syriam contra

Petrus Eremita, auctor belli ſacri:

ibi ſe jungit S. Bertholdus:

XXIX. MARTII. contra Turcas indixiſſet; eaque annô mox ſequenti 1096. ſub diverſis Ducibus, à die 8. Martii, profectionem inchoaſſet, S. Bertholdus & ipſe eôdem annô, tàm fidei zelô, quam Terram ſanctam viſitandi deſideriô accenſus, eidem ſacræ, ſeu Cruciatæ militiæ comitem ſeſe adjunxit, ſub Ductore Venerabili Petro Eremita, qui aliquantò poſt, ante dictum diem Martii, iter cum ſuis arripuit.

1177. Poſtquàm ſacer exercitus Chriſtianorum in Oriente annô milleſimô nonageſimô ſeptimô, die 10. Junii cepiſſet celebrem illam Nicenam in Bithynia civitatem; nec non annô ſequenti milleſimô nonageſimô octavô, die 2. Junii ipſam Antiochiam Syriæ Metropolim, mox alterâ die, ab ipſis quos devicerant, Saracenis, ac Turcis, immensâ eorum coactâ multitudine, viciſſim obſideri cœperunt Chriſtiani. Undè fame, ac morbò miſerè per dies viginti ſex afflicti fuerunt, peccatis eorum, ac vitæ præſertim turpidine id exigentibus. Infideles civitatem adeò vehementer obſederunt, ut fame graviſſimâ opprimerentur Chriſtiani, ita ut pauci ab humanis carnibus ſe continerent. In hac tribulatione S. Bertholdus de Malefayda, magnô mœrore confectus, promiſit ſe Deo, & B. Mariæ Virgini jugiter in monte Carmeli ſerviturum, ſi Dominus reſpiceret plebem ſuam. Licèt autem Bertholdus eò uſque forſan nullos adhuc vidiſſet in Occidente iſtius Ordinis Religioſos; potuit eorum ſufficientem notitiam habuiſſe ex Venerabili Petro Eremita, de quo ſupra actum eſt. Suſcepit autem Deipara votum dilecti famuli ſui: nam apud Deum precibus ſuis obtinuit, relaxari eandem obſidionem Antiochenam die 28. Junii, cæſis à Chriſtiano exercitu Turcarum ampliùs centum millibus.

qui in magna tribulatione ſe voto obſtringit,

& exauditur.

1178. Placuit autem Divinæ bonitati bienniô poſt, annô Domini milleſimô nonageſimô nonô civitatem Hieruſalem, & conſequenter totam Terram ſanctam pedetentim à perfidis Saracenis liberare, & eam, ac indigenas ejus fideles poteſtati ac Dominio Chriſtianorum reddere. Propter quod cœpit tunc cultus Religionis in monte Carmeli inſtaurari, & ampliari: quàmplures enim devoti peregrini, qui ab Occidente ſupervenerant, odore hujus ſancti loci tracti, & devotione Religioſorum Eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renunciabant; & pro contemplatione cœleſtium, ſe eorum contubernio jungebant. Ex iſtis devotis Occidentalibus peregrinis cùm unus quoque eſſet S. Bertholdus, tàm ob vitam exemplarem prædictorum montis Carmeli Eremitarum, quàm ob votum, quô tenebatur adſtrictus, cùm in Carmelum veniſſet, Religionis habitum poſtulavit, & dignè recepit. Ibi autem tantum profecit, ut eximius virtutibus, & ſanctitate clareſceret. Inter alias porrò virtutes S. Bertholdi quàm maximè commendatur cultus Deiparæ Virginis, & in proximos ſuos fervens charitas. Nulla enim recurrebat hora diei, quâ ſuſpiriis & orationibus Deiparam Virginem humi advolutus non ſalutaret, in præruptis Carmeli montis ſepties quotidie reclinatus, versùs mare angelicâ ſalutatione eam honorabat, in illius nubeculæ memoriam, quam Dux noſter Elias è marinis fluctibus aſcendentem ſeptimâ vice conſpexit, futuræ incarnationis ſacrum prognoſticon.

Hieruſalem, & tota Terra S. à Chriſtianis occupantur;

Chriſtiana Religionis cultus, & Carmeli Ordo inſtauratur,

S. Bertholdus Carmeli Eremitis jungitur:

ejus devotio ſingularis erga Deiparam.

ANNOT. (a) Petrus re & nomine Eremita. *Illum anachoreſim exercuiſſe ſub inſtituto Eremitarum montis Carmeli, & in hujus Ordinis habitu ſepultum, traditur in Annalibus Carmelitanis tom. 3. ad an. 1061. & ſeq & 1073. & præcipuè ad an. 1100. & 1115 quo obiit*

CAPUT II.

S. Bertholdus primus ſui Ordinis Prior Generalis Latinus.

1179. Cùm Carmelitana Religio ob Saracenorum perſecutiones, & Iconoclaſtarum tyrannidem, demumque ſub Græcorum ſchiſmate languens, poſt recuperatam Terram Sanctam, ſub inſtitutione, in libro Joannis Jeroſolymitani Epiſcopi, modô jam dictô, refloreſcere, ac multiplicari cœpiſſet, nihilominùs tamen per quoſdam Latinos advenas, eorum Ordini aggregatos, propriô arbitriô vivere cupientes, non modicas pateretur moleſtias, (a) Aymericus Patriarcha Antiochenus, & Legatus Summi Pontificis, requiſitus, iis obviare volens, congregatis in monte Carmelo Ordinis comitiis eorum Fratrum, qui diverſas Terræ ſanctæ ſolitudines incolebant, primum eis Generalem Priorem, de conſenſu tamen omnium, Bertholdum, auctoritate, quâ fungebatur, Apoſtolicâ, præfecit. Hujus rei mentionem facit Onuphrius Panuinus Auguſtinianus, in celebri Chronico ſuo Eccleſiaſtico, ad annum Chriſti 1141. dicens: [Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Malefayda Lemovicenſe, Patriarcha Antiocheno, & Apoſtolicæ Sedis trans mare Legato, in monte * Suriæ Carmelo, quorum primus Prior fuit F. Bertholdus vir ſanctus.] Sic ipſe: quem integrô ſæculo præceſſit Wernerus Rolevinck Carthuſianus, qui in ſuo temporum Faſciculo iſtam S. Bertholdi famâ celebriore multis innoteſcentis inſtitutionem in Priorem, per Aymericum Antiochenum Patriarcham, commemorat.

(a) *Aymericus Patriarcha Antiochenus venit in Carmelum.*

S. Bertholdus Prior General. inſtituitur:

* *Al. Syriæ.*

1180. Porrò non uni duntaxat Carmeli montis eremitorio; ſed & aliis Palæſtinæ, ac Syriæ locis S. Bertholdus generaliter præfectus fuit. Etenim ab anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, circa quem Homar Rex Arabiæ, Mahumetanæ ſectæ cum ingenti multitudine Saracenorum contra Terram ſanctam veniens, eam totam obtinuit, ſanctamq; civitatem Jeruſalem cepit, quamvis pauci, verumtamen probatiſſimi monachi hujus Religionis, dimiſſis pleriſque manſionibus,

cui ſubjiciuntur cætera eremitoria, & monaſteria hujus Ord.

XXIX. MARTII. fenſas parentum, negligentias votorum fractorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & malè acquiſita, ſi non noſcitur cui reſtitui debeant, Carmelitarū Eccleſiis,ſeu Conventibus aſſignentur. Deceſſit verò idem Lucius Papa annò 1185. Deniquè Clemens tertius, qui ab anno 1188. uſque ad 1191. ejuſdem ſæculi Pontificatum adminiſtravit, ſecutus non paucos prædeceſſorum ſuorum, iiſdem fidelibus hujus Ordinis Eccleſias ubilibèt exiſtentes devotè viſitantibus, in quatuor præcipuis Beatiſſimæ Virginis, & aliis ſolemnioribus anni feſtivitatibus, ac per earum Octavas, tertiam partem peccatorum in Domino relaxavit, quæ in Mari magno Indulgentiarum hujus Religionis à Sixto Papa quarto, annò 1477. evulgata, veluti in ſuo fonte legi poſſunt. Tempore ejus in Terra ſancta Fratres multi,ob Chriſtianę fidei conſtantiam à Paganis interfecti fuerunt: quorum animas cum corona martyrii ab Angelis in cœlum deferri conſpexit.

S. Bertholdus animas fratrum in cœlum deferri videt.

moritur anno ætatis 115 & regiminis 45.

1183. Cùm Ordinis ſui fræna annis quadraginta quinque magna cum ſanctitate moderatus eſſet, miraculis ſæpè patratis, ſalutis monitis tum ſcriptis,tum verbis relictis,mirâ charitate ac pietate fulgens, ſenio venerando confectus, quintumdecimum ætatis ſuæ annum, ſupra centeſimum agens, relicto corpuſculo, Deo animam mirificis operibus plenam, atque virtutibus refertam, lætanter tradidit. In monte Carmeli reconditum eſt corpus in Oratorio Virginis glorioſæ Mariæ.] Joannes Groſſius in Viridario ipſius miracula ſpecificans ſcribit: [In monte Carmeli, ubi ejus corpus quieſcit, multis claruit miraculis; duos paralyticos curando, cœcos illuminando, & claudis greſſum præſtando] Baptiſta quoque Venetus, in majori Speculo Ordinis hujus foliò 103. ſic de eodem: [Beatus Bertholdus primus Prior Generalis Ordinis,in Terra ſancta, & præſertim in monte Carmeli multa fecit miracula.] Feſtum ejus ſub ritu Duplicis colitur die XXIX. Martii, ad quem in Miſſalibus impreſſis Venetiis anno 1574. & Lugduni anno 1575. extat proprium Sacrum de eodem integraliter diſpoſitum, cum ſculpta ejus imagine, in dextra lilium in ſiniſtra Eccleſiam geſtante, in quo & hæ tres ORATIONES ſeu COLLECTÆ leguntur: [Protegat nos Domine S. Bertholdi Confeſſoris tui veneranda ſolemnitas, ut ſicut Carmelitarum Ordinem omni ſanctitate rexit & auxit, ita cujus feſtum ſine intermiſſione colimus perpetuam ejus defenſionem ſentiamus. Per Dominum &c.] SECRETA [Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacrificium quod immolamus, noſtrorum vincula peccatorum abſolvat, & quidquid pro illis meremur, accedentibus meritis & precibus S. Bertholdi Carmelitæ, propitiatus avertat. Per eundem. &c.] POSTCOMMUNIO [Effulgeat ſuper nos clementiſſime Pater ſplendor tuæ claritatis,ut qui Sacramentorum perceptione ſuſtinemur, & ſancti Spiritus illuſtratione confirmamur, B. Bertholdi Confeſſoris tui precibus in Eccleſia tua pace & concordia gaudeamus, atque vitâ & gratiâ ſempiternâ. Per Dominum &c.] In Menologio Carmelitano hâc Oratiunculâ vita ejus clauditur: [Tu ergo, Pater ſancte, qui Carmeli clavum omnium Latinorum primus,tot annis rexiſti,tot virtutibus illuſtraſti,tot exemplis muniiſti; Tu,inquam,in rebus omnibus, humanæ gloriæ contemptor egregie,tuæ poſteritati impetra, ut per ſecula cuncta, te imitatione ſequatur, te precatorem, teque Ducem habere mereatur.]

colitur die 29. Martii.

1184. ANNOT. Studuit S. Bertholdus eandem (*Religionem*) propagare. *De novis monaſteriis tempore S. Bertholdi receptis in Terra ſancta, & in Europa (præſertim in Sicilia) agitur tom. 1. Annal. ad annos, quibus præfuit S. Bertholdus. Porro generalis tranſmigratio Ordinis & propagatio per Europam, facta fuit anno Chriſti* 1238. *& ſeq.*

Sub ipſius (*Bertholdi*) regimine, Ordinem confirmavit Alexander Papa III *Ita tradunt domeſtici Scriptores, relati in Annalibus* (a). *Et de externis Cardinalis Bellarminus in Chronologia poſt librum de Scriptoribus Eccleſiaſt.* Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. anno 1180. *Ita quoque Trithemius; videatur tomo præcedenti num.* 1207.

(a) ad annum 1186.

Annis 45. &c *Quòd annis 45 Ordini præfuerit tradunt S. Cyrillus, qui cum ipſo vixit, & cæteri hiſtorici Ordinis unanimiter. Conveniunt quoque Scriptores de obitu ejus anno ætatis CXV annorum.*

Feſtum ejus ſub ritu Duplicis colitur: *In Kalendario Breviarii Venetiis apud Petrum Debuchinum excuſi anno* 1573 *legitur ad* 29. *Martii*, Bertholdi Confeſſoris Ordinis noſtri, Duplex. *Ita quoque in Kalendariis aliis, etiam antecedentibus. Sed de ejus ſanctitate, & cultu plura videri poterunt in Annalibus Ordinis tom.* 4. *ad an.* 1187.

Protegat nos. *Eadem Oratio etiam pro Officio canonico legitur in Breviario præfato Veneto anni* 1573. *atque etiam (verbis aliquot prætermiſſis) in Officio à Sacra Rituum Congregatione approbato anno Chriſti* 1629. *ſub Urbano VIII. & uſque in præſens in uſu eſt in Miſſalibus ac Breviariis, cum Lectionibus propriis ad Matutinum, auctoritate Clementis X. approbatis.*

APPENDIX
AD VITAM S. BERTHOLDI.

Chronologia regiminis, & ſucceſſionis in Officio Prioris Generalis, S. Bertholdi, & ſex aliorum ſubſequentium, illuſtrata.

1185. *Hiſtoriis multum claritatis adfert (imò veluti baſis eſt, & fundamentum) perſpicua temporum ratio; cùm autem inter Scriptores varietas ſit circa annos regiminis ſeptem Priorum Generalium; & hinc Ordinis hiſtoria in variis partibus ſit obſcurior, quid ut certum, aut veriſimilius tenendum ſit, perſpicuè declarare opera pretium eſt. Brevitati ſtudentes, & non neceſſariam prolixitatem vitare cupientes, varias Scriptorum ſententias huc adducere, & refellere, opus non eſſe cenſuimus, aſt dumtaxat ex certis & probatis ac receptis hiſtoriis fundamenta noſtra ſupputationis ſtatuimus: ea plenius deducta videri poterunt in Annalibus Ordinis tomo* 3. *&* 4. (b)

Hiſtoria baſis, ratio temporum.

1186. *Quantùm ad tempus regiminis S. Bertholdi conveniunt omnes de* annis quadraginta quinque; *ſed de anno primo, quem à Chriſti nati-*

(b) utrobique videatur index verbo *Bertholdus*

XXIX. MARTII.

nativitate, difficultas eſt, & inter Scriptores diffe-rentia ad annos circiter viginti; nam alii ſtatuunt annum Chriſti milleſimum centeſimum vigeſimum primum: alii verò annum milleſimum centeſimum quadrageſimum primum, aut circiter; & hanc ſententiam ſequimur & rationem aſſignamus. Cùm enim Prior Generalis inſtitutus fuerit tempore quo Patriarcha Antiochenus fuit Aymericus (ſicut omnes conſentiunt) & is anno MCXX. nequaquàm Patriarcha fuerit; nam apud Hiſtoricos, Annaliſtas, ſeu Chronologos ſine controverſia eſt, eo anno illum Patriarchatum geſſiſſe Bernardum quendam prout aſſertè habent Genebrardus, Onuphrius, Baronius, ac alii. Aymericus verò demum circa annum 1137. ex Antiochena Eccleſiæ Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptus fuerit, ſicut copioſius declaratur in Annalibus Ordinis hujus (a). Atque ita pro comperto eſt, illam S. Bertholdi per Aymericum Patriarcham Antiochenum inſtitutionem in Priorem Generalem ſaltem ante annum Chriſti MCXXXVII. fieri non potuiſſe. Porrò annò Chriſti MCXXXVII. Aymericum ex Antiochena Eccleſiæ Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptum P. Lezana tomo 3. Annalium, ſub finem, tradit, & confirmat ex Onuphrio Panuino in Chronologia Eccleſiaſtica, Pineda lib. 18. Monarch. cap. 8. ex Genebrardo, Hieronymo Bardo, Maſchardo & aliis, quos citat. Ibidem refellit nonnullos referentes iſtam aſſumptionem ad annum Chriſti MCXLIII. Etenim eum jam ante Patriarcham Antiochenum fuiſſe, evincit auctoritas præfatorum, necnon Willelmi Tyrii in opere de bello ſacro lib. 16. cap. 3. ita ſcribentis: Annò Incarnationis Dominicò milleſimò centeſimò quadrageſimò ſecundò, præſidente . . . Antiochenæ (Eccleſiæ) Domino Aymerico. Quòd etiam annò præcedenti Patriarcha fuerit, habetur ex præfato Onuphrio Panuino Chronologo inter accuratiores habito, ad annum MCXLI. ſic inter cætera ſcribente: Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Maleſaida Lemovicenſi, Patriarcha Antiocheno &c. addit: Primus Prior Bertholdus vir ſanctus. Quòd autem S. Bertholdus vixerit uſque ad annum Chriſti MCLXXXVII. certum eſt ex teſtimonio S. Cyrilli, in libro De proceſſu, & variis regulis Ordinis, in citato tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 2. ubi iſta: Mortuo Bertholdo, ſub regimine cujus quadraginta quinque annis manſerant: perplexitas magna eorum animos invaſit de ſucceſſore ejus inſtituendo: de cujus inſtitutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus, morte præventus, eis reliquerat. Inde evidens eſt, S. Bertholdum e vita migraſſe poſt Aymericum, aut ferè eodem tempore. Porro Aymericum adhuc in vivis fuiſſe dicto anno MCLXXXVII. habetur ex ejus lamentabili epiſtola ad Regem Angliæ illo anno ſcripta: quam ex Rogerio ad iſtum annum refert Baronius. Illò autem annò Aymericum deceſſiſſe inpounnt illi, qui (ut ſupra dictum eſt) ſcribunt eum Patriarchale ſolium aſcendiſſe annò MCXXXVII. & annis quinquaginta in ea ſediſſe. Atque ita obitus S. Bertholdi referendus ad eumdem, aut ſequentem annum. Plura circa hæc videri poterunt in iiſdem Annalibus Carmelitanis. (b)

S. Bertholdus inſtitutus Prior Gen. an. Chr. 1141. aut circiter.

(a) ad an. 1118 n. 4. & an. 1130. n. 4.

Aymericus Patriarcha Antiochenus an. Chr. 1137.

S. Bertholdus, & Aymericus vixerunt uſque ad an. 1187.

(b) to. 3. ad an. 1121. & 1141. nec non to. 4. ad an. 1166. n. 2. & an. 1187. n. 7. & 8.

1187. S. Bertholdo ſuffectus eſt S. Brocardus, patriâ Hieroſolymitanus, non ſtatim poſt (veriſimiliter anno MCLXXXVIII.) ſicut ex iſtis S. Cyrilli in præfato libro colligitur verbis: Tandem poſt lapſum temporis Fratrem Brocardum, virum perfectum, unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiſerunt, ſub regimine cujus triginta tribus annis permanſerunt. Per illa: Tandem poſt lapſum temporis denotatur, inter obitum S. Bertholdi tempus interceſſiſſe uſque ad ſucceſſionem S. Brocardi; qui cùm annis XXXIII. Ordinem rexerit, ejus obitus rectè aſſignatur anno MCCXXI. ſicut pleniùs declarabitur ad diem II. Septembris, in Notatis prævis ad vitam ejus. De Regula à S. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita S. Brocardo circa annum Chriſti MCCV. aut paulo poſt (& non ante) agetur hic paulò infrà, ad diem VIII. Aprilis, ad vitam S. Alberti §. 1. & ex certis hiſtoriis, ac ſolidis fundamentis, ſtabilitum eſt tomò præcedenti, parte primâ in fine libri VIII. in Additamento.

S. Brocardus quando, & quam diu Prior General.

1188. Eodem annò MCCXXI. Ordinis regimen ſuſcepit S. Cyrillus, qui præfuit annis tribus, & obiit anno MCCXXIV. ſicut pleniùs declaratum eſt in ejus vita poſt caput V. (a) & illò eodem annò ſucceſſorem habuit Bertholdum II. natione Lombardum: & hic poſt ſeptem annos Prioratus Generalis, anno MCCXXXI. Alanum Britonem: qui Ordinem rexit uſque ad annum MCCXLV. quo in Capitulo Generali Aylesfordiæ celebrato electus fuit S. Simon Anglicus, cognomento Stock (qui jam ante annis multis Vicarius Generalis in Europa fuerat) is anno regiminis vigeſimo (Chriſti MCCLXV.) ad Chriſtum migravit: & eodem anno Domini MCCLXV. defuncto Beato Simone Stock, communi electione R. P. Nicolaus, natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum conſtitutus eſt. Ita Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali lib. 7. cap. 25. & Lezana tom. 4. Annalium ad annum 1265. ſub finem. Iſte autem Nicolaus Gallicus jam ante per annos quindecim fuerat Vicarius Generalis in partibus Orientis, ſicut latius traditur in Chronologia vitæ S. Simonis, & in Annalibus Ordinis ad annum 1250. num. 7. & ipſe ut talis S. Ludovicum Regem Franciæ anno 1254. recepit in Carmelo, ac eidem petenti Religioſos ſex in Franciam ducendos conceſſit. Anno MCCLXX. reſignante Nicolao Gallico, cùm Ordinem rexiſſet annis 15. in Oriente, ut Vicarius Generalis, & annis 5. ut Prior Generalis primarius in Europa, Pariſiis celebratum fuit Capitulum Generale in feſto Nativitatis B. Virginis Mariæ, & electus Radulphus Alemannus. Deinceps vero perſpicua & certa eſt ſucceſſio Priorum Generalium. Chronologia præfata ratio ad ſingulos Priores Generales redditur in Annalibus Ordinis, ad ſingulos Priores iſtos Generales præfatos.

(a) hîc ſuprà num. 1064 & 1066.

S. Cyrilli, & ſequentium Generalium ſucceſſio.

Nicolaus annis 15. Vicarius Gener. & 5. Prior Generalis.

1189. Animadvertendum autem, quòd S. Bertholdus Prior Generalis ſubindè in viſitationibus, aut negotiis abſens, ac deindè ſenio confectus Priorem in Carmelo, & ſuum Vicarium inſtituerit S. Brocardum, qui ut talis ad Ordinem hunc recepit S. Cyrillum, ſicut in Annalibus Ordinis notatur ad annum 1173. his verbis: Vocatur porrò

SS. Berthold. & Brocard. habuerunt Vicarium ſuum in Carmelo.

Bro-

XXIX. MARTII.

Brocardus Prior montis Carmeli, quia ejus montis, & eremi Prior localis erat, vel vicem Prioris Generalis pro Bertholdo abſente gerens. *Ita quoque tempore S. Brocardi Generalis Prior in Carmelo erat Hieremias, de quo in vita S. Angeli cap. 6. & in Annalibus Ordinis ad annum 1208. num 2. & poſt ipſum S. Cyrillus, ſicut traditur in ejus vita cap. 5. Prætereà, primi quinque Priores Generales præfati fuerunt inſtituti, aut electi in Carmelo, & reſidebant in Terra ſancta & etiam ibi obierunt, excepto Alano, qui indè veniens in Europam, Coloniæ deceſſit. Cùm autem Ordo valdè multiplicaretur in Europa, ne ibi quaſi acephalus eſſet (difficulter enim Priores Generales in Terra ſancta exiſtentes, ejus regimini in Europa poterant intendere tunc cùm difficultates, & contradictiones non paucæ contra Ordinem moverentur) Vicarius Generalis, ſed ſubordinatus primario Generali in Terra ſancta reſidenti, fuit S. Simon Anglicus (ab anno MCCXV. juxta aliquos, aut ab anno MCCXXI. ſicut tamquàm veriſimilius tradit Lezana in Annalibus ad iſtum annum.) Plura circa illam S. Simonis inſtitutionem in Vicarium Generalem per Europam videri poterunt in Chronologia vitæ ejus in Vinea Carmeli, & in ejus vita hic infra ad diem XVI. Maji. Tempore S. Simonis, qui in Europa reſidebat, in Terra ſancta Nicolaus Gallicus fuit Vicarius Generalis ab anno MCCL. uſque ad MCCLXV. quo (defuncto S. Simone in Majo) electus fuit in Septembri primarius Ordinis Generalis pro Europa. Exindè Vicarii Generales in Terra ſancta veriſimiliter fuerunt ipſi Provinciales Terræ ſanctæ uſque ad totalem ejus amiſſionem.*

Generales duo olim in in Ordine, unus abſolutus, alter ſubordinatus, & Vicarius.

Perutilis, jucundæque lectionis QVÆSTIVNCVLA,

Quâ ratione S. Bertholdus in magna vitæ auſteritate, & ſolitudine vitam produxerit ad annos CXV.

1190. Ecquis dubitet, in ipſo verificatum fuiſſe iſtud Eccleſiaſtici 37. QUI ABSTINENS EST, ADJICIET VITAM. In Menologio Carmelitano de eo legitur: *Cæteros Eremitas noſtros vitæ aſperitate vincere conabatur. Viuctâ in die contentus refectione, radicibus & coctis oleribus ſingali menſâ utebatur.* Sic quoque in magno vitæ rigore, & abſtinentia vitam produxerunt S. Franciſcus de Paula ad annos 91. S. Hieronymus ad decrepitam ætatem (juxta Viuardum, & Molanum in Martyrologio ad an. 98.) S. Simon Anglicus cognomento Stock, ad annos 100. S. Antonius ad 105. S. Paulus nuncupatus primus Eremita ad annos 115. S. Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus anno ætatis 120. martyrium crucis fortiter ſuſtinuit. Totidem annis vixit S. Arſenius præceptor Arcadii Imperatoris, nempe 65. in ſæculo, & 55. in deſerto abſtinentiæ admirabilis: & S. Romualdus etiam totidem annos numeravit, 20. in ſæculo, & 100. in monaſterio. Sic alii multi in eremis, in jugi contemplatione, divinis rebus intenti, in mira victus aſperitate, & magna abſtinentia, valde longævi vixerunt. Philo, & Joſephus Judæorum ſcriptores illuſtres teſtantur de Eſſenis, eximiæ pietatis, & abſtinentiæ viris, quod vixerint quam longiſſimè, & plures eorum ad centenariam ætatem, propter ſimplicitatem victus. Vidi ipſe in Leodienſi ditione circa Fontes Spadanos homines pane hordeaceo, & polenta ex avena, & ferè ſicco pane victitantes, aquâ pro potu ordinario utentes, valdè longævos: & in pago inde diſtito ad ſeſqui milliare fœminam paupierculam, quæ communiter nuncupabatur *femme de cincq fois vingt cincq ans*, id eſt, mulier quinties habens annos viginti quinque: id eſt CXXV. Vulgatiſſimum eſt in illis partibus, & in Belgio, de Paſtore, ſeu Parocho 125. annorum, PASTORE ANNIS CENTUM IN EODEM LOCO. Effigiem ejus recenter defuncti vidi Antuerpiæ apud Alexianos; & vivi ſculpta in ære, ac expreſſa in imaginibus paſſim venditur cum hac inſcriptione: *Antonius Haaſechus, primus Paſtor Gulenſis, in Diœceſi Leodienſi, per centum annos in eodem paſtoratu vixit; obiit autem ætate 125. annorum. Anno 1586. Interrogatus ab Epiſcopo Leodico, quo vitæ regimine vitam adeò longævam produxiſſet; reſpondit, ſe trium abſtemium ſemper extitiſſe; videlicet mulierum, ebrietatis, & iracundiæ.*

Vita prolonganda ratio abſtinentia:

Id exemplis confirmatur:

Antonius Haaſechus annis 100. Paſtor in eodem loco; quo regimine tam diu vixerit.

1191. Quòd luxuria vitam abbreviet, teſtatiſſimum eſt in Scripturis, Patribus, & Medicis; ſic & de ira, hinc tritus verſus

Quæ vitam abbrevient.

Si vis longævam, ſi ſanam ducere vitam
———— iraſci crede prophanum

Ita quoque de ebrietate gula, & ingluvie; etenim teſtante Spiritu ſancto (a) PROPTER CRAPULAM MULTI OBIERUNT: & paulò antè: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas.* Imò communiter dicitur: PLURES OCCIDIT CRAPULA, QUAM GLADIUS. Hinc verè nonnemo ſcribit (b) Etiamſi natura homini taxârit annos & dies vitæ, ſobrius tamē eos prorogare poteſt per abſtinentiā cibi; ebrius verò & guloſus eos decurtare per gulam & crapulam. Denique axioma eſt viri ſapientis, eſtò nonnullis videatur paradoxum: PENE OMNES HOMINES MORI GULA. Nam pleriſque omnes ſæpè excedunt in cibo & potu, præſertim in conviviis, feſtis & recreationibus; atque hoc exceſſu vitam abbreviant, mortemque ſibi accelerant, alii plus, alii minus pro quantitate & qualitate exceſsûs. Gula igitur & ingluvies corpus gravat, morbos creat, & vitam decurtat. Unde medicorum præceptum: *Veſcere citra ſaturitatem: ſurge è menſa non cum faſtidio, ſed cum fame. Omnis ſaturitas noxia.* Medicorum princeps Galenus lib. 5. de Tuenda ſanitate, ait: *Arte illâ quæ diætam præſcribit, eos qui ab ipſo ortu imbecillum corpus non ſunt ſortiti, ſenſibus illæſis, & ab omni morbo & dolore alienos, ad ſummam ſenectutem pervenire.* Deinde addit de ſeipſo: *Ego verò tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum ab ipſo ortu ſim nactus, nec vitam planè liberam egerim, hac tamen ipſâ arte uſus, poſt 28. ætatis annum, nec minimo quidem laboravi morbo, niſi fortè diariâ febri ob laſſitudinem aliquandò contractâ.*

(a) Eccli. 37.

Vita prolongari quâ ratione poſſit.

(b) Palacius apud Cornel. à Lap. in c. 37. Eccli.

Gulâ major hominum pars moritur:

Sobrietas vitam prolongat.

1192. *Sic & Silvicolæ* * *priorum ævi*
Hoc victu tenui, lèvique, ſani
Degerunt placidiſſimam ſenectam.

* Eremitæ; Anachoretæ, Monachi veteres.

Ita verè Doctor medicus (c) &, ut ſequitur, alius, Theologus (d)

(c) Franc. Saſſenus.

(d) Herm. Hugo Soc. Jeſu.

Sic nempe veram pura mens lucem aſpicit,
Et abſque face, limpido fruitur die:
Et, ſeu quietam ſe libris velit abdere,
Seu magna cœli permeare mœnia,
Et ſe beatis applicare mentibus
Nullo tenetur illigata compede.
O grata longi temporis compendia!
Centum Decembres ſenibus indulſit Deus
Vixiſſe multis; rara quæ nunc gratia eſt:
Quæ cauſſa? ————————
Eſt venter extra ſobria vitæ arbitram
Effuſus, appetentia immodici cibi,
Plerumque Solem mentibus ſuum eripit,
Rationis ipſum crapula obtundens jubar.
O miſera vitæ tam bona diſpendia!

Vita brevis quæ cauſa.

XXIX. MARTII.

Paradoxum grande: *Diu omnes vivere cupiunt: & media contraria aſſumunt,*

1193. Profectò HOC GRANDE PARADOXUM EST. [Omnes cupimus eſſe longævi, & quam diutiſſimè vivere, & tamen plurimi tam intemperantem & confuſam vitæ rationem ſequimur, ac ſi hoc omni ſtudio agamus, quam celerrimè extingui. Intemperantiam, cui aſſueſcimus, nulla nobis monita, non oracula divina, nulli qui inde ſunt morbi, diſſuaſerint. Ægrotare malumus, & malè habere, quam frugaliùs & temperantius vivere. Non neſcimus nil æque longævitati officere, quam victum varium, copioſum, immoderatum; nihilominus perniciem noſtram amamus, & damnis noſtris hilareſcimus.] Ita ſenè & verè Drexelius (a) Nec minùs appoſitè Leſſius. (b) [Hæc diligenter conſideranda & perpendenda viris prudentibus, maximè Eccleſiaſticis & Deo dicatis, quorum profeſſio eſt functionibus mentis vacare, & rebus divinis intendere. Si enim iſta accuratè expendamus, fieri nequit, quin ſobrietas nobis ſit placitura, & facilis ac jucunda futura; intemperantia verò horrori & deteſtationi . . . Miſeram mortalium ſortem, quæ tantæ vanitati ſubjecta eſt, tantis tenebris occœcata, tantis erroribus obnoxia! cujus mens in judicando & eligendo, inani ſpecie boni delectabilis quaſi per ſomnium deluditur.]

(a) de Roſis ſelect. virt. p. 1 c. 11

(b) in Hygiaſtico c. 13.

ſobrietatis commoda,

1194. Et hactenus quidem de temperantiæ, ſobrietatis, & abſtinentiæ commodis, reſpectu corporis: ſed (quod potiſſimum eſt) eæ etiam utiliſſimæ ſunt animæ; nam per illas S. BERTHOLDUS, & cæteri Sancti ſanctitatem, & omnigenas virtutes adepti ſunt. E contra ex crapula, & ebrietate veluti è fonte, plurima in animam derivantur mala. Hinc Chriſtus Dominus nos omnes ſic hortatur (c) *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Harum mala, & iſtarum bona graphicè depingunt Patres, & quidem quam utilis animæ temperantia, ac jejunium, S. Ambroſius libro de Elia & jejunio, cap. 3. *Hôc ad Deum gradu citius pervenitur: hôc gradu Elias aſcendit: antequam currum, hanc hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cælum abiens, diſcipulo dereliquit: In hac virtute, & ſpiritu Eliæ venit Ioannes.* Plura de S. Eliæ abſtinentia, & ſobrietate, ac jejunio (quo mediante mira patravit) videri poſſunt hic ſupra (a) ex eodem S. Ambroſio, & S. Baſilio, quibus concinunt Patres alii plures; ſufficient hic pauca multo fœta ſenſu, verba S. Chryſoſtomi (b) de commodis vitæ ſobriæ, & jejunii. *Jejunium, Angelorum imitatio eſt pro noſtra viribus, contemptus præſentium, ſchola precum, alimonia animæ, frænum oris, mitigatio concupiſcentiæ, ut probè nôrunt, qui jejunant: mollit furorem, compeſcit iram, ſedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram reddit mentem, alleviat carnem, fugat nocturnas fœditates, capitis dolores tollit, claros adfert & colores, & aſpectus.* Quibus hactenus dicta ſapiunt, uberiùs ſimilia peteruditè, & eleganter tradita, haurire poterunt ex præfati Drexelii libris duobus, inſcriptis: ALOE AMARI, SED SALUBRIS SUCCI JEJUNIUM: Et HYGIASTICO Leſſii, ac ſubjuncto Tractatu Ludovici Cornari, ſic tandem illum concludentis. [O ſanctiſſima, & innocentiſſima ſobrietas, unicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi, quàm corporis medicina! quantum te mortales laudare, quantò affectu & promptitudine amplecti deberent! . . . Utinam ipſis tua bona perſpecta forent, præſertim iis qui vitæ ſanctæ & ſpirituali dediti, in monaſteriis contemplationi & orationi vacant! Quanto & ipſi, & eorum actiones ſummo Deo gratiores forent, ſi totos ſe ad te colendam conferrent! Quantum hunc mundum & Eccleſiam Chriſti exornarent! nam in terris æſtimarentur ut verè Patres ſancti, ſicut olim habiti fuêre antiqui Eremitæ, Religioſi, & Epiſcopi, qui præter vitam ſpiritualem etiam hanc ſobriam ſervabant.] Et iſta hic obiter, occaſione SOBRIÆ ET LONGÆVÆ VITÆ S. BERTHOLDI. Sed ne diutius iſti ſubjecto, alioqui utili, inſiſtendo, MINÙS SOBRII, extravagari, atque extra chorum ſaltare videamur, hinc abeuntes, ad propria regredimur.

(c) Luc 21.

(a) nu. 259.

(b) Hom. 1. de Jejunio.

DE FESTO S. MARIÆ DE PIETATE

Feria 6. poſt Dominicam Paſſionis.

& quolibet Sabbato Quadrageſimæ utiliter legenda.

1195. TUam ipſius animam pertranſibit gladius (d) Quemadmodum *oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam* (e) ita quoque Mater ejus immaculata, quæ nullis terrenis inquinata fuit affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus (cùm eſſet cælum animatum) per crucem pervenit ad cœleſtia tabernacula. Non quidem corpus, ſed, quod multò acerbius eſt, *ipſius animam pertranſivit gladius: &* ſicut *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* (f) ita etiam proximè à Chriſto ſummum patientiæ exemplum nobis præbuit Mater Chriſti. Propterea S. mater Eccleſia frequenter quidem in Miſſis & divinis officiis paſſionem Chriſti nobis in memoriam revocat: ſed potiſſimè tota in illa occupatur à Dominica Paſſionis, uſque ad Paſcha, nobis proponens *ejus exemplum, ut ſequamur veſtigia*, in adverſitatibus, perſecutionibus, infirmitatibus, & quibuſvis animo & corpori moleſtiis. Congruè igitur in Carmeli Ordine peculiariter dicato B.^mæ Virgini Mariæ nobis peculiaribus clientibus & filiis ſtantæ Matris (ut ſimiliter *ſequamur veſtigia ejus* in perferendis æquanimiter quibuſvis adverſis & moleſtiis, in exemplum proponitur feriâ ſextâ infra hebdomadam Paſſionis: quin imò etiam ſingulis Quadrageſimæ hebdomadibus ſemel, juxta Breviarii Rubricam 15. in qua agitur *de officio B. Virginis, Sabbatis per annum* (aut alio die non impedito) ubi preſcribitur: *A Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum legatur officium de noſtra Domina de Pietate.* Et meritò cum Paſſione Chriſti etiam commemoratur paſſio ejus, quæ tunc *ſtabat juxta crucem Chriſti* patientis, paſſionis ejuſdem cumulatiſſimè particeps, & unà tunc Chriſtum atque ejus, & ſuam paſſionem Deo pro ſalute mundi offerens; ſicut præclarè exprimit Arnoldus Carnotenſis (c) his eam alloquens verbis: *Omninò tunc unus erat Chriſti, & tua una voluntas, unumque holocauſtum: ambo pariter offerebatis Deo, tu in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis, unde communem in mundi ſalute, cum illo effectum quoque obtinuiſti.*

(d) Lucæ 2.

(e) Luc. 24.

(f) 1. Petri 2.

Patientiæ exemplum perfectiſſ. Chriſtus, & Maria;

Maria compaſſio congruè Carmelitis proponitur;

(c) Serm. de laude Virg.

Iſti

ut ejus exemplo ad patientiam, & tolerantiam animetur:

Iſti feſtivitatis hujus myſterio pro dignitate explicando etiam copioſiſſimi tractatus, & magni libri haud ſufficerent quidem: diffuſiorem autem tractationem præſentis operis ratio non permittit. Attamen, intactam prætermittere non ſinit filialis in hoc Ordine obligatio erga peculiarem Matrem ſuam, ut illi compaſſivo dolore aliqualiter aſſimiletur; atque ejus exemplo, ad quævis adverſa æquanimiter ſuſtinenda animetur. Itaque paucula ſaltem de perutili illo ſubjecto libabimus: quæ iſtis diebus utiliter legentur, utilius expendentur, & utiliſſimè practicabuntur.

1196. Prædixerat pridem ante Juſtus Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (a). Quæ conſiderans S. Ambroſius: *Nec litera,* inquit, *nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe; non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſverberatur . . : Vivum enim verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, artuum quoque & medullarum.* Et quidem *ipſius animam gladius pertranſivit* gladius non unicus, ſed multiplex, etiam jam antequam illa verba à S. Simeone fuerint propheticè prolata, & quidem in Chriſti nativitate, dum ſummo afficeretur gaudio, de nato Salvatore, magna quoque animam ipſius torquebat compaſſio, cùm tenerum infantulum, Dei, & ſuum filium, nudum, hyemis aſperitatem, præſepii duritiem ſuſtinentem, & in ſtabulo, in præſepio repoſitum cerneret, nec aliter fovere poſſet. Quæ crux, quis dolor in mente ejus obortus eſt, cùm parvuli delicatiſſimi carnem octavo die à nativitate, cultro lapideo circumcidi vidit? Quæ moleſtia Virgini contigit, cùm intempeſtâ nocte natali ſolo excedere, & in Ægyptum fugere quantocyùs debuit? Quæ afflictio eam occupavit, cùm in Ægypto per ſeptem annos, inter homines feros, & incultos, Dei veri ignaros, multis ſceleribus coopertos, vitam traduxit? Quàm dirus doloris gladius animam ejus tranſfixit, ubi Herodem furentem, & tantâ immanitate in innoxios pueros oppidi Bethleem, & finium ejus ſævientem cognovit, ut totam terram illam ſanguine Innocentum rigaret, quando unius jugulum impius Herodes in tot millium infantium innocuo ſanguine quærebat? Quantus mœror mentem ipſius obſedit, cùm Jeſum duodennem in Jeruſalem amiſit? Quàm graviter eam contriſtavit nuncius de carcere, de trucidatione Joannis Baptiſtæ?

(a) Luc. 2.

ipſius animam non tantùm unus ſed multiplex gladius pertranſivit:

1197. Quàm acerba illi fuerunt convitia, blaſphemiæ, calumniæ Scribarum, & Phariſæorum, qui eum *ſeductorem, impoſtorem, potatorem, dæmonium habentem* nuncupabant, & ipſum nunc capere, nunc lapidare, nunc de monte præcipitare tentabant? Quantum dolorem ſenſit, cùm primùm funeſtus ille nuncius ei allatus eſt, Regem gloriæ cum magna ignominia captum, funibus, & catenis vinctum, milite armato ſtipatum, ab uno judice ad alium tractum, per vias urbis Jeroſolymitanę tamquàm ſceleratiſſimum latronem circumductum? Quo doloris ſenſu ſpectavit in domo Annæ alapam ei impingi? ſputis faciem oppleri? In domo Herodis, velut fatuum, veſte albâ indui? In domo Pilati flagellari, ſpiniſque coronari? Quantus dolor eam afflixit, cum inconditos populi clamores; *Crucifige, crucifige,* audivit, & Barrabam latronem Filio ſuo innocentiſſimo in vita præferri vidit. Quô doloris ſenſu perculſa eſt, cùm Filium ſuum dulciſſimum è prætorio Pilati in publicum prodeuntem, flagellatum, coronatum, purpurà indutum, ſceptrum arundineum in manibus portantem, vultum ejus ſputis deformatum, alapis contuſum, & ita populo monſtratum vidit, & Pilatum dicentem audivit: *Ecce homo?* Quantum doluit, cùm filium jam morti adjudicatum, tam dirè excarnificatum, & tandem cruce oneratum vidit: jamque viribus fractum, laſſum, oneri ſuccumbere, & in terram prolabi conſpexit?

præſertim tempore Paſſionis:

1198. Sed potiſſimè *ipſius animam pertranſivit gladius* tunc, quando *ſtabat juxta crucem Jeſu Mater ejus*; tunc enim *dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum lacerum reparturiens.* Ita Damaſcenus (a). Interim ſtabat corpore erecta, & excelſa, animo excelſior, ſpectans, & admirans magnum hoc pietatis ſacramentum, ſcilicet Deum in cruce. Hinc Sophronius (b) apud S. Hieronymū, B. Virginē vocat *Martyrem,* imò *pluſquam Martyrem: Quia,* inquit, *mente paſſa eſt, pluſquàm martyr. Nimirum & ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Sic & S. Ildephonſus (c). *Pluſquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mœroris fuit: eſt enim gladio vulnerata: parata enim fuit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix jure pluſquam martyr mater eſt, qua nimio amore vulnerata, triſtis extitit Salvatore, & præ mœrore in animo cruciatum ſuſtinuit paſſionis.* Conformiter S. Anſelmus (d). *Quidquid,* ait, *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſuâ immenſitate tranſfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benigniſſimi cordis intima; & utique pia Domina non crediderim te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret non eſſe mortem cum abſumentem; ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem; quod in ipſo fieri coram moribundo videbas.* S. Bernardus (e): *Nec lingua,* inquit, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvis Virgo cum uſura; quod in partu non habuiſti à natura. Dolorem pariendo filium non ſenſiſti, quem millies replicatum, filio moriente paſſa fuiſti.*

(a) lib. 4. c. 15.

(b) Serm. de Aſſumpt.

(c) Serm. 2. de Aſſumpt.

(d) de excell. Virg. c. 5.

Martyr, & plus quàm martyr fuit:

(e) in Lament. B. Virg.

1199. Dolores Chriſti & Mariæ mutuò ſe augebant: Chriſtus enim, dulciſſimâ ſuâ Matre cruciatus ſuos ſummo cum mœrore ſpectante, gravius patiebatur: Mater quoque filium ſibi compatientem conſpicata, vehementius

Chriſtus & Maria duæ cytharæ myſticæ.

hementius dolebat. Quemadmodum duo ſpecula ſibi è regione oppoſita pleraſque imagines, ſuique reflexus mutui in ſe mutuò recipiunt: ita Chriſtus & Maria cruciatus ſibi invicem communicabant. Matris dolore Chriſtus corripiebatur: Chriſti dolore Mater afficiebatur: Chriſtus dolebat, dolorem ſuum doleri à Maria, Mater dolebat, dolorem ſuum doleri à filio. Erant duæ myſticæ cytharæ, quarum unâ ſonante, reſonat altera, nullo etiam pulſante: Chriſto crucifixo, crucifigitur & Mater. Id his verbis obſervavit S. Bernardus: (a) *O dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio ſancti amoris! Filius patitur, & unius valdè compatitur matri: mater verò compaſſa eſt patienti filio: tantus nempe impetus paſſionis Domini Ieſu fuit, ut quaſi torrens ipſum impleret patientem, quia, teſte Pſalmiſta, de torrente paſſionis in via bibit, ut ſic Chriſto impleto, in matrem flueret compatientem, quâ ſimiliter impletâ, ad filium redundaret inundatio amaritudinis & mœroris.* Idipſum clariſſimis verbis conteſtata eſt ipſa B. Virgo Maria apud S. Birgittam (b). *Cùm reſpexiſſet*, inquit, *filius meus ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quaſi de venis lachrymæ exibant; & cùm ipſe me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat, præ dolore meo, quem in me videbat... filius meus videns me, & amicos ſuos, oculis in cœlum directis, clamabat ad Patrem:* PATER, QUARE DERELIQUISTI ME? *quam vocem ego numquàm, donec ad cœlum veni, oblivisci potui, quam plus ex compaſſione mea, quam paſſione ſua permotus protulit.* Quàm acutus gladius ipſius animam pertranſivit cùm dulciſſimum filium ſuum è ſublimi cruce ad Patrem æternum vociferantem audivit: DEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? Quàm ingens dolor ille Virginis fuit, cùm Jeſum clamantem audivit, SITIO? Audivit, nec ei poculum aquæ frigidæ porrigere, nec caput inclinatum ſuſtentare, nec vulnera alligare, nec ullum prorſus ſubſidium ei adferre potuit. Quanta crux illi fuit, cùm dilectum filium, inclinato capite, vultuque ſqualido, noviſſima illa verba: PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM, proferentem audivit, illiſque prolatis, expirantem vidit? Quo dolore concuſſa eſt, cùm crudelem illam lanceam vibrari, & in pectus filii magno impetu adigi, & ex vulnere ſanguinem cum aqua profluere conſpexit? Quantum dolorem ſentit, cùm de cruce depoſitum filium in ſinum ſuum recepit, pectorique applicuit? Cùm totam ſanctiſſimi corporis compagem à capite ad calcem ſolutam, & undique convulneratam, plagiſque deformatam vidit?

(a) Homil. ſuper: *Stabat juxta crucem.*

(b) lib. 1. Revel. c. 6.

Maria paſſio quam diuturna.

1200. Paſſio autem illa B. Virginis duravit toto tempore Paſſionis Chriſti; ſed non tantum; nam paſſio Chriſti deſiit in morte, tunc autem B. Virginis paſſio & compaſſio non deſiit, ſed crevit. Nam Chriſti corpus mortuum de cruce depoſitum ipſa excepit cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies ſepulturæ, cruciatus Chriſti crucifixi, quos ipſa cominùs oculis aſpexerat, vivi hærebant in imaginatione ejus, eamque cruciabant, & *ipſius animam gladius doloris* intereà jugiter *pertranſibat*. Ex hactenùs dictis conſtat, quòd SS. Dei Mater, paſſionis nobilitate, diuturnitate, fortitudine, invictâque conſtantiâ alios omnes Martyres ſuperaverit; & idcirco jure meritò *Regina Martyrum* ſalutetur. Martyres alii paſſi ſunt in propria carne, quæ interdum fuit illis occaſio & illecebra peccati. Verum namque eſt de unoquoque noſtrûm, quod Apoſtolus ait (a) *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* At Beatiſſima Virgo paſſa eſt in anima ſua innocentiſſima, ſanctiſſima, ſpiritui ſuo obedientiſſima: paſſa eſt in vita filii ſibi dilectiſſima, & pretioſiſſima; utpote quæ totius mundi prætium fuit. Prætereà aliorum Martyrum cruciatus eorum morte terminantur; at Virginis ſanctiſſimæ Dolor à Chriſti nativitate, uſque ad ejus mortem, quamdiu ipſa vixit in hoc mundo, in ejus corde perpetuò hærebat. Prævidebat propheticâ, imò pluſquàm propheticâ mente Virgo Beatiſſima filii ſui mortem, eamque præ oculis habebat, cùm filium ſinu ſuo fovebat, ulnis geſtabat, uberibus lactabat. Undè ab illa hora, quâ eum genuit, ſtatim cognovit ſe illius matrem eſſe, qui pati, qui crucifigi, & mori pro peccatoribus debebat, adeò ut ſingulis horis ac momentis Chriſti filii ſui mortem intueretur. Verè longum martyrium, quod per triginta tres annos, & eò ampliùs duravit; non enim illo dumtaxat tempore paſſa eſt, quo Chriſtus comprehenſus, vulneratus, crucifixus eſt; ſed ab ipſo momento, quo Dei Mater effecta eſt, eum ab improbis comprehendi, malè tractari, ſcilicet, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri prævidit: & ex tunc *gladius* doloris *animam* ejus *pertranſivit*. Hic congruunt quæ tradit Rupertus Abbas (b) in perſona Virginis ita loquens: *Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum malè tractari, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antequàm ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit; Propheteſſa namque eram, & ex quo Mater ejus facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum. Cùm igitur talem filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis Materni doloris pertuliſſe paſſionem?* Eadem tradunt S. Bernardus (c) & S. Birgitta (d). Diuturni itaque fuerunt Mariæ dolores, quia paſſionem filii, antequam eſſet, antea cogitavit; diuturni fuerunt, quia cogitavit etiam, poſtquam præterivit. Poſt mortem enim & Aſcenſionem filii in cœlum ſemper memoriâ retinebat, & aſſiduâ meditatione revolvebat, quæ Chriſtus pro ſalute humani generis pertulit ut ipſa S. Birgitta

(a) 1. Cor. 15.

ſcilicet à Chriſti nativitate uſque ad mortem ejus.

(b) lib. 1. in Cant.

(c) Serm. 40 in Cant.

(d) in Serm. Angel c. 16. & 17.

gitta

(a) lib. 6. revel. cap. 65.

gitta (a) narravit, in hæc verba: *Omni tempore, quò poſt Aſcenſionem filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit: ſic quoque paſſio ejus in corde meo fixa erat, quòd ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Hinc collige, quot in uno martyrio B. Virgo Maria ſubierit martyria, quot cruciatus, quot tormenta: ſuperavit igitur omnes Martyres Virgo, & leve fuit, quidquid paſſi ſunt Martyres omnes, ſi Mariæ cruciatibus comparetur. Verè itaque *Regina Martyrum* dicitur, quæ tam nobile, ac tam diuturnum martyrium pertulit.

1201. De ſacris arcanis B. Virginis, paſſionem & mortem Chriſti Domini plangentis plura expetens, adeat inſignem Deiparæ encomiaſten Joannem de Carthagena, qui in Homiliis libro 12. in XI. Homiliis cumulatiſſimè ſubiectum hoc pertractat: & inde hic paucula libamus. [Si Samuel Dei Propheta, & amicus, ſuper improbo Rege Saul gravi dolore commotus eſt: & ſi pius David, ob infelicem Abſolonis, inobedientis, necem ejulabat, dicens: (b) *Abſolon, fili mi, fili mi, Abſolon!* Et quod amplius eſt, Chriſtus Dominus ad tumulum Lazari, nec flentes nec dolentes increpavit, nec à fletu prohibuit; imò & ipſe flevit cum flentibus, Evangeliſtâ dicente: *Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ac tandem videns ingratam civitatem Hieruſalem penitus ruituram: *flevit ſuper illam*; quantò, quæſo, magis dignum erat, ut piiſſima mater doleret & fleret ſuper morte non improbi Regis Saulis, ſed ſanctiſſimi Regis Regum & Domini dominantium: non rebellis Abſolonis, ſed obedientiſſimi filii, ut ait D. Lucas: *ſubditus erat illis*; non Lazari puri hominis, qui aliquandò peccaverat, ſed Dei, & hominis ſimul, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Acerbiſſimi autem doloris B. Virginis in Paſſione & morte filii variæ fuerunt cauſæ; notiſſima autem eſt ardentiſſimus ejus amor, qui menſura doloris de amati paſſione eſſe noſcitur. Ad hunc reſpiciens D. Bonaventura (c) dixit: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Doctiſſimus Guilielmus in Commentario ſuper Cap. 1. Canticorum, ſingulari pietate ait: *Tantâ virtute Chriſtum dilexit; ut ad titulum ſuæ laudis ſufficiat; quòd mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus diſcipulis, oblita ſexûs fragilis, ipſa cum lachrymis aſtans cruci, & condolens morienti, animam ſuam pro filio ſuo, etſi minimè poſuit patiendo, tamen expoſuit compatiendo.* Et S. Anſelmus (d) *O Domina,* inquit, *quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes unicum filium tuum innocentem coràm te flagellari, mactari, & carnem ejus diſſecari crudeliter!*]

(b) 2. Reg. 19.

Doloris Deiparæ Virginis comparatio cum aliis:

(c) in officio de compaſſione B. Virg.

(d) de compaſſ. Virg.

1202. Sed quinam fructus fuerint acerbiſſimi iſtius Mariani doloris, inſpiciamus: duo præcipui fuerunt: unus, quòd licèt ſecundùm fidem Catholicam ſolus Chriſtus Dominus ſuo ſanguine nos redemerit; tamen juxta Sanctorum Patrum loquendi modum, etiam ipſa quâdam ratione cooperata fuit: duorum aut trium aſſerta audiviſſe ſufficiet. In primis S. Irenæus (a) ſcribit: *Sicut Eva inobediens facta eſt, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa mortis ſit: & Maria habens prædeſtinatũ virum, tamẽ Virgo obediens, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* Divus Anſelmus (b) hæc habet: *Pura ſanctitas, & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, ſive ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit ut reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret.* Sic & S. Bernardus: (c) *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus: ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Sed bonum non erat nobis, hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, ut adeſſet noſtræ reparationis ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Ex eo igitur dicitur à Patribus *noſtræ ſalutis cauſa*, quia filium propriâ ſponte crucis tormentis, ac morti obtulit; cùm enim Filius aliquid Matris proprium haberet, offerendo filium, aliquid quod ſuum erat, pro noſtra omnium ſalute Patri obtulit. Unde ait D. Bonaventura: *Sic Maria dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Itaque Virgo B. Chriſtum nobis gignens, materiam ſubminiſtravit, ex qua Deus nummum excudit noſtræ redemptionis, nempe Chriſti humanitatem; medium profectò ac remedium, in hunc finem aptiſſimum; in illa enim Deus imprimens ſui infiniti valoris ſigillum, eam conſtituit æquivalentem ſummam, ac pretium ſuperabundans, ut nos ſibi coëmeret, redimeretque à poteſtate & ſervitute Diaboli. Itaque B. Virgo auri materiam ſuppeditavit; Verbum autem Divinum valorem infinitum illi addidit, materiam excudens & ſigillans; atque adeò non parum noſtræ redemptioni auxiliata fuit. Prætereà ſeipſam pro totius generis humani redemptione & etiam filium ſuum tradidit morti, ut docet Arnoldus Carnot. (d) *Ipſa,* inquit, *ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas, & laticei conferebat. Optabat Maria ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem; & elevatis in cruce manibus, celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium.*

Fructus duo præcipui doloris acerbiſſimi Deiparæ.

(a) lib. contra Valent.

(b) de laudibus B. Virg. cap. 9.

(c) Ser. de Aſſumpt. B. Virg.

(d) Tract. de illis verbis: *mulier ecce filius tuus.*

1203. Alter fructus compaſſivi doloris acerbiſſimi in anima Mariæ eſt, exaltatio ſuper omnes Angelos, & Sanctos. Sicut enim Chriſtus ſuâ *humilitate & morte crucis* promeruit *à Deo exaltari ut in nomine ejus omne genu flectatur*: ita Maria ſuâ compaſſione *exaltata eſt ſuper choros Angelorum.* Paſſionem utriuſque ſi pio affectu recolamus, & patientiæ ſequamur documenta, etiam beatæ reſurrectionis, & perennis felicitatis conſortia habebimus. Et iſte hujus Tractatus eſt finis intentus, ac fructus ſperatus. Sed nunc ad alia progrediamur.

Intentus finis, & fructus hujus Tractatus:

APRILIS

II. APRILIS.

Nicolai Gallici memoria in Kalendariis, & Catal. Sanctorum:

1204. AD *hunc diem in antiquo Ordinis Kalendario Codicis MS. Carmeli Mechliniensis legitur:* Nicolai Confeſſoris, non Epiſcopi, Ordinis noſtri, ſeptimi Generalis. *In Catalogo alio Sanctorum in eodem Codice:* Sanctus Nicolaus, Confeſſor, non Epiſcopus, ſecundâ die Aprilis. *Vita ejus epitomen habet Ioannes Groſſi* in Viridario *parte 2. quæ eſt* de Sanctis: *ubi hæc inter alia:* S. Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Generalis Ordinis. *Et infra:* Secundâ verò die menſis Aprilis, clarens multis miraculis, ab hac luce migravit. *Agunt de eodem Ioannes Palconydorus* in Faſciculo tripartito, *lib. 3. cap. 9. & Arnoldus Boſtius libro* de Viris illuſtribus, *qui hic infra ſequuntur:* & in Speculo hiſtoriali *libro 7. cap. 25. ita ſcribens:*

vita epitome:

Annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô quintô, defunctô Beatô Simone Stock, communi electione Reverend. Pater Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis conſtitutus eſt, qui ſtatim curam gregis ſibi commiſſi acceptans, corpus ſuum in Dominico onere, & ſervitio mancipare ſtuduit. Tempore regiminis iſtius venerandi Patris Dominus Clemens Papa Quartus multa privilegia conceſſit Ordini noſtro, ſicut patet in privilegio Maris magni. Cùm annis quinque Ordinem Fratrum Carmelitarum ſtrenuè in omni ſanctitate cum multa patientia rexiſſet, renuntiavit officio, & velut alter Elias turbas hominum declinare volens, ad Eremum ſe tranſtulit, & ſolitariam vitam duxit. Præterea hic vir doctus, & ſanctimoniæ ſublimitate egregius, calamum in corde tingens, conſcripſit librum perutilem, quem propter ſuæ veritatis lucidum acumen Igneam ſagittam prætitulavit, à quo cuivis facile poteſt pateſcere, auctorem ſui, tam divinis, quam humanis litteris eruditiſſimum fuiſſe. Hunc ſe librum ſcripſiſſe annotat, & Prioris Generalis recenter exoneratum officio, cui (a) ferè quinque annis

(a) laborioſè adminiſtravit, ſuccedens B. Simoni Stoch Anglico omni laude cumulato. Tandem hic Pater Nicolaus ſecundâ die menſis Aprilis ab hac luce decedens, Chriſtum adiit, multis clarens in vita, & poſt mortem mira-

(b) culis, & (b) in Auraica tumulatur. *Ubi ſita* Auraica, *dicetur infra, in Annotatione. Fuit autem natione Gallus, & ideò communiter nuncupatur* Nicolaus Gallicus. *In Terram ſanctam profectus fuit veriſimiliter, aut occaſione belli ſacri, ſicut S. Bertholdus (varia enim diverſis temporibus in Orientem fuerunt Chriſtianorum expeditiones) aut ex motivo devotionis, inviſendi Terram ſanctam: ubi compertâ pietate Carmelitani Inſtituti, illud amplexatus fuit, & in eo tantum profecit, ut deinde fuerit aſſumptus in Priorem Carmeli, & Vicarium Generalem in Oriente, ac tandem in totius Ordinis Generalem. Quòd Prior fuerit in Carmelo, quandò illum aſcendit S. Ludovicus Rex Galliæ, qui inde ſex natione Gallos ſecum duxit Pariſios, & ibi monaſterium conſtruxit, traditur in Chronologia vitæ S. Simonis Stock* * *& in libro, cui titulus:* Decor Carmeli. * ad an. 1254.

1205. *In Annalibus Carmelitanis de ejus in Generalem electione tractatur ad annum 1265. & de ejus reſignatione ad annum 1270. ac de ejus ſanctâ vita ad annum 1272. ubi iſta:* His annis poſt renunciationem Generalatus, in Eremo ſanctè, & ſolitariè Deo vacabat exGeneralis noſter Nicolaus Gallicus, de quo ſub anno 1270. diximus. Optimam enim partem, quam ſuis Fratribus amplectendam ſuaſerat, cum Magdalena eligens, Chriſti pedibus dulciter fruebatur ... Hic Nicolaus, cognomento Gallicus, patriâ Narbonenſis, à S. Simone Stock annô Chriſti 1250. in coadjutorem, ſeu Vicarium Generalem ſui Ordinis aſſumptus, ſic præfuit annis 15. & defunctô Simone, ſolus aliis quinque annis. Depoſito verò Generalatu, in Eremum montis, quem vocant Eratrof ſeceſſit, ineunte anno 1270. Poſt mortem verò diverſis claruit miraculis. De quo plura Groſſius, Boſtius, Trithemius, & alii (*& iſta ex Segero Pauli*). Sanctum propterea, vel ſanctitate inſignem, præter noſtros, ipſum appellant, Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplement. Hiſtor. Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Marcus Guazzus in Chronic. tempore Bonifacii VIII. Hæc Lezana. *Agit quoque de illo idem Trithemius libro* de viris illuſtribus Ordinis hujus, *qui hic ſequitur, in parte 5. Speculi hujus, poſt præfati Arnoldi Boſtii librum ejuſdem ſubjecti.* *Scriptores alii de ipſo:*

1206. ANNOT. (a) Ferè quinque annis laborioſè adminiſtravit. *Nonnulli ſcribunt, quod annis 20. Or*dinem rexerit; *utrumque verum eſt: videlicet annis quindecim, ut Vicarius Generalis in Terra ſancta, ac deinde poſt deceſſum S. Simonis, annis quinque, ut Prior Generalis primarius in Europa. Vide hic ſuprà Appendicem ad vitam S. Bertholdi, nec non jam ante ex Annalibus Carmelit.* *quot annis fuerit Generalis.*

(b) In Auraica tumulatur. *Quo ad patriam & locum ſepulturæ ejus, R. P. Andreas à S. Nicolao, Prior Carmeli Cabellonenſis, in Tractatu (nondum typis edito)* de Conventibus, & viris illuſtribus Provinciæ Narbonæ Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli, *ad nos miſſo ſub finem anni 1673. ſcribit:* Notandum pro Nicolao Gallico Generali, patriâ Narbonenſem fuiſſe, non Toloſatem, ac conditum fuiſſe in Auraica, hoc eſt, in Conventu noſtro Arauſionenſi (d'Oranges) Provinciæ Provinciæ, qui alias procul à muris urbis conditus fuerat; tranſlatus eſt enim ad urbem ipſam a trecentis annis. *Eſt autem* Arauſio (*in hiſtoriis Carmelitanis* Auraica) *Gallicè* Orange, *urbs Galliæ Narbonenſis, Principatûs titulo illuſtris, nunc gentis Naſſavicæ. In hiſtoria Carmelitani Ordinis per R. P. Philippum à SS. Trinitate lib. 6. c. 4. Conventus ille inter Conventus Provinciæ Provinciæ nuncupatur:* Arauſicanus: *in Catalogo Conventuum hujus Ordinis apud P. Blaſium Heitrum Polonum ſcribitur:* Orangelenſis & Mons Eratrof. *in quo, poſt Generalatûs abdicationem, vitam ſolitariam egit, & librum ſuum,* Sagitta ignea, *ſcripſit, ab illo Conventu, tunc extra muros ſito, veriſimiliter non longè diſtabat.*

VITA

VITA S. ALBERTI
PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI
Carmelitanæ Regulæ Scriptoris,

(a) vide hic ſupra nu. 402. & 543.

Digeſta ex vetuſtis monumentis, & illuſtribus Scriptoribus (a)

§. I. *Teſtimonia ſanctitatis, & eruditionis.*

SS Alberti duo celebrantur in Ordine Carmelit:

1207. *ALberti duo, ſanctimoniâ, & doctrinâ celebres in hoc Ordine coluntur (quod animadvertendum, ne perperàm unus cum altero confundatur, aut geſta unius alteri tribuantur). Iſtorum unus, & anterior eſt Legifer, ſive Regulæ ſcriptor (ſeu veriùs compendiator, & explanator, modò hic infrà §. 3. declarando) Patriarcha Hieroſolymitanus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus: alter verò aliquantò poſterior fuit iſtius Regulæ obſervantiſſimus cultor, Provincialis Siciliæ in cujus funere Angeli Introitum Miſſæ:* Os iusti *intonarunt, cujus feſtum ſolemni ritu celebratur per totum Carmeli Ordinem die VII. Auguſti: & ad illum vitam ejus dabimus: de priore autem ſermo hic eſt ad diem octavam Aprilis, quo in eodem hoc Ordine feſtum ejus ſolemnizatur ſub ritu duplici. Quòd autem feſtum iſtud antiquum ſit in Ordine, conſtat ex Miſſali (quod præ manibus habemus) excuſo an. 1509. ſicut fidem faciunt iſta ſub finem rubricatis literis:* Lucaſantonius de Giunta Florentinus in Venetorum civitate florentiſſima impreſſit, Annò Natalis Dom. MDIX. idibus Januarii. *In cujus Kalendario ad VI. Idus Aprilis (id eſt diem VIII.) legitur:* Alberti Epiſcopi & Confeſſoris, Hieruſalem, Ordinis Carmelit. *Ad eundem diem VIII. Aprilis à Ioanne Molano in Auctario ad Vſuardi Martyrologium hic commemoratur verbis:* Beati Alberti Patris Ordinis Carmeli Epiſcopi, & Confeſſoris, Jeroſolymitanæ Eccleſiæ. *Nuncupat* Patrem; *non quòd Ordinem inſtituerit (nam in ſequentibus ad XV. Kalendas Iunii S. Eliam eo titulo Patriarcham appellat ſic:* Raptus in cœlum ſancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ) *ſed quia Regulam, quæ nunc in Ordine ſervatur, ſcripſit, & tradidit, atque ita Ordinis eſt Legiſlator. Ad illum diem in aliis Miſſalibus, & Breviariis, ac Kalendariis Ordinis Carmelitani, inſcribitur his verbis:* In feſto S. Alberti Epiſcopi, & Confeſſoris, Ordinis noſtri, *Dicitur:* Ordinis noſtri; *quia ejus Legiſlator (ſicut jam dictum) & Regulam quam ſcripſit, commorando ad tempus in Carmelo aut Acconenſi monaſterio, etiam opere adimplevit, & obſervavit. In Canonico officio, Eccleſiæ auctoritate approbato ad matutinũ legitur* (b): Ex Divi Baſilii, & Joan. XLIV. Epiſcopi Jeroſolymitani operibus Regulam concinnavit, quam Carmelitis, ſibi arctiſſimo amoris vinculo junctis, tradidit obſervandã: & Chriſtianæ pietatis fovendæ ſtudioſus in monte Carmelo, ac in urbibus Ptolomaide, Tyri, Sareptæ, Sidonis, Tripolis, & Libani monaſteria extrui curavit. Impiorum hominum furore divexatus clam ſe ſubduxit, & Carmeli Eremitis ſe adjunxit, ubi & Jeſum Chriſtum viſibili ſpecie habuit conſolatorẽ, & Deiparæ Virg. præſentiâ mirificè eſt confortatus. *Quod* Regulam concinnaverit ex Ioannis XLIV. Epiſcopi Jeroſol. operibus *declarabitur pleniùs §. 3. ubi quoque, quomodò etiam ex* Divi Baſilii.

Primus Patriarcha Hieroſol Legifer, & ideo Pater Carmelitarum dictus.

(b) lect. 6.

Carmeli eremitis aliquamdiu convixit.

1208 *Doctrinam ejus ſanctitati conjunctã collaudat Abbas Trithemius, libro* de Scriptoribus Eccleſiaſticis; *ubi iſta:* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir doctus atque ſanctiſſimus, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. degentibus Regulam dedit, quam iidem Fratres jam in Europa conſtituti per Apoſtolicam Sedem modificatam, & approbatam ubique profitentur. Ad inſtantiam Innocentii Papæ Tertii deſcripſit luculento ſermone & veraci Statum Terræ S. lib. 1. Regulam Carm. lib. 1. *Ita quoque Sixtus Senenſis in* Bibliotheca ſancta *lib. 4.* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir ſanctitatis & doctrinæ admirandæ, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. commorantibus, vivendi formam, Regulamq; dedit, juſſu Innocentii Papæ ejus nominis Tertii ſcripſit de ſitu, & ſtatu Terræ S. *In Italia ſacra to. 4. Ferdinandus Vghellus ſcribens de Epiſcopis Bobienſibus vita ejus ſeriem ſic paucis complectitur:* B. Albertus de Caſtro Gualterii Canonicus Regularis, mortariæque Præpoſitus hujus (*Bobienſis*) Eccleſiæ eligitur Pontifex an. 1184. ad Vercellenſem Eccleſiã, antequam in Bobienſi inauguraretur, tranſlatus: ac deinceps factus Hieroſol. Patriarcha, per martyrium tandem ad cœlos aſcendit. cùm priùs Carmelitis Fratribus vivendi normam dediſſet. *De geſtis ejus pleniùs tractat ſub titulo:* Vercellenſes Epiſcopi: *& indè vitæ epitome ſequitur hic infrà. Antè iſtos Thomas Waldenſis, in celebri opere,* Doctrinali fidei (a), *ſic de eodem, & virtutibus, quas exercuit, & in Regula præcipuè commendavit:* Accedat Legifer noſter S. Albertus, cum ſuis Carmelicolis; & creſcat in ſilentio, in ſolitudine cellæ, & in aſſidua meditatione in lege Domini. *Iſta etiam confirmat auctoritas Clementis Papæ VIII. in litteris ad Schabam Regem Perſarum, miſſam per P. Paulũ Simonem, & Ioannem Thadæum, Carmelitas Diſcalceatas, de quorum inſtituto mentionem faciens, inter alia ſcribit:* A B. Alberto Patriarcha Hieroſol. magni nominis viro, proprias Regulæ Conſtitutiones acceperunt. *Alii quoque plures eum* Sanctum, *vel* Beatum, *alii,* ſancta, *vel* ſanctiſ. vitæ *nuncupant.*

Inſignis ejus doctrina.

(a) de Sacram tit. 9. cap. 84. num. 7.

virtutes monaſticæ inter Carmelicolas.

§. II. *S. Alberti Epiſcopatus, & Patriarchatus Ieroſolymitanus.*

1209. *AN Albertus Patriarcha Ieroſolymitanus idem ipſe fuerit etiam Epiſcopus Bethleemiticus: quando promotus ad Patriarchatum Ieroſolymitanum: circa quem annum Regulam dederit: & undè Regula iſta deſumpta, accu-*

ratiſſimè

VIII. APRILIS.

ratiſſimè diſſerit P. Lezana tomo 4. Annalium; ideo iſta hic pauctoribus declaraſſe ſufficiet: plura deſiderans ipſum conſulere poterit. Imprimis, ex dictis habetur, & ex dicendis confirmabitur, S. Albertum fuiſſe Epiſcopum Vercellenſem, & exinde Patriarcham Hieroſolymitanum. De Epiſcopatu Bobienſi ipſi collato, jam quædam audivimus ex Ughello: & pleniùs informabunt Tabulæ Eccleſiæ Vercellenſis, & Ioannes Stephanus Ferrerius in Relatione vitæ ipſius S. Alberti hic infrà. Difficultas major eſt, de Epiſcopatu Bethleem, quem nonnulli ipſi attribuunt, exiſtimantes eundem eſſe Albertum illum Bethleemitanum Epiſcopum, de quo Willelmus Tyrius, in Hiſtoria Ieroſolymitana (a) & Cardinalis Baronius (b) recenſens Epiſcopos qui ex Oriente profecti ſunt Romam ad Concilium generale Lateranenſe ſub Alexandro Papa III. anno MCLXXIX. Sed iſti ex eo falſitatis convincuntur, quòd ex Tabulis Vercellenſis Eccleſiæ, ubi Alberti Hieroſolymitani Patriarchæ vita, morsque cum geſtis ferè ab ineunte ætate ad unguem exarata cernuntur . . . Cùm autem in prædictis Tabulis nihil de Bethleemitano Epiſcopatu referatur, abſdubio certò credi debet, Albertum Hieroſolymitanum Antiſtitem diverſum hominem ab Alberto Bethleemita fuiſſe. Accedit, quod, ut ex prædicto Willelmo Tyrio lib. 22. cap. 7. habetur, Albertus hic Bethleemita circa annum 1180. vel 1181 anno circiter ſeptimo vel octavo Regis Balduini, ad partes Antiochiæ ad componendum Boamundum Antiochenum Principem ſe contulit, quo anno juxta Vercellenſium Tabularum computum, Canonicatum vel Prioratum Mortarienſem Albertus, qui poſteà Patriarcha fuit, in Italia gerebat. Maneat ergo, non eumdem, ſed diverſos fuiſſe Albertum Solymorum Patriarcham & Albertum Bethleemitanum Epiſcopum. *Ita Lezana ad annum Chriſti 1171. ubi plura habet ad intentum* (c) *Et rurſus infra ad annum Chriſti 1191. ubi iſta:* . . . Verùm enimverò à veritate hiſtorica iſtos aberraſſe (qui Albertum Epiſcopum, Bethleemiticum, & hunc Patriarcham Hieroſolymitanum putant eundem) multis ſuadere poteſt. Primò quidem ex communi, conſtantique Chronologiæ Scriptorum auctoritate, qui unum tantum Albertum Hieroſolymitanum Patriarcham huculque repererunt. . . . Si autem Albertus ille Bethleemitanus Epiſcopus hanc Patriarchalem ſedem aſcendit, cum ex alia parte luce clarius ſit ex dicendis, Albertum alium Vercellenſem primò Epiſcopum, eandem dignitatem obtinuiſſe, pro comperto erit (quod nullus adhuc ex Scriptoribus ſomniavit) duos Albertos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtites extitiſſe. Secundò, quia concors etiam, & unanimis prædictorum Chronologiæ Scriptorum ſententia eſt, eum Albertum, qui Hieroſolymorum Patriarcha fuit, circa ann. 1204. vel 1205. ad eam dignitatem evectum fuiſſe. *Ita Lezana: id conſequenter etiam aliorum auctoritatibus firmat: hoc ipſum etiam in ſequentibus ſtabilietur, ex Tabulis Vercellenſis Eccleſiæ, & ex Italia ſacra Ughelli.*

(a) lib. 21. cap 7 & 26.
(b) ad an. 1178.
Albertus Patriarcha Ieroſol. & Albertus Epiſc. Bethleemis duo non iidem.
(c) num. 5. & ſeq.

1210. *Albertum autem ad Hieroſolymitanum Patriarchatum evectum fuiſſe anno Chriſti 1205. habetur teſtatiſſimum ex litteris Innocentii Tertii Pontificis, datis anno Chr. 1205 die 17. Februarii (id eſt 13. Kalendas Martii) anno ſeptimo Pontificatus ſui, nam anno 1198. die 22. Februarii ſacro diademate inauguratus fuerat, atque ita annus ejus octavus inchoandus eſt etiam a die 22 Februarii anni 1205. Ita idem Lezana, (a) ut teſtis oculatus, ſcribens, quæ ipſemet in Regiſtro ipſius Innocentii vidit: quem ſi quis ad manum non habeat, hic loquentem, & teſtificantem audiviſſe lubebit.* Hoc igitur anno (*MCCV.*) ſub 13. Kal. Martii, Pontifex Innocentius Tertius, Albertum Vercellenſem Epiſcopum ab Almerico Hieroſolymitano Rege, aſſenſum præbentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Patriarcham Hieroſolymorũ expetitum, litteris ſuis datis, monuit, induxit, imò & coegit, præfatam dignitatem acceptare, his verbis, aliis prætermiſſis. [Igitur pro Deo, & propter Deum, hoc mandatum Apoſtolicum exequaris, quod manũ diſtrictioris ſeveritatis nos non oporteat adhibere. Nam etſi ſecundũ ſtatuta Canonica nullus invitus creſcere compellatur, juxta tamen legitimas Sanctiones aliqui ad publica munia trahuntur inviti. Intereſt autem tam Apoſtolicæ Sedis, quàm Eccleſiæ generalis; imo & generaliter omnium, & ſingulariter ſingulorũ fidelium Crucifixi, ut eidem Eccleſiæ perſona præficiatur idonea in Paſtorem. Nec tu tã ad honorem aſſumeris, quam ad onus, cùm Eccleſia illa hodie plus habeat oneris, quam honoris. Nec turberis in aliquo, aut cauſeris, quòd prędictus Cardinalis S. Praxedis factam de ſe poſtulationem à Canonicis Sepulchri Dominici non admiſit: quia forſan ſicut Sara Tobiæ, ſic & ipſa viro fuit alii divino judicio reſervata, &c.] Quibus, & aliis, quæ adducimus circa ann. 1214. conſtat, Innocentiũ Papam nedum induxiſſe, ſed & coegiſſe Vercellenſem Albertum ad Patriarchatum Hieroſolymitanum oblatum acceptandum . . . Extat etiam Bulla Legationis hoc eodem an. 1205. Kal. Iulii 16. ſub numero trigeſimo ſecundo in anno octavo ejuſdem Innocentii, prout etiam vidimus in Archivio Vaticano. *Et infra* (b) Mira tamen ſunt & ſingularia, quæ Sum. Pont. Innocentius Tertius Alberto noſtro ſcripſit, ut eum ad accipiendum Hieroſol. Patriarchatum induceret. Conſtant ex Bulla ejuſdem Innocentii anno ſeptimo Pontificatus, quam vidiſſe teſtatur Joannes Ferrerius, noſque vidimus in Regiſtro anni 7. pag. 175. Bulla 222. *Ibi ut teſtis oculatus ex illa Bulla adfert ſequentia:* [Illuſtris Rex Ieroſol. conſenſum præſtitit, & Archiepiſcopi & Epiſcopi conſenſerunt, per ſuas nobis litteras ſupplicantes; ut te non ſolùm inducere, ſed & cogere dignaremur, ut poſtulationi eorum humiliter conſentires.] Pontifex his verbis ſatis oſtendit, quanti apud Regem, & Prælatos Paleſtinæ Alberti ſanctitas fuerit: quanti verò apud ipſum Innocentium, ſic: [licèt autem nobis valdè neceſſarius ſis in partibus Lombardiæ; utpotè cui ſecurè in arduis etiã negotiis committi-

S. Albertus Patriarcha Ieroſolymit. confirmatus an. 1205.
(a) ad an. 1204. n. 3. & ad an. 1205. n. 2, & 3.
Innocentii III. Pontificis hortatio, & mandatum, ut acceptet.
(b) ad an. 1214. num. 11.
S. Albertus quanta in æſtimatione apud Pontif. Regem Ieroſol. & Prælatos.

VIII. APRILIS.

mittimus vices noſtras, propter urgentem tamen Eccleſiæ neceſſitatem non ſolùm Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſed etiã totius Orientalis Provinciæ.] *Hactenùs ex Lezana, qui ibi conſequenter ex manuſcripto Bibliotheca Vaticana refert, quomodo ipſe humiliter acquieſcens, ad Apoſtolicam Sedem acceſſerit, & in Patriarcham promotus Ianuam (ſeu Genuam) profectus indè in Syriam navigaverit, atque alia Innocentii III. ad Albertum animandum pia, & inflammantia verba, ſucco, ex ſacro penu derivato, plena addit.*

1211. *Notanda etiam Chronographorum, & Scriptorum quorumdam recentiorum hallucinatio, dum aſſignant S. Alberto annos viginti tres in Patriarchatu Hieroſolymitano, & poſt eũ conſtituunt immediatum ſucceſſorem Thomam, vel Robertum; nã dumtaxat annis octo (ab an. 1205. ad 1214.) Patriarcha fuit, ſicut conſtat ex dictis & dicendis: & ſucceſſorem habuit Radulphum, ſicut tradunt Marinus Sanutus in libro, cui titulus eſt:* Secreta fidelium crucis, *lib. 3. parte 9. cap. 5. & celebrati nominis Scriptor Sibertus de Beka, in libro* ſuper Regulam Carmelitanam *verbis hic infra recitandis. Videatur Tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 5. (a) 349. & 351. ac ſeq. (a)*

(a) n. 349. & 351. ac ſeq.

§. III. *S. Albertus Legifer Carmelitani Ordinis.*

1212. S*. Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum, Regulam Carmelitanam (quæ uſque in præſens obſervatur, à pluribus Pontificibus confirmata, & in punctulis aliquot nonnihil moderata, ac functionibus Ordinum Mendicantium attemperata) ſcripſiſſe, ſeu ex Ioannis Patriarchæ Ieroſolymitani libro, antea pro Regula, & norma vivendi habito, deſumpſiſſe, ac in compendium redegiſſe, habetur tum ex ipſa Regula, quæ ſic incipit:* Albertus Dei gratiâ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, *tum ex prællatis Auctoribus, tum ex omnibus Ordinis hujus Hiſtoricis, & præcipuè ex S. Cyrillo, Græco natione, Archimandrita Carmeli, totius Ordinis Priore Generali tertio ſub iſta nomenclatura (S. Brocardi ſucceſſore, cui Regula illa ab ipſo Patriarcha tradita fuit) qui tum in Carmelo morabatur, atque ea quæ teſtis oculatus vidit ſcribit in libro* de proceſſu, & variis Regulis Ordinis hujus (b) *Quantùm ad Regulam illam à S. Alberto Ordini huic traditam, animadvertendum eſt, illam non tam novam eſſe Regulam, primò ab ipſo S. Alberto inventam & compoſitam, quàm explicationem & determinationem eorum quæ in Regula prius in Ordine obſervata non ita expreſſe determinabantur. Quod ſatis exprimit Witcliffianæ hæreſeos expugnator Waldenſis his verbis:* (c) Ordo Carmelitarum à Ioanne Patriarcha Ieroſolymitano, priùs Carmelita, Regulam vivendi, Græcè conſcriptã, accepit; quam pleniori, poſt, ſub Alberto itidem Patriarcha, formâ, digeſtam inſpexit. *Ita ille: Non minùs apertè adſtipulatur magnus Ordinis Inſtaurator, doctrinâ & ſanctitate conſpicuus Ioannes Soreth in præfatione Expoſitionis Regulæ Carmelitanæ, dum ait:* In prædicti Joannis libro, de ipſorum primaria Inſtitutione non erant hi articuli niſi in quodam generali involuti: quod cernens dictus Patriarcha Albertus, certam ſcripſit vitæ formulam, illa expreſsè continentem. *Similia ſcribunt Paleonydorus, & Thomas de Ieſu, de variis Regulis Carmelitarum. Id verò à veneranda auctoritatis auctore Philippo Riboti ad oculum demonſtratur, in* antiquo Speculo Ordinis *libro 8. cap. 4. cujus titulus eſt:* Quòd nulla, aut pauca, Albertus in prædicta Regula inſeruerit, quæ Joannes prius in Inſtitutione hujus Religionis non habebat; ſed quæ Joannes in generali ſuadendo ſcripſerat, Albertus in Regula in ſpeciali determinat (*& quandoque verbis ac ſententiis iiſdem, ſicut ad oculum declarabitur infrà in* Annotatione poſt §. VI. *a) Et id à Riboti per ſingula Regulæ membra, imò & per minutiſſimos ejus articulos, accuratiſſimâ Regulæ hujus cum anteriore collatione declaratur. Idipſum ſigillatim præſtitit Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali libro 6. cap. 15. per totum. Qualiter autem verum ſit Regulam hanc etiam partim ſeu quadam ratione extractam ex Regula S. Baſilii declarat Ordinis Annaliſta Lezana variis locis (b) videlicet* quia liber ille Joannis, multa habet de Inſtitutis & documentis S. Baſilii: *atque ità immediatè eſt extracta ex libro, ſeu Regula à Ioanne Ieroſolymitano tradita, mediatè autem, & remotè etiam quâdam ratione ex Regula S. Baſilii.* Quia præfata Alberti Regula ex Joan. Hieroſol. libri inſtitutionibus abſdubiè deprompta eſt: hic autem liber multa habet de Baſilii Inſtitutis. *Ità Lezana (c) Quæ alia Patriarcha Albertus in Carmelo fecerit, ſic paucis tradit, prout vidit dictus S. Cyrillus:* Poſtmodùm eodem anno monaſterium in hoc monte Carmeli, juxta fontem Eliæ Prophetæ, ædificari fecit: infra cujus ſepta includi, ac renovari juſſit Capellam, quam ad honorẽ Beatæ Dei Genitricis Mariæ prędeceſſores eorum poſt Aſcenſionem Chriſti conſtruxerant. Et eos omnes in antris, atq; cellulis diſtantes, per hunc montem Carmeli habitantes, ipſe Dominus Albertus tunc congregavit. *Tunc quoque, aut aliquantò poſt, ipſe in Carmelo aliquamdiu converſatus, Regulam à ſe traditam vitæ exemplo complevit, & præmonſtraret, ſicut à variis traditur; quòd etiam in Officio Canonico, auctoritate SS. D. N. Clementis X. & Sacræ Congregationis Rituum approbato, ſubſcribente Eminentiſſ. Cardinale Bona, expreſsè traditur, verbis hic ſupra §. 1. relatis.*

Regulam Carmelit. veterem breviorem, & magis determinatam fecit;

(b) Vide tom. præced num. 301 & ſeq. & n. 318.

Regula itaque illa non nova, ſed eadem magis, & in ſpeciali digeſta, & expreſſa;

(c) in Doctrinali fidei to. 5 tit. 9. cap. 89. Id Thoma Waldenſis, & aliorum confirmat auctoritas:

(a) num. 1229.

(b) To. 3. ad an. 412. n. 17. To 4. ad an. 1205. n. 15.

(c) ad an. 1205. n. 15.

quæ alia in Carmelo fecerit S. Albertus.

1213. *Quantùm ad annum datæ Regulæ ex dictis §. præcedentis pro comperto ſit, non fuiſſe ann. MCLXXI. (ſicut nonnulli exiſtimarunt) nec ann. MCXCI. (quod alii arbitrati ſunt) cum tunc Patriarcha nondum eſſet; ſed ann. MCCV. aut paulò poſt; ſaltem intra MCCV. & MCCXIV. quibus Patriarcha extitit tempore Innocentii Tertii Romani Pontificis; nam eum jam Patriarcham exiſtentem, Regulam dediſſe, habetur ex ipſa Regula, cujus initium eſt:* Albertus Dei gratiâ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Chriſto filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxtà fontem Eliæ in monte Carmeli morantur, in Domino ſalutem, &c. *Plura circa hæc videri poterunt, in Speculi hujus parte 1. poſt librum VIII. ubi peculiaris eſt tractatio, ſeu* Additamentum de anno datæ Regulæ.

Annus datæ Regulæ quis:

1214. *Præter ea, quæ ibi dicta ſunt, hic conve-*

nien-

XXIX. Martii.

nativitate, difficultas eſt, & inter Scriptores diſſentia ad annos circiter viginti; nam alii ſtatuunt annum Chriſti milleſimum centeſimum vigeſimum primum: alii vero annum milleſimum centeſimum quadrageſimum primum, aut circiter; & hanc ſententiam ſequimur & rationem aſſignamus. Cùm enim Prior Generalis inſtitutus fuerit tempore quo Patriarcha Antiochenus fuit Aymericus (ſicut omnes conſentiunt) & is anno MCXX. nequaquàm Patriarcha fuerit, nam apud Hiſtoricos, Annaliſtas, ſeu Chronologos ſine controverſia eſt, eo anno illum Patriarchatum geſſiſſe Bernardum quendam prout aſſerte habent Genebrardus, Onuphrius, Baronius, ac alii. Aymericus verò demum circa annum 1137. ex Antiochena Eccleſiæ Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptus fuerit, ſicut copioſius declaratur in Annalibus Ordinis hujus (a). *Atque ita pro comperto eſt, illam S. Bertholdi per Aymericum Patriarcham Antiochenum inſtitutionem in Priorem Generalem ſaltem ante annum Chriſti MCXXXVII. fieri non potuiſſe. Porrò annò Chriſti MCXXXVII. Aymericum ex Antiochena Eccleſiæ Decano ad ejuſdem Patriarchatum aſſumptum P. Lezana tomo 3. Annalium, ſub finem, tradit, & confirmat ex Onuphrio Panuino in Chronologia Eccleſiaſtica, Pineda lib. 18. Monarch. cap. 8. ex Genebrardo, Hieronymo Bardo, Maſchardo & aliis, quos citat. Ibidem refellit nonnullos referentes iſtam aſſumptionem ad annum Chriſti MCXLIII. Etenim eum jam ante Patriarcham Antiochenum fuiſſe, evincit auctoritas præfatorum, necnon Willelmi Tyrii in opere* de bello ſacro *lib. 16. cap. 3. ita ſcribentis:* Annò Incarnationis Dominicò milleſimò centeſimò quadrageſimò ſecundò, præſidente . . . Antiochenæ (*Eccleſiæ*) Domino Aymerico. *Quòd etiam annò præcedenti Patriarcha fuerit, habetur ex præfato Onuphrio Panuino Chronologo inter accuratiores habito, ad annum MCXLI. ſic inter cætera ſcribente:* Ordo Carmelitarum reſtitutus, & reformatus ab Aymerico Maleſaida Lemovicenſi, Patriarcha Antiocheno &c. *addit:* Primus Prior Bertholdus vir ſanctus. *Quòd autem S. Bertholdus vixerit uſque ad annum Chriſti MCLXXXVII. certum eſt ex teſtimonio S. Cyrilli, in libro* De proceſſu, & variis regulis Ordinis, *in iſto tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 2. ubi iſta:* Mortuo Bertholdo, ſub regimine cujus quadraginta quinque annis manſerant: perplexitas magna eorum animos invaſit de ſucceſſore ejus inſtituendo: de cujus inſtitutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus, morte præventus, eis reliquerat. *Inde evidens eſt, S. Bertholdum e vita migraſſe poſt Aymericum, aut ferè eodem tempore. Porrò Aymericum adhuc in vivis fuiſſe dicto anno MCLXXXVII. habetur ex ejus lamentabili epiſtola ad Regem Angliæ illo anno ſcripta: quam ex Rogerio ad iſtum annum refert Baronius. Illò autem annò Aymericum deceſſiſſe ſupponunt illi, qui (ut ſupra dictum eſt) ſcribunt eum Patriarchale ſolium aſcendiſſe annò MCXXXVII. & annis quinquaginta in eo ſediſſe. Atque ita obitus* S. *Bertholdi referendus ad eumdem, aut ſequentem annum. Plura circa hæc videri poterunt in iiſdem Annalibus Carmelitanis.* (b)

S. Bertholdus inſtitutus Prior Gen. an. Chr. 1141. aut circiter.

(a) ad an. 1118 n. 4. & an. 1130. n. 4.

Aymericus Patriarcha Antiochenus an. Chr. 1137.

S. Bertholdus, & Aymericus vixerunt uſque ad an. 1187.

(b) to. 3. ad an. 1121. & 1141. nec non to. 4. ad an. 1166. n. 2. & an. 1187. n. 7. & 8.

1187. S. *Bertholdo ſuffectus eſt* S. *Brocardus, patriâ Hieroſolymitanus, non ſtatim poſt (veriſimiliter anno MCLXXXVIII.) ſicut ex iſtis* S. *Cyrilli in præfato libro colligitur verbis:* Tandem poſt lapſum temporis Fratrem Brocardum, virum perfectum, unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiſerunt, ſub regimine cujus triginta tribus annis permanſerunt. *Per illa:* Tandem poſt lapſum temporis *denotatur, inter obitum* S. *Bertholdi tempus interceſſiſſe uſque ad ſucceſſionem* S. *Brocardi; qui cum annis XXXIII. Ordinem rexerit, ejus obitus rectè aſſignatur anno MCCXXI. ſicut pleniùs declarabitur ad diem II. Septembris, in Notatis præviis ad vitam ejus. De Regula à* S. *Alberto Patriarcha Hieroſolymitano tradita* S. *Brocardo circa annum Chriſti MCCV. aut paulo poſt (& non ante) agetur hic paulò infrà, ad diem VIII. Aprilis, ad vitam* S. *Alberti §. 2. & ex certis hiſtoriis, ac ſolidis fundamentis, ſtabilitum eſt tomò præcedenti, parte primâ in fine libri VIII. in* Additamento.

S. Brocardus quando, & quam diu Prior General.

1188. *Eodem annô MCCXXI. Ordinis regimen ſuſcepit* S. *Cyrillus, qui præfuit annis tribus, & obiit anno MCCXXIV. ſicut pleniùs declaratum eſt in ejus vita poſt caput V.* (a) *& illô eodem annò ſucceſſorem habuit Bertholdum II. natione Lombardum: & hic poſt ſeptem annos Prioratus Generalis, anno MCCXXXI. Alanum Britonem: qui Ordinem rexit uſque ad annum MCCXLV. quo in Capitulo Generali Aylesfordiæ celebrato electus fuit* S. *Simon Anglicus, cognomento Stock (qui jam ante annis multis Vicarius Generalis in Europa fuerat) is anno regiminis vigeſimo (Chriſti MCCLXV.) ad Chriſtum migravit: & eodem* anno Domini MCCLXV. defuncto Beato Simone Stock, communi electione R. P. Nicolaus, natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum conſtitutus eſt. *Ita Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali lib. 7. cap. 25. & Lezana tom. 4. Annalium ad annum 1265. ſub finem. Iſte autem Nicolaus Gallicus jam ante per annos quindecim fuerat Vicarius Generalis in partibus Orientis, ſicut latius traditur in Chronologia vitæ* S. *Simonis, & in Annalibus Ordinis ad annum 1250. num. 7. & ipſe ut talis S. Ludovicum Regem Franciæ anno 1254. recepit in Carmelo, ac eidem petenti Religioſos ſex in Franciam ducendos conceſſit. Anno MCCLXX. reſignante Nicolao Gallico, cùm Ordinem rexiſſet annis 15. in Oriente, ut Vicarius Generalis, & annis 5. ut Prior Generalis primarius in Europa, Pariſiis celebratum fuit Capitulum Generale in feſto Nativitatis B. Virginis Mariæ, & electus Radulphus Alemannus. Deinceps vero perſpicua & certa eſt ſucceſſio Priorum Generalium. Chronologiæ præfatæ ratio ad ſingulos Priores Generales redditur in Annalibus Ordinis, ad ſingulos Priores iſtos Generales præfatos.*

(a) hîc ſuprà num. 1064 & 1066.

S. Cyrilli, & ſequentium Generalium ſucceſſio.

Nicolaus annis 15. Vicarius Gener. & 5. Prior Generalis.

1189. *Animadvertendum autem, quòd* S. *Bertholdus Prior Generalis ſubindè in viſitationibus, aut negotiis abſens, ac deindè ſenio confectus Priorem in Carmelo, & ſuum Vicarium inſtituerit S. Brocardum, qui ut talis ad Ordinem hunc recepit* S. *Cyrillum, ſicut in Annalibus Ordinis notatur ad annum 1173. his verbis:* Vocatur porrò Bro-

SS. Berthold. & Brocard. habuerunt Vicarium ſuum in Carmelo.

XXIX. MARTII.

Brocardus Prior montis Carmeli, quia ejus montis, & eremi Prior localis erat, vel vicem Prioris Generalis pro Bertholdo abſente gerens. *Ita quoque tempore S. Brocardi Generalis Prior in Carmelo erat Hieremias, de quo in vita S. Angeli cap. 6. & in Annalibus Ordinis ad annum* 1208. *num.* 2. *& poſt ipſum S. Cyrillus, ſicut traditur in ejus vita cap.* 5. *Prætereà, primi quinque Priores Generales præfati fuerunt inſtituti, aut electi in Carmelo, & reſidebant in Terra ſancta & etiam ibi obierunt, excepto Alano, qui indè veniens in Europam, Coloniæ deceſſit. Cùm autem Ordo valdè multiplicaretur in Europa; ne ibi quaſi acephalus eſſet (difficulter enim Priores Generales in Terra ſancta exiſtentes, ejus regimini in Europa poterant intendere tunc cùm difficultates, & contradictiones non paucæ contra Ordinem moverentur) Vicarius Generalis, ſed ſubordinatus primario Generali in Terra ſancta reſidenti, fuit S. Simon Anglicus (ab anno MCCXV. juxta aliquos, aut ab anno MCCXXI. ſicut tamquàm veriſimilius tradit Lezana in Annalibus ad iſtum annum.) Plura circa illam S. Simonis inſtitutionem in Vicarium Generalem per Europam videri poterunt in Chronologia vitæ ejus in Vinea Carmeli, & in ejus vita hic infra ad diem XVI. Maji. Tempore S. Simonis, qui in Europa reſidebat, in Terra ſancta Nicolaus Gallicus fuit Vicarius Generalis ab anno MCCL. uſque ad MCCLXV. quo (defuncto S. Simone in Majo) electus fuit in Septembri primarius Ordinis Generalis pro Europa. Exindè Vicarii Generales in Terra ſancta veriſimiliter fuerunt ipſi Provinciales Terræ ſanctæ uſque ad totalem ejus amiſſionem.*

Generales duo olim in Ordine, unus abſolutus, alter ſubordinatus, & Vicarius,

Perutilis, jucundæque lectionis
QVÆSTIVNCVLA,

Quâ ratione S. Bertholdus in magna vitæ auſteritate, & ſolicitudine vitam produxerit ad annos CXV.

1190. Ecquis dubitet, in ipſo verificatum fuiſſe illud Eccleſiaſtici 37 QUI ABSTINENS EST, ADJICIET VITAM. In Menologio Carmelitano de eo legitur: *Cæteros Eremitas noſtros vitæ aſperitate vincere conabatur. Vnicâ in die contentus refectione, radicibus & totius oleribus frugali menſâ utebatur.* Sic quoque in magno vitæ rigore, & abſtinentia vitam produxerunt S. Franciſcus de Paula ad annos 91. S. Hieronymus ad decrepitam ætatem (juxta Viuardum, & Molanum in Martyrologio ad an. 98.) S. Simon Anglicus cognomento Stock, ad annos 100. S. Antonius ad 105. S. Paulus nuncupatus primus Eremita ad annos 115. S. Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus anno ætatis 120. martyrium crucis fortiter ſuſtinuit. Totidem annis vixit S. Arſenius præceptor Arcadii Imperatoris, nempe 65. in ſæculo, & 55. in deſerto abſtinentiæ admirabilis: & S. Romualdus etiam totidem annos numeravit, 20. in ſæculo, & 100. in monaſterio. Sic alii multi in eremis, in jugi contemplatione, divinis rebus intenti, in mira victus aſperitate, & magna abſtinentia, valde longævi vixerunt. Philo, & Joſephus Judæorum ſcriptores illuſtres teſtantur de Eſſenis, eximiæ pietatis, & abſtinentiæ viris, quod vixerint quam longiſſime, & plures eorum ad centenariam ætatem, propter ſimplicitatem victus. Vidi ipſe in Leodienſi ditione circa Fontes Spadanos homines pane hordeacco, & polenta ex avena, & ferè ſicco pane victitantes, aquâ pro potu ordinario utentes, valdè longævos: & in pago inde diſſito ad ſeſqui milliare fœminam paupereculam, quæ communiter nuncupabatur *femme de cincq fois vingt cincq ans*, id eſt, mulier quinties habens annos viginti quinque: id eſt, CXXV. Vulgatiſſimum eſt in illis partibus, & in Belgio, de Paſtore, ſeu Parocho 125. annorum, PASTORE ANNIS CENTUM IN EODEM LOCO. Effigiem ejus recenter defuncti vidi Antuerpiæ apud Alexianos; & vivi ſculpta in ære, ac expreſſa in imaginibus paſſim venditur cum hac inſcriptione: *Antonius Haaſechus, primus Paſtor Gulenſis, in Diœceſi Leodienſi, per centum annos in eodem paſtoratu vixit; obiit autem ætate* 125. *annorum. Anno* 1586. *Interrogatus ab Epiſcopo Leodico, quâ vitæ regimine vitam adeò longævam produxiſſet, reſpondet, ſe trium abſtemium ſemper extitiſſe; videlicet mulierum, ebrietatis, & iracundiæ.*

Vita prolonganda ratio abſtinentia:

Id exemplis confirmatur:

Antonius Haaſechus annis 100. Paſtor in eodem loco; quo regimine tam diu vixerit.

1191. Quòd luxuria vitam abbreviet, teſtatiſſimum eſt in Scripturis, Patribus, & Medicis, ſic & de ira; hinc tritus verſus

Si vis longævam, ſi ſanam ducere vitam
——— *iraſci crede prophanum*

Ita quoque de ebrietate gula, & ingluvie; etenim teſtante Spiritu ſancto (a) PROPTER CRAPULAM MULTI OBIERUNT: & paulò antè: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas.* Imò communiter dicitur: PLURES OCCIDIT CRAPULA, QUAM GLADIUS. Hinc verè nonnemo ſcribit (b) Etiamſi natura homini taxârit annos & dies vitæ, ſobrius tamē eos prorogare poteſt per abſtinentiā cibi; ebrius verò & guloſus eos decurtare per gulam & crapulam. Denique axioma eſt viri ſapientis, etſi nonnullis videatur paradoxum: PENE OMNES HOMINES MORS GULA. Nam pleriqne omnes ſæpè excedunt in cibo & potu, præſertim in conviviis, feſtis & recreationibus, atque hôc exceſſu vitam abbreviant, mortemque ſibi accelerant, alii plus, alii minus pro quantitate & qualitate exceſsûs. Gula igitur & ingluvies corpus gravat, morbos creat, & vitam decurtat. Unde medicorum præceptum: *Veſcere citra ſaturitatem: ſurge è menſa non cum faſtidio, ſed cum fame. Omnis ſaturitas noxia.* Medicorum princeps Galenus lib. 5. de Tuenda ſanitate, ait: *Arte illâ quæ diætam præſcribit, eos qui ab ipſo ortu imbecillum corpus non ſunt ſortiti, ſenſibus illæſis, & ab omni morbo & dolore alienos, ad ſummam ſenectutem pervenire.* Deinde addit de ſeipſo: *Ego verò tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum ab ipſo ortu ſim nactus, nec vitam planè liberam egerim, hac tamen ipſâ arte uſus, poſt 28. ætatis annum, nec minimo quidem laboravi morbo, niſi fortè diariâ febre ob laſſitudinem aliquandò contractâ.*

Quæ vitam abbrevient,

(a) Eccli. 37.

Vita prolongari quâ ratione poſſit.

(b) Palacius apud Cornel. à Lap. in c. 37. Eccli.

Gulâ major hominum pars moritur:

ſobrietas vitam prolongat.

1192. *Sic & Silvicolæ * prioris ævi*
Hoc victu tenui, levique, ſani
Degerunt placidiſſimam ſenectam.

Ita verè Doctor medicus (c) &, ut ſequitur, alius, Theologus (d)

Sic mens pe veram pura mens lucem adſpicit,
Et abſque face, limpido fruitur die:
Et, ſeu quietam ſe libris velit abdere,
Seu magna cæli permeare mœnia,
Et ſe beatis applicare mentibus
Nullo tenetur illigata compede.
O grata longi temporis compendia!
Centum Decembres ſenibus indulſit Deus
Vixiſſe multis; rara quæ nunc gratia eſt:
Quæ cauſſa? ———
Eſt venter extra ſobriæ vitæ orbitam
Effuſus, appetentia immodici cibi,
Plerumque Solem mentibus ſuum eripit,
Rationis ipſum crapula obtundens jubar.
O miſera vitæ tam bona diſpendia!

* Eremitæ; Anachoretæ, Monachi veteres.

(c) Franc. Saſſenus.

(d) Herm. Hugo Soc. Jeſu.

Vitæ brevis quæ cauſa.

XXIX. Martii.

Paradoxum grande: Dio omnes vivere cupiunt: & media contraria aſſumunt,

1193. Profectò hoc grande paradoxum est. [Omnes cupimus eſſe longævi, & quàm diutiſſimè vivere, & tamen plurimi tam intemperantem & confuſam vitæ rationem ſequimur, ac ſi hoc omni ſtudio agamus, quam celerrimè extingui. Intemperantiam, cui aſſueſcimus, nulla nobis monita, non oracula divina, nulli qui inde ſunt morbi, diſſuaſerint. Ægrotare malumus, & malè habere, quam frugaliùs & temperantius vivere. Non neſcimus nil æque longævitati officere, quam victum varium, copioſum, immoderatum; nihilominus perniciem noſtram amamus, & damnis noſtris hilareſcimus.] Ita ſcitè & verè Drexelius (a) *Nec minus appoſitè Leſſius.* (b) [Hæc diligenter conſideranda & perpendenda viris prudentibus, maximè Eccleſiaſticis & Deo dicatis, quorum profeſſio eſt functionibus mentis vacare, & rebus divinis intendere. Si enim iſta accuratè expendamus, fieri nequit, quin ſobrietas nobis ſit placitura, & facilis ac jucunda futura; intemperantia verò horrori & deteſtationi . . . Miſeram mortalium ſortem, quæ tantæ vanitati ſubjecta eſt, tantis tenebris occæcata, tantis erroribus obnoxia! cujus mens in judicando & eligendo, inani ſpecie boni delectabilis quaſi per ſomnium deluditur.]

(a) de Roſis ſelect. virt. p. 1. c. 11

(b) in Hygiaſtico c. 13.

ſobrietatis commoda,

1194. Et hactenus quidem de temperantiæ, ſobrietatis, & abſtinentiæ commodis, reſpectu corporis: ſed (quod potiſſimum eſt) eæ etiam utiliſſimæ, ſunt animæ; nam per iſtas S. Bertholdus, & cæteri Sancti ſanctitatem, & omnigenas virtutes adepti ſunt. E contra ex crapula, & ebrietate veluti è fonte, plurima in animam derivantur mala. Hinc Chriſtus Dominus nos omnes ſic hortatur (c) *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Harum mala, & iſtarum bona graphicè depingunt Patres, & quidem quam utilis animæ temperantia, ac jejunium, S. Ambroſius libro de Elia & jejunio, cap. 3. *Hôc ad Deum gradu citius pervenitur: hôc gradu Elias aſcendit: antequam currum, hanc hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cœlum abiens, diſcipulo dereliquit: In hac virtute, & ſpiritu Eliæ venit Ioannes.* Plura de S. Eliæ abſtinentia, & ſobrietate, ac jejunio (quo mediante mira patravit) videri poſſunt hic ſupra (a) ex eodem S. Ambroſio, & S. Baſilio, quibus concinunt Patres alii plures; ſufficient hic pauca multo fœta ſenſu, verba S. Chryſoſtomi (b) de commodis vitæ ſobriæ, & jejunii. *Ieiunium, Angelorum imitatio eſt pro noſtra viribus, contemptus præſentium, ſchola precum, alimonia animæ, frænum oris, mitigatio concupiſcentiæ, ut probè nôrunt, qui jejunant: mollit furorem, compeſcit iram, ſedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram reddit mentem, alleviat carnem, fugat nocturnas fœditates, capitis dolores tollit, claros adfert & colores, & aſpectus.* Quibus hactenus dicta ſapiunt, uberiùs ſimilia pereruditè, & eleganter tradita, haurire poterunt ex præfati Drexelii libris duobus, inſcriptis: Aloë amari, sed ſalubris ſucci Jejunium: Et Hygiaſtico Leſſii, ac ſubjuncto Tractatu Ludovici Cornari, ſic tandem illum concludentis. [O ſanctiſſima, & innocentiſſima ſobrietas, unicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi, quàm corporis medicina! quantum te mortales laudare, quantò affectu & promptitudine amplecti deberent! . . . Utinam ipſis tua bona perſpecta forent, præſertim iis qui vitæ ſanctæ & ſpirituali dediti, in monaſteriis contemplationi & orationi vacant! Quantò & ipſi, & eorum actiones ſummo Deo gratiores forent, ſi totos ſe ad te colendam conferrent! Quantum hunc mundum & Eccleſiam Chriſti exornarent! nam in terris æſtimarentur ut verè Patres ſancti, ſicut olim habiti fuere antiqui Eremitæ, Religioſi, & Epiſcopi, qui præter vitam ſpiritualem etiam hanc ſobriam ſervabant.] Et iſta hic obiter, occaſione sobriæ et longævæ vitæ S. Bertholdi. Sed ne diutius iſti ſubjecto, alioqui utili, inſiſtendo, minùs sobrii, extravagari, atque extra chorum ſaltare videamur, hinc abeuntes, ad propria regredimur.

(c) Luc. 21.

(a) nu. 259.

(b) Hom. 1. de Iejunio.

DE FESTO S. MARIÆ DE PIETATE

Feria 6. poſt Dominicam Paſſionis,

& quolibet Sabbato Quadrageſimæ utiliter legenda.

1195. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius (d) Quemadmodum *oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam* (e) ita quoque Mater ejus immaculata, quæ nullis terrenis inquinata fuit affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus (cùm eſſet cælum animatum) per crucem pervenit ad cœleſtia tabernacula. Non quidem corpus, ſed, quod multò acerbius eſt, *ipſius animam pertranſivit gladius: & ſicut Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus* (f) ita etiam proximè à Chriſto ſummum patientiæ exemplum nobis prębuit Mater Chriſti. Propterea S. mater Eccleſia frequenter quidem in Miſſis & divinis officiis paſſionem Chriſti nobis in memoriam revocat: ſed potiſſimè tota in illa occupatur à Dominica Paſſionis, uſque ad Paſcha; nobis proponens *ejus exemplum, ut ſequamur veſtigia,* in adverſitatibus, perſecutionibus, infirmitatibus, & quibuſvis animo & corpori moleſtis. Congruè igitur in Carmeli Ordine peculiariter dicato B.^mæ^ Virgini Mariæ nobis peculiaribus clientibus & filiis tantæ Matris (ut ſimiliter *ſequamur veſtigia ejus* in perferendis æquanimiter quibuſvis adverſis & moleſtis) in exemplum proponitur feriâ ſextâ infra hebdomadam Paſſionis: quin imò etiam ſingulis Quadrageſimæ hebdomadibus ſemel, juxta Breviarii Rubricam 15. in qua agitur *de officio B. Virginis, Sabbatis per annum* (aut alio die non impedito) ubi preſcribitur: *A Septuageſima uſque ad Dominicam Palmarum legatur officium de noſtra Domina de Pietate.* Et meritò cum Paſſione Chriſti etiam commemoratur paſſio ejus, quæ tunc *ſtabat juxta crucem Chriſti* patientis, paſſionis ejuſdem cumulatiſſimè particeps, & unà tunc Chriſtum atque ejus, & ſuam paſſionem Deo pro ſalute mundi offerens; ſicut præclarè exprimit Arnoldus Carnotenſis (c) his eam alloquens verbis: *Omninò enim tunc erat Chriſti, & tua una voluntas, unumque holocauſtum: ambo pariter offerebatis Deo, tu in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis, unde communem in mundi ſalute, cum illo effectum quoque obtinuiſti.*

(d) Luc. 2.

(e) Luc. 24.

(f) 1. Petri 2.

Patientiæ exemplum perfectiſſ. Chriſtus, & Maria;

Mariæ compaſſio congruè Carmelitis proponitur;

(c) Serm. de laude Virg.

ut ejus exemplo ad patientiam, & tolerantiam animetur:

Iſti feſtivitatis hujus myſterio pro dignitate explicando etiam copioſiſſimi tractatus, & magni libri haud ſufficerent quidem: diffuſiorem autem tractationem præſentis operis ratio non permittit. Attamen, intactam prætermittere non ſinit filialis in hoc Ordine obligatio erga peculiarem Matrem ſuam, ut illi compaſſivo dolore aliqualiter aſſimiletur; atque ejus exemplo, ad quævis adverſa æquanimiter ſuſtinenda animetur. Itaque paucula ſaltem de perutili illo ſubjecto libabimus: quæ iſtis diebus utiliter legentur, utilius expendentur, & utiliſſimè practicabuntur.

1196. Prædixerat pridem ante Juſtus Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (a). Quæ conſiderans S. Ambroſius: *Nec litera*, inquit, *nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe; non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſverberatur . . . Vivum enim verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, artuum quoque & medullarum.* Et quidem *ipſius animam gladius pertranſivit* gladius non unicus, ſed multiplex, etiam jam antequam illa verba à S. Simeone fuerint prophetice prolata, & quidem in Chriſti nativitate, dum ſummo afficeretur gaudio, de nato Salvatore, magna quoque animam ipſius torquebat compaſſio, cùm tenerum infantulum, Dei, & ſuum filium, nudum, hyemis aſperitatem, præſepii duritiem ſuſtinentem, & in ſtabulo, in præſepio repoſitum cerneret, nec aliter fovere poſſet. Quæ crux, quis dolor in mente ejus obortus eſt, cùm parvuli delicatiſſimi carnem octavo die à nativitate, cultro lapideo circumcidi vidit? Quæ moleſtia Virgini contigit, cùm intempeſtâ nocte natali ſolo excedere, & in Ægyptum fugere quantocyùs debuit? Quæ afflictio eam occupavit, cùm in Ægypto per ſeptem annos, inter homines feros, & incultos, Dei veri ignaros, multis ſceleribus coopertos, vitam traduxit? Quàm dirus doloris gladius animam ejus transfixit, ubi Herodem furentem, & tantâ immanitate in innoxios pueros oppidi Bethleem, & finium ejus ſævientem cognovit, ut totam terram illam ſanguine Innocentum rigaret, quando unius jugulum impius Herodes in tot millium infantium innocuo ſanguine quærebat? Quantus mœror mentem ipſius obſedit, cum Jeſum duodennem in Jeruſalem amiſit? Quam graviter eam contriſtavit nuncius de carcere, de trucidatione Joannis Baptiſtæ?

(a) Luc. 2.

ipſius animam non tantùm unus ſed multiplex gladius pertranſivit:

1197. Quàm acerba illi fuerunt convitia, blaſphemiæ, calumniæ Scribarum, & Phariſæorum, qui eum *ſeductorem, impoſtorem, potatorem, dæmonium habentem* nuncupabant, & ipſum nunc capere, nunc lapidare, nunc de monte præcipitare tentabant? Quantum dolorem ſenſit, cùm primùm funeſtus ille nuncius ei allatus eſt, Regem gloriæ cum magna ignominia captum, funibus, & catenis vinctum, milite armato ſtipatum, ab uno judice ad alium tractum, per vias urbis Jeroſolymitanæ tamquàm ſceleratiſſimum latronem circumductum? Quo doloris ſenſu ſpectavit in domo Annæ alapam ei impingi? ſputis faciem oppleri? In domo Herodis, velut fatuum, veſte albâ indui? In domo Pilati flagellari, ſpiniſque coronari? Quantus dolor eam afflixit, cum inconditos populi clamores; *Crucifige, crucifige*, audivit, & Barrabam latronem Filio ſuo innocentiſſimo in vita præferri vidit. Quô doloris ſenſu perculſa eſt, cùm Filium ſuum dulciſſimum è prætorio Pilati in publicum prodeuntem, flagellatum, coronatum, purpurâ indutum, ſceptrum arundineum in manibus portantem, vultum ejus ſputis deformatum, alapis contuſum, & ita populo monſtratum vidit, & Pilatum dicentem audivit: *Ecce homo?* Quantum doluit, cùm filium jam morti adjudicatum, tam dirè excarnificatum, & tandem cruce oneratum vidit: jamque viribus fractum, laſſum, oneri ſuccumbere, & in terram prolabi conſpexit?

præſertim tempore Paſſionis:

1198. Sed potiſſimè *ipſius animam pertranſivit gladius* tunc, quando *ſtabat juxta crucem Jeſu Mater ejus*; tunc enim *dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum laceratum reparturiens.* Ita Damaſcenus (a). Interim ſtabat corpore erecta, & excelſa, animo excelſior, ſpectans, & admirans magnum hoc pietatis ſacramentum, ſcilicet Deum in cruce. Hinc Sophronius (b) apud S. Hieronymū, B. Virginē vocat *Martyrem*, imò *pluſquam Martyrem*: *Quia*, inquit, *mente paſſa eſt, pluſquàm martyr. Nimirum & ejus dilectio ampliùs fortis, quam mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Sic & S. Ildephonſus (c). *Pluſquam martyr fuit, quia in animo non minùs amoris, quàm mœroris fuit: eſt intùs gladio vulnerata: parata enim fuerit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei Genitrix jure pluſquam martyr mater eſt, quæ nimiò amore vulnerata, triſtis extitit Salvatoris, & præ mœrore in animo cruciatum ſuſtinuit paſſionis.* Conformiter S. Anſelmus (d). *Quidquid*, ait, *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſuâ immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq́; benigniſſimi cordis intima; & utique pia Domina non crediderim te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, pro quo moriente torquebaris, te intùs doceret non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem; quod in ipſo fieri cotam moribundo videbas.* S. Bernardus (e): *Nec lingua*, inquit, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvis Virgo cum uſura; quod in partu non habuiſti à natura. Dolorem pariendo filium non ſenſiſti, quem millies replicatum, filio moriente paſſa fuiſti.*

(a) lib. 4. c. 15.

(b) Serm. de Aſſumpt.

(c) Serm. 2. de Aſſumpt.

(d) de excell. Virg. c. 5.

Martyr, & plus quàm martyr fuit:

(e) in Lament. B. Virg.

1199. Dolores Chriſti & Mariæ mutuò ſe augebant: Chriſtus enim, dulciſſimâ ſuâ Matre cruciatus ſuos ſummo cum mœrore ſpectante, gravius patiebatur: Mater quoque filium ſibi compatientem conſpicata, vehementius

Chriſtus, & Maria duæ cytharæ myſticæ.

hementius dolebat. Quemadmodum duo ſpecula ſibi è regione oppoſita pleraſque imagines, ſuique reflexus mutui in ſe mutuò recipiunt: ita Chriſtus & Maria cruciatus ſibi invicem communicabant. Matris dolore Chriſtus corripiebatur: Chriſti dolore Mater afficiebatur: Chriſtus dolebat, dolorem ſuum doleri è Maria; Mater dolebat, dolorem ſuum doleri à filio. Erant duæ myſticæ cytharæ, quarum unà ſonante, reſonat altera, nullo etiam pulſante: Chriſto crucifixo, crucifigitur & Mater. Id his verbis obſervavit S. Bernardus: (a) *O dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio ſancti amoris! Filius patitur, & valdè compatitur matri: mater verò compaſſa eſt patienti filio: tantus nempe impetus paſſionis Domini Jeſu fuit, ut quaſi torrens ipſum impleret patientem, quia, teſte Pſalmiſta, de torrente paſſionis in via bibet, ut ſic Chriſto impleto, in matrem flueret compatientem, quâ ſimiliter impletâ, ad filium redundaret mundatio amaritudinis & mœroris.* Idipſum clariſſimis verbis conteſtata eſt ipſa B. Virgo Maria apud S. Birgittam (b). *Cùm reſpexiſſet*, inquit, *filius meus ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quaſi de venis lachrymæ exibant; & cùm ipſe me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat, præ dolore meo, quem in me videbat... Filius meus videns me, & amicos ſuos, oculis in cœlum directis, clamabat ad Patrem:* PATER, QUARE DERELIQUISTI ME? *quam vocem ego nunquam, donec ad cœlum veni, oblivisci potui, quam plus ex compaſſione meâ, quam paſſione ſua permotus protulit.* Quàm acutus gladius ipſius animam pertranſivit cùm dulciſſimum filium ſuum è ſublimi cruce ad Patrem æternum vociferantem audivit: DEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? Quàm ingens dolor ille Virginis fuit, cùm Jeſum clamantem audivit, SITIO? Audivit, nec ei poculum aquæ frigidæ porrigere, nec caput inclinatum ſuſtentare, nec vulnera alligare, nec ullum prorſùs ſubſidium ei adferre potuit. Quanta crux illi fuit, cùm dilectum filium, inclinato capite, vultuque ſqualido, noviſſima illa verba: PATER, IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM, proferentem audivit, illiſque prolatis, expirantem vidit? Quo dolore concuſſa eſt, cùm crudelem illam lanceam vibrari, & in pectus filii magno impetu adigi, & ex vulnere ſanguinem cum aqua profluere conſpexit? Quantum dolorem ſenſit, cùm de cruce depoſitum filium in ſinum ſuum recepit, pectorique applicuit? Cùm totam ſanctiſſimi corporis compagem à capite ad calcem ſolutam, & undique convulneratam, plagiſque deformatam vidit?

(a) Homil. ſuper: *Stabat juxta crucem.*

(b) lib. 1. Revel. c. 6.

Maria paſſio quam diuturna;

1200. Paſſio autem illa B. Virginis duravit toto tempore Paſſionis Chriſti; ſed non tantum; nam paſſio Chriſti deſiit in morte; tunc autem B. Virginis paſſio & compaſſio non deſiit, ſed crevit. Nam Chriſti corpus mortuum de cruce depoſitum ipſa excepit cum redivivo dolore, ac deinde per tres dies ſepulturæ, cruciatus Chriſti crucifixi, quos ipſa cominùs oculis aſpexerat, vivi hærebant in imaginatione ejus, eamque cruciabant, & *ipſius animam gladius doloris* intereà jugiter *pertranſibat*. Ex hactenùs dictis conſtat, quòd SS. Dei Mater, paſſionis nobilitate, diuturnitate, fortitudine, invictâque conſtantiâ alios omnes Martyres ſuperaverit; & idcirco jure meritò *Regina Martyrum* ſalutetur. Martyres alii paſſi ſunt in propria carne, quæ interdum fuit illis occaſio & illecebra peccati. Verum namque eſt de unoquoque noſtrùm, quod Apoſtolus ait (a) *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem.* At Beatiſſima Virgo paſſa eſt in anima ſua innocentiſſima, ſanctiſſima, ſpiritui ſuo obedientiſſima: paſſa eſt in vita filii ſibi dilectiſſima, & pretioſiſſima; utpote quæ totius mundi pretium fuit. Prætereà aliorum Martyrum cruciatus eorum morte terminantur; at Virginis ſanctiſſimæ Dolor à Chriſti nativitate, uſque ad ejus mortem, quamdiu ipſa vixit in hoc mundo, in ejus corde perpetuò hærebat. Prævidebat propheticâ, imò pluſquàm prophetícâ mente Virgo Beatiſſima filii ſui mortem, eamque præ oculis habebat, cùm filium ſinu ſuo fovebat, ulnis geſtabat, uberibus lactabat. Undè ab illa hora, quâ eum genuit, ſtatim cognovit ſe illius matrem eſſe, qui pati, qui crucifigi, & mori pro peccatoribus debebat, adeò ut ſingulis horis ac momentis Chriſti filii ſui mortem intueretur. Verè longum martyrium, quod per triginta tres annos, & eò ampliùs duravit; non enim illo dumtaxat tempore paſſa eſt, quo Chriſtus comprehenſus, vulneratus, crucifixus eſt; ſed ab ipſo momento, quo Dei Mater effecta eſt, eum ab improbis comprehendi, malè tractari, ſcilicet, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri prævidit: & ex tunc *gladius* doloris *animam* ejus *pertranſivit*. Hic congruunt quæ tradit Rupertus Abbas (b) in perſona Virginis ita loquens: *Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum malè tractari, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antequàm ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit; Propheteſſa namque eram, & ex quo Mater ejus facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum. Cùm igitur talem filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis Materni doloris pertuliſſe paſſionem?* Eadem tradunt S. Bernardus (c) & S. Birgitta (d). Diuturni itaque fuerunt Mariæ dolores, quia paſſionem filii, antequam eſſet, antea cogitavit; diuturni fuerunt, quia cogitavit etiam, poſtquam præterivit. Poſt mortem enim & Aſcenſionem filii in cœlum ſemper memoriâ retinebat, & aſſiduâ meditatione revolvebat, quæ Chriſtus pro ſalute humani generis pertulit ut ipſa S. Birgitta

(a) 1. Cor. 15.

ſcilicet à Chriſti nativitate uſque ad mortem ejus.

(b) lib. 1. in Cant.

(c) Serm. 40 in Cant.

(d) in Serm. Angel. c. 16. & 17.

(a) lib. 6. revel. cap. 65.

gitta (a) narravit, in hæc verba: *Omni tempore, quo poſt aſcenſionem filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit: ſic quoque paſſio ſua in corde meo fixa erat, quòd ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Hinc collige, quot in uno martyrio B. Virgo Maria ſubierit martyria, quot cruciatus, quot tormenta: ſuperavit igitur omnes Martyres Virgo, & leve fuit, quidquid paſſi ſunt Martyres omnes, ſi Mariæ cruciatibus comparetur. Verè itaque *Regina Martyrum* dicitur, quæ tam nobile, ac tam diuturnum martyrium pertulit.

1201. De ſacris arcanis B. Virginis, paſſionem & mortem Chriſti Domini plangentis plura expetens, adeat inſignem Deiparæ encomiaſten Joannem de Carthagena, qui in Homiliis libro 12. in XI. Homiliis cumulatiſſimè ſubjectum hoc pertractat: & inde hic paticula libamus. [Si Samuel Dei Propheta, & amicus, ſuper improbo Rege Saul gravi dolore commotus eſt: & ſi pius David, ob infelicem Abſolonis, inobedientis, necem ejulabat, dicens: (b) *Abſolon, fili mi, fili mi, Abſolon!* Et quod amplius eſt, Chriſtus Dominus ad tumulum Lazari, nec flentes nec dolentes increpavit, nec à fletu prohibuit; imò & ipſe flevit cum flentibus, Evangeliſtâ dicente: *Et lachrymatus eſt Ieſus.* Ac tandem videns ingratam civitatem Hieruſalem penitus ruituram: *flevit ſuper illam*; quantò, quæſo, magis dignum erat, ut piiſſima mater doleret & fleret ſuper morte non improbi Regis Saulis, ſed ſanctiſſimi Regis Regum & Domini dominantium: non rebellis Abſolonis, ſed obedientiſſimi filii, ut ait D. Lucas: *ſubditus erat illis*; non Lazari puri hominis, qui aliquandò peccaverat, ſed Dei, & hominis ſimul, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Acerbiſſimi autem doloris B. Virginis in Paſſione & morte filii variæ fuerunt cauſæ: notiſſima autem eſt ardentiſſimus ejus amor, qui menſura doloris de amati paſſione eſſe noſcitur. Ad hunc reſpiciens D. Bonaventura (c) dixit: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Doctiſſimus Guilielmus in Commentario ſuper Cap. 1. Canticorum, ſingulari pietate ait: *Tantâ virtute Chriſtum dilexit, ut ad titulum ſuæ laudis ſufficiat; quòd mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus diſcipulis, oblita ſexûs fragilis, ipſa cum lachrymis aſtans cruci, & condolens morienti, animam ſuam pro filio ſuo, etſi minimè potuit patiendo, tamen expoſuit compatiendo* Et S. Anſelmus (d) *O Domina,* inquit, *quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes unicum filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari, & carnem ejus diſſecari crudeliter!*]

(b) 2. Reg. 19.

Doloris Deiparæ Virginis comparatio cum aliis:

(c) in officio de compaſſione B. Virg.

(d) de compaſſ. Virg.

1202. Sed quinam fructus fuerint acerbiſſimi iſtius Mariani doloris, inſpiciamus: duo præcipui fuerunt: unus, quòd licèt ſecundùm fidem Catholicam ſolus Chriſtus Dominus ſuo ſanguine nos redemerit; tamen juxta Sanctorum Patrum loquendi modum, etiam ipſa quâdam ratione cooperata fuit: duorum aut trium aſſerta audiviſſe ſufficiet. In primis S. Irenæus (a) ſcribit: *Sicut Eva inobediens facta eſt, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa mortis fit & Maria habens prædeſtinatũ virum, tamẽ Virgo obediens, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* Divus Anſelmus (b) hæc habet: *Pura ſanctitas & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, ſive ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret.* Sic & S. Bernardus: (c) *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus: ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Sed bonum non erat nobis, hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, ut adeſſet noſtræ reparationis ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Ex eo igitur dicitur à Patribus *noſtræ ſalutis cauſa*, quia filium propriâ ſponte crucis tormentis, ac morti obtulit, cùm enim Filius aliquid Matris proprium haberet, offerendo filium, aliquid quod ſuum erat, pro noſtra omnium ſalute Patri obtulit. Unde ait D. Bonaventura: *Sic Maria dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Itaque Virgo B. Chriſtum nobis gignens, materiam ſubminiſtravit, ex qua Deus nummum excudit noſtræ redemptionis, nempe Chriſti humanitatem; medium profectò ac remedium, in hunc finem aptiſſimum; in illa enim Deus imprimens ſui infiniti valoris ſigillum, eam conſtituit æquivalentem ſummam, ac pretium ſuperabundans, ut nos ſibi coëmeret, redimeretque à poteſtate & ſervitute Diaboli. Itaque B. Virgo auri materiam ſuppeditavit; Verbum autem Divinum valorem infinitum illi addidit, materiam excudens & ſigillans; atque adeò non parum noſtræ redemptioni auxiliata fuit. Prætereà ſeipſam pro totius generis humani redemptione & etiam filium ſuum tradidit morti, ut docet Arnoldus Carnot. (d) *Ipſa*, inquit, *ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altari interiori, & ligna, & flammas, & latices conferebat. Optabat Maria ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem, & elevatis in cruce manibus, celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium.*

Fructus duo præcipui doloris acerbiſſimi Deiparæ.

(a) lib. contra Valent.

(b) de laudibus B. Virg. cap. 9.

(c) Ser. de Aſſumpt. B. Virg.

(d) Tract. de illis verbis: *mulier ecce filius tuus.*

1203. Alter fructus compaſſivi doloris acerbiſſimi in anima Mariæ eſt, exaltatio ſuper omnes Angelos, & Sanctos. Sicut enim Chriſtus ſuâ *humilitate & morte crucis* promeruit *à Deo exaltari ut in nomine ejus omne genu flectatur*: ita Maria ſuâ compaſſione *exaltata eſt ſuper choros Angelorum.* Paſſionem utriuſque ſi pio affectu recolamus, & patientiæ ſequamur documenta, etiam beatæ reſurrectionis, & perennis felicitatis conſortia habebimus. Et iſte hujus Tractatus eſt finis intentus, ac fructus ſperatus. Sed nunc ad alia progrediamur.

Intentus finis, & fructus hujus Tractatus:

APRILIS

II. APRILIS.

1204. AD *hunc diem in antiquo Ordinis Kalendario Codicis MS. Carmeli Mechlinienſis legitur*: Nicolai Confeſſoris, non Epiſcopi, Ordinis noſtri, ſeptimi Generalis. *In Catalogo alio Sanctorum in eodem Codice*: Sanctus Nicolaus, Confeſſor, non Epiſcopus, ſecundâ die Aprilis. *Vita ejus epitomen habet Ioannes Groſſi* in Viridario *parte* 2. *qua eſt* de Sanctis: *ubi hæc inter alia*: S. Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Generalis Ordinis. *Et infra*: Secundâ verò die menſis Aprilis, clarens multis miraculis, ab hac luce migravit. *Agunt de eodem Ioannes Paleonydorus* in Faſciculo tripartito, *lib.* 3. *cap.* 9. *& Arnoldus Boſtius libro* de Viris illuſtribus, *qui hic infra ſequuntur*: *&* in Speculo hiſtoriali *libro* 7. *cap.* 25. *ita ſcribens*: Annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô quintô, defunctô Beatô Simone Stock, communi electione Reverend. Pater Nicolaus natione Gallicus, ſeptimus Prior Generalis conſtitutus eſt, qui ſtatim curam gregis ſibi commiſſi acceptans, corpus ſuum in Dominico onere, & ſervitio mancipare ſtuduit. Tempore regiminis iſtius venerandi Patris Dominus Clemens Papa Quartus multa privilegia conceſſit Ordini noſtro, ſicut patet in privilegio Maris magni. Cùm annis quinque Ordinem Fratrum Carmelitarum ſtrenuè in omni ſanctitate cum multa patientia rexiſſet, renuntiavit officio, & velut alter Elias turbas hominum declinare volens, ad Eremum ſe tranſtulit, & ſolitariam vitam duxit. Præterea hic vir doctus, & ſanctimoniæ ſublimitate egregius, talamum in corde tingens, conſcripſit librum perutilem, quem propter ſuæ veritatis lucidum acumen Igneam ſagittam prætitulavit, à quo cuivis facilè poteſt patefcere, auctorem ſui, tam divinis, quàm humanis litteris eruditiſſimum fuiſſe. Hunc ſe librum ſcripſiſſe annotat, & Prioris Generalis recenter exoneratum officio, cui (a) ferè quinque annis laborioſè adminiſtravit, ſuccedens B. Simoni Stoch Anglico omni laude cumulato. Tandem hic Pater Nicolaus ſecundâ die menſis Aprilis ab hac luce decedens, Chriſtum adiit, multis clarens in vita, & poſt mortem miraculis, & (b) in Auraica tumulatur. *Ubi ſita* Auraica, *dicetur infra, in Annotatione. Fuit autem natione Gallus, & ideò communiter nuncupatur* Nicolaus Gallicus. *In Terram ſanctam profectus fuit veriſimiliter, aut occaſione belli ſacri, ſicut S. Bertholdus (varia enim diverſis temporibus in Orientem fuerunt Chriſtianorum expeditiones) aut ex motivo devotionis, inviſendi Terram ſanctam. ubi compertâ pietate Carmelitani Inſtituti, illud amplexatus fuit, & in eo tantum profecit, ut dignus fuerit aſſumi in Priorem Carmeli, & Vicarium Generalem in Oriente, ac tandem in totius Ordinis Generalem. Quòd Prior fuerit in Carmelo, quandò illum aſcendit S. Ludovicus Rex Galliæ, qui inde ſex natione Gallos ſecum duxit Pariſios, & ibi monaſterium conſtruxit, traditur in Chronologia vita S. Simonis Stock* * *& in libro, cui titulus*: Decor Carmeli.

Nicolai Gallici memoria in Kalendariis, & Catal. Sanctorum:

vita epitome:

(a)

(b)

* *ad an.* 1254.

1205. *In Annalibus Carmelitanis de ejus in Generalem electione tractatur ad annum* 1265. *& de ejus reſignatione ad annum* 1270. *ac de ejus ſancta vita ad annum* 1272. *ubi illa*: His annis poſt renunciationem Generalatus, in Eremo ſanctè, & ſolitariè Deo vacabat exGeneralis noſter Nicolaus Gallicus, de quo ſub anno 1270. diximus. Optimam enim partem, quam ſuis Fratribus amplectendam ſuaſerat, cum Magdalena eligens, Chriſti pedibus dulciter fruebatur... Hic Nicolaus, cognomento Gallicus, patriâ Narbonenſis, à S. Simone Stock annô Chriſti 1250. in coadjutorem, ſeu Vicarium Generalem ſui Ordinis aſſumptus, ſic præfuit annis 15. & defunctô Simone, ſolus aliis quinque annis. Depoſito verò Generalatu, in Eremum montis, quem vocant Eratrof ſeceſſit, ineunte anno 1270. Poſt mortem verò diverſis claruit miraculis. De quo plura Groſſius, Boſtius, Trithemius, & alii (*& iſta ex Segero Pauli*). Sanctum propterea, vel ſanctitate inſignem, præter noſtros, ipſum appellant, Jacobus Philippus Bergomenſis in Supploment. Hiſtor. Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Marcus Guazzus in Chronic. tempore Bonifacii VIII. Hæc Lezana. *Agit quoque de illo idem Trithemius libro* de viris illuſtribus Ordinis hujus, *qui hic ſequitur, in parte* 5. *Speculi hujus, poſt præfatum Arnoldi Boſtii librum ejuſdem ſubjecti.*

Scriptores alii de ipſo:

1206. ANNOT. (a) Ferè quinque annis laborioſè adminiſtravit. *Nonnulli ſcribunt, quod annis* 20. Ordinem rexerit; *utrumque verum eſt*: *videlicet annis quindecim, ut Vicarius Generalis in Terra ſancta, ac deinde poſt deceſſum S. Simonis, annis quinque, ut Prior Generalis primarius in Europa. Vide hic ſuprà Appendicem ad vitam S. Bertholdi, nec non jam ante ex Annalibus Carmelit.*

quot annis fuerit Generalis.

(b) In Auraica tumulatur. *Quo ad patriam & locum ſepulturæ ejus, R. P. Andreas à S. Nicolao, Prior Carmeli Cabellionenſis, in Tractatu (nondum typis edito)* de Conventibus, & viris illuſtribus Provinciæ Narbonæ Ordinis B. V. Mariæ de monte Carmeli, *ad nos miſſo ſub finem anni* 1673. *ſcribit*: Notandum pro Nicolao Galico Generali, patriâ Narbonenſem fuiſſe, non Toloſatem, ac conditum fuiſſe in Auraica, hoc eſt, in Conventu noſtro Arauſionenſi (d'Oranges) Provinciæ Provinciæ, qui alias procul à muris urbis conditus fuerat; tranſlatus eſt enim ad urbem ipſam a trecentis annis. *Eſt autem* Arauſio (*in hiſtoriis Carmelitanis* Auraica) *Gallice* Orange, *urbs Galliæ Narbonenſis, Principatûs titulo illuſtris, nunc gentis Naſſaviæ. In hiſtoria Carmelitani Ordinis per R. P. Philippum à SS. Trinitate lib.* 6 *c.* 4. *Conventus ille inſertis Conventuum Provinciæ Provinciæ nuncupatur*: Arauſicanus: *in Catalogo Conventuum hujus Ordinis apud P. Blaſium Hostrum Polonum ſcribitur*: Orangelenſis: Mons Eratrof *in quo, poſt Generalatûs abdicationem, vitam ſolitariam egit, & librum ſuum*, Sagitta ignea, *ſcripſit, ab illo Conventu, tunc extra muros ſito, veriſimiliter non longè diſtabat.*

VITA

VITA S. ALBERTI PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI Carmelitanæ Regulæ Scriptoris,

(a) vide hic ſupra nu. 401. & 543.

Digeſta ex vetuſtis monumentis, & illuſtribus Scriptoribus (a)

§. I. *Teſtimonia ſanctitatis, & eruditionis.*

SS Alberti duo celebrantur in Ordine Carmelit:

1207. A*Lberti duo, ſanctimoniâ, & doctrinâ celebres in hoc Ordine coluntur (quod animadvertendum, ne perperàm unus cum altero confundatur, aut geſta unius alteri tribuantur). Iſtorum unus, & anterior eſt Legifer, ſive Regulæ ſcriptor (ſeu veriùs compendiator, & explanator, modò hic infrà §. 3. declarando) Patriarcha Hieroſolymitanus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus: alter verò aliquantò poſterior fuit iſtius Regulæ obſervantiſsimus cultor, Provincialis Siciliæ in cujus funere Angeli Introitum Miſſæ:* Os IUSTI *intonarunt, cujus feſtum ſolemni ritu celebratur per totum Carmeli Ordinem die VII. Auguſti: & ad illum vitam ejus dabimus: de priore autem ſermo hic eſt ad diem octavam Aprilis, quo in eodem hoc Ordine feſtum ejus ſolemnizatur ſub ritu duplici. Quòd autem feſtum iſtud antiquum ſit in Ordine, conſtat ex Miſſali (quod præ manibus habemus) excuſo an.* 1509. *ſicut fidem faciunt iſta ſub finem rubricatis literis:* Lucaſantonius de Giunta Florentinus in Venetorum civitate florentiſſima impreſſit, Annò Natalis Dom. MDIX. idibus Januarii. *In cujus Kalendario ad VI. Idus Aprilis (id eſt diem VIII.) legitur:* Alberti Epiſcopi & Confeſſoris, Hieruſalem, Ordinis Carmelit. *Ad eundem diem VIII. Aprilis à Ioanne Molano in Auctario ad Vſuardi Martyrologium his commemoratur verbis:* Beati Alberti Patris Ordinis Carmeli Epiſcopi, & Confeſſoris, Jeroſolymitanæ Eccleſiæ. *Nuncupat* Patrem; *non quòd Ordinem inſtituerit (nam in ſequentibus ad XV. Kalendas Iunii S. Eliam eo titulo Patriarcham appellat ſic:* Raptus in cœlum ſancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ) *ſed quia Regulam, quæ nunc in Ordine ſervatur, ſcripſit, & tradidit, atque ita Ordinis eſt Legiſlator. Ad illum diem in aliis Miſſalibus, & Breviariis, ac Kalendariis Ordinis Carmelitani, inſcribitur his verbis:* In feſto S. Alberti Epiſcopi, & Confeſſoris, Ordinis noſtri, *Dicitur:* Ordinis noſtri; *quia ejus Legiſlator (ſicut jam dictum) & Regulam quam ſcripſit, commorando ad tempus in Carmelo aut Acconenſi monaſterio, etiam opere adimplevit, & obſervavit. In Canonico officio, Eccleſiæ auctoritate approbato ad matutinũ legitur* (b): Ex Divi Baſilii, & Joan. XLIV. Epiſcopi Jeroſolymitani operibus Regulam concinnavit, quam Carmelitis, ſibi arctiſſimo amoris vinculo junctis, tradidit obſervandã: & Chriſtianæ pietatis fovendæ ſtudioſus in monte Carmelo, ac in urbibus Ptolomaide, Tyri, Sareptæ, Sidonis, Tripolis, & Libani monaſteria extrui curavit. Impiorum hominum furore divexatus clam ſe ſubduxit, & Carmeli Eremitis ſe adjunxit, ubi & Jeſum Chriſtum viſibili ſpecie habuit conſolatorẽ, & Deiparæ Virg. præſentiâ mirificè eſt conſortatus. *Quod* Regulam concinnaverit ex Ioannis XLIV. Epiſcopi Jeroſol. operibus *declarabitur pleniùs §. 3. ubi quoque, quomodo etiam ex* Divi Baſilii.

Primus Patriarcha Hieroſol. Legiſer, & ideò Pater Carmeli dictus.

(b) lect. 6.

Carmeli eremitis aliquamdiu convixit.

1208 *Doctrinam ejus ſanctitati conjunctã collaudat Abbas Trithemius, libro* de Scriptoribus Eccleſiaſticis; *ubi iſta:* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir doctus atque ſanctiſſimus, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. degentibus Regulam dedit, quam iidem Fratres jam in Europa conſtituti per Apoſtolicam Sedem modificatam, & approbatam ubique profitentur. Ad inſtantiam Innocentii Papæ Tertii deſcripſit luculento ſermone & veraci Statum Terræ S. lib. 1. Regulam Carm. lib. 1. *Ita quoque Sixtus Senenſis in* Bibliotheca ſancta *lib. 4.* Albertus Patriarcha Jeroſol. vir ſanctitatis & doctrinæ admirandæ, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Terra S. commorantibus, vivendi formam, Regulamq; dedit, juſſu Innocentii Papæ ejus nominis Tertii ſcripſit de ſitu, & ſtatu Terræ S. *In Italia ſacra to. 4. Ferdinandus Vghellus ſcribens de Epiſcopis Bobienſibus vita ejus ſeriem ſic paucis complectitur:* B. Albertus de Caſtro Gualterii Canonicus Regularis, mortariæque Præpoſitus hujus (*Bobienſis*) Eccleſiæ eligitur Pontifex an. 1184. ad Vercellenſem Eccleſiã, antequam in Bobienſi inauguraretur, tranſlatus: ac deinceps factus Hieroſol. Patriarcha, per martyrium tandem ad cœlos aſcendit, cùm priùs Carmelitis Fratribus vivendi normam dediſſet. *De geſtis ejus pleniùs tractat ſub titulo:* Vercellenſes Epiſcopi: *& indè vitæ epitome ſequitur hic infrà. Antè iſtos Thomas Waldenſis, in celebri opere,* Doctrinali fidei (a), *ſic de eodem, & virtutibus, quas exercuit, & in Regula præcipuè commendavit:* Accedat Legifer noſter S. Albertus, cum ſuis Carmelicolis; & creſcat in ſilentio, in ſolitudine cellæ, & in aſſidua meditatione in lege Domini. *Iſta etiam confirmat auctoritas Clementis Papæ VIII. in litteris ad Scihabam Regem Perſarum, miſſam per P. Paulũ Simonem, & Ioannem Thadæum, Carmelitas Diſcalceatos, de quorum inſtituto mentionem faciens, inter alia ſcribit:* A B. Alberto Patriarcha Hieroſol. magni nominis viro, proprias Regulæ Conſtitutiones acceperunt. *Alii quoque plures eum* Sanctum, *vel* Beatum, *alii, ſanctæ, vel* ſanctiſ. vitæ *nuncupant.*

inſignis ejus doctrina.

(a) de Sacram. tit. 9. cap. 84. num. 7.

virtutes monaſticæ inter Carmelicolas.

§. II. *S. Alberti Epiſcopatus, & Patriarchatus Ieroſolymitanus.*

1209. A*N Albertus Patriarcha Ieroſolymitanus idem ipſe fuerit etiam Epiſcopus Bethleemiticus: quando promotus ad Patriarchatum Ieroſolymitanum: circa quem annum Regulam dederit: & unde Regula iſta deſumpta, accu-*

VIII. APRILIS.

ratiſſimè diſſerit P. Lezana tomo 4. Annalium; ideo iſta hîc pauctoribus declaraſſe ſufficiet: plura deſiderans ipſum conſulere poterit. Imprimis, ex dictis habetur, & ex dicendis confirmabitur, S. Albertum fuiſſe Epiſcopum Vercellenſem, & exinde Patriarcham Hieroſolymitanum. De Epiſcopatu Bobienſi ipſi collato, jam quædam audivimus ex Vghello: & pleniùs informabunt Tabulæ Eccleſiæ Vercellenſis, & Ioannes Stephanus Ferrerius in Relatione vitæ ipſius S. Alberti hîc infrà. Difficultas major eſt, de Epiſcopatu Bethleem, quem nonnulli ipſi attribuunt, exiſtimantes eundem eſſe Albertum illum Bethleemitanum Epiſcopum, de quo Willelmus Tyrius, in Hiſtoria Ieroſolymitana(a) & Cardinalis Baronius (b) recenſens Epiſcopos qui ex Oriente profecti ſunt Romam ad Concilium generale Lateranenſe ſub Alexandro Papa III. anno MCLXXIX. Sed iſti ex eo falſitatis convincuntur, quòd ex Tabulis Vercellenſis Eccleſiæ, ubi Alberti Hieroſolymitani Patriarchæ vita, morſque cum geſtis fere ab ineunte ætate ad unguem exarata cernuntur . . . Cùm autem in prædictis Tabulis nihil de Bethleemitano Epiſcopatu referatur, abſdubio certò credi debet, Albertum Hieroſolymitanum Antiſtitem diverſum hominem ab Alberto Bethleemita fuiſſe. Accedit, quod, ut ex prædicto Willelmo Tyrio lib. 22. cap. 7. habetur, Albertus hic Bethleemita circa annum 1180. vel 1181 anno circiter ſeptimo vel octavo Regis Balduini, ad partes Antiochiæ ad componendum Boamundum Antiochenum Principem ſe contulit, quo anno juxta Vercellenſium Tabularum computum, Canonicatum vel Prioratum Mortarienſem Albertus, qui poſteà Patriarcha fuit, in Italia gerebat. Maneat ergo, non eumdem, ſed diverſos fuiſſe Albertum Solymorum Patriarcham & Albertum Bethleemitanum Epiſcopum. *Ita Lezana ad annum Chriſti 1171. ubi plura habet ad intentum (c) Et rurſus infra ad annum Chriſti 1191. ubi iſta:* . . . Verùm enimverò à veritate hiſtorica iſtos aberraſſe (qui Albertum Epiſcopum, Bethleemiticum, & hunc Patriarcham Hieroſolymitanum putant eundem) multis ſuaderi poteſt. Primò quidem ex communi, conſtantique Chronologiæ Scriptorum auctoritate, qui unum tantum Albertum Hieroſolymitanum Patriarcham huculque repererunt. . . . Si autem Albertus ille Bethleemitanus Epiſcopus hanc Patriarchalem ſedem aſcendit, cum ex alia parte luce clarius ſit ex dicendis, Albertum anum Vercellenſem primò Epiſcopum, eandem dignitatem obtinuiſſe, pro comperto erit (quod nullus adhuc ex Scriptoribus ſomniavit) duos Albertos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtites extitiſſe. Secundò, quia concors etiam, & unanimis prædictorum Chronologiæ Scriptorum ſententia eſt, eum Albertum, qui Hieroſolymorum Patriarcha fuit, circa ann. 1204. vel 1205. ad eam dignitatem evectum fuiſſe. *Ita Lezana: id conſequenter etiam aliorum auctoritatibus firmat: hoc ipſum etiam in ſequentibus ſtabilietur, ex Tabulis Vercellenſis Eccleſiæ, & ex Italia ſacra Vghelli.*

(a) lib. 21. cap 7 & 26.
(b) ad an. 1178.

Albertus Patriarcha Ieroſol. & Albertus Epiſc. Bethleemit. duo non idem.

(c) num. 5. & ſeq.

1210. *Albertum autem ad Hieroſolymitanum Patriarchatum evectum fuiſſe anno Chriſti 1205. habetur teſtatiſſimum ex litteris Innocentii Tertii Pontificis, datis anno Chr. 1205 die 17. Februarii (id eſt 13. Kalendas Martii) anno ſeptimo Pontificatus ſui, nam anno 1198. die 22. Februarii ſacro diademate inauguratus fuerat, atque ita annus ejus octavus inchoandus eſt etiam à die 22 Februarii anni 1205. Ita idem Lezana, (a) ut teſtis oculatus, ſcribens, quæ ipſemet in Regiſtro ipſius Innocentii vidit: quem ſi quis ad manum non habeat, hîc loquentem, & teſtificantem audiviſſe lubebit.* Hoc igitur anno (MCCV.) ſub 13. Kal. Martii, Pontifex Innocentius Tertius, Albertum Vercellenſem Epiſcopum ab Almerico Hieroſolymitano Rege, aſſenſum præbentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Patriarcham Hieroſolymorũ expetitum, litteris ſuis datis, monuit, induxit, imò & coegit, præfatam dignitatem acceptare, his verbis, aliis prætermiſſis. [Igitur pro Deo, & propter Deum, hoc mandatum Apoſtolicum exequaris, quod manũ diſtrictioris ſeveritatis nos non oporteat adhibere. Nam etſi ſecundũ ſtatuta Canonica nullus invitus creſcere compellatur, juxta tamen legitimas Sanctiones aliqui ad publica munia trahuntur inviti. Intereſt autem tam Apoſtolicæ Sedis, quàm Eccleſiæ generalis; imo & generaliter omnium, & ſingulariter ſingulorũ fidelium Crucifixi, ut eidem Eccleſiæ perſona præficiatur idonea in Paſtorem. Nec tu tã ad honorem aſſumeris, quam ad onus, cum Eccleſia illa hodie plus habeat oneris, quam honoris. Nec turberis in aliquo, aut cauſeris, quòd prędictus Cardinalis S. Praxedis factam de ſe poſtulationem à Canonicis Sepulchri Dominici non admiſit: quia forſan ſicut Sara Tobiæ, ſic & ipſa viro fuit alii divino judicio reſervata, &c.] Quibus, & aliis, quæ adducimus circa ann. 1214. conſtat, Innocentiũ Papam nedum induxiſſe, ſed & coegiſſe Vercellenſem Albertum ad Patriarchatum Hieroſolymitanum oblatum acceptandum . . . Extat etiam Bulla Legationis hoc eodem an. 1205. Kal. Iulii 16. ſub numero trigeſimo ſecundo in anno octavo ejuſdem Innocentii, prout etiam vidimus in Archivio Vaticano. *Et infra* (b) Mira tamen ſunt & ſingularia, quæ Sum. Pont. Innocentius Tertius Alberto noſtro ſcripſit, ut eum ad accipiendum Hieroſol. Patriarchatum induceret. Conſtant ex Bulla ejuſdem Innocentii anno ſeptimo Pontificatus, quam vidiſſe teſtatur Joannes Ferrerius, noſque vidimus in Regiſtro anni 7. pag. 175. Bulla 222. *Ipſe ut teſtis oculatus ex illa Bulla adfert ſequentia:* [Illuſtris Rex Ieroſol. conſenſum præſtitit, & Archiepiſcopi & Epiſcopi conſenſerunt, per ſuas nobis litteras ſupplicantes; ut te non ſolùm inducere, ſed & cogere dignaremur, ut poſtulationi eorum humiliter conſentires.] Pontifex his verbis ſatis oſtendit, quanti apud Regem, & Prælatos Paleſtinæ Alberti ſanctitas fuerit: quanti verò apud ipſum Innocentium, ſic: [licèt autem nobis valdè neceſſarius ſis in partibus Lombardiæ; utpotè cui ſecurè in arduis etiã negotiis committi-

S. Albertus Patriarcha Ieroſolymit. confirmatus an. 1205.

(a) ad an. 1204. n. 3. & ad an. 1205. n. 2. & 3.

Innocentii III. Pontificis hortatio, & mandatum, ut acceptet.

(b) ad an. 1214. num. 11.

S. Albertus quanta in æſtimatione apud Pontif. Regem Ieroſol. & Prælatos.

VIII. APRILIS.

mittimus vices noſtras, propter urgentem tamen Eccleſiæ neceſſitatem non ſolùm Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſed etiã totius Orientalis Provinciæ.] *Hactenus ex Lezana, qui ibi conſequenter ex manuſcripto Bibliotheca Vaticanæ refert, quomodo ipſe humiliter acquieſcens, ad Apoſtolicam Sedem acceſſerit, & in Patriarcham promotus Ianuam (ſeu Genuam) profectus indè in Syriam navigaverit, atque alia Innocentii III. ad Albertum animandum pia, & inflammantia verba, ſucco, ex ſacro penu derivato, plena addit.*

1211. *Notanda etiam Chronographorum, & Scriptorum quorumdam recentiorum hallucinatio, dum aſſignant S. Alberto annos viginti tres in Patriarchatu Hieroſolymitano, & poſt eũ conſtituunt immediatum ſucceſſorem Thomam, vel Robertum; nã dumtaxat annis octo (ab an. 1205. ad 1214.) Patriarcha fuit, ſicut conſtat ex dictis & dicendis: & ſucceſſorem habuit Radulphum, ſicut tradunt Marinus Sanutus in libro, cui titulus eſt:* Secreta fidelium crucis, *lib. 3. parte 9. cap. 5. & celebrati nominis Scriptor Sibertus de Beke, in libro* ſuper Regulam Carmelitanam *verbis hic infra recitandis. Videatur Tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 5. (a) 349. & 351. ac ſeq. (a)*

(a) n. 349. & 351. ac ſeq.

§. III. S. Albertus Legifer Carmelitani Ordinis.

Regulam Carmelit. veterem breviorem, & magis determinatam fecit:

1212. S. *Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum, Regulam Carmelitanam (quæ uſque in præſens obſervatur, à pluribus Pontificibus confirmata, & in punctulis aliquot nonnihil moderata, ac functionibus Ordinum Mendicantium attemperata) ſcripſiſſe, ſeu ex Ioannis Patriarchæ Ieroſolymitani libro, antea pro Regula, & norma vivendi habito, deſumpſiſſe, ac in compendium redegiſſe, habetur tum ex ipſa Regula, quæ ſic incipit:* Albertus Dei gratiâ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, *tum ex prææallatis Auctoribus, tum ex omnibus Ordinis hujus Hiſtoricis, & præcipuè ex S. Cyrillo, Græco natione, Archimandrita Carmeli, totius Ordinis Priore Generali tertio ſub iſta nomenclatura (S. Brocardi ſucceſſore, cui Regula illa ab ipſo Patriarcha tradita fuit) qui tum in Carmelo morabatur, atque ea quæ teſtis oculatus vidit ſcribit in libro* de proceſſu, & variis Regulis Ordinis hujus (b) *Quantùm ad Regulam illam a S. Alberto Ordini huic traditam, animadvertendum eſt, illam non tam novam eſſe Regulam, primò ab ipſo S. Alberto inventam & compoſitam, quàm explicationem & determinationem eorum quæ in Regula priùs in Ordine obſervata non ita expreſſe determinabantur. Quod ſatis exprimit Witcliffianæ hæreſeos expugnator Waldenſis his verbis:* (c) Ordo Carmelitarum à Ioanne Patriarcha Ieroſolymitano, priùs Carmelita, Regulam vivendi, Græcè conſcriptã, accepit; quam pleniori, poſt, ſub Alberto itidem Patriarcha, formâ, digeſtam inſpexit. *Ita ille: Non minus apertè adſtipulatur magnus Ordinis Inſtaurator, doctrinâ & ſanctitate conſpicuus Ioannes Soreth in præfatione Expoſitionis Regulæ Carmelitanæ, dum ait:* In prædicti Joannis libro, de ipſorum primaria Inſtitutione non erant hi articuli niſi in quodam generali involuti: quod cernens dictus Patriarcha Albertus, certam ſcripſit vitæ formulam, illa expreſsè continentem. *Similia ſcribunt Paleonydorus, & Thomas de Ieſu, de variis Regulis Carmelitarum. Id verò à veneranda antiquitatis auctore Philippo Riboti ad oculum demonſtratur, in* antiquo Speculo Ordinis *libro 8. cap. 4. cujus titulus eſt:* Quòd nulla, aut pauca, Albertus in prædicta Regula inſeruerit, quæ Joannes prius in Inſtitutione hujus Religionis non habebat; ſed quæ Joannes in generali ſuadendo ſcripſerat, Albertus in Regula in ſpeciali determinat (*& quandoque verbis ac ſententiis iiſdem, ſicut ad oculum declarabitur infrà in* Annotatione poſt §. VI. *a) Et id à Riboti per ſingula Regulæ membra, imò & per minutiſſimos ejus articulos, accuratiſſimâ Regulæ hujus cum anteriore collatione declaratur. Idipſum ſigillatim præſtitit Arnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali libro 6. cap. 15. per totum. Qualiter autem verum ſit Regulam hanc etiam partim ſeu quadam rationẽ extractam ex Regula S. Baſilii declarat Ordinis Annaliſta Lezana variis locis* (b) *videlicet* quia liber ille Joannis, multa habet de Inſtitutis & documentis S. Baſilii: *atque ità immediatè eſt extracta ex libro, ſeu Regula à Ioanne Ieroſolymitano tradita, mediatè autem, & remotè etiam quâdam ratione ex Regula S. Baſilii.* Quia præfata Alberti Regula ex Joan. Hieroſol. libri inſtitutionibus abſdubiè deprompta eſt: hic autem liber multa habet de Baſilii Inſtitutis. *Ità Lezana* (c) *Quæ alia Patriarcha Albertus in Carmelo fecerit, ſic paucis tradit, prout vidit dictus S. Cyrillus:* Poſtmodùm eodem anno monaſterium in hoc monte Carmeli, juxta fontem Eliæ Prophetæ, ædificari fecit: infra cujus ſepta includi, ac renovari juſſit Capellam, quam ad honorẽ Beatæ Dei Genitricis Mariæ prędeceſſores eorum poſt Aſcenſionem Chriſti conſtruxerant. Et eos omnes in antris, atq; cellulis diſtantes, per hunc montem Carmeli habitantes, ipſe Dominus Albertus tunc congregavit. *Tunc quoque, aut aliquantò poſt, ipſe in Carmelo aliquamdiu converſatus, Regulam à ſe traditam vitæ exemplo complevit, & præmonſtraret, ſicut à variis traditur; quòd etiam in Officio Canonico, auctoritate SS. D. N. Clementis X. & Sacræ Congregationis Rituum approbato, ſubſcribente Eminentiſſ. Cardinale Bona, expreſsè traditur, verbis hic ſupra §. 1. relatis.*

(b) Vide tom. præced. num. 301. & ſeq. & n. 318.

Regula itaque illa non nova, ſed eadem magis, & in ſpeciali digeſta, & expreſſa;

(c) in Doctrinali fidei to. 5 tit. 9. cap. 89. Id Thomæ Waldenſis, & aliorum confirmat auctoritas:

(a) num. 1329.

(b) To. 3. ad an. 412. n. 17. To 4. ad an. 1205. n. 25.

(c) ad an. 1205. n. 25.

quæ alia in Carmelo fecerit S. Albertus.

Annus datæ Regulæ quis:

1213. *Quantùm ad annum datæ Regulæ ex dictis §. præcedentis pro comperto ſit, non fuiſſe ann. MCLXXI. (ſicut nonnulli exiſtimarunt) nec ann. MCXCI. (quod alii arbitrati ſunt) cum tunc Patriarcha nondùm eſſet; ſed ann. MCCV. aut paulò poſt; ſaltem intra MCCV. & MCCXIV. quibus Patriarcha extitit tempore Innocentii Tertii Romani Pontificis; nam eum jam Patriarcham exiſtentem, Regulam dediſſe, habetur ex ipſa Regula, cujus initium eſt:* Albertus Dei gratiâ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Chriſto filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxtà fontem Eliæ in monte Carmeli morantur, in Domino ſalutem, &c. *Plura circa hæc videri poterunt, in Speculi hujus parte 1. poſt librum VIII. ubi peculiaris eſt tractatio, ſeu* Additamentum de anno datæ Regulæ.

1214. *Præter ea, quæ ibi dicta ſunt, hic conve-*

VIII. APRILIS.

nienter animadvertendum, quoſdam fautores opinionis de data Regula an. MCLXXI. cùm ex eo falſitatis manifeſtæ arguantur, quòd tunc non eſſet Patriarcha Ieroſolymitanus Albertus, ſed Amalricus (qui juxta Willelmum Tyrium (a) *& Baroniũ* (b) *ſubrogatus eſt Fulcherio, an. 1159. defuncto: Amalricus autem obiit anno milleſimo centeſimo octuageſimo, an. XXII. ſuæ Sedis, & ei ſucceſſit Heraclius eodem anno 1180. Ita idem Baronius ad an. 1180. ex Tyrio) finxiſſe, Albertum Epiſcopum Bethleemitam eo anno Regulam dediſſe; poſtmodum autem, ipſo Patriarcha Ieroſolymitano exiſtente, titulum illum:* Jeroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, *Regulæ fuiſſe appoſitum. Sed ex ante dictis §. 2. & ex dicendis §. 5. pro comperto habetur, Albertum Bethlehemitam diverſum eſſe ab Alberto Vercellenſi, poſtea Hieroſolymitano Patriarcha. Plura in hujus aſſerti confirmationem traduntur in Annalibus Carmelitanis ad annum 1171. ubi ex Tyrio oſtenditur, illo anno 1171. Albertum Bethleemitanam ſedem nondum obtinuiſſe.*

(a) lib. 19. cap. 1.
(b) ad an. 1159. in fine.

Nequaquam an. Chriſti 1171.

1215. *Quòd autem Regula ante Concilium generale Lateranenſe celebratum anno Chriſti 1215. tempore Innocentii III. data ſit, nec diu ante (atq; ita non an. 1171. ſub Alexandro III.) Sibertus de Beka,* Doctor, omnium opinione & laude celebratus *tradit, in Tractatu ſuper Regulam Carmelitanam: ubi cùm retuliſſet, quod* hujus Religionis Regula à Dom. Alberto Patriarcha Ieroſolymitano tempore Innocentii Papæ III. *tradita eſſet, occaſionaliter tractans de præfato Concilio Lateranenſi, & de Rudulpho ſucceſſore S. Alberti, iſta ſcribit:* Albertus verò Patriarcha prædictus, morte præventus, non potuit intereſſe dictó generali Concilio. Quod Concilium, ſicut legitur in regiſtro decimi octavi anni Pontificatus dicti Innoc. Papæ tertii, fuit poſtea celebratum anno Dom. milleſimó ducenteſimó decimóquintó, Pontificatus ſcilicet dicti Innoc. anno decimo octavo. In quo Concilio interfuit Radulphus Patriarcha Ieroſol. ſicut in eodem Regiſtro legitur, ubi agitur de annotatione Prælatorum, qui dicto Concilio interfuerunt. Ex eo ergo quod Albertus tempore dicti generalis Concilii non erat, ſed prius fuerat Patriarcha Ieroſol. & ex eo quód ipſe exiſtens Patriarcha Ieroſol. dederat Carmelitis dictam Regula, probabatur manifeſtè, quod Carmelitæ ante dictũ generale Concilium ſuſceperant eam. *Hæc Sibertus.*

S. Albertus Regulam dando etiam approbavit.

1216. *Denique animadvertendum, quòd ab Alberto novè tradita Regula eo ipſo ab eodem ſimul approbata, & confirmata appellari debet. Primò propter poteſtatem extraordinariam Legati Sedis Apoſtolicæ, quâ Albertus fungebatur, ut vidimus ſuperius. Ratione cujus etiam ab ipſa Sede Apoſtolica Regula approbata & confirmata dici poſſet. Ea enim, quæ à Legato Sedis Apoſtolicæ, ut tali, fiunt, ab eadem Sede facta eſſe dicuntur. Iuxta Regulam Iuris;* ea noſtra fiunt, quibus auctoritatem noſtram impartimur: *Thomas de Ieſu de Regul. Carmel. par. 2. dub. 3. §.* ex quibus ſequitur. *Secundò, propter poteſtatem ordinariam Patriarchæ, quâ etiam fungebatur Albertus. Unde Philippus Bergomenſis in Supplem. Hiſtor. lib. 13. dicit de illo:* Regulam jure ſuo confectam obſervandam primò obtulit & confirmavit. *Et Wernerus Rolevinck Carthuſienſis, accuratus Hiſtoricus ſic ſuccinctè ſcribit.:* Albertus Jeroſolymitanus Patriarcha Fratrum Eremitarum S. Dei Matris in Carmelo monaſterium in melius erigit, ſanctoque loci illius tunc Priori Brocardo, mortui ſuſcitatione, quàm pluribuſque miraculis coruſco, & ſuis Confratribus, Regulam, jure ſuo ordinariò, tradidit, &c. *Plura circa hoc videri poterunt in Speculi hujus Tomo præcedentis libro 10. cap. 6. & parte 2. variis locis* (a) *& apud Lezana* (b).

(a) n. 725. num 838. & ſeq
(b) ad an. 1205. n. 18.

§. IV. VITA S. ALBERTI, COMPENDIOSE TRADITA:

E*X Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopalis Tabulis, & ex Ioanne Stephano Ferrerio, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo* (c).

(c) in vit. Epiſc. Vercell.

1217 Venerabilis Pater, & Dominus Albertus Hieroſolymitanus Patriarcha, hujus Eccleſiæ quondam Epiſcopus, Deo, & hominibus dilectus, cujus ſuavitatis memoriam eructare, licèt minus idonei, & ſufficientes ſimus: ne tamen viri tanti claritudo per taciturnitatis diſſidiam generationi venturæ in oblivionem deveniat, pauca de vita, moribus, actibus, & fine glorioſo ipſius ſummatim periſtricta, huic paginæ duximus inſerenda. Fuit igitur vir Domini memoratus de Caſtro Gualterii Parmenſis Diœceſis, nobili proſapiâ ortus, qui ab ineuntis ætatis ſuæ primordiis litterali militiæ mancipatus, in liberalibus diſciplinis, & humanarum Legum ſcientiâ coævos ſuos brevi tempore anteceſſit. Cæterùm, ne inquinaretur à pice, ſi tangeret eam, vale facto mundo, & pompis ejus, ad Eccleſiam Mortarienſem, tamquam ad ſalutis portum cum parentibus confugit: ubi cùm jam regularibus diſciplinis, & divinæ legis intelligentiâ non modicum fuiſſet inſtructus, atque in Priorem ipſius Eccleſiæ electus, ne lucerna ejus amplius ſub modio tegeretur, ſed in domo Domini ſuper candelabrum exaltata, cæteros illuſtraret, de ipſo Prioratu ad regimen Bobienſis Epiſcopatus fuit violenter adductus. Indè, paucis evolutis annis, antequam conſecrationis munus reciperet, cum ingenti alacritate Cleri, & Populi, poſtulatus eſt in Epiſcopum Eccleſiæ Vercellenſis: quam per viginti fereannorum curricula viriliter gubernans, tam ſpiritualium, quàm temporalium profectu, eamdem mirabiliter augmentavit.

S. Albertus Deo & hominibus dilectus;
undè ortus
monaſticam vitam amplectitur;
Bobienſis Epiſcopus eligitur.
poſtulatur à Vercellenſibus.

1218. Cum enim eſſet humilis in habitu, parcus in victu, corpore caſtiſſimus, in eleëmoſynis largus, in officio Divino aſſiduus, in prædicatione facundiſſimus, Clericorum, & Laicorum mores verbo, & exemplo miro modo compoſuit, & ad frugem melioris vitæ adduxit. Cumq; ſenſu profundus eſſet, cõſilio providus, ſermone ſplendidiſſimus, conſtans in actu, & utroque jure peritus, à grandi

Virtutes & geſta ejus.

VIII. APRILIS.

ære alieno ipſam Eccleſiam quantociùs liberavit, poſſeſſiones auxit, ædificia conſtruxit, & jura illibata defendit. Inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & Imperium fideliſſimus extitit Mediator: unde, tam Summus Pontifex, quam Imperator privilegio amoris ipſum ſuper alios Epiſcopos diligebant, præſertim Illuſtris Imperator Henricus filius invictiſſimi Cæſaris, cujus gratiam devotionis obſequiis in tantum promeruit, ut nobiliſſimum Caſtrum Veruchæ hujus Eccleſiæ, quod tenebat, ſibi liberaliter reſtitueret, ac ſinceram ejus devotionem magnis, & pretioſis muneribus munificentiâ imperiali donaret.

Pontifici, & Imperatori gratus,

1219. Verùm, ut fulgur, quod exit ab Occidente, & paret uſque in Orientem, tanti viri gloriam conſtitueret in excelſo, ab Orientali Clero, & Populo, in Hieroſolymitanum Patriarcham fuit unanimiter poſtulatus, & per Dominum Papam Innocentium Tertium, ut illò iret, coactus. Ubi dum per octo annos tam ſanctè, & laudabiliter vixiſſet, ut non ſolùm à Chriſtianis, qui eum tamquam Patrem ſanctiſſimum diligebant, verùm etiam à Saracenis, & Paganis in reverentia magna, & veneratione haberetur, diabolicus quidam vir de loco Caluxii Epondienſis diœceſis, quem idem Pater de ſuis exceſſibus corrigebat, eundem venerabilem virum Pontificalibus indutum, & in hac die glorioſa Exaltationis S. Crucis, in Eccleſia S. Crucis Civitatis Acconenſis proceſſionem cum Clero ſolemniter agentem, cultello petiit, & occidit. Et ſic glorioſus Pater, per Martyrii palmam ex hac vita migravit. Priùs enim hujus Eccleſiæ quondam ſponſæ ſuæ memor, pretioſis eam donariis honoravit, videlicet candidis ſericis paramentis ad indumenta Pontificalia facienda, ſcilicet Planetam, Pluviale, Dalmaticam, Tunicellam: item Cathedrâ deauratâ ad uſum Epiſcopi: inſuper duobus urceolis chriſtallinis, auro, argentoque decoratis, & Bacilâ cum urceolo magno, & baculis de chriſtallo ornatis ad uſum Cantorum.

Patriarcha Ieroſol. creatus:

occiditur:

donationes Eccleſiæ Vercell.

§. *V. Vita ejuſdem epitome: ex* ITALIA SACRA *Ferdinandi Vghelli tomo 4. ſub titulo:* VERCELLENSES EPISCOPI.

1220. Beatus Albertus de Caſtro Gualterii Parmenſis, nobili genere ortus, Canonicus Regularis Mortarienſis Cœnobii, Epiſcopus Bobienſis electus, poſt Gualam Bondonium ad Vercellenſem Eccleſiam tranſlatus anno 1184. 12. Kal. Maii, præfuitque ad viginti fermè annos: ex ea an. 1204. Patriarcharum Hieroſolymæ Thronum eſt aſſecutus. Ejus meritorum intuitu Urbanus Tertius Vercellenſem Eccleſiam in protectionem ſuſcepit anno 1187. Clemente Tertio Pontifice poſt Hieroſolymitanum Regnum à Saladino Chriſtianis ademptum, claruiſſe inſigne miraculum in emendationem cujuſdam Parmenſium Dominæ celebratum, quæ fuerat à quinque dæmonibus obſeſſa, dieque octavæ S. Euſebii, meritis ejuſdem Sancti,* Alberto Epiſcopo exorcizante, liberata legitur in veteri Kalendario Vercellenſis Eccleſiæ. Cæterùm anno 1190. quæ Guala prædeceſſor Gualoni Præpoſito, & Canonicis de Santhia conceſſerat, ſuo diplomate infirmavit: Eccleſiam ſuam ære alieno gravatam liberam reddidit, auxitque redditibus & dignitate, Eccleſiaſticâ diſciplinâ defœcatos Clericorum mores reddidit. Apud Henricum IV. Imperat. maximè gratioſus fuit, à quo PRINCIPIS titulo inſignitus eſt, quo etiam ejus ſucceſſores deinceps fulſerunt, hoc dato privilegio anno 1191. In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis. HENRICUS DEI GRATIA ROMANORUM SEMPER AUGUSTUS IN PERPETUUM. Ibi inter alia, iſta ad propoſitum. AD PETITIONEM DILECTI, ET FIDELIS PRINCIPIS NOSTRI ALBERTI, VERCELLENSIS EPISCOPI, ECCLESIAM S. EUSEBII IN PROTECTIONEM IMPERIALEM SUSCEPIMUS.

S. Alberti Patria, & officia:

ipſo exorcizante ob, eſſa à 5. dæmonibus liberata.

* Idem refert Lezana ad an. 1189. n. 4.

Henrico IV. Imperatori quàm charus:

ab eo Principis titulo inſignitus,

1221. Anno 1192. Albertus ſynodum celebravit poſt Pentecoſten, in qua optima promulgavit ſtatuta, quæ uſque hodie aſſervantur. Cœleſtinus Tertius plurimis eum decoravit beneficiis, &c. Anno 1201. menſe Decembri Albertus unà cum Abbate Petro de Locedio Ord. Ciſtercienſis Innocentii delegato ſententiam tulit in iis, quæ inter Abbatem S. Ambroſii, Canonicoſque ejuſdem Baſilicæ vertebantur, tenoris ſequentis; [In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Incumbit nobis ex mandato Apoſtolicæ Sedis, Alberto ſcilicet vocato Epiſcopo Vercellenſi, & Petro dicto Abbati Locedienſi, ut controverſias Monachorum, & Canonicorum S. Ambroſii Mediolanenſis, quæ jam diu ſub noſtro ſunt examine ventilatæ, perducamus ad finem: & quos non revocat Chriſti amor & fraterna charitas ad concordiæ unitatem, compeſcat ſaltem juſtitiæ rigor, & ſententiæ diffinitivæ premat auctoritas. (*ibi conſequenter referuntur bina litteræ Apoſtolicæ Innocentii Papæ III. ac in illis controverſiæ ſtatus, ac denique per B. Albertum, & Petrum Locedienſem Abbatem definitiva ſententia.*) Petrus Locedienſis Abbas, noſtri Alberti Vercellenſis Epiſcopi collega, deindè crucem militiæ ſacræ teſſeram ſumpſit, & electioni Balduini Comitis Flandriæ, Orientis Imperatoris, captâ Conſtantinopoli, unus ex duodecim electoribus interfuit anno 1204. quo quidem anno Albertus è Vercellenſi Eccleſia ad Patriarchatum Hieroſolymitanum tranſlatus eſt.

Synodum celebrat:

controverſias dirimit,

1222. Adeò enim ſanctimoniâ vitæ, doctrinaque inclytus fuit, ut quamvis abſens ſuæque Vercellenſis Eccleſiæ, aliorumque Longobardiæ occupatus negotiis, ex communi conſenſu Patriarcha Hieroſolymitanus ſalutaretur; cùm prius idem onus, defuncto Monacho Patriarcha, Soffredus S. Praxedis presbyter Cardinalis, qui in Syria fungebatur legatione, ſubire noluiſſet. Igitur Innocentius

ſanctimonia, & doctrina inclytus,

centius III. Pontifex adeò ſubjecto Alberto non modò refragatus non eſt, licèt ei neceſſarius eſſet in partibus Lombardiæ, ut eundem etiam ad eam ſedem capeſſendam ſpeciali epiſtola fit adhortatus... Paruit verò Albertus adhortanti Pontifici, & humiliter acquieſcens, ad Apoſtolicam ſedem acceſſit, & in Patriarcham promotus, non ſolùm pallii ornamentum accepit; verùm & officium legationis promeruit, per quadriennium in ſua Provincia exercendum, Genuamque profectus inde in Syriam navigavit. Extat etiam Innocentii epiſtola Regeſt. Vatic. numero 100. lib. 8. ad cunctos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Abbates, & Priores, omneſque Chriſti-fideles tam indigenas, quam peregrinos in Hieroſolymitana provincia conſtitutos, ubi ſe ex communi fratrum conſilio venerabilem Hieroſolymitanum Patriarcham Vercellenſem olim Epiſcopum, quem plurimùm commendat, mittere atque illi ad quadriennium in ea Provincia legationis munus injungendum duxerat. Quapropter omnes eum dimiſſè, atque honorificè ſicut ſeipſum excipere jubet. Datum 16. Kal. Julii anno 1205. eidemque prætereà conceſſit, ut quibuſcumque abſolutionis munus impartiatur; & ii qui ex Italia cùm eo erant ſuis fruerentur præbendis: & in quibuſvis Provinciis, ſine ſcandalo tamen, & aliorum præjudicio, pallio utatur; & per certa tempora excuſaretur à Liminum Apoſtolorum viſitatione, aliaque complura privilegia accepit. Octo & amplius annos in Syriam profectus Hieroſolymitanam Eccleſiam rexit, & cùm plurima edidiſſet eximiæ ſanctitatis exempla, fratribuſque montis Carmeli Regulam ſcripſiſſet, cum palma martyrii evolavit ad ſuperos anno 1214. ipſa die Exaltationis S. Crucis, in Acconenſi civitate, cujus geſta in Vercellenſis Eccleſiæ monumentis rudi ſtylo ſcripta, reperta, atque in catalogo à Ferrerio relata.

Ideo Patriarcha à Pontifice Legationis munere, & aliis privilegiis honoratus,

1223. Porrò ex iis, quæ ex epiſtolis Innocentii aliiſque veris monumentis diximus, colliget quiſque prudens lector, quam diverſus fuerit noſter hic Albertus Hieroſolymitanus Patriarcha (ab Alberto Epiſcopo Bethleëmitico) fuit hic Italus patriâ, Canonicus Regularis, Epiſcopus Bobienſis primùm electus, indè Vercellenſis Epiſcopus: poſt vigeſimum ſui Epiſcopatus annum virtute, ſanctimoniâ vitæ, & rebus per Italiam geſtis clariſſimus anno 1204. per obitum Monachi, & onus ſubire renuente Soffredo Cardinali S. Praxedis, Patriarcha Hieroſolymitanus abſens electus, ab Innocentio III. confirmatus, invitus eam Eccleſiam regendam ſuſcepit, Apoſtolicuſque Legatus in Syriam profectus eſt: Carmelitis certam vivendi normam ſcripſit, poſt octavum annum exactum, nonum attigerat, ſolveratque ex Italia an. 1205. Accone in Eccleſia S. Crucis à quodam ſicario Italo interfectus, martyrii palmam aſſecutus, ibidem ſepultus eſt anno 1214. ante Lateranenſe Concilium, cui intereſſe non potuit ab Innocentio per litteras invitatus. Celebratum enim fuit Concilium anno 1215. 3. Id. Novemb. inchoatum ut cum Veſpagenſi, Stadenſi, Gotifredo pluribuſque aliis conſentit Eccl. Annaliſta Odericus Raynaldus. Albertus Bethleëmiticus Epiſcopus, quem cum noſtro Vercellenſi confundunt, Petri Eremitæ nepos, clarus fuit in Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. anno 1179.

diverſus ab Alberto Bethleëmitico Epiſcopo,

1224. *Hactenus ex Vghello, qui etiam refert latam anno Chriſti 1212. ſententiam per B. Albertum Patriarcham, & Gualterum Acconenſem Epiſcopum, eorum ſignis firmatam, circa aliqua quæ inter communes Januenſium, ac Piſanorum tunc agebantur Accone. Initium ſententiæ eſt:* Albertus Dei gratiâ Patriarcha Jeroſolymitanus, Gualterus Epiſcopus Acconenſis, & Andreas Vicecomes Venetorum in perpetuum. *Illam ſententiam integram habet Vghellus, & ſic concluditur:* Datum Accon in Palatio Epiſcopali anno Incarnationis Dom. MCCXII. II. Idus Aprilis, indictione XVs.

§. VI. *Genus mortis, cultus ſacer.*

1225. **O***Bitum Viri ſancti hujus Marinus Sanutus in libro inſcripto:* Secreta Fidelium Crucis, (a) *ſic paucis attingit.* Albertus Patriarcha Jeroſolymitanus in proceſſione mortuus eſt, cui ſucceſſit * Rodulphus. *Ad marginem nota est* an. Domini 1214. *Annum eundem, & de morte tempore proceſſionis etiam tradunt Tabulæ eadem Eccleſiæ Cathedralis Vercellenſis, in quibus illa:* Decimo octavo Kalendas Octobris 1214. Indictione 2. præſenti die de carnis ergaſtulo egreſſus eſt felic. memoriæ Venerabilis Pater, & Dominus Albertus Hieroſolymitanus Patriarcha. *De genere mortis in iiſdem traditur, quòd in proceſſione, à ſicario occiſus ſit. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum ad eundem diem (XIV. Septembris) ſcribit eum ſacris indutum occubuiſſe. Sic autem ibi:* Ptolomaide in Palæſtina S. Alberti Epiſcopi & martyris. *Et in Annotationibus ſic habet:* Primum Epiſcopus Vercellenſis fuit, deindè Patriarcha Hieroſolymitanus: hic Carmelitis Regulam præſcripſiſſe fertur. Cum Ptolomaide autem ſacris indutus, ut celebraret, à quodam, quem reprehenderat, occubuit. *Vtrumque verum eſſe poteſt, quòd ſacris veſtibus indutus, quibus celebraverat, iiſdem etiam faciens proceſſionem, occiſus fuerit: aut ſic vulneratus, ut tunc, aut paulò poſt* inter ſuos lacrymantes animam Deo ſuavi facie exhalaverit. (b)

(a) L.3. p. 9. c. 5.

S. Albertus quando, quomodo mortuus,

* Al. Radulphus.

(b) Ita in Officio Can. lect. 6.

1226. *De antiquo cultu S. Alberti in Ordine Carmelitano juxta uſum Eccleſiæ Ieroſolymitanæ ab aliquot ſeculis, aut immemoriali tempore, teſtatur Lezana in Annalibus* (c): *ubi iſta in hunc modum:* Cujus (*immemorabilis uſus colendi S. Albertum*) evidens teſtimonium habetur in antiquo Miſſali Carmelitano, in Bibliotheca Tranſpontinæ de urbe reperto, & anno 1509. Venetiis typis excuſo, in cujus Kalendario 8. die Aprilis ſic habetur: [Alberti Epiſcopi,

ejus antiquus cultus in Ordine Carmeli,

(c) ad an. 1214. n. 3.

VIII. APRILIS.

Epiſcopi, & Confeſſoris Hieruſalem, Ordinis Carmelit.] In quo primo notandum, verbum (JERUSALEM) quo denotatur ex uſu Jeroſolymitanæ Eccleſiæ hoc officium, ſeu miſſam celebrari . . . Secundò, quod in eodem Miſſali in principio Rubricarum ſic dicitur. [Incipit Ordinale Miſſarum Fratrum ſacri Ordinis glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo, extractum, & exceptum de approbato uſu Dominici ſepulchri S. Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, in cujus finibus dictorum fratrum alma Religio ſumpſit exordium]: Ex quibus haberi videtur, Miſſam, ſeu officium de B. Alberto Patriarcha, deſumpta ex uſu Dominici ſepulchri Jeroſolymitani: & cùm Miſſale hoc à 145. annis fuerit impreſſum, elicitur uſu immemorali (qui centum annis comprobatur) Ordinem noſtrum B. Albertum ut Sanctum, ſeu Beatum, Miſſâ, & officio coluiſſe. Item, & eodem modo habetur in alio Miſſali noſtro, in eadem Tranſpontinæ Bibliotheca reſervato, & anno 1551. Venetiis impreſſo, quod etiam ex uſu Eccleſiæ Jeroſolymitanæ depromptum dicitur. Idem dicimus in alio quoque Miſſali Lugduni 1556. *Ità Lezana, apud quem ibi conſequenter plura videre poterunt de officio S. Alberti Miſſalibus, & Breviariis Carmelitanis inſerto, antiquo uſu Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Ità quoque Michael Muñoz in erudito opere Romæ elucubrato, approbato, typis edito anno* 1636. Propugnaculo Eliæ (a): [Et qui Sanctus, vel Beatus ab omnibus Scriptoribus de eo agentibus compellatur, in Ordine Carmelitarum octavâ die Aprilis ſub officio duplici celebratur ab antiquo. Ut ex Miſſalibus & breviariis vetuſtiſſimis Ordinis, ſervatis in Bibliotheca Tranſpontinæ, Romæ, comprobatur. Quia hujus Regulæ compilator, inimicorum fugiens inſidias, in Carmelo propè Accon, cum Carmelitis vivere inſtituiſſe jactatur; ut ſub Epiſcopali indumento Thomas Cantuarienſis, Udalricus Auguſtanus, & alii alibi monaſticè deguerunt ab hoſtibus exagitati.] *Ita quoque S. Lambertus inter Patres Benedictinos.*

(a) lib 2. tit.3. cap. 1. art. 2.

Cur non colitur ut martyr?

1227. *Auctoritate Apoſtolica Sedis etiam colitur in Ordine Canonicorum Regularium S. Joannis Lateranenſis. Sed cur colitur ut* Confeſſor, *non ut* Martyr, *quo titulo donatur in Tabulis Eccleſiæ Vercellenſis, & à præfato Philippo Ferrario? Rationem innuit Lezana* (b) *dicens:* In eo Eccleſiæ S. Romanæ reſponſum jure expectari debere. *Quamvis enim occiſus fuerit ab homine nequam, quem ob execrabilem, & nefandam converſationem reprehenderat, & ideo videatur habendus ut martyr, Eccleſia tamen licèt Sanctorum cultum conceſſerit, attamen ut martyrem nondum declaravit.* (c) *Si quis inquirat, quare die VIII. Aprilis feſtũ ejus agatur, cùm obierit XIV. Septembris? Quia eo die ſolemnitas alia eſt in Eccleſia celebris,* Exaltatio S. Crucis, *ideo ad alium diem (fortè tranſlationis) feſtivitas ejus repoſita eſt. Ita contingit in aliis plurimis:* S. *Baſilius obiit primâ Januarii, & colitur 15. Junii:* S. *Ambroſius deceſſit 4. Aprilis, & dies feſtus ejus*

(b) Tom. 4. Annal. ad an. 1214.

(c) Ad hoc propoſitũ vide ſuprà n. 618. & ſeq.

& quare non 14. Sept. quâ occiſus.

agitur die 7. Decembris: ità de aliis multis. Olim officium, & Miſſa, in Feſto S. Alberti erant de communi: modo ſub utroque iſta canitur Oratio, ſeu Collecta: Tuæ benedictionis plenitudo ſuper nos quæſumus Domine, copioſa deſcendat, & jugiter ſancti Alberti Confeſſoris tui, atque Pontificis placare ſuffragiis. *Lectiones ſecundi Nocturni propria ſunt.*

1228 ANNOT. *Ex hactenùs dictis erui poteſt, quantùm à veritate ſcopo aberrent nonnulli, exiſtimantes S. Albertum Patriarcham præfatum, Ordinis Carmelit. primum auctorem. Legifer fuit, Regulam olim à Joanne XLIV. Ieroſolymitano Antiſtite Græcè ſcriptam anno Chriſti 412. & per Aymericum Patriarcham Antiochenum circa annum 1141. in Latinum traductam, magis determinando: & cùm antea magis eſſet hortatoria, tam faciendo præceptivam, circa decem puncta ei à S. Brocardo, & aliis Carmeli Religioſis propoſita, ſicut tradit illorum temporum ſcriptor, doctrinâ, ſanctitate, & prophetico ſpiritu clarus S. Cyrillus, in libro, ſeu Epiſtola ad Euſebium. Legiſlator itaque, propagator, & inſignis benefactor fuit, neutiquam inſtitutor, ſicut plenius declaratum eſt tomo præcedenti* (a) *in Annalibus à Lezana* (b) *& in Vinea Carmeli* (c). *Sufficiant hic præfati S. Cyrilli verba perſpicua, in dicto libro ſcribentis de perſecutionibus Ordinis per Coſdroem circa annum Chriſti 617. & Humar circa 639.* Probatiſſimi Monachi noſtræ Religionis dimiſſis manſionibus quas habebant in urbibus, & villis, hunc Carmeli montem non deſerentes, jugiter in eo, & in quibuſdam aliis eremis Terræ ſanctæ permanſerunt ſub diſciplina monaſticæ vitæ eremiticæ, per Eliam prophetam inſtitutæ, & in prædicto Joannis libro deſcriptæ. *Et longe infrà:* Dominus Patriarcha Albertus, &c. Monaſterium in hoc monte Carmelo, juxta fontem Eliæ prophetæ, ædificari fecit: infra cujus ſepta includi, ac renovari juſſit Capellam, quam ad honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ prædeceſſores eorum poſt aſcenſionem Chriſti conſtruxerant. *Verba illa ita clara ſunt, ut nulla indigeant gloſſa, nempe de Carmeli Religione (de qua ibi tractat) per* Eliam Prophetam inſtituta, *& de* diſciplina monaſticæ vitæ *(id eſt Regula) in* prædicto Joannis *(XLIV. Epiſcopi Ieroſolymitani)* libro deſcripta: *& de* Capella *a Carmeli Religioſis S. Eliæ poſteris,* poſt aſcenſionem Chriſti conſtructa. *Ex quibus omnibus propatulum eſt, Carmeli Ordinem à S. Elia* inſtitutum *ſeculis multis extitiſſe ante S. Albertum Patriarcham: & iſta tam perſpicua ſunt, ut ſuperfluum eſſet, diutiùs illis immorari.*

(a) n. 301. & ſeqq.

(b) ad an. 1205. n. 10.

(c) n. 1093. & ſeq.

S. Albertus Patriarcha Legiſlator: ſed non Inſtitutor Ord. Carmelit.

qui ante ſeculis multis extitit, inſtitutus à S. Elia.

1229. *Quòd autem ipſe primus Regulam Ordinis non ſcripſerit, & dederit, ſed ex alia anteriore, ſcripta, & tradita annò Chriſti CCCCXII.) contenta in libro* de inſtitutione primorum Monachorum *habetur ex dictis tùm tomo præcedenti* (d) *tum hic paulò ante §. 3. Et profectò, quòd (ſicut ibi auctoritatibus confirmatum eſt)* nulla aut pauca Albertus in prædicta Regula inſerat quæ Joannes priùs in Inſtitutione hujus Religionis non ſcripſit, *perſpicuum eſt, facta utriuſque diligenti & accuratâ collatione; nam non tantùm in utraque quoad ſubſtantiam, ſed quandoque etiam in verbis apparet identitas. Aliquot exemplis id ad oculum demonſtraſſe è re erit. Imprimis* REGULA ANTIQUA *(ſeu liber præfati Joannis XLIV.) cap. 16. habet* Monachalem vitam Eremiticam Elias ipſe in ſolitudinibus, & maximè in monte Carmeli duxit. *Et cap. 11. de ejus diſcipulis:* Religioſam vitam ſolitariam ſigillatim in modicis tabernaculis, & ſpeluncis, aut cavernis, atque cellis, continuè & inceſſanter duxerunt juxta fontem Eliæ: *ſcilicet in Carmelo. Hinc S.* ALBERTUS *Regulæ ſuæ prologum his auſpicatur verbis:* Albertus Dei gratiâ Jeroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha: Dilectis in Chriſto filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontem Eliæ in monte Carmeli morantur: *& infra:* Loca autem habere poteritis in eremis, aut ubi vobis donata fuerint. *Et cap 3. Statuitur, ut (ſicut in anteriori Regula) ſinguli ſingulatim, ſeu ſoli in cellis maneant:* Singuli ſingulas habeant cellas ſeparatas: *& infra:*

(d) nu. 336. & ſeqq.

Regula per S. Albertum deſumpta ex anteriori tradita anno Chriſti 412.

In variis etiam eadem ſunt [illegible] ita:

id aliquot exemplis palam fit.

Maneant ſinguli in cellulis ſuis, aut juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes *Porro* Cellulæ, modica tabernacula &c *pro eadem ſumuntur*. REGULA ANTIQUA *cap 7. præſcribit, qualiter Deo ſervire debeamus* : Ex fide non ficta, ſed vera, mihi deſervias . . . de corde puro, & conſcientia bona. S ALBERTUS *in prologo eadem inſeruit* : In obſequio Jeſu Chriſti vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro & bona conſcientia deſervire. REGULA ANTIQUA *cap.44 hæc habet de caſtitate* : in ſacra Scriptura legimus Eliam ideo primò omnium zonâ pelliceâ fuiſſe in lumbis cinctum, quia primus hominum hôc ſignô dedit Monachis exemplum reſtringendi in lumbis, & mortificandi omnis luxurioſi motus incenſivum *Et ibidem paulò ante* : Lumborum enim accinctio, & ambitus zonæ pelliceæ, ſignificat Monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ ſeminaria continentur. *Hinc* S. ALBERTUS *cap. de Armis ſpiritualibus, de caſtitate* : Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis. REGULA ANTIQUA *cap 7. præſcribens, qualiter reſiſtendum tentationibus, commendat fidem* : Debet monachus fide munitus reſiſtendo eas longius propulſare. S. ALBERTUS *cap. de Armis ſpiritualibus ſimiliter tentationes per virtutem fidem propulſandas docet* Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. REGULA ANTIQUA *cap.7. ſic commendat charitatem*. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: *& aliquantò poſt* : Diliges proximum tuum ſicut te ipſum S. ALBERTUS *cap. 14.* Dominum Deum veſtrum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute diligatis : & proximum veſtrum tanquam voſmetipſos. REGULA ANTIQUA *quàm maximè commendat ſilentium variis locis, & quidem cap 21. his verbis* : Juſtitia in Carmelo ſedebit : & erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium. *Et infra* : Teſte Sapiente, in multiloquio non deerit peccatum. S ALBERTI REGULA *etiam quàm maximè verſatur in commendatione ſilentii, ferè iiſdem verbis ſic, cap 16* Quemadmodum Propheta teſtatur, cultus juſtitiæ ſilentium eſt. *Et infra* : Quoniam ſicut ſcriptum eſt, & non minus experientia docet, in multiloquio non deerit peccatum. *Et iſta aliquot ſpecimina, nonne perſpicuè demonſtrant, & evincunt identitatem (quoad ſubſtantiam) Regulæ antiquæ, & modernæ? Sed illa hîc obiter tacta, pleniùs proſequemur, Deo dante, in Speculi hujus parte 6 ubi de Ordinis hujus triplici Regula, unâ & eâdem in ſubſtantia.*

MAIUS

II. MAII.

VITA BEATI STANISLAI POLONI

ex Catalogo Sanctorum Regni Poloniæ edito per Varſevicium Cracovienſem Canonicum, & ex Biſcareto in Palmitibus Vineæ Carmeli, ac Annalibus Ordinis ad annum 1420.

1230. BEatus Staniſlaus Bidigoſtia, Poſnanienſis Diœceſis Carmelita, devotiſſimus, ac eximiæ ſanctitatis, Ordinis ſui in Regno Poloniæ decus, omni genere virtutum, & miraculorum gloriâ conſpicuus dicitur. Is ad prædicandum verbum Divinum in Pruſſiam miſſus, uberem fructum in vinea Domini, cum mercede apud Deum multa, ibidem retulit. Multos etenim ad agnitionem veri luminis, id eſt, Chriſti Jeſu, piis exemplis, & doctrinâ ſanâ, vitâ immaculatâ, omnique prorsùs reprehenſione vacuâ pertraxit : ita ut paſſim gens illa, non ſine Spiritus ſancti in eam inſpiratione ad eum concurreret ; vaniſque idolis abjectis, ſoli Deo adhæreret. Quo Sacerdotes idolorum comperto, multos ab inſano eorum cultu avelli conſpicientes, ſtimulis & furore Sathanæ agitati, ſubornato uno ex idololatris, virum Dei clàm, cum in aperto propter novos Chriſtianos non poſſent, è vita tolli proponunt ; qui opus conceptum perfici jurans, ſolum in oratione præſentem gladio transfixit, ſanguinemque ipſius innocentem effudit. Itaque vir cæleſtis martyriô coronatus eſt. Sed nec impius occiſor pœnas Divinas evaſit : illicò etenim diſparuit, ignoraturque, an à dæmone raptus, an verò terræ hiatu abſorptus fuerit, cùm ejuſdem nulla notitia extiterit. Sacrificuli verò idolorum oculorum cæcitate à Deo puniti ſunt, miſerèque finierunt. Beati viri corpus Chriſtiani repertum, maximo cum honore, & devotione Bidgoſtii in Cuiavia in monaſterio ſui Ordinis ſepelierunt hoc anno 1420. die ſecundâ Maji.

VITA

An. MCCXX.

VITA S. ANGELI HIEROSOLYMIT. MARTYRIS, DOCTORIS, VIRGINIS,

Nati favore Deiparæ Virginis, etiam nomen imponentis.

In ea continentur VATICINIA

De Chriſtianæ Reip. afflictione, ac dein conſolatione; Turcici imperii incrementis, & denique excidio; Hungarici Regni frequenti vaſtatione; tandemque Hieroſolymæ recuperatione;

NOTATA PRÆVIA.

§. 1. *Cultus S. Angeli: elogia, & teſtimonia nonnulla Sanctitatis ejus: colloquium, & converſatio cum SS. Dominico ac Franciſco.*

1231. *Solemnizatur feſtum S. Angeli per totum Carmeli Ordinem ſub ritu Duplicis majoris die V. Maji, cum Octava: & ad diem XXVII. Auguſti feſtum Tranſlationis ejus, ſub ritu Duplicis minoris. Quantâ autem ſolemnitate colatur in Sicilia, præſertim Leocatæ, & Panormi, dicetur ad dictum diem XXVII. Auguſti. Cultum & venerationem ejus incepiſſe paulò poſt ipſius martyrium, colligitur ex capite primo vitæ ejus. Cæterùm in Ordine Carmelitano cultum illius antiquiſſimum eſſe, habetur ex vetuſtis Catalogis Sanctorum Ordinis, & ex Kalendariis Miſſalium, ac Breviariorum vetuſtorum omnium quæ hactenus vidimus: in quibus ad diem V. Maji legitur:* S. Angeli Martyris Ordinis noſtri: Duplex. *Ad præfatum diem, in Martyrologio Romano nunc his commemoratur verbis* Leocatæ in Sicilia S. Angeli Presbyteri, Ordinis Carmelitarum, qui ab hæreticis, ob defenſionem Catholicæ Fidei, trucidatus eſt. *Cardinalis Baronius in Annotationibus ſubnectit:* Scripſit ejus res geſtas Enoch Hieroſolymitanus: de eodem etiam Molanus in addit. ad Uſuardum hâc die. Habes eaſdem in compendium redactas in Theſ. Concion. Tomo 2. hâc die. *Hæc Baronius,* Dicitur ab hæreticis trucidatus; *nam Berengarius (ſeu Belingarius) qui S. Angelum prædicantem occidit, homo ſceleſtus & impius, etiam hæreticus erat,* divina oracula deteſtans * *quod & de complicibus ejuſdem exiſtimandum. Martyrium S. Angeli contigit Licatæ, ſeu Leocatæ: & ibi, ſimiliter & Panormi, tamquam ſpecialis Protector ſolemniter colitur. Panormi quæ S. Angelus tempore 40. dierum fecerit, narratur in ejus vita, cap. 22. Panormum etiam Imago Deiparæ, & aliæ Reliquiæ à S. Angelo allatæ fuerunt. Ideò in Martyrologiis, ubi de S. Angelo licèt ordinariè addatur* Licatæ, *ſubinde ponitur* Panormi. *Ita de S. Anaſtaſio, licèt paſſo in Perſide, apponitur:* Romæ ad Aquas-ſalvias: *ſic non infrequenter in aliis. Ioannes Gillemanus in Martyrologio, ſeu Agiologio hoc cum elogio commendat:* Tertio nonas Maji, apud Leocatam Oppidum Siciliæ, Beati Angeli de Jeroſolymis Carmelitæ: qui poſteaquàm, velut nubes imbrifera, prædicando circumquaque diſcurrens, complures Chriſto lucrifecit animas; pro Fidei veritate & pudicitiæ tuitione, tamquam alter Joannes Baptiſta, martyrizatus eſt. *Conformiter ſcribit Wernerus Rolevinck Carthuſienſis in Faſciculo Tempor. circa ann.* 1220. S. Angelus Hieroſolymitanus Carmelita vir Sanctioribus annumerandus, &, ut paucis multa dicam, nominis ſui verè Speculum, velut nubes imbrifera prædicando circumquaque diſcurrens, innumeras Chriſto lucrifecit animas: cui etiam tandem poſt multa miracula proprii ſanguinis mortis vicem reddidit.

* *Vide hic infra cap. 25.*

1232. Cardinalis Cæſar Raſponus * *in opere* de Baſilica, & Patriarchio Lateranenſi, *dicato Alexandro VII. Romæ* 1656. *lib. 2. cap. 13. poſtquam retulit D. Dominicum viſitaſſe dictam Baſilicam, tempore Honorii III. iſta tradit de S. Angelo:* Hôc ferè tempore Romam venit S. Angelus Carmelita, & in Lateranenſi Baſilica ad frequentiſſimam populi Romani turbam graviſſimam concionem habuit. Cùm verò inter ejus auditores S. Franciſcus, & S. Dominicus adſtarent, uterque ipſi penitùs ignotus, divinò nutu eorum ſanctimoniæ ac virtutis admonitus, adeſſe ibi duas inſignes Catholicæ Eccleſiæ columnas, ex ipſo ſuggeſtu, prophetico ſpiritu plenus, edixit. Abſolutâ concione, ambo ad eum accedentes, provolvi ad ejus pedes conati ſunt, ſed datis amplexibus invicem ſeſe mutuis charitatis officiis excepêre, ſimulque ad S. Sabinam commeavêre, ubi S. Franciſcus S. Angelo, fore, ut in Sicilia Martyr occumberet, atque ille viciſſim S. Franciſco, ut ſacris ſtigmatibus inſigniretur, prædixit. *Eiſdem ferè verbis refert caſum prædicationis, & prophetiæ S. Angeli* Franciſcus Haroldus *Lector jubilatus, & Chronologus Ordinis Minorum,* in Epitome Annalium ejuſdem Ordinis Lucæ Waddingi (a) *liber eſt editus Romæ, apud Angelum Tinaſſium anno* 1662. *Ante iſtos, idem exaraverat pie juxtà ac eleganter* Petrus Rodulphius *Ordinis Minorum, Epiſcopus Senogallienſis, in* Hiſtoria Seraphica

* *Al. Raſponi.*

in Lateranenſi Eccleſia prædicat præſentibus SS. Dominico, & Franciſco:

Sanctorum iſtorum trium pia colloquia:

(a) To. 1. ad an. 1216. n. 6.

V. MAII.

(a) l. 1. pag. 12.

Religionis, *edita Venetiis* (a). *Supra portam cellulæ, quam apud S. Sabinam* (*monaſterium eſt Ordinis Prædicatorum, in Urbe ad montem Aventinum*) *S. Dominicus inhabitavit; legitur hæc inſcriptio:*

Memento poſteritas, & memorare,
Hunc, quem præteris angulum peranguſtum,
Sat auguſta is fuit SS. trium virorum curia:
Dùm anno ſalutis MCCXIX. iſthic
Divinis in colloquiis pernoctarunt
Trium Ordinum primitiva Lumina,
Militantis Eccleſiæ fida columina,
Franciſcus Seraphicus,
Angelus Martyr Carmelita,
Et Dominicus cellulæ hujus inquilinus.
Audi Roma:
Feliciùs hic ſupervolat Aventino tuo augurium,
Ex tali Heroûm triſigmate:
Quàm qui olim Romulo tuo ſpectati ibidem
Tres vulturum * quaterniones.

* Notiſſima eſt hiſtoria de vulturibus, ſuper hunc montem convolantibus, & Romulo ac Remo, ſub initium Urbis conditæ viſis.

Iſta ante biennium Romá accepi à R. P. moderno Regente Conventus S. Mariæ Tranſpontinæ, qui addebat ſequentia: Proſtabat adhuc hæc inſcriptio an. 1668. ſub tempore Quadrageſimali: quo currente ego ipſe, qui hæc ſcribo, in Societate R. P. Brunonis à S. Petro Belgæ Carmelitæ (in florenti ætate defuncti) per otium legi, ac exſcripſi: verum occaſione novæ fabricæ ibi peractæ, ſacello (quod olim cellula) intus, ac in facie marmoribus elegantiſſimè incruſtato, aboliti ſunt characteres: ut vidi, & indolui hoc anno 1671. *Ita ille. Hiſtoriam eandem tradunt* ENOCH in vita S. Angeli cap. 21. *hic infrà, & cæteri Scriptores vitæ ejuſdem,* Joannes Groſſi, in Viridario (b) Baptiſta Mantuanus *variis locis* (c) Arnoldus Boſtius, *in libro* de Viris illuſtr. *hic infrà parte 5.* Aubertus Miræus (*qui ſequuntur*) *atque alii plures, & Theophilus Raynaudus ſic eleganter:* (d) Sanctus Angelus admirabili vir ſanctimoniâ, beatiſſimis Dominico & Franciſco, duobus ſacræ militiæ Pyrphoris, luculenter celebratus, non abſque reciproca laudatione: narrat enim Vincentius Antiſtius (quod à ſe depromptum è Codice Vaticanæ Bibliothecæ teſtatur) cùm ſancti Dominicus & Franciſcus Angelum in Lateranenſi Baſilica concionantem audiſſent, quamvis priùs Angelum nè de facie quidem noſſent, nec ipſos Angelus vidiſſet unquam, divinò tamen lumine illuſtratos, alterum alteri divina beneficia cum tempore obventura prænuntiaſſe. Et Angelum quidem B. Franciſco ſacrorum Chriſti ſtigmatum impreſſionem tanto ante prædixiſſe; reponente Franciſco, manere ipſum Angelum alia ſtigmata per Dei hoſtes apud Siculos inurenda, illatò truculentò lethò quinis pectoris perfoſſionibus, & capitis per impactam ſicam ſauciatione, in ipſa ad populum concione, ob immanem inceſti fratris libidinem. Dominico autem Angelus prænuntiavit hoſtium fidei debellationem operà ejus præſtandam, & ſecuritatem per eum cauſæ Chriſti, abactis lupis, conciliandam. Viciſſim Angelus à Dominico multis laudibus cumulatus eſt, ac de inſigni gloria, quæ ipſum maneret, præmonitus. Qui Dominicum atque Franciſcum ſortitus eſt encomiaſtas, non fallendi artifices, inſcios adulandi, verbum bonum in cordis penum divinitùs inditum eructantes; non portavit nomen vacuum, ſed etiamnum peregrinans, verè (quod dicebatur) ANGELUS fuit.

(b) Tomo præced.
(c) in Apolog. ad Sigiſm. Card. & lib. 5. Faſt.
(d) lib. de Scapulari Mar. p. 1. cap. 4. § 4. Tomo 7. pag. 260.

1233. Aubertus Miræus *librô de origine, & incrementis Ordinis Carmelitani, cap. 6. Epitomen vitæ S. Angeli tradens, ſic, inter cætera.* S. Angelus nobilibus parentibus, ad fidem converſis per viſum Beatiſſimæ Virginis, prolem, nomenque prænuntiantis, Hieroſolymis ortus, Angelicæ virtutis ab infantia ſpecimen dedit. *Conſequenter agit de ejus doctrina, ingreſſu in Religionem, aſſiduitate orationis, ſeceſſu in deſertum, ac ferventiſſima, & fructuoſiſſima prædicatione, quâ innumeras Chriſto lucrifecit animas: ac tandem de colloquio cum SS. Franciſco, & Dominico:* Romam perveniens à ſanctis Viris Franciſco & Dominico agnitus, in honore habitus, & familiariter tractatus, B. Franciſco ſtigmatum impreſſionem prædixit, à quo & ſui Martyrii prædictionem accepit. *Et infra, de ejus martyrio:* In media concione quinquies pugione perfoſſus eſt, flexiſque genibus pro perſecutore, populoque precatus, Pſalmum: *In te Domine ſperavi,* pronuntians ad verſum, *In manus tuas,* è cœlo ad triplicem aureolam vocatus, animam ſub columbæ candidiſſimæ ſpecie viſam, efflavit. Et clariſſima lux corpori affulgens, cantuſque cæleſtes, ac ſuaviſſimus odor, Martyris exitum honeſtarunt. Fons olei à primis Veſperis uſque ad ſecundas, ſcaturit in eo loco, ubi Martyris ſanguis effuſus eſt, quô, ſi qui, eodem die perunguntur à diverſis languoribus liberantur. Scripſit ejus res geſtas B. Enoch Patriarcha Hieroſolymitanus, ejuſdem individuus comes. Abraham Bzovius *in Annalibus Eccleſ. ad an. Chriſti* 1220. *num. 15. etiam habet compendium ejus vitæ* EX ENOCH. Thomas Faſælius *de rebus Siculis decade primá, lib. 5. cap. 3. & Lezana in Annalibus Carmelitanis, ex iſto hæc tradunt de S. Angeli vaticiniis:* Nobilitatur Sepulchro Angeli Carmelitæ Hieroſolymitani pii viri, qui de Turcarum exortu, incrementis, ac demùm excidio multa vaticinatus eſt. *Ita illi: De iſto Vaticinio, ſeu Prophetia S. Angeli quoad Turcas, ſæpiùs agitur in Annalibus Carmelitanis tomo 4. & quidem ſic ad annum reparatæ ſalutis* 1368. *num.* 8. Amurates Turcarum Princeps magnos per hæc tempora tum in Europa, tum in Aſia fecerat progreſſus &c. Hæc nos ſcribimus, ut certus Domini Propheta ſanctus Angelus Carmelita noſter noſcatur, qui hæc mala Chriſtianitati imminentia ante multos annos præſagâ mente prædixerat. *Pro aliis locis videri poterit in Indice eorumdem Annalium ſub littera* P. Prophetia S. Angeli adimpleta.

S. Angelus favore B. V. Mariæ natus.

In concione occiditur.

Cantu cæleſti, & miraculoſo oleo honoratur.

Vaticinatus eſt S. Angelus de Turcis.

1234. Joannes Balæus, *mordaciſſimus hæreticus, quamvis de cæteris Sanctis contemptibiliter*

ſcribat,

V. MAII. *ſcribat, attamen D. Angeli propheticum ſpiritum, & ſanctam vitam vario in loco memorat, & approbat. Inſuper in Cathalogo Scriptorum Britanniæ in Appendice ad Richardum Eligenſem.* In quodam Kalendario Hiſtorico reperi, quòd anno Domini 1220. Carmelitæ per Europam celebrari primùm cœperint, poſtquàm Angelus Hieroſolymitanus, ejuſdem Ordinis Eremita, Romæ prædixiſſet Chriſtianorum Rempublicam brevi affligendam eſſe. *Et Centuria 8. ad Davidem Boiſium*: Mahumetes magnus Turcarum nonus Imperator atrociſſimus: hic Conſtantinopolim, Eubœam, & Theodoſiam cepit, ac Hydruntem in Italia expugnavit, juxta Angeli Martyris vaticinium. *Similia habet Centuria 4. de tempore Bonifacii VIII. ubi S. Angeli prophetiam de dilatatione Turcici imperii refert, & probat. De ejus canonizatione ſcribit Centuriâ 8. ad Guilielmum Bertoner his verbis*: Pius ſecundus Angelum Hieroſolymis natum, Carmelitam Martyrem canonizavit, ſollicitatore Joanne Soreth. *Ipſiſdem ferè ſermone ſubdit conſarcinatores Bibliothecæ Tigurinæ, in qua hæc de S. Angelo*: Angelus Hieroſolymæ natus, genere Hebræus de tribu Juda, Eremita montis Carmeli, ſub Doctore Cyrillo, Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, plures Judæorum ad Euangelii Fidem convertit. Hic doctrinâ, & vitâ ſanctiſſimus, futura prædixit multa, de regno Turcarum ampliando, de Repub. Chriſtianorum affligenda ... Martyrio tandem in Sicilia coronatur ſub Duce Berengario, quòd ejus inceſtum redarguerit, an. Domini 1220. Enochus, & Mantuanus. *Sed quorſum iſta ex hæretico illo? Quia, S. Chryſoſtomo teſte*, veritatis maximum argumentum eſt, cùm quis inimicos ad teſtimonium adhibet. *De præfatis per S. Angelum vaticiniis plura dicentur in ſequentibus.*

Et de Rep. Chriſti aſfligenda per Turcas.

§. 2. *Scriptores Vitæ S. Angeli.*

1235. V*itam S. Angeli primigeniam ſcripſit (ſicut Baronius, Molanus, Aubertus Miræus, Bzovius, Octavius Cajetanus & alii tradunt)* ENOCH HIEROSOLYMITANUS: *de quo etiam in præfata Bibliotheca Tigurina litterâ* E. *iſta leguntur*: Enochus de Jeruſalem Eremita montis Carmeli, Hebraicè & Latinè peritus, ſcripſit D. Angeli, cujus comes erat, vitam & martyrium libro uno: claruit anno Domini 1220. *De eodem Enocho hæc in Annal. Carmel. To. 4. leguntur*: (a) Hujus porrò Enochi vita, quantùm ex Auctoribus variis, præſertim in ipſa Hiſtoria S. Angeli ab eodem ſcripta, haberi poteſt, hæc eſt: Fuit hic Pater natione Palæſtinus, ſancti Angeli (ejuſdem nationis) ſocius, & in Patriarchatu Jeroſolymitano Nicodemi, Honuphrii, & beati Joannis ſucceſſor pro Syro-Græcis; cùm & ipſi tales fuerint, nec alterius nationis homines Palæſtini pro Antiſtitibus acceptarent. *Et infrà*: Socius ejuſdem Martyris cum Joſepho de Emmaus, & Petro Bethlehemitano pro itinere in Alexandriam, Siciliam, & Romam peragendo, ab eodem electus, totius ejus ſanctæ converſationis, & mortis, teſtis oculatus adfuit, ut & ipſe teſtatur cap. 19. ejuſdem Hiſtoriæ. Undè poſteà in Hieroſolymitana Synodo ... in qua Angelum Divorum numero Græci illi Antiſtites, quatenùs poſſent, adſcripsêre, ipſe Enoch teſtimonium perhibuit, prout habetur ex cap. 1. ejuſdem Hiſtoriæ. Ad dignitatem Patriarchalem Jeroſolymitanam, pro Syris videlicet, & Palæſtinis, aſſumptus videtur poſt Patriarcham illum, qui, ut anno eo diximus, Synodo eidem factæ pro S. Angeli ſanctitate comprobanda affuit.

Enoch Ieroſol. Scriptor Vitæ S. Angeli.

(a) ad ann. 1227. n. 5.

Patriarcha Ieroſ. Syro-Græc.

1236. *In iiſdem Annalibus ad annum Chriſti 1286. de præfato Enocho, & Vitâ S. Angeli per eum ſcriptâ iſta annotantur*: (a) Ipſorum (*Angeli & Ioannis*) Vita ab Enoch Hieroſolymorum Patriarcha, ejuſdem Angeli in peregrinatione ſocio, anno 1227. deſcripta; quam diſpoſitione divinâ à 100. annis, & ſuprà, in manuſcripto codice reperit Thomas Belloroſius Panormitanus Apoſtolicæ Sedis Notarius: & ad Nicolaum Audeth, totius Ordinis Generalem tunc temporis, tranſmiſit, qui eam Panormi typis mandari curavit; prout factum eſt ſub anno 1527. & ex Latina Tuſcho idiomate tranſcriptam Joannes Baptiſta de la Roſa Panormitanus Canonicus, etiam Panormi an. 1597. Habetur etiam Latina in manuſcripto Vaticanæ Bibliothecæ ſub num. 3813. illamque Benedictus Gononus Cæleſtinus Monachus typis iterum mandavit in tomo De Vitis Patrum Occidentalium libro 4. quamque ex pervetuſto quodam Codice manuſcripto, Romæ mirabiliter reperto, & à Reverendiſſimo Domino Roberto Berthelot Epiſcopo Damaſceno, & Suffraganeo Lugdunenſi, excepiſſe fatetur. Illam recipiunt D. Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ſub die 5. Maji, Petrus Galeſinus ibidem, Joannes Molanus in additionibus ad Uſuardi Martyrologium in margine, &c. Quia tamen Codex ille Vaticanus, & is, quem ſuo operi inſeruit præfatus Benedictus Gononus, haud paucis, nec levibus mendis ſcatere conſpicitur, propterea non ipſis, ſed eo, quem præfato anno 1527. Panormi typis commiſſum diximus, ſemper utemur, dum de prædictis ſancto Angelo, ejuſque germano Ioanne, ſermonem inſtituemus.

(a) Ann. 1286. n. 4.

S. Angeli Vita quando ſcripta & typis edita.

1237. *Præfatum Thomam Belloroſium magnæ virum auctoritatis fuiſſe, habetur ex iis, quæ geſſit in Hungaria, & ipſe refert in Epiſtola dedicatoria, libro infrà præfixâ Vitæ ſancti Angeli: cujus exemplar venerabilis P. Joannes Baptiſta de Lezana ante annos XXVI. in Belgium miſit cum litteris hujus tenoris*: Tranſmitto ad Veſtram R. Paternitatem Vitam noſtri S. Angeli tranſcriptam ex ea quæ apud me extat impreſſa Panormi, & dicata Generali Nicolao Audeth: ad cujus normam aliæ Vitæ ejuſdem Sancti corrigi & emendari debent. Sunt enim in multis vitiatæ, ut patet in ea quam habet Benedictus Gononus in Vitis Patrum Oc-

V. Maii.

cidentalium ; … Romæ x. Auguſti 1647. *Superſcriptio erat:* R.P. Danieli à Virgine Maria, Sacræ Theologiæ Lectori, Ordinis Carmelitarum. *Initium, ſeu titulus libri illius eſt :* VITA S. ANGELI MARTYRIS, CUM REVELATIONIBUS EI A CHRISTO FACTIS IN DESERTO: QUIBUS PRÆDICUNTUR INVASIONES, CALAMITATES, EXCIDIA, EVERSIONES REGNORUM, ET AFFLICTIONES CHRISTIANORUM IN MULTIS PROVINCIIS, ET PRÆCIPUE IN ITALIA. *Ex illo exemplari vita illa anno 1666. notis noſtris illuſtrata edita fuit Bruxellis : & hæc eſt altera editio in Belgio.*

1238. *Vitam ſancti Angeli verſibus edidit magnus Poeta Baptiſta Mantuanus libro 5. Faſtorum, Arnoldus Boſtius in libro de Patronatu D. Virginis ſcripto anno Chr. 1479. brevi compendio, & luculentius in Speculo hiſtoriali in decem capita diſtributam tradit. Idem Auctor in libro de Viris illuſtribus hujus Ordinis eandem etiam contractiorem habet.* Scriptores alii Vitæ S. Angeli. *Hujus ſancti Martyris Vitam in compendium redactam habent quoque Ioannes Paleonydorus libro 3. Hiſtoriæ Carmelitanæ cap. 3. In Menologio Carmelitano per Thomam Saracenum edita fuit Vita ex MS. Vaticano; at in nonnullis alterata & decurtata apparet. Pleniorem dedit præfatus Gononus; ſed & in ea aliqua ſunt emendanda, ſicut jam ante eſt dictum. Agitur quoque de ſancto Angelo in Martyrologiis Maurolici & Bardi, & in Faſtis Sanctorum Heriberti Roſweydi, & apud alios.*

1239. *Sed inter omnes (poſt primigenium Scriptorem* Enoch*) uberius & accuratius vitam S. Angeli tradit P. Octavius Cajetanus Societatis* JESU, *Tomo 2.* de ſanctis Siciliæ : *ubi etiam adjecit* Animadverſiones *in eamdem. P. Lezana autem Tomo 4. Annalium Carmelitanorum, juxta ſeriem annorum, natalitia, acta, & martyrium ſancti Angeli ordinate digeſta refert.* Vita ſancti Angeli edita Italicè, Hiſpanicè, Gallicè, & Belgicè. *Et illi omnes de S. Angelo ſcripſerunt idiomate Latino. Italico ſermone ejuſdem Vitam evulgavit ſupranominatus Ioannes Baptiſta de la Roſa, nec non Reverendiſſ. P. Ioannes Antonius Philippinus, Generalis Ordinis ejuſdem (& inde eſt deſumpta Sinopſis Miraculorum quorumdam recentiorum (vide infra.) Hiſpanicè edidit Ioannes Pinto de Victoria, in Hierarchia Ordinis Carmelitani cap. 6. Gallicè publicarunt Irenæus à S. Catharina, & Michael à S. Spiritu. Belgicè conſignavit, & typis edi curavit Petrus Nyverſeelius.*

§. 3. *Synodus comprobans B. Angeli ſanctitatem.*

1240. C*Apite 1. vitæ S. Angeli (quæ ſequitur) legitur :* Congregatis in S. Hieroſolymitana Synodo ſanctis Patribus. *Synodum illam Ieroſolymis habitam refert Venerabilis P. Lezana in Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 1222. ubi inter alia hæc :* Videtur autem hanc Synodum nationalem fuiſſe ex Syro Græcis ſolùm Epiſcopis adunatam, nec propterea contemnendam, ſed potius venerandam. Synodus comprobans B. Angeli ſanctitatem. Etſi enim vera, & legitima Divorum Canonizatio, ſolùm ad Sedem Apoſtolicam Romanam pertinere dignoſcitur, non tamen propterea Orientalis Eccleſiæ Catholicorum Antiſtitum (quales hos fuiſſe credimus) judicium ſpernendum, pro ſancti Angeli ſanctitate comprobanda. *Quis autem tunc fuerit Patriarcha Ieroſolymitanus aſſiſtens, ſeu præſidens illi Synodo, habetur ex Cap. 10. Vitæ S. Angeli ſub finem. erat nempe Honuphrius ſucceſſor B. Ioannis, diverſus ab eo qui ſecutus proximè fuerat Nicodemum. Vide Notas ad dictum Cap. 10. Ille autem Patriarcha, & triginta ſex Epiſcopi Capite 4. recenſiti, approbatores fuêre ſanctitatis B. Angeli, auditis teſtimoniis trium Antiſtitum eôdem Capite 1. nominatorum, videlicet Ieraſimi Archiepiſcopi Nazareth, Ioannis Archiepiſcopi Nazareth, Ioannis Archiepiſcopi Cæſarienſis, Petri Epiſcopi Bethleemitani, atque aliorum plurimorum, qui aliquando ipſi S. Angelo convixerant, aut cum eo converſati fuerant.*

1241. *Animadvertendum hîc, quòd ſub ea tempora Ieroſolymitani Patriarchæ duo eſſent, alter Latinus pro Latinis, reſidens Achone (quæ etiam Ptholemaida dicitur) cujuſmodi erat B. Albertus, Regulæ Carmelitanæ Scriptor, ſeu veriùs compendiator, ab Innocentio III. inſtitutus annô 1205.* Patriarchæ duo olim erant Ieroſolymis, alter Græcus alter Latinus. *cui annô 1214. defuncto ſubrogatus fuit Radulphus, qui annô ſequenti interfuit Concilio Lateranenſi. Alter verò Græcus, ſeu Syro Græcus, Ieroſolymis Patriarchalem Sedem tenens pro Chriſtianis non Latinis, ſcilicet Græcis, Armenis, Palæſtinis, Syris, ſeu Surianis, qui ſuæ nationis & idiomatis Patriarchas expetebant (ſicuti & his temporibus in Belgio, & alibi, vix admittitur Epiſcopus qui non ſit illius nationis & ejuſdem idiomatis, cujus uſus potiſſimùm ibi eſt.) Nam licèt ab anno 1187. (quo Saladinus Ieroſolymam, & ferè totam Terram ſanctam occupavit, & vaſtavit) Civitas ſancta ſub jugo gemeret Saracenorum, illi tamen (ſolis Latinis expulſis) Græcis, Syris, Armenis, & aliis Orientis Chriſtianis loca in Vrbe permittebant. Sic expreſſè habent Ioannes Heroldus in continuatione hiſtoriæ Belli Sacri, lib. 1. cap. 7. & Henricus Pantaleon in hiſtor. Ordin. Ioannit. Rhodior. lib. 2. ſub hoc anno. Ordinatum autem à Saladino dicitur, ut in gratiam Imperatoris Græcorum (cum quo ſuſpecta erat familiaritas) in omnibus Eccleſiis Terræ Promiſſionis, ſecundùm ritum Græcorum Dei cultus fieret, ut ſcribit Conradus in Epiſt. ad Cantuarię Archiepiſcopum, quam refert Baronius ad annum 1187. Et quidem ſi de Surianis ſermo ſit, hæc de illis teſtatur Cardinalis Iacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ieroſolymitana cap. XX. ubi iſta:* Suriani verò, & alii fideles ab intolerabili jugo liberati, ad cælos manus tendentes &c & cap. LXXIV. Utuntur autem Suriani in ſermone vulgari linguâ Saracenicâ. … Conſuetudines autem, & inſtitutiones Græcorum in divinis officiis, & in aliis ſpiritualibus Suriani penitùs obſervant, & eis tanquam ſuperioribus ſuis obediunt. … habent enim proprios Epiſcopos Græcos. *Eodem libro de Surianis etiam iſta tradit :* Multi Chriſtiani de gente Surianorum patriam ſuam deſerere noluerunt, ſed extremis conditionibus afflicti, & jugô duræ ſervitutis oppreſſi inter Saracenos habitabant. Princeps autem Ægyptius, qui univer-

V. Maii. univerſas Regiones à Laodicia Syriæ uſque ad extremam Ægypti civitatem Alexandriam poſſidebat, quartam civitatis Jeroſolymitanæ portionem ex parte Dominici Sepulchri Surianis, & Patriarchæ eorum ſub annuo tributo ad habitandum conceſſerat. Ex quibus, & aliis quæ idem Auctor habet eodem libro ſatis patet Surianos fuiſſe Chriſtianos fideles; erant tamen inter eos multi hæretici, & ſchiſmatici.

1242. Neque mirum cuiquam videatur, ejuſdem civitatis duos tunc fuiſſe Patriarchas, ſeu Epiſcopos. Id enim ſæculis ſuperioribus frequens fuit in partibus Orientis. Exempla paſſim obvia ſunt. En aliqua, tum Ieroſolymis (ante, & poſt S. Angeli tempora) tum alibi. Anno Chriſti 1187. & ſequentibus: Ieroſolymitanus Patriarcha Latinus erat Heraclius, eodem tempore Patriarchæ Ieroſolymitani Græci ſucceſſivè fuerunt Doſitheus, Athanaſius, & Leontius, prout habetur
(a) Anno 1187. n. 11. ex Baronio ad dictum annum (a) & ſequentem.
(b) Anno 1188, n. 30. (b) Poſt tempora S. Angeli, anno 1342. Petrus de Caſa, ex Priore Generali Ordinis Carmelitani à Clemente ſexto aſſumptus fuit ad Patriarchatum Ieroſolymitanum, exiſtente Ieroſolymis alio Patriarchâ Græcô, ſeu Syrô.

Etiam Conſtantinopoli per plura ſæcula duo Patriarchæ. 1243. Si de Conſtantinopolitanis Patriarchis ſermo ſit, anno reparatæ ſalutis 1204. Patriarcha Conſtantinopolitanus Latinus erat Thomas Maurocenus, & Græcus Joannes Camaterus, cui anno 1206. ſucceſſit Michael Saurianus, Sedem ſuam habens Nicææ, reſidente Conſtantinopoli præfatô Thomâ. Anno 1364. ab Urbano V. inſtitutus fuit Patriarcha Conſtantinopol. S. Petrus Thomas, Ordinis B. Virginis MARIÆ de monte Carmelo (cujus Vitam magnificis geſtis refertam ediderunt RR. PP. Bollandus & Henſchenius ad diem 29. Ianuarii) eodem tempore pro Græcis Patriarcha erat Philotheus. Anno 1:98. Patriarcha Conſtantinopolitanus Græcus ponitur Antonius IV. Latinus autem Angelus Corarius, poſtea Romanus Pontifex Gregorius duodecimus. Anno 1453. Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Græcis erat Georgius Scholarius, mutatô nomine dictus Gennadius, cui ſucceſſivè alii Græci ſuffecti fuêre. Interim inter Latinos Conſtantinopolitani Patriarchæ fuêre Iſidorus Cardinalis Ruthenus, & poſt hunc Beſſarion Cardinalis Nicænus, Marcus Cornelius Venetus
Idem accidit alibi. Cardinalis, Ægidius Viterbienſis Ordinis S. Auguſtini Vir doctiſſimus etiam Cardinalis, atque alii ſucceſſivè. Similiter in Cypro erant Antiſtites Græci, & Latini. Idem accidit aliis temporibus, & locis. Vide Spondanum ad dictos annos, & ad an. 1222. num. 5. nec non ad annum 1572. num. 27. ubi tres memorat eodem tempore Conſtantinopolitani Patriarchæ titulum tenentes. Et non ita pridem in quibuſdam Urbibus Poloniæ ſeu Lithuaniæ ſimul tres fuerunt, v. g. Kioviæ, aliter Kyoviæ, & Ciovia, erat Latinus Epiſcopus, qui Polonis Catholicis præerat; alter Græci Ritûs, ſed Catholicus, qui Ruſſis Eccleſiæ Romanæ junctis; tertius ſchiſmaticus. Ita etiam alibi. Animadvertendus quoque quarumdam civitatum ſub Patriarchatu Ieroſolymitano Epiſcopos non fuiſſe Latinos umquàm, ſed tantùm Syros, ſeu Græcos. Plura ad hoc intentum dicentur in Notis ad caput 1. & 3.

VITA,

Per Reverendiſſ. D. Enoch Patriarchã Hieroſolymitanum ſcripta an. 1227.

Et à R. D. Thoma Bellorofio Canonico Panormitano in Capita digeſta, ſicque edita anno 1527.

Epiſtola dedic. ipſius Thomæ Bellorofii.

1244. AMpliſſimo in Chriſto Patri (a) Magiſtro Nicolao Audetto, S. T. D. & totius Familiæ ſacratiſſimæ Religionis Carmelitanæ primario Moderatori Thomas Bellorofius, Panormita, Apoſt. Prothonotarius, æternam in Chriſto Deo S. D. Ne cio quâ inſcrutabili ſummi Dei diſpoſitione, Pater Ampliſſime, de Vita ſanctiſſimi D. Angeli Martyris Carmelitæ incidit in manus meas libellus vetuſtate miratu dignus: quem cùm accuratè ſæpè ac ſæpiùs perlegiſſem, nonnullis illum purgavi mendis: (b) Fuit ſane Vita beatiſſimi Martyris Latinis tradita litteris ab hinc annis trecentis, à veridico & beato Viro Enoch, Carmelitanæ Religionis Profeſſore, coætaneo & comite ſanctiſſimi Angeli, tam in patria ſua, quàm in peregrinatione, & in loco martyrii. Huic igitur ni- Vide Notas. (b) Vita ſancti Angeli Scriptor Enoch ejus comes.

mirum de cauſis indubitata, & ſole perſpecto clarior adhibenda eſt fides ſimplici & bonitate vitæ Scriptori; ſed quia libellus ipſe rerum admirabilium quâdam farragine videtur oppletus; ne Lector, confusô rerum geſtarum cumulô, afficiatur tædiô, perquirendo rem aliquam ſingularem, cognitione dignam, breves priùs exſculpſi ex eo indices; & deinde totum opuſculum in triginta digeſſi Capita: . . . Advenisti ad hanc Siculam Patriam, ubi conditum eſt beatum corpus ipſius D. Angeli Martyris, quotidiè miraculis refulgentis, qui ad hos Sicanos populos olim ex Hieroſolymis fuit miſſus à Chriſto Deo; ut prænuntiaret excidium quod hâc tempeſtate fortè videtis ingruere cervici totius Chriſtianæ Reipublicæ, & partim Italiæ à Turcarum debacchantium immanitate; & valde timeo huic Trinacriæ, ad quam peculiariter S. Martyr fuit Legatus, cui propterea inditum fuit nomen Angeli priuſquam naſceretur à B. Virgine; quia futurus erat Dei Nuncius, mirabiliumq; rerum, ducturus quoque vitam Angelicam.

1245. Advenisti, inquam, Pater Ampliſſime tamquam novum Sidus; ad reparationem penè labentis ſanctorum morum Regulæ Carmelitanæ; & utinam atque utinam cæteræ familiæ Religionis Chriſtianæ excuterent contractam rubiginem ex incuria Majorum, inducerentq; priſcum ſplendidæ puritatis indumentum, & non ſimulatæ ſanctitatis; ut avertatur æterni Patris indignatio contra hypocritas jam manifeſtata nuperrimè in debellatione Regni Pannoniæ; quoniam ſicut Chriſtus D. Angelo reſeravit, ſex & trecentis hinc prætergreſſis annis, ut prædicaret, quot Regna, quotq; Provinciæ Chriſtianorum in Aſia, Africaq; ab Agarenis, & Iſmaelitis, ac etiam in Europa Turcarum Imperio

V. MAII.

(c)
(d)

Clades magna Hungarorum.

Imperio vi armorum occupanda ferens uſque ad Regnum Hungariæ. (c) *Id quod jam ita evênit, proh dolor! proximis Kalendis Septembris; ut Pannoniæ Rege interfecto (quem quandoque* (d) *dum eſſet infantulus, in ulnis meis tenui) ejuſq; validiſſimò exercitu penitus deletô Regnum ipſum quod olim Archi-regnum dicebatur, ceciderit in manus cruentas ſæviſſimi hoſtis. Monuitque idem Chriſtus Deus noſter, ut prænuntiarem, quales ſubſequentur poſteà calamitates, & cruentiſſima bella adversùs totam Italiam, vexaturaque ferè omnes Chriſtianos; & inter reliqua mala quæ praceſſura eſſent præfatorum temporum turbines, inquit, quòd tunc ventura ſunt hæc flagella, cùm multa forent Religionum familia vitiis ſcatentes, & præſertim hypocriſi, cujus causâ Chriſtiana res lâceranda foret; & niſi eatur in criminum pœnitentiam à populo Chriſtiano, deplorenturque, tam propria, quàm aliena peccata ab ipſis Religionum familiis; vereor, & plus quàm vereor, ne propediem efficiatur quod à Chriſto revelatum eſt S. Martyri, & conſcriptum in cap. 14. hujus parvi voluminis de Turcali victoria contra Italiam; & væ! væ tibi Regina Orbis, quæ caput es Chriſtianæ fidei, quandoquidem non poſſunt membra tua diſcerpi abſque incomparabili capitis dolore! En, age, rumpe moras, Pater Venerabiliſſime, & da operam ut citò*

Liber Vitæ S. Angeli idoneus ad pœnitentiam excitandam.

& in proximo tempore Quadrageſimæ jejunii hic libellus volitet per Orbem, & ſignanter totam perluſtret Italiam, moreque declamantis Ionæ Prophetæ, tam per te, quàm per alios Concionatores idoneos fungatur officio, quod Tuæ Paternitati, ut mihi perſuadeo, cælitùs reſervatum eſſe non dubito, tibi, inquam in præſens hoc onus à Deo injunctum eſt, reformandi Religioſam vitam Carmelitanæ Familiæ, & in hoc Regno Sicano, ubi ſummâ uſus curâ, & ſingulari prudentiâ in expurgandis Domibus ſacris, omni ſorde, & abuſu; inter quas illud Cœnobium Drepanitanum, miraculis aſſiduis Virginis glorioſæ cuncto Orbi famigeratum, & D. Alberti peculiare, dum vixit, domicilium, revocatum eſt ad priſtinum honeſtiſſimè ſplendorem tuô paternô affectu, & auctoritate, juxta divinam diſpoſitionem. quæ adhuc, imminente ruinâ, & in articulo ferendæ ſententiæ, miſit tuam Ampliſſimã Paternitatem ad has Siculas oras, velut alterum Angelum, ad ingerendum mentibus hominum ea, quæ prænuntiata ſunt à D. Angelo, abhinc annis, ut dixi, plus quàm trecentis: & non ſine inſcrutabili myſterio advenîſti, Pater in Chriſto, in habitu D. Angeli, & Religionis immaculatæ Virginis Matris Dei: quæ mundi eſt Advocata indefeſſa, & aſſiduè, ut verè confidimus, provoluta, pro noſtris delictis ad pedes divinæ Trinitatis, profuſis lacrymis orat, & rogat inducias, ut intereà Chriſtianus populus, ſcelerum ſopore ſepultus, evigilet & reſurgat.

(e)

In Hungaria centum quinquaginta ſex millia à Turcis cæduntur.

1246. *Nec miretur tua Amplitudo ſi tibi videor intimo quodam premi dolore. ob debellatum Regnum Pannoniæ à Turcis, vel* (e) *ob cladem illam miſerabilem illius gentis belligeræ centum quinquaginta ſex millium pugnatorum, quoniam in illo Regno quinquennio geſſi vices Ampliſſimi Patris quondam Cardinalis Rhegyni in gubernatione Epiſcopatûs Veſprimenſis & duorum Cœnobiorum inſignium Pechivaradienſis, & Saſſardienſis; novique in ea Patria fuiſſe propugnaculum, & antemurale Chriſtianæ Reip. quibus perfractis facilis patet ſæviſſimis hoſtibus aditus ad Italiam. Prætereà revelatio Chriſti ad D. Angelum tenere debet omnes Chriſtianos anxios, &* (f) *ſollicitos; quoniam perpauca reſtant ut adimpleantur, ſed horribilia impendent: & ſi de quodam Chriſtiano ſancto Rege Chriſtianæ Rei penè ruentis reparatore ſpes tandem promittitur, calcandi communes hoſtes, revendicandiq; Imperium Chriſtiano Orbi, parùm profectò nos pavefactos, & excuſſos hæc expectatio ſolari poteſt; ſerò enim Rex ille & ad nutum Dei movebit lacertos, & fortè quandò, quod abſit, conſummata erit divina ultio: & verùm quia Divina Majeſtas ſuopte nutu non delectatur vindictâ, ſed potiùs clementiâ, non eſt nobis hæſitandum, quin ipſe Clementiſſimus Pater æternus cupiat emendationem populi ſui notamque fieri mortalibus iram ſuam, quæ placari noſtrâ pœnitentiâ facile poteſt. Ideoque rogo, & obſecro per viſcera divinæ miſericordiæ tuam magnam in Chriſtianum populum charitatem; ut tanti meriti magnitudinem viriliter amplectaris, quam nullo modo tibi defecturam ſpero. Ne igitur quæſo, differas quod exequi ex divina diſpoſitione commiſſum eſſe non dubito, ſed rejectâ omni morâ invigiles, ut hoc divinum Opuſculum, refertum ſtupendis miraculis, ſanctiſque exemplis, cæleſtibus arcanis, atque divinis monitis, à me tibi Ampliſſimo Viro, dicatum, ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, ejuſque Sponſæ immaculatæ* MARIÆ *Virginis, & ad honorem D.* ANGELI, *Martyris, & totius Familiæ Carmelitanæ, ut tuo celeberrimo nomine ubique cunctis populis innoteſcat. Vale, Decus moderatorum Sacratiſſimæ Religionis B. V.* MARIÆ *Matris Dei montis Carmeli.*

Revelatio à Chriſto facta ſancto Angelo monitò omnes Chriſtianos anxios tenere debet.

(f)

1247. ANNOT. Magiſtro Nicolao (a) Audetto. *Is natione Cyprius, pietate & doctrinâ clarus Ordinem totum in magna temporum varietate rexit annis triginta octo, videlicet ab an. 1524 uſque ad 1562.*

(b) Fuit ſane Vita B. Martyris latinis tradita litteris abhinc annis trecentis. *Ab anno 1227. quo ſcripta notatur uſque ad 1527. quò à Thoma Bellerofio digeſta in capita, & typis edita fuit, anni erant trecenti.*

(c) Id quod jam evenit, proh dolor! ut Pannoniæ Rege interfecto, &c. *Ingens illa fuit & luctuoſa clades Hungaricæ gentis, cujus hic mentio fit. Contigit anno 1526 feſto decollationis S. Ioannis Baptiſtæ (nonnulli alium diem aſſignant) quò Ludovicus Rex Hungariæ, annò ætatis vigeſimò, in palude cum equo ſuffocatus interiit, & cæſi duo Archiepiſcopi, quinque Epiſcopi, permulti Barones, atque immenſus Nobilium numerus. Et ſequentibus diebus Hungaria tota ferrò, & flammâ vaſtata fuit per exercitum Solimani Turcarum Imperatoris. Vide infrà in Commentario §. 1.*

(d) Quem quandoque dum eſſet infantulus in ulnis meis tenui. *Ex iſtis verbis, & ex officiis quæ in Hungaria Thomas ille Bellerofius obivit gerendo vices Cardinalis Rhegini in adminiſtratione Epiſcopatûs Veſprimenſis, & duorum inſignium Cœnobiorum, habetur magnæ illum auctoritatis fuiſſe.*

(e) Ob cladem illam miſerabilem illius gentis belligeræ centum quinquaginta ſex millium pugnatorum. *Numerum cæſorum, & captorum illo in prælio Hungarico (de quo mox antè) aſcendiſſe ſuprà ducenta hominum millia referunt Hungaricarum rerum Hiſtoriographi, & Annales Eccleſiaſtici. Inter cæteros certiùs, uberiùs, & doloroſiùs infelicis iſtius prælii Hiſtoriam deſcripſit Stephanus Broderícus Epiſcopus Vaciènſis, illius Regni Procancellarius, qui interfuit.*

(f) Revelatio Chriſti ad D. Angelum tenere debet omnes Chriſtianos anxios. *Et meritò; evidens enim eſt*

propha-

V. Maii. *prophetiam illam S. Angeli (de qua hic infrà cap. 14) de tota Terra Promiſſionis, cæteriſque Regionibus Aſiæ & Africæ, Turcico imperio ſubjugandis, jam pridem eſſe adimpletam, ſicuti & illam,* Vngariam pluries invadent, & ferè deſolabunt. *Quis autem novit, an jam evenerint, & omninò adimpleta ſint illa quæ ſequuntur:* Terrebitur & infeſtabitur Europa. Italia verò ipſa, ubi Sedes Petri eſt, diu & ſæpè vexabitur.

PROLOGVS.

Enoch primigenii Scriptoris vitæ S. Angeli.

(a) 1248. ENoch (a) ſervus Dei & Domini noſtri Jesu Christi, divinâ miſeratione Patriarcha Hieroſolymitanus, toti ac venerabili Eccleſiæ Orientali, Occidentali, Meridionali, & Septentrionali, ac omnibus Catholicis, & fidei orthodoxæ ſubjectis ſalutem & pacem. Vobis univerſis & ſingulis, quibus Spiritus Dei, in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, myſteriô & Sacramentô fidei lumen cognoſcendæ veritatis infundit: verè & fideliter ſcribere ſtatuimus vitam & triumphum ſanctiſſimi Viri Angeli Hieroſolymitani, Chriſti Martyris glorioſiſſimi (cujus Martyrium propriis ipſi manibus contrectavimus) ad inſtructionem præſentium & futurorum Chriſti fidelium, & in teſtimonium veritatis: Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, & Hieronymi Presbyteri Cardinalis veſtigia imitantes, & aliorum doctrinâ & ſanctitate præſtantium hominum, qui magnâ virtute & fide vitas, paſſiones, & flagella Martyrum ac Chriſti Confeſſorum, diverſis temporibus conſcripſerunt, & conſcriptis eorum exemplis, atque miraculis populo Chriſtiano multipliciter profuerunt. Quamquàm enim nos imbecilli & fragiles, ac Dei ſervorum minimi ingenii viribus diffidimus, immenſo tamen charitatis ardore, & Sanctorum exemplis incenſi, non de linguæ terſitie, & ſtyli candore, ſed de ſola Dei bonitate & mentis ſinceritate confiſi, id operis ſcribendum ſuſcepimus, ut per nos Veſtræ Sinceritati, & fidelium univerſitati Vita hujuſmodi undecumque probatiſſima tanti Patris, quam Deus mirabilium ſuorum operibus inſignivit, & tam glorioſi Martyris victoria imitanda proponatur. Et deinceps per Vos, quaſi per manus, poſteris etiam excolenda tradatur; & in omnium ſæculorum memoriam reducatur.

Scriptor Vitæ ſancti Angeli teſtis ocularius in pleriſque. 1249. Nos enim nonniſi, aut qui ipſimet rem oculis conſpeximus, aut à ſociis noſtris aliis, fide certiſſimâ dignis, audivimus & cognovimus, veritati ſemper inhærentes, nunciamus, ab omni etiam mendacii ſuſpicione penitùs alieni, non immemores dicti Salomonis: *Qui mentiuntur, occidunt animam;* & Pſalmographi dicentis: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium;* cùm & Dominus in Evangelio ſuo inſtruat, *de omni verbo otioſo in extremo judicii die rationẽ nos eſſe reddituros.* Hanc igitur Vitam ſanctiſſimam Viri ſancti Dei, hanc ejus victoriam glorioſiſſimam meritò imitandam vobis & cunctis fidelibus intimamus. Vos autem imprimis, qui Eccleſiæ ipſi à ſummo Deo præpoſiti, per ſalutaria Chriſti paſcua commiſſum veſtræ fidei gregem ad cœleſtem patriam dirigitis, hortamur & obſecramus in Domino; ut non modò vitam ipſam, & victoriam S. Martyris, ſed etiam revelationes, quibus futuris ætatibus moneri poteſt & inſtrui populus Chriſtianus, à Domino Jeſu Chriſto ei factas, omnibus notiſſimas faciatis; ut ex his etiam, magnô fidelium profectu, glorificetur Deus in S. Martyre ſuo in hac ipſa mortalium militia, qui Martyrem ſuum æternum vivere facit in patria.

ANNOT. (a) Enoch Servus Dei . . . Patriarcha Hieroſolymitanus, *videlicet pro Syris, ſeu Syro Græcis; Plura de eo habes hic ſuprà in Notis præviis. § 2. De Patriarchis Syris, ſeu Syro Græcis, vide ibi conſequenter §. 3.*

CAPVT I.

De Teſtibus & S. Synodo approbante Vitam S. Angeli, cum compendio ejus Martyrii.

1250. COngregatis (a) in S. Hieroſolymitana Synodo ſanctis Patribus, dum Angeli, Hieroſolymitani viri, omnium conſenſu, ſanctiſſimi, nuper in Sicilia gladio perempti, extremus vitæ dies, profuſis lacrymis, & intimo pectoris dolore prænuntiatur, & vitæ neciſque innocentiſſimi viri decurſus, ſcitu quidem digniſſimus, & à pleriſque Patrum ſtudioſâ meditatione perquiritur; Jeraſimus homo divinus; Archiepiſcopus Nazareth, Angeli ipſius ſæpiſſimè memorandi ſocius, & Joannes Archiepiſcopus Cæſarienſis, ac Petrus Epiſcopus Haſtilonenſis, (quæ eſt Bethlem) multi etiam ſanctiſſimi ac honeſtiſſimi viri Eremitæ montis Carmeli; atque alii complures ſacratiſſimi homines, qui ejuſdem ſancti Angeli diuturnam ſocietatem habuerunt, & cum eo religioſiſſimè convixerunt, veritati teſtimonium perhibentes, conſtanti animô affirmant ipſum Angelum totô vitæ ſpatiô virum ſanctitate clariſſimum, Dei juſſu cum Reliquiis Sanctorum, & Deiferæ Virginis Mariæ imagine, primùm ad Italiam, mox verò ad Siciliam profectum, atque ibi tandem in oppido Agrigentinæ Diœceſis, quod Licata dicitur, cùm veritatem prædicaret; & contra plurima & nefanda, quæ indies magis pullulabant, hominum facinora invectus; ne Deus offenderetur jugiter, neve boni, ſi qui aderant, malorum contagia contrahere ſinerentur, acriter argueret (ſicut à Chriſto mors ei prænuntiata fuerat) pro divinæ voluntatis revelatione, & veritatis defenſione gladiô peremptum, & martyriô coronatum, diuturni certaminis victoriâ ad Chriſtum, quem totô mentis ardore inhiabat, migraſſe. Quorum (a)

Teſtes ſanctitatis B. Angeli.

V. MAII. rum atteſtationem ego Enoch (qui in ejus obitu præſens fui, illumque diem, & ejus ſocietatis memoriam nunquam delere valui) certò & ſolidò veritatis argumentò confirmans, ab ipſis Viri ſancti natalibus, quos Nichodemus Patriarcha, vir ſanctiſſimus, prædeceſſor noſter vivâ voce ſæpiùs referebat uſque ad martyrii gloriam, totam Vitæ ſeriem (prout præſentibus ſcriptis digeram) graviſſimò approbante Senatu, tum animi alacritate, tum ingenti cordis mœrore recenſui.

In Synodo Ieroſolym. Acta ſancti Angeli examinata & probata.

1251. Fuerunt autem inter alios illo in conſeſſu Patres numerò ſex & triginta: videlicet Athanaſius de Claramonte Patriarcha Alexandrinus, Joannes Archiepiſcopus Duracenſis, Andreas Archiepiſcopus Nicomedienſis, Joannes Archiepiſcopus Terdenenſis, Lucas Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Paulus Archiepiſcopus Coloſſenſis, Alexander Archiepiſcopus Nicoſienſis, Petrus Archiepiſcopus Carthenſis, Stephanus Archiepiſcopus Toranenſis, Joſephus Archiepiſcopus Tirenſis, Philippus Archiepiſcopus Petracenſis, Joannes Epiſcopus Atonenſis, Julianus Epiſcopus Beramenſis, Paulus Epiſcopus Bindenſis, Caſſianus Epiſcopus Syndonenſis, Mercurius Epiſcopus Bariconenſis, Sixtus Epiſcopus Panadenſis, Petrus Epiſcopus Tiberiadenſis, Elias Epiſcopus Joppenſis, id eſt Jaffa, Andreas Epiſcopus Aſcolenſis, id eſt Gaza, Pelagius Epiſcopus Napolienſis, id eſt Siteń. Athanaſius Epiſcopus montis Tabor, Georgius Epiſcopus Palpherenſis, Paulus Epiſcopus Fameguſtenſis, Georgius Epiſcopus Jerobolienſis, Andreas Epiſcopus Gabulenſis, Joëles Epiſcopus Anterebenſis, Petrus Epiſcopus Tripolienſis, Athanaſius Epiſcopus Rages Medorum, Alexandrinus Epiſcopus Damaſcenus, Thadæus Epiſcopus Scopienſis, Antoninus Epiſcopus Steplanenſis, Alexius Epiſcopus Oronenſis, Georgius Epiſcopus Albanenſis, Joannes Epiſcopus Heridenſis, Petrus Epiſcopus Dulanenſis, Jacobus Epiſcopus Alexienſis; à quibus omnibus, & ſingulis, nemine ulla ex parte in aliquo diſcrepante, gravi cenſuræ judiciò, relata primùm, omnia rigoroſò cognita examine, confirmantur. Mox verò magnificatur divina bonitas, & ſanctus ipſe Chriſti Martyr Angelus Cœlituum adjunctus conſortio, ut pro militanti Chriſtiano populo ſit apud Deum perpetuus interceſſor, communi omnium prece rogatur, & maximè demum apud cives Hieruſalem devotione recipitur, & aſſiduis ac magnis votis obſervatur & colitur; ubi indies majoribus, Deo operante, miraculis claret.

Et ipſe S. Angelus Martyr Chriſti declaratus.

1252. ANNOT. (a) In S. Hieroſolymitana Synodo: *qualis ea fuerit, videlicet nationalis, ex Syro-Græcis, diximus hic ſuprà in* Notatis præviis §. 3. *Quòd tituli, ſeu nomina quædam Epiſcopatuum ibi recenſitorum minùs nota ſint, aut in Catalogis Epiſcopatuum non reperiantur, ratio videtur, diverſitas ſeu varietas nomenclaturæ civitatum (& indè Epiſcopatuum) apud Syros & Latinos, quia binomia; ſic* Ioppe *etiam dicta* Iaffa; & Napolis, *id eſt*, Siten; *veriſimiliter eademque* Napoloſa, Neapolis, *& olim* Sichar, *vel* Sichem. Gazenſis *Epiſcopus nuncupatur* Aſcolenſis. *Et hic initiò capitis*, Epiſcopus Bethleemitanus, *nuncupatur* Haſtilonenſis. *Exempla ejuſmodi civitatum, & Epiſcopatuum binominium alia plurima ſuppetunt: & quidem ſub Patriarchatu Hieroſolymitano.* Emaus, *etiam dicitur* Nicopolis: *&* Cæſarea Philippi *etiam dicta eſt*: Paneas, *&* Balbec: *&* Lidda *alias* Dioſpolis, *&* Georgiopolis. *Atque ita in aliis, hinc mirum non eſt, quoſdam hic recenſeri Epiſcopatus nomine alio, quam apud Latinos. Animadvertendum quoque, ſub Patriarchatu Hieroſolymitano quarumdam civitatum Epiſcopos non fuiſſe Latinos, ſed tantùm Syros; ſic* Neapolis, & Ioppe ſub Latinis Epiſcopos non habuerunt. *Ita Aubertus Miræus, in opere*, Notitia Epiſcopatuum (a) *& infra* (b) *ex Iacobo de Vitriaco*: Multæ aliæ ſunt civitates in Terra Promiſſionis, quæ licèt ante tempora Latinorum proprios haberent Epiſcopos Surianorum & Græcorum; Latini tamen, propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Epiſcopalis vilipenderetur plures Eccleſias Cathedrales & civitates uni Cathedrali ſubjecerunt. *Interim Syri, ſeu Suriani, ſive Græci ibi Epiſcopos ſuos habebant: hinc dictarum civitatum* Ioppenſis, *&* Neapolitenſis *hic in Vita S. Angeli recenſentur inter Epiſcopos, qui iſti Synodo Hieroſolymæ interfuerunt. Plura circa Epiſcopos, qui iſti Synodo interfuerunt, dicta ſunt in prævio §. 3. num.* 1240 *& ſeq.*

(a) lib. 3. c. 5.
(b) cap. 6.

CAPUT II.

De Parentibus S. Angeli, & Apparitione glorioſæ Virginis illis facta.

1253. NOndum communis naturæ neceſſitas omnes, qui Jeſſæum, & Mariam, Martyris Angeli parentes, noverunt, de medio ſuſtulit: ſunt enim adhuc Hieroſolymis complures, tametſi longævi & annis graves, ſenſuum tamen ferè omnium integritate vegeti, qui eorum vitam inculpabilem, Chriſti fidei receptionem, ac mortalis vitæ exitum adeò memoriâ teneant, ut perindè ac ſi illi nondum vitâ functi eſſent, de ſingulis hi rationem reddere, & honeſtiſſimam illorum conſuetudinem recenſere & approbare conſueſcant. Ipſi itaque Jeſſæus & Maria (quod locupletiſſimis teſtibus comprobatum eſt) utpote natione Hebræi, de ſtirpe & progenie David; etſi antiquam Dei legem toto mentis ſtudio ſervabant, & jejuniis ac vigiliis mirificè vacantes, vitam, non intermiſſo Dei ſervitio, traducebant; cumprimis tamen ſtudioſiſſimè orabant, ut Deus lumen veritatis mentibus eorum infunderet, & num in lege promiſſus veniſſet jam, an venturus eſſet Meſſias, oſtenderet.

S. Angeli parentes ex progenie David.

Dubitant de Meſſia, an venerit, an venturus.

1254. Poſt longas denique meditationes, & diuturnas preces ad nonum Kalend. Aprilis prope feſtum azymorum, dum ſolò proſtrati, & rigido induti cilicio, ac multis profuſis lacrymis, continua in oratione perſiſtunt, & confirmato animo, donec æternus Pater diuturni gemitûs & lacrymarum miſertus, fidei Catholicæ veritatem manifeſtet, inediam pati præeligunt, & ſine cibo & potu perſiſtere decernunt; ſub horam noctis ſextam diei ſanctæ Veneris Virginem

Jejuniis & orationibus inſtant.

V. Maii.

A B. Virg. Deipara apparente de vera fide edocentur.

ginem ſplendidiſſimam Chriſti Matrem, magno Angelorum cœtu comitatam, conſpiciunt; quæ his eos dictis affari dignata eſt: Progenies de domo David, unde me quoque prodiiſſe Altiſſimus voluit, ponite dubium, & metū mentis oculis abſtergite, & Meſſiam in lege promiſſum fruſtrà poſtmodùm expectari credite; vênit ille, & ſalvum fecit populum ſuum quem noctis, & caliginis tenebræ non comprehendent: hic Dei, quoad divinitatem Filius, de Spiritu ſancto conceptus, abſque virili ſemine, ex me, matre & virgine, aſſumptæ carnis humanitatem ſuſcepit: hoc vos ſuſcipite myſterium, hoc tenete ſacramentum; id ipſum, ut detersâ mentis acie percipiatis, Hieroſolymitanum Patriarcham, virum ſpiritu prophetico inſignem, ſæpiùs convenite, ipſumque ceu pervigilem animarum Paſtorem, & verum Catholicæ fidei zelatorem conſulite, jamque moram tollite, templum adite, ubi divinæ ex more celebrantur laudes, & quæ vidiſtis ſacro Antiſtiti renunciate: quæ verò ipſe de Chriſtiana fide inſinuet, pectore fido ſuſcipite, & mente firmâ credite, in ejus etenim manibus Meſſiam videbitis optatum Jesum Chriſtum Filium Dei vivi, quo mortalibus viſo oculis, ſacroſanctum baptiſma nequicquam differetis, eo enim fidei Sacramento ſuperioris Jeruſalem incolæ fieri poteritis, qui inferioris nunc cives eſtis. Id autem, Jeſſæe tibi prædictum velim, vigeſimo poſt Pentecoſtes die Mariam uxorem tuam duos tibi filios concepturam, quorum primo Angelo, ſecundo Joanni nomen eſto; (a) erunt hi olivæ binæ florentes in Carmeli vertice, duoque candelabra lucentia, atque duæ lucernæ ardentes in ſancta Dei Eccleſia. Hic enim erit Patriarcha magnus, & inſtruet Jeruſalem virgâ virtutis ſuæ: ille verò pro divinæ voluntatis revelatione, & Chriſti nomine glorioſum conſequetur triumphum martyrii. Quibus dictis Virgo venuſtiſſima velut latitans circumfuſâ nube accedere viſâ eſt: ac Jeſſæus, & Maria primùm animo conterriti, mox quâdam fiduciâ freti piis Virginem, & devotis proſequuntur vocibus; atque ubi feliciſſimâ viſione deſtitui cognoſcunt, poplite flexo, & capite ad terram provoluto, Deo & ipſi Deiferæ Virgini gratias agentes gaudio, & exultatione explentur.

Ad Nicodemum Patriarcham mittuntur.

(a)

ANNOT. (a) Erunt hi olivæ binæ florentes in Carmeli vertice, *in eo plantata dextera ipſius admirabilis Matris, quæ ſimul etiam Virgo ſemper manet: hujus enim favore S. Angelum & B. Joannem natos (prout ex hoc capite habetur) ejuſdem quoque attrahente amore Carmelo inſertos eſſe, evidens eſt ex iis quæ capite 4. referuntur.* Hæc enim (*Regula, ſeu Religio*) vel ex eo mirificè noſtrum invitat & commovet animum, quia præcipuo Dei Genitricis titulo dicata.

CAPUT III.

De converſione ſancta Parentum S. Angeli, ejuſque nativitate, & miraculosâ infantuli abſtinentiâ.

1255. Certiſſimâ demùm hujus oraculi evidentiâ firmati, & animis aucti, ſanctum Dei templum feſtini, & alacres adeunt, quod cùm nullus, aut Iudaico, aut idololatrico dogmati deditus ingredi poſſet, ingenti animi fiduciâ ſubire volentes, à janitore impetu quaſi tumultuario repelluntur. Tum candidati juvenes ſpecie, & nitore venuſtiſſimi quaſi de improviſo apparentes repulſorum protectionem ſuſcipiunt, & cuſtode ſecedere coacto fores patére faciunt, quorum duo Ieſſæum, duo Mariam ſuſcipientes introducunt. Hac Angelorum apparitione permoti complures qui Legibus adhuc Iudaicis tenebantur Chriſtum animo Deum verum concipiunt, & magna fide, & ſpe ingreſſos ſubſequuntur. Ieſſæus, & Maria ritum ſervantes (a) Antiſtitem reverentibus dictis ſalutant, & ceu minimè diffidentes, juſſa Deiferæ Virginis, ejuſque viſionem clarâ oratione exponunt: populo (qui quatuor circumſtantium millia hominum excedebat) ſtupore repleto, Antiſtes Deo Virginique gratias referens illos incomparabili charitate ſuſcipit, ſacriſque Chriſtianæ fidei initiari, ac ſalutaribus documentis inſtrui præcipit: atque interim, cùm dies ille Chriſti Paſſioni dicatus eſſet, & maximâ populi confluentis devotione divina celebrantur officia, Chriſtianis eos ritibus, & divinis laudibus intereſſe jubet: illi verò incredibili mentis alacritate, utpote nuper ad fidei Sacramenta vocati, ritus, & ceremonias, ipſaque divina officia admirati, Deo majores gratias egerunt, qui ab eorum oculis tenebras effugaſſet. (a)

Chriſtum viſibili formâ in ſacra hoſtia cernunt.

1256. Sequenti verò die, cui *Sabbati* nomen indicitur, cùm ſolito more Antiſtes hoſtiam manu tenens, ſigno crucis calicem ſignare voluiſſet, (b) Ieſſæus & Maria (dictu mirabile) Chriſtum eâ ætate & formâ, (b) quâ morti ſubjici voluit, mortalibus oculis vident. Quod verum ſanè fidei argumentum, & alii non pauci, horâ eâdem atque eodem modo vidiſſe atteſtati ſunt: fuêre autem numero triginta, qui purâ idipſum conſcientiâ Patriarchæ retulerunt, & æquè omnes percepto expleti gaudio, divinæ bonitati gratias egerunt, quæ tali eos tantoque munere dignata fuerit. Ipsâ Sabbati die aquâ fontis ſacri ſanctificatâ, Præſul ad ſe Ieſſæum, & Mariam vocari jubet, & quid de Chriſtiana fide ſentirent, quidve crederent, interrogat, atque omni uſùs diligentiâ, intima etiam cordis ſcrutatus, quoad ejus fieri potuit, ſingula quæque examinat, quos ubi mente purâ, cordeque ſincero eſſe compe-

 rit,

V. MAII.

rit, prout ſancta docet Eccleſia, baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, univerſo populo reſpondente, Amen. Quo peracto corporis eos & ſacratiſſimi cruoris participes efficiens, more Eccleſiæ communicat, indeque ſtatuta loca eis adire præcipit.

Baptizantur.

1257. Ieſſæus igitur uxore valere juſsâ, (c) domum adiit eremiticam Cœnobitarum Dei Genitricis de monte Carmelo, quæ Divæ Annæ ædes, ubi Deifera Virgo in lucem edita eſt, ſervato adhuc nomine, cenſentur: Maria verò, veniâ à conjuge impetratâ, petiit montem Sion, ubi Monaſterium eſt Sanctimonialium Ordinis S. Baſilii; hoc autem Patriarchæ præcepto præſtare, & uſque ad feſtum Pentecoſtes ſeorsùm cum ſanctis illis hominibus moram adducti ſunt, eâ lege, ut poſt præfixum dierum terminum, ad eorum ædes redirent: difficile dictu eſt, quanto animi ardore, quantâ & fide. & charitate, non modo præcepta, ſed & conſilia Chriſti ſervare, eaque toto ſpiritu complecti ſtuduerint, atque adeò ut non modò Chriſtianiſſimi, ſed & omnium integerrimi, & religioſiſſimi judicati ſint. Undè factum eſt, ut eorum exemplo brevi temporis ſpatio centum & triginta Iudaicâ pravitate rejectâ ad fidem orthodoxam converſi, ſeſe Chriſto addixerint. Intereà feſto die Pentecoſtes adveniente, pœnitentiæ ſacramento, juxta Eccleſiæ inſtitutum, imbecillitatis humanæ piacula deponunt, & priſtino animi candore recepto, manu Antiſtitis, ſolemni ritu Eccleſiæ, Sacramentum incomparabili devotione ſuſcipiunt. Nec multò pòſt, obtentâ à ſacro Antiſtite veniâ, ad proprios lares remigrant. Miratur univerſa Civitas & indies magis ſingulorum mentes firmantur, dum breviſſimi temporis ſucceſſu animi conſtantiam, virtutem & religionem utriuſque ſuſcipiunt, At Maria (prout virgineæ viſionis oraculo el prænunciatum fuerat) felici puerperio, geminam prolem ſuſcepit, & tranſacto juſto dierum numero ex more Antiſtiti offerens ſanctiſſimi fontis lavacro gemellos regenerari curavit, primo quidem Angelo, ſecundo vero Ioanni nomen fuit. Hos tantâ ſolertiâ pietas paterna nutriendos ſuſcepit, ut nihil eis deeſſet, quò utique idonei fierent ad omnium virtutum exemplar, Patriarcha imprimis parentum paupertate cognitâ (omnibus enim illi, quæ ante ſuſceptum fidei Sacramentum poſſidebant, Pauperibus, Patriarchæ juſſu, diſtributis, ſolo Chriſto contenti & nudi ad Eccleſiæ ſinum pervenerant) ſummo charitatis affectu, & parentibus, & infantibus ipſis alimenta ſimul & omnia vitæ neceſſaria miniſtrat. Hoc autem ſilentio prætermitti non debet, cùm non ſine myſterio, & admirandæ virtutis præſagio effectum judicari poſſit, quòd uterque infantulus uberibus admotus, nunquam vel lac ſumeret, niſi prævia & notabili corporali neceſſitate adductus, & ita ut facilè eos conſultò abſtinere dignoſceres.

(c) *Ad Monaſteria ſecedunt.*

S. Angelus & B. Ioannes gemelli naſcuntur.

Mira ſancti Angeli & fratris infantum abſtinentia.

1258. Quartum denique infantiæ annum complevêre, cum parentes diem ſui obitûs Angelo Dei nuncio prænunciante accepiſſe, & ad ſupernam Hieruſalem ſe propediem à Domino vocari conſtantiſſimè Antiſtiti retulerunt, atque ut eorum corpora, in domo S. Annæ extra Urbis mœnia, ubi Eremitarum S. Mariæ de monte Carmelo conſtructum eſt Monaſterium, ſepeliret, votis piis ſupplicantes, ipſos eorum liberos infantulos ejus fidei crediderunt, quibus potuerunt precibus orantes, ut patrem indueret, & infantulos ipſos in filios adoptaret. Antiſtes ſuſceptâ priùs pio, & benigno animo infantum curâ, converſus ad utrumque parentem religioſis verbis: Fiat; inquit, in pace locus veſter, & habitatio veſtra in monte ſancto Sion. Habitâ tum Præſulis benedictione, incomparabili in Deum devotione accenſi ad lares proprios redierunt. Indeque ſæpiùs repetitis quotidianis orationibus, Sanctiſſimæ Trinitati, & beatæ Virgini, totique cœleſti Curiæ preces fundebant. ut mentem piam uſque ad vitæ exitum eis ſervarent, & paucis denique interjectis diebus Maria primùm felicem animam exhalans, ad Dominum, qui eam elegit, non ſine Beatorum lætitia pervenit, (d) nec longo poſt interpoſito temporis ſpatio ipſe quoque Ieſſæus conſortem ſecutus eſt. Illorum corpora omni honore & devotione, ac curâ Antiſtitis ſepulta ſunt (e) in Monaſterio Carmelitano ubi Divæ Annæ ædes eſſe conſueverant extra Urbis mœnia.

Parentum S. Angeli obitus pius,

(d) *Domus S. Annæ in qua nata B. V. Maria.*

(e)

1259. ANNOT. (a) Antiſtitem reverentibus dictis ſalutant. *Is erat Nicodemus, Syrus, ſeu Græcus, cui ſucceſſit Honuphrius, ut habetur ex capite 8. Vitæ S. Angeli. Iſtum ſecutus eſt Ioannes frater S. Angeli, de quo capite 11. ejuſdem vitæ. Poſt Ioannem ſuffectus fuit alius, etiam Honuphrius appellatus, cujus fit mentio capite 10. Vitæ S. Angeli. Hujus ſucceſſor fuit Enoch Scriptor Vitæ ſancti Angeli. Hic ad propoſitum ſunt quæ Lezana in Annalibus Carmelitanis ad an. Chriſti 1191. notat his verbis*: Nè autem quis in hujuſmodi Nicodemo, & alio Onuphrio, ipſoque Joanne. qui Patriarchæ in ipſa Hiſtoria numerantur, & in ipſius Auctore Enoch, qui etiam Hieroſolymitanus Patriarcha dicitur, vel leviter offendat; ſciendum S. Hieroſolymorum Civitatis & Terræ ſanctæ hunc uſum vetuſtum fuiſſe, ut cum in ea omnium Nationum Chriſtiani ob loca illa ſancta Chriſti præſentia ſummè veneranda manſiones habuiſſent, non ſolùm Latini & Græci, ſed etiam Syri vel Suriani illius patriæ incolæ, ſuos Epiſcopos, ſuumque Patriarcham Jeroſolymitanum etiam haberent. *Vide plura circa hæc paulò antè in Notis prævus § 3. & ad cap. 1.*

(b) Ieſſæus, & Maria Chriſtum eâ ætate & forma qua morti ſubjici voluit, mortalibus oculis vident. *Simile refertur in Vita S. Ludovici Regis. Ita Villanus, & ex eo Spondanus in Annal. Eccleſ. ad an. Chr. 1257. Plura ejuſmodi (pro confirmatione fidei Euchariſtiæ) videri poterunt in Speculo Exemplorum, verbo* Euchariſtia.

1260. (c) Domum adiit eremiticam Cœnobitarum Dei Genitricis de monte Carmelo, quæ divæ Annæ ædes, ubi Deifera Virgo in lucem edita eſt, ſervatò adhuc nomine, cenſentur. *De illo Monaſterio ſanctæ Annæ ſcribunt Hiſtorici Ordinis Carmelitani: Ioannes Groſſius Generalis in Viridario Clavi 1. Ioannes Hildeniſheimenſis vetuſtus celebriſq; Auctor in libro inſcripto, Defenſorium Ordinis contra detractores cap. 14. hæc de eodem commemorat*: Traditum tenemus à Patribus,

Monaſterii antiquiſſ. Ord. Carm. nuncupatum: Divæ

V. Maii. tribus, quòd primus Conventus Ordinis poſt montis Carmeli Collegium fuit in loco, qui Porta aurea dicitur, in quo Ioachim & Anna convenerunt, &c. *Ferè eadem habet Ioannes Paleonydorus in Hiſtoria Carmelitana libro 2, cap. 1, Baldewinus Leerſius in Collectario Exemplorum cap. 1. & Petrus Lucius in Compendio Hiſtoriali. Præ cæteris autem accuratè (ut ſolet) id pertractat Lezana Tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 40.*

(d) Nec longò pòſt interpoſitò temporis ſpatiò ipſe quoque Ieſſæus conſortem ſecutus eſt. *In exemplari Vaticano apud Benedictum Gononum, & in Menologio Carmelitano referunt, eos obiiſſe Feſto SS. Petri & Pauli.*

(e) In Monaſterio Carmelitarum, ubi ædes divæ Annæ eſſe conſueverunt, extra urbis mœnia. *Erat igitur Monaſterium iſtud in ſuburbio juxta portam: ideò Groſſius relatus tradit illud fuiſſe* apud Ieruſalem in Porta aurea.

CAPUT IV.

De S. Angeli educatione, ſtudio litterarum, & propoſito ingrediendi Religionem.

S. Angeli & fratris ſtudia & doctrina.

1261. Sepultis parentibus Angelus & Ioannes in domum Nicodemi adducuntur, ubi creſcente firmiori ætate linguarum, & artium peritiâ, ac moribus informari cœperunt: Hebraicas primo, Græcas proximo, Latinas poſtremo loco litteras paucis annis tanto ſtudio didicerunt, ut à ſeptimo ad decimum octavum ſuæ ætatis annum trium linguarum peritiſſimi cenſerentur. Verumtamen cum linguis non mediocriter, & artibus, & ſcripturis profecerunt, adeò ut eruditam eorum adoleſcentiam, & optimis informatam moribus, nemo ſatis admirari poſſit. Interim Nicodemus Patriarcha Vir ſanctus, & ſe multo onuſtum ſenio, & morti proximum cognoſcens, vocatos ad ſe adoleſcentes, paternâ hâc oratione compellat: Brevi, relictâ mortali hâc vitâ, ſcio me profecturum ad Patrem qui me de nihilo procreare dignatus eſt. Vos, Chariſſimi Filii, Deo gratias agite, qui deduxit adoleſcentiam veſtram ad optimæ indolis periodum: tempus jam adeſt ut bonæ ſpei fruges proferatis, quocircà quanti filiis paterna charitas fieri debet vos hortor, ut vanam ſpem omnem, & fallaciſſimi mundi hujus illecebras contemnatis, ac vitam cœlibem, ſacræque Sanctorum hominum ſocietati dicatam, eligatis, & in ea, firmato vivendi propoſito, uſque ad mortem Deo ſerviatis; vitâ enim cœlibe nihil aut felicius, aut beatius, quæ homines ceu Angelos efficit.

1262. His auditis Iuvenes ingenti dolore confecti, & imo pectore ſuſpiria trahentes, mœſta hæc reſponſa dederunt: Stupor invaſit cor noſtrum, & anima in amaritudine poſita eſt, ubi triſti nuntio te, quem ceu unicum, & verum parentem novimus, brevi nos relicturum accepimus, & quamquam majoris gloriæ corona, ad quam properas, lætitiam proponit; paternæ tamen præſentiæ (è qua filii recreari mirificè ſolemus) prædicta jam privatio menti triſtitiam affert: quia verò divinæ diſpoſitioni humana ſemper voluntas conformanda eſt, Deum, veræ conſolationis Patrem, oramus, ut tanti parentis curâ deſtitutos, conſoletur, & divinæ clementiæ ſuæ manum ipſe porrigat, & animos languentium erigat, tueatur, & foveat; hortationibus ſanctis tuis; ſic hærebimus, ut vitâ durante tuæ ſanctæ memoriæ nunquam immemores videamur; immortali Deo, ejuſque Genetrici, quod nobis vitæ ſupereſt, dedicamus. Regula S. Baſilii miris modis noſtrum animum diu jam invitavit. Sed, (a) Deo deniq. inſpirante, (a)
animo ſtatuimus vitæ normam ſervandam ſuſcipere, quam (b) annis, ſupra quadrin- (b)
gentos, pluribus jam evolutis, (c) Prophe- (c)
tarum Succeſſores diu in monte Carmelo, nunc verò pleriſque in locis, ſervare ſuſceperunt. (d) Hæc enim vel ex eo mirificè (d)
noſtrum invitat & commovet animum; quia præcipuo Dei Genitricis titulo dicata, uberrimas in ſancta Dei Eccleſia virtutum omnium fruges proferre videtur. In hac ipſa Religionis profeſſione, te Patre filiis benedicente, Deo, & Virgini Deiferæ ſervire decrevimus, oramuſque, ac precamur filii Patrem, ut antequam ad Dominum migraturus tuæ æternitatis iter ſuſcipias, in Monaſterio S. Annæ Cœnobitarum Carmeli montis, ubi quieſcunt oſſa parentum, filios reponas, in Dei, & beatæ Virginis obſequio vitam mortalem acturos. Exploratis itaque adoleſcentium, & cognitis animis, annuit benigniſſimè eorum votis Vir ſanctus, & quibus potuit verbis hortatus, ad confirmandum propoſitum eos induxit, ac paucis tandem interjectis diebus, re priùs opportunè diſcuſſâ cum Hieronymo expreſſi Monaſterii Priore, Viro vitæ integritate, ac innocentiâ ſingulari, habitoque Fratrum conſilio, & aſſenſu, ipſum Monaſterium ingrediendi propoſitum, & diem ſtatuunt.

Religionem Carmelitanam diligunt.

1263. ANNOT (a) Deo deniq̃ue inſpirante animò ſtatuimus, vitæ normam ſervandam ſuſcipere, quam annis, ſupra quadringentos, pluribus jam evolutis, Prophetarum ſucceſſores diu in monte Carmelo . . . ſervare ſuſceperunt. *Aliter, ſed mendosè, & abſurdè (prout rectè animadvertit Lezana in Annalibus Carmelitanis ad annum Chriſti 1204.) iſta leguntur in vita, quam exhibet Benedictus Gononus in Vitis Patrum Occidentalium. Sed & hic errorem aliquem irrepſiſſe, & genuinam loci iſtius lectionem hanc eſſe rectè cenſet & ſolidè probat Vraſtelius** Sed nos animo noſtro ſtatuimus Regulam obſervare, quam Sanctus Joannes fecit Carmelita, Patriarcha prædeceſſor veſter, anno 412. ubi habitant Fratres Eremitæ montis Carmeli.

* lib. 1. Vindic. pro Ioan. Ieroſol. ſect. 1. art. 2. pag. 15.

1264. (b) Annis ſupra quadringentos, pluribus jam evolutis *Iuxta jam dicta legendum*: Anno 412. *Norma vitæ religioſa, quæ in Carmelo, aliiſque locis hujus Ordinis ſervabatur eò tempore, quò S. Angelus, ejuſque frater habitum ſuſceperunt, erat ea quam ſcripſit & tradidit Ioannes Antiſtes Ieroſolymitanus anno Chriſti quadringenteſimo duodecimo.*

1265. (c) Prophetarum ſucceſſores. *Conformiter loquuntur Summi Pontifices in Diplomatibus, ſeu Bullis ſuis, huic Ordini conceſſis, disertis verbis adſtruentes:* Ordinem hunc, ejuſque profeſſores à SS. Prophetis Elia & Eliſeo ſucceſſionem hæreditariam tenere. *Quæ etiam confirmantur ex mox dicendis in Notis ad cap. 6. & 8.*

 & S. circa illas loquendi formulas: S. Pater noſter Elias, S. Pater Eliſeus.

1266 (d) Hæc enim vel ex eò mirificè noſtrum invitat & commovet animum, quia præcipuò Dei Genitricis titulò dicata. *Titulus Ordinis hujus, à Summis Pontificibus non modò approbatus, ſed etiam indulgentiis peculiaribus decoratus, & miraculis confirmatus eſt iſte.* Ordo Fratrum glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo. *Videatur hoc infra ad diem XVI. Iulii. Hoc idem quod S. Angelo, ejuſque fratri etiam pleriſque adoleſcentibus huic Ordini adſcribi poſtulantibus, notiſſimum eſt, videlicet,* titulus B. Virginis Mariæ.

CAPUT V.

De ingreſſu Religionis, & victûs abſtinentia, de camiſia ferrea, & aliis indumentis, de ſtrato, de ſomno, & modo orandi.

S. Angeli ingreſſus in Religionem

1267. Die igitur ſcilicet feſto Nativitatis beatæ Virginis, omni ſolemnitate ſervatâ, adoleſcentes moribus, & vitâ conſpicui, incredibili humilitate, & devotione, habitum Carmelitanæ profeſſionis ſuſcipiunt, nec ſolùm Religionis ingreſſu, virtute, ac probitate proficiunt, ſed & interim ſanctimoniæ, & humilitatis quotidiana exempla proferunt, ſicque tandem peracto probationis anno, & ex more ſolemni profeſſione emiſsâ, decreto Patrum in Cœnobio Carmeli montis conſtituuntur; ubi (a) abſtinentiâ majori, quàm Regulæ inſtituto tenerentur, vivere cœperunt. Nam cùm à Feſto S. Crucis, quod menſe Septembri celebratur, uſque ad Dominicæ Reſurrectionis læta ſolemnia Carmelitæ jejunia cõtinuare ſoleant, ipſi ardentiori animo corpus abſtinentiâ premere cupientes, impetratâ humiliter à Priore veniâ, eadem jejunia ſimplicis, & ſolius panis, & aquæ modicâ refectione contenti peragebant. Feriâ tamen ſecundâ, quartâ, & ſextâ nil penitùs aliud niſi crudarum, & mollium fabarum modicum ſumebant. A feſto quoque Reſurrectionis ad Pentecoſten, quartâ, & ſextâ feriis, ſolo & eodem modico, pane & aquâ contenti erant. Aliis verò diebus parùm caulium modico oleo conditarum edebant. A Pentecoſte autem ad Feſtum S. Crucis, Dominico, & Jovis die coctis, tum oleribus, tum leguminibus veſcebantur. Cæteris autem diebus ſolius panis & aquæ ſimplici cibo vivebant. Nunquam denique, aut carnes, aut lac, aut ova comederunt, nec vinum biberunt.

Ejus, & Fratris Obſervantia reg. & rigor vitæ.

1268. Sed neque ſolùm ciborum abſtinentiâ & jejuniis corpus premere, ſed & ferè intolerabili veſtium duritie, & aſperitate illud ad ſervitutẽ ſpiritûs redigere ſatagebant. (b) Ferreâ namq; camiſiâ nudam carnem tegentes, (c) laneam deſuper albam, griſeamq; deinde, ceu canuſinam nativi coloris cucullatam, Cœnobitarum more, geſtabant. Cæterùm divinis in choro vacantes, aut extra Monaſterium, juſſu Prioris, prodeuntes; (d) candidam inſuper clamydem canuſinis, ceu virgulis diſtinctam, & circulatam gerebant; lecti eorum nuda humus, & cùm ſpiritus quandoque languidior eſſet, tabulæ ſeu (quod majus mente concipi levamen non poterat) mediocris fœni manipulus, cubile feſtis, pluſquam molliſſimum videbatur: duabus tamen lodicibus, inferiùs alterâ, alterâ ſuperiùs, uti ſolebant. Nunquam viſi ſunt in lecto jacentes: & erat tanta eorum vigilantia, tanta ſollicitudo, ut quotidiano officio ex debito perſoluto die ſingulâ totum genibus flexis Pſalterium, legem Domini meditando, perlegerent, nunquam orationibus vacare deſiſterent, niſi ad alia obedientiæ ſalutaris monita vocarentur.

Corporis maceratio.

Orandi aſſiduitas.

1269 ANNOT. (a) Abſtinentiâ majori, quàm Regulæ præcepto tenerentur, vivere cœperunt. *Sub finem Regulæ opera ſupererogationis permittuntur his verbis*: Si quis ſupererogaverit, ipſe Dominus cùm redierit, reddet ei. *In quibus Regula ſupererogaverint S. Angelus & ejus frater Ioannes perſpicuum erit, ea quæ hoc capite ſcribuntur conferenti cum Regula ipſa.*

1270. (b) Ferreâ namque camiſiâ nudam carnem tegentes, &c. *In Ordine hoc ſemper in uſu fuit, ut Orationi & interna cum Deo converſationi (quæ primaria pars, ſeu finis inſtituti Carmelitici eſt) perpetua ſociaretur interna & externa ſenſuum mortificatio, ſicut vitas Sanctorum hujus Ordinis legenti patefiet.*

1271. (c) Laneam deſuper albam, griſeamque deinde ceu canuſinam nativi coloris &c. geſtabant. *En antiquum & genuinum Ordinis habitum, videlicet* de lana: *unde in antiquis Ordinis Conſtitutionibus, à Ven. Patre Ioanne Soreth, Priore Generali Bruxellis, celebratis anno 1466 ſtatuitur.* Veſtimenta Fratrum lanea ſint. *Et infrà* Sint albæ tunicæ, (*ſcilicet de lana.*) *De tunica ſuperiori ibidem habetur*: Habeant tunicas amplas, griſeas, ad nigredinem tendentes. *Plura circa hæc videri poterunt in Vinea Carmeli parte 4 cap. 7.*

Mortificationis & pœnitentiarum antiquus uſus in Ordine Carmelitano.

1272 (d) Candidam inſuper chlamydem canuſinis, ceu virgulis diſtinctam & circulatam gerebant. *In Vita S. Angeli apud Gononum legitur*: Cappam albam cum friſeo nigro geſtabant. In *Menologio Carmelitano*: Pallium album virgulatum deferebant. *Veſtis ſuperior hujus Ordinis ex inſtitutione S. P. Eliæ, tum in veteri tum in nova Lege uſque ad annum Chriſti ſexcenteſimum trigeſimum erat pallium ſeu chlamys albi coloris, prout habetur ex Ioanne Ieroſolymitano, in libro de Inſtitutione primorum Monachorum, & cæteris Hiſtoricis Ordinis. Anno autem 639. Homar Rex Arabiæ, cùm totam Terram Sanctam occupaſſet, inter cæteros ſævitiæ actus in Religioſos Carmeli montis fuit, quod refert S. Cyrillus in libro de Proceſſu hujus Ordinis cap. 2. his verbis*: Geſtationem pallii albi dictis Profeſſoribus interdixerunt, pro quo Profeſſores prædicti pallium Barratum tunc unanimiter aſſumpſerunt. *Pallia autem illa Barrata, ſeu virgulata geſtarunt Religioſi hujus Ordinis per annos circiter ſexcentos quadraginta octo, videlicet à dicto anno ſexcenteſimo trigeſimo nono uſque ad annum 1287. quo auctoritate Sedis Apoſtolicæ, depoſitis Barratis palliis, reſumpta ſunt alba. Videatur Tomo præced. num. 269. 273. & 279. & hîc infrà ad diem XX. Iulii.*

Veſtis ſuperior Ordinis Carmelitani primitùs alba, deinde ab anno 639 barrata, denique ab an. 1287 rurſus alba.

CAPUT VI.

De primo Miraculo S. Angeli.

1273. Die quâdam, juſſu Prioris, nomine Hieremiæ, viri ſeniô venerabilis, Angelus & Joannes lignatum mittuntur, ubi cùm Joannes arboris ſtipitem ſcindere niteretur, fortè manubrio egreſſa ſecuris,

V. Maii.

in profundiſſimum, qui juxtà erat, (a) fontem Eliæ decidit, quò caſu percuſſus juvenis animus, triſtari cœpit: Angelus verò, hoc viſo, bono fratrem animo eſſe jubet, & lignum manu accipiens, dixit: Nunc, Frater, quantâ in Deum fide erigamur facilè cognoſcere eſt: orandus quippe nobis eſt Deus, Virgo etiam, ac (b) Eliseus Pater noster, ut nunc quoque ſecurim hanc noſtram ſupernatare faciant, veluti tempore Prophetarum ſupernataſſe non dubiâ fide creditur: quo dicto aquæ lignum appoſuit, & ferventi oratione habitâ, agedum Frater, inquit, ſecurim cape: & ſurgens Ioannes, ferrum invenit, ut priùs erat, ligno conjunctum, medio in fonte quaſi natans, & acceptâ ſecuri ingentiſſimas Deo, & Virgini, ac Patri Eliſeo gratias egerunt.

S. Eliſeum invocat, & Patrem ſuum nuncupat.

1274. Tunc Angelus nè hominum viventi cuipiam Dei donum hujuſmodi revelaret Fratri præcepit, Deo, inquiens, ſoli acceptum, & Sanctis ejus, ac ſinceræ Fidei referendum: & nihil Deo magis placere, quàm majori ſemper humilitate Dei ſervum proficere, ad memoriam revocavit. Erat tum ſenex Hieremias oratorio clauſus, & divinorum meditationi innixus ubi quaſi raptus vidit Angelum ferventiſſimè orare, & ejus orationis virtute ferrum natare, prout oratione Patris Elisei olim nataſſe dicitur: & hoc primum Miraculum fuit, quod fecit Dominus per orationem ſervi ſui Angeli. Hæc autem ſuperiùs explicata omnia à Nicodemo Hieroſolymitano, Patriarchâ prædeceſſore noſtro, fide & ſinceritate relata, jam omnibus in aperto ſunt.

1275. ANNOT. (a) In fontem Eliæ didicit. *Fons ille S. Eliæ in Carmelo eſt, & propè eum erat Monaſterium. Mira de eo fonte memorantur in Annalibus, & hiſtoriis Ordinis hujus. Videri poterit in Vinea Carmeli Index verbo:* Fons Eliæ, *& Tomo praced. num.* 882. *&* 884.

(b) Eliſeus Pater noſter. *Sic eum nuncupat S. Angelus, quia ipſe unà cum S. P. Elia fundator fuit Ordinis Carmelitani; de quo dici ſolet:* Elias plantavit, Eliſeus rigavit. *Vide Notas in Caput 8, circa illa verba,* S. Pater Elias.

CAPVT VII.

De Miraculis S. Ioannis fratris ſancti Angeli.

1276. Ipſe quoque à primis (quod ajunt) incunabulis ferè ſemper in domo ſuperiùs expreſſi Nicodemi Patriarchæ verſatus præfata omnia ab eo ipſo pluries accepiſſe in conſpectu Dei, & hominum atteſtari non vereor. Cæterum poſteaquam Religionem ingreſſus ſum vidi & alia multa ipſius Angeli opera mirabilia, quibus quantæ divinæ bonitati ardentiſſima fides, cum ſpe, & charitate, atque cum abſtinentia, nunquam intermiſſa oratio, ac denique ſinceræ probitati conjuncta humilitas, acceptæ forent, facilè perſpectum eſt. Silentio nunc prætermitto quæ plurima meritis Ioannis Deus operari dignatus eſt. Sed decet Deum glorificari in operibus Sanctorum, qui ſemper eſt mirabilis, & facit mirabilia magna ſolus, in cœlo, & in terra. Vidi ego qui vere mortùs functi ad ſuæ reſolutionis corruptionem accedebant, orationis virtute, & lacrymis Ioannis, vitæ officium reſumpſiſſe, vidi non modò paralyſi, & leprâ, ſed & morbis aliis ferè incurabilibus laborantes, ad ſanitatem revocatos fuiſſe: ut taceam plurimos oculis captos, qui faciem cœli videre non poterant, oculorum beneficio reſtitutos; ut omittam dæmonibus vexatos, & denique liberatos: hæc enim ut factu facilia ſunt Sanctis, in virtute illius in quo ſanctificantur, ſic & verè credentibus non difficilia, quæ facta fuerint, videbuntur.

ANNOT. (a) Plurima meritis Ioannis Deus operari dignatus eſt. *Obitus ejus Beati Ioannis in Annalibus Carmelitanis refertur ad annum Christi* 1222. *ubi iſta, inter cætera.* Inter Sanctos Religionis noſtræ prædictum Ioannem Patriarcham ſancti Angeli Fratrem enumerant. *Plura de eo videantur infra ad diem XIII. Iulii.*

CAPVT VIII.

De S. Angelo tranſeunte unà cum 70. hominibus ſupra Iordanem ſiccis pedibus.

1277. Nicodemo vitâ functo Honuphrius ſocietatis Cœnobitarum S. Baſilii Profeſſor, vir ſanctitate eximia, in Patriarcham eligitur, & interim ſupervenientibus quæ celebria ſunt Nativitatis jejuniis, Hieremias montis Carmeli Prior Angelum, Ioannem, Zebedæum, & Thadæum, Cœnobitas egregii nominis, & ſpectatæ ſanctitatis, ad ſuſcipiendos Ordines ſacros promovet, & propterea Hieroſolymam mittit; quocirca Prioris benedictione humiliter acceptâ ſeſe alacres itineri accingunt: ubi verò ad Iordanis ripam perveniunt nimiâ defluentium aquarum excreſcentiâ flumen exundare conſpiciunt, adeò ut demersâ ſchaphâ, plurimi qui ad alteram fluvii ripam trajicere cupiebant fruſtrà ibi morari cogerentur: quibus in unum coactis Angelus ſic ait: Viri fratres, vos præcipuè qui regenerationis charactere ſignati eſtis, nunc precor, revocate animos, & Deum verâ fide credentibus benignum, & exorabilem ſperate, ipſe enim omnipotens, nec abbreviata eſt manus ejus, ut mirabilia faciat; orate igitur, Fratres, ut, divinò digni munere nunc effici mereamur, & flumen pertranſire valeamus; quibus dictis nuda terræ apponens genua, atque Orientem versùs faciem dirigens junctis, & extenſis utriſque manibus & oculis in cœlum elevatis tota ſimul cum multitudine dimidiam horam, vel circiter, oravit, poſtmodùm ad flumen ſe conferens dixit: O flumen verè ſanctum! quod Dei mandato meatus

S. Angelus ejuſq. fratres ad ſacros Ordines promoventur.

V. Maii. meatus ſuos retrorſum convertiſti, & populum electum ſiccis pedibus tranſire permiſiſti, ac D. N. J. C. in baptiſmo recepiſti, per ſignum quod in te fecit (a) S. Pater Elias, præſente Eliseo ad Paradiſum per turbinem profecturus, & per virtutem Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, atque per merita ſanctorum Prophetarum, nec non per obedientiam nobis impoſitam, ſiſte, & comprime curſum tuum, ut omnes nos ſpiritu & aquâ regenerati illæſi tranſire valeamus. His dictis flumen (mirabile dictu, & longè mirabilius viſu) parte inferiori curſum velociſſimum retrofecit, ſuperiori verò, ceu aquarum planicies inſtar firmiſſimi montis ſtetit, atque ita omnes tuti, illæſique pedibus ſiccis pertranſivère.

Siccis pedibus Iordanem tranſeunt.

1278. Hoc miraculum totâ regione vulgatum multis tum improbis converſionis ad pœnitentiam, tum Agarenis, Hebræiſque reductionis ad fidem cauſa fuit. Verùm Angelus quanto magis Dei benignitatem erga ſe, & gratiam cognoſcebat, tantò ſe humiliorem præſtabat, tantòque ardentiùs Chriſtianæ pietati, & orationibus exhibebat. Venit tandem cum ſociis Hieroſolymam, & à S. Viro Honuphrio ſacros Ordines incredibili humilitate, & devotione ſuſcepit. Erant autem Angelus & Ioannes tunc Sacerdotii dignitatibus ſublimati vigeſimum & octavum annum nati, cum, auditâ interim Angeli ſanctitate, Hieroſolymitani Cives Priorem conveniunt, ut diebus aliquot Angelum Hieroſolymis retineret, quem commodè ſalutare, ejuſque orationibus ſe commendare cupiebant; quod cùm Prior ab Angelo requireret, honeſtis ille adductis rationibus, quò celeriùs indè diſcederet, perſuaſit. Hoc autem imprimis Angelo diſcedendi rationem ſuadebat, ut popularem auram declinaret.

1279. ANNOT. (a) S. Pater Elias S. Angelus eum appellat Patrem, utpotè Ordinis ſui Patriarcham, Auctorem, Fundatorem, Inſtitutorem, à quo Ordinis hujus Profeſſores hæreditariam ſucceſſionem tenent. (Vide Notas hic ante in Caput 4.) In idem conſpirant Ordinis hujus Hiſtorici omnes, & exteri quamplurimi Scriptores illuſtres. Et ut talis à toto Carmelitano Ordine colitur ſolemniſſimo officio, & miſſis propriis die 20. Iulii, & ſeptem ſequentibus. Et ad illum diem (20. Iulii) in Miſſalibus, & Breviariis, à Sede Apoſtolica approbatis, legitur: in Feſto S. Eliæ Ducis & Patris noſtri. Iſtum autem loquendi modum S. Pater noſter Elias, S. Pater Eliſeus, olim in hoc Ordine valdè communem fuiſſe patet ex iteratis ejus repetitionibus, hoc, in antecedenti, & ſequenti capitibus. Hinc, & ex miraculis ſimilibus, meritò concludit Waſtelius librò primò Vindiciarum ſect. 4. art. 14 traditionem perpetuam, & continuam in Ordine hoc viguiſſe de Patriarchatu S. Eliæ: quem etiam confirmat hâc ratione: Abſque dubio ad veritatis ſolidam illuſtrationem confert etiam ea conſideratio, quòd Sanctorum ſuorum glorificator Deus ſolis Sanctis Carmelitani Ordinis illud conceſſerit privilegii, ut ſimilia Patrum ſuorum Eliæ ac Eliſei operarentur miracula; maximè verò ad recenſita dictorum Prophetarum merita, ceu verè ſuorum Patrum. Unus nobis hic ſufficiet pro exemplo S. Angelus Hieroſolymitanus Martyr ... ac poſt alia: Inſignem ſanctitate virum, patribuſque ſuis Eliæ, ac Eliſeo perſimilem miraculis Deus ſimilibus illuſtravit. Latiùs ibidem proſequitur, & premit intentum.

CAPUT IX.

De reſuſcitato Ioſepho adoleſcente à ſancto Angelo.

1280. Tranſactis itaque Natalitiis feſtis Angelus cum Ioanne Bethleëm proficiſcitur: ubi, prout loci devotio exquirebat, Religionis officia complere ſtudet: cùm interim mulier, Eliſabeth nomine, Viri ſancti Dei nomen celebre, & miracula audiens, devotione accenſa, & ſpe erecta, natum biduò jam antè vitâ functum ad Angelum afferri curat, eumque his compellat: Angele, Serve Dei, Prophetarum imitator, credo firmiſſimè, ſi filium hunc meum chlamyde, quam geris, tetigeris, revicturum. Cui Angelus: mortuos ſuſcitare peccatori hujuſmodi, qualem me eſſe profiteor, non eſt datum: munus hoc Dei ſolius, & verè ſervorum ejus. At illa, obortis perfuſa lacrymis, nunquam, inquit, abſcedam donec chlamyde contexeris Ioſephum filium meū, & pro eo orationem feceris. His commotus lacrymis Vir Dei ſanctus puerum chlamyde cooperuit, & ad Orientem versùs in hæc orationis verba prorupit: Deus admirande in omnibus operibus tuis, qui per merita Patris Eliæ viduæ filium ſuſcitaſti, per virtutem ſanctiſſimæ Paſſionis Filii tui Domini noſtri Iesu Christi, qui ſuſcitavit Lazarum quatriduanum à monumento jam fœtidum, quæ tua eſt infinita potentia, ſuſcitet, & revocet ad vitam filium Eliſabeth ancillæ tuæ. Vix orationem complevit, & adoleſcens quaſi à ſomno excitatus, revixit, ubi, multorum cœtu adſtante; Verè, inquit, Dei cultor Angele, quem Deus exaudit, & mortuos revocat ad vitam, ora pro Ioſepho, qui per orationem tuam à corporali ſimul, & ſpirituali morte ad vitam iterùm revocatus ſum, Converſus poſtmodùm ad aſtantes dixit: (a) Scitote me æternis damnatum tenebris, & ſempiternis pœnis deſtinatum, eò quòd ſanctiſſimum Dei nomen blaſphemare ſum auſus; & ſancti hujus Viri Angeli meritis, & interceſſione ab utraque morte liberatus. Fuit autem miraculum hujuſmodi omnibus notiſſimum, non modò Bethleëmitis, ſed his qui ad feſtum convenerant, decem numero hominum millia excedentibus, aderant autem comprimis Ioannes Archiepiſcopus Nazareth, & Petrus Epiſcopus Bethleēm, (b) cum aliis Græcorum Præſulibus.

Ad invocationem S. Patris Eliæ adoleſcentem ad vitam revocat.

1281. ANNOT. (a) Scitote me æternis damnatum tenebris &c. Octavius Cajetanus in Animadverſionibus ad vitam S. Angeli circa hoc, iſta notat: Memorat Baſilius, Seleuciæ in Iſauria Epiſcopus, Falconillam Tryphonæ filiam, abſque baptiſmate & fide mortuam, D. Theclæ precibus ſervatam. Idemque tradit S. Ioannes Damaſcenus, & Simeon Metaphraſtes. Mirum igitur non eſt, adoleſcentem hunc Ioſephum, æterno ſupplicio addictum, precibus D. Angeli à morte corporis, & animæ liberatum. Sed enim effatum illud Eccleſiaſtæ: Si ceciderit

Doctrina notabilis de damnandis redemptis.

V. Maii.

Peccato mortali obnoxiis, & ſic morientes, quâ ratione aliqui ſalvati.

deris lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit; de ordinario divinæ juſtitiæ modo intelligitur, non autem de eo, qui extra ordinem, in libera Dei miſericordia poſitus eſt. Deus enim, ſupremus omnium Iudex, cujus immenſæ poteſtati procreatæ res omnes ſubjectæ ſunt: quæque de illis, ut ejus Majeſtati placitum, ſuo jure diſcernit, cùm prævideat fundendas à ſanctis viris flagrantiſſimas preces pro alicujus animæ ſalute, ſeque illis miſericorditer flectendum, particularis judicii ſententiam differt, deſignato interim loco, ubi adſervetur, quouſque illud tempus adveniat, ut docent D. Thomas, Richardus, Durandus, aliique Theologi, lib. 4. ſentent. diſtinct. 45. q. 2. art. 2.

1282. (b) Cum aliis Græcorum Præſulibus. *Ex Notationibus ad caput primum habetur, quod ab Anno Incarnationis Dominicæ 1187. & deinceps Patriarchæ Ieroſolymis reſidentes ſemper fuerint Syri, non autem Latini. Latinus autem Patriarcha Ieroſolymitanus reſidebat Achone uſque ad annum Christi 1291. quo Achon à Saracenis capta, & diruta fuit.*

CAPUT X.

De receſſu S. Angeli clàm in deſertum, & de operimento ejus cappæ albæ quam reliquit, quo ſeptem mortui reſuſcitati, & mundati quatuor leproſi ſunt.

Auram popularem declinaturus ad Chriſti deſertum fugit.

1283. Nocte verò ſequenti, longâ, & ferventiſſimâ oratione peractâ, jam ſpectatæ ſanctitatis, & gratiæ æſtimationem de ſe concitatam, & honoris reverentiam omnium conſenſu paſſim exhibitam fugere ſtatuit, & humilitati, ac contemplationi in ſolitudine vacare decrevit; ob idque locum pœnitentiæ idoneum, mente revolvens, tandem viſione manifeſtâ apud ſe Angelum vidit, qui ejus propoſitum confirmavit, locum docuit, & ſeſe ducem exhibuit. Surgens itaque Angelus, Angelo Dei dumtaxat comitatus, in deſertum abiit, ubi Chriſtus quadraginta diebus, & noctibus pro humano genere cum jejunio pœnitentiam continuavit: & quamquam loci facies undecumquè ſqualida, ſitu nihil non aſperum præferens, horrida ſolitudo, obvia pericula omnia intentabant, ipſe tamen ad deliciarum omnium locum veluti amœniſſimum perveniſſe judicat, ibique firmato permanendi conſilio, quoſcumque humanarum virium conatus, pœnitentiâ, & devotione, ac continuâ cæleſtium meditatione, aſſiduus experitur. Quotidiè Chriſti jejunium ad memoriam revocatur, quotidie locus Chriſti contactu venerabilis cor ejus inflammat: quotidie demum Chriſti Paſſio ſolvit ad lacrymas, & provocat in ſingultus; atque his ſtudiis eo in loco quinquennium complet, quo tempore ubi Angelus eſſet, ad nullius quidem notitiam pervenit, tametſi per nemora, & montes, & univerſam Regionum Provinciam diu quidem quæſitus foret.

Ejus ibi exercitia.

1284. Intereà verò chlamys ipſius, quæ penes ſocios relicta erat, apud Bethlehem ingenti & incredibili devotione quæſita, ejus apud Deum merita & gratiam multipliciter patefecit. Hoc autem relatione & ſtupore dignum videri poterit, quòd cùm plurimi variis vexati languoribus, & (quod humani ingenii vires excedit) nonnulli vitâ functi devotione inenarrabili eâdem chlamyde contecti, certiſſimo fidei argumento referantur. Non tamen omnes ejuſce chlamydis contactu ſanitatis & vitæ beneficium accepiſſe dicuntur. Ex his autem, qui, non ſine Dei gloria, revixerunt, Andreas Joannis filius Hieroſolymitanus, Blaſius Antonii ex Bethania, Thadæa Pauli Samaritana, Stephanus piæ memoriæ Philippi Hieroſolymitanus, Lazarus bonæ recordationis Blaſii ex Jericho, Matthæa recolendæ memoriæ Joſephi Nazareni, fideli multorum teſtimonio memorantur: Ex his verò qui fuerunt ad vitam revocati viri, Cœnobitarum, mulieres autem Sanctimonialium in Monte Sion Monaſteria ingreſſæ ſunt, Deoque & magnæ ejus Genitrici ſemper Virgini, vitæ auſteritate & pœnitentiâ incomparabili ſervierunt, & miris modis alios ad Dei obſequium induxerunt. Hæc autem omnia & ſingula palàm proferri per totam Orientalem Eccleſiam omnibus ſatis conſtat. Imprimis autem in ipſa Hieroſolymitana Eccleſia (a) ab Honuphrio Patriarcha, virò certiſſimæ fidei, ea omnia publicari audivimus, præſentibus ſex & triginta Epiſcopis ſuperiùs expreſſis, in Synodali * Concilio ejuſdem Honuphrii Patriarchæ * prope Hieroſolymas ſolemniter congregatis. Eorum unanimi aſſenſu ipſe divus Angelus in Divorum numerum relatus debitâ Martyribus veneratione excolitur: ſed quod reliquum eſt vitæ, & geſtorum ejus memorabilium, narrare procedamus.

chlamyde S. Angeli infirmi ſanati, ſex mortui reſuſcitati.

(a)

** indè videtur quòd Synodus illa fuerit non intra Hieroſolymam.*

1285. ANNOT. (a) Honuphrio Patriarcha viro certiſſimæ fidei ea omnia publicari audivimus. *Honuphrius ille ſuffectus fuerat B. Ioanni Fratri ſancti Angeli, jam ante defuncto, prout rectè animadvertit Lezana in Annalibus Carmelitanis ad an. Chriſti 1222 n. 3. his verbis:* Veritas tamen eſt, jam eo tempore è vita ceſſiſſe B. Joannem, & Patriarchalem Sedem pro Syris tenuiſſe Honuphrium, ut teſtatur præfatus Henoch in dicta Hiſtoria ſancti Angeli cap. 10. Hic porrò Honuphrius diverſus ab eo fuit ejuſdem nominis Patriarcha, ſub quo Ordines ſacros Angelus, & Joannes ſuſceperunt, ut in ſuperioribus vidimus. Hic enim ipſius Joannis in Patriarchatu Prædeceſſor fuit, alter verò ſucceſſor.

CAPUT XI.

Quòd S. Ioannes Frater S. Angeli fuit electus in Patriarcham Hieroſolymitanum juxta revelationem B. Virginis: & S. Angelus remanſit quinque annis in deſerto, nutritus, & viſitatus quotidiè ab Angelis.

(a)

1286. His verò diebus (a) Patriarcha vitæ diem clauſit, cujus loco Joannes, Angeli Frater ſubrogatus, & unanimi totius Civitatis aſſenſu, Spiritûs ſancti gratiâ diſponente, in Patriarcham electus, oves

V. MAII. contagiis purgare, & ad paſcua ſalutis reducere ſatagebat, & non multò pòſt conſtans fama per ora omnium volare, & ubique increbreſcere cœpit, Angelum in deſerto, ubi Chriſtus jejunavit, quinquennio perſtitiſſe, ibiqùe ſpiritali alimoniâ, & pane Angelico nutritum, ac Beatorum alloquio roboratum; ab officiis corporeis quaſi alienum, ſoli ſpiritui, & divinorum contemplationi vacare, & ipsâ Chriſti ſolitudine, toto Spiritu, & affectu Chriſti imitari, Chriſto adhærere, Chriſtum denique totò mentis ardore, momentis omnibus reſonare: hujus rei verò conſtantiſſimæ famæ certiſſimi fuère authores, & plurimi haud dubiâ ſanctitate homines, quibus idipſum antelucanâ, & certâ viſione, & oraculo non obſcuro renunciatum fuerat.

1289. ANNOT. (a) Patriarcha vitæ diem clauſit, cujus loco Joannes Angeli Frater rogitus *In Annalibus Carmelitanis id refertur ad annum Christi 1217. ubi iſta ad propoſitum* Hisannis incolatûs S. Angeli in Eremo Quarentenæ, cùm Honuphrius die, ſancti Baſilii Monachus, pro Syrorum natione Patriarcha Jeroſolymitanus diem ſuum obiiſſet, B. Joannes noſter ejuſdem Angeli germanus, meritis, & ſanctitate ſuffragantibus, ad idem Patriarchale munus gerendum evehitur. *De illo B. Ioanne, miraculis ejus, vita ſanctitate, & obitu. Vide ſuprà cap. VII. Et infra ad 13. Iulii.*

CAPVT XII.

Quòd Chriſtus cum multitudine Angelorum apparuit S. Angelo, cui præcipit, ut iret in Siciliam ad prædicandum & ad ſubeundum martyrium.

Chriſtus S. Angelo apparet.

1288. INtereà verò quinquennio transacto, Chriſtus ſole ſplendidior, magnâ Angelorum, & Sanctorum multitudine comitatus, Angelo apparuit, dicens: Satis hic tibi Angele, jam ſatis hic immoratum eſt, ſatis privato profectui, & contemplationi datum. Ea te nunc celeriùs præſtare oportet, per quæ à Patre æterno ad gloriam prædeſtinatus non dubiâ adoptione vocaris. Martyrio igitur in Inſula Siciliæ, & oppido Agrigentinæ Diœceſis, quod Licata dicitur, Dei amore ſuſcipiendo, & plurimis pro revelanda Dei voluntate, & veritate tuenda laboribus perferendis te accingas. Verumtamen primùm Hieroſolymam, & ad Eccleſias Orientis te transferas, & fideles confirmes in his omnibus quæ ſunt ſecundùm voluntatem Patris mei, poſteà cùm tempus fuerit (a) Alexandrinus Patriarcha Athanaſius, juſſu meo credet tibi reliquias Joannis Baptiſtæ, Hieremiæ, Georgii, & Catharinæ, cum imagine Matris meæ, quam, Theclâ Virgine, Pauli diſcipulâ, inſtante, miro devotionis affectu Lucas depinxit. Ea enim ubi ſacrilega Barbarorum impietas omnia contaminare & furens in ſacra, dehoneſtare contendit, ſervari non decet. Quæ Romano Pontifici Honorio Tertio, & Frederico de Claramonte reſignabis in Italia apud Urbem veterem. Quibus peractis Siciliam verſus iter facies, ibi enim euangelizare opus eſt; ibi pugnare oportet; nefanda ibi Chriſtianorum ſcelera. impia ſacrilegia, crudeles inceſtus, execranda cordis duritia, nulla Dei reverentia, nullus timor, infidelitas plurima, nulla legum obſervantia, & fere nulla fides. Ea nullo cenſore committuntur, & creſcunt, quibus offenditur Pater meus cœleſtis. Quam ob rem euangelizabis legem meam, increpabis, argues, & clamabis, in abominationem, & deteſtationem impiorum: & niſi converſi fuerint, pronunciabis evaginatum gladium, & manum ejus percutientem, & ita hæc ultio veniet ſuper eos. Cùm verò in oppido Licatæ fueris, ſcito ibi hominem ſceleſtiſſimum, qui propriam ſororem, elapſis jam annis duodecim, cognovit carnaliter, & tres ex ea filios habuit, quamquam illa maritum habet (quod nefandiſſimum ſcelus inquinat Siciliam totam, & cedit in ſcandalum populorum, & fidei) ibi labores tibi, ibi ſudores plurimi ſuperſunt. Sed Margareta tuis tandem prædicationibus ad pœnitentiam adducta, crimen, quod jam manifeſtum eſt, palàm pronunciabit, & culpam fatebitur, tres filios in medium producens, & ſupplex ac humilis veniam petens; Berengarius verò, hujus facti causâ irâ replebitur, & inſoleſcet, ac primùm coactâ ſceleratorum, & conſciorum manu, te innocentem gladio perimet: Sororem poſtmodùm, quia pœnitens illa crimen proprio ore detexerit, amens, & furiis agitatus, petet, quam tu ſervari præcipies. Hoc prædicationis labore in abominationem execrabilium ſcelerum, & impietatum, ac nefandi inceſtus, hoc martyrii medio, more Joannis Baptiſtæ, ad cœleſtem patriam aſcendes, ad quam mors pro veritate accepta ſpontaneò martyrii patibulo, viam aperiet, ubi (b) tribus laureis coronato paratum tibi regnum invenies ab initio ſæculi, & gaudebis cum ſanctis Angelis in æternum.

Mittit ad prædicandum.

Reliquias transferre mandat.

Martyrium prædicit.

(b) *Aureolam triplicem promittit.*

1289 ANNOT. (a) Alexandrinus Patriarcha Athanaſius juſſu meo credet tibi Reliquias. *De iſtis Reliquiis latiùs agetur infrà cap. 17. & 30. & ibi in Notis. De iiſdem agunt Bzovius in Annal.* (a) *Lezana etiam in Annalibus* (b) *Euſebius Nerembergius in Trophæis Marianis* (c)

(b) Tribus laureis coronato paratum tibi regnum invenies. *Solet propterea* S. Angelus depingi cum palmâ, & triplici corona.

(a) Ad ann. Chriſt. 1219. num. 19.
(b) Ad ann. 1219.
(c) Lib. 4. c. 38.

CAPVT XIII.

De reſponſione S. Angeli ad Chriſtum, deque commendatione civitatis Hieruſalem.

1290. ANgelus ubi ſe Chriſtum clarâ viſione vidiſſe cognòvit, reverenter proſtratus quâ potuit mente puriſſimâ, adoravit, atq; poſt piam maximi & devotiſſimi affectûs orationem, ſeſe obtulit pro ejus nomine & amore moriturum, & pro viribus ubique commiſſurum, ut ejus voluntas omni-

V. Maii. omnibus innoteſceret. Tu, inquit, fili Dei vivi, vere Deus æterne, pro me hanc vilisſimam carnem induere, tot labores, tot dolores, tot ærumnas pati, mortem etiam ſubire dignatus es, & ego pro nomine ſancto tuo non moriar? moriar certè lætus & erit dulce mihi tua pro veritate mori; demùm autem, unum, inquit, te oro, ac (a) precor, clementiſſimè Jesu, ut Civitatem iſtam Jeruſalem immenſæ bonitatis tuæ oculo reſpicias, ubi manus ad Patrem tetendiſti in Sacrificium veſpertinum, ubi contumelias omnes, & quæ hominis linguâ exprimi vix poſſunt, ſpontè paſſus, & tandem in cruce affixus, & ſpineâ coronatus, ſacratiſſimum Sanguinem tuum pro inſtauratione & ſalute humani generis effundere voluiſti: Miſerere, miſerere, & propitius eſto propter nomen tuum & libera eam, ne ſemper in ea glorientur inimici tui.

(a)

1291. ANNOT. (a) Precor Clementiſſime Jesu, ut Civitatem iſtam Jeruſalem immenſæ bonitatis tuæ oculò reſpicias . . . & libera eam. *Civitas illa ſancta anno Chriſti 1187 à Saladino Chriſtianis erepta, Saracenorum jugo premebatur, etiam tempore S. Angeli: qui, licèt Chriſtianos Syros, & Græcos (non Latinos), ibi tolerarent, cùm lege ut ritum Græcorum (non Latinorum) in Eccleſiis ſervarent, eos tamen vehementer affligebant, graviſſima imponendo tributa, & conviciis laceſſendo plura circa hoc & seq. cap. videantur hic infrà in Commentario, qui ſequitur. Vide n. 1332. & ſeqq.*

CAPVT XIV.

Revelatio Chriſti de Regnis & Provinciis Chriſtianorum occupandis ab Iſmaëlitis, ſive Agarenis, deque Imperio Turcarum extendendo uſque ad Regnum Vngariæ: quorum armis caſtiganda foret ipſa etiam ferè tota Europa, & Italia, ac ferè omnes Chriſtiani.

Chriſti ad S. Angelum prædictio de Terra Sanctæ deſolatione,

1292. Tum Chriſtus; ſcito Angele, & hanc revelationem ubique prædicabis, quòd Civitas Jeruſalem diu erit ſub ditione Agarenorum, quæ & ab eis non multò poſt ferè tota funditùs deſtruetur: ipſa inſuper Iudæa, Samaria, Galilæa, & tota terra promiſſionis, & Cappadocia, & Ægyptus, cum multis Regionibus, & Provinciis Aſiæ, & Africæ, paucis interjectis annis, omni ex parte cedent in poteſtatem Iſmaelitarum, & quas nunc vides, ubi divinæ celebrantur laudes, ſacræ ædes, delubra, & Eccleſiæ deſtruentur, & Chriſtiani ritus ferè ubique ad nihilum reducentur. Nec multò poſt univerſa illa mundi pars, quæ minor Aſia dicitur, in ditionem Mahumetis, Othomanò Duce, deveniet; cujus ſucceſſores Græciam invadentes ferè totam occupabunt. Indeque terrâ & mari indies magis potentia eorum augebitur, & terrebit ferè omnes gentes, & perveniet uſque ad Regnum Epyri, Dalmatiæ, & Raſſiæ: ſuccedente verò tempore Civitatem etiam ipſam Hieroſolymam, cum univerſo Iſmaëlitarum dominio Othomani obtinebunt, & ipſa Chriſtianorum propugnacula expugnabunt, ipſam etiam Ungariam pluries invadent, & ferè deſolabunt eam, & terrebitur & infeſtabitur Europa: Italia verò ipſa, ubi Sedes Petri eſt, diu, & ſæpè vexabitur, & diuturna, & pernicioſa reprehenſionis bella ſentiet, & videbit ignem & ſanguinem, & ruinam, & quaſi deſolationem. Et erit afflictio, & ſæviet furor, & ira ſuper filios ingratitudinis: & præcedent fames, peſtis, & diviſio, & comitabuntur, & non deficient. Venient autem hæc propter abominationem eorum qui conſtruunt Babylonem, diſſipant ſanctuarium, & ſuſtinent populum iniquitatis, & odii, & rancoris, & convertunt eum ad impietatem, & turpitudinem omnis immunditiæ, & omnis peccati.

Græciæ, & aliorum Regnorum vaſtatione,

Hungariæ frequenti infeſtatione:

Propter ſchiſmata & peccata.

1293. Tunc Angelus: Quando hæc futura prænuntiabo? & Chriſtus: Quando Eccleſia, nitore deterſo, jacebit quaſi vidua: Quando Romani Paſtoris ſolium, & Regnum auctum, plurimi affectabunt, & unus adverſabitur alteri; Quando ſurgent hypocritæ populos fraudantes prætextu ſanctitatis, & religionis, & erit plena Eccleſia ſectarum, in quibus regnabunt ſuperbia, ambitio, & luxuria, cum cohorte filiarum ejus. Quando Principes diviſi diſceptabunt, & Rex Regi, & Pontifex Pontifici adverſabitur, & quaſi tolletur pax de medio gentium, & diſcordia ferè pariet interitum. Quando hæreſes prævalebunt, & erit ferè extincta fides, & populi, & qui dominantur eis ad vanitates, & inſanias convertentur: tunc Pater meus æternus mittet furorem, & iram, ac permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hoſtibus, & inimicis nominis mei. Hæc omnia conſtanter, & intrepidè prædicabis, & annuntiabis populo Chriſtiano quæ ventura ſunt propter ſcelera ejus.

Ad hæc prænuntianda mittitur S. Angelus.

ANNOT. *Illa quæ hoc capite traduntur, cùm paucis ſufficienter illuſtrari nequeant, convenienter locus agendi de illis, erit hic infra poſt vitam, in peculiari* Commentario: *videatur §. 1.*

CAPVT XV.

Revelatio de Rege qui liberaturus eſt Orbem Chriſtianum è manibus Turcarum.

1294. Et Angelus: Miſerere, inquit, Eccleſiæ tuæ, & averte iram tuam à populo tuo, qui clementer paſſus es pro eo, & liberentur dilecti tui, quos effuſi ſanguinis pretiô redemiſti; & da tandem qui liberet Civitatem ſanctam tuam, & eripiat eam à captivitate, & manu hoſtium. Cui Chriſtus: Cùm contritus fuerit populus meus, & cognoſcet vias meas, & ſuſcipiet juſtitiam,

V. MAII. & cuſtodiet eam, veniet tandem, qui liberabit, & ponet pacem in gentibus, & erit conſolatio juſtorum. Quis, inquit Angelus, iſte erit, qui liberabit civitatem tuam? Et Chriſtus: Surget tandem Rex antiqua de gente, & ſtirpe Francigena, inſigni in Deum pietate, & ſuſcipietur à Regibus Chriſtianis, & fidei orthodoxæ protectis, & erit dilectus eis, & terrâ, ac mari creſcet potentia ejus. Hic, rebus Eccleſiæ quaſi ad internecionem redactis, ſubveniet, & Pontifici Romano junctus, purgatis Chriſtianorum erroribus, & Eccleſiâ ad ſtatum bonis optatum reſtitutâ, copias tranſmittet, quas ſequetur multitudo ultromilitantium, & magna eorum turma qui pro meo nomine eo prælio cadent effectu crucis præmia ſuſcipiet, & trophæis glorioſis cœlum aſcendet. Ipſe verò inſtructâ claſſe fretus transfretabit, & perditas reſtituet Eccleſias. Et liberabit Hieruſalem: & his dictis ab oculis Angeli Chriſtus candidiſſimâ nube circumfuſus abiit.

Rex venturus, qui Terram Sanctam recuperet.

ANNOT. *De Rege iſto, & de liberanda Hieroſolyma, & Orbe Chriſtiano à tyrannide Turcarum, & de horum excidio peculiariter tractabitur infrà in* Commentario §. 2. 3. & 4.

CAPVT XVI.

De reditu S. Angeli à deſerto, & converſione 80. Iudæorum in Hieruſalem.

1295. HAc Chriſti viſione confirmatus Angelus, & conſolatione repletus, Hieruſalem versùs iter arripuit: ubi propter magnam diuturnæ inediæ abſtinentiam vix cognitus, Priorem petiit, quem ubi vidit, (a) religioſo more in terram provolutus, humiliter ſalutavit. Prior cognito Angelo, omni coacto Fratrum cœtu, geſtiens ingentes Deo gratias egit. Ipſumque complexus ſuaviſſimè recepit. Audiens Angeli adventum Ioannes Patriarcha ejus Frater, venit ad Monaſterium S. Annæ, plurima lætitiæ ſigna oſtendens. Angelus verò Ioanni ipſi Patriarchæ fratri, & ſimul Priori, ac Fratribus, eum ut Hieroſolymis remaneret orantibus, Chriſti juſſa expoſuit, ejusque apparitionem, & revelationem narravit. Deinde prædicare cœpit, & ſæpiùs univerſo totius Civitatis populo congregato, ſexaginta ferè millium hominum numerum excedenti, Chriſti revelationes, tanto fervore, tantoque ſpiritûs ardore manifeſtavit, ut non modò Chriſtianorum plurimi, alii quidem abſterſis prioris vitæ maculis ad vitæ integritatem ſeſe contulerint, alii verò Religioni, & regularibus clauſtris perpetuò ſeſe addixerint: ſed & ex Agarenis multi, & ex Iudæis non pauci; Mahumeticâ ſpurcitiâ, & Iudaicâ perfidiâ relictis, ad Chriſti fidem converſi, Sacramentum regenerationis ſuſceperint; quibus peractis, multis aliis in oppidis & urbibus, Chriſti juſſa executus, incredibilem laborem ſubiit, & vitæ non pepercit.

(a)

S. Angelus prædicat Ieroſolymis.

1296. ANNOT. (a) Religioſo more in terram provolutus, humiliter ſalutavit. *Mos ille ab antiquo eſt in hoc Ordine, quòd exituri extra Conventum, & deforis redeuntes Superiorem adeant, & ab eo benedictionem petant, prout faciendum decernunt Conſtitutiones Ordinis his verbis:* Exeuntes Fratres petant benedictionem, & reverſi præſentent ſe Priori, iterum benedictionem habituri.

CAPVT XVII.

De receſſu ab Hieruſalem, & adventu S. Angeli in Alexandriam.

1297. POſt hæc autem, aſſumptis fratre Ioſepho ex oppido, quod Emaus nuncupatur, Fratre Petro ex Bethlehem, & me Fratre Enoch, Alexandriam versùs iter facere cœpit. Quò ubi pervenimus illius Civitatis Patriarcha Athanaſius, vir ſanctitate, & famâ nemini poſtferendus, quòd jam ſanctiſſimi Viri Angeli virtutem & ſanctimoniam percepiſſet, incredibili charitate nos ſuſcepit: cui Angelus, poſt ardentiſſimam habitam ad populum concionem, Chriſti viſionem, & mandata expoſuit. At ille de Reliquiis deſignandis, nihil penitùs accepiſſe reſpondit: ultrò tamen ſeſe vir ſanctus obtulit, divinis ſe monitis obſequentem præſtiturum. Nocte verò ſequenti (a) maniſeſtiſſimâ viſione, & certiſſimo oraculo (a) habito, Reliquias Angelo credidit, eique ad Fredericum de Claramonte litteras dedit, atque quò Chriſti præcepta exequeretur omni eum humanitatis officio affectum dimiſit.

ANNOT. (a) Athanaſius... maniſeſtiſſimâ viſione, & certiſſimò oraculò habitò, Reliquias Angelo credidit. *Athanaſius de Claramonte Alexandrinus Patriarcha revelationis ſibi factæ per S. Ioannem Baptiſtam de Reliquiis per S. Angelum in Italiam tranſmittendis teſtimonium perhibet in litteris ad ſuum fratrem Fredericum, ex monumentis MSS. Bibliothecæ Vaticanæ relatis à Bzovio, ad annum* 1219. n. 19. *Eadem integra extant in hac vita S. Angeli cap.* 30. *de iſto Athanaſio vide infrà n.* 1301.

CAPVT XVIII.

De navigatione S. Angeli, captivatis quatuor triremibus Saracenorum, quorum ſeptuaginta fulminati, cæteri omnes cæſi facti ſunt, quorum cæteri crediderunt in Chriſtum.

1298. ALexandriâ relictâ Kal. Aprilis, Ianuenſi navigiô freti inde Siciliam versùs ſolvimus, & proſperâ uſi navigatione quindecim dierum ſpatio ad portum Siciliæ propinquum pervenimus. Fortè autem ibi triremes quatuor infidelium latebant, quæ Ianuentium navem, de improviſo, aggreſ-

V. Maii.

aggreſſæ, capiunt, eamque ſexagintà, vel circiter, Saraceni aſcendunt, & Chriſtianos ferè omnes compedibus ferreis devinciunt. Quibus Angelus dixit: Nolite Dei ſervos, & amicos Chriſti offendere; illi verò irâ perciti in Angelum ruunt, quem dum ligare volunt, ille junctis manibus hâc voce orare cœpit: Libera nos Deus de manibus inimicorum noſtrorum, & da gloriam nomini tuo, ut gloriemur in laude tua, & liberentur dilecti tui. Et his dictis ſubitò ignis de cœlo deſcendere viſus eſt, quò ſexaginta, qui navem aſcenderant Saraceni exuſti, quaſi in faviſlas, & cineres convertuntur. Alii verò, qui trecenti in triremibus erant, omnes oculis capti, voce humili miſericordiam petebant: hinc Angelus ad triremes primus pertranſiit, & Chriſtianis, ut ſequerentur, animatis hoc ſermone uſus eſt: Quicumque veſtrûm, ô viri Iſmaëlitæ, corde ſincero credet in Jeſum Chriſtum filium Dei dicto citiùs ſpiritûs, & corporis lucem ſuſcipiet, & denique æternæ vitæ gaudia conſequetur. Quâ Angeli oratione omnes ſacri fontis lavacrum ſuſceperunt, & lucem obtinuerunt. Indè verò ſolventes in Siciliam pervenimus.

Ad S. Angeli preces ignis è cœlo deſcendit & Saracenos conſumit.

CAPUT XIX.

De adventu S. Angeli in civitatem Meſſanam, deque reſtituta muto loquela.

(a) 1299. Primum itaque (a) Meſſanam profecti Cœnobium Carmelitanæ profeſſionis adivimus, Priorique, ex more obedientiâ præſtitâ, & Cœnobitis ſalute datâ, hoſpitia charitatis accepimus, atque ipſa in Urbe ſolemnia ſacra peregimus, totâ Civitate geſtiente ſpectaculo eorum qui nuper Sacramentum fidei receperunt. Mulier tunc nobilitate inſignis, nomine Conſtantia, filium mutum, ut eum ſanum faceret, antè Viri Dei ſancti pedes conſtituit; à quo, Deo oratione factâ, linguæ beneficium infans recuperavit; tribus poſtmodùm religioſis Sermonibus habitis, ab oculis multorum tenebras effugavit.

ANNOT. (a) Meſſanam profecti Cœnobium Carmelitanæ profeſſionis adivimus. *Lezana in Annalibus Carmelit. refert fundationem Monaſterii Meſſanenſis ad annos Chriſti* 1153. & 1173.

CAPUT XX.

De adventu S. Angeli ad portum civitatis vetulæ, deque Reliquiis allatis Domino Frederico de Claramonte.

(a) 1300. Poſt hæc, Meſſanâ relictâ (a) ad portum Urbis veteris pervenimus. Erat autem ibi Honorius III. Romanorum Pontifex, & Fredericus de Claramonte. Angelus Chriſti Vicarium priùs ex more ſalutat, & ſummâ eum proſequitur reverentiâ: à quo benigniſſimè ſuſcipitur, ac de multis primùm Terræ ſanctæ mirabilibus devotiſſimè interrogatur; & poſt mutui & prolixi ſermonis colloquium, libero & facili aditu ſponte dato; quò ſæpè redeat requiritur. Demùm benignè Pontifice relicto, Fredericum de Claramonte convenit, & eum Patriarchæ Athanaſii fratris nomine valere jubet. Qui quantâ humanitate, & quibus officiis nos cumulaverit, longum eſſet referre. Multis denique cum eo colloquiis habitis, opportunitate datâ, ipſis Pontifici & Frederico, Sanctorum Reliquias reſignavit, ſancti Brachium & Tibiam Joannis Baptiſtæ, Caput Hieremiæ Prophetæ, Brachium ſanctæ Catharinæ, Tibiam S. Georgii, & Imaginem B. Virginis. Eas honore incomparabili & incredibili devotione ſuſcepit Honorius, & Angelum mirificè complexus, omnibus eum officiis humanitatis proſequitur; & ut ibi remaneret, omni ſtudio hortatur: ille verò candidus & humilis, ingentes Pontifici gratias egit, & ſe ad Chriſti mandata vocari affirmat; cui ſuæ profeſſionis Cœnobitas Carmeli montis commendat. Verùm ubi Pontifex eum quinquies publicè prædicantem audivit, in eum mirâ devotione accenſus, & ſanctitate ac doctrinâ ejus incredibiliter permotus, modis omnibus ipſum detinere nititur; & mœſtus tandem abeundi ſollicitum, & invitùs dimittit. (b) Fredericus B. Virginis Imaginem à Pontifice impetrat, & Angelo Panhormum perferendam commendat. (b)

S. Angelus ab Honorio Pontifice benignè ſuſcipitur.

Pontifici Reliquias tradit.

coram eo quinquies concionatur.

ANNOT. (a) Ad portam Urbis veteris perveni mus *Italicè* Civita-vecchia, *celebris ratione commodi portûs; ubi triremes Pontificii.*

1301. (b) Fredericus B. Virginis Imaginem à Pontifice impetrat & Angelo Panhormum perferendam commendat. *De iſta imagine hæc memorantur in Annalibus Carmelitanis*: (a) Conſtat eam in Metropolitana Panormi Eccleſia adhuc reſervari, prout in ſpeciali diſcurſu de hac re, & in eadem Civitate ſub anno 1597. typis edito, Canonicus Ioannes Baptiſta de la Roſſa teſtatur. Plaudat ergo inclyta Civitas tantò donô decorata, & S. Angelo Carmelitæ ex Alexandria Panormum deferenti gratias reddat. (a) ad an. Chriſt. 1220 n. 3.

CAPUT XXI.

De ſancto colloquio S. Angeli cum Sanctis Dominico, & Franciſco, deque Leproſo mundato.

1302. Relictis Honorio, & Frederico; Romam venimus, ubi loca Sanctorum omnia devotè luſtrantes, manè primo, maximâ tum Cleri, tum populi multitudine coactâ, in Baſilica S. Joannis Lateranenſis ſanctus Dei Angelus magno ſpiritûs fervore prædicare cepit. (a) Aderant ibi ſancti Dei viri Franciſcus & Dominicus, quos cùm nuſquam antea vidiſſet, ſupernæ claritatis ſplendore mens illuſtrata, cognovit, & novas, ſed ſolidiſſimas Eccleſiæ columnas adeſſe prædixit. Sermone tandem finito S.

SS. Franciſcus & Dominicus in Lateranenſi Eccleſia, in prædicatione S. Angeli.

 Domi-

V. MAII.

Dominicus ſpiritu elevatus dixit S. Franciſco: Hic eſt Angelus Hieroſolymitanus, Chriſti, & fidei Catholicæ defenſor, & Declamator ardentiſſimus, qui doctrinâ, & ſanctitate vitæ incredibiliter Chriſtianæ fidei profuit. Cui S. Franciſcus reſpondit: Hic ille eſt Civis cœleſtis, qui in Sicilia martyrio coronabitur; & ambo ſimul, animo hilari, ad S. Angelum veniunt, & eum incredibili humilitate ſalutant, ac mutuo pacis oſculo proſequuntur. Tunc Angelus: Salvete, inquit, maximi Chriſtianæ militiæ Doctores, Dominice impugnator hæreſium ſtrenuiſſime, & Franciſce Chriſti præcipue imitator, qui virtute humilitatis vera portabis ſtigmata Chriſti. Dominicus verò: Tu, inquit, Angele, gaude & lætare; tibi enim Chriſti privilegio datum eſt, mortiferam hæreticorum rabiem compeſcere, Chriſtianum nomen defendere, & Eccleſiam augere & illuſtrare. Et Franciſcus ſubdit: Tibi, Angele, veritatis defenſor, meritò geſtiendum eſt, brevi namque in Sicilia martyrio vitæ militiam terminabis, & triplici laureâ coronatus divinæ fruitionis, & ſempiterni gaudii præmia ſuſcipies. Ad hæc Angelus: Vobis ſanctiſſimi Viri, vobis magis gaudendum, quibus Chriſtianam Rempublicam felicibus cœptis, meritis, & doctrinis amplificare conceſſum eſt. His, & aliis ultrò citroque, inenarrabili charitatis ardore dictis, ſeorsùm cedentes, de multis & magnis Scripturarum & fidei myſteriis, humiliter inter ſe aliquamdiu locuti ſunt. Quibus ita agentibus felicem, qui aderant diem, & rarum, ac ſingulare ſpectaculum dixerunt, quo ſimul tria mundi Lumina in unum convenerint. Indè verò ſimul procedentes, cum propè ad S. Sabinam perveniſſent, homo genere nobilis leproſus offert ſe obvium eis, dicens: Orate ſanctiſſimi Viri, ut Deus fœdo hoc morbo, veſtrâ interceſſione, me liberet. Quem illi in pacem abire jubent: & ſubitò ſanus effectus dat gloriam & honorem omnipotenti Deo. Angelus autem, cum Dominico & Franciſco, diem illam, & noctem divinis ſermonibus, & oratione tranſegit.

S. Angelus ſalutatur, & reſalutat.

Trium iſtorum Sanctorum Propheticum colloquium.

(a) Colloquium SS. Angeli Dominici & Franciſci

1303. ANNOT. (a) Aderant ibi ſancti Dei Viri Franciſcus, & Dominicus, *&c. Illam colloquii trium iſtorum Sanctorum, hiſtoriam (ab omnibus vitæ S. Angeli ſcriptoribus traditam) Lucas Waddingus in Annalibus Minorum refert ad annum Chriſti* 1216. *Lezana autem in Annalibus* Carmelitanis *adſcribit anno* 1219. *idq; conformius eſt contextui vitæ* S. *Angeli. Porrò* S. *Dominicum eò anno* (1219.) *Romæ fuiſſe, ex Bzovio, & aliis Scriptoribus oſtendit præfatus Waddingus. Eodem autem anno S. Franciſcus feſtò Pentecoſtes celebravit comitia generalia Aſſiſii: quæ Civitas cùm paucorum dierum itinere diſtet Româ, potuit facilè ipſe S. Franciſcus, aut ante, aut poſt illa Comitia, & antequam in Syriam navigaret, Romæ fuiſſe, eo tempore, quo illuc advenerat,* S. *Angelus De iſto* colloquio SS. Angeli, Dominici, & Franciſci. *Auctores alii, & vetuſta monumenta videantur hic ſupra in Notatis præviis* §. 1. *Illud carmine deſcripſit Mantuanus in Paſtic; & ſequitur hic infrà, num.* 1328.

CAPUT XXII.

Quod S. Angelus Panhormi convertit ad fidem ſeptem ſupra ducentos Iudæos.

1304. BEnignâ tandem à Summo Pontifice Honorio Tertio veniâ impetratâ, & ſanctis Dominico & Franciſco in Chriſto valere juſſis, ab Urbe profectus cum ſociis per ſuperiorem Italiam iter longum faciens, ubicumque moram trahere oportuit, euangelizando, & verbo, & opere in fide conſtruendo multa, & admiratione digniſſima fecit miracula: & (a) aliqua, tum in Apulia, tum in Campania, ſuæ profeſſionis Cœnobiis loca ſuſcepit, ac tandem in Siciliam pervênit, ubi prima Panhormus ei hoſpitium dedit in Monaſterio S. Mariæ, cognomentò de Grotta, Ordinis S. Baſilii: ubi Athanaſius monaſticam duxit vitam, antequam in Alexandrinum Patriarcham aſſumptus foret; quoniam nondum ibi domus Carmeliticæ profeſſionis eſſet. Hic, ſpiritûs fervore incomparabili, diebus quadraginta, quotidianis ſermonibus vacat Angelus, & incomparabilia converſionis opera, & fructus incredibiles protulit: nam & Judæorum ſeptem ſupra ducentos (b) converſi ſunt, & de Iſmaëlitis plurimi, Chriſtiani verò fere omnes ad pœnitentiam redacti; infirmi quoque non pauci diverſis ægritudinibus vexati ad ſanitatem reſtituti: quibus peractis, eiſdem aſſumptis ſociis majorem Inſulæ partem, ubi ſanctus ſuâ prædicatione opus eſſe, Chriſto inſpirante, cognoſcebat. Verbum Dei ſeminando peragrat, plurimiſque interim Carmelitanæ profeſſionis habitum concedit, & loca aliqua Carmelo addit; ac denique Agrigentum, ut illius Urbis Antiſtitem reverenter ſalutaret, proficiſcitur.

Nunc dicitur Panormus

(a) S. Angelus verſus in locis evangelizat & Miracula edit.

(b) Loca aliqua & plurimos perſonas Ordini ſuo acquirit.

1305. ANNOT. (a) In Apulia, tum in Campania ſuæ profeſſionis cœnobiis loca ſuſcepit. *De illis videri poterunt Annales Ordinis.*

(b) In monaſterio de Grotta Ord. S. Baſilii, ubi Athanaſius monaſticam duxit vitam, *Octavius Cajetanus, in vita* S. *Angeli, nuncupat.* S. Maria de Crypta: *de quo in Animadverſionibus iſta.* quod Robertus Vuiſcardus Dux Apuliæ, & Siciliæ conſtruxerat, eò locò ſitum, quò nunc eſt Domus Profeſſa Societatis Jeſu: veterem Eccleſiam noſtro ævo demoliti ſumus, & in ampliorem formam, cultumque à fundamentis extruximus. *De illo monaſterio, & præfato Athanaſio videantur quoque Nota ad cap.* XXX. *hic infrà.*

CAPUT XXIII.

Quod S. Angelus mundavit ſeptem Leproſos, & ſanavit Archiepiſcopum Panhormitanum ab incurabili infirmitate.

1306. POrrò tranſeunti per balnea Cophalitana, in ipſo thermarum lo-

co

V. Maii. co inventi ſunt ſeptem viri leproſi (videlicet Joannes Drepanenſis, Pinus Thermentis, Franciſcus Pactenſis, Andreas Nothenſis, Lazarus Randacenſis, Antonius Calathamixentis, Manfredus Suteranus, quibus cùm aliquamdiu balneorum cuſtos contenderat, prohibens nè balneum intrarent, ipſum leproſorum non eſſe atteſtans. Tum ille eorum controverſiam audiens, dixit: Pacem habete, precor, viri Chriſtiani, & audite obſecro: creditiſne balnei virtute ſanitatem vobis reſtitui poſſe? At illi: Credimus, inquiunt. Tunc Angelus: Error certè veſter eſt; viri Chriſtiani, aliâ enim viâ ſanitas vobis quærenda eſt: pœnitere vos peccatorum oportet, contritione prævià confeſſio veſtra eſt medicina, quâ ſine balnei ingreſſu jam liberati eritis. His auditis ſancti Viri monitis parent, & pœnitentiæ ſacramentum perſiciunt. Quos Angelus proximi fontis aquâ propriis manibus lavat, & oratione præhabitâ per virtutem Jeſu Chriſti lepram abire jubet, ſubitoque eorum carnes mundiſſimæ viſæ ſunt, ac ſi nunquam lepræ contagiò laboraſſent. Sanatis verò Angelus dixit: Cavete, nè in aliam, peccando, graviorem ægritudinem incidatis; ſcelus enim infirmitatis cauſa eſt, & peccatum in Deum, & proximum. Fecit autem vir Dei ſanctus hoc miraculum palàm: quod manifeſtum fuit viris centum & triginta præſentibus, præcipuè verò Gotfridò Panhormitanò Archiepiſcopò, qui doloribus preſſus in balneis morabatur. Et Deum magnificans in ſancto viro Angelo; ſubitò & ipſe ſanus fuit.

Sacramento pœnitentiæ & lotione in fonte leproſos mundat.

CAPUT XXIV.

Quòd Angelus Agrigenti curavit Paralyticos, Dæmoniacos, Cæcos, & Surdos.

1307. Diſceſſurum Angelum Antiſtes Panhormitanus multis precibus detinere nititur; quem ubi confirmato animo abiturum vidit, Agrigentum uſque comes ſequitur, ubi quinquaginta dierum ſpatio quotidianis prædicationibus Angelus ipſe operam dedit, & populum ad pœnitentiam & devotionem uſque adeò convertit, ut ferè tota Civitas opera pietatis & Religionis complexa, uberrimas ſalutis fruges proferret, ſummo Dei & Catholicæ fidei cultu, juſtitiâ, obſervantiâ, & pace fidelibus reſtitutis. Illuc Paralitici, dæmonibus vexati, cæci, ſurdi, leproſi, aliiſque infirmitatibus variis oppreſſi, à diverſis Inſulæ partibus confluentes, meritis S. Angeli recuperatæ ſanitatis beneficium receperunt.

Quinquaginta diebus quotidie prædicat magno cum fructu.

CAPUT XXV.

Quod S. Angelus venit ad oppidum Licatam, & cœpit exequi mandatum Domini.

1308. Kalendis Martiis, (a) dimiſſo Agrigentinò Licatam pervenimus, quò præcipuè Chriſti Domini noſtri præcepto ad prædicandum miſſus fuerat Angelus; venit & nobiſcum Panhormitanus Antiſtes, Angeli ſanctiſſimi divino colloquio mirificè delectatus, in cujus domo hoſpitari, & cum eo diebus aliquot permanere, antequam noſtræ profeſſionis locum, qui non multis antè annis ibi conſtructus fuerat, ingrederemur, multis ejus precibus coacti fuimus, (b) miſſo ad priorem loci fratre Joſepho, & veniâ impetratâ: denique Religionis domum ingredimur, & omnibus juxta profeſſionis morem peractis, haud multò pòſt cœpit Angelus fervore ſui ſpiritûs vehementiſſimo prædicare, vitia arguere, peccata deteſtari, inceſtum damnare, ſacrilegia, ſtupra, & id genus facinora, quibus ira Dei provocatur, taxare; pœnas, & ſupplicia, quæ ſubituri ſunt obſtinati; proponere, Dei ultionem ad memoriam revocare, juſtitiam docere, Scripturarum dogmata aperire, & alia hujuſmodi declamationibus quotidianis agere; quibus plurimi, licet maximis innodati ſceleribus, & malis malorum artibus irretiti forent, ad cor redire, gemitu, & lacrymis cordis dolorem præ ſe ferentes, & Dei miſericordiam implorantes. Quos * Belingarius tyrannus ore impudenti ridens ſubſannabat, quem S. Angelus, ſervato charitatis, & fraternæ correctionis ordine, quàm ſæpiſſimè monuit, ut Deum metueret, inceſtum dimitteret; Chriſti legationem audiret; & ita quidem monuit; ut nihil prætermiſſum relinqueret, quod ad ejus reductionem attineret. At ille indies inſolentior effici, in malitia gloriari; & obdurato, ac inflatò animò jura, * leges, & divina oracula deteſtari juſtitiam contemnere; Deum execrari, aliaque hujuſmodi, factioſâ tyrannide fretus, agitare cœpit.

(a)

S. Angelus Licatæ ferventer prædicat.

(b)

Peccatores multos convertit.

(c)

* Aliàs Beringarius & Berengarius

Berengarium ſæpiùs monet, ſed fruſtrà.

* Bereng. hæreticus: Vide Notas hic infrà

1309. Angelo denique metum incutere, ut prædicare deſiſteret, minis, & multis modis tentavit; namque homini perditiſſimo aliorum etiam reſipiſcentia; & ad Deum converſio mirum in modum diſplicebant omneſque ſuæ perditionis participes fieri cupiebat. Verùm Angelus Chriſti præcepto intentus; ſpiritu ardentiſſimo quotidianæ prædicationi incumbebat, donec tandem eo prædicante mulier, nomine Margareta, cum tribus filiis, quos ex fratre Belingario, carnaliter cognito, conceperat, pœnitentiâ adducta, die, quò major Litania eſt, coram toto populo flens amarè, & magno cordis dolore incenſa, in medium proceſ-

V. MAII. proceſſit, ubi: Precor, inquit, Angele ſancte, pro noſtra ſalute à Deo miſſe, ut ores pro me miſerrima muliere, quæ diabolicæ poteſtati ſubjecta diu, vix expiabili peccato detineor. Jam enim tranſiguntur anni duodecim; quibus cum fratre meo Belingario, de quo hoſce concepi filios, in nefandiſſimo ſcelere perſtiti. Cui Angelus: Deus clemens, & miſericors, qui te convertit ad pœnitentiam, peccatis tuis parcere dignetur. Hoc crimine ſic manifeſtè à muliere pronunciatò Belingarius ſpiritu diabolicô magis agitari cœpit, & ſanctum Dei Angelum, cujus prædicatione mulier ad pœnitentiam converſa peccatum protulit, interficere diſpoſuit.

Margareta Berengarii ſoror publicè in concione ſcelus ſuum confitetur.

ANNOT. (a) Dimiſſo Agrigento Licatam pervenimus. Licatæ *idem eſt quod* Leocata, *dicitur quoque* Alicata. *Ita Lezana in Annalibus Carmelit. ad annum Christi* 1200. *n* 5.

(b) Miſsò ad Priorem Fratre Joſepho, & veniâ impetratâ. *Id ſemper obſervatum in Ordine, in loco ubi eſt Conventus Ordinis, extra eum nemo Religioſorum hoſpitetur abſque venia expreſſa Superioris loci.*

(c) Belingarius tyrannus *In vita apud Benedictum Gononum, ex Vaticana bibliotheca edita, & apud alios Authores paſſim legitur* Berengarius. *Porrò Berengarius*, obdurato animo leges & divina oracula deteſtans, *aſſerebat pertinaciter*, licitum eſſe, & juris naturalis, cognoſcere propriam ſororem, & commiſceri cum quacumque perſona, ſicuti inter bruta: nec in Eccleſia poteſtatem eſſe id prohibendi: *eratque iſtius erroris* pertinax defenſor, *ſicut laudè traditur in vita alia S. Angeli, ex vetuſto Codice Carmeli Mechlinienſis, etiam typis edita Bruxellis anno* 1665. *Ideò iteratis vicibus nuncupatur* hæreticus, & in ſua hæreſi induratus. *Propterea in variis Martyrologiis dicitur S. Angelus*: ab hæreticis trucidatus.

Berengarius hæreticus.

ideo Angelus dicitur ab hæreticis trucidatus.

CAPUT XXVI.

Quod S. Angelo apparuit D. Ioannes Baptiſta, & animavit eum ad ſubeundum martyrium, cujus diem prædixit.

1310. NOcte itaque ſequenti Angelo Joannes Baptiſta apparuit, quem Domini JESU verbis hortatus dixit: Scito, Angele, humilitatem, obedientiam, caſtitatem, conſtantiam, aliaſque quibus te dotavit Altiſſimus, virtutes tuas ipſi Domino JESU Chriſto, & magnæ ejus Matri ſemper Virgini mirificè placuiſſe; quocirca gaude, & lætare, mortem brevi glorioſam recepturus; quia exultant Angeli te ſimul cum Sanctis in patria expectantes. Accingere igitur ſancto operi, & quinto die Maji ſanguinem tuum pro veritate effundas, intrepidus Chriſti miles, qui commiſſo prœlio, & victoriâ partâ victor trophæo perducaris ad gloriam. His auditis gratias Deo immenſas egit, & Joannem Baptiſtam veneratus, ejus interceſſionibus apud Deum, & Virginem, ſe plurimùm commendavit. Manè verò primo, Dominicis expletis officiis vocat Angelus Fratrem Joſephum, Fratrem Petrum, & me Enoch, quibus S. Joannis Baptiſtæ viſionem recitat, & quintâ Maji die ſe amore Chriſti gladio peremptum iri affirmat. Cui Petrus: Evitanda inquit hæc mors eſt, & hinc nobis fine dubio ſecedendum. Nec defuerunt perſuaſiones tum ab eo, tum ab aliis adductæ; ut indè abiremus. Cæterùm, omnibus auditis, tandem ipſe: Orate, inquit, obſecro filii, ut quod ordinatum eſt à Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto, hoc martyrium intrepido, & conſtanti animo pro Chriſto patiar. Jam enim, ut Apoſtolus cupiebat, & ipſe nunc maximè cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: mox verò ſubjunxit ſæpiùs repetens: Sufficit, ſufficit, ſufficit mihi Domine, tolle animam meam.

Martyrii ardens deſiderium in S. Angelo.

CAPUT XXVII.

De Martyrio, & tranſitu S. Angeli.

1311. ADveniente (a) quintâ die Maji, re divinâ peractâ in Baſilica Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, prope mare, coactâ populi multitudine quinque hominum millia excedente, Angelus prædicare cœpit, tantâ divini fervoris efficaciâ, ut omnibus de cœlo miſſus nuntius judicaretur, qui hominum mentes, neglectis mortalibus curis, ad cœleſtia ſublevaret. Mirabatur jam univerſus populus vultum ejus, & ſuſpiciebat faciem quaſi candentem ut fulgur, quo ſic prædicante ſupervenit Belingarius furiis pluſquam cerbereis agitatus, magnâ ſceleratorum & ſuæ conjurationis cohorte armatus, & populo ſpectante, pulpitum aſcendit, atque Angelum divino operi innixum, tamquam agnum manſuetum ſanguinolentus invadens, quinquieſque pugione percutiens quinque lethalibus plagis transfodit. Quod ſacrilegum & nefandum facinus, contra innocentiſſimum, & verè Angelicum virum, impiè & nequiſſimè commiſſum, populus non ſuſtinens, ſanguinarium tyrannum interficiendum inſequitur. Angelus verò lethalibus affectus vulneribus jugiter ejus corpore ſanguinem effundente, nullo dolore percitus, nullo perculſus metu, ſed vultu hilari, & alacri voce, populum hortatur, ut Belingarium dimitteret, ejuſque ſororem potiùs ad pœnitudinem converſam, nè à furente trucidaretur, ſervaret. (a)

S. Angelus prædicans quinque lethalibus plagis confoditur.

1312. Poſitis deinde genibus Crucifixi imaginem versùs, junctis manibus, & oculis elevatis, pro univerſo populo, & obitûs ſui memoriam agentibus, oravit, Crucifixum deprecatus, ut qui pro omnibus paſſus eſſet, ſuis etiam perſecutoribus ad pœnitentiam converſis veniam concederet, & diei illius, ac obitûs ſui memoriam agentibus optatam omnem gratiam impertiret. Quâ oratione peractâ, Pſalmum cantare cœpit: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum.*

Pro populo, & perſecutoribus orat.

Ad mortem ſe diſponit.

V. Maii. *piorum.* Et Pſalmum: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Et ubi pervênit ad illum verſum: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*; audita vox eſt de cœlo: Veni, Angele, ad Regnum tibi & Electis meis paratum à conſtitutione mundi, ut gaudeas cum Sanctis, ac inter Angelos, in cœlis colloceris, & cum Martyribus in æternum vivas, qui in ſuperna Hieruſalem triplicem jam tandem aureolam meruiſti. His auditis, felix anima, ceu columba candidiſſima, è corpore exiens viſa eſt, & lux ſole ſplendidior ſupra ſanctiſſimi Martyris corpus, & cantus ſuaviſſimi, ac mirabiles audiri cœperunt, odores inſuper de corpore illo ineffabiles exiverunt; quorum fragrantiâ incomparabili oppidum impletum eſt. At Belingarius domum accurrens; cùm ſororem interficere nequiverit, conſcius ſceleris tanti; ſuique impotens; ac deſperatione; ſic divinâ ultione permittente, ſuperatus, laqueo ſe (ut Scarioth olim Judas) ſuſpendit: cujus corpus locis profanis populi univerſi decreto expoſitum; atque inſepultum feris relictum eſt dilacerandum.

Voce è cœlo vocatur ad triplicem aureolam.

Anima in columbæ ſpecie cœlum petit.

Corpus ejus cœleſti luce, odore fragrantiâ, cantu honoratur.

1313. ANNOT. (a) Adveniente quinta die Maji &c. quinque lethalibus plagis transfodit. *Animadvertendum, quoſdam Auctores exiſtimaſſe, & ſcripſiſſe, S. Angelum vulneratum fuiſſe die primâ Maji, & ſupervixiſſe uſque ad quintam Maji. Sed id minùs eſt veriſimile, cùm in vita ab ipſomet oculato teſte Enoch ſcripta (tum hac, quam edidit Thomas Bellorofius, tum ea quam habent Octavius Cajetanus, Benedictus Gonzonus, & Menologium Carmelitanum) expreſſè referatur vulneratus & mortuus eâdem die, ſcilicet quinta Maji.*

CAPVT XXVIII.

Quòd anima S. Angeli apparuit Gotfredo Archiepiſcopo Panhormitano, cui commendavit Corpus ſuum ut ſepeliret.

1314. Ea die Gotfredus Antiſtes Panhormitanus prædicationi Martyris Angeli, prout conſueverat, aliis impeditus, intereſſe non potuit. Domique cùm lectionibus S. Bernardi vacaret, clariſſimâ luce refulgens ipſius Martyris anima, thalamo clauſo commoranti, apparuit, dicens: Gotfrede Antiſtes, vale: &, quod facis, Deum time: ego verò Chriſtum pro te orabo ad cœleſtium Patriam profecturus. Tunc Gotfredus non mediocriter territus: Quis, obſecro es? ille verò: Ego ſum Angelus Carmelita, hodie gladio peremptus in Baſilica Apoſtolorum Philippi & Jacobi: Vade, & ſepelias Corpus meum in loco ipſo, ubi Jesu Chriſti amore martyrium ſuſtinui, & pro juſtitia & veritate morti traditus fui.

CAPVT XXIX.

De Funere S. Angeli, & Miraculis.

1315. Triſti hoc nuntio, incomparabili Antiſtes dolore conficitur, nec poteſt ſe lacrymis temperare; tanti viri jacturam ex corde deplorans. Quumque non multò pòſt multi inſigni pietate viri, imò de pectore ſuſpiria trahentes, ipſique præcipuè Carmelitici Cœnobitæ, luctu & amiſſi tanti Patris dolore; & gemitu ducti ad Antiſtitem illum, tamquam præcipuum Martyris amatorem, conveniſſent; Præſul ipſe alios conſolaturus, conſolatore egere videbatur, caſum lugubrem miſeratus amici; cujus virtutem noverat; cujus ſanctitatem ſatis laudare non poterat. Procedit itaque cum tota familia, populi lamentationes, quibus oppidum complebatur, audiens & ubi tandem pervenit ad S. Baſilicam; odoris fragrantiâ, & cantu Angelorum mellifluo quaſi raptus nonnihil ſiſtere jubet: mox ſanctum Corpus reverenter veneratus, & voce lamentabili, minùs audientem, ſic eſt affatus amicum: O Angele, veræ pietatis amator; Chriſti athleta fortiſſimè, quæ tanta* Erymnis furentem illius excivit animum, quis te, unicum ſanctitatis exemplar, crudelibus his vulneribus fœdavit? O mentem ſacrilegam; ô pectus efferum; ô impiam manum, quæ temporis noſtri ſpecimen, firmiſſimam Eccleſiæ columnam, fidei Catholicæ clypeum, ſuſtulit! Digna, Belingari, te manent ſupplicia, cui juſtam Dei ultionem mors peperit Martyris innocentis. At tibi, Angele, velut Baptiſtæ Joanni, pro redarguto inceſtu morienti, æternam comparavit gloriam, & immortalem coronam. Iſtis, & aliis plurimis piè & amicè prolatis, corpus honorificè, ſolemni apparatu, ſublimi in loco conſtitui curavit, & diebus octo cereis faculis circumquaque accenſis, & juxta Eccleſiæ morem, (a) officiis pro Martyre celebrari ſolitis, horis omnibus celebratis cuſtodiri fecit. (a)

Lamentatio publica ob ſublatum tantum Patrem.

** Erymnis ſeu Erinnys, una Furiarum.*

Octiduò inſepultus Martyris officio honoratur.

1316. His autem diebus quot, quantaque glorioſus Dei Martyr miracula fecerit explicare difficile eſſet: nam ſurdis auditus, lumen cæcis, claudis greſſus, munditiæ leprâ vexatis, paraliticis ſoſpitas, & denique quàvis, etiam incurabili ægritudine preſſis, qui per ipſos dies octo ſacratiſſimum illud corpus tetigêre, ſanitas reſtituta eſt. Orta autem fuit pia admodum controverſia inter Carmeli Cœnobitas, & eos qui Eccleſiæ præerant Philippi & Jacobi, de Martyris ſepultura, quam Archiepiſcopi auctoritas diremit, atteſtantis, Martyrem, ut eo in loco ſepeliretur, ubi fuit Martyrio coronatus, petiiſſe: cui acceſſit & fons eodem in loco miraculosè ſcaturiens, ubi ſanguis Martyris ſanctiſſimi profuſus fuerat: cujus liquore omnis languoris ſolet curari infir-

Miracula varia.

Fons ex ſepulchro ejus ſcaturit.

V. MAII infirmitas, feſto præcipue die, & feſti vigiliâ ejuſdem ſanctiſſimi Martyris. Fuit itaque ſepultus eodem in loco ubi fuit Martyrio coronatus, manibus propriis ejuſdem Archiepiſcopi Panhormitani. Et in his omnibus Frater Petrus, Frater Joſeph, & ego Frater Enoch ſocii fuimus, anno Domini noſtri JESU Chriſti M. CC. XX. Obiit die quintâ Maji, die verò XIII. Maji fuit ſepultum Corpus ejus.

1317. ANNOT. (a) Officiis pro Martyre celebrari ſolitis. *Cœpit itaque cultus S. Angeli, ut Martyris, mox à ſuo martyrio, ſic decernente Archiepiſcopo præfato, propter revelationem ſibi divinitùs factam, & propter plura manifeſtiſſima miracula: & ita permoverunt etiam Antiſtites in Synodo Hieroſolymis habita (de qua ſupra cap. 1.) ut eum velut Sanctum honorandum cenſuerint.*

1318. (b) Et ego Fr. Enoch, ſocii fuimus. *Is Enoch S. Angeli ſocius, ejuſdemque cum eo profeſſionis, & deinde Patriarcha (de quo plura hic ſupra in Notis prævis §. 2) ſcriptor vitæ S. Angeli, teſtis oculatus in pleriſque uſque ad finem vitæ, ſicut patet ex ejuſdem verbis ſupra cap. 1.* Ego Enoch, qui in ejus obitu præſens fui: *de quo iſta Octavius Cajetanus, in Animadverſionibus ad vitam S. Angeli:* Vitam S. Angeli Martyris ab Enoch Patriarcha Hieroſolymitano, peregrinationis ejus comite, rerumque, ac mortis ſpectatore compoſitam, evulgavit anno 1516. Thomas Bellorofius Canonicus Panormitanus, & Protonotarius Apoſtolicus, quamquàm falsò Molanus ſcripſerit, non extare vitam S Angeli Martyris ab Enoch P. H. deſcriptam, enim verò is, quòd eam nactus non fuiſſet, extare non credidit: nos collatam damus cum MSS Codd. præcipuè verò Vaticanis. Incertum mihi eſt, Græcè, an Latinè Enoch ſcripſerit. Nam extat in Bibliotheca Vaticana S. Martyris Angeli vita, Enoch item nomine inſcripta, eadem rerum ſerie, ſed ſtylo diverſa. Præterea vita, quam damus, copioſior eſt: Vaticana verò brevior: num verè ab aliquo Breviatore, an ab Interprete id factum? quòd utraque vita à Græco fonte deducta, ſed à duobus Interpretibus latinitate donata, ab altero fuſius, ut Græcè habebantur: quæ vita eſt, quam nos damus; ab altero ſtrictiùs ut vita eſt in Codd. Vaticanis. *Thomas Bellorofius cenſet vitam illam Latinis literis traditam fuiſſe; (etenim illum etiam Latinè peritum fuiſſe, habetur ex dictis ſuprà) Nec contrarium evincitur ex eo, quòd in MSS. antiquis exemplaribus varia ſit lectio, quoad ſtylum. Nonnè in Actis Sanctorum videre licet vitas non paucas, ab uno, eodemque primigenio ſcriptore promanantes, ex diverſis MSS. exemplaribus tradi quidem eadem quoad rem, ſed tamen hinc indè diverſo ſtylo?*

(c) Sepultum corpus ejus *De variis tranſlationibus eſtitit ſacri corporis agetur ad diem XXIX. Auguſti.*

CAPVT XXX.

Revelatio D. Ioannis Baptiſtæ facta beato Athanaſio de Claramonte Patriarchæ Alexandrino, qui eam ſcripſit fratri ſuo Frederico de Claramonte Panhormitano.

(a) 1319. (a) Athanaſius de Claramonte Panhormitanus, Ordinis S. Baſilii, miſeratione divinâ Patriarcha Alexandrinus, Dei Servorum minimus, ſpectabili Viro, & Nobili, Frederico de Claramonte, Panhormitano Fratri ſuo ſalutem & pacem. Frater Angelus Carmelita, vir doctrinâ, & ſanctitate ſingularis, ac ſpiritu Dei ad divina opera excitatus tuæ ſpectabilitati voce vivâ renunciabit quod præſentibus nos ſcriptis ſignificamus. Nuper enim feſto die Annunciationis B. MARIÆ Virginis, cùm poſt matutinas noctis circa horam quaſi nonam orarem (b) in Baſilica S. Joannis Baptiſtæ (c) ante ſacratiſſimas ejuſdem Reliquias vidi apud me hominem annorum triginta, vel circiter, cujus aſpectus nitens, & lucidus, tanquam ſol, totam Baſilicam illuſtrare videbatur: is indutus pellibus camelorum, & tenens manu vexillum S. Crucis ter vocavit me dicens: Athanaſi, Athanaſi, Athanaſi, ſcito, & ſis certus, quòd voluntas Dei eſt, & deſiderium meum, ut Imago glorioſæ Virginis MARIÆ, & Reliquiæ, quæ in hac conduntur Baſilica, in Italiam mittantur. Non enim diu quæ huic populo imminet divinæ ultionis ira differetur: has Fratri Angelo Hieroſolymitano, qui in Inſula Siciliæ pro veritate dicenda martyrium ſuſtinebit, ſicut & ego ſuſtinui, credes, & reſignabis: qui eas, magnâ fide, & devotione, cum ſociis Petro, Joſepho, & Enoch, portabit. Quâ apparitione territus, & non mediocriter tremebundus; demùm reſumptis nonnihil animi viribus, interrogavi, quiſnam eſſet. Et ille: Joannes, inquit, ſum Baptiſta præcurſor Domini noſtri Jesu Chriſti, cujus Reliquiæ ſunt in iſta Baſilica; eas ad Fredericum de Claramonte Fratrem tuum devotum, & timentem Deum mittas, qui cum Honorio Pontifice eas ſuſcipiet, & ubi divina voluntas diſpoſuerit honeſtè reponet. Et his dictis non ampliùs apparuit. Hujus igitur oraculi præceptò moniti, habitâ priùs oratione, & firmato nobis propoſito, per ipſum R. Fratrem Angelum præſignatum, & ſocios ejus; ipſas Reliquias tuæ ſpectabilitati mittimus. (b) (c)

S. Ioannes Bapt. quâ formâ apparuerit Athanaſio Patriarchæ.

Iubet transferri ſuas, & aliorum reliquias

1320. Reliquiæ autem hæ ſunt: Imago glorioſæ Virginis MARIÆ, Brachium & Tibia S. Joannis Baptiſtæ: Caput Hieremiæ Prophetæ; Brachium S. Catharinæ Virginis & Martyris, & Tibia S. Georgii: de quibus, prout Dominus diſpoſuerit, conſulto S. Patre Honorio Pontifice Romano, diſpones piè, & religiosè, ut te præſtare ſolitus es erga Deum. Audies autem plura ab eo ipſo R. Fratre Angelo, cujus colloquio mirificè delectaberis: quem ut optimè dignoſcas, & omni ſtudio complectaris, hortamur. Eſt enim non minus opere, quàm ſermone mirabilis, & præcipuus veritatis amator, ac fidei Catholicæ defenſor acerrimus. Cætera quæ de ipſo referri poſſunt admirandæ ſanctitatis opera, quod ipſe brevibus ſcriptis aſſequi non poſſum, & tu facilè (ut ſpero) cognoſces, ſilentiò prætereo. Vale in Domino noſtro JESU Chriſto, & orationibus S. Honorii Papæ nos commenda. Datæ Alexandriæ anno Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo nono.

Quæ fuerint illæ Reliquiæ.

1321.

V. Maii. 1321. ANNOT. (a) Athanaſius de Claramonte *Eliæ mentio fuit etiam cap. 1 17. & 20. & 22. Bzovius in Annalibus ad annum Chriſti 1219. Ex MSS. monumentis vetuſtis Vaticanis de illo, & revelatione ipſi facta iſta refert:* Per id temporis Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit B. Athanaſius de Claramonte Patriarcha: cui ſecundùm quietem S. Joannes Baptiſta apparuit, eique tum ſuas, tum aliorum plurimorum Sanctorum Reliquias revelavit. *Ibi conſequenter iiſdem penè verbis, prout hîc, Hiſtoria illa deſcribitur, ex MSS. Bibliotheca Vaticana. At ſcire curioſus lector cupiet, quâ ratione à Latinus, natione Siculus, Patriâ Panormitanus, provectus fuerit ad Patriarchatum Alexandrinum pro Græcis ſeu Syris, qui non niſi ſuæ nationis admittere ſolebant: verùm licet natione fuerit Latinus, ritu tamen fuit Græci, utpote Monachus Ordinis S. Baſilii Panormi in monaſterio nuncupato olim:* S. Maria de Grotta, ſeu de Crypta *(de quo in vita S Angeli cap. 22. illud autem non ampliùs extat: ſed ibi, aut in loco vicino, nunc eſt Collegium Societatis Ieſu, ſicut tradit Octavius Cajetanus, verbis ſuprà relatis, in Notis ad caput XXII. Monachi autem illi S. Baſilii Panormi, olim ſervabant, & adhuc modò (tranſlati ad alium locum, nuncupatum S. Chriſtophori) ſervant Græcos ritus & idioma*

1322 (b) Baſilica ſancti Joannis Baptiſtæ. *Baſilica illa S. Ioannis Baptiſtæ Alexandriæ quo loco & tempore ædificata ſit ſcribit Cardinalis Baronius Tomo 4. Annalium (a) his verbis:* In loco igitur ubi Serapis templum erat, erecta Baſilica fuit, illatæque in eandem ipſæ ſacratiſſimæ Reliquiæ (ut S. Athanaſius antè prædixerat) S. Joannis Baptiſtæ per Theophilum Epiſcopum Alexandrinum. *De iſtis Reliquiis S. Ioan. Bapt. videatur infra ad XXIX. Auguſti.*

a ad ann. 389. n. 97.

1323. Ante ſacratiſſimas ejus Reliquias. *Reliquiæ illæ S. Ioannis Baptiſtæ ex Vrbe Sebaſte, tranſlatæ fuerunt Alexandriam annò Chriſti CCC. LXII. prout ex Ruffino (b) refert Card. Baronius in Annalibus Eccl. (c) Iſtaſque ſacras Reliquias, cum aliis prænominatis, S. Angelus Alexandriâ tranſtulit in Italiam.*

b l. 2. c. 28. c Tom. 4. ad annum Chr 362. nu. 146.

EPISTOLA

Thomæ Bellorosii, ad eundem Ampliſsimum Patrem Magiſtrum Nicolaum Audetum, de quotidianis Miraculis S. Angeli Martyris, in oppido Leucatæ, ubi ſepultus eſt: deque Fonte vivo, & fluxu Olei medicinalis; in loco ſepulturæ dicti Martyris glorioſiſsimi.

1324. H*Abes, Ampliſſime Pater, ea quæ ſcripta ſunt olim de Vita ſanctiſſimi Angeli Virginis & Martyris, à me non minus expolita quàm digeſta per Capita, ut innoteſcant toti Orbi Chriſtiano, quæ ita ferè quotidiè miraculorum locupletiſſimo teſtimonio comprobantur, ut non egeant aliquo teſtificationis adjumento (ſicuti profusè tua Paternitas ampliſſima percepit à multis viris præſtantibus in hoc Regno.) Non enim tuam Paternitatem latet, quòd Divus Angelus ſpiritu humilitatis, quæ de ſinu Patris deſcendit, plenus, ut declinaret inanem hujus mundi ventoſi gloriam, priuſquam ab humanis recederet, mandavit, ut in eo corpus ejus humaretur loco, in quo erat ſceleſti hominis gladio confoſſus: nemo tamen poſteà fuit auſus hanc ſupremam ſanctiſſimi Martyris voluntatem violare; verens nè inferret offenſam, quoadusque aliter viſum fuit divinæ Majeſtati, quæ (ſicut conjicimus) ut dilectiſſimus ejus Martyr, aſſiduè affulgeret miraculis; ex ſepulturæ loco, qui in templo erat, & quaſi ex ore ſepulti, repentè pulchrum lilium enaſci fecit, quod quoties fuit inciſum ſtatim renatum eſt. Et hoc miraculo permoti incolæ illius oppidi Leucatæ locum effoderunt; ubi inventum eſt S. Corpus mirò fragrans odore, quod honorificè repoſuerunt in arca honeſtiſſima.*

S. Angelus miraculorum gloriâ illuſtris.

Ex ore ſepulti lilium prodiit.

1325. *Ex loco verò, ubi priùs jacuerat corpus, fons vivus aqua nitidiſſima & ſuaviſſimi odoris emanavit: ex ea verò parte, quâ caput Martyris requieſcebat, cœpit fluere medicinalis olei liquor, ubi poſteà manu artificis aqua illa per gradus operis lapides circumdata eſt, quæ tertio nonas Maji, anniverſario die Martyris, plus ſolitò excreſcit, & tunc etiam (a) oleum effluit, incipiens pridie ab hora veſpertina uſque ad ſolis occaſum diei ſequentis: quod ſolertiſſimè à plebe colligitur, ad ſanandos infirmos; multiq; ægroti illo die ſolemni deſcendunt per gradus fontis, loturi corpus, implorantes D. Martyris auxilium, & ſenſim, populo ſpectante, recipiunt ſanitatem, præſertim hernici & paralytici. Plura quoque efficiuntur miracula, ſi die illo celeberrimo vir doctus Carmelitanæ familiæ, & non alterius Ordinis profeſſor, more declamatorio habebit Sermonem ad populum de Vita, Miraculiſq; & Martyrio prædicti Martyris glorioſiſſimi. Non videtur mihi profectò hac de cauſa opus eſſe ut quærantur antiquæ atteſtationes de Vita S. Martyris, quandoquidem vivi fontis ſcaturigo, & effluentis olei liquamen teſtentur omnia quæ tradita ſunt litterarum monumentis de cœleſti beatitudine Divi Angeli, veriſſima eſſe; & ſole meridianò clariora. Nava igitur ex imis ſenſibus operam, Ampliſſime Pater, ut ſicut à divina Majeſtate, & Cœlicolarum Senatu prædictus Martyr factus eſt cœleſtis civis, triplici coronâ donatus; pari modo in hac Eccleſia militante perpetuò ſummi Pontificis, ac ſacroſancti Senatûs Apoſtolici decretò divinis honoribus condecoretur, veneretúrq; ab omnibus; ad laudem & gloriam totius Curiæ cœleſtis, & individuæ Trinitatis regnantis in ſæcula ſæculorum. Amen.*

(a)

Oleo ex ejus ſepulchro fluente plurimi ſanantur.

1326. ANNOT. (a) Oleum effluit *De admirando illo olei fonte ſcaturiente eo in loco, in quo glorioſus Martyr Angelus ſanguinem pro Chriſto effudit: Plura teſtimonia adducuntur in Annalibus Ordinis nujus ad annum 1220 Rocchus Pirrus, in opere* Sicilia ſacra, *Notitia 3. ſub titulo.* Leocata, *ita de illo fonte tradit:* Fons ille, quem puteum S Angeli appellant, divinitus olim oleum emanabat: ejus aquæ ebulliunt aliquando, & templi pavimentum abluunt, uti evenit anno 1625 peſte in cive. graſſante: quorum plures hac aſperſi undâ a mortifero morbo ſunt liberati. Crevit non parùm tunc erga Sanctum pietas, & populi devotio, ac frequentia: & publicis ex eleemo ynis in novam argenteam affabre confectam arcam repoſita ſunt ſacra Lipſana.

V. MAII.

EPITOME VITÆ S. ANGELI

Ex Baptiſta Mantuano libro 5. Faſtorum.

S. Angeli Feſtum die 5. Maji.

1327. *ANgele, Carmeli venerabilis incola Montis,*
Cui natale ſolum fuit in regione Syriſſa,
Lux tibi converſo ſacrata revertitur anno;
Et Maji tua quinta dies: tu prima juventa
Tempora & ætatis ſpecimen, floremque dicaſti
Chriſtiparæ Matri, conjecto in vincula ſenſu. *(Is primam juventutem Chriſti Matri dicavit.)*
Vſque adeò tua virginitas, tua neſcia fraudis
Simplicitas placuit Divis, ut ſæpè relicto
Ad tua contulerint ſeſe gurguſtia cælo,
Vt tibi languores hominum, caſuſque ſiniſtros
Subdiderint: poteras etenim depellere morbos,
Infrænare malos manes, ſuccurrere nautis,
Quando procelloſo ſpumant freta concita cælo.

1328. *Cùm mare tranſiſſes cupiens inviſere Romæ*
Reliquias, ſacros cineres, monumentaq; Patrum *(Occurrit SS. Dominico & Franciſco.)*
Et Lateranenſis ſtares in limine templi
Contigit æternis res commemoranda diebus:
Nam Minor Etruſca veniens de monte Laverna *(De iſto occurſu vid. ſupr. n.)*
Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexit
Proſtravit genibus, ſacris dedit oſcula plantis:
Inſuper adjecit: ſalve Pater Angele, montis *(Prophetica eorum colloquia.)*
Incola Carmeli, te mors manet inclyta: Chriſti
Teſtis eris, tibi Rex Divûm decus annuet iſtud.
Te quoque Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia, ſolvenda tanto pro munere grates:
O, Franciſce Deo: ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior, tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago.
Dominicus Hiſpanis qui tunc veniebat ab oris
Fortè aderat, tam mira notans præſagia Patrum;
Et tulerat caſus mundi hæc tria Lumina in unum.
Præterea quantum poteras ſermone; fluebant *(S. Angelus potens in ſermone.)*
Ad te turmatim velut ad ſpectacula Romæ
Scenica dicentem populi: tu corda movebas
Vt moviſſe ferunt lapides Amphiona quondam.

1329. (a) *Præterea quod te Superi monuêre, Scytharum* *(Prophetia S. Angeli de Imperio Turcico amplificando.)*
Hoc infame genus Turcos tunc temporis ultrà
Caucaſeos montes, poſitum, trans Boſphoron eſſe.
Venturum excidio Grajis, fineſque aditurum
Auſonios; quod nos hac tempeſtate dolentes
Vidimus (b) *impletum, quando per Iapidis agros,*
Atque per Hidruntis colles ea turba profuſa eſt.
Atque utinam veniat tua, quem dixêre futurum,
Rex novus ex Francis, oracula, qui fuget iſtam, *(De Rege qui Turcas debellet.)*
Progeniem, peſte hac totum qui liberet Orbem,
Nec ſinat ærumnis homines tabeſcere tantis.

1330. *Cùm verò inceſti grave perſequerêre tyrannis*
Crimen ut Helias lucos & Iezabel aras,
Et Baptiſta nefas regis Veneremque nefandam, *(S. Angeli zelus inſtar S. P. Eliæ & S. Ioan. Bapt.)*
Heu caput! heu pectus gladiis crudelibus auxit
Hoſtis iter pandens animæ ſuper aſtra volanti,
Cùm fierent ad buſta viri miracula in horas
Plurima, conſenſu populi tellure levatum
Inſigni poſuêre loco venerabile corpus.
Cum verò injectis vellent occludere glebis *(Miracula ad ejus ſepulchrum.)*
Os tumuli, ſubitò turbis mirantibus unda
Fluxit, & in vitreum verſa eſt humus arida fontē:
Qui quoties redit iſta dies, licèt aëra nulla
Pervolitent nubes, clauſo licèt æreat imbre
Omne ſolum, creſcit, ſummiſque dat oſcula ripis.
Tunc cadit in ſacrum (Siculas res iſta per urbes *(Indè fons olei fluit.)*
Cognita jam dudum) virtus divina liquorem,
Fitque ſalutaris, dictu mirabile! morbi
Omne genus, cui ferre nequit medicina ſalutem,
Solvit, & abluitur tactu anguſtia lymphis.
Præſtat idem circa fontem manantis olivi *(Omne genus morborum pellens.)*
Ex tellure liquor, ſanctos ita curat Olympus.
Sancte Pater fer opem nobis, animaque volenti
Ad Superos nitì faveas, & porrige dextram *(Oratio ad S. Angelum.)*
Palpanti tenebras, loca per ſalebroſa meanti.

1331. ANNOT. (a) Præterea quòd ſuperi monuere &c. *De illa revelatione S. Angelo facta, & de vaticinio illo mox latiùs.* Caucaſus *mons eſt in finibus Perſidis, ſeu, ut alii, Scythiæ verſus Septentrionem, circa quem Turcæ originem habuerunt.* Boſphorus *autem anguſtum mare eſt circa Byzantium, ſeu Conſtantinopolim: trans illud venientes* Turcæ Græcis excidium attulerunt: *prout dudum ante prænuntiaverat ſanctus Angelus, a Chriſto edoctus.*

(b) Vidimus impletum, quando per Japidis agros.
Atque per Hidruntis colles ea turba profuſa eſt.

Hydruntem *Calabriæ maritimam Civitatem Turcæ claſſe obſederunt & occuparunt anno ſalutis noſtræ* MCCCC. LXXX. *& indè Italiæ univerſæ impendebat exitium, niſi Deus clemens populi ſui miſertus fuiſſet.*

COMMENTARIVS

Ad caput XIII. XIV. & XV. vitæ S. Angeli.

Oracula, Vaticinia, ſeu Prophetica prædictio à Chriſto per S. Angelum de Chriſtianæ Reipublicæ afflictione, ac dein conſolatione, Turcici imperii incrementis, & denique excidio; Hungarici regni frequenti vaſtatione, tandemque Hieroſolymæ recuperatione, illuſtrata.

1332. *CVm in Vita S. Angeli contineatur notabile illud oraculum, ſeu vaticinium de occupandis Terræ Sanctæ Provinciis, atque aliis multis Regionibus per Agarenos, & Iſmaëlitas, deq; Turcici Imperii maximo incremento, ac demùm excidio, operæ-pretium videtur declarare hoc loco iſta pleraque jam eventu comprobata, ut certam de reliquis in poſterùm fidem faciant. atque ita Vita hæc S. Angeli, & iſta minatoria prædictiones, ſtupenda ejus miracula, ſancta exempla, divina monita excitent, & permoveant efficaciùs* ad deſerenda, ac deteſtanda peccata (*quæ omnium malorum ...*) & cognoſcendam, & ſuſcipiendam juſtitiam; *nec non redimendas pœnas, afflictiones, tribulationes,* *(Prophetica prædictio per S. Angelum magna ex parte adimpleta.)*

à Chriſto

V. Maii. *Minæ à Deo quâ ratione possint redimi.*

à Christo per S. Angelum prænuntiatas (si quæ adhuc restent non impleta) nam ejuſmodi minacia Dei oracula ſunt conditionata, nempè ſi peccata non committantur, etiam pœna comminata non infligantur. Ideoque præmittuntur à Deo, ut homines inducant ad pœnitentiam, atque ita eis parcat: Mutatis enim rebus, & perſonis, effectum non conſequuntur. Atque ita hæc mutatio non eſt in Deo, Deique decreto, ſed in ipſis rebus, & peccatoribus. Ita accidit Ninivitis.

1333. *Et hâc ratione, ſicut olim* S. Angelus (*juxta nomen ſuum illi, priuſquàm naſceretur, ab ipſa cœlorum Regina inditum*) *fuit veraciter* Angelus, *id eſt nuntius divinorum mandatorum, & cœleſtium arcanorum interpres; ſic &* *S. Angeli vita vox clamantis: agite pœnitentiam.* *hæc Vita per Chriſtianum Orbem evulgata, ſit inſtar tubæ, excitantis ad bellum adverſus peccata, ſchiſmata, diſſidia, quæ Rempublicam Chriſtianam evertunt, ac Babylonem ædificant, & intonantis pacem, caſtitatem, temperantiam, divinæ legis obſervantiam, charitatem, cæterarumque virtutum exercitia, quæ Ieruſalem, id eſt regnum Chriſti, in terris conſervant, & augent, ac vires adverſùs hoſtes orthodoxæ Fidei ſubminiſtrant: Eſt quoque hæc vita veluti Prophetarum oracula, & tamquam* vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri... Agite pœnitentiam... fugite à ſuperventura ira... Peccata veſtra eleëmoſynis (*& reliquis bonis operibus, & præcipuè verâ pœnitentiâ, perfectâ contritione*) redimite. *Hinc patet, quantæ utilitatis hæc vita ſit.*

§. I. *Ieroſolymæ, Terra-ſanctæ, & aliarum plurimarum provinciarum Chriſtiani nominis amiſſio, & Turcici imperii maxima dilatatio, à S. Angelo prænuntiatæ, jam magna ex parte adimpletæ.*

1334. *Igitur cùm S. Angelus Chriſtum Dominum oraret (ſicuti Cap. 13. Vitæ ejus ſcribitur)* ut ab Infidelium jugo ſanctam civitatem Jeruſalem liberare dignaretur, *ab eo hoc accepit reſponſum & prædictionem (prout Capite 14. narratur.)* Scito Angele, & hanc revelationem ubique prædicabis, quòd civitas Jeruſalem diu erit ſub ditione Agarenorum, quæ ab eis non multò pòſt ferè tota funditùs deſtruetur. *In Eccleſiaſticis Hiſtoriis quivis utcumque verſatus fuerit, facilè perſpiciet, & quaſi manu palpabit, quòd & qualiter revelatio S. Angelo facta de Terra Sancta occupanda, & deſolanda per Infideles, de Chriſtianorum afflictione, & Turcarum Imperio ampliando, majori ex parte adimpleta ſit. Inprimis illud; de* Jeroſolyma per Agarenos deſtruenda. *Quod fieri cœptum eodem illo anno 1219. quo per S. Angelum prænuntiatum fuerat; eo enim tempore quo ipſe Ieroſolymis egreſſus versùs Siciliam proficiſcebatur, Coradinus filius Saphadini aggreſſus Ieroſolymam (quæ videbatur inexpugnabiliter munita) ejus muros cum turribus deſtruens, in acervos lapidum redegit, parcens ſolis Turri David, Templo, & Sepulchro Domini, ob loci reverentiam; Prout refert iſtorum temporum Scriptor Iacobus de Vitriaca Epiſcopus Acbonenſis in Hiſtoria Ieroſolymitana lib. 3. Sed poſt annos viginti quinque (an. 1244.)* *Prophetia S. Angeli de Terra Sancta deſolatione vaticinata.* *multò majorem ruinam paſſa eſt à Choraſminis, qui ipſum etiam ſacroſanctum Sepulchrum Domini, atque alia cuncta religioſiora loca, quæ cæterùs intacta conſervata fuerant, erupre, omniq; nefariâ fœditate, atque turpitudine, polluta, & ornamentis ſpoliata fuêre.* *Hieroſolymæ multiplex deſolatio.* *Ab hac autem devaſtatione Vrbis Ieroſolymorum numquam hactenùs ea in poteſtatem Chriſtianorum venit; ſed penes Barbaros, Saracenos, & Mahumetanos perſtitit: videlicet à præfato an. 1244. uſque ad 1516. ſub Saracenis, Sultano Ægypti, & Mammaluchis: ab anno autem 1516. & deinceps Ieroſolyma, totaq; Terra Sancta, à Turcis occupatur, ſicut ex dicendis patefiet. Videri de his poterit Spondanus ad dictos annos. Proſequitur Chriſtus ad S. Angelum, et ſuperventura mala denuntians.*

1335. Ipſa inſuper Judæa, Samaria, Galilæa, & tota Terra Promiſſionis, & Cappadocia, & Ægyptus cum multis Regionibus; & Provinciis Aſiæ, & Africæ, paucis interjectis annis, omni ex parte cedent in poteſtatem Iſmaëlitarum. *Etiam iſta adimpleta fuerunt aliquantò pòſt: cùm enim præfati Choraſmini, ob ſuam immanem crudelitatem, nec à Tartaris (quibus tributum, ſicut ſolebant, ſolvere detrectarent,) admitterentur, & à Sultano Babyloniæ, & Ægypti excluderentur, divino judicio ab invicem diviſi, intra breve tempus ferè omnes perierunt, à populis in eos inſurgentibus. Atque ita Ieroſolyma, & urbes vicinæ remanſerunt ſub dominio Saracenorum: qui paulatim totam Terram Promiſſionis occupaverunt, prout refert oculatus teſtis Gulielmus de Sanrico in libro de perditione Monaſteriorum Ordinis ſui Carmelitici in Terra Sancta, cap. 8. ubi hæc inter alia:* * Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto Pagani Choraſmiani poſt triumphum quem in Terra Sancta de Templariis, & Hoſpitalariis, aliiſque innumeris Chriſtianis obtinuerunt, ad Sanctam civitatem Jeruſalem acceſſerunt..., Poſt hæc autem aſcenderunt vehemeñtiùs ante conſpectum Domini Sabaoth ſcelera nefandorum Chriſtianorum Terram Sanctam ſordidantium, quorum corda Deus effœminavit, & animos infidelium adversùs eos corroboravit. Qui cùm poteſtate magna contra nobilem civitatem Antiochiæ venientes, & eam obſidentes, tandem annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô octavô eam vi armorum ceperunt innumerabilium Chriſtianorum ſanguinem effundentes... Cùm autem Dominus Deus Chriſtianos Phœniceos ad pœnitentiam diutiùs expectaſſet (quos ſtudia profana dilacerabant) videns quòd illam facere renuebât, iratus in eos, induxit ad Phœnicem innumerabilem Paganorum multitudinem: qui glorioſam Civitatem Tripolim obſidentes, tandem eam anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono obtinuerunt, &... Civitatem diruerunt; captis

* Vide Tomo præced. p. 1. l. 9. c. 8 num. 440. & ſeq.

Terra S. amiſſa ob peccata.

V. MAII. tis in ea ; & interfectis infinitis utriuſque ſexûs Chriſtianis . . . Proindè contra Tyrum aſcendentes, munitiſſimam Civitatem . . . deſtruxerunt, Bienniò autem ferè lapsò, Saraceni contra opulentiſſimam Civitatem Accon venerunt . . . Civitatem obtinuerunt : in qua fuerunt ultra trigintâ millia Chriſtianorum cæſa & capta, *Conſequenter Chriſtus de Turcis ſermonem infert.*

De Turcici Imperii incremento.

1336. Nec multò pòſt univerſa illa mundi pars, quæ minor Aſia dicitur, in ditionem Mahumetis, Othomano Duce, deveniet. *Id contigit circa, & aliquantò pòſt annum Chriſti 1300. quando res Turcici ita aucta fuit, ut exindè Imperii Turcica initium ſumatur. Primus autem eorum Imperator fuit Ottomanus qui invaſit Bithiniam ; Cappadociam, Pamphiliam, Regiones opulentiſſimas. Ejus autem Succeſſores Graciam, Thraciam, Theſſaliam ; aliaſq; quamplurimas Provincias obtinuerunt, atque in hodiernum uſque diem poſſident. Chriſtus ad S. Angelum pradictionem de Turcis continuat.*

Et amplitudine, ac potentia.

1337. Indeque terrà, & mari indies magis potentia eorum augebitur, & terrebit ferè omnes gentes. *Id, heu! nimium in hodiernum uſque diem experimur Chriſtiani: in tantam enim amplitudinem Turcicum Imperium excrevit, ut & Europa, Africa, & Aſia permultas Provincias, & Regiones complectatur : abſumpſeritq; duo Imperia, Byzantinum, ſeu Conſtantinopolitanum, expugnatâ Conſtantinopoli annô Domini 1453. (cùm ſtetiſſet Urbs ab ejus conditu, ſeu dedicatione per Conſtantinum magnum factâ, annis mille centum viginti tres.) Et Trapezuntinum annô Dominica Incarnationis 1461. (quod exordium habuerat anno 1204. complectens ferè Cappadociam, Paphlagoniam, Pôntum, & Colchidem,) Conſequenter Mitylenen, Rhodum, & Cyprum ſua poteſtatis fecit,* & à paucis annis Candiæ regnum. *Hinc patet quàm verum ſit illius S. Angeli vaticinium* de amplianda Turcarum potentia per Aſiam, Africam, & Europam. *Etiam Iſmaelitarum Dominium ad Turcos transferendum Chriſtus ſancto Angelo pranuntiat.*

1338. Hieroſolymam cum univerſo Iſmaëlitarum (*id eſt Agarenorum ſeu Saracenorum*) dominio Othomani obtinebunt. *Id impletum fuit Annô Chriſti 1516. Tunc Selimus triumphans de Mammaluchis & Sultano Ægypti, univerſâ Syriâ, & Ægyptô potitus eſt : atque ita Otomani (id eſt Turci) omnes Iſmaëlitarum, ſeu Saracenorum ditiones obtinuerunt, & uſque in praſens poſſident. Tum iterum de Chriſtianis & Hungaria:* Chriſtianorum propugnacula expugnabunt. *Ejuſcemodi propugnacula olim erant Belgradum, Buda, aliaq; munitiſſima loca in Hungaria (de qua ſtatim) & alibi.*

1339. Ungariam pluries invadent, & ferè deſolabunt eam. *Primus Hungariam ingreſſus & adorſus fuit Bajazates Anno Chriſti 1394. qui in Pannonia inferiori Sirmienſem agrum miſerè devaſtavit: & ſub idem tempus Bulgariam & Walachiam, Hungaria finitimas, & olim attributas, occupavit. Anno 1415. Turci Regnum Boſna & Hungaria aggreſſi ; rabies eorum crudelis & impia copioſam multitudinem Nobilitatis Hungarica devicit ac proſtravit. Cladem illam deſcribunt iſtius gentis Hiſtorici, & referunt Bzovius ac Spondanus ad dictum annum. Anno 1444. Wladiſlaus Hungaria Rex contra pacta inter Turcas & ipſum inita, exercitum ducens, victus & interemptus fuit ; & ejus exercitus profligatus; ita ut vix tertia pars evaſerit. Dicitur autem Amarates Turcarum Imperator, cùm fœdus juratum ſuper Euangelia à Chriſtianis, & ſuper Alcoranum à Turcis, violatum videret, exclamaſſe ad Chriſtum :* Si Deus es, tuas, meaſque hic injurias, te quæſo, ulciſcere. *Ita Bzovius, Spondanus, & alii. Rurſus annô 1475. incurſionem facientes Turci in Hungariam, magnam ejus partem vaſtarunt, Annô autem 1521. menſe Septembri Solymanus Turcorum Imperator exercitum adverſus Hungaros ducens, primitias expeditionum ſuarum ; Belgradum (dictum etiam* Albam Græcam. *ad confluentem Savi & Danubii inclytorum fluminum ſitum) munitiſſimum totius Hungaria oppidum, & validiſſimum Chriſtianitatis eâ parte propugnaculum ; rebus omnibus neceſſariis tunc deſtitutum, poſt bimeſtrem obſidionem expugnavit ; unà cum Sabbatia, aliiſq; nonnullis munitionibus.*

Pacta non ſervata etiam cum Turcis Deus ulciſcitur.

1340. *Poſt quinquennium, anno ſcilicet 1526: Solymanus ingenti collecto exercitu, expeditionem in Hungariam ſuſcepit ſub finem Auguſti: Illum præproperè nimis aggreſſi Hungari ingenti clade cæſi ſunt. Ludovicus Rex fugâ ſibi conſulturus, in palude ; equô cum ſeſſore in dorſum corruente, ſuffocatus interiit. Indè Solymanus Budam verſùs movens, primariam Hungaria civitatem ſine ullo præſidio relictam reperit & combuſſit: Deinde in omnes Hungariæ partes prædatoribus ; omnia ferrô & flammâ vaſtata fuêre. De illa luctuoſa Hungarorum cæde vide etiam hic ſuprà num. 1245. & 1246. Mortuô itaque Rege, nullâ prole relictâ, de ſucceſſione contentio magna exorta eſt. Interimq; Turci his diſſidiis in commodum ſuum uſi, Iaiciam, munitiſſimam primariamq; Boſnenſis Regni urbem ; nec non & Croatia partem, in ſuam poteſtatem redegerunt, nemine opem ferente. Iterum poſt triennium (anno 1529.) idem Solimanus, cum numeroſiſſimo exercitu in Hungariam venit, & Civitates Quinqueccleſienſem, Albam regalem, & alias plures in ſuam poteſtatem accepit. Denuò poſt triennium (Anno 1532.) in Hungariam venit idem Solimanus cum exercitu trecentorum millium equitum : ſed poſt ignobilis oppiduli Quinſii terdecies oppugnationem, & fortiſſimam ejus propugnationem, auxiliante S. Martinô, haud longè inde natô, nequaquam vi capere potuit. Aliquantò pòſt, non auſus ulteriùs progredi adverſus florentiſſimum Caroli V. Imperatoris exercitum, per devia hinc indè errando vagatus ſine ullo operæ-pretio regreſſus eſt. Rurſus anno 1541. Hungariam petit, & circa Budam cæſis viginti Chriſtianorum millibus, tormentis omnibus, atque impedimentis captis, Budam ſibi vendicavit Bienniò pòſt (an. 1543.) Idem Solimanus in Hungariam cum magno exercitu penetrans, Quinqueccleſias, Valpoviam, Strigonium, Albam-regalem. (ubi Reges coronari & ſepeliri conſueverant) amplas, & munitas Urbes, aliaq; non pauca oppida occupavit ; totâque Regione dirè vaſtatâ Conſtantinopolim*

Ungaria frequentes vaſtationes per Turcas.

V. MAII.

nopolim rediit: noſtris intereà Principibus cum ſuis magniloquentiſſimis jactantiis inter ſe ludentibus in reliqua Chriſtianitatis perniciem, inquit Spondanus. (a) *Poſteà annô 1552. per ſuos Duces magnam reliquæ Hungariæ partem ſibi ſubjecit, interceptis aliquot præcipuis urbibus, & quamplurimis oppidis, ac arcibus. Denique anno 1566. initio lunii Conſtantinopoli diſcedens expeditionem in Hungariam movet, Zigethum (ſeu Zygethum) ad Pannoniæ, & Croatiæ confinia ſitum, totiuſq; Pannoniæ firmiſſimum, in duas partes, duplicemq; arcem diſtinctum, aliaſq; oppugnatum, nec expugnatum, ſecundò obſedit, & cepit. Sub hoc tempus Legatus quidam Cæſaris ad Solymanum deſtinatus, redux retulit, quatuor ſe miracula vidiſſe in exercitu Solymani, videlicet innumeras copias, ne unam quidem mulierem, nullam vini mentionem, & quòd veſperi omnes altâ voce exclamarò* Allà, *hoc eſt, Deus, deinceps tantum ſervarent ſilentium, ut nec in tentoriis, niſi ſubmiſſâ voce quis loqueretur. Quantùm diſtat Chriſtiana militia ab illa! Et miramur ſi in tam ordinata diſciplina proſperè res agantur? An enim expectamus, ut in immoderatiſſimis, incompoſitiſſimis, & effrænatiſſimis Chriſtianorum caſtris, Deus, cujus nulla in eis fere mentio, niſi ad blaſphemiam, quotidiè miracula patraturus ſit? Ita Spondanus.* (b) *Ex hactenus dictis manifeſta eſt veritas vaticinii iſtius S. Angeli:* Ungariam pluries invadent, & ferè deſolabunt eam. *Plura circà hæc videri poterunt apud Iſthuanſium, Bizarum, Natalem, Leunclavium, Sambucum, Stephanũ Brodericum, & alios rerum Hungaricarum Scriptores.*

(a) Ad ann. 1543. nu. 1.

Zigethi obſidio.

Quatuor admiranda in exercitu Turcarum.

(b) Ad ann. 1566. n. 14.

1341. Terrebitur & infeſtabitur Europa: *An non ſæpè territa & infeſtata fuit Europa per Othomanos ſeu Turcas, dum ejus nobiliſſimæ illæ Regiones Græcia & Thracia, ſeu Romania, (in qua Conſtantinopolis) & Regna adjacentia impetita, & occupata per eos fuêre? & dum toties, uſque in præſens, florentiſſimum olim illud Europæ Regnum Hungariæ invaſêrunt, & vaſtarunt, dum (anno 1529.) Viennam obſiderunt? dum Hydrunte (de qua ſtatim) interceptâ toti Italiæ perniciem minabantur.*

1342. Italia verò ipſa, ubi Sedes Petri eſt, diu, & ſæpè vexabitur, & diuturna, & pernitioſa reprehenſionis bella ſentiet: & videbit ignem, & ſanguinem. *Iſtas quidem, & alias calamitates à S. Angelo prænunciatas Italia quandoque jam experta fuit, & quidem à Turcis anno 1480. quando dìram in Italiam fecêre excurſionem, & Hydruntem Calabriæ maritimam Civitatem claſſe obſeſſam, & diu noctuque tormentorum impetu quaſſatam expugnarunt. Ferunt ad duodecim propè Chriſtianorum millia vel cæſa fuiſſe, vel in captivitatem abducta; Matronis ſtupratis, virginibus raptis, ſanctimonialibus fœdatis, prægnantibus cum ſemivivis corpuſculis dilaniatis, ſenibus hominum & equorum calcibus conculcatis, ſacerdotibus intra Eccleſias jugulatis; Archiepiſcopo annoſo, Pontificalibus induto, ſacratiſſimam Crucem manibus tremulis tenente, & Chriſtianos ad conſtantiam fidei exhortante, captô, & ſerra ligneâ in duas partes diviſô, ut Breidenbachius habet; quem alii vivum excoriatum volunt. Octingenti circiter educti oppidô nudi, cùm nollent fidem Chriſti abnegare, inter ſe ad conſtantiam cohortati, in parva valle (quæ deinceps Martyrum vallis vocata eſt) trucidati ſunt. Expugnationem verò Hydruntis tantum terrorẽ univerſæ Italiæ attuliſſe tradunt, ut de illa deſerenda magis quàm defendenda cogitatum paſſim fuerit. Ita Spondanus ad illum annum 1480. num. 3. Porrò piis Chriſtianorum precibus, & pœnitentiis permotus Pater miſericordiarum, Italiæ toti tum quàm maximè periclitanti, auxilium de cœlo mittens, Mahometem Turcorum Imperatorem, truculentiſſimum Chriſtianorum perſecutorem, in ipſo ejus procinctu ſævorum conatuum de medio ſuſtulit, die 3. Maji Feſto S. Crucis, cujus memoriam impius ſublatam volebat. Eâ auditâ morte Achmetes expugnator Hydruntis, inde diſceſſit, & mox cæteri Turci, qui Hydruntem detinebant, urbem & Italiam penitùs deſeruerunt.*

Italia mala impendentia prænunciata.

1343. *Prophetia iſti S. Angeli ferè correſpondet vaticinium illud à Laurentio Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ verbo* Turcæ *relatum his verbis:* Ad immaniſſimos Turcas orationem meam convertam: quos longum; latum; & magnum Imperium, divitiarum magnitudo, frequentia victoriarum, & gloria in tantum extollet. Ungariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes, regnum Ungarorum lacerantes, ſimulque Imperium Romanum Germanumque diutiſſimis bellis tentantes in eorum manus cadent. Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ, Hiſpaniæque littora claſſe ſuâ, nec non Italiam moleſtabunt, & affligent. Timorem magnum Chriſtianis immittent. Sed Chriſtus tandem ſuorum non ferens ſtragem, hos nominis, cultuſque ſui hoſtes virtutis ſuæ potentiâ proſternet, & funditùs evertet. *De Ieroſolyma totaq; Terra Sancta Chriſtianis aſſerenda, deq; Turcici Imperii excidio agetur jam ſtatim ex eadem S. Angeli prophetia.*

Prognoſticon de Turcici Imperii incremento, ac tandem excidio.

§. II. *De liberando Orbe Chriſtiano à tyrannide Turcarum.*

Ad caput xv. vitæ S. Angeli.

1344. VEniet tandem; qui liberabit, & ponet pacem in gentibus, & erit conſolatio juſtorum. Quis, inquit, Angelus, iſte erit, qui liberabit civitatem tuam? Et Chriſtus: Surget tandem Rex ... inſigni ... in Deum pietate ... Copias tranſmittet, quas ſequetur multitudo ultrò militantium ... Inſtructâ claſſe fretus transfretabit, & perditas reſtituet Eccleſias: & liberabit Jeroſolymam. *Ita Chriſtus S. Angelo in vita ejus cap. 15. Quis ille* Rex inſigni in Deum pietate, qui claſſe transfretabit, & liberabit Jeruſalem? *Benedictus Genensis in vita S. Angeli ad marginem notat:* Is eſt ſanctus Ludovicus. *Aſt, quàmvis in ipſo verificari poſſint pleraque antè dicta; non tamen apparet, quomodò illud,* liberabit Jeruſalem. *Iſti prophetiæ S. Angeli conſonare videntur ea, quæ de Armenis Nierſes Armeniæ Patriarcha, vir eximiæ virtutis vaticinatus fuit. Nierſes ille, cognomine Magnus, ſextus Armeniæ Patriarcha, vir eximiæ*

virtu-

V. MAII.

Nierſes Patriarcha Armeniæ prophetia de regno illo deſtruendo.

virtutis, paulò ante annum Chriſti quadringenteſimum, tempore Imperatoris Theodoſii Senioris, ſuis Armenis prophetavit, his verbis: Deſtruetur Regnum veſtrum, quemadmodùm Iſraëlis, & diſſipabuntur confinia veſtra per manus exterorum inimicorum; trademini in captivitatem, in famem, in gladium, nec deficiet jugum ſervitutis à collo veſtro. Regionem veſtram, & labores veſtros devorabunt coram vobis alienigenæ, & ſicut diſperguntur frondes, diſpergemini: neglecti eritis ſicut aqua effuſa, & ab intenſione arcûs infirmabimini. *Et iterum poſteà:* auferetur Regnum veſtrum, & Sacerdotium; atque ſine Domino veſtro circuibitis ſuper terram, ſicut grex abſque paſtore. *Et poſt multa alia:* evellentur muri inſuperabiles à gente Tartarorum: & comedet generatio illa carnes brachiorum ipſorum, & loca ſancta Armenorum Pontificum evadent habitationes generationum infidelium. *Et hæc omnia nationi iſti acciderunt propter ſuas hæreſes, quibus obſtinatè inhæſerunt, & defectionem à vera Fide. Deindè lætiora idem Nierſes denuntiat, futura ante mundi conſummationem.* Poſt hæc, *inquit,* fiet redemptio omnium Regionum, & Chriſtianorum à Potenti Romanorum gente, qui Franchi nominantur. Et poſteà in greſſibus bonis requieſcet terra quampluribus annis: & expellentur infideles, & cadent ſub jugum ſervitutis Romanorum. Et dicetur illâ die: Væ mortuis, qui ad hæc felicia tempora, & requiem hanc magnam non pervenêre. *Hactenus Nierſes Patriarcha: cujus, tanquam Sancti, feſtum celebrat Eccleſia Armena, & in oratione hac; inter alia; canit:* Protege nos Chriſte, precibus ſancti Nierſeſis, cui occulta temporis futuri ſecreta revelaſti, &c. *Ita in Hiſtoria Armenia cap. 6. Hinc eſt, quòd ſoleant Armeni, durò infidelium jugò preſſi, dum Chriſtiani aliqui ex Europa ad illos venerint, lamentabiliter exclamare:* Ecquando venient Romani, ad redimendum noſtrum locum, & gentem. *Ita teſtatur Clemens Galanus, Apoſtolicæ Sedis Miſſionarius in Hiſtoria Armena, inſcripta* Conciliationis Eccleſiæ Armenæ cum Romana pars prima, *impreſſa Romæ typis Sacræ Congregationis de propaganda fide. Illa erunt autem tempora, de quibus in Vita S. Angeli verbis prælatis:* Quòd tum Eccleſia erit ad ſtatum bonis optatum reſtituta, *&c.*

Ac tandem per Romanos inſtaurando.

1345. *Liceat dictis ſubjicere ad propoſitum, quæ ante annos ferè ducentos (annò videlicet ſalutis M. CCCC. LXXX. in prognoſtico Antonii Torquati Ferrarienſis traduntur: ubi de vaſtanda Hungaria & infeſtanda Europa per Turcas, deq; ampliando valdè Turcico Imperio, atque aliis nonnullis: quæ pleraque ita contigêre. Ibidem de Mahometana ſecta deſtructione, & Turcici Imperii excidio, deq; Imperatore Turcarum iſta referuntur:* Terrorem magnum Chriſtianis incutiet (*ſcilicet Turcarum Imperator*) immittetque: ſed Chriſtus tandem ſuorum per illos ſtragem diutiùs non feret. Furorem nempe Germanorum; Ungarorumque militiam, & Hiſpanorum, Italorumque ingenia contra eum adducet... Tunc Chriſtiani omnes uno animo unoque impetu alacres mare tranſibunt, & velocitate tantâ & tot copiis ac tantis, ut quaſi totam terram Chriſtianorum in Orientem volare potiùs quàm ire credendum ſit... Tunc videbis Turcas ad fidem Chriſti convolare. Tunc Chriſtiani qui Chriſtum abnegaverunt, ad ejus ſuave jugum revertentur; & gemina imperia ſub uno convolabunt Imperatore. Africaque ſanguinolentis bellis devaſtabitur, peſteque ſæviſſimâ laborans, ac multis afflicta calamitatibus, & ipſa Hiſpano Regi victas cogetur dare manus... Sicque Domini noſtri JESU Chriſti vexillum ad Orientales partes cum gloria portabitur, & Mahumetana ſecta ceſſabit, & paſſim Mahumetani, & Indi, atque Judæi ad Chriſti Baptiſma convolabunt. Cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Vaticinium de Turcici Imperii occaſu.

1346. *Hactenùs adductorum ſuppoſitâ veritate, & collatis iis cum Prophetia S. Angeli, in ejus Vita cap. 15. haberetur* Turcicum Imperium *aliquando ſic diſpertiendum, ut Ieroſolyma & Terra Sancta cedant Regi de ſtirpe Francigena; Terra autem Meridionalis, videlicet Africa Regi Hiſpaniæ; & illa quæ Turca poſſidet in Hungariâ, nec non Thracia & Græcia; Hungaris & Germanis: ſub Germanis comprehenduntur & Poloni, Eccleſiæ orthodoxæ propugnatores ſtrenuiſſimi. Sed quid de Anglis, qui olim in Terra Sancta ſtrenuam navarunt operam? Fortè nec ipſi à participatione iſtius gloriæ excludentur. Deus donet, ut truculenti iſti hoſtes in ſua feritate confidentes, & loca ſancta ac multa Regna alia Chriſtianis violenter erepta, occupantes; ſuiſque ſpurcitiis polluentes, dexterâ ipſius potentiâ citò conterantur, & iſta jam dicta verificentur; hunc in finem ſic orare licebit:* Te oramus, Deus æterne, mitiga propter Filium tuum mala tot annis Eccleſiæ illata; conſerva pro immenſa miſericordia tua doctrinam Euangelii: ut ſublatis Mahumetanorum blaſphemiis, glorioſum fiat Nomen tuum in Gentibus. Excita ad neceſſarium bellum Principum Chriſtianorum animos; ut liberato grege tuô ab impiiſſimo tyrannidis jugo, tuam bonitatem & potentiam agnoſcat, atque prædicet Orbis univerſus.

§. III. *De Turcici Imperii everſione, & fine ſectæ Mahumetanæ: ubi etiam de Turcarum origine, & Alcorano.*

1347. *Iuſtus Dominus, miſericors Pater, caſtigans filios, quos diligit, uti ſolet malis hominibus tanquam flagellis (ita ſe nominabat Attila Hunnorum Rex) & quemadmodùm pater, caſtigatò ac emendatò filiò, virgas projicit igne abſumendas; ita bonus Dominus & Pater noſter, poſtquam caſtigaverit ſuos quos diligit, & illi ſe correxerint, infideles & malos (cùm eorum iniquitates, juxta definitum ipſis tempus completæ fuerint;*

V. Maii. *fuerint ; & ad ſummum cumulata) exterminat. Ita olim peſſimas & abominabiles Nationes, ſcilicet ſeptem Gentes inhabitantes Terram Sanctam, à facie filiorum Iſraël ejecit. Idem evênit Philiſtæis, Chaldæis, Medis & tempore Chriſtianorum Arianis, Neſtorianis, cæteriſq; ſectis Eccleſiam falſis dogmatibus infeſtantibus, nec non Gothis, Wandalis, Hunnis, Saracenis, Choraſmiis, Mammaluchis, Mauris in Hiſpania, aliiſq; infidelibus. Eadem ſors etiam aliquando ſuperveniet Turcis de quorum excidio (occaſione iſtorum verborum,* de Rege, qui liberaturus eſt Orbem Chriſtianum de manibus Turcarum) *atque etiam eorumdem origine, & Alcorano quædam hîc opportunè inſerenda videntur) Cornelius à Lapide in illud capitis ſexti Apocalypſeos :* Et ecce equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum ; *ſic ad propoſitum ſcribit :* Hi (*Mahumetani Saraceni, Turcæ*) poſt Gothos, Arianos, alioſque priſcos hæreticos, mox Eccleſiam graviſſimè infeſtarunt, & jugiter infeſtant: eſtque hæc quaſi quarta ætas Eccleſiæ. Hæc ſecta rectè comparatur equo ; quia planè irrationalis eſt, bruta & carnalis, *Ibi conſequenter variis rationibus declaratur, per quartum equum pallidũ denotari Mahumetanos; tandemq; concludit: quod ſicut olim graviſſimè affligentes Eccleſiam in veteri Teſtamento Philiſthæi, Chaldæi, Medi, & in novo Ariani, Neſtoriani, Gothi, Hunni, Choraſmii, & aliæ gentes, & quemadmodum Balaã, etſi Ariolus, verè vaticinatus eſt de Romanis :* Venient in trieribus, de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; Hebræos; *ac de iiſdem ſubjungit :* & ad extremum etiam ipſi peribunt. *Sic etiam Turcis continget. Idque confirmatur ex eo quod idem Cornelius à Lapide in caput 10. Apocalypſeos circa illa verba :* Donec conſummentur mille anni ; *ſcribit :* Quod apud Turcas conſtans ſit oraculum, Mahometis ſectam duraturam mille annos. *Et infrà in Appendice ad capitis 20. verſ. 4.* Denique nonnulli ſuſpicantur per annos mille, quos hîc præcisè aſſignat S. Joannes & ſexies iterat, ſymbolicè notari mille annos quibus duratura eſt ſecta, Regnum & perſecutio Mahometis, puta Saracenorum, & Turcarum. *Et alias pro hujus aſſertionis confirmatione adductis.* Tertiò, quòd mille annos toties præcisè hoc capite aſſignet & iteret. Mille autem nuſquam invenire poſſumus, niſi in ſecta Mahometis. Ipſe enim Mahomet ſive à Deo, ſive à diabolo inſpiratus prædixit, ſuam ſectam & Regnum duraturum per mille annos. Idem prædixerunt alii, adeoque hæc communis Saracenorum & Chriſtianorum eſt vox & ſententia, quam Mahometani pro indubitata & certiſſima habent. *Ibi conſequenter alia habet ad idem intentum. Id tamen de duratione ſectæ Mahumetanæ non præcisè, & arithmeticè accipiendum eſt, ſed moraliter, & geometricè : ſicuti & illa S. P. N. Eliæ attributa prædictio de mundo duraturo ſex millibus annorum, his verbis :* Sex mille annis erit mundus. Duobus mille inanitas : duobus mille lex : duobus

(a) mille dies Chriſti. (*de qua hîc ſupra* (a) *Quod autem illud non definitè, & præcisè intelligi debeat, patet effectu : ſecta enim illa initium habuit circa annum Chriſti 630. atque ita arithmeticè loquendo, millenarius finitus fuit circa annum 1630. & adhuc durat, & præcisè quamdiu duratura, & quando* venturus ille Rex, qui liberaturus eſt Jeroſolymam *è manibus Turcorum. & an completa jam ſint minatoria illa prædictiones capitis 14. ejuſdem vitæ, certum non eſt.* Pag. 48. num. 176.

Ita tandem continget Turcis.

Oraculum de duratione ſectæ Mahumetanæ per mille annos.

1348. *Occaſione eorum quæ in Vita S. Angeli dicto capite XIV. referuntur de* Agarenis, Iſmaëlitis, *&* Othomanis, *ſeu* Turcis, *diſquirendum hîc eſt, an, ſicut nonnulli illos, atque etiam Saracenos, confundunt, iidem ſint, an gentes diverſæ. Et quandò, undè, ac qualiter originem habeant. De Agarenis, & Iſmaëlitis fit mentio Pſalmo 82.* Tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ. Moab, & Agareni. *Super quem locum noſter Michael de Bononia (quondam ſub nomine incognitis) ita commentatur :* Et Agareni : Iſti ſunt Saraceni, idem quod Iſmaëlitæ; quia quamvis ex ancilla ſint geniti, falsò tamen ſe dicunt ex Sara uxore Abrahæ generatos. *Gilbertus Genebrardus nominatiſſimus Chronographus eundem Pſalmum exponens circa illa verba,* Moab, & Agareni, *ſic paucis multa complectitur :* Saraceni ab Agar Matre Iſmaëlis, qui ut ſibi glorioſam originem Abrahæ tribuerent, Saracenos à Sara ejus legitima, & nobili uxore ſe maluerunt appellare : vel, ut alii putant, à Sara monte cognomine. *Conformiter ſcribit Jacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ieroſolymitana lib. 1. c. 5. ubi agens de Mahometo, hæc inter cætera habet :* Fuit autem Mahometus Iſmaëlita, ex Agar Ancilla Abrahæ, ex progenie Iſmaëlis, hominis ferocis, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra ipſum. Licèt enim Saraceni, à Sara, tanquam ex libera, mendaciter, & inaniter ſe nominent Saracenos, verius tamen Agareni, ab Agar, quæ concubina fuit Abrahæ, debent dici. *Fuerunt Agareni olim habitatores Arabiæ, unde etiam frequenter* Arabes *nuncupantur. Ex dictis habeatur, apud Hiſtoriographos paſſim pro iiſdem ſupponi illa quatuor nomina,* Agareni, Iſmaëlitæ, Saraceni, Arabes. *Strictè tamen loquendo* Iſmaëlitæ *ſunt poſteri Iſmaëlis filii Agar ex Abrahamo, &* Agareni *poſteri alterius filii Agar ex alio viro.*

1349. *Quoad Turcas, tenuiſſima eorum memorantur primordia, & planè obſcura. Plinius libro 6. naturalis Hiſtoriæ cap. 7. deſcribens gentes circa Mæotim, ſic eorum meminit :* Turcæ uſque ad ſolitudines, ſaltuoſis convallibus aſperas. *Conformiter ſcribit Pomponius Mela libro 1. de ſitu Orbis, agens de gentibus Septentrionalibus circa Tanaim & Mæotim :* Oram, *inquit,* quæ à Boſphoro ad Tanaim uſque deflectitur, Mæotici incolunt. *Et paulò infrà :* Turcæ vaſtas ſylvas occupant, aluntur que venando. Tum continuis rupibus, latè aſpera, & deſerta Regio. *Præfatus Genebrardus in eundem Pſalmum* (b) *ſic quoque breviter Turcarum initia & incrementa perſtringit :* Turcæ ignoti populi & obſcuriſſimi, è media Tartaria auxiliô venerunt Arabibus & Mahometanis, è Scythia ſive Tartaria in Aſiam & Africam irruperunt; deinde cum Sarace-

Turcæ quæ gens undè orta.

(b) Pſal. 82.

V. MAII. nis & Arabibus coierunt. *Fuit igitur olim ea Gens ſilveſtris, & barbara, Septentrionalem inhabitans Regionem, circa Mæotidas paludes, idola colens, venerans, adorans, ſicuti cætera in partibus adjacentibus commorantes. Poſteà autem ingreſſi Perſidem legem Mahometi ſuſceperunt, circa annum Chriſti 1048. Porrò ab initio nec unus aliquis dux illis erat, nec certum imperium: ſed pecudum inſtar vagantes, modò huc, modò illuc, gregatim ſuas incurſiones faciebant: latrocinantes magis quam belligerantes. Succeſſu temporis conjuncti Saracenis, aut ab iis conducti ſæpiùs cum Chriſtianis in Terra Sancta conflixerunt. Deinde Chriſtiani nominis provincias, regna, & bina imperia violenter invadentes, & occupantes, rem ſuam vehementer amplificaverunt, & varios ſibi principatus conſtituerunt. Quos omnes unitos & ſibi ſubjectos Othomanus in imperii formam redegit circa, & poſt annum Chriſti 1390. Tandemque prævalentes etiam Saracenis, omnia eorum dominia in ſuam poteſtatem redegerunt anno Chriſti 1516. & 1517. interemptis Sultano Ægypti & Mammaluchis. Atque ita extincto ferè nomine* Saracenorum, *Turci dominantur in Africa & Aſia, ubi olim Saraceni erant, occupatis etiam poſteà quàm plurimis Regionibus Chriſtianis: Et hæc ſuccincta eſt originis ac incrementi Turcorum deſcriptio.*

Eorum incrementa.

1350. *Quantum ad Religionem* Iſmaëlitæ, Agareni (*ſive* Saraceni) Othomani (*ſeu* Turcæ) *de quibus in Vita S. Angeli cap. 14. & 15. ſectam ſequuntur Mahumetanam: hinc de illa aliqua hoc loco attexenda videntur, Author ejus fuit deterrimus ille ſeductor Mahomet, ſive Mahumet. De cujus ſtirpe hîc ſuprà mentio fuit, ex Iacobo de Vitriaco, qui ibidem hæc de eodem habet:* (a) Machumetus ſtatim poſt tempora B. Gregorii, parum ante tempora prædicti Heraclii, abominabilem doctrinam ſuam primò in Arabia, undè oriundus extitit; & poſteà beſtiali populo in partibus vicinis, hominibus rudibus & incultis, partim prædicaverat, partim per timorem & violentiam in errorem ſuum contradicentes impulerat. Cujus ſucceſſores tantò furore, & fervore diabolicò ſuccenſi ſunt, ut in peſtiferam Magiſtri ſui doctrinam non ſolùm verbis & exhortationibus populos inſipientes inducerent, ſed vi, & metu, & gladiis, tam Arabes, quàm alios Orientales populos miſerabiliter impingerent. *Et aliquanto poſt:* Doctrina enim ejus peſtifera, ſerpens ut cancer, non ſolùm Arabes & Syros, Medos & Perſas, Ægyptios & Æthiopes, & alios Orientales populos læthaliter infecit; ſed etiam Africam, & plures Occidentales Regiones corrumpens, uſque in Hiſpaniam pervenit. Nec puto, quòd ab infantia primitivæ Eccleſiæ uſque ad ſenectam, & ſenium ejuſdem, videlicet uſque ad tempora Filii perditionis, major fuerit, vel futura ſit abominatio deſolationis, vel majus flagellum Eccleſiam ſanctam Dei oppreſſerit, quàm execrabilis erroris venenum peſtiferum, quod ſerpens antiquus per os Pſeudoprophetæ & ſucceſſorum ejus, in tanta populorum multitudine, evomuit.

(a) Lib. 1. c. 4.

Mahomet beſtialem condidit legem,

longè latèq; promulgatam,

1351. *Stultam, ſuperſtitioſam, & fœdam ejus legem ſic paucis perſtringit Belgii quondam illuſtre jubar Lipſius:* (b) Mahumetes (DCXX.) ille, heu nimis noſtris cladibus notus! cùm cupidine agitaretur novarum opum & Imperii, novam Religionem, id eſt ſuperſtitionem commentus eſt: ita me Deus, indecoram, futilem, nec colore ullò veri tinctam; etſi ex Judæorum Chriſtianorumque libris, velut per Satyram, miſcuit & confecit. O nugas! ô deliria! *Conſequenter refert deteſtabiles, infandas, & plus quàm beſtiales, beſtialibus hominibus tradita legis iſtius (Alcoranum nuncupant) turpitudines & deliria, Deinde ſubdit:* Credet hæc aliquis dicta & accepta... Pudet, piget, miſeret generis humani, cujus magna aut maxima pars his non vanitatibus, ſed ſtuporibus eſt oppreſſa. Nam Aſia ferè tota, plurimum Africæ, multum Europæ, jura ſceptri, & ſacri Turcici accepit, *Hæc Lipſius.*

(b) Lib. 1. Monit. & Exempl. Polit.

Stultitia & fœditates Legis Turcicæ dictæ ALCORANUM.

1352. *Lex illa velut colluvies errorum conſarcinata eſt partim ex Iudæorum, Manichæorum & Gentilium dogmatibus, aliqua etiam à Chriſtianis emendicata continet. A Iudæis habet Circumciſionem, & Abſtinentiam à carne porcina: cum Chriſtianis dicit Chriſtum ſummum Prophetarum, conceptum de Virtute Dei, natum ex Maria Virg. ante partum, in partu, & poſt partum, omnium fœminarum ſanctiſſimâ. Sed venenum infidelitatis immiſcens cum Neſtorianis. Deum, unum ſummum agnoſcit, Trinitatem perſonarum negat. Etiam à Chriſtianis ſimilitudinem quandam jejunii Quadrageſimalis accepit; ſed ut ab iis diſcrepet, illud durat dumtaxat unô menſe ſucceſſivè: ut ſi hoc annô in Ianuario, ſequenti erit in Februario, tertiò annô in Martio, & ſic conſequenter ſemper in orbem. Abſtinent autem eam obſervantes die tota ab omni cibo & potu, ſed deinde cum fœnore recuperant, noctè totâ commeſſationibus, & quibuſvis voluptatibus, magis quàm aliô tempore, vacantes. Cum Gentilibus conveniunt in cultu aſtri Luciferi, Lunæ videlicet, quam peculiariter venerantur. Vt autem Lex illa carnali populo gratior ſit, carnales quaſvis voluptates (quibus ipſe Mahomet maximè erat deditus) permittit, illiſq; frænum laxat. Et illa quantumvis contra rationem ſit, ne impugnetur, pœnam mortis decernit illis, qui contra Alcoranum prædicant, aut loquuntur.*

Ea velut colluvies eſt errorum ex aliis facta,

§. IV. *Quâ ratione Chriſtiani Turcis reſiſtere, & victoriam ac triumphum de illis reportare poſſint.*

Ad Caput XV. Vitæ S. Angeli.

1353. HAud multis opus hîc eſt diſquiſitionibus *ſeu conſultationibus, ubi ipſam Veritatis habemus vocem loquentem: cùm enim S. Angelus in graviſſima afflictione Eccleſiæ, miſericordiam ſupplex peteret, in hunc modum orans:* Miſerere Eccleſiæ tuæ, & averte iram tuam à populo tuo, qui clementer paſſus es pro eo, ut liberentur dilecti tui quos effuſi ſanguinis pretiò redemiſti. *Reſpondet Chriſtus; tunc Chriſtianos liberandos à Dominio, preſſura, & tyrannide Turcorũ:* Cùm contritus fuerit, *inquit,* populus meus, & agnoſcet vias meas, & ſuſcipiet juſtitiam, & cuſtodiet

V. Maii.

ſtodiet eam. *Tunc igitur finis erit abominationum per Turcas invectarum, & initium triumphorum Chriſtianis, &* Eccleſia ad ſtatum bonis optatum reſtituetur ... perditæ reſtituentur Eccleſiæ. *Tunc, inquam, quando populus Chriſtianus contritum & panitens deteſtabitur, & deſeret peccata, atque juſtitiam amplectetur, incedetq; per viam obſervantiæ mandatorum Dei. Etenim oppoſitorum oppoſita eſt ratio: cauſa afflictionum, tribulationum, abominationum; quas Turci hactenus cauſarunt, & cauſant, eſſe* ſuperbiam, ambitionem, luxuriam cum cohorte filiarum ejus; *quodq;* populi, & qui dominantur eis ad vanitates & inſanias, convertantur: *ait Chriſtus S. Angelo.* Pater æternus mittet furorem ſuum & iram, ac permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hoſtibus & inimicis nominis ſui. *Igitur peccata & ingratitudo Chriſtianorum, ſola cauſa eſt omnium iſtorum malorum; quæ (ſicut ſolet ſemper effectus ſublatâ causâ) finem habebunt, ſi Chriſtiani finem faciant Deum graviſſimis delictis offendendi, & ad vindictam excitandi.*

Peccata ſunt cauſa deſolationum per Turcas.

1354. *Neque extra propoſitum, neque ſine utilitate fore arbitror, ſi aliquantò magis luceſcat veritas illa:* Sola peccata cauſam eſſe ampliati imperii Turcici, & anguſtiatæ rei Chriſtianæ: *id enim confirmant cætera omnia mala in Orbem invecta, tanquam flagella peccatorum. Ut prætereamus maximam illam ſtragem Luciferi & Angelorum illi adhærentium de cœlo in Barathrum infernale detruſorum, ob peccatum ſuperbiæ; nec non ob gulam & inobedientiam primorum Parentum noſtrorum, eorum cum tota propagine ex Paradiſo deliciarum expulſionem in hanc lacrymarum vallem, innumeris malis plenam. Quæ cauſa diluvii? nónne peccata & malitia hominum?* Videns autem Deus, quòd multa malitia eſſet in terra ... Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad volucres cœli... *Quæ ratio horrendi illius ſupplicii, ignis & ſulphuris pluentis ſuper Sodomam & Gomorrham? An non abominanda, & nefanda peccata?* Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. *Geneſ. 19. Audi quid ſequatur:* Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia. *Nonne ob peccatum murmurationis (de qua Numerorum 16.) Core, Dathan, & Abiron, præcipuos murmurationis authores aperiens terra os ſuum devoravit eos, deſcenderuntque vivi in infernum, & alios ducentos quinquaginta (quia murmurationi conſenſerant) offerentes incenſum, ignis conſumpſit; & die ſequenti quatuordecim millia hominum, & ſeptingentos, quia murmurantes, incendium conſumpſit? Et legenti veteris Teſtamenti ſacros libros perſpectum facilè erit; tunc populum Iſraël datum in præ*dam, & in gladium, & in opprobrium, quotieſcumque receſſit à cultura Dei ſui; *cùm murmurationibus ſuis Dei vindictam in ſe concitaret:* dum non peccarent in conſpectu Dei ſui,

Imò & omnium malorum in mundo.

Videlicet Diluvii.

Ignis ſulphurei ſuper Sodomam.

Afflictionis populi Iſraëlitici.

erant cum illis bona: & Deus eorum pugnabat pro eis. *prout Achior Holoferni referebat. Iudith. 5.*

1355. *Eadem eſt etiam nunc gubernandi ratio in Deo reſpectu Chriſtianorum: qui bus Terram Sanctam, aliaque regna Deus auferri à Turcis permiſit propter peccata; prout diſertis verbis adſtruunt paſſim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores. Willelmus Tyrenſis Archiepiſcopus libro 1. Hiſtoriæ Orientalis cap. 8. & 9. cum de deſolatione Terræ Sanctæ, traditæ in poteſtatem Barbarorum, flendo cumulatè, quòd fuerint peccata Chriſtianorum; hinc tandem ſic concludit:* His igitur & hujuſmodi ad iracundiam provocatus Dominus tradidit eos in manus inimici, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. *Idem tradit Iacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ieroſolymitana variis locis, atque imprimis libro 1. cap. 1. & 2. ubi hæc inter alia:* Terra ſancta promiſſionis, Deo amabilis, & ſanctis Angelis venerabilis, & univerſo mundo admirabilis; à Deo electa & prælecta, ut eam præſentiâ ſuâ viſibiliter illuſtraret, & in ea liberationis noſtræ ſacramenta miniſtrando, genus humanum redimeret, quantò majori zelô dilecta eſt à Domino, tantò frequentiùs, peccatis habitantium in ea exigentibus, flagellata eſt. *Ibi conſequenter variis demonſtrat exemplis, qualiter fideles habitantes in Terra illa frequenter, propter peccata, barbaris & infidelibus traditi ſint nationibus, ſub quibus jugum duriſſimum crudelium perpeſſi ſunt dominorum. Ita ut in illis adimpletum factum fuerit illud Pſalmiſtæ:* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. *Et iterum:* Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. *Atque illud:* Ego Dominus Deus veſter, &c. Quod ſi non audieritis me, nec feceretis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis: viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras ... Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplùm propter peccata veſtra. *Plura in hujus aſſerti confirmationem videri poterunt tomo præcedenti* (a)

Amiſſionis Terræ Sanctæ.

Pſ. 105. 39.

(a) Num. 447. & 923.

1356. *Quòd autem omnes calamitates, & vaſtationes hactenus a Saracenis & Turcis Hungariæ, cæteriſq; regnis, & ditionibus Chriſtianorum illatæ in hodiernum uſque diem, ſint effectus, & pœna peccatorum habetur ex Chriſti ad ſanctum Angelum verbis iſtis:* Venient autem hæc (*mala à Turcis inferenda, antea recenſita*) propter abominationem eorum qui conſtruunt Babylonem... Pater meus æternus mittet furorem, & iram, ac permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hoſtibus, & inimicis nominis mei. Hæc omnia conſtanter, & intrepidè prædicabis, & annunciabis populo Chriſtiano quæ ventura ſunt propter ſcelera ejus. *O utinam, ſicut olim Ninivitæ minas illas Ionæ Prophetæ,* Adhuc quadraginta

dies

V. MAII.

dies, & Ninive ſubvertetur, irritas fecerunt, per pœnitentiam evertentes iniquitatem (ſicut ſcribit S. Gaudentius tract. 3. ad Neophytos) ita & Chriſtianus populus mala per S. Angelum prænuntiata per receſſum à peccato, & converſionem ad Deum evadat; oracula enim Dei, minacia ſolent eſſe conditionata. Chriſtiani igitur ſi ulteriores afflictiones per S. Angelum prænunciatas evadere, & Turcis victoriarum finem imponere velint, ſolicitè abſtinere debent ab iſtis peccatis, Dei in ſe vindictam provocantibus, ab eodem S. Angelo recenſitis: quæ triplicis ſunt generis, juxta triplicem Chriſti-fidelium differentiam, videlicet Principum Eccleſiaſticorum & ſæcularium, Plebis Chriſtianæ, & Religioſorum.

Ceſſantibus peccatis Chriſtianorum ceſſabūt quoque flagella propter ea à Deo immiſſa.

1357. Ex jam dictis perſpicuum eſt, ut à Turcarum infeſtationibus liberetur, & de illis victoriam referat populus Chriſtianus, primùm neceſſarium eſſe deteſtari & deſerere ſcelera & peccata (Dei in nos vindictam excitantia, & divinæ miſericordiæ fontem exſiccantia) ac ſectari juſtitiam. Sed an ſatis iſta? atque ita cancellatis manibus expectare tempus divinæ miſericordiæ, & liberationis civitatis ſanctæ Ieruſalem, cæterorumque Terræ ſanctæ ſacratorum Chriſti greſſibus & ſanguine locorum? Nequaquam, ſed manus operi eſt admovenda. Terra illa olim Abrahæ, & poſteris ejus promiſſa, & ideò Promiſſionis nuncupata, non dormientibus aut otiantibus Iſraëlitis tradita fuit: at opus fuit multis præliis contra ſeptem illas Gentes eam inhabitantes. Sic à Chriſto per S. Angelum prænuntiatur, pro liberatione Ieroſolymæ copias magnas colligendas & transfretandas, ſicut fecit S. Ludovicus Rex Franciæ, & ante eum Godefridus Bullonius.

Pro recuperanda Terra Sancta expeditiones ſacræ requiruntur.

1358. Porrò quia præteriti ratio eſt magiſtra futurorum. Et teſte Philoſophô tertiô Ethicorum: Prudentia agibilium hujus mundi in nobis acquiritur per experientiam factorum. Etenim ex præteritis ſumitur judicium de futuris, & ex iis quæ facta ſunt, concludere licet quid in occurrentibus eventibus prudenter agendum ſit. Hinc eſt quòd opera-pretium, imò neceſſarium ſit, ut Principes, Duces, & Præfecti paſſagis ſeu exercitûs deſtinati pro recuperatione Terræ Sanctæ, legant Hiſtorias præcedentium bellorum in Terra Sancta geſtorum, per inclytum Godefridum Bullonium, atque alios temporibus ſuccedentibus, exaratas per Willelmum Tyrenſem Archiepiſcopum, Iacobum de Vitriaco Epiſcopum Achonenſem, & S. R. Eccleſiæ Cardinalem, atque alios plures, quorum opera ſimul typis edita fuerunt, in magno volumine inſcripto: Geſta Dei per Francos, ſive Orientalium expeditionum Hiſtoria. Ejuſdem rationis, & ad propoſitum valde opportuna eſt Vita S. Petri Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitani Legati Apoſtolici, hîc ſuprà ad XXIX. Ianuarii. Peculiariter quoque, imò quàm maximè, præ cæteris omnibus, ad hôc intentum ſerviet. Liber ſecretorum fidelium Crucis ſuper Terræ Sanctæ recuperatione, & conſervatione, Authore Marino Sanuto Patricio Veneto: in quo variæ exhibentur inſtructiones, & cautelæ, pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Quid peculiariter requiratur, ut ſacræ expeditiones optatum finem habeant.

1359. Animadvertendum autem, Turcarum potentiam & vires, quas plerique inexpugnabiles & inſuperabiles prædicant, nequaquam eſſe tam formidabiles & immanes, ut, Deo benè juvante, reprimi, ac contineri non poſſint, modò forti & intrepidô animô invadantur, ac ſervatis ordinibus imperando, ac bene agendo ad ſolum victoriæ conſequendæ finem communibus votis reſpiciatur. Ita Spondanus ad annum Chriſti 1596. num. 8. Idem Author variis locis notat Turcas ad Chriſtianorum terrorem, ſolitos evulgare exercitus ſuos numeroſiores quàm reipsâ ſint. Porrò contra Turcas alioſque infideles quam victorioſus, Deo opitulante, eſſe ſoleat, etſi numerô impar, exercitus Chriſtianorum, dum juxta belli leges, forti animô, congruôque ſervatô ordine ac ratione, atque peccata graviora devitando; res agitur, eventus manifeſtant. Iuvabit memoraſſe nonnullos.

1360. Prætermiſſis nobiliſſimis triumphis Godefridi Bullonii, atque aliorum ejus ſucceſſorum, nec non vetuſtiorum, exempla recentiora aliquot proponuntur. Anno reparatæ ſalutis 1340. Hiſpani cum exercitu vix 40000. (videlicet quatuordecim millium equitum, & viginti quinque peditum) militibus omnibus ſacrâ confeſſione, & Euchariſtiâ munitis, ac rubrâ cruce ſignatis, aggreſſi infideles Mahumetanos Mauros Tariffam urbem obſidentes, quorum exercitus plus quàm decuplo numeroſior erat (ſcilicet equitum ſeptuaginta millium, & peditum quater centenorum millium) illos maximô præclariſſimôque, & ad ſempiterna ſæcula memorabili præliô ſuperarunt & fugarunt, occiſis ducentis infidelium millibus, præter magnum captivorum numerum, & ingentem prædam; ex Chriſtianis non niſi viginti viris deſideratis. Victoria omninò ſimilis fuit an. 1212. etiam in Hiſpania, & contra Mahumetanos Mauros. Chriſtiani omnes peccatorum confeſſione, & Euchariſtiæ ſumptione roborati, habentes in vexillis imaginem B. Virginis Mariæ, & prævium ſignum Crucis; ſupra centum millia ceciderunt (alii numerum duplicant) ex Chriſtianis nonniſi viginti quinque interemptis. Anno 1443. cum Eugenius IV. Pontifex piam Crucis militiam prædicari juſſiſſet contra Turcos in Hungaria, exigua Chriſtianorum copia, divina ope implorata, grandi cæde Turcos ſuperarunt, & eorum caſtra opulentiſſima diripuerunt. Rex Hungariæ Wladiſlaus ingenti gaudiô & ſacrâ pompâ exceptus, Budæ nudis pedibus ex voto Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis petens, ſigna hoſtium in ea affixit. Inſignis etiam valdeque ſingularis ea fuit victoria, quàm anno Chriſti 1456. precibus Chriſtianorum per Caliſtum III. indictis Hungari reportarunt juxta Belgradum, quod Mahometes Turcorum Imperator obſidione cinxerat. Ipſe Mahometes graviter vulneratus fuit, & trucidata quadraginta circiter Turcorum millia, ac inter eos ferè omnes proceres, factumque divinitùs, ut Turci in fuga ſeſe mutuò ingenti numerô ceciderint.

Chriſtiani forti animô, & benè ordine procedentes & peccata graviora devitantes quàm ſæpè victorioſi fuit de numeroſiſſimis exercitibus infidelium.

Id variis exemplis demonſtratur.

1361. Anno 1593. Chriſtianorum ſex millia, invocatô divinô auxiliô, triginta millia Turcarum Hungariam infeſtantium, graviſſimâ clade affecerunt. Sic & Poloni, (orthodoxæ fidei ſtrenuiſſimi propugnatores, abſtinentiam perpetuam feriæ quartæ ſingulari devotione ſervantes) anno 1514. triumpharunt de Moſcovitis, cæſis ex illis ſupra triginta millibus, captiſque præcipuis Ducibus,

Polonorum mirabiles victoriæ

Pro-

V. Maii. *Proceribus, & Nobilibus, ex Polonis deſideratis dumtaxat paulò plus quadringentis: & anno 1621. duplici atroci prælio Turcas devicerunt. Dicuntur in certaminibus è Turcis ad centum circiter millia cæſa, totidem aliis caſibus extincta. Vide Spondanum. Anno 1601. Turcæ ſub Duce Zigala Præfecto Claſsis Turcicæ, in Calabriam ex improviſo irruebant. Hieronymus Hurruytener Hiſpanus Gubernator Calabriæ, invocatâ ope Deiparæ, & per devotionem ad ejus ſacrum Scapulare, collecto celeriter præſidiario milite, hoſtibus incomparabiliter numero impare, duplici tamen præliô victorioſus; de illis triumphum retulit, ſicut pleniùs narratum eſt tomô præcedenti.* (a) *Ibidem paulò antè* (b) *refertur alia celeberrima victoria de Turcis obſidentibus Melitem, ſeu Maltham anno 1565. Et iſta ſufficiant, ut Chriſtiani Principes cognoſcant, poſſe Othomanicas vires, quantumvis potentiſsimas, profligari. & Turcicum Imperium, omnibus formidandum, ruere, ſi ipſi Chriſtiani Principes ſacra arma contulerint. Ex dictis conſtat quoque etiam in Chriſtianis verificari illa Dei ad populum Iſraëliticum olim promiſſa: Levit.* 26. Ego Dominus: ſi in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, *&c.* Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladiô in conſpectu veſtro.

S. Scapularis devotione victoria de Turcis.

(a) num. 2476. (b) num. 2475.

1362. *Dignum ſcitu eſt, & hic ad propoſitum, quodq; omnes contra Turcos, alioſq; infideles militantes meritò conſolari & animare debet, illud Chriſti ad Angelum:* Magna eorum turma, qui pro meo nomine eô præliô cadent effectu crucis præmia ſuſcipiet, & trophæis glorioſis cœlum aſcendet. *Nempe qui rectâ intentione; pro Dei amore ad bellum illud ſanctum vadunt, & in eo occumbunt quâdam ratione quaſi Chriſti Martyres glorioſô triumphô cælum conſequuntur. Et ea olim temporibus Godefridi Bullonii communis erat militantium contra Saracenos perſuaſio, prout teſtatur variis locis Willelmus Tyrius in Hiſtoria Orientali, & quidem lib. 3. cap. 9. poſt relatum caſum cujuſdam ſtrenui Nobilis, in oppugnatione Urbis Nicenæ lapidum molibus ſecus murum contriti.* Flevit, *inquit,* ſuper eum populus, ejus plurimùm commendans animoſitatem, & mortem ejus in conſpectu Domini reputans precioſam, per quam ejus animam electis ſpiritibus non dubitabant ſociandam: omnium enim, ut prædiximus, una mens erat, & eadem ſententia, eos qui ſic in acie procumbebant, vitam mereri perpetuam; & in parte ſortis Sanctorum, prædeſtinato collocari in lumine. *Et hæc confirmantur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. quæſt. 124. art. 5. ad 3. ubi ſatis inducit,* eos qui pro defenſione Reipublicæ moriuntur, poſſe conſequi meritum Martyrii, ſi illam defenſionem, & mortem ſuam in Deum referant. *in quem locum ſic commentatur Franciſcus Sylvius:* Adverte, illos qui pro defenſione Reipublicæ in bello juſto occiduntur, poſſe eſſe Martyres, ſi illam defendant propter Deum, amore Juſtitiæ ac Legis divinæ; non verò ſi ſtipendii militaris, aut prædarum intuitu; aut aliâ aliquâ intentione, vel pravâ, vel bonum dumtaxat humanum ſpectante. *Potiori igitur ratione illi qui pro Eccleſiæ defenſione, Chriſti cauſâ ſuſceptâ, mortem patiuntur, velut Martyres cenſendi ſunt, ſeu, ut S. Thomas loquitur:* meritum Martyrii conſequuntur; *ſi vulnera, & mortem, Dei amore ſuſtineant.*

Occumbentes in ſacris expeditionibus, rectâ intentione bellantes, meritum martyrii conſequuntur.

1363. *Confirmantur prædicta ex notabili Hiſtoria, quam refert Thomas Cantipratenſis; in vita S. Chriſtinæ Virginis, & ex eo Laurentius Surius ad diem 23. Iunii capite 20. & Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti 1187. ubi iſta:* Quô autem die à Saladino Ægypti Sultano capta fuit Hieruſalem cum Sepulchro & Cruce Chriſti, illa in caſtro Leonenſi tum conſtituta, ſpiritu cognovit rem geſtam. Cumque multùm exultaret ab iis qui aderant, rogata ut ejus lætitiæ cauſam exponeret, *Reſpondit (ex revelatione à Chriſto ſibi facta) eam eſſe quòd ſic data* occaſio quâ magna poſſit hominum copia ſalva fieri; *videlicet* quando Hieroſolymæ, & Terræ ſanctæ recuperandæ cauſâ animæ ſemper victuræ, ejuſque ſanguine redemptæ, ab iniquitate ad juſtitiæ ſtudium convertentur, fundentque homines ſanguinem ſuum, & quamdam morti Salvatoris vicem rependent. *Ubi notandum, eos qui recuperanda Terra Sancta cauſâ ſanguinem fundunt,* quamdam morti Salvatoris vicem rependere, *(ſicut jam ante dictum)* meritum martyrii conſecuturos: *atque hâc ratione* magnam ſalutis oblatam occaſionem.

In ſacris expeditionibus multi ſalvantur, qui alioqui damnandi fuiſſent.

1364. *Ex dictis hactenùs eruere licet plures expeditionum ſacrarum pro recuperanda Terra ſancta utilitates publicas. Potiſsima quidem illa jam dicta, ſalus plurimorum, qui ſacro bello mortem temporalem oppetentes, vitam conſequuntur ſempiternam, quâ alioqui fruſtrati, in æternum periiſſent. Altera, quòd hôc modo Provinciæ & Regna expurgentur multis diſcolis & inutilibus, qui equidem in bello operam utilem præſtantes, bono fine coronantur. Tertia, quia dum Chriſtiani Principes ad ſacras expeditiones ſubſidia conferentes, externa bella gerunt, à domeſticis, & mutuis inter ſe bellis remotiores ſiunt. Et iſta quidem occaſione revelationis S. Angelo factæ, tradita hîc compendiosè, cumulatiùs proſecuti fuimus in Commentario prævio ad vitam ejus ſeorſim editam, excuſam Bruxellis anno 1665. Sed nunc reliqua S. Angeli proſequamur, & ad miracula, meritis illius patrata, ſermo procedat.*

Belli ſancti multiplex utilitas

MIRACULA,

Et Gratiæ, interceſſione, & ad invocationem S. Angeli,

Ex Actis authenticis deſumpta, & inſerta libro vitæ ejus, Italicè Romæ editæ, per Reverendiſſ. P. JOANNEM ANTONIUM PHILIPPINUM, Priorem Generalem Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo: & indé Latinitate donata (a) compèndiosè hîc tradita.

(a) *per R. P. Gratianum à S. Elia.*

1365. MIrabilis Deus in Sanctis ſuis; *ad illorum declaranda merita, gloriam, & efficacem interceſſionem, quàmplurima per orbem terrarum omni tempore hominibus præſtitit beneficia, & mirabilia patravit, ad eorumdem invocationem. Miracula per ſanctum Angelum in vita ſua, magna, admiranda, & frequentia fuerunt (etenim ad inſtar ſanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſei, non unum, ſed plures defunctos ad vitam revocavit; Iordanis curſum ſiſtens ſicco pede cum ſociis pertranſiit; ferrum in aquam prolapſum natare fecit; ignem de cœlo dejecit; leprâ infectos plures mundavit; ab infidelitatis errore ſtupendis prodigiis multos ad veram fidem perduxit.) Hinc eſt, quòd ſicuti in Græcorum Calendariis ſanctus Gregorius Thaumaturgus intitulatur,* Miraculorum effector; *ſimiliter & S. Spiridion: ita & S. Angelus non immeritò honorari queat eodem titulo. Poſt obitum autem ejus multa, & quaſi continua miracula meritis ejus facta fuiſſe, & fieri, habetur ex Vita cap. 29. & ibi conſequenter ex teſtimonio Thomæ Bellorofii ad Nicolaum Audeth. In vita autem per Reverendiſſ. P. Ioannem Antonium Philippinum Romæ edita, ex Actis authenticis, auctoritate Epiſcopalis Agrigentinæ curiæ, ad inſtantiam Leocatenſis Senatûs, confectis, varii generis miracula referuntur: & inde quædam deſumpta hîc ſummatim ſubſequuntur.*

S. Angeli meritis miracula plurima facta

CAPUT I.

S. *Angelus Protector Leocatæ, & Leocatenſium erga eum devotio.*

1366. IBi *declaratur, quòd S. Angeli miracula ſint quaſi continua: & quòd olim ea, Leocatenſium curâ, regiſtrari ſolerent: ſed quòd regiſtra, ſeu libri illi (theſauri pretioſi) injuriâ temporum, interierint: & quòd Leocatenſium diligentiâ rursùs nova regiſtra facta ſint, (prout latiùs infrà) quâ autem occaſione, id ſic traditur:* Et certè non parum facit ad confirmationem, quòd Leocatæ anno 1625. accidit, ut vel indè ſatis conſtare poſſit de certo, & aſſiduo S. Angeli patrocinio; audite eventum. Peſtis graſſabatur per Civitatem Panhormitanam, & Drepanenſem, neque Caſtellum vetus erat immune, nec ulla Siciliæ civitas; quippè jam ſerpebat virus mortiferum intra Leocatæ ſuburbia, & adjacentia loca: Medicis conferentibus conſilia, ut morbo cognito præſcribant remedia, & eccè vix dum peſtiferum & exitialem declârant, ſubitò peſtilentialis ignis extinguitur die decimâ tertiâ Junii, ita ut die vigeſimâ ejuſdem menſis vix ſcintilla reſtaret, & quidem paucis modò hominibus peſte ſublatis: quod uno ore omnes S. Angeli meritis, & interceſſionibus adſcripſerunt; utpote cujus ſolitam benignitatem fiducialiter requiſiverant, ut accipere mererentur contra peſtiferam luem ita præſens antidotum. *Cætera prætermittimus; quia de illis latiùs in ſequentibus.*

Leocata à peſte liberata meritis S. Angeli

CAPUT II.

Vetula miraculosè facta eſt lactans ut prolem à morte præſervet: duo Hydropici S. Angelo intercedente ſanati.

1367. IN extremis hominum neceſſitatibus plerumque Dei potentia magis relucet, & ſanctorum Miracula maximè coruſcant, cùm in periculis, ubi humana remedia videntur deficere, auxiliantur. Paucis iſtis diebus, cùm peſtis (ut jam relatum eſt de anno 1625.) Leocatenſes infeſtabat, & in anguſtias redigebat, in Lazaretum adducta eſt mulier nomine Agatha Scolla Rouettà vidua ætatis 54. annorum: quam comitabatur ejus filia, cui nomen Gratia, uxor Antonii de Maggio. Gratiæ puellula erat 14. menſium nondum ablactata: moritur dicta Gratia, & inde Agatha ſummo affecta eſt dolore, & timore; tum ob mortem filiæ, tum ob ſtatum miſerum neptis infantulæ, certò inediâ, ſi non peſte extinguendæ. Quid faceret deſolatiſſima Agatha? Ad S. Angelum ſe vertit, & humi proſtrata, totaque in lachrymis ferventer æquè ac fidenter ejus ſubſidium rogat, ad periclitantis infantulæ conſervationem. Non fuerunt incaſſùm preces, quia nedùm prolis conſervationem obtinuit, ſed abundantiam lactis vidua in uberibus habuit ad ejuſdem alimentationem. O miraculum verè magnum! quis ſanè ſenſu id neget naturæ vires ſuperaſſe, ſi vel provectam ætatem mulieris à 23. annis viduæ conſideret, & de vitæ ejus honeſtate, ac continentiâ bonam famam?

In rebus hominum deſperatis magis eluſcit Dei potentia:

Exporta eſt id vidua ſenex in obitu filiæ:

Infans fame aut peſte extinguendus S. Angeli interceſſione mirabiliter perſervatur.

Vetula fit lactans contra ordinem naturæ.

1368. Hydropicus Leocatæ in Xenodochio Divi Jacobi diu infirmatus, cum non aliundè levamen acquireret, ad S. Angeli merita ſe convertit. Venit igitur ad ejus Eccleſiam, animatus pietate, & fiduciâ de aqua fontis. Et ecce, vix quantum ſatis ad libitum ebiberat, ſubitò fuit ſanatus. Receſſit

Hydropicus curatur ad S. Angeli ſepulchrum, deſperatus ab hominibus.

V. Maii.

Aqua ſacra puer integrè convaluit.

ceſſit omninò incolumis, contra ſolitum naturæ curſum, ſiquidem ab aqua veroſimiliter oritur & augetur iſtud malum.

Mulier aſthmatica & hydropica, & ulceribus plena. S. Angeli meritis ſubitò fit incolumis.

1369 Melchiora conjux Pauli Bella aſthmate laborabat, & hydropiſi, morbis ſane vehementibus, neque minùs periculoſis. Horrendum in modum turgebat venter ulceribus plenus, & inde ſanguis copioſius effluebat. Eò miſeriarum adducta, de vita parùm ſperans, ad cœlum ſe vertit; Sancto noſtro vota faciendo. In ſomnis magnam ventris ſtricturam ſenſit, ut indè expergefacta altùm clamârit; & ſic in brevi integrè convaluit.

CAPUT III.

Leproſus mundatus, claudi, impotentes ac infirmi plures curati.

Leproſi complures ſanantur.

1370. Sanctus Angelus ſicut in vita non paucis, ita & poſt mortem innumeris miraculosè contulit ſanitatem. Angelum filiolum biennem Joſephi Manara, lepra peſſima per 16. menſes tenebat infectum, eoque jam anguſtiarum reductum, ut ſpiritum ferè exhalaret: imò deſperans Pater tumbam funeralem fieri curabat, ſed tamen ſolicita Mater conſtanti fide ultimum adhibitura remedium, aquam accepit è ſepulchro Sancti, devotè puerum lavat, atque ita ſubitò ex integro & mundat, & ſanat, & (quid ni addam) vivificat; ſiquidem videbatur certò certiùs ſtatim moriturus.

Aquâ S. Angeli lotus redditur ſanitati.

Sanctiquàm potentes.

1371. Caſum ſubdo non minùs prodigioſum, ex quo redditur manifeſtum quàm ſit valens Sanctorum interceſſio, cùm vivâ fide in periculis, & neceſſitatibus advocantur. Mulier per ſeptem annos utroque pede clauda die quodam manè ad Eccleſiam S. Angeli deferri petiit, ibique fuſis humiliter precibus, ſe Deo & S. Angelo impenſiùs commendavit. Veſperè factô, cùm deberet Sacriſta januas claudere, eam cum mulieribus comitantibus abire juſſit: ipſa autem tergiverſari cœpit, & in has voces erumpere: Angele ſanctiſſime, non recedam de loco iſto, niſi priùs à te ſanitatem obtineam. Vix illa dixerat, & ecce perfectè curata ſurrexit, totaque ſana ac vegeta domum reverſa eſt.

Mulier claudicans perfectè ſanatur.

Adoleſcens paralyticus ad fontem S. Angeli plenè curatur.

1372. Joſephus Antonii Græci puer formoſiſſimus, integro quinquennio jacuerat miſerrimus, pannis infantilibus totò illò tempore involutus; erat enim membrorum omnium (ſi oculos & linguam excipio) uſibus deſtitutus, Pater & mater commoti, ad S. Angeli præſidium frequentiùs confugerunt, & aquâ fontis benedicti corpuſculum abluerunt. Cùm ſemel mater faſcias manè ſolveret, & pannos, quibus erat involutus; erectus in pedes ſubitò cœpit incedere tam firmo greſſu, ac ſi nunquam vel minimum fuiſſet in membris paſſus defectum. Ad ſpectaculum iſtud attoniti, parentes, interrogant, quomodò ſic ex improviſo ſit plenè curatus? quibus ille: hâc nocte, inquit, Religioſus Carmelita manu me apprehendit, & dixit: Erige te, & vade: ego ſum S. Angelus. Illuceſcente jam die feſto Sancti, qui inſtabat, publicè expoſitus eſt puer, in conſpectu confluentis undique populi.

Miraculum divulgatur.

Alter eodem modo ſanatur apparitione S. Angeli.

1373. Nec minus periculoſa fuit infirmitas, quâ Michaël Gattuto angebatur, cùm & acceſſu febris malignæ omnium membrorum deliquium patiebatur. Sanctum noſtrum fervide invocat, & aquâ fontis ejuſdem ſe lavat. Nocte expergefactus, Sancti noſtri beatitudinem cùm attentiùs perpenderet, eundem apparentem vidit, atque ſemel & iterum ad lectum pertranſeuntem & exindè ab omni malo ſe liberatum ſenſit.

Mutus & membris fractus aquâ S. Angeli ablutus ſanatur.

1374. Franciſcus Ziraffi 12. annorum adoleſcens, mutus erat deformis valde, & membris omnibus fractus: Franciſca ejus mater poſt varia per tres menſes continuos adhibita medicamenta domi ſuæ balneum parat, & aquis ex fonte S. Angeli hauſtis Filium tertiò lavat, Sancto humillimè ſupplicans. Nocte ſubſequente expergiſcitur juvenis; & altè vociferans ait: juxta balneum in quo ſum lotus, fratrem Carmelitam vidi, ad cujus aſpectum exterritus, conatus ſum è lecto me levare, ut fugerem, & ecce eram membris omnibus ſanus, & jam expeditus ad loquendum.

CAPUT IV.

Tria mirabilia facta ad ſepulchrum S. Angeli.

1375. Primum, quòd ex ſepulchro, & quaſi ex ore ipſius S. Angeli germinaverit pulchrum lilium, quod quoties reciſum, renaſcebatur. Eâ occaſione fuit corpus elevatum, & arcæ honeſtiſſimæ impoſitum. Secundum, quòd poſtea ex loco ſepulturæ fons emanaverit aquæ, odoris ſuaviſſimi, ſubindè etiam oleum reddens. Tertium, quòd die 5. Maji, feſto ipſius Sancti, aqua fontis illius, quandoque etiam pariter & oleum, plus ſolitò, excreſceret & plurimi aquâ illâ loti, aut oleo uncti, ſanitatem receperint. *Sed iſtorum omnium relatio facta eſt à Thoma Bellorofio hic ſupra, ſub finem vitæ. De fonte illo videatur quoque Mantuanus hic ſupra & de eo ſubinde ſermo redibit in ſequentibus,*

V. Maii.

tis in ea, & interfectis infinitis utriuſque ſexûs Chriſtianis...; Proindè contra Tyrum aſcendentes, munitiſſimam Civitatem...; deſtruxerunt, Bienniô autem ferè lapsô, Saraceni contra opulentiſſimam Civitatem Accon venerunt...; Civitatem obtinuerunt: in qua fuerunt ultra trigintâ millia Chriſtianorum cæſa & capta, *Conſequenter Chriſtus de Turcis ſermonem infert.*

1336. Nec multò pòſt univerſa illa mundi pars, quæ minor Aſia dicitur, in ditionem Mahumetis, Othomano Duce, deveniet. *Id contigit circa, & aliquantò pòſt annum Chriſti* 1300. *quando res Turcici ita aucta fuit, ut exindè Imperii Turcica initium ſumatur. Primus autem eorum Imperator fuit Ottomanus qui invaſit Bithiniam; Cappadociam, Pamphiliam, Regiones opulentiſſimas. Ejus autem Succeſſores Græciam, Thraciam, Theſſaliam; aliaſq; quamplurimas Provincias obtinuerunt, atque in hodiernum uſque diem poſſident. Chriſtus ad S. Angelum prædictionem de Turcis continuat.*

De Turcici Imperii incremento.

1337. Indéque terrâ, & mari indies magis potentia eorum augebitur, & terrebit ferè omnes gentes. *Id, heu! nimium in hodiernum uſque diem experimur Chriſtiani: in tantam enim amplitudinem Turcicum Imperium excrevit, ut & Europa, Africa, & Aſia permultas Provincias, & Regiones complectatur: abſumpſeritq; duo Imperia, Byzantinum, ſeu Conſtantinopolitanum, expugnatâ Conſtantinopoli annô Domini* 1453. *(cùm ſtetiſſet Urbs ab ejus conditu, ſeu dedicatione per Conſtantinum magnum factâ, annis mille centum viginti tres.) Et Trapezuntinum annô Dominicæ Incarnationis* 1461. *(quod exordium habuerat anno* 1204. *complectens ferè Cappadociam, Paphlagoniam, Pôntum, & Colchidem,) Conſequenter Mitylenen, Rhodum, & Cyprum ſuæ poteſtatis fecit,* & à paucis annis Candiæ regnum. *Hinc patet quàm verum fit illud S. Angeli vaticinium* de amplianda Turcarum potentia per Aſiam, Africam, & Europam. *Etiam Iſmaelitarum Dominium ad Turcos transferendum Chriſtus ſancto Angelo prænuntiat.*

Et amplitudine, ac potentia.

1338. Hieroſolymam cum univerſo Iſmaëlitarum (*id eſt Agarenorum ſeu Saracenorum*) dominio Othomani obtinebunt. *Id impletum fuit Annô Chriſti* 1516. *Tunc Selimus triumphans de Mammaluchis & Sultano Ægypti, universâ Syriâ, & Ægyptô potitus eſt: atque ita Otomani (id eſt Turci) omnes Iſmaëlitarum, ſeu Saracenorum ditiones obtinuerunt, & uſque in præſens poſſident. Tum iterum de Chriſtianis & Hungaria:* Chriſtianorum propugnacula expugnabunt. *Ejuſcemodi propugnacula olim erant Belgradum, Buda, aliaq; munitiſſima loca in Hungaria (de qua ſtatim) & alibi.*

1339. Ungariam pluries invadent, & ferè deſolabunt eam. *Primus Hungariam ingreſſus & adorſus fuit Bajazetes Anno Chriſti* 1394. *qui in Pannonia inferiori Sirmienſem agrum miſerè devaſtavit: & ſub idem tempus Bulgariam & Walachiam, Hungariæ finitimas, & olim attributas, occupavit. Anno* 1415. *Turci Regnum Boſnæ & Hungariæ aggreſſi; rabies eorum crudelis & impia copioſam multitudinem Nobilitatis Hungaricæ devicit ac proſtravit. Cladem illam deſcribunt iſtius gentis Hiſtorici, & referunt Bzovius ac Spondanus ad dictum annum. Anno* 1444. *Wladiſlaus Hungariæ Rex contra pacta inter Turcas & ipſum inita, exercitum ducens, victus & interemptus fuit & ejus exercitus profligatus; ita ut vix tertia pars evaſerit. Dicitur autem Amurates Turcarum Imperator, cùm fœdus juratum ſuper Evangelia à Chriſtianis, & ſuper Alcoranum à Turcis, violatum videret, exclamaſſe ad Chriſtum:* Si Deus es, tuas, meaſque hic injurias, te quæſo, ulciſcere. *Ita Bzovius, Spondanus, & alii. Rurſus annò* 1475. *incurſionem facientes Turci in Hungariam, magnam ejus partem vaſtarunt, Annô autem* 1521. *menſe Septembri Solymanus Turcorum Imperator exercitum adverſus Hungaros ducens, primitiis expeditionum ſuarum; Belgradum (dictum etiam* Albam Græcam. *ad confluentem Savi & Danubii inclytorum fluminum ſitum) munitiſſimum totius Hungariæ oppidum, & validiſſimum Chriſtianitatis eâ parte propugnaculum; rebus omnibus neceſſariis tunc deſtitutum, poſt bimeſtrem obſidionem expugnavit; unà cum Sabbatia, aliiſq; nonnullis munitionibus.*

Pacta non ſervata etiam cum Turcis Deus ulciſcitur.

1340. *Poſt quinquennium, annò ſcilicet* 1526: *Solymanus ingenti collecto exercitu, expeditionem in Hungariam ſuſcepit ſub finem Auguſti: Illum præproperè nimis aggreſſi Hungari ingenti clade cæſi ſunt. Ludovicus Rex fugâ ſibi conſulturus, in palude, equô cum ſeſſore in dorſum corruente, ſuffocatus interiit. Indè Solymanus Budam verſus movens, primariam Hungariæ civitatem ſine ullo præſidio relictam reperit & combuſſit: Deinde in omnes Hungariæ partes prædatoribus; omnia ferrô & flammâ vaſtata fuêre. De illa luctuoſa Hungarorum cæde vide etiam hic ſuprà num.* 1245. & 1246. *Mortuô itaque Rege, nullâ prole relictâ, de ſucceſſione contentio magna exorta eſt. Interimq; Turci his diſſidiis in commodum ſuum uſi, Jaiczam, munitiſſimam primariamq; Boſnenſis Regni urbem; nec non & Croatiæ partem, in ſuam poteſtatem redegerunt, nemine opem ferente. Iterum poſt triennium (anno* 1529.*) idem* Solimanus, *cum numeroſiſſimo exercitu in Hungariam venit, & Civitates Quinqueccleſienſem, Albam regalem, & alias plures in ſuam poteſtatem accepit. Denuò poſt triennium (Anno* 1532.*) in Hungariam venit idem Solimanus cum exercitu trecentorum millium equitum: ſed poſt ignobilis oppiduli Quinſii terdecies oppugnationem, & fortiſſimam ejus propugnationem, auxiliante S. Martinô, haud longè inde natô, nequaquam vi capere potuit. Aliquantò pòſt, non auſus ulteriùs progredi adverſus florentiſſimum Caroli V. Imperatoris exercitum, per devia hinc indè errando vagatus ſine ullo operæ-pretio regreſſus eſt. Rurſus anno* 1541. *Hungariam petit, & circa Budam cæſis viginti Chriſtianorum millibus, tormentis omnibus, atque impedimentis captis, Budam ſibi vendicavit Bienniô pòſt (an.* 1543.*) Idem Solimanus in Hungariam cum magno exercitu penetrans, Quinqueccleſias, Valpoviam, Strigonium, Albam-regalem. (ubi Reges coronari & ſepeliri conſueverant) amplas, & munitas Urbes, aliaq; non pauca oppida occupavit; totâque Regione dirè vaſtatâ Conſtantinopolim*

Ungaria frequentes vaſtationes per Turcas.

V. Maii. *nopolim rediit: noſtris intereà Principibus cum ſuis magniloquentiſſimis jactantiis inter ſe ludentibus in reliqua Chriſtianitatis perniciem, inquit Spondanus.* (a) *Poſteà annò 1552. per ſuos Duces magnam reliquæ Hungariæ partem ſibi ſubjecit, interceptis aliquot præcipuis urbibus, & quamplurimis oppidis, ac arcibus. Denique anno 1566. initio Junii Conſtantinopoli diſcedens expeditionem in Hungariam movet, Zigethum (ſeu Zygethum) ad Pannoniæ, & Croatiæ confinia ſitum, totiuſq; Pannoniæ firmiſſimum, in duas partes, duplicemq; arcem diſtinctum, aliaſq; oppugnatum, nec expugnatum, ſecundò obſedit, & cepit. Sub hoc tempus Legatus quidam Cæſaris ad Solymanum deſtinatus, redux retulit, quatuor ſe miracula vidiſſe in exercitu Solymani, videlicet innumeras copias, ne unam quidem mulierem, nullam vini mentionem, & quòd veſperi omnes altâ voce exclamatò* Allà, *hoc eſt, Deus, deinceps tantum ſervarent ſilentium, ut nec in tentoriis, niſi ſubmiſſâ voce quis loqueretur. Quantùm diſtat Chriſtiana militia ab illa! Et miramur ſi in tam ordinata diſciplina proſperè res agantur? An enim expectamus, ut in immoderatiſſimis, incompoſitiſſimis, & effrænatiſſimis Chriſtianorum caſtris, Deus, cujus nulla in eis fere mentio, niſi ad blaſphemiam, quotidiè miracula patraturus ſit? Ita Spondanus.* (b) *Ex hactenus dictis manifeſta eſt veritas vaticinii iſtius S. Angeli:* Ungariam pluries invadent, & ferè deſolabunt eam. *Plura circà hæc videri poterunt apud Iſthuanffium, Bizarum, Natalem, Leunclavium, Sambucum, Stephanū Broderieum, & alios rerum Hungaricarum Scriptores.*

(a) Ad ann. 1543. num. 1.

Zigethi obſidio.

Quatuor admiranda in exercitu Turcarum.

(b) Ad ann. 1566. n. 14.

1341. Terrebitur & infeſtabitur Europa: *An non ſæpè territa & infeſtata fuit Europa per Othomanos ſeu Turcas, dum ejus nobiliſſima illa Regiones Græcia & Thracia, ſeu Romania, (in qua Conſtantinopolis) & Regna adjacentia impetita, & occupata per eos fuêre? & dum toties, uſque in præſens, florentiſſimum olim iſtud Europæ Regnum Hungariæ invaſerunt, & vaſtarunt, dum (anno 1529.) Viennam obſiderunt? dum Hydrunte (de qua ſtatim) interceptâ toti Italiæ perniciem minabantur.*

1342. Italia verò ipſa, ubi Sedes Petri eſt, diu, & ſæpè vexabitur, & diuturna, & pernitioſa reprehenſionis bella ſentiet: & videbit ignem, & ſanguinem. *Iſtas quidem, & alias calamitates à S. Angelo prænunciatas Italia quandoque jam experta fuit, & quidem à Turcis anno 1480. quando diram in Italiam fecêre excurſionem, & Hydruntem Calabriæ maritimam Civitatem claſſe obſeſſam, & diu noctuque tormentorum impetu quaſſatam expugnarunt. Ferunt ad duodecim propè Chriſtianorum millia vel cæſa fuiſſe, vel in captivitatem abducta, Matronis ſtupratis, virginibus raptis, ſanctimonialibus fœdatis, prægnantibus cum ſemivivis corpuſculis dilaniatis, ſenibus hominum & equorum calcibus conculcatis, ſacerdotibus intra Eccleſias jugulatis; Archiepiſcopo annoſo, Pontificalibus induto, ſacratiſſimam Crucem manibus tremulis tenente, & Chriſtianos ad conſtantiam fidei exhortante, capitô, & ſerra ligneâ in duas partes diviſô, ut Breidenbachius habet; quem alii vivum excoriatum volunt. Octingenti circiter educti oppidò nudi, cùm nollent fidem Chriſti abnegare, inter ſe ad conſtantiam cohortati, in parva valle (quæ deinceps Martyrum vallis vocata eſt) trucidati ſunt. Expugnationem verò Hydruntis tantum terrorē univerſæ Italiæ attuliſſe tradunt, ut de illa deſerenda magis quàm defendenda cogitatum paſſim fuerit. Ita Spondanus ad illum annum 1480. num. 3. Porrò piis Chriſtianorum precibus, & pœnitentiis permotus Pater miſericordiarum, Italiæ toti tam quàm maximè periclitanti, auxilium de cœlo mittens, Mahometem Turcorum Imperatorem, truculentiſſimum Chriſtianorum perſecutorem, in ipſo ejus procinctu ſævorum conatuum dè medio ſuſtulit, die 3. Maji Feſto S. Crucis, cujus memoriam impius ſublatam volebat. Eâ auditâ morte Achmetes expugnator Hydruntis, inde diſceſſit, & mox cæteri Turci, qui Hydruntem detinebant, urbem & Italiam penitùs deſeruerunt.*

Italiæ mala impendentia prænunciata.

1343. *Prophetiæ iſti S. Angeli ferè correſpondet vaticinium iſtud à Laurentio Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ verbo* Turcæ *relatum his verbis:* Ad immaniſſimos Turcas orationem meam convertam: quos longum; latum; & magnum Imperium, divitiarum magnitudo, frequentia victoriarum, & gloria in tantum extollet. Ungariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes, regnum Ungarorum lacerantes, ſimulque Imperium Romanum Germanumque diutiſſimis bellis tentantes in eorum manus cadent. Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ, Hiſpaniæque littora claſſe ſuâ, nec non Italiam moleſtabunt, & affligent. Timorem magnum Chriſtianis immittent. Sed Chriſtus tandem ſuorum non ferens ſtragem, hos nominis, cultuſque ſui hoſtes virtutis ſuæ potentiâ proſternet, & funditùs evertet. *De Ieroſolyma totaq; Terra Sancta Chriſtianis aſſerenda, deq; Turcici Imperii excidio agetur jam ſtatim ex eadem S. Angeli prophetia.*

Prognoſticon de Turcici Imperii incrementis, ac tandem excidio.

§. II. *De liberando Orbe Chriſtiano à tyrannide Turcarum.*

Ad caput xv. vitæ S. Angeli.

1344. VEniet tandem; qui liberabit, & ponet pacem in gentibus, & erit conſolatio juſtorum. Quis, inquit, Angelus, iſte erit, qui liberabit civitatem tuam? Et Chriſtus: Surget tandem Rex ... inſigni ... in Deum pietate ... Copias tranſmittet, quas ſequetur multitudo ultrò militantium ... Inſtructâ claſſe fretus transfretabit, & perditas reſtituet Eccleſias: & liberabit Jeroſolymam. *Ita Chriſtus S. Angelo in vita ejus cap. 15. Quis ille* Rex inſigni in Deum pietate, qui claſſe transfretabit, & liberabit Jeruſalem? *Benedictus Gononus in vita S. Angeli ad marginem notat:* Is eſt ſanctus Ludovicus. *Aſt, quàmvis in ipſo verificari poſſint pleraque antè dicta; non tamen apparet, quomodò iſtud,* liberabit Jeruſalem. *Iſti prophetiæ S. Angeli conſonare videntur ea, quæ de Armenis Nierſes Armeniæ Patriarcha, vir eximiæ virtutis vaticinatus fuit. Nierſes ille, cognomine Magnus, ſextus Armeniæ Patriarcha, vir eximiæ virtu-*

V. Maii. fuerint ; & ad ſummum cumulata) exterminat. Ita olim peſſimas & abominabiles Nationes, ſcilicet ſeptem Gentes inhabitantes Terram Sanctam, à facie filiorum Iſraël ejecit. Idem evênit Philiſtæis, Chaldæis, Medis. & tempore Chriſtianorum Arianis, Neſtorianis, cæteriſq; ſectis Eccleſiam falſis dogmatibus infeſtantibus, nec non Gothis, Wandalis, Hunnis, Saracenis, Choraſmiis, Mammaluchis, Mauris in Hiſpania, aliiſq; infidelibus. Eadem ſors etiam aliquando ſuperveniet Turcis de quorum excidio (occaſione iſtorum verborum, de Rege, qui liberaturus eſt Orbem Chriſtianum de manibus Turcarum) atque etiam eorumdem origine, & Alcorano quædam hic opportunè inferenda videntur) Cornelius à Lapide in illud capitis ſexti Apocalypſeos : Et ecce equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum ; ſic ad propoſitum ſcribit : Hi (Mahumetani Saraceni, Turcæ) poſt Gothos; Arianos, alioſque priſcos hæreticos, mox Eccleſiam graviſſimè infeſtarunt, & jugiter infeſtant: eſtque hæc quaſi quarta ætas Eccleſiæ. Hæc ſecta rectè comparatur equo ; quia planè irrationalis eſt, bruta & carnalis, ibi conſequenter variis rationibus declaratur, per quartum equum pallidũ denotari Mahumetanos; tandemq; concludit: quod ſicut olim graviſſimè affligentes Eccleſiam in veteri Teſtamento Philiſthæi, Chaldæi, Medi, & in novo Ariani, Neſtoriani, Gothi, Hunni, Choraſmii, & aliæ gentes, & quemadmodum Balaã, etſi Ariolus, verè vaticinatus eſt de Romanis: Venient in trieribus, de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; Hebræos; ac de iiſdem ſubjungit : & ad extremum etiam ipſi peribunt. Sic etiam Turcis continget. Idque confirmatur ex eo quod idem Cornelius à Lapide in caput 20. Apocalypſeos circa illa verba : Donec conſummentur mille anni ; ſcribit : Quod apud Turcas conſtans ſit oraculum, Mahometis ſectam duraturam mille annos. Et infrà in Appendice ad capitis 20. verſ. 4. Denique nonnulli ſuſpicantur per annos mille, quos hic præcisè aſſignat S. Joannes & ſexies iterat, ſymbolicè notari mille annos quibus duratura eſt ſecta, Regnum & perſecutio Mahometis, puta Saracenorum, & Turcarum. Et alia pro hujus aſſertionis confirmatione adducit. Tertiò, quòd mille annos toties præcisè hoc capite aſſignet & iteret. Mille autem nuſquam invenire poſſumus, niſi in ſecta Mahometi:. Ipſe enim Mahomet ſive à Deo, ſive à diabolo inſpiratus prædixit, ſuam ſectam & Regnum duraturum per mille annos. Idem prædixerant alii, adeoque hæc communis Saracenorum & Chriſtianorum eſt vox & ſententia, quam Mahometani pro indubitata & certiſſima habent. Ibi conſequenter alia habet ad idem intentum. Id tamen de duratione ſectæ Mahumetanæ non præcisè, & arithmeticè accipiendum eſt, ſed moraliter, & geometricè : ſicuti & illa S. P. N. Eliæ attributa prædictio de mundo duraturo ſex millibus annorum, his verbis : Sex mille annis erit mundus. Duobus mille inanitas : duobus mille lex : duobus mille dies Chriſti. (de qua hic ſupra (a) Quod autem illud non definitè, & præcisè intelligi debeat, patet effectu : ſecta enim illa initium habuit circa annum Chriſti 630. atque ita arithmeticè loquendo, millenarius finitus fuit circa annum 1630. & adhuc durat, & præcisè quamdiu duratura, & quando venturus ille Rex, qui liberaturus eſt Jeroſolymam è manibus Turcorum. & an completa jam ſint minatoria illa prædictiones capitis 14. ejuſdem vitæ, certum non eſt.

Ita tandem continget Turcis.

Oraculum de duratione ſectæ Mahumetanæ per mille annos.

(a)

Pag. 48. num. 176.

1348. Occaſione eorum quæ in Vita S. Angeli dicto capite XIV. referuntur de Agarenis, Iſmaelitis, & Othomanis, ſeu Turcis, diſquirendum hic eſt, an, ſicut nonnulli illos, atque etiam Saracenos, confundunt, iidem ſint, an gentes diverſæ. Et quandò, undè, ac qualiter originem habeant. De Agarenis, & Iſmaelitis fit mentio Pſalmo 82. Tabernacula Idumæorum, & Iſmaelitæ. Moab, & Agareni. Super quem locum noſter Michael de Bononia (quondam ſub nomine incogniti) ita commentatur : Et Agareni : Iſti ſunt Saraceni, idem quod Iſmaélitæ; quia quamvis ex ancilla ſint geniti, falsò tamen ſe dicunt ex Sara uxore Abrahæ generatos. Gilbertus Genebrardus nominatiſſimus Chronographus eundem Pſalmum exponens circa illa verba, Moab, & Agareni, ſic paucis multa complectitur : Saraceni ab Agar Matre Iſmaëlis, qui ut ſibi glorioſam originem Abrahæ tribuerent, Saracenos à Sara ejus legitima, & nobili uxore ſe maluerunt appellare : vel, ut alii putant, à Sara monte cognomine. Conformiter ſcribit Jacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ieroſolymitana lib. 1. c. 5. ubi agens de Mahometo, hæc inter cætera habet : Fuit autem Mahometus Iſmaëlita, ex Agar Ancilla Abrahæ, ex progenie Iſmaëlis, hominis ferocis, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra ipſum. Licèt enim Saraceni, à Sara, tanquam ex libera, mendaciter, & inaniter ſe nominent Saracenos; verius tamen Agareni, ab Agar, quæ concubina fuit Abrahæ, debent dici. Fuerunt Agareni olim habitatores Arabiæ, unde etiam frequenter Arabes nuncupantur. Ex dictis habeatur, apud Hiſtoriographos paſſim pro iiſdem ſupponi illa quatuor nomina, Agareni, Iſmaëlitæ, Saraceni, Arabes. Strictè tamen loquendo Iſmaëlitæ ſunt poſteri Iſmaëlis filii Agar ex Abrahamo, & Agareni poſteri alterius filii Agar ex alio viro.

1349. Quoad Turcas, tenuiſſima eorum memorantur primordia, & planè obſcura. Plinius libro 6. naturalis Hiſtoriæ cap. 7. deſcribens gentes circa Mæotim, ſic eorum meminit : Turcæ uſque ad ſolitudines, ſaltuoſis convallibus aſperas. Conformiter ſcribit Pomponius Mela libro 1. de ſitu Orbis, agens de gentibus Septentrionalibus circa Tanaim & Mæotim: Oram, inquit, quæ à Boſphoro ad Tanaim uſque deflectitur, Mæotici incolunt. Et paulò infrà: Turcæ vaſtas ſylvas occupant, aluntúrque venando. Tum continuis rupibus. latè aſpera, & deſerta Regio. Præfatus Genebrardus in eundem Pſalmum (b) ſic quoque breviter Turcarum initia & incrementa perſtringit : Turcæ ignoti populi & obſcuriſſimi, è media Tartaria auxiliô venerunt Arabibus & Mahometanis, è Scythia ſive Tartaria in Aſiam & Africam irruperunt; deinde cum Saracenis

Turcæ quæ gens undè orta.

(b) Pſal. 82.

V. Maii.

nis & Arabibus coièrunt. *Fuit igitur olim ea Gens ſilveſtris, & barbara, Septentrionalem inhabitans Regionem, circa Mæotidas paludes, idola colens, venerans, adorans, ſicuti cætera in partibus adjacentibus commorantes. Poſteà autem ingreſſi Perſidem legem Mahometi ſuſceperunt, circa annum Chriſti* 1048. *Porrò ab initio nec unus aliquis dux illis erat, nec certum imperium: ſed pecudum inſtar vagantes, modò huc, modò illuc, gregatim ſuas incurſiones faciebant: latrocinantes magis quam belligerantes. Succeſſu temporis conjuncti Saracenis, aut ab iis conducti ſæpiùs cum Chriſtianis in Terra Sancta conflixerunt. Deinde Chriſtiani nominis provincias, regna, & bina imperia violenter invadentes, & occupantes, rem ſuam vehementer amplificaverunt, & varios ſibi principatus conſtituerunt. Quos omnes unitos & ſibi ſubjectos Othomanus in Imperii formam redegit circa, & poſt annum Chriſti* 1390. *Tandemque prævalentes etiam Saracenis, omnia eorum dominia in ſuam poteſtatem redegerunt anno Chriſti* 1516. *&* 1517. *interemptis Sultano Ægypti & Mammaluchis. Atque ita extincto ferè nomine* Saracenorum, *Turci dominantur in Africa & Aſia, ubi olim Saraceni erant, occupatis etiam poſteà quàm plurimis Regionibus Chriſtianis: Et hæc ſuccincta eſt originis ac incrementi Turcorum deſcriptio.*

Eorum incrementa.

1350. *Quantum ad Religionem* Iſmaëlitæ, Agareni (*ſive* Saraceni) Othomani (*ſeu* Turcæ) *de quibus in Vita S. Angeli cap.* 14. *&* 15. *ſectam ſequuntur Mahumetanam: hinc de illa aliqua hoc loco attexenda videntur, Author ejus fuit deterrimus ille ſeductor Mahomet, ſive Mahumet. De cujus ſtirpe hîc ſuprà mentio fuit, ex Iacobo de Vitriaco, qui ibidem hæc de eodem habet:* (a) Machumetus ſtatim poſt tempora B. Gregorii, parum ante tempora prædicti Heraclii, abominabilem doctrinam ſuam primò in Arabia, undè oriundus extitit; & poſteà beſtiali populo in partibus vicinis, hominibus rudibus & incultis, partim prædicaverat, partim per timorem & violentiam in errorem ſuum contradicentes impulerat. Cujus ſucceſſores tantò furore, & fervore diabolicò ſuccenſi ſunt, ut in peſtiferam Magiſtri ſui doctrinam non ſolùm verbis & exhortationibus populos inſipientes inducerent, ſed vi, & metu, & gladiis, tam Arabes, quàm alios Orientales populos miſerabiliter impingerent. *Et aliquanto pòſt:* Doctrina enim ejus peſtifera, ſerpens ut cancer, non ſolùm Arabes & Syros, Medos & Perſas, Ægyptios & Æthiopes, & alios Orientales populos læthaliter infecit; ſed etiam Africam, & plures Occidentales Regiones corrumpens, uſque in Hiſpaniam pervenit. Nec puto, quòd ab infantia primitivæ Eccleſiæ uſque ad ſenectam, & ſenium ejuſdem, videlicet uſque ad tempora Filii perditionis, major fuerit, vel futura ſit abominatio deſolationis, vel majus flagellum Eccleſiam ſanctam Dei oppreſſerit, quàm execrabilis erroris venenum peſtiferum, quod ſerpens antiquus per os Pſeudoprophetæ & ſucceſſorum ejus, in tanta populorum multitudine, evomuit.

(a) Lib. 1. c. 4.

Mahomet beſtialem condidit legem,

longè latèq; promulgatam,

1351. *Stultam, ſuperſtitioſam, & fœdam ejus legem ſic paucis perſtringit Belgii quondam illuſtre jubar Lipſius:* (b) Mahumetes (DCXX.) ille, heu nimis noſtris cladibus notus! cùm cupidine agitaretur novarum opum & Imperii, novam Religionem, id eſt ſuperſtitionem commentus eſt: ita me Deus, indecoram, futilem, nec colore ullò veri tinctam; etſi ex Judæorum Chriſtianorumque libris, velut per Satyram, miſcuit & confecit. O nugas! ô deliria! *Conſequenter refert deteſtabiles, infandas, & plus quàm beſtiales, beſtialibus hominibus tradita legis iſtius (Alcoranum nuncupant) turpitudines & deliria, Deinde ſubdit:* Credet hæc aliquis dicta & accepta.... Pudet, piget, miſeret generis humani, cujus magna aut maxima pars his non vanitatibus, ſed ſtuporibus eſt oppreſſa. Nam Aſia ferè tota, plurimum Africæ, multum Europæ, jura ſceptri, & ſacri Turcici accepit, *Hæc Lipſius.*

(b) Lib. 1. Monit. & Exempl. Polit.

Stultitia & fœditates Legis Turcicæ dictæ Alcoranum.

1352. *Lex illa velut colluvies errorum conſarcinata eſt partim ex Iudæorum, Manichæorum & Gentilium dogmatibus, aliqua etiam à Chriſtianis emendicata continet. A Iudæis habet Circumciſionem, & Abſtinentiam à carne porcina: cum Chriſtianis dicit Chriſtum ſummum Prophetarum, conceptum de Virtute Dei, natum ex Maria Virg. ante partum, in partu, & poſt partum, omnium fœminarum ſanctiſſimâ. Sed venenum infidelitatis immiſcens cum Neſtorianis. Deum, unum ſummum agnoſcit. Trinitatem perſonarum negat. Etiam à Chriſtianis ſimilitudinem quandam jejunii Quadrageſimalis accepit; ſed ut ab iis diſcrepet, illud durat dumtaxat unô menſe ſucceſſivè: ut ſi hôc annô in Ianuario, ſequenti erit in Februario, tertiô annô in Martio, & ſic conſequenter ſemper in orbem. Abſtinent autem eam obſervantes die tota ab omni cibo & potu, ſed deinde cum fœnore recuperant, nocte totâ commeſſationibus, & quibuſvis voluptatibus, magis quàm aliô tempore, vacantes. Cum Gentilibus conveniunt in cultu aſtri Luciferi, Lunæ videlicet, quam peculiariter venerantur. Vt autem Lex illa carnali populo gratior ſit, carnales quaſvis voluptates (quibus ipſe Mahomet maximè erat deditus) permittit, illiſq; frænum laxat. Et illa quantumvis contra rationem ſit, ne impugnetur, pœnam mortis decernit illis, qui contra Alcoranum prædicant, aut loquuntur.*

Ea velut colluvies eſt errorum ex aliis ſectis.

§. IV. *Quâ ratione Chriſtiani Turcis reſiſtere, & victoriam ac triumphum de illis reportare poſſint.*

Ad Caput xv. Vitæ S. Angeli.

1353. Haud *multis opus hic eſt diſquiſitionibus ſeu conſultationibus, ubi ipſius Veritatis habemus vocem loquentem: cùm enim S. Angelus in graviſſima afflictione Eccleſiæ, miſericordiã ſupplex peteret, in hunc modum orans:* Miſerere Eccleſiæ tuæ, & averte iram tuam à populo tuo, qui clementer paſſus es pro eo, ut liberentur dilecti tui quos effuſi ſanguinis pretiò redemiſti. *Reſpondet Chriſtus; tum Chriſtianos liberandos à Dominio, preſſura, & tyrannide Turcorũ:* Cũ contritus fuerit, *inquit*, populus meus, & agnoſcet vias meas, & ſuſcipiet juſtitiam, & cu-

ſtodiet

V. MAII.

ſtodiet eam. *Tunc igitur finis erit abominationum per Turcas invectarum, & initium triumphorum Chriſtianis*, & Eccleſia ad ſtatum bonis optatum reſtituetur ... perditæ reſtituentur Eccleſiæ. *Tunc, inquam, quando populus Chriſtianus contritus & pœnitens deteſtabitur, & deſeret peccata, atque juſtitiam amplectetur, incedetq; per viam obſervantiæ mandatorum Dei. Etenim oppoſitorum oppoſita eſt ratio: cauſa afflictionum, tribulationum, abominationum; quas Turci hactenus cauſarunt, & cauſant, eſſe* ſuperbiam, ambitionem, luxuriam cum cohorte filiarum ejus, *quodq;* populi, & qui dominantur eis ad vanitates & inſanias, convertantur: *ait Chriſtus S. Angelo*. Pater æternus mittet furorem ſuum & iram, ac permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hoſtibus & inimicis nominis ſui. *Igitur peccata & ingratitudo Chriſtianorum, ſola cauſa eſt omnium iſtorum malorum; quæ (ſicut ſolet ſemper effectus ſublatâ cauſâ) finem habebunt, ſi Chriſtiani finem faciant Deum graviſſimis delictis offendendi, & ad vindictam excitandi.*

Peccata ſunt cauſa deſolationum per Turcas.

1354. *Neque extra propoſitum, neque ſine utilitate fore arbitror, ſi aliquantò magis elucescat veritas illa:* Sola peccata cauſam eſſe ampliati imperii Turcici, & anguſtiatæ rei Chriſtianæ: *id enim confirmant cætera omnia mala in Orbem invecta, tanquam flagella peccatorum. Vt prætereamus maximam illam ſtragem Luciferi & Angelorum illi adhærentium de cœlo in Barathrum infernale detruſorum, ob peccatum ſuperbiæ; nec non ob gulam & inobedientiam primorum Parentum noſtrorum, eorum cum tota propagine ex Paradiſo deliciarum expulſionem in hanc lacrymarum vallem, innumeris malis plenam. Quæ cauſa diluvii? nónne peccata & malitia hominum?* Videns autem Deus, quòd multa malitia eſſet in terra... Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad volucres cœli... *Quæ ratio horrendi illius ſupplicii, ignis & ſulphuris pluentis ſuper Sodomam & Gomorrham? An non abominanda, & nefanda peccata:* Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. *Geneſ. 19. Audi quid ſequatur:* Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia. *Nonne ob peccatum murmurationis (de qua Numerorum 16.) Core, Dathan, & Abiron, præcipuos murmurationis authores aperiens terra os ſuum devoravit eos, deſcenderuntque vivi in infernum, & alios ducentos quinquaginta (quia murmurationi conſenſerant) offerentes incenſum, ignis conſumpſit; & die ſequenti quatuordecim millia hominum, & ſeptingentos, quia murmurantes, incendium conſumpſit? Et legenti veteris Teſtamenti ſacros libros perſpectum facilè erit; tunc populum Iſraël datum in præ*dam, & in gladium, & in opprobrium, quotieſcumque receſſit à cultura Dei ſui; *aut murmurationibus ſuis Dei vindictam in ſe concitavit:* dum non peccarent in conſpectu Dei ſui,

Imò & omnium malorum in mundo.

Videlicet Diluvii.

Ignis ſulphurei ſuper Sodomam.

afflictionis populi Iſraëlitici.

erant cum illis bona: & Deus eorum pugnabat pro eis. *prout Achior Holoferni referebat. Iudith. 5.*

1355. *Eadem eſt etiam nunc gubernandi ratio in Deo reſpectu Chriſtianorum: quibus Terram Sanctam, aliaque regna Deus auferri à Turcis permiſit propter peccata; prout diſertis verbis adſtruunt paſſim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores. Willelmus Tyrenſis Archiepiſcopus libro 1. Hiſto iæ Orientalis cap. 8. & 9. cauſas deſolationis Terræ Sanctæ, traditæ in poteſtatem Barbarorum oſtendit cumulatè, quòd fuerint peccata Chriſtianorum; hinc tandem ſic concludit:* His igitur & hujuſmodi ad iracundiam provocatus Dominus tradidit eos in manus inimici, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. *Idem tradit Iacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ierosolymitana variis locis, atque imprimis libro 1. cap. 1. & 2. ubi hæc inter alia:* Terra ſancta promiſſionis, Deo amabilis, & ſanctis Angelis venerabilis, & univerſo mundo admirabilis; à Deo electa & prælecta, ut ea in præſentiâ ſuâ viſibiliter illuſtraret, & in ea liberationis noſtræ ſacramenta miniſtrando, genus humanum redimeret, quantô majori zelô dilecta eſt à Domino, tantò frequentiùs, peccatis habitantium in ea exigentibus, flagellata eſt. *Ibi conſequenter variis demonſtrat exemplis, qualiter fideles habitantes in Terra illa frequenter, propter peccata, barbaris & infidelibus traditi ſint nationibus, ſub quibus jugum duriſſimum crudelium perpeſſi ſunt dominorum. Ita ut in illis adimpletum ſæpius fuerit illud Pſalmiſtæ:* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. *Et iterum:* Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. *Atque illud:* Ego Dominus Deus veſter; &c. Quod ſi non audieritis me, nec feceretis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis: viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras .. Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplùm propter peccata veſtra. *Plura in hujus aſſerti confirmationem videri poterunt tomo præcedenti* (a)

amiſſionis Terra Sancta.

Pſ. 105. 39.

(a) Num. 447. & 923.

1356. *Quòd autem omnes calamitates, & vaſtationes hactenus à Saracenis & Turcis Hungariæ, cæterisq; regnis, & ditionibus Chriſtianorum illatæ in hodiernum uſque diem, ſint effectus, & pœna peccatorum habetur ex Chriſti ad ſanctum Angelum verbis iſtis:* Venient autem hæc (*mala à Turcis inferenda, antea recenſita*) propter abominationem eorum qui conſtruunt Babylonem.. : Pater meus æternus mittet furorem, & iram, ac permittet ingratitudinis filios ubique torqueri ab hoſtibus, & inimicis nominis mei. Hæc omnia conſtanter, & intrepidè prædicabis, & annunciabis populo Chriſtiano quæ ventura ſunt propter ſcelera ejus. *Quemadmodum, ſi olim Ninivitis minas illas Iona Propheta*, Adhuc quadraginta

 dies

V. MAII.

dies, & Ninive ſubvertetur, irritas fecerunt, per pœnitentiam evertentes iniquitatem (ſicut ſcribit S. Gaudentius tract. 3. ad Neophytos) ita & Chriſtianus populus mala per S. Angelum prænuntiata per receſſum à peccato, & converſionem ad Deum evadat; oracula enim Dei, minacia ſolent eſſe conditionata. Chriſtiani igitur ſi ulteriores afflictiones per S. Angelum prænunciatas evadere, & Turcis victoriarum finem imponere velint, ſolicitè abſtinere debent ab iſtis peccatis, Dei in ſe vindictam provocantibus, ab eodem S. Angelo recenſitis: quæ triplicis ſunt generis, juxta triplicem Chriſti-fidelium differentiam, videlicet Principum Eccleſiaſticorum & ſæcularium; Plebis Chriſtianæ, & Religioſorum.

Ceſſantibus peccatis Chriſtianorum ceſſabūt quoque flagella propter ea à Deo immiſſa.

1357. Ex jam dictis perſpicuum eſt, ut à Turcarum infeſtationibus liberetur, & de illis victoriam referat populus Chriſtianus, primùm neceſſarium eſſe deteſtari & deſerere ſcelera & peccata (Dei in nos vindictam excitantia, & divinæ miſericordiæ fontem exſiccantia) ac ſectari juſtitiam. Sed an ſatis iſta? atque ita cancellatis manibus expectare tempus divinæ miſericordiæ, & liberationis civitatis ſanctæ Ieruſalem, cæterorumque Terræ ſanctæ ſacratorum Chriſti greſſibus & ſanguine locorum? Nequaquam, ſed manus operi eſt admovenda. Terra illa olim Abrahæ, & poſteris ejus promiſſa, & ideò Promiſſionis nuncupata, non dormientibus aut otiantibus Iſraëlitis tradita fuit: at opus fuit multis præliis contra ſeptem illas Gentes eam inhabitantes. Sic à Chriſto per S. Angelum prænuntiatur, pro liberatione Ieroſolymæ copias magnas colligendas & transfretandas, ſicut fecit S. Ludovicus Rex Franciæ, & ante eum Godefridus Bullonius.

Pro recuperanda Terra Sancta expeditiones ſacræ requiruntur.

1358. Porrò quia præteriti ratio eſt magiſtra futurorum. Et teſte Philoſophô tertiò Ethicorum: Prudentia agibilium hujus mundi in nobis acquiritur per experientiam factorum. Etenim ex præteritis ſumitur indicium de futuris, & ex iis quæ facta ſunt, concludere licet quid in occurrentibus eventibus prudenter agendum ſit. Hinc eſt quòd opera-pretium, imò neceſſarium ſit, ut Principes, Duces, & Præfecti paſſagii ſeu exercitûs deſtinati pro recuperatione Terræ Sanctæ, legant Hiſtorias præcedentium bellorum in Terra Sancta geſtorum, per inclytum Godefridum Bullonium, atque alios temporibus ſuccedentibus, exaratas per Willelmum Tyrenſem Archiepiſcopum, Iacobum de Vitriaco Epiſcopum Achonenſem, & S. R. Eccleſiæ Cardinalem, atque alios plures, quorum opera ſimul typis edita fuerunt, in magno volumine inſcripto: Geſta Dei per Francos, ſive Orientalium expeditionum Hiſtoria. Ejuſdem rationis, & ad propoſitum valdè opportuna eſt Vita S. Petri Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitani Legati Apoſtolici, hîc ſuprà ad XXIX. Ianuarii. Peculiariter quoque, imò quàm maximè, præ cæteris omnibus, ad hoc intentum ſerviet. Liber ſecretorum fidelium Crucis ſuper Terræ Sanctæ recuperatione, & conſervatione, Authore Marino Sanuto Patricio Veneto: in quo varia exhibentur inſtructiones, & cautelæ, pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Quid peculiariter requiratur, ut ſacræ expeditiones optatum finem habeant.

1359. Animadvertendum autem, Turcarum potentiam & vires, quas plerique inexpugnabiles & inſuperabiles prædicant, nequaquam eſſe tam formidabiles & immanes, ut, Deo bene juvante, reprimi, ac contineri non poſſint, modò forti & intrepidô animô invadantur, ac ſervatis ordinibus imperando, ac benè agendo ad ſolius victoriæ conſequendæ finem communibus votis reſpiciatur. Ita Spondanus ad annum Chriſti 1596. num. 8. Idem Author variis locis notat Turcas ad Chriſtianorum terrorem, ſolitos evulgare exercitus ſuos numeroſiores quàm reipsâ ſint. Porrò contra Turcas aliosq; infideles quàm victorioſus, Deo opitulante, eſſe ſoleat, etſi numerô impar, exercitus Chriſtianorum, dum juxta belli leges, forti animô, congruôque ſervatô ordine ac ratione, atque peccata graviora devitando; res agitur, eventus manifeſtant. Iuvabit memoraſſe nonnullos.

1360. Prætermiſſis nobiliſſimis triumphis Godefridi Bullonii, atque aliorum ejus ſucceſſorum, nec non vetuſtiorum, exempla recentiora aliquot proponuntur. Anno reparatæ ſalutis 1340. Hiſpani cum exercitu vix 40000. (videlicet quatuordecim millium equitum, & viginti quinque peditum) militibus omnibus ſacrâ confeſſione, & Euchariſtiâ munitis, ac rubrâ cruce ſignatis, aggreſſi infideles Mahumetanos Mauros Tariffam urbem obſidentes, quorum exercitus plus quàm decuplo numeroſior erat (ſcilicet equitum ſeptuaginta millium, & peditum quater centenorum millium) illos maximô præclariſſimôq;, & ad ſempiterna ſæcula memorabili præliô ſuperarunt & fugarunt, occiſis ducentis infidelium millibus, præter magnum captivorum numerum, & ingentem prædam; ex Chriſtianis non niſi viginti viris deſideratis. Victoria omninò ſimilis fuit an. 1212. etiam in Hiſpania, & contra Mahumetanos Mauros. Chriſtiani omnes peccatorum confeſſione, & Euchariſtiæ ſumptione roborati, habentes in vexillis imaginem B. Virginis Mariæ, & præviam ſignum Crucis; ſupra centum millia ceciderunt (alii numerum duplicant) ex Chriſtianis nonniſi viginti quinque interemptis. Anno 1443. cum Eugenius IV. Pontifex piam Crucis militiam prædicari juſſiſſet contra Turcos in Hungaria, exigua Chriſtianorum copia, divina ope imploratâ, grandi cæde Turcos ſuperarunt, & eorum caſtra opulentiſſima diripuerunt. Rex Hungariæ Wladiſlaus ingenti gaudiô & ſacrâ pompâ exceptus, Budæ nudis pedibus ex voto Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis petens, ſigna hoſtium in ea affixit. Inſignis etiam valdeq; ſingularis ea fuit victoria, quàm anno Chriſti 1456. precibus Chriſtianorum per Calliſtum III. indictis Hungari reportarunt juxta Belgradum, quod Mahometes Turcorum Imperator obſidione cinxerat. Ipſe Mahometes graviter vulneratus fuit, & trucidata quadraginta circiter Turcorum millia, ac inter eos ferè omnes proceres, factumq; divinitùs, ut Turci in fuga ſeſe mutuò ingenti numerô ciciderint.

Chriſtiani forti animô, & benè ordine procedentes & peccata graviora devitantes quàm facilè victorioſi ſint de numeroſiſſimis exercitibus infidelium.

Id variis exemplis demonſtratur.

1361. Anno 1593. Chriſtianorum ſex millia, invocatô divinô auxiliô, triginta millia Turcarum Hungariam infeſtantium, graviſſimâ clade affecerunt. Sic & Poloni, (orthodoxæ fidei ſtrenuiſſimi propugnatores, abſtinentiam perpetuam feria quarta ſingulari devotione ſervantes) anno 1514. triumpharunt de Moſcovitis, cæſis ex illis ſupra triginta millibus, captiſq; præcipuis Ducibus,

Polonorum mirabiles victoriæ

Pro-

V. Maii. *Proceribus, & Nobilibus, ex Polonis deſideratis dumtaxat paulò plus quadringentis: & anno 1621. duplici atroci prælió Turcas devicerunt. Dicuntur iis certaminibus è Turcis ad centum circiter millia cæſa, totidem aliis caſibus extincta. Vide Spondanum. Anno 1601. Turcæ ſub Duce Zigala Præfecto Claſſis Turcicæ, in Calabriam ex improviſo irruebant. Hieronymus Hurruytener Hiſpanus Gubernator Calabriæ, invocatâ ope Deiparæ, & per devotionem ad ejus ſacrum Scapulare, collecto celeriter præſidiario milite, hoſtibus incomparabiliter numero impare, duplici tamen prælió victorioſus; de illis triumphum retulit, ſicut plenius narratum eſt tomó præcedenti.* (a) *Ibidem paulò antè* (b) *refertur alia celeberrima victoria de Turcis obſidentibus Melitem, ſeu Maltham anno 1565. Et iſta ſufficiant, ut Chriſtiani Principes cognoſcant, poſſe Othomanicas vires, quantumvis potentiſſimas, profligari, & Turcicum Imperium, omnibus formidandum, ruere, ſi ipſi Chriſtiani Principes ſacra arma contulerint. Ex dictis conſtat quoque etiam in Chriſtianis verificari illa Dei ad populum Iſraëliticum olim promiſſa: Levit. 26.* Ego Dominus: ſi in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, *&c.* Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladió in conſpectu veſtro.

S. Scapularis devotione victoria de Turcis.

(a) num. 2476.

(b) num. 2475.

1362. *Dignum ſcitu eſt, & hic ad propoſitum, quodq; omnes contra Turcos, alioſq; infideles militantes merito conſolari & animare debet, illud Chriſti ad Angelum:* Magna eorum turma, qui pro meo nomine eó prælió cadent effectu crucis prœmia ſuſcipiet, & trophæis glorioſis cœlum aſcendet. *Nempe qui rectâ intentione, pro Dei amore ad bellum illud ſanctum vadunt, & in eo occumbunt quâdam ratione quaſi Chriſti Martyres glorioſô triumphô cælum conſequuntur. Et ea olim temporibus Godefridi Bullonii communis erat militantium contra Saracenos perſuaſio, prout teſtatur variis locis Willelmus Tyrius in Hiſtoria Orientali, & quidem lib. 3. cap. 9. poſt relatum caſum cujuſdam ſtrenui Nobilis, in oppugnatione Urbis Nicenæ lapidum molibus ſecus murum contriti.* Flevit, *inquit,* ſuper eum populus, ejus plurimùm commendans animoſitatem, & mortem ejus in conſpectu Domini reputans precioſam, per quam ejus animam electis ſpiritibus non dubitabant ſociandam: omnium enim, ut prædiximus, una mens erat, & eadem ſententia, eos qui ſic in acie procumbebant, vitam mereri perpetuam; & in parte ſortis Sanctorum, prædeſtinato collocari in lumine. *Et hæc confirmantur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. quæſt. 124. art. 5. ad 3. ubi ſatis inducat,* eos qui pro defenſione Reipublicæ moriuntur, poſſe conſequi meritum Martyrii, ſi illam defenſionem, & mortem ſuam in Deum referant. *In quem locum ſic commentatur Franciſcus Sylvius:* Adverte, illos qui pro defenſione Reipublicæ in bello juſto occiduntur, poſſe eſſe Martyres, ſi illam defendant propter Deum, amore Juſtitiæ ac Legis divinæ; non verò ſi ſtipendii militaris, aut prædarum intuitu; aut aliâ aliquâ intentione, vel pravâ, vel bonum dumtaxat humanum ſpectante. *Potiori igitur ratione illi qui pro Eccleſiæ defenſione, Chriſti causâ ſuſceptâ, mortem patiuntur, velut Martyres cenſendi ſunt, ſeu, ut S. Thomas loquitur:* meritum Martyrii conſequuntur; *ſi vulnera, & mortem, Dei amore ſuſtineant.*

Occumbentes in ſacris expeditionibus, rectâ intentione bellantes, meritum martyrii conſequuntur.

1363. *Confirmantur prædicta ex notabili Hiſtoria, quam referunt Thomas Cantipratenſis; in vita S. Chriſtinæ Virginis, & ex eo Laurentius Surius ad diem 23. Iunii capite 20. & Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti 1187. ubi iſta:* Quò autem die à Saladino Ægypti Sultano capta fuit Hieruſalem cum Sepulchro & Cruce Chriſti, illa in caſtro Leonenſi tum conſtituta, ſpiritu cognovit rem geſtam. Cumque multùm exultaret ab iis qui aderant, rogata ut ejus lætitiæ cauſam exponeret, *Reſpondit (ex revelatione à Chriſto ſibi facta) eam eſſe quòd ſic* data occaſio quâ magna poſſit hominum copia ſalva fieri; *videlicet* quando Hieroſolymæ, & Terræ ſanctæ recuperandæ causâ animæ ſemper victuræ, ejuſque ſanguine redemptæ, ab iniquitate ad juſtitiæ ſtudium convertentur, fundentque homines ſanguinem ſuum, & quamdam morti Salvatoris vicem cum multa devotione rependent. *Ubi notandum, eos qui recuperandæ Terræ Sanctæ causâ ſanguinem fundunt,* quamdam morti Salvatoris vicem rependere, (*ſicut jam ante dictum*) meritum martyrii conſecuturos: *atque hâc ratione* magnam ſalutis oblatam occaſionem.

In ſacris expeditionibus multi ſalvantur, qui alioqui damnandi fuiſſent.

1364. *Ex dictis hactenùs eruere licet plures expeditionum ſacrarum pro recuperanda Terra ſancta utilitates publicas. Potiſſima quidem illa jam dicta, ſalus plurimorum, qui ſacro bello mortem temporalem oppetentes, vitam conſequuntur ſempiternam, quâ alioqui fruſtrati, in æternum periiſſent. Altera, quòd hôc modo Provinciæ & Regna expurgentur multis diſcolis & inutilibus, qui equidem in bello operam utilem præſtantes, bono fine coronantur. Tertia, quia dum Chriſtiani Principes ad ſacras expeditiones ſubſidia conferentes, externa bella gerunt, à domeſticis, & mutuis inter ſe bellis remotiores fiunt. Et iſta quidem occaſione revelationis S. Angelo factæ, tradita hîc compendiosè, cumulatiùs proſecuti fuimus in Commentario prævio ad vitam ejus ſeorſim editam, excuſam Bruxellis anno 1665. Sed nunc reliqua S. Angeli proſequamur, & ad miracula, meritis illius patrata, ſermo procedat.*

Belli ſancti multiplex utilitas

MIRACVLA,

Et Gratiæ, interceſſione, & ad invocationem S. Angeli,

Ex Actis authenticis deſumpta, & inſerta libro vitæ ejus, Italice Romæ editæ, per Reverendiſſ. P. JOANNEM ANTONIUM PHILIPPINUM, Priorem Generalem Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo: & indé Latinitate donata (a) compendiosè hîc tradita.

(a) *per R. P. Gratianum à S. Elia.*

1365. MIrabilis Deus in Sanctis ſuis; *ad illorum declaranda merita, gloriam, & efficacem interceſſionem, quàmplurima per orbem terrarum omni tempore hominibus præſtitit beneficia, & mirabilia patravit, ad eorumdem invocationem. Miracula per ſanctum Angelum in vita ſua, magna, admiranda, & frequentia fuerunt (etenim ad inſtar ſanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſei, non unum, ſed plures defunctos ad vitam revocavit; Iordanis curſum ſiſtens ſicco pede cum ſociis pertranſiit; ferrum in aquam prolapſum natare fecit; ignem de cælo dejecit; leprâ infectos plures mundavit; ab infidelitatis errore ſtupendis prodigiis multos ad veram fidem perduxit.) Hinc eſt, quòd ſicuti in Græcorum Calendario ſanctus Gregorius Thaumaturgus intitulatur,* Miraculorum effector; *ſimiliter & S. Spiridion: ita & S. Angelus non immeritò honorari queat eodem titulo. Poſt obitum autem ejus multa, & quaſi continua miracula meritis ejus facta fuiſſe, & fieri, habetur ex Vita cap. 29. & ibi conſequenter ex teſtimonio Thomæ Bellorosſi ad Nicolaum Audeth. In vita autem per Reverendiſſ. P. Ioannem Antonium Philippinum Romæ edita, ex Actis authenticis, auctoritate Epiſcopalis Agrigentinæ curiæ, ad inſtantiam Leocatenſis Senatûs, confectis, varii generis miracula referuntur: & inde quædam deſumpta hîc ſummatim ſubſequuntur.*

S. Angeli meritis miracula pluri-ma facta

CAPVT I.

S. Angelus Protector Leocatæ, & Leocatenſium erga eum devotio.

1366. IBi *declaratur, quòd S. Angeli miracula ſint quaſi continua: & quòd olim ea, Leocatenſium curâ, regiſtrari ſolerent: ſed quòd regiſtra, ſeu libri illi (theſauri pretioſi) injuriâ temporum, interierint: & quòd Leocatenſium diligentiâ rursùs nova regiſtra facta ſint, (prout latiùs infrà) quâ autem occaſione, id ſic traditur:* Et certè non parum facit ad confirmationem, quòd Leocatæ anno 1625. accidit, ut vel indè ſatis conſtare poſſit de certo, & aſſiduo S. Angeli patrocinio; audite eventum. Peſtis graſſabatur per Civitatem Panhormitanam, & Drepanenſem, neque Caſtellum vetus erat immune, nec ulla Siciliæ civitas; quippè jam ſerpebat virus mortiferum intra Leocatæ ſuburbia, & adjacentia loca: Medicis conferentibus conſilia, ut morbo cognito præſcribant remedia, & ecce vix dum peſtiferum & exitialem declârant, ſubitò peſtilentialis ignis extinguitur die decimâ tertiâ Junii, ita ut die vigeſimâ ejuſdem menſis vix ſcintilla reſtaret, & quidem paucis modò hominibus peſte ſublatis: quod uno ore omnes S. Angeli meritis, & interceſſionibus adſcripſerunt; utpote cujus ſolitam benignitatem fiducialiter requiſiverant, ut accipere mererentur contra peſtiferam luem ita præſens antidotum. *Cætera prætermittimus; quia de illis latiùs in ſequentibus.*

Leocata à peſte liberata meritis S. Angeli

CAPVT II.

Vetula miraculosè facta eſt lactans ut prolem à morte præſervet: duo Hydropici S. Angelo intercedente ſanati.

1367. IN extremis hominum neceſſitatibus plerumque Dei potentia magis relucet. & ſanctorum Miracula maximè coruſcant, cùm in periculis, ubi humana remedia videntur deficere, auxiliantur. Paucis iſtis diebus, cùm peſtis (ut jam relatum eſt de anno 1625.) Leocatenſes infeſtabat, & in anguſtias redigebat, in Lazaretum adducta eſt mulier nomine Agatha Scolla Rouetta vidua ætatis 54. annorum: quam comitabatur ejus filia, cui nomen Gratia, uxor Antonii de Maggio. Gratiæ puellula erat 14. menſium nondum ablactata: moritur dicta Gratia, & inde Agatha ſummo affecta eſt dolore, & timore; tum ob mortem filiæ, tum ob ſtatum miſerum neptis infantulæ, certò inediâ, ſi non peſte extinguendæ. Quid faceret deſolatiſſima Agatha? Ad S. Angelum ſe vertit, & humi proſtrata, totaque in lachrymis ferventer æquè ac fidenter ejus ſubſidium rogat, ad periclitantis infantulæ conſervationem. Non fuerunt incaſſùm preces, quia nedùm prolis conſervationem obtinuit, ſed abundantiam lactis vidua in uberibus habuit ad ejuſdem alimentationem. O miraculum verè magnum! quis ſanô ſenſu id neget naturæ vires ſuperaſſe, ſi vel provectam ætatem mulieris à 23. annis viduæ conſideret, & de vitæ ejus honeſtate, ac continentiâ bonam famam?

In rebus hominum deſperatis magis eluſcet Dei potentia:

Experta eſt id vidua ſenex in obitu filiæ:

Infans ſame aut peſte extinguendus S. Angeli interceſſione mirabiliter perſervatur,

Vetula fit lactans contra ordinem naturæ.

1368. Hydropicus Leocatæ in Xenodochio Divi Jacobi diu infirmatus, cum non aliundè levamen acquireret, ad S. Angeli merita ſe convertit. Venit igitur ad ejus Eccleſiam, animatus pietate, & fiduciâ de aqua fontis. Et ecce, vix quantum ſatis ad libitum ebiberat, ſubitò fuit ſanatus. Receſſit

Hydropicus curatur ad S. Angeli ſepulcrum, deſperatus ab hominibus.

V. Maii. *Aqua ſacra poni integrè convaluit.*

ceſſit omninò incolumis, contra ſolitum naturæ curſum, ſiquidem ab aqua veroſimiliter oritur & augetur iſtud malum.

Mulier aſthmatica, & hydropica, & ulceribus plena, S. Angeli meritis ſubitò fit incolumis.

1369 Melchiorra conjux Pauli Bella aſthmate laborabat. & hydropiſi, morbis ſanè vehementibus, neque minùs periculoſis. Horrendum in modum turgebat venter ulceribus plenus, & inde ſanguis copioſus efflucbat. Eo miſeriarum adducta, de vita parum ſperans, ad cœlum ſe vertit, Sancto noſtro vota faciendo. In ſomnis magnam ventris ſtricturam ſenſit, ut indè expergefacta altùm clamârit; & ſic in brevi integrè convaluit.

CAPUT III.

Leproſus mundatus, claudi, impotentes ac infirmi plures curati.

Leproſi complures ſanantur.

1370. SAnctus Angelus ſicut in vita non paucis, ita & poſt mortem innumeris miraculo-è contulit ſanitatem. Angelum filiolum biennen Joſephi Manara, lepra peſſima per 16. menſes tenebat infectum, eoque jam anguſtiarum reductum, ut ſpiritum ferè exhalaret: imò deſperans Pater tumbam funeralem fieri curabat, ſed tamen ſolicita Mater conſtanti fide ultimum adhibitura remedium, aquam accepit è ſepulchro Sancti, devotè puerum lavat, atque ita ſubitò ex integro & mundat, & ſanat, & (quid ni addam) vivificat; ſiquidem videbatur certò certiùs ſtatim moriturus.

Aquâ S. Angeli lotus redditur ſanitati.

Sancti quàm potentes.

1371. Caſum ſubdo non minùs prodigioſum, ex quo redditur manifeſtum quàm ſit valens Sanctorum interceſſio, cùm vivâ fide in periculis, & neceſſitatibus advocantur. Mulier per ſeptem annos utroque pede clauda die quodam mane ad Eccleſiam S. Angeli deferri petiit, ibique fuſis humiliter precibus, ſe Deo & S. Angelo impenſiùs commendavit. Veſperè factô, cùm deberet Sacriſta januas claudere, eam cum mulieribus comitantibus abire juſſit: ipſa autem tergiverſari cœpit, & in has voces erumpere: Angele ſanctiſſime, non recedam de loco iſto, niſi priùs à te ſanitatem obtineam. Vix illa dixerat, & ecce perfectè curata ſurrexit, totaque ſana ac vegeta domum reverſa eſt.

Mulier claudicans perfectè ſanatur.

Adoleſcens paralyticus ad fontem S. Angeli plenè curatur.

1372. Joſephus Antonii Græci puer formoſiſſimus, integro quinquennio jacuerat miſerrimus, pannis infantilibus totô illô tempore involutus; erat enim membrorum omnium (ſi oculos & linguam excipio) uſibus deſtitutus, Pater & mater commoti, ad S. Angeli præſidium frequentiùs confugerunt, & aquâ fontis benedicti corpuſculum abluerunt. Cùm ſemel mater faſcias manè ſolveret, & pannos, quibus erat involutus; erectus in pedes ſubitò cœpit incedere tam firmò greſſu, ac ſi nunquam vel minimum fuiſſet in membris paſſus defectum. Ad ſpectaculum iſtud attoniti, parentes, interrogant, quomodò ſic ex improviſo ſit plenè curatus? quibus ille: hàc nocte, inquit, Religioſus Carmelita manu me apprehendit, & dixit: Erige te, & vade: ego ſum S. Angelus. Illuceſcente jam die feſto Sancti, qui inſtabat, publicè expoſitus eſt puer, in conſpectu confluentis undique populi.

Miraculum divulgatur.

Alter eodem modo ſanatur apparitione S. Angeli.

1373. Nec minus periculoſa fuit infirmitas, quâ Michaël Gattuto angebatur, cùm & acceſſu febris malignæ omnium membrorum deliquium patiebatur. Sanctum noſtrum fervidè invocat, & aquâ fontis ejuſdem ſe lavat. Nocte expergefactus, Sancti noſtri beatitudinem cùm attentiùs perpenderet, eundem apparentem vidit, atque ſemel & iterum ad lectum pertranſeuntem & exindè ab omni malo ſe liberatum ſenſit.

Mutus & membris fractus aquis S. Angeli ablutus ſanatur.

1374. Franciſcus Ziraffi 12. annorum adoleſcens, mutus erat deformis valde, & membris omnibus fractus: Franciſca ejus mater poſt varia per tres menſes continuos adhibita medicamenta domi ſuæ balneum parat, & aquis ex fonte S. Angeli hauſtis Filium tertiò lavat, Sancto humillimè ſupplicans. Nocte ſubſequente expergiſcitur juvenis; & altè vociferans ait: juxta balneum in quo ſum lotus, fratrem Carmelitam vidi, ad cujus aſpectum exterritus, conatus ſum è lecto me levare, ut fugerem, & ecce eram membris omnibus ſanus, & jam expeditus ad loquendum.

CAPUT IV.

Tria mirabilia facta ad ſepulchrum S. Angeli.

1575. PRimum, quòd ex ſepulchro, & quaſi ex ore ipſius S. Angeli germinaverit pulchrum lilium, quod quoties reciſum, ranaſcebatur. Eâ occaſione fuit corpus elevatum, & arcæ honeſtiſſimæ impoſitum. Secundum, quòd poſtea ex loco ſepulturæ fons emanaverit aquæ, odoris ſuaviſſimi, ſubindè etiam oleum reddens. Tertium, quòd die 5. Maji, feſto ipſius Sancti, aqua fontis illius, quandoque etiam pariter & oleum, plus ſolitò, excreſceret & plurimi aquâ illâ loti, aut oleo uncti, ſanitatem receperint. *Sed iſtorum omnium relatio facta eſt à Thoma Bellorofio hic ſupra, ſub finem vitæ. De fonte illo videatur quoque Mantuanus hic ſupra & de eo ſubinde ſermo redibit in ſequentibus,*

V. MAII

CAPUT V.

Leocata ab invaſione Turcarum liberata, & Cives duo à ſervitute meritu S. Angeli.

Sanctorum interceſſio miranda.

1376. QUanti valeant apud Deum Sanctorum preces, quàm ſit efficax interceſſio, patet quidem ex miraculoſis infirmorum curationibus, cùm & è mortis faucibus extrahunt; nihil tamen minùs elucet, dum nos eripiunt è manibus hominum, quos experimur ſæpè ſæpiùs peſte deteriores, & feris ipſis ferociores. In hoc protectionis genere non minùs ſuppetias tulit S. Angelus iis, qui ejus opem implorârunt, quàm in neceſſitatibus aliis. Eventum unum aut alterum pro multis hic apponam, ne Lectori ſim gravis. Nocte unâ ante feſtum S. Angeli navis Turcica littus arripuit ad 5. leucas ab urbe Leocata; & caſu cives duo Leocatenſes Franciſcus de Labiſo, & Franciſcus de Antonino, capti ſunt à Turcis, navim conjecti, factique mancipia. Navi ſolutâ iter ſuum proſecuti, ſummò manè ad caſtrum Leocatæ appellunt, & cùm audirentur à Turcis tormenta bellica, petunt à duobus iſtis Chriſtianis: in quem finem tam crebra fieret exploſio; eiſque reſpondentibus die illô totam Civitatem exultare lætitiâ & jubilô in ſolemni feſto S. Angeli, cùm & ſacratiſſimæ ejus Reliquiæ ſupplicatione publicâ quotannis efferuntur à Civibus, qui Sanctum illum habent Patronum, & mirabilem Protectorem. Ad hæc contemptim ſubridendo dixerunt Turcæ: & vos ſanctum invocate, qui vos protegat & eripiat è manibus noſtris. Miſeri interim noſtri ſub catenarum pondere gementes ex imo corde ſuſpiria trahentes, ad ſanctum Protectorem vota, preceſque dirigunt, & ex improviſo ſupervenit claſſis Maltenſium, qui Syracuſis navigabant versùs Leocatam, idque tam opportunè, ut Turcis non daretur effugium, dicerentque jam tum Chriſtianis iſtis duobus: Sanctus veſter fecit miraculum. Vos modò eſtis liberi, nos autem mancipia. Et ita factum eſt, nam captâ navi duo Chriſtiani evaſerunt liberi, & Turcæ, quotquot inerant, in ipſa vincula ſunt conjecti.

Patet in S. Angelo.

Ubi duos Cives Leocatenſes protegit. Capti ſunt à Turcis.

Turcæ videntes Chriſtianorum Leocatæ jubilum & devotionem in feſto S. Angeli.

Duo mirabiliter è vinculis erepti.

Turcæ in ea conjecti.

S. Angelus protector Leocatæ.

1377. Sed ad majora progredimur, & evidentiora protectionis aſſiduæ S. Angeli, non modò erga Leocatenſes aliquot incolas, ſed totam Civitatem adferimus ſigna. Erat in mari Siciliæ cum octodecim triremibus Dragut Rais inſidiator notiſſimus, & cùm intenderet hoſtili impetu Leocatam obruere, præmiſit Turcas, qui naviculis ad littus pertingerent, ſed jam approximantes ad canalem, viderunt Religioſum Carmelitam ſupra petram ſedentem, Qui piſces hamo captabat, & ipſis dicebat: quò tenditis Chariſſimi? an non totam Civitatem in armis intuemini? Aſpexerunt illicò Turcæ, & ecce apparuit illis Civitas in flammis, & circumquaque in terra imminere equitum cohortes. Retulerunt viſum ad Dragut, & ipſe etiam videndi cupidus, propiùs navi acceſſit, & ſic eſſe oculis clarè percepit, & S. Angelum muris Civitatis inſidentem, & Cives ad ſtrenuè propugnandum ferventer excitantem conſpexit, quò viſò conſternatus, & attritus, confeſtim abſceſſit. Sed eæ nec primæ vices ſunt nec ſolæ: ſiquidem ſæpiùs anteà ſe fidelem Leocatæ propugnatorem, & ſolicitum Gubernatorem oſtendit, cùm eam contra Turcarum & piratarum invaſionem munivit, & non ſine inſigni miraculo protexit.

Turcarum inſidias detegit.

invaſionem impedit.

CAPUT VI.

Apparitiones S. Angeli, à periculis ſalvantis, & morbos varios ſanantis.

1378. ENtinora uxor Antonii Smecca, febri ardentiſſimâ tenebatur non ſine evidenti mortis periculo. Doctores Medici, cùm arte ſolâ non poſſent juvare, oleum ſacratum, & aquam de fonte S. Angeli adhibent, medicamentis præparatis ea commiſcendo. Nocte adſtitit infirmæ S. Angelus, eique dixit: ſanitatem recuperaſti: atque ita ſtatim diſparuit Sanctus, & mulier ab infirmitate eſt liberata. Joannes Baptiſta de Orlando, ætate annorum duodecim, caſu fortuito lapſus eſt in altum puteum: in fundo putei erant accumulati duriſſimi lapides; in caſu S. Angelum invocavit, quem ſtatim adeſſe vidit extendentem pallium, quod ante deciderat, quò ceu lectô molli cadentem excepit. Mirum ſanè! in pedes erectus ſaxeum fundum leviter tetigit, & ſine læſione vel minimâ ex profundo extractus fuit. Angelus Lixi, puer ſeptem annorum graviter infirmatus ex ruptura, monitus ab avia invocare S. Angelum, & petere ſanitatem, ſubitò curatus fuit. Palmerinus, Angeli Spatolæ filius annorum quinque eâdem infirmitate preſſus, cùm ſemel in templo S. Angeli cum pueris coætaneis ageret, ibi ex integro ſanatus fuit.

Mulier febri laborans oleô & aquâ S. Angeli refecta.

Adoleſcens 12. annorum in gravi lapſu S. Angelum invocans eòdem præſervatur viſibiliter à morte.

Puer ab hernia ſanatus.

1379. Antonia, Petri Falconis filia ita puſtulis circa guttur exurebatur, ut ex inflammatione nimiâ penè ſuffocari ſit viſa. Remedia hominum ſæpius tentata nihil proderant; ad fontem itaque S. Angeli aquâ fontis collum iteratò lavit, oleôque lampadis inuncta ad pedes S. Angeli ſe projecit; nocte in ſomnis ei Sanctus apparuit; ad collum ejus manum extendens, ſigno Crucis ſignavit, atque ita diſparuit: ipſa paulò pòſt ſuperabundans gaudiô, perfectam habuit ſanitatem.

Puella inflammato gutture diu cruciata medetur.

CA-

V. Maii.

CAPUT VII.

Favores alii, & Miracula S. Martyris in extremis neceſſitatibus & eventibus.

Gratia miraculorum ſcientias noſtras & artes naturæ longè ſuperat.

1380. GRatia miraculorum Sanctis à Deo collata, in hoc præ cæteris ſcientiam medicam & naturæ artem vincit, quòd hujus remedia quantumvis præſtantia ſint & arcana, determinata ſint ad certos morbos, quos curare modò valeant, ſi contingat ſortiri effectum. Sanctorum verò, quæ miſeris applicant, media, cùm à Dei Omnipotentia virtutem accipiant, deſtinata ſunt ad omnigenas infirmitates ſanandas, ſine ulla artis, aut naturæ interventione. Manifeſtum hoc redditur in Angelo noſtro, ſiquidem interceſſione ipſius dignatus ſit Deus, tot & tam præclara omnis generis miracula operari.

Ratio eſt evidens in S. Angelo

Puerum in fontem illapſum à ſubmerſione mirabiliter conſervat.

1381. In vigilia S. Angeli mirabile iſtud evênit: Michaël de Labiſo infantulus in fontem in Eccleſia S. Angeli incidit, & ſupra aquam quievit donec extraheretur intactus. Infans narravit à Religioſo Carmelitâ manu ad pectus ſupra aquas ſuſtentatum ſe, ne ſubmergeretur. Horatius Contrera, puer quinque annorum, confractâ tibiâ dextrâ in debilitate maxima præſens remedium ſenſit; nam ſtatim atque ad Sancti corpus fuit à parentibus delatus, illicò deperditas vires recuperavit, & curatâ plenè tibiâ factus eſt ſanus. Quàm feliciter ceſſit Michaëli de Labiſo; ipſe cum aliis lapides & materialia congerebat ad fabricam pro Eccleſia S. Angeli; & cùm in terram cecidiſſet, rapidiſſimè rota currus ſupra caput & tibiam dexteram fuit voluta. Sanctum noſtrum ut invocavit, illæſus permanſit.

Alium fractâ tibiâ valde infirmum reddit vegetum.

Alterum à mortis periculo liberat.

Leocatæ ad Sancti Reliquias miracula communia.

1382. Innumera hujuſmodi beneficia Leocatenſes recipiunt indies, ad S. Angeli ſacratiſſimas reliquias, ut ad azylum tutiſſimum confluentes, vidimus ſuprà, peſte graſſante iterum habent liberatorem anno 1575. eâdem totam civitatem depopulante. Quanta ſit hujus noſtri Angeli ſanctitas, non rarò patuit in ſæviſſima maris tempeſtate, cum injectione ſolùm particulæ ligni in quo ſepultum fuerat corpus viri Sancti, viſi ſunt repentè fluctus ſubſidêre, totumque reddi tranquillum. Quoties non ſuccurrit hominibus equô delapſis in præcipitium, quos ſervavit illæſos ad fæliciter perficiendam viam, invocatô dumtaxat aut cogitatô ejus nomine?

Iterum à peſte liberat.

Maris procellas ſubitò compeſcere viſum.

Equo delapſis frequens ſuccurrit.

CAPUT VIII.

Mortui reſuſcitati, cæci illuminati, aliique à morte præſervati.

1383. SAlvator noſter poſt legationem ſibi factam à S. Joanne Baptiſtâ Præcurſore, per Diſcipulos, ut mundo divinitatem manifeſtaret, & veritatem miſſionis a Patre; reſpondit operibus, cæcos illuminandò, mortuos reſuſcitandò, &c. Angelo noſtro ſi regulam hanc adaptemus, ut de miſſione ejus conſtet, facilè patebit, eam à Deo eſſe, cùm & ipſe opera Dei faciat. Duo ſimul miracula, quia paria, unô verbô abſolvam: Marchioniſſa Gibellina, uxor Vincentii Vaſalli Maltenſis, & Franciſca Franciſci Julivi filia, utraque cæca Sancti noſtri Angeli precibus viſum recuperaverũt. Par alterum breviter connecto: cum in ſupplicatione per urbem Reliquiæ Sancti ſolemniter deferrentur, illuminati ſunt pariter Marſius Cumbus, & Joannes Angelus Vitrera, admoventes ad oculos roſarium, quod à S. Martyris Reliquiis fuerat contactum. Idem beneficium conſecuta eſt Agatha de Trepano cæca, cùm indutô ex devotione Carmelô-Marianô habitu, accenſam facem manu ferens ad Sancti templum, lumen oculorum quod petivit, ejus meritis exoravit.

Miſſio à Deo operibus comprobanda.

Ita fecit S. Angelus.

Cæcis dat viſum.

1384. Mulier quædam, nomen ei erat Flavia, uxor Matthæi Reciputi prægnans, cùm jam tres dies continuos detenta fuiſſet in acutiſſimis partûs doloribus, ſanguinem in tanta copia emiſit, ut jaceret languens penè exanimis, & deſperata à Medicis, illorum ſuaſu de cœlo auxilium, & robur imploravit. utque animæ ſuæ bene eſſet, ſanctis Eccleſiæ Sacramentis muniri voluit, uti & plenâ fide fecit. Dies erat S. Angelo ſacer, ipſâ ardenti cum affectu ſanctitatem ejus interpellavit, & ſtatim ut fuit oleô lampadis ejuſdem ad ſinum inuncta, filium peperit mortuum, quem illicò votis reſumptis Sancto noſtro impensè commendatum fecit, & vix tribus pôſt horis vivum recepit, baptizari curavit, eique nomen Angelus inditum fuit: plenaque ſanitas puerperæ reſtituta.

Mulieri deſperatæ in partu ſubvenit.

Puerulo mortuo vitam reddit, & puerperæ ſanitatem.

1385. Hiſpanus aliquis in ruina domus, quæ caſu illum obruerat, præter omnium opinionem repertus eſt vivus; eò quòd eôdem momentô ſe noſtri Sancti meritis commendaſſet. Sæpius etiam contigit homines inundationibus ſubmerſos fuiſſe reductos S. Angeli intercedente virtute, cui ſe plenâ fiduciâ commiſerant periclitantes. Alios ſcimus ereptos à manifeſtiſſimo naufragii periculo, contritâ, & demerſâ in profundum navi. Aliquos Taurorum cornibus impetitos, & graviter læſos, fuiſſe illicò liberos & ſanatos. Plurimos navigantes è Turcarum perſequentium manibus ſervatos legimus, & bonum acceptum omnes attribuiſſe interceſſionibus noſtri Sancti.

In periculis à morte præſervat.

Inundatione abſorptos ad vitam revocat.

A naufragio, à taurorum impetu liberat & a Turcarum perſecutione.

CAPUT IX. *De Leocatenſium conſtanti devotione erga S. Angelum: de feſto celebri, & ſupplicatione ſolemni, & miraculis in eorum favorem patratis.*

CAP. X. *De honoribus S. Angelo Leocatæ exhibitis.*

CAP. XI. *De cultu S. Martyris in urbe*

 Panhor-

V. Maii. *Panhormitana, ubi in Patronum & Protectorem delectus, celebratur ſolemni feſto.*

Iſta omnia continentur in Actis authenticis, producendis hic paulo poſt, & ad diem 27. Auguſti: ubi de variis tranſlationibus S. Angeli.

CAPVT XII.

Concluſio cum reflexione morali, & chronologica ad vitam S. Angeli, & quomodò iteratis vicibus apparuerit B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi.

S. Angelus magna charitate, & fedulitate in brevi explevit tempora multa.

1386. SEdulum in Dei cultu Angelum admiramur, cùm obſequia à charitate, annos à vita, & labores à martyrio æſtimamus. Charitas ea magna eſt, quæ totum pro Deo impendit. vita longa, quæ tota ejus ſervitio exponitur; martyrium illuſtre, quod conſtans eſt, & à tam prompta voluntate. Ardor charitatis ſcintillat in auſteritatibus ejus, jejuniis, macerationibus corporis, arctiori ſolitudine, in vigiliis, & orationibus aſſiduis. Sanctitas vitæ prominet in peregrinationibus ejus, prædicationibus, converſionibus, & miraculis. Vitam ejus brevem dicimus ſi annorum numero menſuremus; nam ſi ejus ætatem ſupputemus ex ante relatis, liquet, non ultra 35. annos & aliquot dies fuiſſe provectam: ad calculum veniamus, ſi lubet. In vita deſcriptum eſt ſupra S. Angelum noſtrum ætatis 28. anno miſſum è Carmelo Jeroſolymam, ut ad ſacerdotii gradum promoveretur, annus iſte ſalutis erat 1213; & ab iſto tempore non ſuper-vixit pluſquam annis ſeptem, donec martyrio vitam finivit 1220... Ut verè de eo dicamus, quòd conſummatus in brevi nimis, expleverit tempora multa, ſi tam multa geſta heroica & prodigioſa in vita ejus conſideremus.

Virginitatem ſingulariſſime coluit;

1387. S. Angelus eximiis cœli favoribus exaltatus fuit ad tam eminentem ſanctitatis gradum, excelluit gratiis, & virtutibus, ſed præ cæteris, virginitate, quæ ad gloriam martyrii præcipuum facit ornatum. Virtus ea Angelica, quam Sanctus noſter totâ vitâ tam ardenter adamit & coluit, oſtendit, quo in pretio ſit habenda apud eos, qui ſpretis ſæculi voluptatibus, & illecebris, ad Deum converſi, caſtè vivere deſiderant, ſed potiſſimùm apud illos, qui decorati ſunt titulo filiorum Deiparæ Virginis, & ſub vexillo candido ſanctæ Matris Mariæ de Monte Carmelo fideliter militant. Idcircò, ni fallor, S. Maria Magdalena de Pazzi, Ordinis noſtri monialis, lilium puritatis incomparabile, hanc petiviſſe à ſponſo cœleſti gratiam, ex æmulatione quadam dictæ virtutis, aut certè ſympathia aliquâ ſpirituum & humorum, ut ei liceret videre glorioſum noſtrum Martyrem & Virginem Angelum, atque ita ei conceſſum, duabus vicibus: primò quidem, cùm in extaſim rapta, Chriſtum Dominum cùm S. Angelo obvium habuit, à quo & accipere Coronam ſpineam meruit... Iterùm B. Virgini Pazziæ viſus ad votum glorioſus Angelus; initio quidem in conſortio Regis Martyrum & Virginum Chriſti Jeſu; deinde ſolus ipſe, confortans eam, ſpem faciens de felici ad ſalutem ſucceſſu in omnibus: ſed in tanta utrobique apparebat gloria, ut ſplendorem Virgo ferre non poſſet, unde rapta eſt extra ſe, & in tantum accenſa amore erga Sanctum, ut præcipuum ſibi Patronum elegerit, conata deinceps tam perfectè imitari, ut vitâ ſuâ ſanctiſſimâ, & frequentibus miraculis non parùm contulerit ad Ordinis noſtri, & totius Eccleſiæ ornamentum.

ideo ipſum peculiariter coluit S. M. Magd. de Pazzi.

& plures per eum accepit gratias;

1388. ANNOT. *S. Maria Magdalena de Pazzi plures alias gratias meritis S. Angeli accepit, relatas in vita ejus prolixiùs ſcripta, & quidem in Latina (a) libro 1. ſic paucis varia exprimuntur.* Coronam ſpineam coram S. Angelo Carmelita Martyre, SS. Auguſtino, & Catharina Senenſi, obtinuit à Jeſu. Item coram eodem S. Martyre, & S. Catharina Senenſi ſanctæ Virgini ſuum Jeſus cor donavit anno 1585. 12. Maji, cum quibus pariter Sanctis eodē tempore Completorium cantavit Magdalena. quo terminato, ſequentes immediatè ſubjecit in idiomate Latino verſiculos, audientibus omnibus. ORA PRO NOBIS SANCTA DEI GENITRIX: ORA PRO NOBIS S PATER ANGELE: ORA PRO NOBIS SANCTA MATER CATHARINA. Iterum anno 1585. Menſe Junii, in extaſim elevata horarum quinque, coram S. Angelo Martyre, SS. Auguſtino, & Catharina Senenſi, quatuor efficacia ſibi revelari vidit à ſponſo Jeſu puritatis acquirendæ media. præter alias intelligentias: quando & S. Angelum PURI, & S. Auguſtinum VERACIS, & S. Catharinam DILECTÆ titulo condecoravit. Ab eodem pariter S. Martyre 1594 die 18. Decembris varias hauſit circa humilitatem, & paupertatem notitias, in medio S Angeli, & S Ignatii, Fundatoris Societatis Jeſu. *Ibi conſequenter, & alibi, aliæ gratiæ per S. Angelum ei collatæ referuntur.*

(a) per P. Fortunatum à S. Jacobo.

præcipua aliquot referuntur.

MIRACVLA

Et beneficia miſericordiâ Domini, intercedente S. Angelo, Virgine & Martyre, Sacerdote Carmelita Ieroſolymitano, Protectore civitatis Leocatæ in iſta Curia ſpirituali, ſolemni teſtificatione, deſcripta:

Ex authentico apographo hîc relata.

CAPVT I.

Miracula S. Angeli olim per notarios Leocatæ in magnis voluminibus ſcripta: novum volumen confectum anno 1628. ejus authenticum miſſū in Belgiū: & inde extracta ſequētia.

1389. *ARnoldus Boſtius in Speculo hiſtoriali libro 8. deſcribens vitam S. Angeli, cap.*

S. Angeli meritis facta miracula olim in magnis voluminibus deſcripta:

cap. 9. iſta tradit: Quæ quotidie Deus in loco ſepulturæ ejuſdem Martyris miracula operatur, per oppidi Notarios in voluminibus magnis conduntur. *Eadem leguntur in compendiaria vita, ex veteri MS. Trajectino S. Salvatoris, nobis quondam communicato à RR. PP. Ioanne Bollando, & Godefrido Henſchenio Societatis* Jesu, *atq; etiam in vita quæ unà cum primigenia, ab Enoch Patriarcha conſcripta, typis edita fuit Bruxellis anno 1665. ubi iſta.* Miracula, quæ continuè operatur Deus in loco ſuæ ſepulturæ, per Notarios oppidi in magnis voluminibus oſtenduntur ſcripta, nec valent faciliter recitari.

Vide hic paulò infra num. 1393.

Miraculorum iſtorum antiquorum frequens mentio eſt in relationibus, & teſtimoniis juratis, de quibus mox; & quidem de voluminibus, in quibus deſcripta fuerunt, his verbis (a): ut eorum diſtinctior memoria apud poſteros extet . . . ſimul ad reſuſcitandam memoriam antiquiorum miraculorum, ac beneficiorum, quorum notitia perierat, conſumptis libris, in quibus ipſa deſcribi ſolebant. *Teſtis LVII. in relationibus iſtis (de quibus ſtatim)* Angelus Mortillino, ætatis annorum centum unius: *& teſtis XLVI.* Antonius Streva, ætatis annorum LXXIV. *teſtati ſunt; quòd à ſuis parentibus, & etiam antiquioribus ſæpius intellexerint, quod olim, & ſemper continuata, & quaſi innumera miracula, meritis S. Angeli, Deus operatus ſit: & peculiariter, quòd anno 1575. (ſicuti & 1624.) Leocata à peſte liberata fuerit (illud de Leocata à peſte liberata anno 1575. plures alii memorant.) Leocatam mirabiliter aliàs per S. Angelum liberatam ab invaſione Turcarum, audivimus jam ante; de quo adhuc ſermo erit in ſequentibus: & quòd non ſemel, ſed ſæpius id acciderit. Anno autem 1553. Leocatam aggreſſi, & ingreſſi, Eccleſias omnes combuſſerunt, aut ſpoliaverunt; non tamen auſi aggredi Eccleſiam S. Angeli. Propter tam frequentia miracula, abhinc annis ferè ducentis (anno 1486.) facta fuit ſolemnis tranſlatio ſacri ejus corporis, ſicut conſtat ex Tabulis, ſeu Actis publicis Leocatenſibus; in quibus iſta:* Sit cuncto populo Chriſtiano notum & manifeſtum, quòd hodie die 7. Auguſti, Indict. . . MCCCC. LXXXVI. regnantibus Beatiſſimo Summo Pontifice Innocentio Papâ VIII & Sereniſſimo Principe, & Illuſtriſſimo Domino noſtro D. Ferdinando inclyto Rege Caſtellæ, Aragonum &c. Ad laudem ſanctæ, & individuæ Trinitatis, gloriam & honorem glorioſiſſimi Martyris S. Angeli, Ordinis Carmelitarum, fuit glorioſiſſimum corpus tranſlatum in præſente arca argentea . . . in qua Tranſlatione intervenerunt multi ſpectabiles magnifici, & egregii viri regni &c. *De Tranſlatione iſta, & aliis peculiariter agetur infra, ad diem 27. Auguſti. Illud igitur teſtatiſſimum eſt, quòd olim, & ſemper* plurima, & quaſi continuata miracula, meritis S. Angeli, facta fuerint: & quòd olim per oppidi Notarios in magnis voluminibus ſcriberentur.

ejus corpus an. 1486. tranſlatum ad novam arcam argenteam:

(a)

Leocatenſium pietas,

1390. *Hinc patet, quanta olim pietas fuerit Leocatenſium ad S. Angelum, tanta ſedulitate, & expenſis publicis, miracula ejus meritis patrata ſcriptis commendari curantium. Sed (quod magnoperè dolendum) volumina illa, temporum injuriâ interierunt (ſicut jam ante audire cœpimus) jacturam autem reparare ſtuduerunt, dum anno 1625. (& ſequentibus) occaſione ſingulariſſimi beneficii, meritis S. Angeli, tunc Leocatenſibus præſtiti, liberationis, & præſervationis à peſte (prout etiam hîc ſuprà cœptum dici, & mox latiùs) ad Magiſtratûs Leocatenſis inſtantiam, ac expreſſam Curiæ Spiritualis ordinationem, factis diligenter & accuratè informationibus: & auditis juratis teſtimoniis, pluſquàm centum, miracula recentiora, atque etiam vetuſtiora, quorum ſuit memoria, ſcripto tradita ſunt & relata in Tabulas publicas. ad perpetuam poſterorum memoriam. Facta autem ſunt informationes illæ juridicæ, tempore trium annorum, duobus, & menſibus partim continuis, partim interpolatis; & tandem omnia in uno volumine ſunt deſcripta ſignata, & ſigillata.*

& ſingularis ſtudium,

circa miracula S. Angeli

quæ in uno volumine conduntur:

1391. *Exemplar miraculorum iſtorum teſtimoniis juratis RR. DD. Canonicorum, & aliorum Sacerdotum, Doctorum utriuſque Iuris, Doctorum medicinæ, atque aliorum, pluſquàm centum, relatorum & aſſertorum, ſignatum, & ſigillatum, fuit etiam tranſmiſſum Romam, & ibi aſſervatur in archivo Ordinis, in Conventu S. Mariæ Trans-pontinæ: inde autem apographum omnium iſtorum miraculorum confectum, & cum iſto exemplari ex Sicilia miſſo, collatum, & authenticum declaratum, per R. A. P. Seraphinum à Ieſu Maria, Carmelitanæ Provinciæ Scoticæ Provincialem, tranſmiſſum fuit Antverpiam. Cùm verò iſta quantumvis præclara ſint, & authentica, operis hujus noſtri ratio, ne in magnam nimis molem excreſcat, non ſinat omnia ſigillatim, & ad longum commemorare; quædam dumtaxat præcipua adferentur: nonnulla autem jam ante præceſſerunt ex Reverendiſſimo P. Philippino, qui veriſimiliter ex eodem fonte deprompſit. Voluminis iſtius titulus idem eſt, qui jam præceſſit, videlicet:* Miracula, & beneficia, miſericordiâ Domini, intercedente S. Angelo, Virgine & Martyre &c. ſolenni teſtificatione deſcripta *Dicitur* Miracula; & beneficia; *intentum enim illorum, qui volumen iſtud confecerunt, & relationes teſtium exceperunt, fuit, invigilare, ut omnia verè, prout contigerunt, referentur, & regiſtrarentur: non autem decernere & determinare, quæ ex illis verè miracula, & quæ dumtaxat beneficia, & gratiæ ſint; cenſuram illam altiori tribunali relinquentes, & diſcreta pietati fidelium ex ipſis eventis, & circumſtantiis committentes: & ita nos.*

Exemplar authent. miſſum in Belgium:

1392. *Initio ponitur libellus ſupplex ſpectabilium Dominorum Franciſci Figueroa, Franciſci Averna, Nicolai Serravilla, Hieronymi de Caro, Iuratorum, & Franciſci Averna, Syndici ac Præfecti, tamquam Patrum iſtius civitatis, ſuo, & omnium civium nomine, ad Illuſtrem, & Ad.m R.m Dom. Ioannem la Caruſo, Canonicum Agrigentinum, Viſitatorem generalem, inſtitutum per Reverendiſſ. & perilluſtrem Dom. Corradum Bevincontro, Vicarium Generalem Diœceſis Agrigentinæ, Sede vacante. In eo libello exponitur,*

V. Maii.

occaſio, & motivum conſecti iſtius voluminis

quod per protectionem, & interceſſionem glorioſi Martyris Angeli Leocata à peſte liberata fuerit, evidenti, & glorioſo miraculo; cùm ad eum vivâ fide, & firmâ fiduciâ recurſum haberent: & quòd ſub idem tempus varii generis miracula, & beneficia præſtita fuerint, meritis ejuſdem Sancti. *Propterea ſupplicant*, fieri juridicas diligentes informationes, & jurata teſtimonia de iſtis miraculis & beneficiis; ut præſentibus, & futuris conſtet de illis; ad majorem Dei gloriam, & honorem, ac venerationem ſui Protectoris S. Angeli, atque ad præſentium, & futurorum utilitatem, ac inſtructionem; ut magnâ devotione & fiduciâ, ac reverentiâ ſerviant S. Angelo, & ad eum recurſum habeant, Datum Leocatæ die 28 Augusti, octavâ indictione anno 1625. *Conſequenter, quòd & qualiter ille libellus ſupplex præſentatus fuerit in Curia ſpirituali Leocata, factaque proviſio ad iſtum libellum ſupplicem, atque alia juris ſolemnitates referuntur.*

ut eorum memoria extet apud poſteros:

1393. *Hic quoque ad propoſitum ſunt, quæ ſub finem iſtius voluminis, relationum, & atteſtationum ſcripſit Iacobus Marcî, Apoſtolicâ & Regiâ auctoritate Iudex ordinarius, atque Notarius publicus Leocata, qui omnes relationes de S. Angelo ſcripſit, ac tandem etiam adjecit ſuam, in qua iſta:* Quia tempore peſtis plurimi fuerunt, qui mediante Sancti interceſſione, varia miracula, gratias, & beneficia receperunt, ut eorum diſtinctior memoria ad poſteros extet. . per me ad hoc deputatum, prædicti teſtes uſque ad centum fuerunt excepti; ſimul etiam ad reſuſcitandam memoriam antiquiorum miraculorum, ac beneficiorum, quorum notitia perierat, conſumptis libris, in quibus ipſa deſcribi ſolebant. Qui quidem teſtes . . . auditi fuerunt cum ea diſquiſitione, & examinatione, qualem requirit negotii gravitas: ut autem exactiùs fierent omnia, & maturiùs excuti teſtimonia poſſent, duo dumtaxat quàvis die recepti ad teſtandum fuêre. Decrevit prætereà dictus Reverendiſſ. Vicarius Generalis, & injungendo mandavit Officialibus Sodalitatis ipſius Sancti, ut quoties deinceps coram eis comparuiſſent perſonæ fide dignæ, aſſerentes, ſe aliquod miraculum, aut beneficium accepiſſe à Sancto, eaſdem revelarent Curiæ ſpirituali, ut de iis ſumi, & deſcribi poſſent authentica teſtimonia, poſt congruam & diligentem facti diſcuſſionem. *Porrò quàm multa, & frequentia miracula, meritis S. Angeli; olim facta fuerint, & hiſce etiam temporibus fiant ſingulis annis, teſtatur Don Franciſcus Attardo Magiſter Notarius Curiæ ſpiritualis Leocata, his verbis:* Si autem anno MDCXXV. plura teſtimonia uſque ad centum excepta fuêre; id non ideò factum, quòd aliis annis abundaverint minùs gratiæ per S. Angelum impetratæ, ſed quòd eo anno ſpecialius obligatos eidèm ſe agnoverint Jurati civitatis, ob depulſam ſuperiori anno peſtem, & iſtud ſuæ gratitudinis monumentum extare voluerint poſteritati.

quàm accuratè examinata omnia.

1394. *Cùm autem Informationes illæ ſolemnes facta fuerint occaſione ſingulariſſimi beneficii, per S. Angelum præſtiti Leocatenſibus, liberatione, & preſervatione à peſte; hujus rei teſtimonium, atque etiam alia concernentia vitam, & miracula S. Angeli, ex Tabulis publicis deſumpta, anno 1665. mediante Adm. Rev. P. Paulo à S. Ignatio, Procuratore Generali Ordinis, ex Sicilia, à R. A. P. Dionyſio de Alphonſo Provinciali,* CARMELITANÆ PROVINCIÆ, *nuncupata* S. ANGELI; *in Belgium tranſmiſſa (quæ etiam in prædicto authentico volumine miraculorum S. Angeli inſerta ſunt) & ea hîc primo loco exhibentur.*

CAPUT II.

Leocata meritis S. Angeli à Peſte liberata; eam ob cauſam novi Templi constructio decreta, ac in beneficii memoriam novum Feſtum inſtitutum anno 1625.

Ex Tabulis publicis Leocatenſibus & præfatis Actis authenticis.

DEO OPT. MAX.

1395. INnumera planè ac propemodùm infinita ſunt, quæ ab univerſali rerum Opifice humano generi, & præſertim Chriſtianæ Reipub. (quam vultùs ſui lumine fidei liberaliter inſignivit) & collata ſunt beneficia, & conferuntur indies, ob quæ nullum dubium quin ineffabilibus ac perpetuis vinciamur nodis pro gratiis ipſi reddendis. Cæterùm præcipuum ferè omnium, quo ab omnibus ferè malis, nimirum Peſte, Fame, & Bello nos hujus Civitatis dilectiſſimæ liberamur, procul dubio illud videtur eſſe, quod Civitatem noſtram ſanctiſſimo Sacerdotis, Virginis, & Martyris Angeli Carmelitæ Hieroſolymitani corpore, uti incomparabili theſauro, decorare dignatus eſt: cujus quidem ea ſemper fuit & perpetuò erga nos ſingularis protectio, ut tanto patrocinio ſuffulti quàm plurima evaſerimus mala, quæ ceteros infeſtarunt; at cujus, obſecramus, preces libenter audiet Deus, ſi illius non audiat? qui (ut beatus Enoch Patriarcha Jeroſolymitanus ejus ſocius enarrat) fuit ex Regia Davidica ſtirpe, quâ Dei Verbum humanam carnem aſſumpſit. Mittamus eximiam vitæ ſanctitatem mittamus charitatem ineffabilem, quâ pro Deo animam ſuam poſuit: mittamus tandem innumera miracula, quæ ſcilicet, annuente atque opitulante Dei gratiâ, tum vivens, tùm poſt mortem glorioſè patravit; atque ad illud accedamus. quod ob ſui magnitudinem nec ſilentio prætermitti, nec æquis laudibus celebra

Corpus S. Angeli theſaurus magnus Leocata.

lebrari poteſt; illud dicimus miraculum, quod his recentioribus diebus huic Civitati evidentiſſimè demonſtravit. Cùm enim per plurimas hujus Provinciæ partes (ſic volente Deo) ob noſtra crimina, lethalis quidâm & infeſtiſſimus morbus (horret animus pertimeſcens ad aures mittere) circumquaque graſſaretur, & jam menſe Junio hæc ad nos peſtifera lues perveniſſet, ac firmiſſimas radices & fundamenta (ut putavimus) hac in Civitate jeciſſet, adeo ut abſque dubio in manus teterrimæ mortis jam nos omnes eſſe pro certo duxerimus, ſanctiſſimus Dei Martyr noſtras preces ſuſcepit, noſtræque cauſæ (licet immeritæ) eſt prævalidè patrocinatus; invaſit primò ingreſſu morbus ille peſtifer eam Civitatis partem, in qua ſanctiſſimi Præconis Eccleſia ſita eſt, eamque domum, quam inter alias Sancti Societas poſſidebat; quam rem indignè ferens & (ſi ita fari liceat) beatiſſimus Martyr repentè pro ſua Civitate validas effudit preces (ut credere fas eſt) ac radicitus omne virus eradicavit, fugavitque funditùs, ſicut etiam ab innumeris malis ſuam ipſius Civitatem indies liberat, atque divinæ opus juſtitiæ avertit: & quia ſatis certos nos eſſe duximus ejus precibus incolumes evaſiſſe, ac lethiferam luem propulſatam eſſe; ne tantum beneficium ingrati diſſimulemus, ac meritò criminis arguamur, volumus ut poſteris, uſque ad poſtremum orbis diem, tantum memoriâ teneatur beneficium, atque adeò in virtute præſentis verâ confeſſione, ac ſolemni teſtificatione id ipſum profitemur, ac cupientes utcumque gratos nos reddere ob tam memorandum beneficium ſanctiſſimo Martyri juxta mortalium vires feſtum non die quintâ Maji (ut moris eſt) ſed ſextâ decimâ Auguſti perpetuò celebrare, nimirum in memoriam eximii amoris, immenſique beneficii eò tempore nobis collati, ejuſdemque templum in quo ſui corporis ſepulchrum adeſt, pro viribus amplificare ſtatuimus & decrevimus. Hortantes omnes poſteros, & devotos cives, ut poſt hoc quolibet anno majori, quâ poterunt, ſolemnitate, & gaudio per totam Octavam tam glorioſi Patroni feſtum celebrare non deſinant, ut jam nos in hoc primo feſto initium damus: quæ omnia fient in honorem Dei Opt. Max. & ſui præfati Martyris, atque in memoriam talis & tanti miraculi: hortantes etiam ut omnes totò corde, tòtoque conatu, devotione, atque obſequiis tam glorioſi Martyris ad ejus preces, opem ac patrocinium in ſuis neceſſitatibus advolent, pollicentes eis in Domino, quòd ſicut prædeceſſores noſtri, & nos hujus Martyris interceſſione ab omnibus occurrentibus malis liberati ſumus, ita & ipſi liberabuntur, & ſemper: & pro hujus ſolemni feſti principio lætum diem agimus, gratias agentes Deo, ejuſque Martyri, qui fruuntur perpetuâ æternitate, Amen. Unde etiam futurum appareat, & tam ad inſtantiam dictæ civitatis, dictorumque ejus civium, quam aliorum, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum factus eſt præſens Actus ſuis die, loco, & tempore valiturus. Præſentibus pro teſtibus Sacerdote ſeculari Domino Angelo Mamuxia, Sacerdote ſeculari D. Didaco la Ferla. V. I. D. Franciſco Briſi, Archangelo d'Onolfo; Joanne Antonino de Gaci, Petro Collo, & Joanne Philippo Fontano. *In eodem Inſtrumento præſcribuntur variæ ſolemnitates faciendæ ſingulis annis feſto S. Angeli, & per totam Octavam, cum authoritate Reverendiſſ. D. Agrigentini, nec non Excellentiſſ. Proregis Siciliæ, & juxta tenorem Brevis Apoſtolici cum in finem impetrati:* In memoriam tam glorioſi Miraculi liberationis Patriæ a peſtifera lue; *ut ibi dicitur.*

Miraculis plurimus coruſcum.

Leocatenſium à peſte liberatorum pietas & gratitudo erga S. Angelum.

Exhortatio ad ſolemnizationem feſto S. Angelo.

1396. *Quomodò peſtis Leocatæ, meritis S. Angeli, fuerit ſubitò extincta, referunt teſtes jurati plurimi (quorum aliqui adducentur cap. 4. & ſeq.) Hic duorum teſtimonia audire ſufficiet. Dom. Horatius Sacerdos ſæcularis, artium & medicinæ Doctor, qualiter peſtis illata fuerit, & mox ad varia loca diffuſa, ita tradit:* Cùm peſtis eſſet illata in urbem per puerum, qui habitabat in atrio vici, à S. Angelo nominati, haud procul ab ipſa ejus Eccleſia, & patrimonio Venerabilis Societatis, ad ejus honorem collectæ; parentes pueri, timore juſtitiæ, & Magiſtratuum, celaverunt genus infirmitatis, omne illius judicium medico ſubtrahentes; & ne quid ſuſpicionis de ſua domo darent, admittentes in eam reliquos ſui atrii contubernales. Mortuo autem puero ex peſtilentia, accerſiverunt parochianos; atque confratres, curando funeri operam daturos: quò factum, ut non ſolum dilatatum ſit malum, ſed ubique adeò invaluerit, ut ex toto atrii illius contubernio, in quo viginti animæ numerabantur, duo dumtaxat in vivis manſerint: & ad alia quatuor, aut quinque loca civitatis illicò diffuſum malum ſit, quod mox agnitum eſt eſſe peſtilens. Populus ergo, ad implorandum Sancti auxilium ardentiſſimâ prece concurrit, decretumque inter alia eſt, ut unuſquiſque domum ſuam conſpergeret aquâ, ex benedicto fonte ſancti Protectoris hauſtâ, certaque gratia conſecuta eſt ſupplicantes: nemo enim extra contubernium illud extinctus peſte eſt, quamvis in urbe, & ſuburbio multos illa corripuiſſet: ex quibus tamen varii occultavêre malum, ne domeſtica ſua ſupplex, de more, combureretur; & ſolùm peſtiferos anthraces lavabant aquâ ſupradictâ, illique evaneſcebant, abſque contagio aliorum; quod prorsùs mirabile eſt, nec ullis humanis mediis adſcribendum. Et hæc ipſe ſcivit tamquam medicus, diligenter in ejuſmodi accidentia, pro publicæ ſalutis cura intendens, & inquirens.

quomodò peſtis illata fuerit,

& diffuſa:

& mox extincta,

1397. *De remedio, quo uſi fuerunt cives pro*

V Maii. *præſervatione à peſte, ſcilicet aquâ de fonte* S. *Angeli, teſtantur plurimi; ita quidem Iacobus Murci, qui omnium teſtimonia ſcripſit, ſic tandem ipſe ſuum ſubjunxit:* Relatio mea Notarii Jacobi Murci Commiſſarii ad hoc deputati, ætatis annorum quadraginta unius incirca, civis dilectiſſimæ civitatis Leocatæ, facta cum juramento ſuper infra ſcriptis, & toto facto interrogati: Dico ſcire qualiter (*poſt relata aliquot particularia miracula & beneficia ſibi, & ſorori præſtita, & de fonte aquæ ſcaturiente in Eccleſia* S. *Angeli, cujus aqua aliquibus annis movetur* (*ſimili modo, ſicut olim aqua piſcinæ probaticæ*) *& tunc potiſſimè varii ſolent infirmi curari, tandem iſta atteſtatur* (*ad præſens propoſitum*) Quòd cùm peſtis diſperſa eſſet in diverſis Leocatæ partibus, & ſuburbiis, ac diſtrictu circumcirca, Leocatani magna cum fiducia recurſum habuerint ad ſuum Protectorem S. Angelum, & ſumptâ aquâ de fonte præfato; ſe, & omnes partes domorum ſuarum eâ aquâ aſperſerint, & ſic peſtis ſubitò, & violenter repreſſa, & extincta fuerit. *Conſequenter hoc adfert epitaphium:* D.O.M. Anno partûs Virginis 1625. Indictione octavâ; menſe Junio, dilectiſſima civitas, protectione ſui Martyris, à mortifera peſte defenſa, incolumis fuit eruta: quod ut vivâ memoriâ poſteri teneant, verâ hic confeſſione profitetur, ejuſdemque templum pro viribus amplificandum decrevit, ne tantum ac glorioſum miraculum reticens, ſceleris arguatur ut ingrata.

ſubitò, & violenter

Epitaphiū, memoriale tanti miraculi.

CAPUT III.

S. Angelus Patronus & Protector Panhormitanæ Urbis eligitur anno 1626.

Ex Tabulis publicis Panhormitanis & præfatis Actis authenticis.

Beneficia per S. Angelum præſtita Panhormo.

1398. Conſiderans Illuſtriſſimus Senatus hujus fœlicis Urbis Panhormi, & præ oculis habens maxima Miracula facta per ſanctum Angelum Martyrem Ordinis Carmelitarum, & nonnulla beneficia per eum exhibita huic Urbi Panhormi, & præſertim quòd apportaſſet quandam imaginem Deiparæ, manu divi Lucæ Euangeliſtæ, ad præſens in Metropoli Panhormitana Eccleſia conſervatam, & veneratam, & in rebus turbulentiſſimis opem tuliſſe, ac Panhormi dictum Sanctum magno animi ardore & conſtantiâ ad fidem Chriſti ducentos & ſeptem Judæos convertiſſe, Gotfredúmque Archiepiſcopum Panhormitanum, gravi morbo laborantem ſanaſſe; ſeptem leproſos à lepra in balneis Cifalæ mundaſſe, & ad ſanctam pœnitentiam eos reduxiſſe coram dicto Gotfredo Archiepiſcopo, & centum triginta aliis hominibus: ultra alia multa & magna Miracula per eundem Sanctum in toto Orbe terrarum peracta, & præcipuè in anno præfato civitatem Leocatæ liberavit à morbo contagioſo, & alia Miracula facta in dicta Civitate: decrevit Illuſtriſſimus Senatus pro ſua devotione erga dictum Sanctum, & ad inſtantiam Reverendi Patris Magiſtri Salvatoris, S. Theol. Doctoris; & Vice-Provincialis ſacri Ordinis Carmelitarum in hoc Siciliæ Regno & Urbe Panhormitana, inſtantis &, petentis tum apud Illuſtriſſimum D. Cardinalem ab Aurea Archiepiſcopum Panhormitanum, & locum-tenentem pro ſua Catholica Majeſtate in hoc Siciliæ Regno; tum etiam apud Senatum ipſum, ut dictum S. Angelum in Patronum & Protectorem ipſius Urbis acciperent, ut cum aliis Patronis jam electis per eundem Senatum in hac potiſſima neceſſitate morbi contagioſi in ſui ipſius perpetuam tutelam apud Deum intercedere dignetur. Ideò Illuſtriſſ. ipſe Senatus vi præſentis Actûs elegit, & eligit, atque nominavit, & nominat in Patronum & Protectorem dictum S. Angelum; quem inſtantiſſimè rogavit, & rogat, ut dignetur pro ejus clementia ſub ejus patrocinio, protectione, & tutela Urbem ipſam, ejus Cives & Habitatores accipere, & pro eadem Urbe apud Deum Opt. Max. & Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM intercedere pro liberatione mali contagioſi, ut penitùs extinguatur, & ad priſtinam ſanitatem reducatur prout ſperat. Statuit inſuper Senatus ipſe, quòd in ſignum hujuſmodi, protectionis, & patrocinii; ac devotionis quòlibet annò in perpetuum in feſto dicti S. Angeli Patroni celebrando in Eccleſia divi Nicolai, Ordinis Carmelitarum in Plano, vulgò dicto delli Bologni, fieri & dare debeat quatuor faces rotulorum duorum pro qualibet face ceræ albæ ad honorem & gloriam dicti S. Angeli Patroni ad expenſas Univerſitatis ipſius Urbis de ſumma pecuniarum, quas expendere poteſt quolibet anno juxtà formam Capitulorum pragmaticalium & aliorum actorum, factorum, & faciendorum, &c. de mandato Illuſt. D. Franc. Agliata & Paruta Principis Villæ Francæ, & D. de Sale, Prætoris hujus Urbis Panhormitanæ, Marci Antonii Gaſcone, D. Simonis Pariſi Baronis Miloccæ; Gaſparis Agliata, D. Vinc. Sandolina, & D. Caroli de Termine, Juratorum Senatum repræſentantium, oretenus mihi Andreæ Hanghetta Actuario factus eſt præſens Actus 4. Maji 1626.

1399. *Et iſta hactenus tum ex Tabulis publicis Panhormitanis, ac Leocatenſibus; tum ex præfatis Actis authenticis Relationum, & teſtimoniorum de S. Angeli miraculis. Reverendiſſimus P. I. Antonius Philippinus, in vita S. Angeli, ubi*

le

V. Maii *de ejus miraculis, peculiariter agit de Panhormitana urbis pietate erga* S. *Angelum, atque ejus cultu ibi:* Applauſit (*ſcribit, inter alia*) & laudavit hanc civium pietatem Eminentiſſ. Dominus Cardinalis Doria, Archiepiſcopus Panhormitanus, volens concurrere, & promovere, edicto publico juſſit in perpetuum, ut die ejus feſto, omnes Eccleſiaſtici, tam Regulares, quàm Sæculares utriuſque ſexûs, ſingulis annis Officium duplex de Sancto noſtro perſolverent, & Sacerdotes Miſſam de Martyre celebrarent, in ejus honorem, uti ſemper eſt factum, & fit hodie in noſtra Religione. *De Beneficiis, tempore peſtis, Panhormi in variis perſonis, per aquam de fonte S. Angeli in vaſcul sed delatam, & de Marchioniſſa Gibellina Panhormi à cæcitate liberata per illam aquam, agetur infra; cap. 6.*

CAPUT IV.

Ex Relationibus juratis teſtium ultra centum, prima tota & duæ ſequentes compendioſiùs deſcriptæ.

Actus ſolemnis ante examen teſtium, de miraculis S. Angeli:

1400. R*Elationibus iſtis juridicè factis per teſtes juratos, hæc præmittuntur:* Teſtes recepti & examinati per curiam ſpiritualem hujus dilectiſſimæ civitatis Leocatæ, & per me Notarium Jacobum Murci Commiſſarium ad hæc deputatum, & de ordine & mandato Illuſtris & Adm. Rev. Sacerdotis Don Joannis la Cartia Canonici Agrigentini; Viſitatoris Generalis Illuſtris & Reverendiſſimi V. J. D. Don Corradi Bonincontro Sacerdotis Canonici Agrigentini Abbatis Potentini, & Vicarii generalis Diœceſis Agrigentinæ, Sede vacante . . . ad petitionem, & inſtantiam ſpectabilis Don Franciſci Figueron, Franciſci de Averna (quondam Joſeph) Nicolai Serravillà, & Don Hieronymi de Caro Juratorum, & Franciſci de Averna (quondam Vincentii) Præfecti & Syndici hujus prædictæ civitatis, virtute memorialis ipſorum ſpectabilium Juratorum Præfecti & Syndici decretati per eundem Illuſtrem & Admod. Reverendum Viſitatorem generalem, quòd recipiantur teſtes; die 28. menſis Auguſti proximè præteriti, cum præſentia & interventu Reverendi Sacerdotis V. J. D. Don Julii Bennici Vicarii foranei hujus prætactæ civitatis, ac Delegati ad infra ejuſdem Illuſtris & Admod. Rev. Viſitatoris generalis virtute actûs facti in actis Curiæ prædictæ, die 30. ejuſdem Auguſti proximè præteriti, ac cum præſentia, & interventu Rev. Sacerdotis Don Andreæ Lombardo Advocati Fiſcalis dictæ Curiæ: & hoc ad verificandum infra pro majori Dei gloria ejuſque Sacerdotis Virginis & Martyris S. Angeli Carmelitæ Jeroſolymitani, protectoris hujus prædictæ civitatis. *Quales autem fuerint teſtium relationes, & qua formâ factæ, hic conſequenter in aliquot exemplis audire convenit, incipiendo à relatione prima, quæ talis eſt.*

Relatio I. de mirac. S. Angeli

1401. Relatio Reverendi Sacerdotis utriuſque Juris Doctoris Don Caroli Hiliberto, Archipreſbyteri Venerabilis majoris Eccleſiæ hujus dilectiſſimæ civitatis Leocatæ, ætatis annorum ſexaginta octo incircà, hujus civitatis civis cogniti, facta cum juramento, tacto pectore, more ſacerdotali ſuper infra-ſcriptis, & toto facto: Interroganti dixit, ſcire qualiter per merita glorioſi Virginis, Martyris, S. Angeli, Jeroſolymitani, de regia ſtirpe Davidica, Sacerdotis, Carmelitæ, Protectoris iſtius civitatis Licatæ, poſſidentis ejus ſacras Reliquias, repoſitas in capſa argentea, in ſua Eccleſia, ubi ejus ſanctum corpus fuit ſepultum Dominus Deus noſter ſemper oſtendit varia ſigna, beneficia & miracula, circa diverſas perſonas energumenas, herinioſas, aliaſque incurabiliter laborantes, in proceſſione; in feſto, in Octava ipſius Sancti, aliiſque anni temporibus; nec non in variis infirmis, qui aquâ fontis, in loco ubi fuit ſepultura, exiſtentis, loti, innumera receperunt beneficia. Undè hæc civitas plurimùm obligatur Deo, & dicto ſancto Martyri, quotidianis gratiis per ipſum adjuta, ornataque: ac ſpecialiter tempore antiquæ peſtilentiæ, quæ fuit anno MDLXXV. aut circiter: quando hoc Siciliæ regnum afflictiſſimum fuit contagioſo illo morbo, adeò, ut omnes ferè civitates deſolatæ fuerint, amiſsâ majori civium ſuorum parte: nam qui luem in hac civitate contraxerunt, ſi cum aliarum urbium numeroſiſſimis ægris conferantur, pauci admodùm fuerunt: quod meritis S. Angeli omnes adſcripſerunt. Hoc autem noviſſimo tempore, quo rurſùm eodem flagello quaſdam hujus regni civitates caſtigatas voluit Deus; puta Drepanum Panhormum, Caſtellum-vetus, Caſtrum-novum, Cambaratam; gliſcentis mali nuntio commota hæc civitas, proximè præterito menſe Junio conata eſt divinam placare juſtitiam, & indignationem avertere; per varias proceſſiones, etiam nudis pedibus ſupplicantium, & ſacras Martyris ſancti Reliquias circumferentium. Placuit nihilominùs Deo permittere, ut ipſo illo menſe peſtilentia accenderetur quaſi per totam civitatem, burgum, & territorium circumjectum. Sed elevatam Dei manum S. Angelus ſuſtinuit: malumque eodem penè tempore & patefactum, & extinctum fuit: exindeque non tantùm ab epidemia, ſed & ab alio quovis vulgari morbo libera fuit civitas, magis quàm unquàm ante. Fuit autem communis omnium ſenſus id eſſe adſcribendum interceſſioni illius ſancti, ad cujus Eccleſiam omnis hujus civitatis populus recurrebat, cum vera & firma fide liberationis citò obtinendæ: ſicut & obtinuit. Ejuſmodi

S. Angeli corpus Leocatæ in capſa argentea

ibi plurima facta miracula:

peſtis in Sicilia exardeſcens,

mirabiliter ſubitò extincta Leocatæ,

V. MAII. di porrò perſuaſio in eo fundatur, quòd contagio primum exarſerit in vico Eccleſiæ ipſius Sancti, & in atrio quarundam domorum ad Societatem ipſius Sancti pertinentium: idque adeò vehementer, ut intra breve tempus omnes paſſim afflandi crederentur; ſed, ut dictum, malum univerſum citiſſimè diſſipatum fuit per merita ipſius Sancti

Relator teſtatur ea quæ vidit, 1402. Porrò hæc dicit Relator prænominatus ex certa ſua ſcientia; utpote qui per annos quadraginta tres hìc ſubſtitit, & modò eſt Archipreſbyter majoris Eccleſiæ, atque in perſona propria ſemper interfuit ſupplicationibus, precibus quadraginta horarum & aliis, pro publica civitatis neceſſitate indictis: item qui tempore contagionis prædictæ circuivit, ad audiendas confeſſiones infectorum, tam in Lazareto, quàm per civitatem commendando ſe Deo, & S. Angelo, cujus interceſſione ſe credit ſalvum permanſiſſe: item qui lateris, ac renum *& in ſe expertus.* dolore tortus, abſque facultate ſolvendi urinam, aliiſque infirmitatibus ſubindè afflictus, retulit ſanitatem, invocato Sancto: ac denique, qui ſuis propriis oculis vidit miracula patrata, potiſſimùm in tranſlatione Reliquiarum, quas ſuis manibus extulit ſigillatim omnes, populoque monſtravit anno MDCXXIII. Indictionis VI. in feſto ipſius Martyris die V. Maji, die Veneris, horâ circiter undecimâ, circa cœmeterium majoris Eccleſiæ: & ibi cognovit beneficia ipſo eodem tempore variis collata, per interceſſionem Sancti, cui ſemper ſit gloria. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit, ſcire prædicta per modum ut ſupra, quia interfuit, vidit, & audivit: de loco & tempore dixit ut ſupra. *

* *additur:* lecta ſibi confirmavit

RELATIO II. compendiata

1403. Relatio Reverendi Sacerdotis utriuſque Juris Doctoris Don Julii Bennici Vicarii hujus dilectiſſimæ civitatis Leocatæ, ætatis annorũ 33. in circà civis civitatis ejuſdem, cogniti, præſentis, facta cũ juramento. tacto pectore, more ſacerdotali ſuper infraſcriptis, & toto facto, interrogante dixit ſcire qualiter Dominus Deus noſter, meritis, & interceſſione glorioſi Sacerdotis, *Miracula plurima meritis S. Angeli* Virginis Martyris S. Angeli, operatus ſit varia & multiplicia miracula ac beneficia in variis perſonis vexatis à dæmonibus, herniâ, & aliis infirmitatibus incurabilibus laborantibus... & multi infirmi loti aquâ fontis exiſtentis in Eccleſia dicti Sancti, ubi ſepultum fuit ſacrum ejus corpus, ſubitò ſanati ſunt, & receperunt gratias, quas poſtulabant. Undè civitas hæc multùm obſtricta eſt huic Sancto, peculiariter ratione peſtis, quæ factis variis proceſſionibus, nudis pedibus ad Reliquias hujus Sancti; ejus interceſſione menſe Junio, cùm tantoperè peſtilentialis ignis accenſus eſſet, ut totam civitatem abſumpturus videretur, ſubitò *etiam olim quaſi innumera* ceſſavit: & quòd ab antiquo intellexerit, infinita quaſi miracula patrata, meritis S. Angeli, & quòd per aquam fontis S. Angeli ſanitatem à variis infirmitatibus receperint plurimi, & quòd ipſe exiſtens Vicarius civitatis, varia viderit, & peculiariter quod à duobus annis, Joannes Angelus cœcus annis ſeptemdecim, lavando iſtâ aquâ, viſum receperit. De cauſa ſcientiæ interrogatus dixit, ſcire præſcripta per modum ut ſupra dicta ſunt, quia interfuit, vidit, audivit, de loco & tempore dixit ut ſupra. *

* *additur:* lecta ſibi confirmavit.

RELATIO III. compendiata

1404. R. Don Angelus Oriolis Sacerdos ſæcularis, ætatis annorum ſexaginta incircà Commiſſarius S. Officii Sanctiſſimæ Inquiſitionis, in hac dilectiſſima civitate Leocatæ, civis civitatis ejuſdem, ac Capellanus Venerabilis Eccleſiæ & Societatis S. Angeli hujus prædictæ civitatis, cognitus, præſens, teſtis juratus, tacto pectore, more ſacerdotali, & ſuper infra-ſcriptis, & toto facto interrogatus, dixit, ſcire, qualiter per merita glorioſi Martyris, & Virginis S. Angeli, Dominus noſter Deus plurimos herniosos, cœcos, claudos, & à malignis ſpiritibus vexatos liberaverit: & peculiariter, quòd cùm peſtilentiæ facibus uſtularetur Leocata menſe Junio, factæ fuerint proceſſiones cum Reliquiis S. Angeli: Religioſi, & alii incedebant nudis pedibus, Deum precantes pro miſericordia, per merita ipſius S. Angeli: & ſubitò peſtis ceſſaverit: & quòd ab annis ſex, tempore proceſſionis, puer quinque annorum, qui annis quatuor in omnibus membris fuerat impotens, & paralyticus, publicè in præſentia totius populi, feſto ejus congregati, ſanatus fuerit. *Puer paralyticus publicè ſanatur in conſpectu populi.* De cauſa ſcientiæ interrogatus dixit, ſcire præmiſſa per modum ut ſupra, dicta, quia interfuit, vidit, & audivit, de loco & tempore dixit ut ſupra. * *Illa omnia plenius ibi referuntur. Quoad liberationem & præſervationem Leocatæ à peſte, alii complures eandem conteſtantes confirmant, & notabiles circumſtantias addunt: videlicet* de variis, qui aquâ ſumptâ de fonte S. Angeli panum, ſeu anthracem peſtilentialem lavantes, aut ligno ſumpto de veteri arca S. Angeli attingentes, aut voto facto viſitandi Reliquias ejus, ſubitò ſanati fuére. *Inter cætera, teſtatiſſimum id fuit, viſum, examinatum, relatum à Doctoribus medicinæ, atque aliis oculatis teſtibus*, de anu annorum 54. quæ pro conſervatione periclitantis nepotulæ, invocatâ ope S. Angeli, mirabiliter facta eſt lactans: *de qua hìc ſupra.* (a)

* *additur:* lecta ſibi confirmavit.

(a) num. 1367. & infra num. 1426.

CAPUT V.

Sacerdotes alii, & Religioſi, jurati teſtes miraculorum meritis S. Angeli.

1405. S*imili forma (ſicut præcedentium) factæ ſunt relationes, & juratæ atteſtationes aliorum Sacerdotum Religioſorum Doctorum utriuſque Iuris, Doctorum Medicorum, & pro-*

V. Maii *& promiſcuè aliorum, atq; etiam variarum fœminarum, per dies quinquaginta continuos; ſic ut quotidiè præſcriptâ juridicâ forma duorum teſtimonia recepta & regiſtrata fuerint, de variis generis miraculis & beneficiis; videlicet à die ſecunda Octobris incluſivè, uſq; ad XX. Novembris etiam incluſivè: & auditi quotidie duo teſtes: quorum relationes ſubinde valde prolixæ ſunt. Die autem XXV. Novembris, & IX. ac XXIV. Decembris relationes aliæ factæ fuerunt. Anno autem ſequenti 1626. rurſus reſumptæ fuerunt die XXXI. Ianuarii XI. Februarii, II. & VI. & XI. ac XV. Maii. Denique anno 1627. in Martio ſimiles relationes, ſub juratu teſtimonio, factæ fuerunt, & ſolemniter ſignatæ, ac ſigillatæ magno ſigillo Regiæ urbis Panhormitanæ.*

Miraculorum S. Angeli relatio, & examen per dies 50. continuos,

ac deinde per alios diſcontinuos

* *Ex iſtis omnibus hic adhuc aliquot compendiosè tradita ſubſequuntur, & quidem hoc capite Sacerdotum & Religioſorum; ſequenti autem aliorum.*

* Vid. hic infra num. 1428.

1406. Relatio R. Sacerdotis ſecularis Don Angeli Royz Delegati & Generalis Procuratoris Fiſcalis per totam Diœceſim Agrigentinam, ætatis annorum quadraginta incirca, civis Leocatæ, cogniti prælentis, facta cum juramento, tacto pectore, more ſacerdotali, ſuper infra-tactis; & toto facto interrogati, dixit ſcire, qualiter Vincentius Palizi Panhormitanus à dæmone poſſeſſus per octo annos, per plures ſacerdotes ſæpè ac diu exorcizatus, & per varia ſacra loca circumductus ad illuſtriorum Sanctorum reliquias; at fruſtra. Tandem ſpiritus maligni in aliis obſeſſis, qui ſimul exorcizabantur in Eccleſia S. Michaelis Panhormi, vi exorciſmorum coacti loqui, de Vincentio dixerunt, nuſquam liberandum, niſi Leocatæ, ad invocationem S. Angeli Martyris. Leocatam itaque ductus fuit: ubi facta oratione ante reliquias S. Angeli, ad declinandam populorum turbam, portatus fuit ad oratorium, ubi extat antiquiſſima imago S. Angeli: & ibi cœpit exorciſta adjurare dæmonem, atque conſtringere, ut fateretur, quomodò illuc eſſet ingreſſus, qua de causâ, quo numero, ac demum abſq; patientis læſione diſcederent. Erant protervi ſpiritus, nec ita facilè ceſſuri loco: ſacerdote tamen exorciſmos continuante, & loqui in nomine Jesu Nazareni, sanctique Angeli Martyris jubente, cùm ventum eſſet ad illa verba, Deum, qui te genuit, dereliquisti; fugiens, vociferanſque ſpiritus principalis, dixit ſe Beelzebub nuncupari, & habere ſub ſe quatuor ſpiritus, iſthic colligatos menſtruo ſanguine cujuſdam meretricis Panhormitanæ, quæ alteri meretrici invidebat amorem iſtius Palizi. Cumque obſeſſum teneret ſacerdos ſacrâ ſtolâ ligatum, petiit dæmon, ut ſibi induciæ darentur, uſque ad feſtum Sancti. Verùm nullas concedere volens Sacerdos, urgebat, ut illicò egrederetur, ſeque in ipſa, quam tunc aſſumpſerat, forma, exhiberet ſpectandum: ei viſus eſt energumenus continuò in formam teterrimæ beſtiæ converſus, ſeque humi ſtravit proreptans ſerpentis inſtar, & querulis clamoribus inculcans, in nomine S. Angeli egrediendum ſibi eſſe: idque cum rugitu, ac mugitu tanto, ut circumſtantibus omnibus horrorē incuteret. Invocabant omnes Sancti nomen, dum energumenum ſuum in pedes ſacerdos erigit, obvertens eum verſùs imaginem ſacram: ſed hanc intueri non ſuſtinens dæmon, detorquebat vultum oculoſque patientis, eoque prorsùs nigro atque tumente vociferabatur. Tu me expellis, tu me expellis. Aderant huic actioni Rev. Legum Doctor D. Julius Bonnici Vicarius Forandus, & Clericus D. Franciſcus Attardus, cum tribus Fratribus de Societate S. Angeli: quibus non ceſſantibus congeminare preces & litanias, tandem exorciſta, moras increpans longiores; Exi, inquit, ab eo, in nomine ſancti Martyris. Cui dæmon cum ejulatu horribiliori reſpondit, Exeo, & multum ſpumantem, copioſoque per nares fluentem ſanguine, cætera illæſum, & valdè fatigatum energumenum ſuum dimiſit. . . & populo gratias agente; ac Dei miſericordiam, & S. Angeli merita collaudante, pulſatæ ſunt campanæ: & cunctis maximo numero accurrentibus Publicata gratia, per Sanctum obtenta.

Poſſeſſus à dæmone annis 8. per varia loca ductus & exorcizatus,

Leocatæ ante imaginem S. Angeli ſtatuitur

fugiunt ſpiritus maligni,

diſcerpens,

coguntur egredi

in nomine S. Angeli.

1407. *Conſequenter refert alia in particulari, quæ ſuo tempore acciderunt, & quod audiverit à ſuo patre Antonio Royz (qui ſi tum anno 1625. ſuperſtes extitiſſet fuiſſet centum, & decem annorum) ab antiquo innumera miracula, interceſſione S. Angeli contigiſſe, ac inter ea,* quòd anno 1553. cùm Turcæ cum claſſe (& cum eis Princeps Salerni rebellis ſuæ Catholicæ Majeſtati) aggreſſi, & ingreſſi Leocatam, omnia templa comburerent, aut ſpoliarent, venerunt quoq; ad Eccleſiam S. Angeli, ſed auſi non fuerint ingredi, aut damnum inferre: & quòd ſæpiùs Turcæ curſarii, nominatim Rays Adraguttus, tentaverint intercipere Leocatā, & impediti ſemper fuerint, non potentes ingredi canalē. Quâdam autem nocte, *cùm dictus Rays veniſſet in hoc mare cum octodecim triremibus, miſit minores aliquot naviculas ad terram, ubi non erat vigilia, nec cuſtodia: & invenerunt fratrem Carmelitanum, ſupra petrā piſcantem, qui dixit Turcis: Quo tenditis, filioli, non videtis, quòd tota civitas ſit in armis? & faciens dictus frater ſignum versùs civitatem, dixit: Reſpicite ad civitatem: videruntq; totam quaſi in flammis, ac plenam militibus & equitibus. Et regreſſi ad ſuas naves referebāt dicto Rays, quæ viderant: ille cum ſuis accedente ad civitatem, vidit, quoq; cum aliis: & audiverunt, quòd dictus Carmelita, clamaret ad illos, qui erant in armis in civitate: quapropter dicti inimici ſtatum diſceſſerunt, timentes, quòd eſſent proditi. Similes caſus adhuc aliàs contigiſſe, dictus Relator ſæpiùs intellexit à mancipiis Chriſtianis, liberatis, aut fugitivis de manu Turcarum. Denique referebat dictus teſtis, ſe a dicto patre ſuo audiviſſe, quòd cùm eſſet Rector Confraternitatis, ſeu Sodalitatis S. Angeli, aliquoties in Eccleſia S. Angeli, juxta altare oleum fluxerit, & illo uncti omnis generis infirmi ſanarentur: & quòd ſæpiùs etiam aqua fontis com-

*Vid etiam hic ſupra num. 1377.

Leocatam à Turcis ſervatur liberat S. Angelus:

V. Maii. commota fuerit: & tunc per eam multi à variis infirmitatibus curarentur. Addit ipſe Relator teſtis: in diem uſque hodiernum hic quandoque aquam commoveri: & tunc plures infirmos indè conſolationem referre.

1408. Relatio R. Sacerdotis ſecularis Don Andreæ Lombardo Advocati Fiſcalis Curiæ ſpiritualis hujus dilectiſſimæ civitatis Leocatæ, ætatis annorum 35. incirca, civis civitatis ejuſdem facta cum juramento, tacto pectore, more ſacerdotali ſuper infra tactis, dicit, ſcire qualiter Franciſcus Lombardo frater ſuus gravi laborans rupturâ, per annos circiter tres, teſte S. Angeli, ipſo Franciſco, & ipſo atteſtante, & Laureâ Lombardo matre, magno devotionis affectu implorantibus opem S. Angeli, ſanitatẽ recepit: & quod viderit, ac audiverit plurima alia miracula, & beneficia, quæ Deo placuit operari meritis S. Angeli. *Ita quoq; Don Joſeph Percontí, Don Angelus Delabiſo, Don Joſeph Carletto, Don Antonius Columba &c. Sacerdotes ſeculares, de miraculis & beneficiis ſuis, intercesſione S. Angeli præſtitis, quæ viderant, & experti erant, & quæ ab aliis fide dignis audierant pari forma teſtati ſunt, & atteſtati ſunt.*

Hernioſus ope S. Angeli ſaneſcit

1409. R. P. Magiſter Fr. Angelus Gatto, S. Theologiæ Doctor, Sacerdos, Carmelita, ætatis annorum XLVII. in circa &c. tacto pectore, more ſacerdotali, &c. dicit, ſcire qualiter tempore quadriennii, quo fuit Prior in Conventu S. Angeli Leocatæ, atq; alio multo tempore, quo ibidem habitavit, plures infirmi, intercesſione S. Angeli, ſanitatem conſecuti ſint, nominatim Petrus de Sayvedra, à gravi ruptura, ſeu hernia, & alius ab hydropiſi, & mulier energumena à dæmone obſidente, & ipſemet gravi infirmitate impotentiæ urinandi deductus quaſi ad extrema, invocatione S. Angeli, mox ab anguſtia liberatus fuerit. R. P. Fr. Antoninus Serravilla, Sacerdos, Carmelita, ætatis annorum 45. in circa, Prior Venerabilis Conventus Carmeli hujus civitatis Leocatæ civis civitatis ejuſdem cognitus præſens teſtis juratus, tacto pectore, more ſacerdotali, & interrogatus ſuper infraſcriptis, & toto facto dixit ſcire, qualiter ſua ſoror Franciſca, ex gravi lapſu de alto, læſa, & impotens ſe movere è lecto, facto voto S. Angelo, ſanitatem obtinuerit, & quòd alia complura miracula, & beneficia præſtita ſint, meritis S. Angeli, tam Leocatenſibus, quàm extraneis viderit, & audiverit.

Variæ infirmitates curatæ:

Teſtimonia variorum Religioſorum, Sacerdotum

1410. P. Vitus Guglilmotta ſimili ratione teſtatur, quòd cum eſſet Prior, viderit aquam fontis S. Angeli commoveri, & ex eo rumore multos infirmos concurrere, è quibus plures ſanitatem retulêre: & inter eos paralytica 7. annorum: & alia deſperato ulcere in tibia laborans. P. Gaſpar Galutius Sacerdos teſtatur ſimiliter, inter ea quæ vidit, quòd Franciſcus Bartelotto, in crure gravem patiens dolorem, & inde claudicans, ad fontem S. Angeli partem affectam lavans, continuò curatus fuerit. *Similiter & alii Sacerdotes plures ejuſdem Conventus, ſub ſimili juramento atteſtati ſunt, de variis miraculis, beneficiis, & gratiis, per aquam fontis S. Angeli, aut per oleum lampadis, aut per rorum illi factum, præſtita, quæ ipſi viderunt, aut ab iis, qui viderant, acceperunt.*

1411. R. P. Fr. Paulus ab Alcamo, Prædicator ac ſacerdos Minorũ obſervantiæ S. Franciſci, teſtis XCIII. dixit XVII. Septemb. quod præterita hebdomade, exiſtẽti ſibi in ſuo hujus civitatis Conventu S. Mariæ de Jeſu, ſenſerit familiarem ſibi infirmitatem, urinæ ſcilicet reddendæ difficultatem. Cumq; in hoc ſuo labore ingraveſceret dolor, etiam uſq; ad ſpaſmos, nec ullam in humanis remediis ſpẽ haberet, eò quod conſuetos fines excederet dolor, tandẽ recordatus eſt S. Angeli, cui ſtatim ac ſe commendavit, dicens: S. Angele libera me ab hoc cruciatu, urinam ſubitò reddere cœpit, ejiciens calculum cum acutiſſimi doloris ſenſu: id quod beneficiis Sancti adſcribens, gratanter declaravit ut tale.

Minorita invocato S. Angelo à calculo liberatur.

CAPUT VI.

Doctores utriuſq; Iuris, Doctores artium, & medicinæ, atq; alii promiſcuè oculati jurati teſtes miraculorum, & beneficiorum per intercesſionem S. Angeli.

1412. Utriuſq; Juris Doctor Franciſcus Biſſi ætatis annorum quadraginta ſex in circa civis Leocatæ cognitus præſens teſtis juratus, & interrogatus, dixit, ſcire, qualiter innumera ſint miracula, & beneficia, quæ Deo placuit operari, meritis S. Angeli, Virginis, & Martyris Carmelitæ &c. per aquam fontis ſcaturientis in loco, ubi fuit ſepultus: & quando ſolet accidere generalis aliqua tribulatio (ſicut nuper in peſte) recurrentes cum pietate ad ipſum, remedia inveniunt: ſicut ipſe vidit, & audivit à ſuo patre, qui ſi viveret, eſſet annorum circiter nonaginta. Teſtatur ſpecialiter, quòd Franciſchella, de Orlando, uxor Laurentii de Orlando, ac deinde Salvatoris Secchi, caſu in platea graviſſime læſa pugione, acceptis duabus plagis mortalibus, undè certò moritura credebatur, facto voto viſitandi ſacrum corpus S. Angeli ſanata fuerit. Teſtatur quoque de miraculis, & beneficiis, meritis S. Angeli, etiam quæ in ſe ipſe patenter expertus fuit.

Graviſſimè vulnerata ſanatur.

1413. Utriuſque Juris Doctor Joſeph Bonello, ætatis annorum triginta octo in circa, civis Leocatæ, cognitus præſens teſtis juratus, dicit ſcire, qualiter ipſe viderit, & ſæpius audierit à quondam Reynero Bonello ſuo patre (qui ſi ſuperſtes foret, eſſet annorum circiter octoginta) quòd innumera miracula Deus ſit operatus, intercesſione S. Angeli &c. præſertim, mediante aquâ fontis S. Angeli, quâ plurimi infirmi curati fuerunt, ſicut ipſe vidit: peculiariter, quòd ipſe ab annis triginta graviſſima laborans rupturâ, quandoq; monitus fuerit à ſuo patre, ut

invoca-

V. Maii. invocaret S. Angelum: quod & fecit; præcipuè in feſto S. Angeli, die 5. Maji: & quòd tunc tempore proceſſionis tranſeuntis ante domum, ubi erat, ſubitò ſe ſanatum ſenſerit. (idem etiam alii referunt) Teſtatur quoq; de multis aliis miraculis, & beneficiis S. Angeli.

1414. Utriuſque Juris Doctor Orlandus de Orlandi &c. teſtatur: Quòd à 32. annis habitans Leocatæ, viderit varii generis miracula gratias, & beneficia, quæ Deo placuit operari, interceſſione S. Angeli: & quidem in filio ſuo Joanne Baptiſta Orlando, qui anno 1623. cadens in profundum puteum, in cujus fundo erant duri lapides, invocans S. Angelum, mirabiliter incolumis perſtitit, ſicut relatum eſt hic ſuprà. Teſtatur quoque in particulari de aliis, quæ ipſe exiſtens Officialis, & Juratus Leocatæ, & Deputatus ſanitatis, vidit.

cadens in profundum puteum illæſus.

1415. Utriuſque Juris Doctor Franciſcus de Caro &c. dicit, quod à ſuo patre Michaële de Caro (qui ſi viveret, eſſet annorum 80. aut circiter), & ab aliis perſonis antiquis, fide dignis, plurima, meritis S. Angeli, miracula & beneficia contigerint: & quòd ipſe Juratus civitatis varia viderit, & expertus fuerit in ſe, & in filio, annis aliquot taliter afflictus herniâ, ut frequenter neceſſè fuerit ipſum capite deorſum, pedibus ſurſum ſiſtere, ut ſic viſcera egreſſa introgrederentur: fruſtraque tentatis remediis humanis, tandem anno 1621. die 5. Maji, meritis S. Angeli, variis pietatis operibus invocati, ſubitò fuerit plenè ſanatus. Similiter & ipſe Teſtator gravi preſſus infirmitate, ſimiliter, invocatione S. Angeli, liberatus fuerit.

miſerrimè herniaſus ſubitò ſanatus:

1416. Utriuſque Juris Doctor Petrus de Caly, dixit ſcire, qualiter peſtis illata ſit Leocatæ, menſe Junio ultimò tranſacto, & mox ita diſperſa, ut omnium judicio, malum eſſet irremediabile, ſic ut omnes vitam ſuam periclitari ſibi perſuaderent; & quòd populus omnis concurrerit ad Eccleſiam S. Angeli: & ſubitò peſtis ceſſaverit. Quodque intellexerit deinde, plures infectos lavando ſe aquâ fontis S. Angeli, curatos fuiſſe: & quòd ipſo exiſtente Rectore & Gubernatore Lazareti, ibi contigerit grande miraculum, in honorabili matrona * Agata Scolla, ætatis annorum 54. quæ mirabiliter pro infantis neptis ſuæ orbatæ matre, alimentatione, & conſervatione, facta fuit lactans. *Iſta ſic paucis referuntur, quia aliorum plurimorum teſtimoniis confirmata ſunt in antecedentibus.*

grande miraculum.

* Vide ſuprà num. 1367.

1417. Artium & medicinæ Doctor Don Horatius Contrera, Sacerdos ſecularis, ætatis annorum quinquaginta ſeptem incirca civis Leocatæ, cognitus, more ſacerdotali, tacto pectore, & interrogatus, dicit ſcire, quod ab annis viginti quinque ſuam profeſſionem in hac urbe Leocata exercens, pro ſingulari, quam ab infantia habuit erga S. Angelum devotionis affectu, ſemper & diligenter obſervaverit favores, gratias, & miracula quæ per eum civitas ipſa recepit, ut de iis regitus, poſſet teſtimonium dicere: in primis autem illud retulit, quòd recordabatur, ſolicitè, & ad perpetuam memoriam infigendam, ſibi narrare ſolitum ſuum patrem Marianum Contrera, medicinæ Doctorem etiam ipſum; videlicet, quòd cùm ipſe teſtis annorum dumtaxat quatuor aut quinque eſſet, infelici quodam lapſu, fregerit utrumque os tibiæ dextræ; adeò ut pater ſuus, quantumvis haud mediocriter expertus, diffideret eum poſſe ſanari, abſque remanſura difformitate. Itaque priuſquam filii curationem ordiretur, ut ergà S. Angelum devotiſſimus, ipſum in ejus Capellam deferri juſſit; tùm ipſe ſubſequens, & magno cum planctu filii poſtulans ſanitatem, audivit eum erupiſſe in clamorem: ideòque accurrens, brachiis eum ſtrinxit. Ita complexum dum tenet, obdormiſcit filius, & audentior hoc inopinato ſucceſſu, pater explorat filii ſui tibiam dexteram, eamque integerrimam inveniens, dubitanſque, nè fortè doloris ſenſus ſuam contudiſſet memoriam, ſiniſtræ quoque manum admovit, & æquè ſanam invenit. Itaque nihil dubitans de miraculo, exclamavit, Miſericordia! & juſſit pulſari campanas Eccleſiæ, ut ſolent, dum populus convocatur ad arma: quod hìc eſt vulgandi mira uli ſignum. Deindè cum communi totius civitatis gratulatione & ſtupore domum reduxit filium ſanum: cui numquam poſteà deſtitit inſigne hoc beneficium identidem inculcare, ut devotiorem Sancto efficeret.

Crus fractum illud redintegratum.

Et quòd tempore annorum XXV. quibus medicinam profeſſus fuerat, omni anno in feſto S. Angeli, & infra octavam feſtivitatis viderit plures infirmos variis infirmitatibus laborantes concurrere, & ſemper eorum aliquos ſanitatem conſecutos: & quòd in infirmitatibus difficillimæ curationis, plures viderit, applicatione olei de lampade S. Angeli, ſeu uſu aquæ de fonte ipſius, impoſitæ remediis ordinariis, cum ſua & adſtantium admiratione, convaluiſſe: nominatim autem meminit cujuſdam obſeſſi civis Leocatenſis, adhuc viventis; cui domi propriæ ſacros exorciſmos impendebat pius Sacerdos Leonardus Re, nihil dubitans, quin verè a maligno teneretur, eò quòd varia ſecreta ſibi revelaſſet, & Latinâ loquens linguâ, diverſos Euangelii textus allegaret, aliaque evidentia ſigna ſuæ calamitatis daret. Cumque dæmonem tandem loqui coactum, ſuumque, & ſociorum nomina prodere, etiam ad dimittendum infelicem urgeret, reſpondit dæmon: ad S. Angelum me deferte: nam illius, non tuo juſſu egrediar. Adductus ergo eo miſer eſt in feſto SS. Philippi & Jacobi, ſub quorum nominibus conſecrata ea Eccleſia fuit: ibique abſque ulla, vel patientis, vel alterius cujuſquam noxa egreſſi ſunt dæmones, in ſignum diſceſſus extinguendo ſeptem lampades coram frequenti multitudine, in qua ipſe teſtis,

Infra octavam feſti S. Angeli plures ſanati.

Energumenus liberatus.

V. Maii. ac pater ejus fuit. Alia plura de miraculis S. Angeli teſtatus fuit, peculiariter de peſte mirabiliter extincta: prout dictum hic ſupra.

1418. Artium, & medicinæ Doctor Joſeph de Raymundo, ætatis annorum ſexaginta unius &c. dixit, & teſtatus eſt, quòd a ſua pueritia viderit, & audiverit, quòd Deus, meritis S. Angeli plurima miracula operatus fuerit... & quòd cùm ante annos quadraginta eſſet in ſtudiis, & ſe dediſſet in ſocietatem quorumdam Catalonum; unus eorum Joannes Grial nuncupatus; dixit ipſi teſti: Habetis in veſtra civitate eximium Sanctum, & miraculis illuſtrem, videlicet S. Angelum Martyrem Carmelitanum. Viditque eodem tempore iſthuc navem appellere, quæ aſſumptis Leocatæ trugibus, à Portûs Præfecto, plura vaſa acceperat aquæ de fonte S. Angeli, ſigillata à Juratis Leocatenſibus; quæ cùm aſperſa eſſet ſuper oculos cujuſdam cæci, cœpit ille ſtatim lucem aſpicere. quidam etiam brachio mancus eodem remedio ſanitatem obtinuit; factoque ad eamdem participandam concurſu infirmorum, grandia quamplurimis obtigerunt beneficia. *ſimiliter Franciſcus Saplla & Franciſcus Parenti, artium, & medicinæ Doctores & Joannes Baptiſta de Ognibeni medicus chirurgus jurati teſtes varia retulerunt miracula quæ viderant.*

In Catalonia aquâ de fonte S. Angeli cæcus illuminatur:

1419. Capitaneus Vaſcus de Sayavedra Hiſpanus de Regino Caſtellæ veteris, ætatis ſexaginta unius annorum incirca, Regius Caſtellanus Regii caſtri Leocatæ &c. teſtando dixit, qualiter filius ſuus Petrus duodennis equitando, & vim ſibi inferendo gravem contraxiſſet herniam; advocatiſque medicis varia fuerint adhibita remedia: ſed incaſsùm, atque ita malum judicabatur incurabile, duraveritque annis quatuor, & ſæpè cum magno cruciatu ipſius infirmi. Ipſe igitur teſtis cum conjuge, & filio devotiſſimè diu multumque implorarunt opem S. Angeli: cujus interceſſione ſubitò curatus fuit: pulſatis itaque campanis, in gratiarum actionem Miſſa ſolemniſſima, celebrata fuit ante Reliquias S. Angeli.

tempeſtas ſæviſſima

1420. Magiſter Horatius Raynel Melitenſis, comparens die XXXI. Januarii MDC.XXVI. dixit, quod Septembri proximè præterito venerit in navi cum aliis multis, Alexandriâ Melitam; Ipſis autem Cretenſe mare tenentibus, exorta eſt tempeſtas horribilis, cum ventis, imbribuſque, ita ut de naufragio vehementer periclitarentur. Erat ibi inter alios mercator quidam Græcus, Joannes Baptiſta Ortonius nuncupatus, qui dixit ipſi teſti; [Da mihi peram meam, quia ibi continetur fruſtillum de ligno veteris arcæ S. Angeli Martyris Carmelitani, quam mater mea Leocatæ accepit, ac mihi dedit Melitæ, eſt que in multa devotione.] Accepitque ergo fruſtillum è goſſipio, cui involutum erat; juſsù D. Ortonii, miſit in mare, poſtquàm ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitaſſet. Neque mora: ipſo inſtanti ceſsàrunt venti, pluviæque, & facta eſt in mari tranquillitas magna, interceſſione Martyris, cui ipſe teſtis cum nautis & vectoribus cæteris libenter gratiam retulerùnt, cùm Melitam appulère: undè poſtea ipſe teſtis cum Alexandrinis mercibus huc advenit, & gratiam ſibi factam, publicè potam eſſe voluit.

reliquiis S. Angeli ſubitò ceſſat.

1421. Magiſter Angelus Mortillito, ætatis annorum centum unius, dixit ſcire, qualiter, annos circiter ſeptuaginta, ipſomet præſente, & quondam Don Jacobo Accomando Eccleſiæ Capellano, oleum effluxerit in Eccleſia S. Angeli quemadmodum etiam fluxiſſe alias, ipſe teſtis in eadem Eccleſia viderat, nec non audiverat à ſenioribus Leocatenſibus. Tùm verò ad famam ebullientis olei concurriſſe multos infirmos, qui eò uncti, ſalutem recipiebant: inter quos ipſe teſtis recordatur fuiſſe puellam quinquennem, filiam Nicolai Senembri hortulani, cui latus unum exaruerat, quare in ipſo loco ſe ponens, unde oleum profluxerat, eôque ſuum latus ungens, confeſtim accepit ſanitatem. Item quod ab annis circiter ſexaginta, ipſe, aliique ex familia Magiſtri Paſchaſii Gatia, deportaverit in Eccleſiam S. Angeli filiam ipſius Paſchaſii, Palmam, à dæmonibus vexatam, quam multi ſacerdotes exorcizando fruſtrà fuerant conati liberare. In hac ergo Eccleſia cœpit immundos ſpiritus adjuvare Don Franciſcus Blondus, Sacerdos: cui non diu fuit laborandum: quia dæmones aliquantulùm reluctantes, citò confeſſi ſunt, non poſſe ſe diutiùs eo loco perſiſtere, ubi eſſet corpus ejus Sancti, quem tantoperè formidabant. Ergo in ſignum ſuæ egreſſionis, juſſi ſunt tres lampades extinguere: quo facto, dicta Palma tunc, & deinceps libera apparuit: reſque, ut miraculoſa, palàm vulgata eſt. Eodem anno venit & alia mulier Jacobella nomine, uxor Angeli lo Curri; & ipſa, quà in Eccleſiam inducta eſt, horâ, poſt adjurationes nonnullas, mundata fuit, quietaque, ac ſi numquàm impurum hoſpitem circumgeſtaſſet. Circa eadem verò tempora Leocatam venit quidam Melitenſis Petrus appellatus, energumenus etiam ipſe: qui aquâ fontis S. Angeli ſeſe abluens, ipſe a ſe dæmonem expulit; dumque, eò egreſſo, tantiſper decumbit in media Eccleſia, ſub majori fornice ſeque perfricat; ſuſtulit eum de loco Jacobus Accomandus illius Eccleſiæ Capellanus, & ex ipſo loco, ubi cubuerat, Petrus vidit oleum ſcaturire.

Oleo in Eccleſia S. Angeli ſcaturiente infirmi plures curati.

Energumeni tres liberati.

1422. Antonella Delabiſo relicta quondam Phei Delabiſo, ætatis annorum ſexaginta quinque incirca civis Leocatæ cognita præſens teſtis jurata, dicit ſcire, qualiter in æſtate proximè præterita, ipſa, & Angela uxor filii ejus Joſephi, qui, Sancto

noſtro

V Maii.

noſtro opitulante, à peſte fuerat præſervatus, juſſæ ſunt domi tanti per latere, quia vulgò habebantur ſuſpectæ, ut infectæ. Cùmque jam quadraginta diebus, & aliis quatuordecim, ab hominum conſortio manſiſſent abſtractæ, ex ordinatione Juratorum civitatis, & Præfectorum ſanitatis, debebant ipſæ, (ſicuti omnes ſic ſequeſtrati) antequam in publicum prodirent, ſe, & ſua purificare in balneo, aut ire ad mare, & ibi ſe abluere. Cum autem non haberent domi aquam pro balneo, nec aliquem, qui adferret, veritæ, ne cogerentur ire ad mare, præ verecundia valdè anxiæ, ſe converterunt ad implorandam opem à S. Angelo: & ecce, in puteo anteà ſicco, apparuit aqua limpidiſſima, inſtar cryſtalli, quantùm ſufficeret ad balneum; quò erat opus: lotæ ut erant, & mundatæ, evolutis octo diebus, prodierunt in publicum, ſolitis ſe commerciis applicando. Sed reverſæ poſtea ad puteum dictum, ut haurirent aquam, pro neceſſitate domùs, repererunt, ut anteà, exſiccatum, nil in fundo videntes, niſi terram aridam, ut adhuc videre eſt in hodiernum diem.

mirabiliter aqua ex ſicco puteo ſcaturit.

1423. Angelucia uxor Alfii Graſſo, ætatis annorum quadraginta incircà, dicit, teſtaturque, ut ſupra, quòd à biennio in filiola ſua Roſa, bimeſtri tumor apparuerit in inguine: medici conſulti herniam dicebant: haud diu poſt, etiam debilis, & impotens fuit effecta in omnibus membris; quaſi oſſibus caruiſſet: medici paralyſim judicabant. Opem meritis S. Angeli ſperans, identidem ejus reliquias viſitabat. Tandem menſe Majo proximè elapſo, octavâ die feſti ipſius filiolam detulit ad Eccleſiam S. Angeli, ejus implorans auxilium: & ecce ſubitò tumor evanuit, & mox viſitata à Joanne de Ramundo medico phyſico, & chirurgo, reperta fuit integrè ſana; non tantùm ab hernia, ſed & à paralyſi: quo publicato, cum multis lacrymis, & altis vocibus populus acclamabat: Miſericordia: & nomen, ac cognomen infantis in tabulas publicas relata ſunt.

hernioſa

ſanatur:

1424. *Animadvertendum, quòd teſtes ferè omnes hactenùs adducti, etiam alia de miraculis S. Angeli deponant: ſed illis, & aliis, quæ reliqui atteſtati fuerunt, ſuperſedendo, nimiæ hîc prolixitatis vitandæ causâ; duo peculiariter hîc notanda videntur.* Primum: *Plurimi teſtes, relati in volumine miraculorum S. Angeli, mira tradunt* de fonte S. Angeli ſcaturiente in loco ſepulturæ ejus, ac de aquis indè ebullientibus: *& quidem de fonte*, ſubinde miraculosè moveri aquam ejus, & tunc plures ſanitatem retuliſſe. *Teſtantur etiam plures*, ſe vidiſſe ſæpius, vaſcula impleri ex aqua fontis illius, ac ſigillo publico civitatis obſignari, ut impoſita navibus, ad exteras & longinquas vehantur regiones: & ibi per eam beneficia ſingularia præſtita variis: de cœco illuminato, & aliis gratiis per eam præſtitis Barcinonæ, audivimus ex Joſepho de Raymundo hîc ſupra: ita quoque in vaſculo tranſlatam in Meliten (ſeu Maltam) inſulam notiſſimam, ibi ſimiliter mulierem cœcam per eam viſum recuperaſſe, *retulit Laurentius Borgius, Melitenſis natione, teſtis XLI.* Panhormum tranſlata plurimis ſingularia ibi præſtitit beneficia, præſertim tempore peſtilentiæ, civitatem illam graviter affligentis, circa annum Chriſti 1625. & ibi tunc Marchioniſſam Gibellinam gravi oculorum infirmitate correptam, & prorsùs cœcam effectam, fruſtratentatis medicorum remediis, per eam aquam viſum recuperaſſe: in cujus beneficii monumentum; binos oculos argenteos miſit Leocatam, appendendos ante arcam Reliquiarum. *Ita refert Ioannes Baptiſta Fornica, teſtis XCVIII: qui etiam teſtatur* ſe vidiſſe mulierem paralyticam aquâ fontis illius ablutam, ex integro convaluiſſe: *teſtatur quoque*, quòd ipſe Juratus civitatis ſæpiùs ſigillo communi civitatis obſignaverit vaſcula aliò mittenda, & Præfectus portûs viderit frequenter navibus ex aliis regionibus etiam vaſcula iſtius aquæ impoſita fuiſſe. *Varii etiam oculati teſtes aſſerunt*, ſe ſubindè vidiſſe circa altare majus Eccleſiæ S. Angeli ſcaturire oleum, quo infirmitates plurimæ curatæ fuêre. *Ita ſe vidiſſe teſtantur Don Angelus Royz, & Magiſter Angelus Martillitto, ætatis centum unius annorum: quorum teſtimonia etiam de aliis præceſſerunt hîc ſuprà. De oleo iſto, & de fonte S. Angeli ſermo fuit quandoque etiam in antecedentibus.*

aqua de fonte S. Angeli ad varias regiones tranſlata

per eam cœci illuminati & alii infirmi ſanati.

1425. Secundum notabile: *Teſtes plerique præcedentes, & de cæteris etiam plures deponentes de miraculis & beneficiis, meritis S. Angeli præſtitis in ſe, aut in aliis, quæ ſuis oculis viderunt, aut ab iis qui viderant, audierunt; unà etiam ſub eodem juramento tradunt*, ſe à ſuis parentibus, aut aliis ſenioribus, intellexiſſe de miraculis plurimis, & quaſi innumeris, etiam olim, ad interceſſionem S. Angeli patratis. *Sed de miraculis iſtis antiquis, olim in magnis voluminibus ſcriptis, ſatis dictum hîc ſuprà.* (a)

(a) cap 1 num. 1389. & ſeq

CAPVT VII.

Miracula S. Angeli in Actis Sanctorum *ordinatè digeſta per capita XII. quorum ſummaria hîc traduntur.*

1426. Miracula *S. Angeli copiosè, & prolixè à teſtibus relata, & plerumque ab eodem plura; & etiam à pluribus ſæpè eadem, cùm convenienter huic operi inſeri non poſſint omnia, ne nimiùm excreſcat, plura de illis deſiderans, adire poterit* Acta Sanctorum menſis Maji, *digeſta per RR. PP. Godefridum Henſchenium, & Danielem Papebrochium, Societatis* Jesu: *ibi ad diem V. poſt vitam S. Angeli ſub titulo:* Miracula, & beneficia, ex

depo-

V. MAII.

ACTA SANCTORUM *in iſtis ad 5. Maji miracula S. Angeli plenè digeſta in XII. titulis.*

depoſitionibus Juratorum teſtium, præcipuè anno 1625. à 2. Octobris, ad 25. Novembris, in publicas tabulas relatis, *Miracula & beneficia, meritis, & interceſſione S. Angeli facta, in iſto authentico volumine, ſeu exemplari Româ in Belgium miſſo, contenta, & prolixe deſcripta, præfatus R. P. Daniel Papebrochius latinitate à ſe donata, in XII. diſtribuit titulos, ſeu capita. Cur autem ſic proceſſerit, rationem reddens, ſcribit:* Res prolixa eſt, ac ferè ducentas paginas minutæ ſcripturæ complet: quæ vitandi faſtidii causâ, excerpemus ex ſingulis relationibus, quod in unaquaque præcipuum eſt: & ſi quid ſæpius relatum à variis, ejus ſolius utemur verbis, cujus præ cæteris vel dignitas perſonæ, vel ſcientiæ certitudo prærogativam mereri videbitur. Ordinem quoque non cum ſequemur, quo auditi ſunt ſinguli: ſed res ipſas ab iiſdem relatas, in certa quædam digerentes capita: ſic ſtudebimus brevitati, ut ad auctoritatis firmitudinem deſit nihil, neque abundet aliquid ad legentium nauſeam. *Capitum autem tituli ſunt iſti:*

1427. CAP. PRIMUM. Leocatæ anno 1625. contagium ſerpere deprehenditur, Lazaretum inſtituitur, Sancti auxilium utiliter invocatur.

CAP. II. Ex primo infectorum contagio inficiuntur plures & à Sancto omnes juvantur.

CAP. III. Alii ſimiliter infecti & liberati: item alii qui ſe infectos diſſimulabant.

CAP. IV. Leocatenſium, ob peſtem ſublatam, gratitudo miraculis honorata: antiquiora ipſius Sancti erga civitatem beneficia.

CAP. V. De oleo, & aqua ex loco ſepulturæ ſcaturiente, & pluribus etiam cæteris ſalutari, atque adjutis parturientibus.

CAP. VI. A periculis maris, piratarum, ac fluviorum, S. Angeli meritis eruti.

CAP. VII. A dæmonibus, & beſtiis ferocientibus liberati, ope S. Angeli.

CAP. VIII. Periculosè lapſi, lethaliter ſaucii, & alii moribundi adjuti per S. Angelum.

CAP. IX. De hernioſis per S. Angelum ſanitati reſtitutis.

CAP. X. Aliæ ſimiles hernioſorum curationes, S. Angeli meritis adſcriptæ.

CAP. XI. Calculi & veſicæ dolores, febres, item & hydropiſis curata per S. Angelum.

CAP. XII. Cœci illuminati, curati paralytici, per invocationem S. Angeli.

Panhormitani Senatûs teſtimonium de miraculorum S. Angeli deſcriptione.

1428. *In exemplari miraculorum, & beneficiorum iſtorum, quæ ſub præfatis titulis in iſtis Actis Sanctorum referuntur: & unde jam ante relata Capit. 2. 3. 4. & 5. & 6. ſunt producta, ſub finem hæc ſubſcripta ſunt:* Senatus Panhormitanus fidem facimus & teſtamur, qualiter ſupradictæ extractæ & ſubſcriptiones fuerunt & ſunt extractæ, & ſubſcriptæ manibus propriis Jacobi Murci Notarii publici civitatis Leocatæ, & Alexandri Formica, Franci Foglietta, Franciſci Grugno, Don Calcerandi de Caro Juratorum, Magiſtri Notarii, & Actuarii dictæ civitatis Leocatæ: & dicta officia exercent in dicta civitate Leocata, ut nobis conſtat ex teſtificatione oretenus facta cum juramento per V. J. D. Conſtantinum Reciputo Notarium Angelum Braxia civitatis Leocatæ, & Notarium Balthaſarem Zamparrone, Apoſtolicum & Regium Notarium hujus felicis urbis Panhormi: cujus actis, copiis, extractis, fidibus, & ſubſcriptionibus, in Judiciis, & extrà, plena, ac indubia adhibetur fides; & in teſtimonium præmiſſorum, has præſentes noſtras teſtimoniales litteras fieri juſſimus, noſtroque ſolito, quo utimur, ſigillo, in pede munitas, ex prædicta urbe felice Panhormi, die X. Maji 8. Indict. 1640. *Locus ✠ magni ſigilli repræſentantis Regem grandævum tenentem aquilam, habentem alas expanſas, cum hac circumſcriptione:* PANHORMUS CORONA REGIS, ET REGNI CAPUT.

Leocatenſium pietas & ſedulitas.

1429. NOTANDA TRIA, CIRCA HACTENUS DICTA *additur denique quartum:* DE S. ANGELO AD SCALAM SANCTAM. PRIMUM: *Leocatenſium pietas erga ſuum Protectorem S. Angelum, & ſingularis ſedulitas in deſcribendis olim in magnis voluminibus, & hoc ſeculo examinandis, ac annotandis miraculis, ejus interceſſione patratis, peculiariter reſplendens, aliis civitatibus & oppidis in exemplum hîc propoſitum eſt. Hinc mirum non eſt S. Angelum à ſuis clientibus amore, & cultu vinci neſcium, tanta illis contuliſſe beneficia.* SICUT DEUM, ET SANCTOS COLIMUS, SIC IPSI NOS VISITANT; *præſertim* cùm virtutum eorum tramitem imitantibus veſtigiis proſequimur.

S. Angeli ætas, & vitæ chronotaxis.

1430. SECUNDUM; *Quantùm ad ætatem S. Angeli (de quo nonnulla hic ſupra [ ]) Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali libro 8. cap. 9. ſcribit:* Obiit ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto. *Ita quoque Lezana, in Annalibus, Tomo 4 eius, & fratris nativitatem referens ad an. Chriſti 1186. ingreſſum in Carmeli Ordinem anno 1204. (cùm octodecim eſſent annorum) Sacerdotium anno 1214. cùm annorum eſſent 28) & martyrium anno 1220. Reverendiſſimus P. Philippus in vita S. Angeli, cenſet eum tunc fuiſſe annorum 35. Id ſi intelligatur de inchoato, ſic etiam præfatis concinit. Itaque vere* conſummatus in brevi, explevit tempora multa; *quippe intenſa charitatis fervor omnia ejus opera fecit aurea, ſic ut tempore paucorum annorum meruerit decuplò, & centuplò plus, quàm alii plurimi tempore multò longiore promererentur.*

Variæ S. Corporis translationes.

1431. TERTIUM: *Quoad corpus S. Angeli, illud ſepultum fuit Leocata, in loco, ubi martyrium ſubiit: deinde in loco ſepulturæ germinante lilio, quaſi ex ore ejus, illoque reciſo, rurſus excreſcente, corpus extractum fuit, & reconditum in honorabili capſa. Deinde gliſcentibus plurimis miraculis, fabricata fuit capſa argentea, & in ea corpus depoſitum anno Chriſti 1486. anno autem 1623. nova pretioſior argentea arca facta*

fuit,

V. Maii. *fuit, in qua uſque in præſentem diem aſſervatur, tranſlata anno Chriſti 1662. ad novam Eccleſiam. De iſta, & aliis anterioribus tranſlationibus peculiariter ad diem XXVII. Auguſti agetur.*

1432. Sanctus Dei Angelus Carmelita Martyr, habiturus concionem in Baſilica Lateranenſi, Scalam Pilati aſcendendo genuflexus, ſeipſum, & circumſtantes ad lacrymas provocavit. *Ita Nicolaus Proceſſi, in libro, tempore Urbani V. circa annum Chriſti 1370. ſcripto & conſtituto:* Codex miſcellaneus. *Indicat, id ſe habuiſſe ex archivo* Carmelitarum. *Liber ille MS. compactus in tabellis ligneis, cum lamellis ex aurichalco, extat Romæ in Bibliotheca Vaticana, nondum cum aliis ſignatus certo numero. Nicolaus ille beneficiatus erat in Eccleſia Lateranenſi anno 1362. & sequent.* (a) Scala Pilati *olim, nunc* Scala ſancta *dicitur. Extat Romæ apud Eccleſiam Lateranenſem. Hæc Romà accepimus, cùm, abſoluta impreſſione vitæ S. Angeli, miracula adhuc ſub prælo eſſent.*

S. Angeli pictas ad Scalam Sanctam

(a) Ita Joſeph Maria Soreſ in opuſ. *de Scala ſancta.*

VIII. MAII.

An. M. D. III.

VITA, ET MIRACVLA B. ALOYSII

(ſeu LUDOVICI) Rabbatæ, Siculi, Prioris conventûs Randazenſis *

* ſeu Randatii.

CAPVT PRIMVM.

Vitæ epitome, ex SICILIA SACRA *Rocchi Pirri Abbatis Netini S.Theol. ac Utr. Iuris Doctoris: & quædam elogia ex aliis.*

VIII. Maii.

1433. S*Angelo martyri in Sicilia, Siculus martyr B. Aloyſius; in vita auſteritate, & virtutibus alius ſuppar, etiam dies martyrii vicinus fuit (triduò dumtaxat interjecto.) In opere,* Sicilia ſacra, *auctore Abbate Netino D. Rocche Pirro, variis locis agitur de B. Aloyſio: & quidem in* Notitia ſexta (b) *quæ eſt* Eccleſiæ Mazarenſis, *ſub titulo:* DE BEATIS DREPANENSIBUS: *de ejus patria, auſtera ac vigoroſa vita, ſancto obitu, & miraculis, iſta traduntur.* De Beati Aloyſii Rabbata, ſeu Ravida, Carmelitæ M. patria viget eadem quæſtio inter eoſdem Drepanenſes, & Erycinos; Orlandinus ſuum eſſe contendit. Antonius verò Cordici in ſua hiſtoria MS. de Monte, ſuum probat: ut infra. Quòd in hoc Annuntiatæ & habitum ſumpſerit, & Carmelitanam emiſerit profeſſionem, liquet clariſſimè. Is deinde Randazenſi ſui Ordinis Conventui præficitur Prior, ubi ſolitò more ſolùm pane & aqua nutriebatur, aſperrimô ciliciô ſemper præcinctus, charitate flagrabat maxima erga pauperes, quibus eleemoſynas ſuppeditabat continuas. Illud cœnobium multis auxit beneficiis, ſuâ manu arborem, quæ nunc eſt ad hominum ſanitatem, plantavit. Dum fratrem ſibi ſubditum, zelò honoris Dei, reprehenderet, & ad frugem ducere conaretur, à ſceleſto viro Joanne Catuluccio, Monachi germano, Randazenſe, in fronte ſagittâ transfigitur, & hora, ac die obitûs prænuntiatis, ibidem die 8 Maji anno 1443. ætatis annorum 60. requievit in Domino. Ejus corpus ſub altari majori, in arca expolita, ſumptibus Rogerii Romæi Randazenſis (qui hujus Beati interceſſione viſum recepit) conſtructa, magnâ aſſervatur veneratione; eſt etiam in Drepanit. Conventu Annuntiatæ pars capitis, cum mandibula ſub altari inventa his litteris. Beati Aloyſii Rabbata: ejuſque Imago digitò extentô indicantis vulnus in fronte, manu angelicâ depicta, in templo, inter Imagines B Mariæ de Carmelo, & alios SS. Religionis, reſpicitur, ſicut in vita & morte, ita pòſt multis claruit miraculis, quæ in publicas tabulas redacta die 5. Maji 6. indict. 1553. per Antonium de Lignamine Archiep. Meſſ. precibus Randazentium: & iterum anno 1573. 20. Auguſti 1. indict. per Archiepiſc. Joan. de Retana, inſtantibus Carmelitis, tranſmittuntur ad Sedem Apoſtolicam. *Et infra, in eadem Notitia 6. ſub titulo:* MONS DREPANI, *iſta:* B. Aloyſium Rabbata Carmelitam natum fuiſſe in domibus juxta templum Montis Majus, ſcribit Cordicis (c) hoc etiam ſanctè teſtantur antiqui viri in tabulis ejus Beatificationis exſcriptis anno 1523. 1. Junii 6. indict. ab Archiepiſcopo Meſſanenſi Anton. Lignam. ad inſtantiam Randazentium, qui Aloyſii magnâ veneratione aſſervant corpus. *Et ſub eodem titulo, paulò ante, ubi de Conventu hujus Ordinis,* Annuntiatæ B. Virginis *nuncupato, de reliquiis B. Aloyſii illuc tranſlatis:* Decoratur maximè reliquiis S. Alberti Patroni, Meſſanâ anno 1508. delatis; item de crure B. Aloyſii Rabbata, operâ V. I. D. Leonardi Palazolo, anno 1620. 26. Auguſti Randazzo huc tranſlatis. *In eadem Notitia, ſub titulo:* DREPANUM URBIS, *agens de* Carmelitarum celeberrimo & magnifico cœnobio, ejuſque illuſtriſſimo templo ANNUNTIATÆ; *ac de reliquiis, quæ ibi in veneratione ſunt, inter eas recenſet* Mandibulam B. Aloyſii Carmelitani, item ejuſdem brachium: quod à Fratribus Randazii recepit Magiſter Baſilius Cavaretta anno 1640. dum præſidem in Provincia S. Alberti ageret. *Et paulò infra agens de viris illuſtribus illius Conventûs:* Hinc plures, virtutibus & literis prælucentes viri ſunt exorti: primus S. Albertus: ſecundus B. Aloyſius Rabbata. 1434.

(b) Lib. 3. pag. 554.

De B. Aloyſii patria contentio

Prior fuit Conventus Randaz. magna abſtinentia

à ſceleſto ſagittâ transfigitur,

miraculis clarus:

(c) in MS. H. ſt. de Monte S. Jul.

Reliquiæ ejus tranſlatæ, & honoratæ in variis locis:

VIII. MAII.

1434. *Octavius Cajetanus, in* Idea Sanctorum Siciliæ, *inter viros famâ ſanctitatis illuſtres, eum quoque refert pro octava Maji, in Martyrologio autem Siculo pag. 116. pro 11. Maji eum affert ſic:* In Randatio Aloyſius Prior, Ordinis Carmelitarum, pro virtute occiſus, miraculis refulſit. *In margine porrò ſic:* Acta jurata auctor. Eccleſ. *denotans, ante ea, quæ de hoc ſanctitate conſpicuo Religioſo ſcribuntur, ex Actis juratis Eccleſiæ auctoritate fidem habere. Ita Lezana in Annalibus Carmelitanis* (a). *Sed cur ad diem XI. Maji eum refert poſteriori loco, cum deceſſerit die VIII. ſicut jam ante audivimus? veriſimiliter ratione ſepulturæ eo die factæ, aut alicujus tranſlationis; ſicut ſæpius in aliis videmus, in Martyrologiis. Dicto loco Annalium vita ejus, ex Auguſtino Biſcarreto* (b) *compendioſè ſic traditur, & hoc ejus eſt initium:* Ludovicus Rabbata à Monte S. Iuliani, qui & Herycinus vocatur prope Drepanum, Mazarienſis Diœceſis, in Siciliæ Regno, in eadem patria, qua S. Albertus noſter, honeſtis ortum habuit parentibus: & ab illis à pueritia bonis fuit inſtructus moribus: inde grandior factus, paterna, ac mundana deſerens, noſtrum B. Virginis ſuſcepit habitum, & in Novitiatu optimam indolem oſtendens, ad profeſſionem emittendam admiſſus, ſanctis enitere virtutibus ſerio ſtuduit. Quare ſacris initiatus Ordinibus, ſacerdoſque factus, perfectiorem vivendi formam complexus, Prior in civitate Randatii conſtitutus fuit: quod onus ex obedientia humiliter ſuſcepit, & ſaluti animarum intentus Sacramentorum miniſterio fervidè intendens, patientiam miram oſtendit, præſertim in confeſſionibus peccatorum audiendis. Maxima enim cum charitate plurima ſacrarum Scripturarum argumenta, & loca adducens, & dilucidans, tanquam inſignis aliquis Theologus, licèt majora non attigerit ſtudia, ſuos ſpirituales filios, & alios ad pœnitentiam provocabat. Tribulatis ſolatium, egenis opem ferre toto ſtudio conabatur. Vitiorum omnium acerrimus oſor, atque reprehenſor ſemper extitit. Jejunium caſtitati corporis adjungens, omnia patienter ſuſtinere novit. Sed præcipue in eo reſplenduit humilitatis virtus; viliora enim quæque officia libenter exercebat: & qui Prioris officium gerebat, oſtiatim per urbem, & etiam per campos mendicare non dedignabatur; & ſæpe illi contigit, omnem ſibi collatam eleëmoſynam pauperibus obviantibus dare, vacuumque domum repetere. Pane, & aquâ contentus, carnem in ſpiritûs ſervitutem redigere ſtuduit, frequenſque fuit in longa, & aſſidua oratione, ac divinorum myſteriorum contemplatione. Quibus invidens virtutibus humani generis hoſtis, perverſum quendam civem Randatii incitavit, & contra noſtrum Ludovicum concitavit, ita ut eundem è conſueto queſtuationis exercitio revertentem, ſagittâ emiſsâ capiti illius, grave inflixerit vulnus: propter quod noſter pius Pater Chriſti imitator, inimico parcens, & pro illo exorans, eundem manifeſtare recuſavit. Doloribus ita graviſſimis affectus, in lectulum procumbens, aliquibus menſibus, & diebus ſupervivens, orationi, & divinæ contemplationi intentus, prænuntiato ſui obitûs die, omnibus Eccleſiæ Sacramentis devotè ſuſceptis, aliiſque multis præclarè geſtis, ſanctam Deo animam ſexagenarius reddidit. *Conſequenter agitur de ejus miraculis, de quibus hic conſequenter ex Actis authenticis. Michael à Fonte* in Compendio hiſtoriali Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, *ſub finem, in Catalogo Sanctorum & Beatorum ſic eum recenſet:* B. Pater Fr. Ludovicus Rabida, Siculus, Martyr, hæres ſpiritûs S. Angeli, multis miraculis reſplendens.

(a) Tom. 4. ad an. 1503. num. 9.

(b) in Palmit. Vineæ Carmeli *vita ejus epitome.*

virtutes

ſagitta inſligitur vulnus:

ſanctè moritur:

CAPUT II.

Informationes, auctoritate Illuſtriſſ. DD. Archiepiſcoporum Meſſanenſium, circa Vitam & miracula B. Aloyſii Rabbatæ†

† Ex Ital. in Latin. traduxit R. P. Gerard. à P. I.

1435. I*Nformationum circa vitam, virtutes, miracula, famam ſanctitatis B. Aloyſii, auctoritate prænominatorum à Dom. Roccho Archiepiſcoporum Meſſanenſium factarum anno Chriſti 1533. die 5. Maji, & ſequentibus: & rurſus anno 1573. die 19 Novembris, ac ſequentibus, & Romam ad Apoſtolicam Sedem (ut ſcribit idem Rocchus) tranſmiſſarum, exemplar authenticum aſſervatur Romæ in archivo Conventus S. Mariæ Tranſpontinæ: & inde per R. P. Seraphinum à Ieſu Maria deſumpta copia authentica, miſſa fuit in Belgium: & eſt hoc initium:* Teſtes recepti & examinati per Curiam R. Dom. Archipreſbyteri Terræ Randatii, ad litteras Reverendiſſ. Dom. Archiepiſcopi Meſſanenſis: & ad petitionem Reverendi Patris Prioris S. Michaelis Ordinis Carmelitarum Terræ Randatii, in ordine ad informandum de vita, fama, bonis moribus, ac ſignis tam tempore vitæ, quàm poſt mortem Venerabilis Fratris quondam Aloyſii Rabata, de civitate Montis S. Juliani, ſeu Drepani, Fratris prædicti Conventûs & Ordinis prædicti Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo: & hoc de mandato Domin. Judicis Curiæ R. D. Archipreſbyteri Terræ Randatii. *Informationes iſtæ factæ ſunt hâc formâ.*

informationes ſumtæ de ejus vita & ſignis:

an. 1533. per plures dies

1436. Venerabilis Preſbyter Matthæus Juitta Judex Curiæ R. Dom. Archipreſbyteri de civitate Randatii teſtis juratus, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis, dixit teſtificans, ætatis annorum ſeptuaginta, quòd ſciat ipſe juvenis exiſtens, habitaſſe in Conventu Carmelitarum civitatis Randazzenſis Venerabilem quondam Fratrem Aloyſium Rabbata (ut dicebatur Drepanenſis) Priorem iſtius dicti Conventûs: quodque ex fama publica, in dicta Randazzenſi regione

VIII. Maii. *vita, & mores:*

ne nuncupabatur Venerabilis Frater Aloyſius, ſancta & virtuoſa perſona, omnium virtutum genere decorata, patientis maximè, & optimæ vitæ. *Conſequenter referuntur præcipua quædam ejus geſta ac virtutes: & qualiter fuerit vulneratus, emiſſâ in caput ejus ſagittâ ab homine nequam, cujus fratrem de ſuis vitiis reprehenderat: & quòd noluerit indicare, quis eum læſiſſet: & quòd ex illo vulnere (unde mors ſecuta fuit) decumbens, oblata pretioſa electuaria ſumere recuſaverit, prædixeritque diem obitûs ſui, qui erat Sabbatum: & quòd ob ſingularem opinionem de ejus ſanctitate, corpus non in communi loco cum aliis, ſed ſeorſim ſepultum fuerit: tandem de tranſlatione corporis, occaſione miraculorum iſta teſtatur.* Poſt mortem

ac miracula:

publicè divulgabatur, eumdem plura miracula patrare, ſanando infirmos maximè à variis infirmitatibus & febribus eos liberando, uti liberavit teſtificantem præſentem à febre tertiana. Itidem dixit, quomodò Dom. Ro-

cæcus illuminatus:

gerio Romeo à cæcitate oculorum liberato, corpus dicti Fratris Aloyſii poſitum fuerit infra altare magnum dictæ Eccleſiæ, obſeratum certis cratibus ferreis, expenſis dicti D. Rogerii adhuc modò viventis (ut fertur). De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa, per modum ut ſupra dicta ſunt, quia interfuit, vidit, & audivit, *additur*: lecta ſibi confirmavit: *ita quoque in aliis.*

1437. Honorabilis Joannes de Junta Terræ Randazenſis, ætatis annorum nonaginta, & ultrà, teſtis juratus, & interrogatus ſuper infraſcriptis, dixit, hocce teſtimonio, ſe ſcire, quòd in Conventu S. Michaelis Ordinis Carmelitarũ fuerit, & ibidem vixerit quondam Venerabilis Frater Aloyſius Rabata,

ſancta, & patientiſſima vita fuit

quemque eodem tempore cognôrit, ſciens quòd dictus Frater habuerit ætatem annorum quinquaginta circiter inter ſexaginta: ac quòd ille erat, fueritque Venerabiliſſima perſona, ac preſbyter dicti Ordinis Sacrificia peragens, vitam ſanctiſſimam, pacificam ac patientiſſimam ducendo. *Conſequenter pleraque eadem aſſerit, & teſtatur ſicut teſtis præcedens: tandemque ſic etiam teſtimonium illud concluditur*: De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit, ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra dicta ſunt, quia interfuit, vidit & audivit ut ſupra, de loco & tempore dixit ut ſupra.

1438. Magiſter Salembenius Ruſſo, Terræ Randatii teſtis juratus, & interrogatus, ætatis circiter ſexaginta ſex annorum, dixit, quòd cognoverit quondam Fratrem Aloyſium, Religioſum Ordinis S. Mariæ Carmelitarum, in Conventu nuncupato, S. Michaelis, dicti Ordinis Carmelitarum Terræ Randatii, atque ipſum vixiſſe in dicto Conventu, vitam Religioſam ac ſanctam; ita ut palàm per totam illam regionem dictus Frater Aloyſius publicè diceretur, vitæ & geſtorum ſancti ac virtuoſiſſimi hominis. Dixit inſuper, ſe ſcire; quòd quando dictus venerabilis Frater eo tempore iret ad colligendum eleëmoſynas pro cereo Paſchali, & aliis neceſſitatibus, eamque expoſtulaſſet à quadam perſona, ab eadem graviter injuriatus fuerit, at quòd Frater Aloyſius eundem bonis verbis & factis corripuerit; dicendo: FILI; PAX TECUM, PAX TECUM, SIS BENEDICTUS: acceperitque verba injurioſa illi dicta, cum patientia.

ſingularis patientia:

Item dixit, quod cùm viæ, quibus ibatur ad Conventum, non eſſent rectæ, ſed curvæ, Venerab. Frater Aloyſius Prior dicti Conventûs intelligens, quòd ibi aliquando committerentur quædam inhoneſta circa puellas, aut mulieres; ut hoc impediretur, terras adjacentes emerit, & vias rectas fecerit propriis manibus, auxiliantibus quibuſdam aliis perſonis: ampliavit inſuper planum ante Eccleſiam & Conventum prædictum Carmelitarum.

vias ad ſollicitandam occaſionem peccatorum:

Et inſuper depoſuit, quòd eo tempore quo conficiebat dictas vias eundo ad colligendas eleemoſynas per pagos, fuerit telo exceptus in fronte, ac licèt à multis urgeretur, ut pateſaceret eum, qui telo eum trajeciſſet, dictum F. Aloyſium maximè virtuosâ patientiâ neutiquâ voluiſſe patefacere eum, qui illum trajeciſſet, dicendo: Sit quis voluerit, ſit benedictus, illi ignoſco. Ex vulnere illius interea obiit. Iterùm ſe ſcire dixit ex publica fama evulgata per Randazzenſem regionem, qualiter exiſtens imago S. Mariæ Carmelitarum in muro depicta, uti adhuc in præſenti eſt: in quo muro etiam erant depicti alii Sancti, ex integro, & completo corpore, quòd retrò illos, facie versâ ad imaginem dictæ S. Mariæ Carmelitarum, miraculosè apparuerit caput dicti F. Aloyſii, manu, & digito demonſtrando vulnus capiti telo inflictum, etiam converſum ad imaginem & figuram S. Mariæ Carmelitarum: atque ob hanc rem miraculoſam, tota regio illa fuerit rumore illo plena; adirentque idipſum videndi causà.

effigies ejus mirabiliter inter Sanctos apparet:

Inſuper affirmavit, quòd in vita dicti F. Aloyſii dictus Conventus eſſet minimus, & quaſi nihil; at poſt ejus mortem, ratione devotionis, & miraculorum continuorum, patratorum meritis illius & corporis F. Aloyſii, nunc ampliatus, & inſtauratus ſit, qualiter in præſenti eſt. Ad cujus Eccleſiam matutino tempore, & omni horâ continuò ratione devotionis, quâ feruntur erga noſtram Dominam, & dictum corpus ſanctum, frequens eſt concurſus hominum.

miracula multa circa corpus ejus

De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra, quia interfuit, vidit, & audivit. De loco Randatii, & in dicto Conventu S. Mariæ de monte Carmelo, de tempore, ut ſupra.

1439. Honorabilis Mag. Joannes Matthæus Manueli de Terra Randatii teſtis juratus, & interrogatus ſupra infra-ſcriptis, dixit ſe ſcire dumtaxat, quæ hocce continentur teſtimonio, exiſtens ætatis ſexaginta trium annorum, quòd cognôrit, & habuerit alloquia cum Venerabili Fratre Aloyſio, Ordinis Carmelitarum, Terræ Randazzenſis, morante in Conventu prædicto, nuncupato ibidem, S. Michaelis;

VIII. Maii.

qui frater Aloyſius tunc temporis erat Prior dicti Conventûs, eratque virtuoſiſſima perſona, jejunans jugiter in pane & aqua, agendo vitam religioſam & ſanctam, ab aliis abſtractam. Conſequenter refert virtutes ejus (quas ipſe ſæpius ipſum viſitans, vidit) & de variis perſonis poſt obitum corpus ejus viſitantibus, ab infirmitatibus curatis. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa per modum ut ſupra, quia interfuit, vidit, & audivit: de loco Randatii & in dicto Conventu S. Mariæ de monte Carmelo: de tempore, ut ſupra.

1440. Magnifica Johanna Zimbali relicta quondam Magnifici Thomæi Zimbali, de Terra Randatii, teſtis jurata, & interrogata ſupra infra ſcriptis, dixit tantùm ſcire, ipſa teſtificatrix, ætatis octoginta annorum, plus vel minùs, quod optimè cognoverit quondam fratrem Aloyſium Religioſum Venerabilis Conventûs Carmelitarum Terræ Randazenſis fuiſſe virtuoſæ vitæ, pacis, ac omnis virtutis decore ornatam perſonam; ducentem vitam jugiter jejunam, maxima cum patientia, quem pro more habuiſſe in ſeptimana ſemel aut bis teſtificatricis ædes accedere, cum eaque teſtificatrice, ac Magnifico Thomæo ſuo marito conferre colloquia verbis virtuoſis & bonis, præbendo multa bona exempla, omni vanitate rejectâ: utpote qui omni verbo, quod proferebat, adjiceret, ſit ad laudem Dei. *Conſequenter teſtatur de ejus virtutibus, obitu; & de filia ſua Seraphina, ejus invocatione, ab infirmitate incurabili liberata: de qua capite ſequenti. Teſtes jurati cæteri eâdem forma, partim eadem, partim alia retulerunt. Itaque cum in teſtimoniis illis plura eadem repetantur, prolixitatis ſuperflua hîc vitanda gratiâ, præcipua geſta, miracula, & beneficia compendioſe recenſita ſufficient, referenda capite ſequenti.*

frequens illi erat in ore: Sit ad laudem Dei.

informationes aliæ an. 1573.

1441. *Cùm miracula, beneficia, & gratiæ ſanitatum, poſt præfatas informationes continuarentur, uſque ad annum Chriſti 1573. tunc rurſus die 19. Novembris, & ſequentibus, auctoritate Archiepiſcopi Meſſanenſis, factæ fuerunt informationes, & proceſſus; auditi teſtes jurati plures. In Actis authenticis primùm inſerta eſt declaratio facta Archiepiſcopo Meſſanenſi, de continuatis ſignis miraculoſis ad corpus B. Aloyſii: deinde ſequitur reviſio, & ordinatio ipſius Dom. Archiepiſcopi. Tum ſequitur:* Recepti Randatii, die XVIII. Novembris ſecundæ Indictionis 1573. Informationes factæ, & examinati teſtes; per Curiam Archiepiſcopalem civitatis Randatii, de mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Meſſanenſis, ut eſt videre in dorſo cujuſdam Supplicationis decretatæ die XX. Auguſti primæ Indictionis 1573. & de mandato Magnifici, & Reverendi Domini Archipreſbyteri civitatis Randatii, ad inſtantiam Reverendi Fratris Seraphini Mancujo Vicarii Conventûs S. Mariæ montis Carmeli; nec non & Reverendi Fratris Hieronymi Stancamplano, ad informandum, ad quem ſpectat.

1442. Reverendus Frater Hieronymus Stancamplano, de civitate Randatii cognitus teſtis juratus, tacto pectore more ſacerdotali, & interrogatus ſuper toto facto, & infra-ſcriptis, dixit tantùm ſcire, qualiter ipſo teſtificante exiſtente Priore Conventûs S. Mariæ Carmelitarum dictæ civitatis, adducta fuerit ad Eccleſiam dicti Conventûs Reimonda lo Vigneri obſeſſa; idque per Joannem Antonium lo Vigneri * filium prædictæ Reimondæ, ac per certos aliquos juvenes, quodque illam non valuerint introducere in dictam Eccleſiam, ob reluctantiam & reſiſtentiam illius, ore ſpumas emittentis, ac ad inſtar ipſius dæmonis clamantis: quod tandem cum maxima vi illam in prædictam Eccleſiam induxerint, conduxerintque violentiâ in Capellam S. Mariæ Carmelitarum, acceſſerimq; ego teſtificans, tanquam Prior, incipiens legere quatuor Euangelia coram dicta Reimonda, & legendo Euangelium S. Marci, quod eſt. [Recumbentibus undecim diſcipulis] imprimendoque ſignum crucis, cum Reliquiis dicti B. Aloyſii fronti dictæ Reimondæ, ceciderit in terram velut mortua, ad aliquod temporis ſpatium, poſtque exurrexerit ſana & ſalva, Deo, & B. Aloyſio gratias agendo; exinde domum ſuam regreſſa fuerit, ac ſi numquàm fuiſſet obſeſſa (*referuntur quoque teſtes, qui adfuerunt. Tùm ſequitur:*) Inſuper quòd multæ aliæ perſonæ afflictæ febribus quartanâ &c. ac aliis infirmitatibus, ſanatæ fuerint. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit, ſcire præmiſſa, de loco Randatii, de tempore ut ſupra. *Reimonda præfata liberationem à dæmone factam an. 1566. habetur etiam ex juratis prædictis Ioannis Antonii Brudunaro, aliàs lo Vigneri, filii ejuſdem, nec non Ioanella filia, relationibus factis anno 157.. aſſerentibus, quòd id contigerit ab annis ſeptem, aut circiter. In iſtis juridicis relationibus, relatio iſtius Ioannis à Notario in hunc traditur modum:* Honorabilis Joannes Antonius Burdunaro, aliàs lo Vigneri, de civitate Randatii; cognitus teſtis juratus, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis, & toto facto, dixit tantùm ſcire, qualiter ab annis circiter ſeptem, mater ipſius teſtificatoris fuerit poſſeſſa à ſpiritu maligno, quo per annos quindecim fuerat divexata, conſultum fuerit ipſi teſtificatori, ut deferretur ad Conventum S. Mariæ Carmelitarum hujus civitatis; quia ibidem requieſcebat corpus B. Aloyſii, & multa ibi patrabantur miracula; adeoque ipſum teſtificatorem, junctis multis amicis matrem, plurimùm reluctantē, detuliſſe ad dictum Conventum: atq; R.dum fratrem Hieronymum Stancamplano Religioſū dicti Conventûs legiſſe exorciſmos ſuper poſſeſſā, eamq, ſignaſſe ſanctæ crucis ſigno in fronte, cū Reliquiis B. Aloyſii: atque tunc à maligno ſpiritu fuiſſe liberatam; & omnes

obſeſſa ad ejus corpus delata,

* etiam cognominatus *Burdonaro*

tactu Reliquiarum ejus liberata

ad marg. additur: *lecta ſibi confirmavit.*

omnes

VIII. Mart. omnes gratias pariter egerint Deo benedicto, & ſuæ Matri, ac B. Aloyſio, cujus meritis, ab illis malignis vexationibus fuerat liberata: illincque cum ſana & ſalva (priùs poſſeſſâ) domum regreſſi fuerint: nec deinceps quid ſimile apparuerit. *Conformis eſt relatio, & teſtificatio Ioannella, præfati Ioannis Antonii ſororis, & Reimondæ filia.*

1443. Rev.dus Presbyter Joſeph Malaponti de civitate Randatii cognitus teſtis juratus, tacto pectore, more ſacerdotali, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis & toto facto, dixit, tantùm ſcire, qualiter ipſe teſtificans à triginta quinque annis circiter correptus febribus, acceſſerit Conventum S. Mariæ Carmelitarum, collocaveritque ſeſe devotè ante capſam, in qua repoſitum erat corpus B. Aloyſii; fratribus autem dicti Conventûs, aquam benedictam Reliquiis Beati Aloyſii offerentibus, ea ſumptâ, illico fuiſſe ſanatum, ſanusque domum rediiſſe, nec ampliùs deinceps fuiſſe reafflictum eâdem infirmitate. *Sacerdos ſubito à febres curatus.* Inſuper ex fama publica plurimos ſanitati reſtitutos, qui ſimiliter acceſſerant, ac collocârant ſeſe ante ſarcophagum, in quo repoſitum fuerat corpus B. Aloyſii. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra dicta ſunt, de loco Randatii, de tempore, ut ſupra *Eodem illo die 19. Novembris, eâdem formâ auditi fuerunt alii teſtes jurati quatuor: & plures aliis diebus ſequentibus, 20. 22. 23. & 24. Novembris. Miracula, ſeu beneficia, de quibus iſti tunc atteſtati fuerunt, unà cum antecedentibus, ſummatim duobus capitibus ſequentibus comprehenduntur.*

CAPUT III.

Geſta, & virtutes ejus aliquot præcipuæ: obitus: miracula.

1444. INter virtutes ejus peculiariter à juratis teſtibus pluribus deprædicatur abſtinentia, & jejunium; *Abſtinentia, & jejunium:* nam ordinariè pane & aquâ contentus, carnem in ſpiritûs ſervitutem redigere, & ſenſualitatem domare ſtuduit, etiam graviter infirmus, & decumbens ex vulnere fronti inflicto, undè obiit, abſtinentiæ rigorem ſervavit: quin imò cùm non multis ante obitum diebus, à piis perſonis eum viſitantibus præſentarentur electuaria delicata confortativa, gratias agendo, recuſavit, dicens, ſe non indigere. *Caſtitatis amator:* Jejunii & abſtinentiæ filiam caſtitatem quam adamaverit, & impuritatem omnem deteſtaretur, teſtimonium perhibent molimina ejus magna, & diuturna, in rectificanda & ſternenda via, ad impedienda caſtitati oppoſita peccata.

1445. *Humilitas:* Humilitati cæterarum virtutum fundamento ſpirituale ſuum ædificium ſuperſtruens, viliora quæque officia Religionis libenter exercebat: etiam Prior exiſtens, oſtiatim per urbem, & per campos mendicare non dedignabatur: & in opere manuali, ac labore cum aliis, & præ cæteris diligentius ſe impendit, præſertim in conficienda via ad impedienda mala, quæ ibi ſubinde committebantur. *Patientia:* Patientia & manſuetudo ejus ſe produnt in eo (plurium teſtimonio tradito) quòd cùm diverſis vicibus, ſpecialiter à quodam Jeſſe, verbis valde injurioſis, & contumelioſis impeteretur, ipſe (juxta Chriſti doctrinam: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*) ſingulari cum manſuetudine, in bono malum vincens, pro contumeliis iſta rependerit: *Pax tecum, fili:* & ſimilia.

1446. *Charitas erga proximum:* Charitas, benignitas, miſericordia in pauperes in eo enituerunt, quòd cùm ipſe, & Conventus ejus pauper indigus eſſet, eleëmoſynas colligeret, non tantùm pro neceſſitate ſui Conventûs, ſed & ad ſublevandam inopiam pauperum aliorum, quibus charitativè eleëmoſynas collectas elargiebatur. De ejus charitate erga quemdam ſuum pœnitentem, & alterum, cui iſte grave damnum intulerat, iſtud in juratis teſtimoniis refertur. Quòd cùm aliquis pœnitens alteri grave damnum intuliſſet, & Aloyſius reſtitutionem injunxiſſet: ille affirmabat, id ſibi, ob inopiam, eſſe impoſſibile; interea, ut conſcientiæ conſuleret pœnitentis, de ejus licentia, illum, cui damnum illatum erat, adiit, ſupplicaturus pro condonatione: quam cùm renueret, toties rediit, & rationibus, ac precibus induxit, ut debitum remittendo, inſignem miſericordiæ, & charitatis actum iſte exerceret, & alter in conſcientia magis quietus redderetur.

1447. *Zelus ad impedienda peccata,* Ex charitate Dei procedit zelus divini honoris, qui eſt vehemens amor, ſeu animi æſtus, ex indignatione de iis concepta, quæ indignè fiunt adverſus Deum, quem amamus. Cum intellexiſſet, quòd in duabus plateis, ſeu vicis civitatis, quibus ad Eccleſiam ſui Conventûs populus accedebat, ſubindè à petulantibus, ſeu lubricis committerentur ſcurrilitates, & inhoneſtates in angulis, ſeu curvitatibus, erat enim via ſinuoſa, ſeu curva; magnoperè indoluit; hinc incenſus ejus zelus, ad impedienda peccata illa, ipſum impulit, omni ſolicitudine ſatagere, rectam fieri viam illam. Eum in finem cœpit procurare eleëmoſynas, quibus tandem terras viis iſtis circumjacentes emit: & tum rectas fecit, lapidibus, ruderibuſque conquiſitis undique ſtravit; atque ita ſublata fuit occaſio peccatorum. *& peccantes corrigendos:* Ex iſto zelo procedebant quoque monitiones, charitate mediâ, reprehenſiones, & correctiones eorum, qui deliquerant: & inde ſeminarium odii adverſùs eum, ut alteri operi bono incumbenti, eleëmoſynas videlicet colligenti, pro complemento viæ, ad impedienda peccata incontinentiæ, transfixus fuerit ſagittâ in fron- *iſtis inſiſtens accepit vulnus unde mors ſecuta.*

VIII. MAII.

fronte: undè tandem, die, quem prædixerat (Sabbato) mortem obiit; quam fuiſſe pretioſam in conſpectu Domini, teſtantur ea, quæ ſequuntur.

cæco viſus redditus: 1448. Quantùm ad miracula, beneficia, & gratias, meritis B. Aloyſii, Primum recenſetur, & à juratis teſtibus diverſis, nec non à Roccho Pirro, & Biſcarreto hic ſupra refertur, de viſu reſtituto nobili Rogerio Romæo, tactu venerabilis corporis: qui propterea ſuis ſumptibus novam honeſtiorem capſam fieri curavit, in qua illud depoſitum intra, ſeu infra altare majus collocatum fuit. Secundum non minùs admira-*effigies ab Angelo efformata.* bile, quod referunt teſtes jurati plures, & vitæ ejus Scriptores, de ejus reali, viſibili apparitione, ſeu expreſſione manu Angelicâ (ut ſcribit Pirrus) in magna pictura Eccleſiæ Conventus Randazenſis, repræſentante B. Virginem Ordinis Patronam, & præcipuos Ordinis Sanctos, in qua repentè ipſius effigies apparuit, & expreſſa fuit *plures à variis infirmitatibus liberati:* inter alios Sanctos. III. R. Dom. Matthæus Juitta Preſbyter, curatus à febre tertiana: ſicut ipſe ſub juramento, depoſuit hic ſupra.

à febre quartana: 1449. IV. Leonora Miſtretta juvencula, febre quartanâ extenuata, & ad extrema redacta, à medicis derelicta, exiſtimata morti proxima delata fuit à matre ad Eccleſiam Carmelitanam Randatii, & collocata ante altare majus, prope corpus B. Aloyſii. Ibi aqua, Reliquiis ejus benedicta, exhibita fuit: quam ut ſumpſit, protinùs meliùs *ab aliis morbis:* habens, ab infirmitate liberata fuit. V. Adoleſcens gravi correptus infirmitate, à lamentante matre delatus ad idem Venerabile corpus: ibi hauſtâ ſimiliter aquâ benedictâ Reliquiis B. Aloyſii, ab infirmitate convaluit. VI. & VII. Puella filia Thomæ Lomaligno, derelicta à medicis, cùm in extremis conſtituta videretur, mota devotionis affectu, venerata reliquias B. Aloyſii, quas rogaverat adferri, & ſumptâ aquâ, cui intinctæ fuerant, mox meliùs habuit, & paulò poſt ex integro convaluit. Ita quoque Adoleſcens, filius ejuſdem Thomæ, febre quartanâ laborans, delatus ante altare, ubi dictum corpus quieſcit, ſanitatem adeptus fuit.

à gravi dolore renum: 1450. VIII. Soror Seraphina filia magnifici Dom. Thomæ Zimbali, Ordinis S. Benedicti, gravi renum dolore afflicta erat: excreverant inſuper duo tubera, inſtar duorum panum: adhibito à medicis multiplici remediorum genere, & fruſtra, nulla ſpes humana ſupererat. Parentes moti devotione erga B. Aloyſium, illam deduxerunt ad ejus corpus, ubi totâ die perſeverabant unanimiter in oratione: interea cœpit infirma meliùs habere, ſic ut non difficulter pedes redierit ad monaſterium ſuum, & ſequenti die omninò ſana fuit: nec deinceps rein-*à vulnere & apoſtem.* cidit. IX. Venerabilis Sacerdos Nicolaus di Paterno, accepto vulnere in tibia apoſtumante, ac indè patiens graviſſimos dolores: cùm audiviſſet ad corpus F. Aloyſii multos ab infirmitatibus liberatos, devotione motus, ſe contulit ad dictam Eccleſiam, & ſe collocavit ante altare, ac ibidem per certum temporis ſpatium perſeverando, à vulnere tibiæ omninò redditus fuit ſanus. In gratiarum actionem ſe ipſum Deo obtulit, Ordinis habitum aſſumendo: in eoque Ordine vixit multis annis, divulgando miracula dicti Fratris Aloyſii.

1451. X. Mulier permoleſtâ renum afflictione affecta, ut nec decumbere, nec rectà ſtare poſſet, ante dictum corpus devotè ſe Deo, & meritis B. Aloyſii commendans, incolumis reddita fuit, & ſic perſtitit ab illa infirmitate omninò libera. XI. Franciſcus de Palerno, juvenis oppreſſus erat infirmitate nervorum, renum, & tibiarum: ſic ut annis duobus è lecto ſurgere non potuerit. Mater ejus Tudia, auditis variorum curationibus ad corpus Fratris Aloyſii, filium inter brachia eò detulit, & locavit ante altare: ubi Franciſcus obdormivit. Poſt duas circiter horas expergefactus, ſe ſanum reperit, & ſic permanſit. *à renum afflictione:* *à nervorum & tibiarum debilitate:*

1452. *Et iſta hactenus ex informationibus, Archiepiſcopi Meſſanenſis auctoritate factis anno 1533. In informationibus autem anno 1573. auctoritate ſimiliter Archiepiſcopi Meſſanenſis tunc exiſtentis, plura referuntur, pleraque facta circa ejus corpus per aquam tactu reliquiis benedictam. Ne autem cum lectoris faſtidio diutiùs ſingulis ſigillatim referendis immoremur, ea ſub compendio complectemur, deſignando annum, quo, aut circa quem acciderunt, & referendo eo ordine ſicut in illis relationibus. De Reimonda* *à variis morbis* *energumena, à dæmone, (anno 1566.) & Ioſepho Malaponte Preſbytero, à febribus (circa annum 1538.) liberatis, jam ante dictum eſt: à variis autem infirmitatibus, præſertim febribus, ſanitatem conſecuti fuerunt, nominatim ſequentes: anno circiter 1558 Auguſtinus Forte: anno 1573. Magiſter Gilius Malaponte: anno circiter 1533. Albertus Caldarara. Anno 1572. Michael Ficarra. Anno 1560. Antonius de Meſſana: Anno 1573. Urſula de Palerno: Anno 1573. Aloyſius Laporta. Anno 1572. Franciſcus Domincdo. Anno 1572. Spectabilis Dom. Ioſeph Manuele. Omnes illi ſub juramento retulerunt, & atteſtati fuerunt beneficia ſanitatis, quæ ad corpus B. Aloyſii, ſumptâ aquâ, impoſitione reliquiarum ejus benedictâ, ipſi retulerunt. Omnes ferè etiam teſtati ſimiliter fuerunt, ſe ex fama publica intellexiſſe de variis, qui ſic meritis B. Aloyſii gratiam ſimilem obtinuerunt. Ad ſingulas relationes, ſub finem, ad marginem apponitur:* Lecta ſibi confirmavit.

Annus obitus: 1453. ANNOT. De anno obitus, & titulo Beati. *Quemadmodum circa annum obitûs SS. Virginis Deiparæ S. Alberti, & aliorum non paucorum, Scriptores in diverſas abeunt ſententias: ſic quoque nonnulli exiſtimârunt B. Aloyſium obiiſſe anno 1403. Alii illum ſtatuunt ipſius nativitatem, obitûs autem annum 1503, ita Biſcarretus in vita ejus, ac cum eo Lezana* (a). *& Mannozius noſter* (b) *& ſic tenendum, habetur ex juratis teſtimoniis teſtium anni 1533 nam eorum plures ipſum noverunt, & educati fuerunt, qui anno 1403 nondum nati erant.*

(a) in Annal. ad an. 1503. num. 9.

(b) in Propug. Eliæ

Titulus

Titulus Beati ipſi tribuitur à pluribus; etiam ante annos centum in relationibus, ſeu proceſſibus, auctoritate Meſſanenſis Archiepiſcopi factis; & quidem in relationibus, factis anno 1573. plus quàm trigeſies identidem repetitur: Beatus Aloyſius; unde habetur, quòd tunc paſſim generaliter ſic nuncuparetur. Iſtorum veſtigiis ſecurè nos poſſe inſiſtere cenſuimus, conformiter proteſtationi hic ſuprà ſub initium hujus Tomi: videatur circa hoc Ven. P. Lezana. (a)

(a) * Ibid. num. 9.

XII. MAII.

VITA B. NONII

* al. Nunii & Nunnii

ALVAREZ PEREIRA, *ex Comeſtabili Luſitaniæ, magnoque Principe humilis Donati in Ordine B. Virg. Mariæ de monte Carmeli, ipſius Deiparæ cultûs ſtudioſiſſimi.*

AN. MCCCCXXXII.

NOTATA PRÆVIA.

B. Nonius ſe humilians,

1454. QUi ſe humiliat, exaltabitur: *ita nos inſtruit magiſter veritatis Dominus noſter: qui cùm* humiliaſſet ſemetipſum... *propterea* exaltavit eum Deus. *Chriſti exemplum ſecutus fuit Nonius Alvarez Pereira, Princeps magnus, qui ſpretis mundanis omnibus honoribus, voluptatibus, divitiis*, elegit abjectus eſſe in domo Dei: *in domo Matris Dei; in Carmeli Ordine, ipſi SS. Dei Genitrici peculiariter dicato; etenim non inter Sacerdotes, non inter Clericos, non inter fratres Laicos, integrâ veſte gaudentes, ſed inter infimi gradûs Donatos, ſeu ſemi-fratres locum elegit: & humillima Religionis exercitia ſua eſſe voluit, veluti oſtiatim eleëmoſynas petere, & ſimilia. Propterea etiam fuit à Deo ſublimatus celſis meritis, & divinis delibutus chariſmatibus, miraculis multis decoratus: & qui temporalia ac mundana omnia abjecerat (inſtar priſſimorum Antigoni, & Euphraſiæ, parentum S. Euphraſiæ)* (b) *poſt Beatricem filiam ſuſceptam ex conjuge, cum ea deinceps continentiam & caſtitatem illibatam ſervavit, uſque ad ipſius obitum: ac deinceps (poſt conjugis deceſſum nullis hortationibus acquieſcens, de altero matrimonio ineundo) uſque ad finem vitæ: per præfatam autem filiam ſuam unicam, benedictionem etiam temporalem ampliſſimam aſſecutus fuit*, ut Regibus multis (*imò & Imperatoribus*) fons & origo fuerit, *videlicet mediante filiâ illâ ſuâ Beatrice, legitimo matrimonio junctâ Alphonſo Comiti Bercellenſi, & primo Brigantino Duci; ex illo enim* tam numeroſam enixa eſt ſobolem, uſque adeò fortunatâ poſteritate diffuſam, quòd Europæ ferè univerſæ Reges ac Principes, hodieque ſuperſtites, ab ea originem ducant. *Ita in Agiologio Luſitano, ut mox audiemus.*

à Deo exaltatus:

(b) de quibus hîc ſuprà ad XIII. Martii num. 1088.

Caſtitas ejus in matrimonio, & deinceps:

poſteri ejus ſunt Reges, & Principes præcipui Europæ.

1455. *Quantùm ad B. Nonii progeniem, Rodericus da Cunha, genere, doctrinâ, & infulis illuſtriſſimus, primùm Archiepiſcopus Bracharenſis deinde Olyſſiponenſis: in hiſtoria Eccleſiaſtica Bracharenſi, Luſitano idiomate publicata, parte 2. cap. 42. ſcribit:* Antiquiſſima, & Illuſtriſſima apud Luſitanos familia Pereira, ex priſcis Regibus Oveti & Legionis trahit originem ibi: Comites igitur Gundiſalvus Pereira, & Urraca Vaſquez, clariſſimi conjuges procrearunt Gundiſalvum Pereira. *Is parens fuit Alvari Gonzalvez Pereira à quo Nonius noſter genitus eſt: præfatus autem* Comes Gundiſalvus Pereira *proavus extitit B. Nonii. Capite autem 43 iterum mentio introducitur noſtri Nonii, his (ex Luſitano in Latinum) verbis:* à Nonio Alvarez Pereira Portugaliæ Comeſtabili Carolus V. Imperator, & Europæ univerſæ Chriſtiani Reges aut Reginæ, vel utriuſque ſexûs Regiæ perſonæ genus ducunt; *ſcilicet mediante filia præfatâ Beatrice, cujus poſteritatem ſic literaliter recenſet idem Archiepiſcopus:* D.^na^ BEATRIX PEREIRA legitima NONII filia nupſit D. ALPHONSO, filio Joannis I. Regis Portugaliæ, & primo Duci Brigantino: D. JSABELLA legitima ALPHONSI ET BEATRICIS (filiæ B. NONII) proles nupſit D. JOANNI Portugaliæ Infanti: D. ISABELLA legitima JOANNIS & præfatæ JSABELLÆ filia nupſit JOANNI II. Caſtellæ Regi, & Regina fuit. D. JSABELLA legitima præfatorum JOANNIS II. & JSABELLÆ conjugis Regum Caſtillæ filia, antonomaſticè REGINA CATHOLICA, uxor fuit FERDINANDI REGIS CATHOLICI: D. JOANNA præfatorum Regum Catholicorum FERDINANDI ET JSABELLÆ filia, hæres & Regina nupſit PHILIPPO AUSTRIACO I. Caſtellæ Regi: D. CAROLUS V. Imperator, filius legitimus, & hæres PHILIPPI, & JOANNÆ Regum, atque NONII COMITIS nepos. *Huc uſque ex præfato Archiepiſcopo Roderico. Rodericus Mendes Silva, in opere* de conditis urbibus, & oppidis Hiſpaniæ, *cùm folio 275. tradidiſſet B. Nonium noſtrum ſecundùm Portugaliæ Comeſtabilem extitiſſe; interſerens Genealogias Regias Hiſpanicas, folio 276. poſteritatem B. Nonii per filiam Beatricem, neptem Iſabellam Reginam Caſtellæ, matrem alterius Iſabellæ Reginæ Catholicæ, & Beatricem matrem Emanuelis Portugaliæ, deſcribit omninò conformiter jam relatis, ex præfato Dom. Illuſtriſs. Archiepiſcopo Cunha. Itaque fuit Carolus V. B. Nonii nepos quintus, per præfatam Beatricem, filiam B. Nonii. Atque indidem univerſi fermè Reges Europæ tunc ſuperſtites: hodieque Leopoldus Imperator: Carolus II. Hiſpaniarum Rex: Ludovicus XIV. Gallıarum Rex: Petrus Portugalliæ Princeps Regens: Catharina Magnæ Britanniæ Regina & Eleonora Poloniæ Regina; cum omnibus & ſingulis*

Genealogia poſteritatis B. Nonii,

per Beatricem filiam, conſequenter,

uſque ad Carolum V. & Leopold. Imp. ac alias Regias perſonas,

V. Maii. ac pater ejus fuit. Alia plura de miraculis S. Angeli teſtatus fuit, peculiariter de peſte mirabiliter extincta: prout dictum hic ſupra.

1418. Artium, & medicinæ Doctor Joſeph de Raymundo, ætatis annorum ſexaginta unius &c. dixit, & teſtatus eſt, quod a ſua pueritia viderit, & audiverit, quod Deus, meritis S. Angeli plurima miracula operatus fuerit . . . & quòd cùm ante annos quadraginta eſſet in ſtudiis, & ſe dediſſet in ſocietatem quorundam Catalonum; unus eorum Joannes Grial nuncupatus, dixit ipſi teſti: Habetis in veſtra civitate eximium Sanctum, & miraculis illuſtrem, videlicet S. Angelum Martyrem Carmelitanum. Viditque eodem tempore iſthuc navem appellere, quæ aſſumptis Leocatæ frugibus, à Portus Præfecto, plura vaſa acceperat aquæ de fonte S. Angeli, ſigillata à Juratis Leocatenſibus, quæ cùm aſperſa eſſet ſuper oculos cujuſdam cœci, cœpit ille ſtatim lucem aſpicere. quidam etiam brachio mancus eodem remedio ſanitatem obtinuit; factoque ad eamdem participandam concurſu infirmorum, grandia quamplurimis obtigerunt beneficia. *Similiter Franciſcus Vaſilla & Franciſcus Patenti, artium, & medicinæ Doctores & Ioannes Baptiſta de Omnibeni medicus chirurgus jurati teſtes varia retulerunt miracula quæ viderant.*

In Catalonia aquâ de fonte S. Angeli cæcus illuminatus.

1419. Capitaneus Vaſcus de Savavedra Hiſpanus de Regino Caſtellæ veteris, ætatis ſexaginta unius annorum incirca, Regius Caſtellanus Regii caſtri Leocatæ &c. teſtando dixit, qualiter filius ſuus Petrus duodennis equitando, & vim ſibi inferendo gravem contraxiſſet herniam: advocatiſque medicis varia fuerint adhibita remedia: ſed incaſſùm, atque ita malum judicabatur incurabile, duraveritque annis quatuor, & ſæpè cum magno cruciatu ipſius infirmi. Ipſe igitur teſtis cum conjuge, & filio devotiſſimè diu multumque implorarunt opem S. Angeli: cujus interceſſione ſubitò curatus fuit: pulſatis itaque campanis, in gratiarum actionem Miſſa ſolemniſſima, celebrata fuit ante Reliquias S. Angeli.

1420. Magiſter Horatius Raynel Melitenſis, comparens die XXXI. Januarii MDC.XXVI. dixit, quod Septembri proximè præterito venerit in navi cum aliis multis, Alexandriâ Melitam; Ipſis autem Cretenſe mare tenentibus, exorta eſt tempeſtas horribilis, cum ventis, imbribuſque, ita ut de naufragio vehementer periclitarentur. Erat ibi inter alios mercator quidam Græcus, Joannes Baptiſta Ortonius nuncupatus, qui dixit ipſi teſti; [Da mihi peram meum, quia ibi continetur fruſtillum de ligno veteris arcæ S. Angeli Martyris Carmelitani, quam mater mea Leocatæ accepit, ac mihi dedit Melitæ, eſtque in multa devotione.] Acceptum ergo fruſtillum è goſſipio, cui involutum erat; juſſù D. Ortonii, miſit in mare, poſt quàm ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitaſſet. Neque mora: ipſo inſtanti ceſſàrunt venti, pluviæque, & facta eſt in mari tranquillitas magna, interceſſione Martyris, cui ipſe teſtis cum nautis & vectoribus cæteris libenter gratiam retulerunt, cùm Melitam appulere: undè poſtea ipſe teſtis cum Alexandrinis mercibus huc advenit, & gratiam ſibi factam, publicè notam eſſe voluit.

tempeſtas ſæviſſima reliquiis S. Angeli ſubitò ceſſat.

1421. Magiſter Angelus Mortillito, ætatis annorum centum unius, dixit ſcire, qualiter, annos circiter ſeptuaginta, ipſo nec præſente, & quondam Don Jacobo Accomando Eccleſiæ Capellano, oleum effluxerit in Eccleſia S. Angeli quemadmodum etiam fluxiſſe alias, ipſe teſtis in eadem Eccleſia viderat, nec non audiverat a ſenioribus Leocatenſibus. Tùm verò ad famam ebullientis olei concurriſſe multos infirmos, qui eò uncti, ſalutem recipiebant: inter quos ipſe teſtis recordatur fuiſſe puellam quinquennem, filiam Nicolai Schembri hortulani, cui latus unum exaruerat, quare in ipſo loco ſe ponens, unde oleum profluxerat, eòque ſuum latus ungens, confeſtim accepit ſanitatem. Item quod ab annis circiter ſexaginta, ipſe, aliique ex familia Magiſtri Paſchaſii Galia, deportaverit in Eccleſiam S. Angeli filiam ipſius Paſchaſii, Palmam; à dæmonibus vexatam, quam multi ſacerdotes exorcizando fruſtrà fuerant conati liberare. In hac ergo Eccleſia cœpit immundos ſpiritus adjuvare Don Franciſcus Blondus, Sacerdos: cui non diu fuit laborandum: quia dæmones aliquantulum reluctantes, citò confeſſi ſunt, non poſſe ſe diutiùs eo loco perſiſtere, ubi eſſet corpus ejus Sancti, quem tantoperè formidabant. Ergo in ſignum ſuæ egreſſionis, juſſi ſunt tres lampades extinguere: quo facto, dicta Palma tunc, & deinceps libera apparuit: reſque, ut miraculoſa, palàm vulgata eſt. Eodem anno venit & alia mulier Jacobella nomine, uxor Angeli lo Curri; & ipsâ, quâ in Eccleſiam inducta eſt, horâ, poſt adjurationes nonnullas, mundata fuit, quietaque, ac ſi numquàm impurum hoſpitem circumgeſtaſſet. Circa eadem verò tempora Leocatam venit quidam Melitenſis Petrus appellatus, energumenus etiam ipſe: qui aquâ fontis S. Angeli ſeſe abluens, ipſe à ſe dæmonem expulit; dumque, eo egreſſo, tantiſper decumbit in media Eccleſia, ſub majori fornice ſeque perfricat; ſuſtulit eum de loco Jacobus Accomandus illius Eccleſiæ Capellanus, & ex ipſo loco, ubi cubuerat, Petrus vidit oleum ſcaturire.

Oleo in Eccleſia S. Angeli ſcaturiente infirmi plures curati.

Energumeni tres liberati.

1422. Antonella Delabiſo relicta quondam Phei Delabiſo, ætatis annorum ſexaginta quinque incirca civis Leocatæ cognita præſens teſtis jurata, dicit ſcire, qualiter in æſtate proximè præterita, ipſa, & Angela uxor filii ejus Joſephi, qui, Sancto noſtro

V Maii. noſtro opitulante, à peſte fuerat præſervatus. juſſæ ſunt domi tanti per latere, quia vulgò habebantur ſuſpectæ, ut infectæ. Cùmque jam quadraginta diebus, & aliis quatuordecim, ab hominum conſortio manſiſſent abſtractæ, ex ordinatione Juratorum civitatis, & Præfectorum ſanitatis, debebant ipſæ, (ſicuti omnes ſic ſequeſtrati) antequam in publicum prodirent, ſe, & ſua purificare in balneo, aut ire ad mare, & ibi ſe abluere. Cùm autem non haberent domi aquam pro balneo, nec aliquem, qui adferret, veritæ, ne cogerentur ire ad mare, præ verecundia valdè anxiæ, ſe converterunt ad implorandam opem à S. Angelo: & ecce, in puteo anteà ſicco, apparuit aqua limpidiſſima, inſtar cryſtalli, quantùm ſufficeret ad balneum; quò erat opus: lotæ ut erant, & mundatæ, evolutis octo diebus, prodierunt in publicum, ſolitis ſe commerciis applicando. Sed reverſæ poſtea ad puteum dictum; ut haurirent aquam, pro neceſſitate domûs, repererunt, ut anteà, exſiccatum, nil in fundo videntes, niſi terram aridam, ut adhuc videre eſt in hodiernum diem.

mirabiliter aqua ex ſicco puteo ſcaturit.

1423\. Angelucia uxor Alfii Graſſo, ætatis annorum quadraginta incircà, dicit, teſtaturque, ut ſupra, quòd à biennio in filiola ſua Roſa, bimeſtri tumor apparuerit in inguine: medici conſulti herniam dicebant: haud diu poſt, etiam debilis, & impotens fuit effecta in omnibus membris; quaſi oſſibus caruiſſet: medici paralyſim judicabant. Opem meritis S. Angeli ſperans, identidem ejus reliquias viſitabat. Tandem menſe Majo proximè elapſo, octavâ die feſti ipſius filiolam detulit ad Eccleſiam S. Angeli, ejus implorans auxilium: & ecce ſubitò tumor evanuit, & mox viſitata à Joanne de Ramundo medico phyſico, & chirurgo, reperta fuit integrè ſana; non tantum ab hernia, ſed & à paralyſi: quo publicato, cum multis lacrymis, & altis vocibus populus acclamabat: Miſericordia: & nomen, ac cognomen infantis in tabulas publicas relata ſunt.

hernioſa ſanatur:

1424\. *Animadvertendum, quòd teſtes ferè omnes hactenus adducti, etiam alia de miraculis S. Angeli deponant: ſed illis, & aliis, quæ reliqui atteſtati fuerunt, ſuperſedendo, nimiæ hîc prolixitatis vitandæ causâ; duo peculiariter hîc notanda videntur.* Primum: *Plurimi teſtes, relati in volumine miraculorum S. Angeli; mira tradunt* de fonte S. Angeli ſcaturiente in loco ſepulturæ ejus, ac de aquis indè ebullientibus: *& quidem de fonte*, ſubinde miraculosè moveri aquam ejus, & tunc plures ſanitatem retuliſſe. *Teſtantur etiam plures,* ſe vidiſſe ſæpiùs, vaſcula impleri ex aqua fontis illius, ac ſigillo publico civitatis obſignari, ut impoſita navibus, ad exteras & longinquas vehantur regiones: & ibi per eam beneficia ſingularia præſtita variis: de cœco illuminato, & aliis gratiis per eam præſtitis Barcinonæ, audivimus ex Joſepho de Raymundo hîc ſupra: ita quoque in vaſculo tranſlatam in Meliten (ſeu Maltam) inſulam notiſſimam, ibi ſimiliter mulierem cœcam per eam viſum recuperaſſe, *retulit Laurentius Burgius, Melitenſis natione, teſtis XLI.* Panhormum tranſlata plurimis ſingularia ibi præſtitit beneficia, præſertim tempore peſtilentiæ, civitatem illam graviter affligentis, circa annum Chriſti 1625. & ibi tunc Marchioniſſam Gibellinaram gravi oculorum infirmitate correptam, & prorsùs cœcam effectam, fruſtratentatis medicorum remediis, per eam aquam viſum recuperaſſe: in cujus beneficii monumentum, binos oculos argenteos miſit Leocatam, appendendos ante arcam Reliquiarum. *Ita refert Joannes Baptiſta Fornica, teſtis XCVIII. qui etiam teſtatur* ſe vidiſſe mulierem paralyticam aquâ fontis illius ablutam; ex integro convaluiſſe: *teſtatur quoque*, quòd ipſe Juratus civitatis ſæpius ſigillo communi civitatis obſignaverit vaſcula aliò mittenda, & Præfectus portûs viderit frequenter navibus ex aliis regionibus etiam vaſcula iſtius aquæ impoſita fuiſſe. *Varii etiam oculati teſtes aſſerunt*, ſe ſubindè vidiſſe circa altare majus Eccleſiæ S. Angeli ſcaturire oleum, quo infirmitates plurimæ curatæ fuêre. *Ita ſe vidiſſe teſtantur Don Angelus Roya, & Magiſter Angelus Martillitto, ætatis centum unius annorum: quorum teſtimonia etiam de aliis præceſſerunt hîc ſuprà. De oleo iſto, & de fonte S. Angeli ſermo fuit quandoque etiam in antecedentibus.*

aqua de fonte S. Angeli ad varias regiones tranſlata

per eam cæcus illuminatus & alii inſignes ſanati.

1425\. Secundum notabile: *Teſtes pleriquepræcedentes, & de cæteris etiam plures deponentes de miraculis & beneficiis, meritis S. Angeli præſtitis in ſe, aut in aliis, quæ ſuis oculis viderunt, aut ab iis qui viderant, audierunt; unà etiam ſub eodem juramento tradunt*, ſe à ſuis parentibus, aut aliis ſenioribus, intellexiſſe de miraculis plurimis, & quaſi innumeris, etiam olim, ad interceſſionem S. Angeli patratis. *Sed de miraculis iſtis antiquis, olim in magnis voluminibus ſcriptis, ſatis dictum hîc ſuprà.* (a)

(a) cap 1 num. 1389. & ſeq

CAPUT VII.

Miracula S. Angeli in Actis Sanctorum *ordinatè digeſta per capita XII. quorum ſummaria hîc traduntur.*

1426\. M*Iracula S. Angeli copiosè, & prolixè à teſtibus relata, & plerumque ab eodem plura; & etiam à pluribus ſæpè eadem, cùm convenienter huic operi inſeri non poſſint omnia, ne nimiùm excreſcat, plura de illis deſiderans, adire poterit* Acta Sanctorum menſis Maji, *digeſta per RR. PP. Godefridum Henſchenium, & Danielem Papebrochium, Societatis* Jesu: *ibi ad diem V. poſt vitam S. Angeli ſub titulo:* Miracula, & beneficia, ex

V. MAII.

ACTA SANCTORUM *in iiſdẽ ad 5. Maji miracula S. Angeli plenius digeſta in XII. titulos.*

depoſitionibus Juratorum teſtium, præcipuè anno 1625. à 2. Octobris, ad 25. Novembris, in publicas tabulas relatis, *Miracula & beneficia, meritis, & intercesſione S. Angeli facta, in iſto authentico volumine, ſeu exemplari Romà in Belgium miſſo, contenta, & prolixe deſcripta, præfatus R. P. Daniel Papebrochius latinitate à ſe donata, in XII. diſtribuit titulos, ſeu capita. Cur autem ſic proceſſerit, rationem reddens, ſcribit:* Res prolixa eſt, ac ferè ducentas paginas minutæ ſcripturæ complet: quare vitandi faſtidii causà, excerpemus ex ſingulis relationibus, quod in unaquaque præcipuum eſt: & ſi quid ſæpius relatum à variis, ejus ſolius utemur verbis, cujus præ cæteris vel dignitas perſonæ, vel ſcientiæ certitudo prærogativam mereri videbitur. Ordinem quoque non eum ſequemur, quo auditi ſunt ſinguli: ſed res ipſas ab iiſdem relatas, in certa quædam digerentes capita: ſic ſtudebimus brevitati, ut ad auctoritatis firmitudinem deſit nihil, neque abundet aliquid ad legentium nauſeam. *Capitum autem tituli ſunt iſti:*

1427. CAP. PRIMUM. Leocatæ anno 1625. contagium ſerpere deprehenditur, Lazaretum inſtituitur, Sancti auxilium utiliter invocatur.

CAP. II. Ex primo infectorum contagio inficiuntur plures & à Sancto omnes juvantur.

CAP. III. Alii ſimiliter infecti & liberati: item alii qui ſe infectos diſſimulabant.

CAP. IV. Leocatenſium, ob peſtem ſublatam, gratitudo miraculis honorata: antiquiora ipſius Sancti erga civitatem beneficia.

CAP. V. De oleo, & aqua ex loco ſepulturæ ſcaturiente, & pluribus etiam exteris ſalutari, atque adjutis parturientibus.

CAP. VI. A periculis maris, piratarum, ac fluviorum, S. Angeli meritis eruti.

CAP. VII. A dæmonibus, & beſtiis ferocientibus liberati, ope S. Angeli.

CAP. VIII. Periculosè lapſi, læthaliter ſaucii, & alii moribundi adjuti per S. Angelum.

CAP. IX. De hernioſis per S. Angelum ſanitati reſtitutis.

CAP. X. Aliæ ſimiles hernioſorum curationes, S. Angeli meritis adſcriptæ.

CAP. XI. Calculi & veſicæ dolores, febres item & hydropiſis curata per S. Angelum.

CAP. XII. Cœci illuminati, curati paralytici, per invocationem S. Angeli.

Panhormitani Senatûs teſtimonium de miraculorum S. Angeli deſcriptione.

1428. *In exemplari miraculorum, & beneficiorum iſtorum, quæ ſub præfatis titulis in iſtis Actis Sanctorum referuntur: & unde jam ante relata Capit. 2. 3. 4. & 5. & 6. ſunt producta, ſub finem hæc ſubſcripta ſunt:* Senatus Panhormitanus fidem facimus & teſtamur, qualiter ſupradictæ extinctæ & ſubſcriptiones fuerunt & ſunt extractæ, & ſubſcriptæ manibus propriis Jacobi Murci Notarii publici civitatis Leocatæ, & Alexandri Formica, Franci Foglietta, Franciſci Grugno, Don Calcerandi de Caro Juratorum, Magiſtri Notarii, & Actuarii dictæ civitatis Leocatæ: & dicta officia exercent in dicta civitate Leocata, ut nobis conſtat ex teſtificatione oretenùs facta cum juramento per V. J. D. Conſtantinum Reciputo Notarium Angelum Bruxia civitatis Leocatæ, & Notarium Balthaſarem Zamparrone, Apoſtolicum & Regium Notarium hujus felicis urbis Panhormi: cujus actis, copiis, extractis, fidibus, & ſubſcriptionibus, in Judiciis, & extrà, plena, ac indubia adhibetur fides; & in teſtimonium præmiſſorum, has præſentes noſtras teſtimoniales litteras fieri juſſimus, noſtroque ſolito, quo utimur, ſigillo, in pede munitas, ex prædicta urbe felice Panhormi, die X. Maji 8. Indict. 1640. *Locus ✠ magni ſigilli repræſentantis Regem grandævum tenentem aquilam, habentem alas expanſas, cùm hac circumſcriptione:* PANHORMUS CORONA REGIS, ET REGNI CAPUT.

Leocatenſium pietas & ſedulitas.

1429. NOTANDA TRIA, CIRCA HACTENUS DICTA *additur denique quartum:* DE S. ANGELO AD SCALAM SANCTAM. PRIMUM: *Leocatenſium pietas erga ſuum Protectorem S. Angelum, & ſingularis ſedulitas in deſcribendis olim in magnis voluminibus, & hoc ſeculo examinandis; ac annotandis miraculis, ejus intercesſione patratis, peculiariter reſplendens, aliis civitatibus & oppidis in exemplum hîc propoſitum eſt. Hinc mirum non eſt S. Angelum à ſuis clientibus amore, & cultû vinci neſcium, tanta illis contuliſſe beneficia.* SICUT DEUM, ET SANCTOS COLIMUS, SIC IPSI NOS VISITANT; *præſertim* cùm virtutum eorum tramitem imitantibus veſtigiis proſequimur.

S. Angeli ætas, & vitæ chronotaxis.

1430. SECUNDUM; *Quantùm ad ætatem* S. *Angeli (de quo nonnulla hic ſupra [ ]) Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali libro* 8. *cap.* 9. *ſcribit:* Obiit ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto. *Ita quoque Lezana, in Annalibus, Tomo 4 ejus, & fratris nativitatem referens ad an. Chriſti* 1186. *ingreſſum in Carmeli Ordinem anno* 1204. (*cùm octodecim eſſent annorum*) *Sacerdotium anno* 1214. *cùm annorum eſſent* 28) *& martyrium anno* 1220. *Reverendiſſimus P. Philippinus in vita S. Angeli, cenſet eum tunc fuiſſe annorum* 35. *Id ſi intelligatur de inchoato, ſic etiam præfatis concinit. Itaque vere* conſummatus in brevi, explevit tempora multa; *quippe intenſa charitatis fervor omnia ejus opera fecit aurea, ſic ut tempore paucorum annorum meruerit decuplò, & centuplò plus, quàm alii plurimi tempore multò longiore promererentur.*

variæ S. Corporis translationes.

1431. TERTIUM: *Quoad corpus S. Angeli, illud ſepultum fuit Leocatæ, in loco, ubi martyrium ſubiit; deinde in loco ſepulturæ germinante lilio, quaſi ex ore ejus, illoque reciſo, rurſùs excreſcente, corpus extractum fuit, & reconditum in honorabili capſa. Deinde gliſcentibus plurimis miraculis, fabricata fuit capſa argentea, & in ea corpus depoſitum anno Chriſti* 1486. *anno autem* 1623. *nova pretioſior argentea arca facta fuit.*

V. MAII. *fuit, in qua uſque in præſentem diem aſſervatur, tranſlata anno Chriſti 1662. ad novam Eccleſiam. De iſta, & aliis antecedentibus tranſlationibus peculiariter ad diem XXVII. Auguſti agetur.*

1432. Sanctus Dei Angelus Carmelita
S. Angeli piotas ad Scalam Sanctam Martyr, habiturus concionem in Baſilica Lateranenſi, Scalam Pilati aſcendendo genuflexus, ſeipſum, & circumſtantes ad lacrymas provocavit. *Ita Nicolaus Proceſſi, in libro, tempore Urbani V. circa annum Chriſti 1370. ſcripto: cui titulus:* Codex miſcellaneus. *Indicat, id ſe habuiſſe* ex archivo Carmelitarum. *Liber ille MS. compactus in tabellis ligneis, cum lamellis ex aurichalco, extat Romæ in Bibliotheca Vaticana, nondum cùm aliis ſignatus certo numero. Nicolaus ille beneficiatus erat in Eccleſia Lateranenſi anno 1362. & ſequent.* (a) Scala Pilati *olim, nunc* Scala ſancta *dicitur. Extat Romæ apud Eccleſiam Lateranenſem. Hæc Româ accepimus, cùm, abſolutâ impreſſione vitæ S. Angeli, miracula adhuc ſub prælo eſſent.* (a) Ita Joſeph Maria Soreſ in opuſ. de Scala ſancta.

VIII. MAII.

AN. MD.III.

VITA, ET MIRACVLA B. ALOYSII

(ſeu LUDOVICI) Rabbatæ, Siculi, Prioris conventûs Randazenſis *

* ſeu Randatii.

CAPVT PRIMVM.

Vitæ epitome, ex SICILIA SACRA *Rocchi Pirri Abbatis Netini S. Theol. ac Utr. Iuris Doctoris: & quædam elogia ex aliis.*

1433. *S. Angelo martyri in Sicilia, Succeſſus martyr B. Aloyſius; in vitæ auſteritate, & virtutibus aliis ſuppar, etiam dies martyrii vicinus fuit (triduô dumtaxàt interjectô.) In opere,* Sicilia ſacra, *auctore Abbate Netino D. Rocche Pirro, variis locis agitur de B. Aloyſio: & quidem in* Notitia ſexta (b) *quæ eſt Eccleſiæ Mazarenſis, ſub titulo:* DE BEATIS DREPANENSIBUS: *de ejus patria, auſtera ac rigoroſa vita, ſancto obitu, & miraculis, iſta traduntur.* De Beati Aloyſii Rabbata, ſeu Ravida, Carmelitæ M. patria viget eadem quæſtio inter eoſdem Drepanenſes, & Erycinos; Orlandinus ſuum eſſe contendit. Antonius verò Cordici in ſua hiſtoria MS. de Monte, ſuum probat: ut infra. Quòd in hoc Annuntiatæ & habitum ſumpſerit, & Carmelitanam emiſerit profeſſionem, liquet clariſſimè. Is deinde Randazenſi ſui Ordinis Conventui præficitur Prior, ubi ſolitô more ſolùm pane & aqua nutriebatur, aſperrimô ciliciô ſemper præcinctus, charitate flagrabat maxima erga pauperes, quibus eleëmoſynas ſuppeditabat continuas. Illud cœnobium multis auxit beneficiis, ſuâ manu arborem, quæ nunc eſt ad hominum ſanitatem, plantavit. Dum fratrem ſibi ſubditum, zelô honoris Dei, reprehenderet, & ad frugem ducere conaretur, à ſceleſto viro Joanne Catuluccio, Monachi germano, Randazenſe, in fronte ſagittâ transfigitur, & horâ, ac die obitûs prænuntiatis, ibidem die 8 Maji anno 1443. ætatis annorum 60. requievit in Domino. Ejus corpus ſub altari majori, in arca expolita, ſumptibus Rogerii Romæi Randazenſis (qui hujus Beati interceſſione viſum recepit) conſtructa, magnâ aſſervatur veneratione; eſt etiam in Drepanit. Conventu Annuntiatæ pars capitis, cum mandibula ſub altari inventa his litteris. Beati Aloyſii Rabbata: cujuſque Imago digitô extentô indicantis vulnus in fronte, manu angelicâ depicta, in templo, inter Imagines B. Mariæ de Carmelo, & alios SS. Religionis, reſpicitur, ſicut in vita & morte, ita pòſt multis claruit miraculis, quæ in publicas tabulas redacta die 5 Maji 6. indict. 1553. per Antonium de Lignamine Archiep. Meſſ. precibus Randazenſium: & iterum anno 1573. 20. Auguſti 1. indict. per Archiepiſc. Joan. de Retana, inſtantibus Carmelitis, tranſmittuntur ad Sedem Apoſtolicam. *Et infra, in eadem Notitia 6 ſub titulo* MONS DREPANI, *iſta:* B. Aloyſium Rabbata Carmelitam natum fuiſſe in domibus juxta templum Montis Majus, ſcribit Cordicis (c) hoc etiam ſanctè teſtantur antequi viri in tabulis ejus Beatificationis exſcriptis anno 1543. 1. Junii 6. indict. ab Archiepiſcopo Meſſanenſi Anton. Lignam. ad inſtantiam Randazenſium, qui Aloyſii magnâ veneratione aſſervant corpus. *Et ſub eodem titulo, paulò ante, ubi de Conventu hujus Ordinis,* Annuntiatæ B. Virginis *nuncupato, de reliquiis B. Alo. huc illuc tranſlatis;* Decoratur maximè reliquiis S. Alberti Patroni, Meſſanâ anno 1508. delatis; item de crure B. Aloyſii Rabbata, operâ V. I. D. Leonardi Palazolo, anno 1620. 26. Auguſti Randazzo huc tranſlatis. *In eadem Notitia, ſub titulo:* DREPANUM URBIS, *agens de* Carmelitarum celeberrimo & magnifico cœnobio, ejuſque illuſtriſſimo templo ANNUNTIATÆ; *ac de reliquiis, quæ ibi in veneratione ſunt; inter eas recenſet* Mandibulam B. Aloyſii Carmelitani, item ejuſdem brachium: quod à Fratribus Randazii recepit Magiſter Baſilius Cavaretta anno 1640. dum præſidem in Provincia S. Alberti ageret. *Et paulò infra agens de viris illuſtribus illius Conventûs:* Hinc plures, virtutibus & literis prælucentes viri ſunt exorti: primus S. Albertus: ſecundus B. Aloyſius Rabbata. 1434.

Marginal notes: VIII. MAII. — (b) Lib. 3. pag. 554. — De B. Aloyſii patria contentio — Prior fuit Conventus Randaz. magna abſtinentia — à ſceleſto ſagittâ transfigitur, — miraculis claret: — (c) in MS. Hiſt. de Monte S. Jul. — Reliquiæ ejus tranſlatæ, & veneratæ in variis locis:

VIII. Maii.

1434. *Octavius Cajetanus*, in Idea Sanctorum Siciliæ, *inter viros famâ ſanctitatis illuſtres, eum quoque refert pro octava Maji, in Martyrologio autem Siculo pag. 116. pro 11. Maji eum affert ſic*: In Randatio Aloyſius Prior, Ordinis Carmelitarum, pro virtute occiſus, miraculis refulſit. *In margine porrò ſic*: Acta jurata auctor. Eccleſ. *denotans, ſcilicet ea, quæ de hoc ſanctitate conſpicuo Religioſo ſcribuntur, ex Actis juratis Eccleſiæ auctoritate fidem habere. Ita Lezana in Annalibus Carmelitanis* (a). *Sed cur ad diem XI. Maji eum refert poſteriori loco, cum deceſſerit die VIII. ſicut jam ante audivimus? veriſimiliter ratione ſepulturæ eo die factæ, aut alicujus tranſlationis; ſicut ſæpius in aliis videmus, in Martyrologiis. Dicto loco Annalium vita ejus, ex Auguſtino Biſcarreto* (b) *compendioſe ſic traditur, & hoc ejus eſt initium*: Ludovicus Rabbata a Monte S. Juliani, qui & Herycinus vocatur prope Drepanum, Mazatienſis Diœceſis, in Siciliæ Regno, in eadem patria, qua S. Albertus noſter, honeſtis ortum habuit parentibus: & ab illis à pueritia bonis fuit inſtructus moribus: inde grandior factus, paterna, ac mundana deſerens, noſtrum B. Virginis ſuſcepit habitum, & in Novitiatu optimam indolem oſtendens, ad profeſſionem emittendam admiſſus, ſanctis enitere virtutibus ſerio ſtuduit. Quare ſacris initiatus Ordinibus, ſacerdoſque factus, perfectiorem vivendi formam complexus, Prior in civitate Randatii conſtitutus fuit: quod onus ex obedientia humiliter ſuſcepit, & ſaluti animarum intentus Sacramentorum miniſterio fervidè intendens, patientiam miram oſtendit, præſertim in confeſſionibus peccatorum audiendis. Maxima enim cum charitate plurima ſacrarum Scripturarum argumenta, & loca adducens, & dilucidans, tanquam inſignis aliquis Theologus, licet majora non attigerit ſtudia, ſuos ſpirituales filios, & alios ad pœnitentiam provocabat. Tribulatis ſolatium, egenis opem ferre toto ſtudio conabatur. Vitiorum omnium acerrimus oſor, atque reprehenſor ſemper extitit. Jejunium caſtitati corporis adjungens, omnia patienter ſuſtinere novit. Sed præcipuè in eo reſplenduit humilitatis virtus; viliora enim quæque officia libenter exercebat: & qui Prioris officium gerebat, oſtiatim per urbem, & etiam per campos mendicare non dedignabatur; & ſæpè illi contigit, omnem ſibi collatam eleemoſynam pauperibus obviantibus dare, vacuumque domum repetere. Pane, & aquâ contentus, carnem in ſpiritûs ſervitutem redigere ſtuduit, frequenſque fuit in longa, & aſſidua oratione, ac divinorum myſteriorum contemplatione. Quibus invidens virtutibus humani generis hoſtis, perverſum quendam civem Randatii incitavit, & contra noſtrum Ludovicum concitavit, ita ut eundem è conſueto queſtuationis exercitio revertentem, ſagittâ emiſsâ capiti illius, grave infixerit vulnus: propter quod noſter pius Pater Chriſti imitator, inimico parcens, & pro illo exorans, eundem manifeſtare recuſavit. Doloribus ita graviſſimis affectus, in lectulum procumbens, aliquibus menſibus, & diebus ſupervivens, orationi, & divinæ contemplationi intentus, prænuntiato ſui obitûs die, omnibus Eccleſiæ Sacramentis devotè ſuſceptis, aliiſque multis præclarè geſtis, ſanctam Deo animam ſexagenarius reddidit. *Conſequenter agitur de ejus miraculis, de quibus hic conſequenter ex Actis authenticis.* *Michael à Fonte* in Compendio hiſtoriali Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, *ſub finem, in Catalogo Sanctorum, & Beatorum ſic eum recenſet*: B. Pater Fr. Ludovicus Rabida, Siculus, Martyr, hæres ſpiritûs S. Angeli, multis miraculis reſplendens.

(a) Tom 4. ad an 1503. num. 9.

(b) in Palmitib. Vineæ Carmel. vita ejus epitome.

virtutes

ſagitta infigitur vulnus:

ſanctè moritur.

CAPUT II.

Informationes, auctoritate Illuſtriſſ. DD. Archiepiſcoporum Meſſanenſium, circa Vitam & miracula B. Aloyſii Rabbatæ †

† Ex Ital. in Latin. traduxit R. P. Gerard. à P. L.

1435. I*Nformationum circa vitam, virtutes, miracula, famam ſanctitatis B. Aloyſii, auctoritate prænominatorum à Dom. Roccho Archiepiſcoporum Meſſanenſium factarum anno Chriſti 1533. die 5. Maji, & ſequentibus: & rurſus anno 1573. die 19 Novembris, ac ſequentibus, & Romam ad Apoſtolicam Sedem (ut ſcribit idem Rocchus) tranſmiſſarum; exemplar authenticum aſſervatur Romæ in archivo Conventus S. Mariæ Tranſpontinæ: & inde per R. P. Seraphinum à Jeſu Maria deſumpta copia authentica, miſſa fuit in Belgium: & eſt hoc initium*: Teſtes recepti & examinati per Curiam R. Dom. Archipreſbyteri Terræ Randatii, ad litteras Reverendiſſ. Dom. Archiepiſcopi Meſſanenſis: & ad petitionem Reverendi Patris Prioris S. Michaëlis Ordinis Carmelitarum Terræ Randatii, in ordine ad informandum de vita, fama, bonis moribus, ac ſignis, tam tempore vitæ, quàm poſt mortem Venerabilis Fratris quondam Aloyſii Rabata, de civitate Montis S. Juliani, ſeu Drepani, Fratris prædicti Conventûs & Ordinis prædicti Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo: & hoc de mandato Domin. Judicis Curiæ R. D. Archipreſbyteri Terræ Randatii. *Informationes iſtæ factæ ſunt hâc formâ.*

informationes ſunt ac ejus vita & ſignis: an 1533. per plures dies

1436. Venerabilis Preſbyter Matthæus Juitta Judex Curiæ R. Dom. Archipreſbyteri de civitate Randatii teſtis juratus, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis, dixit teſtificans, ætatis annorum ſeptuaginta, quod ſciat ipſe juvenis exiſtens, habitaſſe in Conventu Carmelitarum civitatis Randazzenſis Venerabilem quondam Fratrem Aloyſium Rabbata (ut dicebatur Drepanenſis) Priorem iſtius dicti Conventûs: quodque ex fama publica, in dicta Randazzenſi regione

VIII. Maii.

vita, & mores:

ne nuncupabatur Venerabilis Frater Aloyſius, ſancta & virtuoſa perſona, omnium virtutum genere decorata, patientis maximè, & optimæ vitæ. *Conſequenter referuntur præcipua quædam ejus geſta, ac virtutes: & qualiter fuerit vulneratus, emiſſâ in caput ejus ſagittâ ab homine nequam, cujus fratrem de ſuo vitio reprehenderat: & quòd noluerit indicare, quis eum læſiſſet: & quòd ex illo vulnere (unde mors ſecuta fuit) decumbens, oblata pretioſa electuaria ſumere recuſaverit, prædixeritque diem obitûs ſui, qui erat Sabbatum: & quòd ob ſingularem opinionem de ejus ſanctitate, corpus non in communi loco cum aliis, ſed ſeorſim ſepultum fuerit: tandem de tranſlatione corporis, occaſione miraculorum iſta teſtatur.* Poſt mortem

ac miracula:

publicè divulgabatur, eumdem plura miracula patrare, ſanando infirmos maximè à variis infirmitatibus & febribus eos liberando, uti liberavit teſtificantem præſentem a febre tertiana. Itidem dixit, quomodò Dom. Rogerio Romeo à cæcitate oculorum liberato,

cæcus illuminatus:

corpus dicti Fratris Aloyſii poſitum fuerit infra altare magnum dictæ Eccleſiæ, obſeratum certis cratibus ferreis, expenſis dicti D. Rogerii adhuc modò viventis (ut fertur). De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa, per modum ut ſupra dicta ſunt, quia interfuit, vidit, & audivit, *additur,* lecta ſibi confirmavit: *ita quoque in aliis.*

1437. Honorabilis Joannes de Junta Terræ Randazenſis, ætatis annorum nonaginta, & ultrà, teſtis juratus, & interrogatus ſuper infraſcriptis, dixit, hocce teſtimonio, ſe ſcire, quòd in Conventu S. Michaelis Ordinis Carmelitarū fuerit, & ibidem vixerit quondam Venerabilis Frater Aloyſius Rabata,

ſancta, & patientiſſima vita fuit

quemque eodem tempore cognôrit, ſciens quòd dictus Frater habuerit ætatem annorum quinquaginta circiter inter ſexaginta: ac quòd ille erat, fueritque Venerabiliſſima perſona, ac preſbyter dicti Ordinis Sacrificia peragens, vitam ſanctiſſimam, pacificam ac patientiſſimam ducendo. *Conſequenter pleraque eadem aſſerit, & teſtatur ſicut teſtis præcedens: tandemque ſic etiam teſtimonium illud concluditur:* De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit, ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra dicta ſunt, quia interfuit, vidit & audivit ut ſupra, de loco & tempore dixit ut ſupra.

1438. Magiſter Salembenius Ruſſo, Terræ Randatii teſtis juratus, & interrogatus, ætatis circiter ſexaginta ſex annorum, dixit, quòd cognoverit quondam Fratrem Aloyſium, Religioſum Ordinis S. Mariæ Carmelitarum, in Conventu nuncupato, S. Michaelis, dicti Ordinis Carmelitarum Terræ Randatii, atque ipſum vixiſſe in dicto Conventu, vitam Religioſam ac ſanctam; ita ut palàm per totam illam regionem dictus Frater Aloyſius publicè diceretur, vitæ & geſtorum ſancti ac virtuoſiſſimi hominis. Dixit inſuper, ſe ſcire, quòd quando dictus venerabilis Frater eo tempore iret ad colligendum eleëmoſynas pro cereo Paſchali, & aliis neceſſitatibus, eamque expoſtulaſſet à quadam perſona, ab eadem graviter injuriatus fuerit, at quod Frater Aloyſius eundem bonis verbis & factis corripuerit; dicendo: FILI; PAX TECUM; PAX TECUM, SIS BENEDICTUS: acceperitque verba injurioſa illi dicta, cum patientia. Item dixit; quòd cùm viæ, quibus ibatur ad Conventum, non eſſent rectæ, ſed curvæ, Venerab. Frater Aloyſius Prior dicti Conventûs intelligens; quòd ibi aliquando committerentur quædam inhoneſta circa puellas, aut mulieres; ut hoc impediretur, terras adjacentes emerit, & vias rectas fecerit propriis manibus, auxiliantibus quibuſdam aliis perſonis: ampliavit inſuper planum ante Eccleſiam & Conventum prædictum Carmelitarum. Et inſuper depoſuit, quòd eo tempore quo conficiebat dictas vias eundo ad colligendas eleëmoſynas per pagos, fuerit telo exceptus in fronte, ac licèt à multis urgeretur, ut pateſaceret eum, qui telo eum trajeciſſet, dictum F. Aloyſium maximè virtuosâ patientiâ neutiquâ voluiſſe pateſacere eum, qui illum trajeciſſet, dicendo: Sit quis voluerit, ſit benedictus, illi ignoſco. Ex vulnere illius interea obiit. Iterùm ſe ſcire dixit ex publica fama evulgata per Randazzenſem regionem, qualiter exiſtens imago S. Mariæ Carmelitarum in muro depicta, uti adhuc in præſenti eſt: in quo muro etiam erant depicti alii Sancti, ex integro, & completo corpore, quod retrò illos, facie versâ ad imaginem dictæ S. Mariæ Carmelitarum, miraculosè apparuerit caput dicti F. Aloyſii, manu, & digito demonſtrando vulnus capiti telo inflictum, etiam converſum ad imaginem & figuram S. Mariæ Carmelitarum: atque ob hanc rem miraculoſam, tota regio illa fuerit rumore illo plena; adirentque idipſum videndi causâ .. Inſuper affirmavit, quòd in vita dicti F. Aloyſii dictus Conventus eſſet minimus, & quaſi nihil; at poſt ejus mortem, ratione devotionis, & miraculorum continuorum, patratorum meritis illius & corporis F. Aloyſii, nunc ampliatus, & inſtauratus ſit, qualiter in præſenti eſt. Ad cujus Eccleſiam matutino tempore, & omni horâ continuò ratione devotionis, quâ feruntur erga noſtram Dominam, & dictum corpus ſanctum, frequens eſt concurſus hominum. De cauſa ſcientiæ interrogatus; dixit ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra, quia interfuit, vidit, & audivit. De loco Randatii, & in dicto Conventu S. Mariæ de monte Carmelo, de tempore, ut ſupra.

ſingularis patientia:

telum ad jaculandum accipientem ſustinuit:

effigies ejus mirabiliter inter Sanctos apparet:

miracula multa circa corpus ejus

1439. Honorabilis Mag. Joannes Matthæus Manueli de Terra Randatii teſtis juratus, & interrogatus ſupra infra-ſcriptis, dixit ſe ſcire dumtaxat, quæ hocce continentur teſtimonio, exiſtens ætatis ſexaginta trium annorum, quòd cognôrit, & habuerit alloquia cum Venerabili Fratre Aloyſio, Ordinis Carmelitarum, Terræ Randazzenſis, morante in Conventu prædicto, nuncupato ibidem, S. Michaelis;

VIII. MAII.

qui frater Aloyſius tunc temporis erat Prior dicti Conventûs, eratque virtuoſiſſima perſona, jejunans jugiter in pane & aqua, agendo vitam religioſam & ſanctam, ab aliis abſtractam. Conſequenter refert virtutes ejus (quas ipſe ſæpius ipſum viſitans, vidit) & de variis perſonis poſt obitum corpus ejus viſitantibus, ab infirmitatibus curatis. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa per modum ut ſupra, quia interfuit, vidit, & audivit: de loco Randatii & in dicto Conventu S. Mariæ de monte Carmelo: de tempore ut ſupra.

1440. Magnifica Johanna Zimbali relicta quondam Magnifici Thomæi Zimbali, de Terra Randatii, teſtis jurata, & interrogata ſupra infra ſcriptis, dixit tantùm ſcire ipſa teſtificatrix, ætatis octoginta annorum, plùs vel minùs, quòd optimè cognoverit quondam fratrem Aloyſium Religioſum Venerabilis Conventûs Carmelitarum Terræ Randazenſis fuiſſe virtuoſæ vitæ, pacis, ac omnis virtutis decore ornatam perſonam; ducentem vitam jugiter jejunam, maxima cum patientia, quem pro more habuiſſe in ſeptimana ſemel aut bis teſtificatricis ædes accedere, cum eaque teſtificatrice, ac Magnifico Thomæo ſuo marito conferre colloquia verbis virtuoſis & bonis, præbendo multa bona exempla, omni vanitate rejectâ: utpote qui omni verbo, quod proferebat, adjiceret, ſit ad laudem Dei. *Conſequenter teſtatur de ejus virtutibus, obitu; & de filia ſua Seraphina, ejus invocatione, ab infirmitate incurabili liberata: de qua capite ſequenti. Teſtes jurati cæteri eâdem forma, partim eadem, partim alia retulerunt. Itaque cum in teſtimoniis illis plura eadem reperiantur, prolixitatis ſuperfluæ hîc vitandæ gratiâ, præcipua geſta, miracula, & beneficia compendioſe recenſita ſufficient, referenda capite ſequenti.*

frequens illi erat in ore: Sit ad laudem Dei:

1441. *Cùm miracula, beneficia, & gratiæ ſanitatum, poſt præfatas informationes continuarentur, uſque ad annum Chriſti 1573. tunc rurſus die 19. Novembris, & ſequentibus, auctoritate Archiepiſcopi Meſſanenſis, factæ fuerunt informationes, & proceſſus, auditi teſtes jurati plures. In Actis authenticis primum inſerta eſt declaratio facta Archiepiſcopo Meſſanenſi, de continuatis ſignis miraculoſis ad corpus B. Aloyſii: deinde ſequitur reviſio, & ordinatio ipſius Dom. Archiepiſcopi. Tum ſequitur:* Recepti Randatii, die XVIII. Novembris ſecundæ Indictionis 1573. Informationes factæ, & examinati teſtes, per Curiam Archiepiſcopalem civitatis Randatii, de mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Meſſanenſis, ut eſt videre in dorſo cujuſdam Supplicationis decretatæ die XX. Auguſti primæ Indictionis 1573. & de mandato Magnifici, & Reverendi Domini Archipreſbyteri civitatis Randatii, ad inſtantiam Reverendi Fratris Seraphini Mancujo Vicarii Conventûs S. Mariæ montis Carmeli; nec non & Reverendi Fratris Hieronymi Stancamplano, ad informandum, ad quem ſpectat.

informationes aliæ an. 1573.

1442. Reverendus Frater Hieronymus Stancamplano, de civitate Randatii cognitus teſtis juratus, tacto pectore more ſacerdotali, & interrogatus ſuper toto facto, & infra-ſcriptis, dixit tantùm ſcire, qualiter ipſo teſtificante exiſtente Priore Conventûs S. Mariæ Carmelitarum dictæ civitatis, adducta fuerit ad Eccleſiam dicti Conventûs Reimonda lo Vigneri obſeſſa; idque per Joannem Antonium lo Vigneri * filium prædictæ Reimondæ, ac per certos aliquos juvenes, quodque illam non valuerint introducere in dictam Eccleſiam, ob reluctantiam & reſiſtentiam illius, ore ſpumas emittentis, ac ad inſtar ipſius dæmonis clamantis: quod tandem cum maxima vi illam in prædictam Eccleſiam induxerint, conduxerintque violentiâ in Capellam S. Mariæ Carmelitarum, acceſſerimq; ego teſtificans, tanquam Prior, incipiens legere quatuor Euangelia coram dicta Reimonda, & legendo Euangelium S. Marci, quod eſt. [Recumbentibus undecim diſcipulis] imprimendoque ſignum crucis cum Reliquiis dicti B. Aloyſii fronti dictæ Reimondæ, ceciderit in terram velut mortua, ad aliquod temporis ſpatium, poſtque exurrexerit ſana & ſalva, Deo, & B. Aloyſio gratias agendo; exinde domum ſuam regreſſa fuerit; ac ſi numquàm fuiſſet obſeſſa (*referuntur quoque teſtes, qui adfuerunt. Tum ſequitur:*) Inſuper quòd multæ aliæ perſonæ afflictæ febribus quartanâ &c. ac aliis infirmitatibus, ſanatæ fuerint. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit, ſcire præmiſſa, de loco Randatii, de tempore ut ſupra. *Reimonda præfata liberationem à dæmone factam an. 1566. habetur etiam ex juratis prædictis Ioannis Antonii Brudunaro, aliàs lo Vigneri, filii ejuſdem, nec non Ioanellæ filiæ, relationibus factis anno 1571. aſſerentibus, quòd id contigerit ab annis ſeptem, aut circiter. In iſtis juridicis relationibus, relatio iſtius Ioannis à Notario in hunc traditur modum:* Honorabilis Joannes Antonius Burdunaro, aliàs lo Vigneri, de civitate Randatii; cognitus teſtis juratus, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis, & toto facto, dixit tantùm ſcire, qualiter ab annis circiter ſeptem, mater ipſius teſtificatoris fuerit poſſeſſa à ſpiritu maligno, quo per annos quindecim fuerat divexata, conſultum fuerit ipſi teſtificatori, ut deferretur ad Conventum S. Mariæ Carmelitarum hujus civitatis; quia ibidem requieſcebat corpus B. Aloyſii, & multa ibi patrabantur miracula; adeoque ipſum teſtificatorem, junctis multis amicis matrem, plurimùm reluctantẽ, detuliſſe ad dictum Conventum: atq; R.dum fratrem Hieronymum Stancamplano Religioſi dicti Conventûs legiſſe exorciſmos ſuper poſſeſſã, eamq, ſignaſſe ſanctæ crucis ſigno in fronte, cũ Reliquiis B. Aloyſii: atque tunc à maligno ſpiritu fuiſſe liberatam; & omnes

obſeſſa ad ejus corpus delata,

** etiam cognominatus Burdunaro*

tactu Reliquiarum ejus liberata

ad marg. additur: *lecta ſibi confirmavit.*

VIII. Mart. omnes gratias pariter egerint Deo benedicto, & ſuæ Matri, ac B. Aloyſio, cujus meritis, ab illis malignis vexationibus fuerat liberata: illincque cum ſana & ſalva (priùs poſſeſſâ) domum regreſſi fuerint: nec deinceps quid ſimile apparuerit. *Conformis eſt relatio, & teſtificatio Ioannella, præfati Ioannis Antonii ſororis, & Reimonde filia.*

1443. Rev.^dus^ Preſbyter Joſeph Malaponti de civitate Randatii cognitus teſtis juratus, tacto pectore, more ſacerdotali, & interrogatus ſuper infra-ſcriptis & toto facto, dixit, tantùm ſcire, qualiter ipſe teſtificans à triginta quinque annis circiter correptus febribus, acceſſerit Conventum S.Mariæ Carmelitarum, collocaveritque ſeſe devotè ante capſam, in qua repoſitum *Sacerdos ſu. bito à febres curatus.* erat corpus B.Aloyſii; fratribus autem dicti Conventûs, aquam benedictam Reliquiis Beati Aloyſii offerentibus, ea ſumptâ, illico fuiſſe ſanatum, ſanumque domum rediiſſe, nec ampliùs deinceps fuiſſe reafflictum [eâdem infirmitate. Inſuper ex fama publica plurimos ſanitati reſtitutos, qui ſimiliter acceſſerant, ac collocârant ſeſe ante ſarcophagum, in quo repoſitum fuerat corpus B.Aloyſii. De cauſa ſcientiæ interrogatus, dixit ſcire præmiſſa, per modum, ut ſupra dicta ſunt, de loco Randatii, de tempore, ut ſupra *Eodem illo die 19. Novembris, eâdem formâ auditi fuerunt alii teſtes jurati quatuor: & plures alii diebus ſequentibus, 20. 22. 23. & 24. Novembris. Miracula, ſeu beneficia, de quibus iſti tunc atteſtati fuerunt, unà cum antecedentibus, ſummatim duobus capitibus ſequentibus comprehendentur.*

CAPUT III.

Geſta, & virtutes ejus aliquot præcipuæ: obitus: miracula.

1444. INter virtutes ejus peculiariter à *abſtinentia, & jejunium* juratis teſtibus pluribus deprædicatur abſtinentia, & jejunium; nam ordinariè pane & aquâ contentus, carnem in ſpiritûs ſervitutem redigere, & ſenſualitatem domare ſtuduit, etiàm graviter infirmus, & decumbens ex vulnere fronti inflicto, undè obiit, abſtinentiæ rigorem ſervavit: quin imò cùm non multis ante obitum diebus, à piis perſonis eum viſitantibus præſentarentur electuaria delicata confortativa, gratias agendo, recuſavit, dicens, ſe *caſtitatis cultus:* non indigere. Jejunii & abſtinentiæ filiam caſtitatem quam adamaverit, & impuritatem omnem deteſtaretur, teſtimonium perhibent molimina ejus magna, & diuturna, in rectificanda & ſternenda via, ad impedienda caſtitati oppoſita peccata.

humilitas 1445. Humilitati cæterarum virtutum fundamento ſpirituale ſuum ædificium ſuperſtruens, viliora quæque officia Religionis libenter exercebat: etiam Prior exiſtens, oſtiatim per urbem, & per campos mendicare non dedignabatur: & in opere manuali, ac labore cum aliis, & præ cæteris diligentiùs ſe impendit, præſertim in conficienda via ad impedienda mala, quæ ibi ſubinde committebantur. Patientia & *patientia:* manſuetudo ejus ſe produnt in eo (plurium teſtimonio tradito) quòd cùm diverſis vicibus, ſpecialiter à quodam Jeſſe, verbis valde injurioſis, & contumelioſis impeteretur, ipſe (juxta Chriſti doctrinam: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*) ſingulari cum manſuetudine, in bono malum vincens, pro contumeliis iſta rependerit: *Pax tecum, fili:* & ſimilia.

1446. Charitas, benignitas, miſericor- *charitas ergà proximum:* dia in pauperes in eo enituerunt; quòd cùm ipſe, & Conventus ejus pauper indigus eſſet, eleëmoſynas colligeret, non tantùm pro neceſſitate ſui Conventûs, ſed & ad ſublevandam inopiam pauperum aliorum, quibus charitativè eleëmoſynas collectas elargiebatur. De ejus charitate erga quemdam ſuum pœnitentem, & alterum, cui iſte grave damnum intulerat, iſtud in juratis teſtimoniis refertur. Quòd cùm aliquis pœnitens alteri grave damnum intuliſſet, & Aloyſius reſtitutionem injunxiſſet: ille affirmabat, id ſibi, ob inopiam, eſſe impoſſibile; interea, ut conſcientiæ conſuleret pœnitentis, de ejus licentia, illum, cui damnum illatum erat, adiit, ſupplicaturus pro condonatione: quam cùm renueret, toties rediit, & rationibus, ac precibus induxit, ut debitum remittendo, inſignem miſericordiæ, & charitatis actum iſte exerceret, & alter in conſcientia magis quietus redderetur.

1447. Ex charitate Dei procedit zelus *zelus ad impediendà peccata,* divini honoris, qui eſt vehemens amor, ſeu animi æſtus, ex indignatione de iis concepta, quæ indignè fiunt adversùs Deum, quem amamus. Cum intellexiſſet, quòd in duabus plateis, ſeu vicis civitatis, quibus ad Eccleſiam ſui Conventûs populus accedebat, ſubindè à petulantibus, ſeu lubricis committerentur ſcurrilitates, & inhoneſtates in angulis, ſeu curvitatibus, erat enim via ſinuoſa, ſeu curva; magnoperè indoluit; hinc incenſus ejus zelus, ad impedienda peccata illa, ipſum impulit, omni ſolicitudine ſatagere, rectam fieri viam illam. Eum in finem cœpit procurare eleëmoſynas, quibus tandem terras viis iſtis circumjacentes emit: & tum rectas fecit, lapidibus, ruderibuſque conquiſitis undique ſtravit; atque ita ſublata fuit occaſio peccatorum. Ex iſto zelo procedebant quoque monitiones, charitate mediâ, repre- *& peccantes corrigendos:* henſiones, & correctiones eorum, qui deliquerant: & inde ſeminarium odii adversùs eum; ut alteri operi bono incumbenti, *iſtic ictu ſ... accepit vulnus undè mors ſecuta.* eleëmoſynas videlicet colligenti, pro complemento viæ, ad impedienda peccata incontinentiæ, transfixus fuerit ſagittâ in fron-

VIII: Maii.

fronte: undè tandem, die, quem prædixerat (Sabbato) mortem obiit; quam fuiſſe pretioſam in conſpectu Domini, teſtantur ea, quæ ſequuntur.

cæco viſus redditus:

1448. Quantùm ad miracula, beneficia, & gratias, meritis B. Aloyſii, Primum recenſetur, & à juratis teſtibus diverſis, nec non à Roccho Pirro, & Biſcarreto hîc ſupra refertur, de viſu reſtituto nobili Rogerio Romæo, tactu venerabilis corporis: qui proptereà ſuis ſumptibus novam honeſtiorem capſam fieri curavit, in qua illud depoſitum intra, ſeu infra altare majus collocatum fuit. Secundum non minùs admirabile, quod referunt teſtes jurati plures, & vitæ ejus Scriptores, de ejus reali, viſibili apparitione, ſeu expreſſione manu Angelicà (ut ſcribit Pirrus) in magna pictura Eccleſiæ Conventus Randazenſis, repræſentante B. Virginem Ordinis Patronam, & præcipuos Ordinis Sanctos, in qua repentè ipſius effigies apparuit, & expreſſa fuit inter alios Sanctos. III. R. Dom. Matthæus Juitta Preſbyter, curatus à febre tertiana: ſicut ipſe ſub juramento, depoſuit hîc ſupra.

effigies ab Angelo efformata.

plures à variis infirmitatibus liberati:

à febre quartana:

1449. IV. Leonora Miſtretta juvencula, febre quartanâ extenuata, & ad extrema redacta, à medicis derelicta, exiſtimata morti proxima delata fuit à matre ad Eccleſiam Carmelitanam Randatii, & collocata ante altare majus, prope corpus B. Aloyſii. Ibi aqua, Reliquiis ejus benedicta, exhibita fuit: quam ut ſumpſit, protinùs meliùs habens, ab infirmitate liberata fuit. V. Adoleſcens gravi correptus infirmitate, à lamentante matre delatus ad idem Venerabile corpus: ibi hauſtâ ſimiliter aquâ benedictâ Reliquiis B. Aloyſii, ab infirmitate convaluit. VI. & VII. Puella filia Thomæ Lomaligno, derelicta à medicis, cùm in extremis conſtituta videretur, mota devotionis affectu, venerata reliquias B. Aloyſii, quas rogaverat adferri, & ſumptâ aquâ, cui intinctæ fuerant, mox meliùs habuit, & pauló poſt ex integro convaluit. Ita quoque Adoleſcens, filius ejuſdem Thomæ, febre quartanâ laborans, delatus ante altare, ubi dictum corpus quieſcit, ſanitatem adeptus fuit.

ab aliis morbis:

à gravi dolore renum:

1450. VIII. Soror Seraphina filia magnifici Dom. Thomæ Zimbali, Ordinis S. Benedicti, gravi renum dolore afflicta erat: excreverant inſuper duo tubera, inſtar duorum panum: adhibito à medicis multiplici remediorum genere, & fruſtra, nulla ſpes humana ſupererat. Parentes moti devotione erga B. Aloyſium, illam deduxerunt ad ejus corpus, ubi totâ die perſeverabant unanimiter in oratione: intereà cœpit infirma meliùs habere, ſic ut non difficulter pedes redierit ad monaſterium ſuum, & ſequenti die omninò ſana fuit: nec deinceps reincidit. IX. Venerabilis Sacerdos Nicolaus di Paterno, accepto vulnere in tibia apoſtumante, ac indè patiens graviſſimos dolores: cùm audiviſſet ad corpus F. Aloyſii multos ab infirmitatibus liberatos, devotione motus, ſe contulit ad dictam Eccleſiam, & ſe collocavit ante altare, ac ibidem per certum temporis ſpatium perſeverando, à vulnere tibiæ omninò redditus fuit ſanus. In gratiarum actionem ſe ipſum Deo obtulit, Ordinis habitum aſſumendo: in eoque Ordine vixit multis annis, divulgando miracula dicti Fratris Aloyſii.

à vulnere & apoſtem.

à renum afflictione:

1451. X Mulier permoleſtâ renum afflictione affecta, ut nec decumbere, nec rectâ ſtare poſſet, ante dictum corpus devotè ſe Deo, & meritis B. Aloyſii commendans, incolumis reddita fuit, & ſic perſtitit ab illa infirmitate omninò libera. XI. Franciſcus de Palerno, juvenis oppreſſus erat infirmitate nervorum, renum, & tibiarum: ſic ut annis duobus è lecto ſurgere non potuerit. Mater ejus Tudia, auditis variorum curationibus ad corpus Fratris Aloyſii, filium inter brachia eò detulit, & locavit ante altare: ubi Franciſcus obdormivit. Poſt duas circiter horas expergefactus, ſe ſanum reperit, & ſic permanſit.

à nervorum & tibiarum debilitate:

à variis morbis

1452. *Et iſta hactenus ex informationibus, Archiepiſcopi Meſſanenſis auctoritate factis anno 1533. In informationibus autem anno 1573. auctoritate ſimiliter Archiepiſcopi Meſſanenſis tunc exiſtentis, plura referuntur, pleraque facta circa ejus corpus per aquam intinctu reliquiis benedictam. Ne autem cum lectoris faſtidio diutiùs ſingulis ſigillatim referendis immoremur, ea ſub compendio complectemur, deſignando annum, quo, aut circa quem acciderunt, & referendo eo ordine ſicut in illis relationibus. De Reimonda energumena, à dæmone, (anno 1566.) & Ioſepho Malaponti Preſbytero, à febribus (circa annum 1538.) liberatis, jam ante dictum eſt: à variis autem infirmitatibus, præſertim febribus, ſanitatem conſecuti fuerunt, nominatim ſequentes: anno circiter 1558 Auguſtinus Forti: anno 157.. Magiſter Gilius Malaponti: anno circiter 1533. Albertus Caldarara. Anno 1572. Michael Ficarra. Anno 1560. Antonius de Meſſana: Anno 1573. Urſula de Palermo: Anno 1573. Aloyſius Laporta. Anno 1572. Franciſcus Dominedo. Anno 1572. Spectabilis Dom. Ioſeph Manueli. Omnes illi ſub juramento retulerunt, & atteſtati fuerunt beneficia ſanitatis, quæ ad corpus B. Aloyſii, ſumptâ aquâ, impoſitione reliquiarum ejus benedictâ, ipſi retulerunt. Omnes ferè etiam teſtati ſimiliter fuerunt, ſe ex fama publica intellexiſſe de variis, qui ſic meritis B. Aloyſii gratiam ſimilem obtinuerunt. Ad ſingulas relationes, ſub finem, ad marginem apponitur:* Lecta ſibi confirmavit.

Annus obitus:

1453. ANNOT. De anno obitus, & titulo Beati. *Quemadmodum circa annum obitûs SS. Virginis Deiparæ S. Alberti, & aliorum non paucorum, Scriptores in diverſas abeunt ſententias: ſic quoque nonnulli exiſtimârunt B. Aloyſium obiiſſe anno 1443. Alii illum ſtatuunt ipſius nativitatem, obitûs autem annum 1503. Ita Biſcarretus in vita ejus, ac cum eo Lezana* (a) *& Munozius noſter* (b) *& ſic tenendum. habetur ex juratis teſtimoniis teſtium anni 1533 nam eorum plures ipſum noverant, & allocuti fuerant, qui anno 1443 nondum nati erant,*

(a) in Annal. ad an. 1503. num. 9.

(b) in Propug. Eliæ

Titulus

Titulus Beati ipſi tribuitur à pluribus; etiam ante annos centum in relationibus, ſeu proceſſibus, auctoritate Meſſanenſis Archiepiſcopi factis; & quidem in relationibus, factis anno 1573. plus quàm trigeſies identidem repetitur: Beatus Aloyſius; unde habetur, quòd tunc paſſim generaliter ſic nuncuparetur. Iſtorum veſtigiis ſecutè nos poſſe ſubſiſtere cenſuimus, conformiter proteſtationi hic ſupra ſub initium hujus Tomi: videatur circa hoc Ven. P. Lezana. (a)

(a) * Ibid. num. 9.

XII. MAII.

VITA B. NONII

*al. Nunii & Nunnii

ALVAREZ PEREIRA, *ex Comeſtabili Luſitaniæ, magnoque Principe humilis Donati in Ordine B. Virg. Mariæ de monte Carmeli, ipſius Deiparæ cultus ſtudioſiſſimi.*

AN. M. CCCCXXXII.

NOTATA PRÆVIA.

B. Nonius ſe humilians,

1454. QUi ſe humiliat; exaltabitur: *ita nos inſtruit magiſter veritatis Dominus noſter: qui cùm* humiliaſſet ſemetipſum . . . *propterea* exaltavit eum Deus. *Christi exemplum ſecutus fuit Nonius Alvarez Pereira, Princeps magnus, qui ſpretis mundanis omnibus honoribus, voluptatibus, divitiis,* elegit abjectus eſſe in domo Dei: *in domo Matris Dei, in Carmeli Ordine, ipſi SS. Dei Genitrici peculiariter dicato; etenim non inter Sacerdotes, non inter Clericos, non inter fratres Laicos, integrâ veſte gaudentes, ſed inter infimi gradûs Donatos, ſeu ſemi-fratres locum elegit: & humillima Religionis exercitia ſua eſſe voluit, veluti oſtiatim eleëmoſynas petere, & ſimilia. Propterea etiam fuit à Deo ſublimatus celſis meritis, & divinis delibutus chariſmatibus, miraculis multis decoratus: & qui temporalia ac mundana omnia abjecerat (inſtar piiſſimorum Antigoni, & Euphraſiæ, parentum S. Euphraſiæ)* (b) *poſt Beatricem filiam ſuſceptam ex conjuge, cum ea deinceps continentiam & caſtitatem illibatam ſervavit, uſque ad ipſius obitum: ac deinceps (poſt conjugis deceſſum nullis hortationibus acquieſcens, de altero matrimonio ineundo) uſque ad finem vitæ: per præfatam autem filiam ſuam unicam, benedictionem etiam temporalem ampliſſimam aſſecutus fuit,* ut Regibus multis (*imo & Imperatoribus*) fons & origo fuerit, *videlicet mediante filiâ illâ ſuâ Beatrice, legitimo matrimonio junctâ Alphonſo Comiti Bercellenſi, & primo Brigantino Duci; ex illo enim* tam numeroſam enixa eſt ſobolem, uſque adeò fortunatâ poſteritate diffuſam, quòd Europæ ferè univerſæ Reges ac Principes, hodieque ſuperſtites, ab ea originem ducant. *Ita in Agiologio Luſitano, ut mox audiemus.*

B. Deo exaltatus:

(b) de quibus hic ſuprà ad XIII. Martii num. 1088.

Caſtitas ejus in matrimonio, & deinceps:

poſteri ejus ſunt Reges, & Principes præcipui Europæ.

1455. *Quantùm ad B. Nonii progeniem, Rodericus de Cunha, genere, doctrinâ, & infulis illuſtriſſimus, primùm Archiepiſcopus Bracharenſis deinde Olyſſiponenſis in hiſtoria Eccleſiaſtica Bracharenſi, Luſitano idiomate publicata, parte 2. cap. 42. ſcribit:* Antiquiſſima, & illuſtriſſima apud Luſitanos familia Pereira, ex priſcis Regibus Oveti & Legionis trahit originem ibi: Comites igitur Gundiſalvus Pereira, & Urraca Vaſquez, clariſſimi conjuges procrearunt Gundiſalvum Pereira: *Is parens fuit Alvari Gonzalvez Pereira à quo Nonius noſter genitus eſt: præfatus autem* Comes Gundiſalvus Pereira *proavus extitit B. Nonii. Capite autem 43 iterum mentio introducitur noſtri Nonii, his (ex Luſitano in Latinum) verbis:* à Nonio Alvarez Pereira Portugaliæ Comeſtabili Carolus V. Imperator, & Europæ univerſæ Chriſtiani Reges aut Reginæ, vel utriuſque ſexûs Regiæ perſonæ genus ducunt; *ſcilicet mediante filiâ præfatâ Beatrice, cujus poſteritatem ſic literaliter recenſet idem Archiepiſcopus:* D.na BEATRIX PEREIRA legitima NONII filia nupſit D ALPHONSO, filio Joannis I. Regis Portugaliæ, & primo Duci Brigantino: D. JSABELLA legitima ALPHONSI ET BEATRICIS (filiæ B. NONII) proles nupſit D. JOANNI Portugaliæ Infanti: D. ISABELLA legitima JOANNIS & præfatæ JSABELLÆ filia nupſit JOANNI II. Caſtellæ Regi, & Regina fuit. D. JSABELLA legitima præfatorum JOANNIS II. & JSABELLÆ conjugis Regum Caſtillæ filia, antonomaſticè REGINA CATHOLICA, uxor fuit FERDINANDI REGIS CATHOLICI: D. JOANNA præfatorum Regum Catholicorum FERDINANDI ET JSABELLÆ filia, hæres & Regina nupſit PHILIPPO AUSTRIACO I. Caſtellæ Regi: D, CAROLUS V. Imperator, filius legitimus, & hæres PHILIPPI, & JOANNÆ Regum, atque NONII COMITIS nepos. *Huc uſque ex præfato Archiepiſcopo Roderico. Rodericus Mendes Silva, in opere* de conditis urbibus, & oppidis Hiſpaniæ, *cùm folio* 275. *tradidiſſet B. Nonium noſtrum ſecundùm Portugaliæ Comeſtabilem extitiſſe; interſerens Genealogias Regias Hiſpanicas, folio 276. poſteritatem B. Nonii per filiam Beatricem, neptem Iſabellam Reginam Caſtellæ, matrem alterius Iſabellæ Reginæ Catholicæ, & Beatricem matrem Emanuelis Portugaliæ, deſcribit omninò conformiter jam relatis, ex præfato Dom. Illuſtriſ. Archiepiſcopo Cunha. Itaque fuit Carolus V. B. Nonii nepos quintus, per præfatam Beatricem, filiam B. Nonii. Atque indidem univerſi fermè Reges Europæ tunc ſuperſtites: hodieque Leopoldus Imperator: Carolus II. Hiſpaniarum Rex: Ludovicus XIV. Gallorum Rex: Petrus Portugalliæ Princeps Regens: Catharina Magnæ Britanniæ Regina & Eleonora Poloniæ Regina; cum omnibus & ſin-*

Genealogia poſteritatis B. Nonii,

per Beatricem filiam, conſequenter,

uſque ad Carolum V. & Leopold. Imp. ac alias Regias perſonas,

 gulis

XII. MAII.

gulis Principibus ex familia Auſtriaca, ab Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus originem trahentibus ad Nonium noſtrum natales referunt modo prædicto, ſcilicet per filiam Beatricem atque hujus poſteritatem per connubia, ex ſtirpe materna (paterna autem ſtirps præfatorum Imperatorum & Regum Hiſpaniæ eſt ipſa Auſtriaca auguſta domus) Duxit etiam genus ſuum à Nonio Comite Iſabella Imperatrix, Caroli V. conjux, & mater Philippi II. Hiſpaniarum Regis: Etenim Ioannes Portugaliæ Infans genuit ex Iſabella uxore, Comitis Nonii legitima nepte (ſiquidem & Iſabella altera, Caſtellæ Regina, jam relata) Beatricem: quæ nupſit Ferdinando Infanti Portugaliæ, Eduardi Portugaliæ Regis legitimæ proli; & mater fuit Emanuelis pariter Portugaliæ Regis. Emanuel autem Rex ex Maria conjuge, Catholicorum Regum Ferdinandi ac Iſabellæ filia, ſuſtulit Iſabellam Imperatricem, Caroli V. uxorē.

Vita B. Nonii in Agiologio Luſitano:

1456. *Vita B. Nonii extat* in Agiologio Luſitano *ad diem XII. Maji edito per Georgium Cardoſum Presbyterū, & inde in Latinum fideliter traducta Lic;equitur. Hiſpaniæ Hiſtoriographus Ioannes Mariana Societatis* JESU, *in opere:* De rebus Hiſpaniæ *variis locis agit de Nonio noſtro, ejus ingreſſum in Religionem, obitum & ſepulturam ſic paucis complectitur libro 21. cap. 4.*

Mariana quæ de illo ſcribat;

Abſceſſerat annis ſuperioribus Nunnius Pereira, equitum in Luſitania magiſter, Barceloſii & Oreni Comes, non armis modò, ſed etiam curis civilibus: ſeque Olyſippone, in Carmelitarum cœnobio, quòd è belli manubiis conſtruxit, gravior annis incluſerat. *Et poſt recenſita quædam ſingularia pietatis ejus exercitia (de quibus poſtea)* His operibus intentum mors oppreſſit, ætatis anno ſeptuageſimo primo; ex quo magiſter equitum factus erat, quadrageſimo ſexto: ejus ſemper in Hiſpania vivet auctoritas, memoria vigebit. Corpus in eodem cœnobio eſt compoſitum. Funus Rex ipſe curavit, inſigni apparatù omnium Ordinum concurſu. Id pignus amoris defuncti meritis dedit: cui debebat imperium. Ex Beatrice filia unica, & Alfonſo Brigantii Duce ſuſceptis nepotibus ditionem omnem anteà diviſerat. *De iſtius Beatricis (& conſequenter Nonii Patris ejus) fortunata poſteritate, non tantùm in Luſitania, ſed & in omnibus ferè Europæ regiis familiis, jam anteà audivimus.*

1457. *Antonius Vaſconcellius Olyſipponenſis, etiam Societatis* JESU *Theologus, in libro: De Actis Regum Luſitaniæ* (b), *ſub illo titulo:* Sanctorum diverſorum Ordinum in Luſitania exempla, *his eum commemorat verbis:* Fuit ibidem clariſſimum Equeſtris Ordinis ſpeculum Brigantinæ domùs Princeps, & Regni ſtabilimentum Nonius Alvarus Pereira, qui clarior fuit, ſuſpenſis ad Carmelitanæ Virginis templum armis, quàm priùs ſumptis adverſus finitimos: nam illi ſe Familiæ devovit, quin admiſerit ullis ſe ſacris authorari. *Qualiter autem ſe geſſerit in bellis, refert in Anacephalæoſi XII. ubi de Ioanne I. Luſitaniæ Rege (& inde quædam adferentur in Notis ad Caput I. n. 1463. [c]) Hæc ibi conſequenter de duplicis generis præſtanti victoria, nempe hoſtium externorum, & internorum, ac ſui:*

(b) Titulus operis eſt ANACEPHALÆOSES: id eſt, SUMMA CAPITA ACTORUM REGUM LUSITANIÆ.

B. Nonius Equeſtris Ordinis clariſſ. lumen.

Numquam aut vim intulit, aut repulit, quin victor evaſerit. Anteactas tamen victorias vicit extrema de ſe ipſo in templo Beatæ Virginis à Carmelo Olyſippone fatalem illum in Caſtellanos gladium ſuſpendens, ſeque ſpontaneo ſeceſſu, divitiis, ac pompà abdicans, nè cœlo minùs glorioſè in ſenectute, quàm patriæ antea, militaret. *Et infrà de ejus poſteritate per unicam ejus filiam præfatam Beatricem, matrimonio junctam Alphonſo Duci Brigantii:* Cui (*Alphonſo*) data uxor Beatrix Noni Alvari Pererii Equitum Magiſtri unica proles, addito dotali Comitatu Barcellenſi, & Ducatu Brigantino. Quod fuit illuſtriſſimæ, ac penè Regiæ domùs Brigantinæ ſeminarium: è qua ſummis Regibus ac Principibus Chriſtianis connubia expetita. (*De illius Beatricis ſanctimoniæ fama, & cultu, ſeu honore ei delato, ex eodem Vaſconcellio quædam adducentur hîc infrà [a]) n. 1464. Anacephalæoſi XIII. agens de Eduardo I. Luſitaniæ Rege, & Ioanne Emanuele filio ejus, iſta inſerit de Nonio:* Hunc (*Ioannem Emanuelem*) Rex optimis magnarum virtutum præſidiis formandum commendàrat Heroi, illius ævi maximo Nonio Alvarez Pererio, Brigantinæ domûs auctori: is enim, cùm ad ætatis uſque flexum, maximarum victoriarum Europæ, atque Africæ ſpoliis abundantiùs effloreſceret, extremam bellicoſæ vitæ partem placidiſſimam tandem, ac planè perbeatam ducebat in Carmelitano monaſterio Olyſippone à ſemet extructo; ubi verà religioſiſſimarum virtutum gloriâ adumbratam belli laudem longiſſimè antecelluit. (*De iſto Ioanne Emanuele, poſtea Carmeli Ordinem profeſſo, deinde Epiſcopo Septæ, poſtea Igontanæ Epiſcopo, peculiariter agetur in ſequentibus) Denique Vaſconcellius ad calcem præfati operis ſcribit, Nonium fuiſſe ſecundum Portugaliæ Comeſtabilem, ſicut etiam tradit Rodericus Mendez Silva, hîc ſuprà.*

non minus cœlo quàm patriæ glorioſè militavit.

Brigantinæ domûs auctor.

heros ævi ſui maximus.

1458. *Agitur quoque de eo in Annalibus Carmelitanis per Lezana, ubi ejus ortus, ad annum Chriſti 1360. refertur his verbis* Ortum egregii Ducis Nunnii Alvari Pereiræ, Luſitanorum Comeſtabilis, & noſtri Ordinis poſteà profeſſoris, in hunc annum, vel circiter referimus . . . Hujus præclariſſimi viri genus deſcribimus, nedùm quia ipſe Luſitaniæ ſtrenuiſſimus Dux, Brigantinæ Excellentiſſimæ familiæ conditor, & à quo tota ferè Chriſtianorum Regum Europæ origo; ſed quia poſt habitum Deiparæ Virginis ſuſceptum, ſanctitatis magnæ opinione vixerit, claruſque miraculis multis poſt obitum prædicetur. *Ingreſſum ejus in Religionem adſcribit anno Chriſti 1422. ubi iſtà:* Hàc etiam tempeſtate illuſtrare volens Deus in Hiſpaniæ & Luſitaniæ partibus ipſius Genitricis Carmeliticum Ordinem, Nunnium Alvarum Pereiram clariſſimum Luſitanorum Achyllem, Comeſtabilem Luſitaniæ appellatum, & plurimis victoriis obtentis

anni nativitatis & obitus.

ingreſſus in Religionem.

tentis

XII. Maii. tentis glorioſum, mundum vale dicere; Chriſtum ſequi, & Virginis habitum inter noſtros aſſumere inſpiravit... Majoris humilitatis exercendæ cauſâ, non Clericorum, ſed Converſorum habitum, eum videlicet, quem ſemifratres Ordinis geſtant, induit. *Ibidem agit de ejus cultu, Deo, Deiparæ, & Sanctis, & magnifico monaſterio ab ipſo ædificato, & de ejus virtutibus, peculiariter eximiâ pietate erga Deiparam, & hujus in ipſum reciproca dilectione inſigniis, de quibus in ſequentibus. Plura de ejus poſteritate, Principibus & Regibus, qui ex ejus progenie proceſſerunt, tradit ad annum M. CCCC. XXXI. cur ejus obitum his adſcribit verbis:* Olyſſiponenſi noſtro cœnobio erecto, ibique habitû Converſorum, vel Semifratrum more, ſuſcepto, ut diximus anno 1422. egregia facinora, egregia geſta, inſigniaque trophæa, ſanctâ morte coronavit. *Sed Georgius Cardoſo, qui vetera monumenta propiùs inſpicere, & examinare potuit, refert ad annum ſequentem (MCCCCXXXII.) & ad diem XII. Maji, ubi notat, errare eos, qui diem obitûs aſſignant primum Novembris, exindè opinionem illam exortam fuiſſe declarans, videlicet, quia peculiariter ejus memoria, & feſtum celebratum fuerit illâ die, ob rationem, quam mox ex ipſo Georgio Cardoſo audiemus.*

quo anno obierit

1459. *Ludovicus de Mertola, noſtri Ordinis in Provincia Portugaliâ Sacerdos profeſſus, moribus & doctrinâ commendatus à Lezana, litteris ad eundem Lezanam Olyſſipone 3. Maii 1637. datis hæc ſcribit: [Epitaphium, quod olim legebatur in antiquo S. Comeſtabilis Nonii ſepulchro, his verbis conceptum erat:]*

Ille Comeſtabilis Braganti nominis Author
Nunus adeſt, Dux maximus hic, Monachuſque beatus:
Qui regnum aſcivit vivens, ſortitus in ævum
Cœlum cum ſuperis: nam poſt numeroſa trophæa
Contempſit pompas, humiliſque ex Principe factus,
Hoc templum poſuit, coluit, cenſuinque dicavit.

Ex Franciſco Rodriguez Lobo, in celebri Poëmate, de B. Nonio, hujus elogium refert Emmanuel Roman. in Elucidationibus antiquitatis & dignitatis Ordinis Carmelit. [Matriti anno M. DC. XXVIII.] Elucidatione XXVII. folio 262. Quod & apud alios ſub titulo Epitaphii tranſcriptum legitur; licèt tumulo B. Nonii inſcriptum non fuerit: Illud quidem hujus tenoris eſt:

Qui Luſitanæ ſupremo munere gentis
Militiæ functus, officioque Ducis,
Et Bargantiaci generoſi ſtemmatis Auctor,
Regibus & multis fons, & origo fui.
Exhauſtis poſtquã bellis, ſceptriſq; relictis,
Unus Carmeli de grege factus eram.

Mox ab obitu communi voce populi Luſitani antonomaſticè ô Conde ſanto, *id eſt:* Sanctus Comes *appellatus fuit; tum ob ſancta opera in vita, tùm ob miracula poſt obitum; hinc & antiquæ ejus imagines cum radiis depictæ cernuntur, & cultum ipſi ab antiquo exhiberi ſolitum, feſto omnium Sanctorum, audiemus in ſequentibus: His attentis, à pluribus nuncupatur Beatus & Sanctus Comes: quorum veſtigiis etiam inoffenſo pede nos in hoc opere; cum proteſtatione facta hîc ſuprà, ſub initium hujus Tomi, poſſe inſiſtere, viri doctrinâ & pietate præcipui, deſuper conſulti, cenſuerunt. De ejus miraculis, & cultu jam olim ei exhibito feſto Sanctorum omnium, ſpecialiter infra ad diem 1. Novembris agetur.*

VITA

Ex Agiologio Luſitano, Auctore Georgio Cardoſo, Presbytero Luſitano.

CAPUT I.

Trophæa, & virtutes in ſeculo, præſertim eximia erga SS. Euchariſtiæ Sacramentum & Virginem Mariam pietas: Templa plura, & Monaſterium ad ejus honorem conſtructa: jejunia in pane, & aqua: caſtitas in matrimonio.

1460. HAc die (XII. Maji) Olyſſipone, in peramplo Carmelitarum cœnobio obiit Comes Nonius Alvarez Pereira, felicis recordationis, ſtirps Sereniſſimæ Brigantinæ familiæ, immortale totius Portugaliæ decus & ornamentum. Porrò hic (a) ante prælia, quæ pluries feliciſſimè commiſit, jejuniis, diſciplinis, & devotis orationibus divinum implorabat auxilium; præclaras victorias, ſubindè reportatas, in omnipotentem Deum Sabaoth acceptas planè referebat. Ingenti pietate, nec minori fiducia ad B.^mam Virginem Mariam in belli anguſtiis confugiens, nunquàm non victor evaſit. Expertus eſt maximè Deiparæ patrocinium in memorabili pugna ad Aljubarrotam commiſſa, ubi acerrimi certaminis difficultate vehementer conſtrictus, votum Virgini nuncupavit de prænobili templo cum ædibus ad ipſius cultum erigendis: nec mora, in ipſo Aſſumptionis Marianæ pervigilio glorioſum triumphum reportavit. Mox voto ſe exſolvens, ampliſſimum Carmelitani Ordinis cœnobium, inſignis ejus pietatis, ac magnificentiæ hodieque monumentum, ſub invocatione D. Virginis *De Vencimento*, id eſt, *De Victoria*, à fundamentis extruxit. Ut verò in novi templi Sacellanos, præ aliis Religioſis cœtibus, Carmelitas piiſſimus Heros inſtituiſſet, ardens erga Virginem Matrem devotio cauſa potiſſima fuit: eò quòd à tempore primitivæ

B. Nonio pia exercitia ante prælia.

(a)

pietas erga Deiparam quam ipſi nutum:

ad ejus honorem monaſterium conſtruit,

XII. MAII.

væ Eccleſiæ eidem almæ Matri peculiari obſequio dicati exſtunt Carmeli incolæ, & uſque in ſæculi finem, tutelarem ipſam & Patronam colere non deſiſtent. Et quidem generoſo Comitis pectori tam altè inſederat Deiparæ cultus, cujus ſacram Imaginem, in auſpicatum dimicationum omen vexillis appictam gerebat; quòd è ſeptem intra Portugaliæ fines à ſe conſtructis templis, Virgini Dei Matri ſex dicaverit: eo cum pacto, in fundationis tabulis ſignatis verbis expreſſo, ut univerſa Miſſarum ſolemnia, ad principes aras celebranda, ad honorem B. Virginis perpetuis temporibus peragantur. In ipſius feſtorum pervigiliis, nec non totius anni Sabbatis, quàmtumvis certamini dies forent deſtinati, pane & aquâ contentus, jejunium inviolabiliter obſervavit.

& ſex templa

ac frequenter ſolo pane, & aqua jejunat

1461. Venerabilis & Auguſtiſſimi Sacramenti devotione adeò exarſit, ut, qui plenâ manu eleemoſynas contuliſſet, ad ſacra vaſa, ceram, & oleum comparanda, quò in Eccleſiis, operâ ſuâ ædificatis, decentiſſimè cuſtodiretur, interim exponeretur; ægrè nimis ferendo, lampades ante ſacrum Ciborium pendentes cùm extinctas cerneret; dùm in oppidis ſeu vicis moram longiùs traheret, extemplò numero Confratrum Societatis hujus divini Sacramenti ſe adſcribebat: annuam diem, in memoriam inſtitutionis ejuſdem deſignatam, tripudiis, choreis, omnigenoque feſtivo apparatu, etiam in caſtris conſtitutus, effuſus planè in hilaritatem, celebrabat. Ad ipſius communionem, Chriſti Domini Corpus ſuſcepturus, ſingulis Redemptori hominum, Matrique Virgini ſacratis diebus, (rarum illo ævo devotionis exemplum!) piis exercitationibus præparatus accedebat. Cumque idcircò frequens in Euchariſtiæ communione à nonnemine notabatur, palàm reponebat: Qui victum in acie me videre deſiderat, ab hoc ſacro epulo, in quo Deus ipſe cibus fortium homines reficit, me ſegreget: etenim ab eo edulio plenè confortatus, animum, fortitudinem, & vires ad inimicos debellandos, planè induo.

Singulare ejus ardens devotio ejus erga SS. Euch. Sacramentum:

1462. Caſtus & pudicus æquè fuit ac devotus; quippe qui nullo unquàm tempore adversùs puritatem hujus cœlicæ virtutis leve aliquod ſignum ediderit, non paucis, iiſque eximiis pro ejus cuſtodia relictis exemplis. Animus ei fuit, cælibem vitam ad extremum uſque ſpiritum intàctus tranſigere: nec niſi parentum votis morem gerens, Regumque Ferdinandi, & Eleonoræ monitis flexus, uxorem duxit. Verùm hanc poſt (b) Beatricis filiæ natalem diem, vigeſimum ætatis annum nondùm egreſſus, inpoſterùm non attigit: quin imò eâdem poſt annos ſex properè amiſsâ, in flore juventutis ipſe relictus, & crebris Regum cohortationibus, tantùm non imperio, interpellatus, ad ſecundas nuptias nullo pacto eſt paſſus induci. Qui ſibi in hunc modum temperare noverat, exemplo & auctoritate aliis ubique præluxit: impudicas fœminas in ſuis legionibus nullibi gentium permiſit: militibus, qui eis adhærebant, matronaſue bellò captas minùs honeſtè tractabant, graviſſimâ, ſine ulla prorsùs remiſſione, pœnâ plexis; identidem ſubjungebat: Miles, quo continentior, eò bellicoſior: qui autem iſtam Angelicam virtutem in pretio non habet, dimidium triumphi, dùm in aciem deſcendit, adverſario jam ceſſit.

Caſtitatis amor:

(b) eam quomodò in matrimonio ſervaverit:

1463. ANNOT. (a) Ante prælia jejuniis &c. divinum implorabat auxilium. *De ejus præliis, hæc, inter alia ſcribit Vaſconcellius, in opere, de quo hic ſuprà:* Allecto in Magiſtrum Equitum Nonio Alvaro Peterio, ſummæ fidei, & dignitatis viro. *Quid ejus conſilio præſtitum in exercitu, conſequenter ſic narratur.* Fœminæ militarium flagitiorum illices, & virium corruptrices, Magiſtri Equitum conſilio, à caſtris ablegatæ (quod exemplum ſi Duces omnes imitarentur, bella feliciùs abſolverent) Milites, ante cætera, ſacri auditione, peccatorum ad Confeſſarii aures delatione, & intemeratâ ſynaxi, plurimis ſacerdotibus ad Regium conopæum, quaſi ad templum auguſtiſſimum, Euchariſtiam partientibus, roborati. *Ibidem infrà, agens de memorabili bello ad Aljubarrotam:* Magiſter Equitum, qui ob ſingularem fortitudinem, maturumque conſilium, magnam totius victoriæ partem, ſuo ſibi jure vindicavit, Olyſippone, in templo Carmelitano crucem auream, inter ſpolia, eleganti ſub theca inventam repoſuit, quæ alterâ facie pretioſas gemmas quatuor oſtentat: alterâ, non exiguum ſacri ligni fruſtum... Numquam aut vim intulit, aut repulit, quin victor evaſerit.

Ita Antceph. 12. fœminas à caſtris ablegat:

1464. (b) BEATRICIS. *Per illam, unicam B. Nonii filiam, Imperatores, & Reges præcipui Europæ, referuntur tamquam poſteri, & nepotes ad ipſum B. Nonium, ſicut jam ante, in Notatis prævii declaratum eſt. D. Rodericus de Cunha Archiepiſcopus Olyſſipponenſis, in hiſtoria Bracharenſi, 2. parte, cap. 58 ad litteram ſcribit:* Rex Portugaliæ Joannes I. nuptias Alphonſi filii cum Beatrice filia Comeſtabilis Nonii, feſtiviſſimo apparatu Leiriæ celebravit. In dotem ſuæ donavit Nonius Alphonſo genero Comitatum Barcellacum (ſeu Barcellenſem.) *Beatrix præfata, D. Nonii filia etiam ſanctimoniæ famâ conſpicua habetur; ideò ab Antonio Vaſconcellio, in ſuprà dicto opere de ea ſcribit, in Indice rerum memorabilium:* Beatricis Pereiræ ſanctitas: *& ſub titulo:* Aliquot Luſitanæ fœminæ, ſanctitate nobiles, *hæc de eadem* (): Fœminis conjugio addictis exemplo ſit Regina Urraca, Alphonſi primi Regis uxor... & Regina Elizabeth... Illis ſe comitem adjunxit Beatrix, Nonii Alvari Pereiræ, Comitisſtabilis filia, & Alphonſi à Joanne primo editi uxor, cujus oſſa in cœnobio D. Franciſci, ad Guimaranium condita, plurimos habent cultores, ob febrium depulſionem.

quid dederit in dotem Beatrici filiæ:

() pag. 527. num. 6.

quæ, in odore ſanctitatis quieſcens colitur.

CAPUT II.

Ingreſſus in Religionem: humilitas: viliora Ordinis miniſteria: exercitia: liberalitas in pauperes.

1465. POſtquàm verò Sanctus hic Comes egregia fortitudinis opera invincibili animò peregerat, Portugaliâ in pace compoſitâ, mundum, cujus plauſibus in æthera ferebatur, ſeque ipſum, inſigni planè

Carmeli Ordinem ingreſſus eudem humilem Donati veſtem aſſumit:

planè revecto triumpho, ſuperavit: rudi veſte Fratris Donati (cùm ſacerdotum ſtatum demiſsè recuſaſſet) in Carmelitano cœnobio, ſuis impenſis conſtructo, humiliter aſſumptâ. Hôc verò præclarò factô Europa universâ, ore famæ divulgato, allecti viri primarii è remotis provinciis Olyſſipponem convenerunt, prodigium, quod vix credebant, propriis oculis viſuri: hominem nimirum, trophæis ſumma cum nominis laude cumulatum, toto terrarum orbe præconiis ampliſſimis ad invidiam notum, nunc *humilitas ejus:* in anguſta cellula, abjectô etiam propriæ voluntatis dominiô, juris alterius factum, voluntariâ recluſione latitantem. Has hominum voces & laudes, bonis operibus ubique inſidiantes, Comes ipſe ut declinaret, theſauri cœleſtis deprædationem ſubindè imminere arbitratus, in deſertum locum, cœnobiumve aliquod extra Portugaliæ terminos conſtitutum, adire cogitavit, ubi aut humanâ ope deſtitutus, vel hominibus ignotus, pœnitentiæ ac deprecationis, quas ſummoperè inhiabat, fructus plenè reportaret.

1466. Cæterùm in urbe commoratus, ad imam ſui abnegationem funditùs depreſſus, oſtiatim eleemoſynas quærere conſtanter procuravit: deſtinatum opus dubiò procul executurus, ni Joannes Rex hujus nominis I. unàque primogenitus Edwardus Princeps inſtantiſſimis perſuaſionibus, & tantùm non injectâ vi, à propoſito deterrerent. Intereà nullo alio nomine, quàm luſtrali *Nonii* nun- *viliora monaſterii officia exercet* cupari paſſus, viliora, & abjectiora monaſterii officia, ea cùm alacritate, eo fervore ſubibat, ut robuſtiores in labore præiret: auditus non ſemel, cùm à ſordido aliquo miniſterio, objectâ ejus perſonali dignitate, retraheretur, in hæc verba prorumpere: *In domo Dei nullum officium eſt infimum, omnia primaria, planè excellentia: & ego eam ingreſſus ſum miniſtrare, pari cum cæteris ſorte in ſudore vitam ducere.* Et ſanè monaſticis exercitiis totus deditus, ter in hebdomada jejunium agebat, binis, tribusve Miſſarum ſacrificiis intentiſſimè miniſtrabat: frequenter mediâ *orationis aſſiduitas:* nocte, ad orandum ſurgere conſuevit, proprii ſenſus inordinatos affectus pœnitentiæ fræno moderabatur, atque in cunctis ſuis operibus Chriſtianiſſimi pectoris ſigna edens, omnipotenti Deo pro ſibi collatis beneficiis indeſinenter gratias referebat. Eximiam in pauperes commiſerationem, & liberalitatem, quas inter armorum ſtrepitus, ſuprà communem ſortem elatus, ſecum aluerat, intra Religionis clauſtra, copioſis lar- *liberalitas in pauperes.* gitionibus excreſcere fecit: magnam pecuniæ ſummam egenis, oppida, & vicos ſuæ ditionis incolentibus, profusè erogavit, illis potiſſimùm ſubveniendo, pariter muneribus exornando, qui honeſto loco nati, aut educati, in miſeram ſortem, vel temporum calamitate, ſeu acerbô belli fatô, pro Rege & patria viribus ac fortunis exhauſti, planè inciderant; ſolitus proptereà dicere: *Repoſitoria pecuniarum divitum, pauperes ſunt: nec ad obtinendas Dei miſericordiæ divitias efficacius eleemoſynâ medium valet reperiri.*

CAPUT III.

Obitus piiſſimus, ad iſta Euangelii verba: Ecce mater tua: *honorata ſepultura: ad eam populi devotio, & concurſus, ac miracula.*

1467. Tandem poſt decem circiter annos in Religione exactos, obi- *ſe præparat ad mortem;* tum ſuum imminere prævidens, ferventiùs in Dei laudes reſonare non ceſſabat, ignitis charitatis actibus, cordis æſtuantis ceu fluxû ſenſim in Creatorem ſuum deferebatur. Intrà ſacellulum, quod in remotiori ædium loco, ad honorem Aſſumptæ Deiparæ conſtrui fecerat, frequenter aderat, tenerrimis alloquiis, piiſſimis verbis jaculatoriis cum Virgine Matre occupatus, eam inſtanter obſecrabat, ut animam ſuam corporis ſarcinâ exſolutam, in cœleſtia tabernacula (ubi Angelicis choris inſerta, ipſius excelſas *de ejus die certior factus à Deipara;* perfectiones facialiter contemplata, plenè deprædicaret) quantocyùs transferri obtinuiſſet. Cùm verò de obitûs die, revelatione B. Virginis, lentâ febre, loco nuncii præmiſsâ, certior fuiſſet factus, quaſi corpus cum affectibus ſuis depoſuiſſet, rerum omnium humanarum ipſum vehementiùs tædere cœpit: eò abnegationis ſuæ carnis, quam nemo umquàm odio habuit, progreſſus, ut nec lectulo decumbere pateretur, donec Edwardi Principis, à quo crebrò inviſebatur, urgentibus argumentis penè coactus, Medicorum conſilio in morbi curatione ſe ſubmiſit.

1468. Ergò Comes, cæteris curis prorsùs abjectis, unum ſalutis animæ negotium ſolicitior curare aggreſſus, Sacrum Viaticum Divinum Euchariſtiæ Sacramentum, *Sacramenta ſuſcipit:* magnâ lachrymarum vi effusâ, devotiſſimè ſuſcepit; cùm priùs elatâ voce ita ferventer, tam alacriter Orthodoxæ fidei profeſſionem emiſiſſet, quòd auditæ voces adſtantes medullitùs compunxerint. Subindè Oleo ſancto, extremâ infirmantium Unctione, delinitus, candelam benedictam lævâ manu tenens, & ad Crucifixi effigiem, dexterâ apprehenſam, in pedibus, latere, & manibus reverenter oſcula imprimens, dùm Paſſio Chriſti Redemptoris, ſecundùm D. Joannis Euangelium à quodam Religioſo ſibi legitur, & ventum eſt ad illa verba: *Ecce Mater tua*: placidiſſimè animam exhala- *moritur ad illa Euangelii verba: Ecce mater tua;* vit. Et morienti adſtitiſſe Virginem Matrem, quæ ſibi devotis in tremenda mortis hora numquàm abfuit, eò vel maximè credendum eſt, quòd viventem inviſere, demulcere, non raròdignata eſt, ſicuti conſtanti traditione hodieque dicitur.

1469. Funeri venerandi cadaveris, tunc in

XII. Maii.

funeri adſunt Rex, & Religioſorũ, ac nobilium caterva.

in medio primario ſacello depoſiti, Joannes ipſe Rex, ac Edwardus Princeps, aulicâ pariter & civicâ Nobilitate, unà cum Religioſorum hominum catervâ ſtipati, ad ſtitêre: omnes pari ſorte contriſtati, ob irrevocabilem tranſitum viri eximiè ſancti, Portugaliæ fulcimenti, cujus precibus ad commiſerationem populi Dominus flectebatur, pariter condolentes. Poſthâc frequens devotæ plebis concurſus circa ſepulchrum fieri viſus eſt, terrâ exinde, reliquiarum loco, à permultis aſportatâ, & per hanc diu quàm plurimis curationum beneficiis, dextrâ Omnipotentis Dei, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, modò plane miraculosè erogatis.

concurſus piæ plebis ad ejus ſepulchrum.

beneficia ſanitatis inde referuntur.

Ex Commentario præfati Georgii Cardoſo, in dicto Agiologio.

1470. Q*Vemadmodum Martyrologium Romanum Cardinalis Baronius, & Vſuardi Ioannes Molanus, atque alia alii annotationibus illuſtrârunt, ita quoque Georgius Cardoſo in Agiologio Luſitano adjecit Commentarios in vitas pleraſque, & quidem luculentum ad vitam B. Nonii: quem cùm tradidiſſet*, natum apud vicum Bonum-viridarium (*Luſitanis* Bom-Jardin) propè oppidum Certaam, ſacri territorii Prioratus Crati, Melitenſis Ordinis, in Portugalia, ſub Junio menſe, currente anno 1360. parentibus Alvaro Goncalvez Pereira, ex primaria Luſitaniæ nobilitate genus trahente, matre verò Irene* Gonçalvez de carvalhal, nobili loco natâ, *ſic vita ipſius B. Nonii ſeriem, ab adoleſcentia, uſque ad obitum contexit.* Sub matris diſciplina liberaliter educatus Comes, Chriſtianos ac politicos mores induit: & imberbis adhuc, circiter tredecennis, apud inſigne oppidum Scalabis (hodie Sanctarem) militari ritu eques creatus eſt, manibus Eleonoræ Reginæ, Ferdinandi Regis Portugaliæ conjugis, arma, quibus priùs Joannes Magiſter militiæ Aviſii, inde Rex, inſignitus fuerat, glorioſâ pompâ indutus. Adoleſcens in decimo ſeptimo ætatis anno conſtitutus, Eleonoram de Alvim nobiliſſimam fœminam duxit in uxorem, ex qua proles duas maſculas, immaturè præreptas, & filiam Beatricem ſuſtulit. Porrò Beatrix nubilis Alphonſo Comiti Barcellenſi, & primo Brigantino Duci matrimonio juncta, numeroſam enixa eſt ſobolem, uſque adeò fortunatâ poſteritate diffuſam, quòd Europæ fermè univerſæ Reges ac Principes, hodieque ſuperſtites, ab eo originem ducant.

B. Nonius ubi, quando natus?

** Luſitan. Irta, & Erna, ſeu Liria.*

Ita Roderic. de Cunha part. 2. c. 25 hiſt. Eccleſ. Olyſſip.

matrimonium init:

Beatricis filia ejus fortunata poſteritas:

1471. Cæterùm Nonii Comitis clariſſimas victorias, res diu heroicè geſtas narratione complecti impoſſibile planè arbitramur: quandoquidem Portugaliæ Annales, & juſta ipſius Comeſtabilis hiſtoria omnes pro dignitate haud referant, nõ paucas, æternâ memoriâ dignas, ſilentio obvolutas relinquunt: iis ſanè, cum ampliſſimis ditionibus, prætermiſſis, invictus noſter Heros, terrena deſpiciens, cœlum orationibus, pœnitentiis, ac piis operibus expugnare aggreſſus: excurrente anno 1442. ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo, intra Carmelitarum ædes, quas Olyſſippone pari magnificentiâ conſtructas & dotatas, hujus familiæ ſodalibus, ſub die 28. Julii, vergente anno 1423. plene donaverat, retractus, veſtem Donati Fratris aſſumpſit, teſte, cum aliis, Ægidio Fernandez Conimbricenſis Eccleſiæ Gymnaſiarcha, in manuſcriptis Adverſariis de Portugaliæ Regibus. Annum tandem agens 71. à Religionis ingreſſu circiter decimum, die Maji duodecimâ, quæ incidit Feriâ ſecundâ Pentecoſtes, decurrente anno 1432. Nonius noſter ſpiritum Deo reddidit. Ejus ſepulchrum hâc ipsâ die in memoriam liberatæ Portugaliæ, ad Aliubarrotam, atque alibi relatis triumphis, Olyſſipponenſis urbis & tractus plebs tripudians inviſebat, jubilis & canticis Comiti Nonio gratias referendo. Quod ad ipſius formam ſpectat, fuit quidem Nonius ſtaturâ, minori juſta, corpore pleno, vultû planè heroico, perfectâ & decorâ facie; parvulis, ſed vivacibus oculis, colore albus, fulvus capillo, anguſtâ & prolixiori barbâ: ſicuti vera ejus imago, ſub figura adoleſcentis, ſimul cum altera, in ſpecie Donati Carmelitani, ad tumulum hodieque proſtans, palàm intuentibus objicit. Viſitur hoc tempore Comitis Mauſoleum, alabaſtrito lapide, inſigni opere conſtructum, ad latus dexterum primarii ſacelli, propè altare ibi erectum, collocatum.

monaſterii Carmelit. à ſe conſtructum ingreditur:

moritur an. 1432. die 12. Maji.

forma, & ſtatura corporis:

1472. Quàmplura, ejus interceſſione, patrata fuiſſe miracula, ea inter novem mortuorum reſurrectione accenſita legimus: idcircò vulgò *Comes ſanctus* audit, plurium Scriptorum calculo Beatus nuncupatus, adhibitis radiis & ſplendoribus ejus Imaginibus. Enimverò multorum annorum curriculo ipſius feſtum in hocce Carmelitarum templo, ad diem primam Novembris, Sanctis omnibus dicatam, eò quòd eorundem faſtis nondum eſſet adſcriptus, ſolemni ritu celebratum eſt: nato exinde non unius Carmelitani Scriptoris errore, Comitis noſtri obitum hâc eâdem die falsò deſignantis. Itidem ad aram in honorem ejus in præfato templo olim erectam, circum circà tabellis votivis ſuſpenſis, anathematibus plene ornatam, pro ipſius cultu offerebatur Deo ſacro ſanctum Miſſæ ſacrificium: num de Communi unius Sancti Confeſſoris, an potiùs ſub Omnium Sanctorum nomine, uſque modò incompertum. Ardebat pariter ante prædictam aram lampas argentea, pietate Alphonſi V. Regis Portugaliæ, erga S. Comitem eximiè devoti, ibidem appenſa, quæ furtò ſublata inſigni prorsùs miraculo reſtituta fuit. Caſum referre libet verbis Gomecii Annes de Azurara, in libro miraculorum B. noſtri Nonii num. 36. [Poſt veſpertinum, inquit,

miracula:

cultus:

tabellæ votivæ, anathemata:

ante aram, in ejus honorem erectam lampas argentea:

XII. Maii.

eam furtivè auferens, divinitùs punitur:

inquit, Officium decantatum, impius latro templum ingreſſus, ad ſepulchrum S. Comitis accedens, & ibi preces fundere ſimulans, cùm à nemine obſervari circumſpiceret, ſacrilego auſu argenteam lampadem pendentem ſuffuratus eſt. Mox retorto ac compreſſo metallo, ſub pallio eam tenaciter arreptam deferens, citius per cœnobii januam egredi feſtinavit, ſed incaſſum: diſcurrens namque huc illucque, & ſepta loci exire colluctatus, ad limen numquam pervenire valuit. Quapropter ad ſe reverſus, anhelans & terrefactus, ac fronti ſignum crucis infigens, contractam lampadem ſubtus quoddam teretrum projecit. Veruntamen etſi onere liber, ab ædibus pedem efferre, vias ſuas abire minimè potens, atque adeò vagus incedens, per brachium à Religioſo viro Fratre Martino S. Theologiæ Doctore fortiter apprehenſus, extra cœnobium tandem pulſus eſt: & tunc quidem miraculum, S. Comitis meritis operatum, palam conſtitit.] Huc uſque relatus hiſtoricus.

1473. Quædam porrò S. Comitis juſtæ magnitudinis effigies, eaque cærea, magnâ populi religione ante paucos annos cuſtodiebatur in Eccleſia D. Virginis de Oliveto apud Certaam, ſicuti ex veridica relatione incolarum accepimus. Fuit ſanè iſta præſentiſſimum adverſùs febres amuletum: namque morbo iſto laborantes, particulam ex eo ſubtractam, ad collum, ſeu ſacram reliquiam, rectâ fide ligatam tenentes, ab infirmitate penitùs liberi, integræ ſanitati reſtituebantur. *Illius cultu febres depulſa.* Imminutionem verò ſtatuæ, & ruinam proximè imminentem Prior quidam illius Eccleſiæ indignâ malignitate ferens, quod reliquum erat, avarus ſurripuit; gravibus proindè malis in pœnam criminis à Deo plexus, uti per illum tractum conſtanter aſſeritur. Extat de Nonii Comitis vita, & rebus geſtis vetus & integrum Chronicon, octoginta capitibus abſolutum, bis idiomate vernaculo Portugaliæ, ſemel Hiſpanicè cuſum. *Hæc Cardoſus. Liber miraculorum, cujus hic Cardoſo meminit, extat MS. in archivo noſtri cœnobii Olyſipponenſis, ſicuti ſcribit P. Petrus à Cruce, noſtri Ordinis Sacerdos Luſitanus, in duobus opuſculis non pridem Olyſippone editis.*

De diſtributione bonorum B. Nonii facta ab ipſo ante ingreſſum in Religionem, & de ſcriptoribus vitæ, ac geſtorum ejus. Ex eodem Commentario.

B. Nonius trifariam bona ſua diſtribuit

1474. *Bona ſua trifariàm diviſit: partem magnam impendit templo conſtruendo & fundando; ſeptem videlicet, ſicut cap. 1. Vitæ ejus narratum eſt: aliam partem liberaliſſimè pauperibus erogavit, & contulit, in erigendo, ac fundando regio cœnobio Carmelitano: in quod poſteà ſe recepit. Quoad tertiam partem, Georgius Cardoſo in præfato Commentario, ita bonorum ſtabilium, ſeu immobilium diſtributionem per ipſum B. Nonium facta, iſta (ex Luſitanico idiomate Latinè reddita) ſcribit:* Priuſquàm invictus Heros Nonius Carmelitani Donati veſte indueret ditiones, & bona ſua Nepotibus ex Beatrice filia hoc ordine diſtribuit. Iſabellæ Infantiſſæ, Joannis Portugaliæ Infantis uxori, donavit territoria de Paqua, & Tendais, oppidum inſigne Almada, & redditus annuos oppidi Loulè. Alphonſo, qui poſtmodum Marchio Valentiæ fuit, dedit Comitatum de * Ourene, agros, rura, & poſſeſſiones, quæ in Eſtremadura, ac in territorio Olyſipponenſi obtinebat, ſimulq; proprias ædes, ſeu palatium, in hac urbe Olyſippone conſtructum. Ferdinando autem, Beatricis & Alphonſi primogenito, deindè Duci ſecundo Brigantino, conceſſit Comitatum de Arrajolos * agros omnes, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, quæ inter Taſum fluvium, & Odianam habebat. *Sic Cardoſo. Quid ante dederit Alphonſo genero ſuo, marito filiæ ſuæ Beatricis, jam ante audivimus ex D. Roderico de Cunha Archiepiſcopo Olyſipponenſi, videlicet* Comitatum Barcellenſem: *Vaſconcellius autem ſcribit:* addito dotali Comitatu Barcellenſi, & Ducatu Brigantino.

* Latinè Ourenum

* Lat. Comitatum Arrajolorum

Scriptores de vita, & geſtis ejus.

1475. *Quoad ſcriptores de vita, & geſtis ejus, ſic referuntur à præfato Cardoſo:* Chronicon ejuſdem Comeſtabilis: Chronica Regum Portugaliæ, Ferdinandi I. Joannis I. ac Edwardi I. Franciſcus Rodriguez * Lobo in celebri poëmate, intitulato, O CONDESTABILE. Antonius Vaſconcellius, Anacephal. 13. & in deſcriptione Luſitaniæ pag. 524. Franciſcus Suarez Turcano, in Parallelis Principum, variis in capitulis. Ludovicus Coelho de Barbuda, in Symbolis militaribus libro 2. Abraham Bzovius Tomo XVI. Annal. ad annum 1431. Joannes Mariana, de rebus Hiſpaniæ, maximè libro 21. cap. 4. Joannes de Carthagena Tomo 3. Homiliarum agens de Monte Carmelo. Ex Ordinis Carmelitani hiſtoricis Didacus de Coria, in generali Chronico lib. 11. cap. 21. Simon Coëlho in proprio hujus Provinciæ Portugaliæ Chronico, lib. 1. cap. 22. Petrus Thomas Sarracenus, in Mænologio Carmelitano, folio 415. Emanuel Roman. in Antiquitatibus Carmel. Ordinis tractatu 2. elucidatione 27. fol. 262. Michael de la Fuente, in Compendio Hiſtor. Ord. Carm. in fine, ad an. 1450. Marcus de Guadalagaxara, in Theſauro ſpiritual. Ord. Carm. cap. 9. & 13. Franciſcus Voërſius, in vita Henrici Silvii Generalis Ordinis Carmelit. pag. 315. Michaël Muñoz, in Propugnaculo Eliæ, lib. 2. titulo 3 cap. 1. art. 3. & tandem Lezana, in Annal. Ordinis, Tomo 4. variis in locis: & in Maria Patrona, cap. 11. num. 24. *Huc uſque diligentiſſimus Cardoſo. Vita ejuſdem epitomice etiam extat in opere inſcripto:* Decor Carmeli Religioſi: in ſplendoribus Sanctorum, ac illuſtrium Carmelitarum. (3)

* ſeu Lupus.

(3) Auctore R.mo P. Philippo à SS. Trin. Præp. Gen. Carm. Diſc. Congreg. S. Eliæ.

XVI. MAII.

VITA S. SIMONIS ANGLICI

Obiit An. M. CCLXV.

VI. Generalis: B.[ma] Virginis Mariæ cultoris eximii, & ab ea ſingulariter dilecti, ac ſacri Scapularis habitu donati: Propagatoris præcipui Ordinis Carmeli, è Terra ſancta in Europam traducti.

NOTATA PRÆVIA.

§. I. *Elogia quædam, & ſanctitatis teſtimonia, exarata in vetuſtis Kalendariis Sanctorum, martyrologiis, & aliis antiquitatis monumentis, ac continuatâ Scriptorum ſerie.*

1476. *Sancti plerique Ordinis hujus peculiariter addicti cultui SS. Virginis Dei Genitricis Mariæ (Ordinis Patronæ ſingularis) viciſſim ab eadem amabili Matre, amore vinci neſcia, materno planè affectu, ſingularibus gratiis delibuti fuerunt. Peculiariter autem reſplendent devotio eximia S. Simonis Anglici, ſive Stochii, ſeu Stockii, aut Stock: & viciſſim erga ipſum reciproca Virginis effuſa dilectio, tradendo ei ſacrum Scapulare; non tantùm ipſi, ſed & toti Ordini privilegium ſingulare: cujus prærogativarum participes fieri etiam alii poſſunt. Feſtum S. Simonis, in hoc Ordine unum ex primariis, die XVI. Maji ſolemnizatur, ſub ritu* duplicis majoris *(alii* totum duplex *nuncupant) & per dies ſeptem ſequentes. Ad illum diem in vetuſtioribus Ordinis Kalendariis, & Catalogis Sanctorum legitur:* S Simonis Confeſſoris, Ordinis noſtri: Duplex. *Ita in Calendario, vetuſti codicis* MS. *Carmeli Mechliníenſis. De Kalendarii iſtius antiquitate (veriſimiliter ab anno plùs minùs trecentis) & auctoritate actum eſt ſupra* (a)*: & quædam adhuc dicentur hîc infra §. 6. ubi de antiquo S. Simonis cultu ante annos quadringentos, videlicet ab anno primo poſt ejus obitum Burdigalæ, & indè derivato in Angliam, ac ad alia loca. In pleriſque aliis Kalendariis ad eundem diem ſic legitur:* Simonis Anglici Confeſſoris, Ordinis noſtri, Duplex. *Ita in Kalendario Breviarii anni* 1564. *atque in aliis. Olim in toto Ordine, ſub ritu duplici eo die de illo celebrabatur officium de communi, cum Oratione, ſeu Collecta propria ad horas Canonicas, &* Miſſam. *In Anglia autem (quia S. Simon natione Anglus fuit) Officium erat proprium, cujus initium erat:* Ave Simon, Pater inclyte: *compoſitum à Roberto Bale, de quo Molanus* (b) *Poſſevinus in Apparatu ſacro, & Pitſeus, libro de illuſtribus Angliæ Scriptoribus. Burdigalæ quoque (ubi ejus corpus quieſcit) ab anno* 1435. *etiam fuit Officium proprium: cujus initium eſt:* Hic vir deſpiciens mundi: *& iſtud auctoritate Sedis Apoſtolicæ recognitum, & approbatum, nunc in toto Ordine recitatur. Sed de ejus cultu peculiariter agetur hîc infrà §. 6.* (a)

S. Simonis ſingularis devotio erga Deiparam: ejus feſtum ſolemne: antiquum ejus cultum teſtantur vetuſta Calendaria & officia propria,

(a) in Præfat. general. ad hunc Tom.

(b) in Annot. ad Vſuardi Martyrol. ad diem 16. Maji.

1477. *Ad eundem diem (XVI. Maji) in variis Martyrologiis commemoratur: à Molano quidem* (c) *his verbis;* In civitate Burdegalæ B. Simonis Stock, Carmelitæ, Deiparæ Virgini Mariæ ſingulariter devoti, ac miraculorum coruſcatione prægloriosi. *Ferè eadem, leguntur in Agiologio Ioannis Gillemanni,* (b) *vetuſti ſcriptoris, Canonici Regularis Ord. S. Auguſtini in Rubea Valle prope Bruxellas. Philippus Ferrarius Alexandrinus in Catalogo Generali Sanctorum, ad diem 16. Maji, ſic paucis:* Burdegalæ in Aquitania ſancti Simonis Ordinis Carmelitarum. *Et Andreas Sauſſaijus in Martyrologio Gallicano ad 17. Calendas Iunii:* Burdigalæ S. Simonis Stock Confeſſoris, ex Carmelitarum Ordine, ejuſdemque ſexti in Latinorum ſerie Generalis, mentis puritate, vitæque ſanctitate, & mirà in ſanctiſſimam Virginem devotione, ſignorumque gloriâ illuſtris. *In antiquo Ordinis Carmelitani Martyrologio olim legebatur:* XVII. Calendas Junii Civitate Burdegala: B. Simonis Stock Anglici Carmelitæ, Deiferæ Virgini Mariæ ſingulariter devoti, ac miraculorum coruſcatione prægloriosi. *In alio autem* (c)*:* Burdegalæ depoſitio S Simonis Stock, Generalis Ordinis Carmelitarum. Qui natione Anglus, vitæ ſolitariæ ſtudio Deo acceptus, hominibus admirabilis, & ſpiritu Prophetiæ clarus, diu in arboris trunco reſidens, Dei monitu Carmeliticæ Religionis habitum aſſumpſit: quo recepto, eâ morum & virtutum honeſtate, ferventi charitate, ſuæ Religionis Zelo, & in Deiparam Virginem Mariam pietate, & ſingulari devotione præcelluit, ut ſedulis & inſtantiſſimis precibus, ab eadem ſuper-liberali Virgine Scapulare ſeu Confraternitatis privilegium, ſalutis ſignum, fœdus pacis, & pacti ſempiterni recipere meruerit: quo etiam

(a) impreſſ. Antv. an. 1585.

(b) Inde excerpta vide in Speculi hujus parte 3. nu. 1709.

in variis Martyrologiis refertur ad 16. Maji ac Martyrologia.

(c) Extat inſertum Ordinali, ſeu Ceremoniali l. 1. Rub. 33.

XVI. Maii.

am nunc jugiter maxima perpetrantur miracula. Tandem poſtquam Ordinem ſuum multis annis ſanctiſſimè gubernaſſet, anno centeſimo vitæ ſuæ, plenus bonorum operum, miraculiſque multis, in vita & in morte clarus, migravit ad Chriſtum. *In Martyrologio Anglico, Anglicano ſermone edito, ſic (in Latinum traductis verbis) S. Simon commemoratur ad diem 16. Majii* Burdegalæ in Gallia depoſitio S. Simonis, cognomento, Stock, Confeſſoris & Carmelitæ: qui natione Anglus, & magnæ ſanctitatis vir, electus fuit Generalis ſui Ordinis. Cui B. Virgo, dum ad illam preces funderet, magno Angelorum cœtu comitata apparuit: *conſequenter agitur de tradito ipſi à Deipara Scapulari, & de obitu Burdigalæ, & quòd* Deus *eum* multis illuſtraverit miraculis. *Eadem paulò aliter traducta leguntur in hiſtoria generali Carmelitarum Diſcalceatorum, Romæ edita* (a)

(a) lib. 2. c. 10. pag. 215.

1478. *De B. Simonis ſanctitate, miraculis, & peculiariter tradito illi cælitùs à SS. Virgine Maria Scapulari, Scriptores à tempore ipſius S. Simonis, uſque in præſens, continuatâ ſerie tractârunt, ſicut videre licebit Tomo præcedenti* (b) *ideo ſufficiet præcipuos quoſdam hîc obiter nominaſſe: primus occurrit Petrus Swanyngtonus, Anglus, ipſius S. Simonis ſocius in Viſitationibus: qui hiſtoriam traditi Scapularis ad poſteros tranſmiſit: quam ejus verbis retulimus in dicto Tomo præcedenti* (c) *& quædam ex eo adferuntur in ejus vita hîc infra cap. 4. Hunc ſequuntur Guilielmus Coventre, etiam Anglus, circa annum Chriſti 1348. in libro, cui titulus:* Scutum Carmelitarum: *& eodem ſæculo Ioannes Groſſi, Toloſanus, Prior Generalis Ordinis, primùm electus anno 1389. qui vitam Sancti Simonis tradit in libro inſcripto:* Viridarium: *& illud etiam inſertum eſt Tomo præcedenti* (d). *Seculo ſequenti Thomas Bradley, etiam Anglus, & inde Epiſcopus Dromorenſis in Hibernia, tempore Eugenii IV. Papæ, in libro, ſeu tractatu, De fundatione Ordinis Carmelitani, cap. 2. agens de habitu Ordinis, refert* qualiter B. Virgo apparens S. Simoni, ipſi Scapulare tradiderit: *videatur Tomo præcedenti* (e). *Eodem ſeculo Balduinus Leerſius, Atrebatenſis (qui obiit anno 1483.) in Collectaneo exemplorum cap. 4. eandem hiſtoriam commemorat* (f). *Sub idem tempus florebat Arnoldus Boſtius Flander, qui in libro, de Patronatu B. Virginis, ſcripto anno 1479. cap. 10. per totum agens de S. Simone, perelęganter tradit,* Qualiter ſuper piiſſima Virgo Maria fervido ſuo Zelatori B. Simoni Stock, Carmelitani cœtûs Priori Generali, pro ſe, cunctiſque ſuis Confratribus, peculiariter, atque etiam participativè cunctis Chriſti-fidelibus, Scapulare Ordinis immenſo favore detulerit, ſtupendo quoque dignitatis privilegio idipſum decoraverit. (g) *Alia quædam ex ejuſdem Speculo hiſtoriali mox adducentur. Aliquanto poſt Ioannes Palæonydorus Batavus,* in Faſciculo temporum, *lib. 3. cap. 4.*

Scriptores de S. Simone, ab ejus ætate uſque in præſens.

(b) nu. 2085.

(c) parte 3 lib. 2. & pra. nu. 2077.

(d) num. 599.

(e) num. 832.

(f) Vid. Tomo præced. n. 1456.

(g) Vid. Tom. præced. n. 1640.

Et Petrus Brunus Gandenſis, in Tabulari eadem ſcribunt. (h) *Seculis autem duobus ſequentibus, ab anno 1500. ad 1600. & indè uſque ad præſens tempus de S. Simone, & peculiariter de tradito ipſi cælitùs Scapulari, plurimi ſcripſerunt: è quibus præcipuos aliquot retulimus Tomo præcedenti:* (i) *plures videri poterunt apud P. Irenæum à S. Iacobo, libro, ſeu tractatu de Scapulari, & P. Paulum ab omnibus Sanctis,* in Clave aurea.

(h) Tom. præced. num. 1061. & num. 898.

(i) nu. 2086.

1479. *Simonis noſtri ſanctitatem, & hiſtoriam traditi ipſi à* SS. *Virgine Dei Matre Scapularis, perſpicuè exprimunt quoque verſus antiqui, in variis codicibus vetuſtis exiſtentes: quos conſtat factos, veriſimiliter, ab annis plus minus trecentis: è quibus iſti leonini, antiquæ poëſeos:*

De S. Simone verſus antiqui.

Si Ordinis in ſigno moritur quis, jure
benigno,
Solvitur à pœnis * duciturque locis a-
mœnis.
Hoc impetravit Simon à Virgine chara.
Poſteà migravit, ſcandens ad gaudia
clara.

* Al. fruiturque locis peramœnis.

Verſus iſtos refert præfatus Balduinus Leerſius, in Collectaneo exemplorum cap. 4. & leguntur in Viridario Ioannis Groſſi in Codice MS. *Carmeli Mechlinienſis fol. LXXIV. in fine.* (k) *Antiquitatis paris, aut ſupparis ſunt iſti:*

Anglicus iſte Simon petit à Chriſti Ge-
nitrice
Præſidium Matris, ac Scapulare ſuum.

(k) Tomo præced. nu. 1497.

Extant in eodem vetuſto Codice MS. *Carmeli Mechlinienſis, inter verſus antiquos de præcipuis Sanctis Ordinis hujus. Abhinc duobus ſeculis in Hollandia florebat Gerardus Edam Harlemenſis, qui circa annum Chriſti MCCCCLXX. ſcripſit libellum verſuum heroicorum, de antiquitate, & ſucceſſu Ordinis Carmelitani, in quo cap. 2. (quod eſt de habitu Ordinis) iſta:*

Poſt (Innocenti Papæ ſub tempore
Quarti) (l)
Sanctus vir Simon Stock, Ordinis &
Generalis,
Virginis intactæ ſuaſu, monituque
Mariæ,
Anglorum grata Scapulare recepit in
ora.

(l) anno Chr. 1251. Pontificatus Innocentii anno 9. inchoati.

Plura de illo libello, & ejus auctore videri poterunt Tomo præcedenti (m) *In hymno de S. Simone olim in vetuſto officio Burdigalæ recitari ſolito (& nunc in uſu per totum Ordinem, ſicut jam ante diximus) ad utraſque Veſperas iſta leguntur:*

(m) nu. 1503.

Te ſuum Chriſti Genitrix Maria
Virgo dilectum vocat, & triumphos,
Dum tuis ponit ſcapulis amictum,
Ordinis auget,

Et in hymno Laudum:

Per te fideles mortui
Flammis habent auxilium.

XVI. Maii.

In illo autem officio venerabilis, & irrefragibilis auctoritatis (tum propter antiquitatem, tum quia ab Eccleſia approbatum, & conceſſum pro toto Ordine) illud de Scapulari à glorioſa Dei Matre Maria tradito S. Simoni aliquoties repetitur, & quidem in Oratione, ſeu Collecta, ad Veſperas, Matutinum & horas, atque etiam ad Miſſam, his verbis: Meritis B. Simonis Confeſſoris tui Carmeli montis Ordinem per manus Genitricis Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſingulari privilegio decoraſti: *& lectione 6. ad Matutinum:* Apparuit ipſa Virgo benedicta, Angelorum multitudine comitata, tenens præ manibus Scapulare Ordinis, dicens: Hoc erit ſignum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quòd in hoc piè moriens, æternum non patietur incendium. *In veneranda antiquitatis feſto primario, & ſolemniſſimo Ordinis hujus die XVI. Iulii (aut Dominica ſequenti) ad officium Canonicum, auctoritate Eccleſiæ, & Sacror. Rituum Congregationis ſæpiùs recognitum, & approbatum de Scapulari à SS. Deipara tradito B. Simoni, iſta leguntur:* Magnificentiſſima Virgo... inſigne ſacri Scapularis: quod B. Simoni Anglico præbuit, ut cœleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. *Et ibi paulò infra* Beatiſſima Virgo... Filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam; preceſque paucas eis præſcriptas frequentârunt, ac pro ſui ſtatûs ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dùm igne purgatorio expiantur, ſolari, ac in cœleſtem patriam obtentu ſuo quantocyùs piè creditur efferre. *Plura circa iſta videri poterunt hic infrà, ad diem XVI. Iulii: illa autem copioſiùs ſunt tradita Tomo præcedenti (a) Ante annos trecentos (anno Chriſti 1350. aut circiter) Avenione diſcipulus S. Petri Thomæ (poſtea Patriarchæ Conſtantinopolitani) erat Ioannes Hildeſheimenſis, natione Saxo, qui poſteà inter varia eruditionis monumenta, ſcripſit librum intitulatum:* Defenſorium *&c. (inſertum Tomo præcedenti (b) in quo ſub finem præcipuos Ordinis Sanctos, atque etiam ſingularia Ordinis privilegia verſibus exprimit, juxta ſeriem Alphabeti: ibi autem S. Simon & Scapulare ipſi traditum, ac Sabbathinum privilegium (liberationis ſcilicet è Purgatorio, Sabbato poſt obitum) iſtis exprimuntur verſibus, ſub litera S.*

Officium antiquum Eccleſiæ auctoritate approbatum, de Scapulari ipſi tradito.

(a) n. 2147. & ſequent. per aliquot capita.

(b) n. 710.

S dat ſupernæ profeſſis commoda vitæ.
S eſt ſalvificus Prior eſt & vita ſuperſtes,
S ſtat pro ſigno de ſubveniendo ſodali.

Etiam ſigilla, & parietes, atque alia vetuſta monumenta noſtri Patris Simonis ſanctitatem, & hiſtoriam traditi ipſi à SS. Virgine Deipara Scapularis teſtificatam futuris ſeculis tranſmiſerunt. Quantùm ad Sigilla; ſigillum magnum Provincialis Walloniæ eſt effigies B. Virginis tradentis Scapulare Beato Simoni: ita teſtantur Patres præcipui iſtius Provinciæ, hic infra, in Appendice, (c) Circa annum Chriſti 1350. fundatus fuit Conventus B. Virginis ad Mulum, in ſilva Liedekerckana, in finibus Flandriæ, ſeſqui milliario ab Aloſto, quò deinde tranſlatus fuit anno Chriſti 1497. Conventûs iſtius antiquum ſigillum Priorale in ære expreſſum, eſt effigies B. Virginis, & S. Simonis Scapulare recipientis. Quantum ad alia vetuſta monumenta, antiquiſſima Carmeli Bruxellenſis fundati ante annos quadringentos & ipſi parietes S. Simonis miraculorum gloriam conteſtantur, his verbis: Jam miraculis clareſcentis *(vide hic infra § 5. (d)*

S. Simonis antiqua memoria in aliis vetuſtis monum.

(c) num. 2533.

(d) nu. 1493.

§. II. *Analecta de S. Simone, ex Arnoldi Boſtii Speculo hiſtoriali.* *

* lib 7. per plura capita.

1480. ARnoldus Boſtius *(inter præſtantioris notæ ſcriptores ab Hermolao Barbaro Patriarcha Aquileienſi, & Trithemio Abbate, ac aliis habitus) variis locis tractat de vita, geſtis, & miraculis S. Simonis; peculiariter vero de Scapulari ipſi à B.ma Virgine Maria tradito, nec non de propagatione Ordinis ſui ſub ejus regimine, & gravibus moleſtiis Ordini tunc illatis, ac de multiplici favore, & protectione ejuſdem per Summos Pontifices. Prolixius de iſtis agit in Speculo hiſtoriali libro 7. per plura capita; cùm autem ibi varia interſerat, de quibus actum eſt in Tomo præcedenti, præcipua quædam duntaxat hic adferentur, indicando, ubi alia plenius pertractata ſint: & quidem dicto libro 7. cap. XI. cum ſermo fuiſſet de Alano V. Generali Ordinis, ſubjungitur:* Succeſſit ei in Generalatûs officio ſanctus Simon Stock Anglicus. *de quo cap. ſequenti iſta:* Beatus itaque Simon Stock, natione Anglicus, Regnum Anglicanum velut ſydus verbo & exemplo illuſtrans, ante dictorum Fratrum Carmelitarum adventum in Angliam, ſpiritu Prophetico pollens, eoſdem Fratres expectavit de Monte Carmeli affuturos, in quodam trunco arboris concavo ſanctam vitam ſolitariam ducens, Et ille tic à præfato trunco, qui idiomate Anglico Stock vulgariter nuncupatur, Beatus Simon Stock ſuum uſque hodie ſervavit agnomen, *Narratur deinde, quod cum aliqui in Anglia nati, deinde Religioſi eremitæ in Carmelo, de licentia Prioris montis Carmeli, in Angliam remeaſſent anno Chriſti MCCXII. ſicut capite præcedenti dixerat;* id cùm vir ſanctus intellexiſſet, divino permotus inſtinctu, ſacrum Ordinem Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo ingreſſus (quē ſpiritu Prophetico, ut dictum eſt, diu ante expectaverat) illius Religionis habitum, magna cum devotione à prædictis Fratribus ſuſcepit. Fuit verò B. Simon compoſitus moribus, fervidus in charitate, manſuetus in ſocietate, fortis ad patientiam, & pronus ad concordiam. Qui eloquentiſſimus, tam vehemens, tamque efficax divinorū eloquiorum ſuaſor fuit, ut in Anglia mirabilem fecerit animorum à vitiis ad virtutes commutationem. *Conſequenter traditur, quòd miraculoſe electus fuerit in Priorem Generalem Ordinis Fratrum Carmelitarum,* quem religiosè, & ſanctè rexit grandi prudentiā; erat enim in judiciis certus, in loquendo modeſtus, in jubendo diſcretus, in diſpenſatione induſtrius, in agendo ſtrenuus, & tempore Præla-

Arnoldus Boſtius luculenter ſcripſit de S. Simone,

Angliæ regnum illuſtrans

ſpiritu prophetico pollens;

virtutes ejus.

XVI. Maii.

præſertim in regimine,

Prælationis ad cenſuram rigidus: nam minoribus ſe exhibuit blandum, rigidum ſuperbis, benignum humilibus, miſericordem pœnitentibus, & inflexibilem obſtinatis.

S. Simon favore Summorum Pontif. & S. Ludovici Ordinem propagat.

1481. *Capite XIII. XIV. & ſequentibus ejuſdem libri 7. prolixè refertur, qualiter Ordo ſub regimine S. Simonis fuerit plantatus, & dilatatus per Europam, fervore Summorum Pontificum Innocentii IV. & Alexandri IV. Ordinem commendantium omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cunctis Chriſti-fidelibus, & contra infeſtatores munimen defenſionis præbentium: & quòd S. Ludovicus Rex Franciæ, intellectâ morte Reginæ matris ſuæ, ex Palæſtina rediens in Franciam, in mari circa Carmelum à naufragio, facto voto, liberatus, ſex Religioſos è Carmelo aſſumpſerit, & eis Pariſiis conſtruxerit monaſterium: unde per Galliam Ordo propagatus fuit: ſed iſta pleraque tradita ſunt Tomo præcedenti, parte 1. libro 9. & 10.* (a) *ubi etiam præfatorum Pontificum Diplomata inſerta extant. Capite XVII. narratur, qualiter machinatione diaboli invidentis propagationi Ordinis per Europam, magna excitata fuerit perſecutio adversùs Ordinem in Europa pullulantem; variis enim locis Fratribus non permittebatur ædificare Eccleſiam, ſeu Oratorium, nec habere campanam, nec cœmiterium ad uſum proprium, & exigebantur ab eis graves ſervitutes; ſic ut in amaritudine vitam ducerent. Cum pro remedio recurrerent ad Prælatos, à variis eludebantur ſophiſticis rationibus: ſicut pleniùs relatum eſt Tomo præcedenti variis locis* (b) Videntes igitur Fratres, quòd ſuper præmiſſis non poterant cum Prælatis favorem invenire, Virginem Mariam Patronam ſuam humiliter deprecabantur, ut quæ ipſos ad illas regiones pervenire fecerat, à præmiſſis diabolicis tentationibus eos eriperet. Virgo itaque Maria Beato Simoni Stock, eorum Priori Generali, revelavit, ut ad Summum Pontificem Innocentium IV. Fratres ſui accederent; quod ab eo ſalubre remedium reportarent. Ad ipſum tunc Peruſii commorantem accedentes Fratres, ipſi expoſuerunt gravamina, quæ eis inferebantur. Pontifex autem Fratribus compatiens, ſcripſit Prælatis Idibus Januarii anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, mandans eis, ut ſuper præmiſſis pium favorem Fratribus impenderent, & moleſtatores eorum per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcerent, ſub hac forma: [Innocentius &c. Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem in Domino, & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Mariæ de monte Carmeli fuit propoſitum coràm nobis, quòd cùm malitia temporis excreſcente, oportuerit eos de loco quem habebant in monte Carmeli, fugere ante faciem perſequentium Paganorum &c.] *Litteræ illæ integræ adductæ ſunt tomo præcedenti parte 1. libro 9. cap. 7.* (c)

(a) num. 431. & ſeq. 442. & ſeq. 462. & ſeq.

(b) num. 442. & 1217. & ſeq. ac 2074. & ſeq.

in magna Ordinis preſſura Deiparam invocans exauditur:

(c) num. 443.

1482. *Capite autem XX. ejuſdem Speculi hiſtorialis, (& etiam libro 4. cap. XVIII.) deſcribitur, quomodò* B. Virgo Maria Scapulare tradiderit B. Simoni: *ſed de hoc prolixe ſatis & eleganter in ejuſdem libro* de patronatu *cap. XI. in Tomo præcedenti* (a). *Tandem additur:* Ratione verò hujus magni privilegii, atque miraculi, Principes multi Anglicanæ regionis, præcipuè Eduardus Rex Angliæ, qui dedit palatium proprium Fratribus, propter ferventem zelum, quem habuit ad B. Virginem Mariam, Scapulare Ordinis aſſumpſerunt, & in ipſo obierunt. Similiter Dominus Henricus Dux Lancaſtriæ, & plures alii Principes ejuſdem Regni, Scapulare Ordinis per totam ſuam vitam geſſerunt. Et in prædicto Regno hodiernâ die obſervatur, quòd Nobiles habitum prædicti Scapularis, in bellis proceſſuri, vel in mortis articulo conſtituti, magnâ fiduciâ induunt, & in eodem cupiunt ſepeliri. *Capite XXII. tractat de miraculis ejus. & obitu his verbis:* Itaque præmemoratus B. Simon Stock, in vita ſua multis claruit miraculis de quibus aliqua in medium adducemus; Quâdam namque die Miſſam celebrare propoſuit, credens omnia neceſſaria ad miniſterium divinum requiſita habere, cumque ad calicis miniſtrationem perveniſſet, vino deſtitutus, aquam, inſtar Domini noſtri Jeſu Chriſti, in vinum convertit, cum quo Miſſam celebravit inceptam. Deindè cùm jugiter ab eſu carnium abſtineret, quodam tempore cibum in domo germani ſui ſumebat: cui frater in prandio piſcem præſentavit aquâ bullitum, quem ad juſſionem viri Dei in aquam projecit, & mox natavit illæſus. Propter devotionem hujus ſancti viri Dominus Innocentius Papa Quartus, dum Generale Concilium in Lugduno celebraret, Regulam noſtri Ordinis correxit, mitigavit, & confirmavit, recipiens devote nuncios ſuos, Fratres videlicet Raynaldum, & Petrum, de quibus fit mentio in Regula Ordinis (b) præterea B. Simon Stock, poſt multa miracula, quæ Dominus per eum fecerat, centeſimo ætatis ſuæ anno, dum Provinciam Vaſconiæ viſitaret, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto, cùm fermè annis 50. noſtrum ſacrum Ordinem debitè gubernaſſet, ſextâ decimâ die Menſis Maji in Conventu Burdegaliæ ab hac luce migravit, ubi ejus corpus multis clarens miraculis requieſcit. *Dicitur, ferè annis 50. Ordinem gubernaſſe; videlicet annis 20. ut primarius Generalis, reliquis, ut Vicarius Generalis, prout latius in ſequentibus* (f).

ab eadem accipit ſcapulare,

(d) nu. 1640. & ſeq.

quod à multis Principibus expetitur.

miracula S. Simonis:

(e) Vide Tomo præced. n. 360. & ſeq. *obitus.*

(f) nu. 1489. & 1491. & 1506.

§. III. *Scriptores alii de virtutibus, ſanctitate, miraculis B. Simonis: deque tradito illi à Deipara Scapulari.*

1483. S*Anctitas acquiritur exercitio virtutum in heroico gradu: ſanctitas autem à Deo manifeſtatur per miracula atque etiam*

XVI. Maii.

etiam per chariſmata cœlitùs exhibita. 8. Simonem miraculis claruiſſe, & dignum fuiſſe apparitione, & alloquio Deiparæ, & receptione ſacri Scapularis, jam audivimus: & confirmabitur in ſequentibus: Quantum ad virtutes ejus in gradu heroico, ex jam dictis ſatis conſtat, talem fuiſſe devotionem ejus erga SS. *Virginem Mariam. Abſtinentiam ejus admirabilem deprædicant plerique de ipſo ſcribentes, & peculiariter* Martinus *Delrio* (a) *agens de* Sanctis qui ſingulari abſtinentiâ ſupra naturam excelluerunt, veluti Divæ Mariæ Ægyptiacæ, Divæ Catharinæ Senenſis, ſanctarum Ludgardis, Mariæ Oigniacenſis, Chriſtinæ mirabilis apud Surium, Simonis Stochii, quem in Carmelo ſex annis Deipara cœleſti mannâ pavit: apud Monaldum Roſarium, & Rolandum Bouchiarium in ejus vita. *Ita ille. Cæteras ejus virtutes ſic paucis complexus eſt Abrahamus Bzovius* in Annalibus Eccleſiaſticis *ubi iſta:* (b) Ejus (*Carmelitani*) inſtituti floruit eâ tempeſtate, Simon, natione Anglicus, moribus compoſitus, charitate fervens, in ſocietate manſuetus, fortis ad patientiam, ad miſerandum pronus, tam vehemens divini verbi præco, ut Anglorum animos à vitiis ad virtutes mirabiliter commutaret, in judicio certus, in eloquio modeſtus, ſtrenuus in agendis, humilibus & minoribus blandus, pœnitentibus benignus, rigidus ſuperbis, & inflexibilis obſtinatis, ſpiritu denique prophetiæ clarus. *Ex aliis Scriptoribus qui aliquantò luculentiùs de ipſo ſcripſerunt, aliquot adduxiſſe ſat erit.*

(a) Diſquiſ. magic. lib. 2. quæſt. 21. ſub finem.

S. Simonis abſtinentia mirabilis,

(b) ad annum 1217.

virtutes aliæ,

1484. *Joannes Pitſeus Anglus libro de illuſtribus Angliæ Scriptoribus iſtam tradit vitæ ejus epitomen* Simon Stokius, vel Stocchius honeſtis in Anglia parentibus natus, patriâ Cantianus. Anno ætatis ſuæ duodecimo in ſolitudinem exivit, & in trunco concavæ quercûs ſibi domicilium elegit, unde cognomen accepit. Nam truncus idem Latinè ſignificat, quod Anglicè Stock. Ibi, ut ſcribit Lelandus, ab omni hominum commercio ſeparatus, tantò copioſiùs mentem pavit cæleſtibus contemplationis deliciis, quantò parciùs corpus fovit terrenis alimentis. Eò liberiorem habuit Sanctorum communionem, quò rariùs cum hominibus colloquium. Precibus, vigiliis, jejuniis ſemper intentus. Frigidâ aquâ, potu, herbis & radicibus, nonumquàm etiam pomis ſylveſtribus, cibis uſus eſt. Sed omnem hanc quam corpori intulit auſteritatem facilè abſorbuit cæleſtium rerum aſſidua meditatio, omnemque ſenſum tanti rigoris penitùs abſtulit animus ad ſuperna raptus, & in ſpiritualis vitæ dulcedine totus acquieſcens. Inter hæc oraculo cæleſti revelatum eſt ei, venturos aliquando in Angliam ex Palæſtina Syriæ quoſdam Monachos, quorum & ipſe inſtitutum amplecteretur. Eventus comprobavit oraculi veritatem. *Hæc ibi Pitſeus: deinde tradit quomodò à Carmelitis Angliam ingreſſis ſuſceptus, tamquam vir Dei cælitùs miſſus, habitus, ac tandem in Generalem totius Ordinis electus fuerit: de ejus doctrina addit:* Importunis fratrum ſuorum, & Magiſtrorum Oxonienſium precibus victus, reluctans & renitens Oxonii gradum aliquem in Theologia ſuſcepit. *Conſequenter recenſet ſcripta ejus (de quibus agetur infra cap. 7. vitæ) & agit de ejus obitu Burdegalis anno 1265. ſepultura, & corporis elevatione propter miracula. Ferè eadem ſcribit Clemens Reynerus* (c) *Alia nonnulla de ſanctimonia B. Simonis ex Pitſeo adſerentur infra §. 6.*

ex Ioan. Pitſeo,

vita ſolitaria,

contemplativa,

auſtera

(c) de Apoſtolat. Benedict. in Anglia demonſt. 6.

1485. *Aubertus Miræus Antverpienſis Eccleſiæ Cathedralis quondam Decanus, Eccleſiaſticæ antiquitatis eruendæ diligentiſſimus ſcriptor, in libro cui titulus:* Ordinis Carmelitani ab Elia Propheta primùm inchoati, origo atque incrementa. * *cap. 6. vitam S. Simonis compendiosè tradens, hæc, inter cetera, ſcribit.* Rogarat ſæpiſſimè, ſereniſſimam cœli Reginam, ſanctus hic vir, ut antiquum renovare fœdus cum Carmelitis, & eorum erga ſe filiationis, ſuam adverſus eos maternitatis, mutuæ utrimque fraternitatis contractum ſolemni ſigillo, ad perpetuam æternitatis memoriam munire, inſignireque dignaretur; his utens verbis: FLOS CARMELI &c. Non defuit piis, amici ſui, votis piiſſima Virgo: etenim divinò radians fulgore, nec non frequenti Angelorum coronâ ſtipata illi apparuit, & ſacrum porrigens Scapulare, ſic allocuta fuit [Dilectiſſime fili, hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium: ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni.] Tanti miraculi famam excepit cum admiratione Orbis univerſus: veritatem confirmarunt Summi Pontifices non pauci Joannes XXII. Clemens VII. Gregorius XIII. Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. & cæteri: ſanctitatem coluerunt Imperatores, Reges, Principes, populi, qui in Sodalitium ſeu Confraternitatem ſacri hujus Scapularis paſſim in toto Orbe Chriſtiano, non ſine magno pietatis fructu curant aſcribi. De hac celeberrima Confraternitate, & ejus privilegiis quamplurimi ſcripsêre Authores. Obiit S. Simon anno ætatis ſuæ plus minus centeſimo, nati verò Chriſti Servatoris milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto.

ex Aub. Miræo,

* editionis 2.

1486. *Theophilus Raynaudus Societatis Jeſu inter multijuga eruditionis opera librum elucubravit, cujus titulus eſt:* Scapulare Marianum, illuſtratum & defenſum *in quo luculenter agitur de ſacro habitu Scapularis à* SS. *Virgine Deipara traditi B. Simoni Stock: cujus vita compendium eâ occaſione perelleganti ſtylo præmittitur* (d) *ubi, inter alia, iſta:* Natus eſt B. Simon, in majoris Britanniæ, toto Orbe diviſæ, provincia, cui nomen Cantiæ, Parentes habuit genere nobiles... *Ibi conſequenter vitæ ejus ſeriem contexit: en præcipua quædam delibata:* Vix duodennis, exemplo Baptiſtæ, è paternis laribus ſeceſſit in Eremum, ubi domus illi fuit cavus arboris truncus,

(d) Tom. 7. operum ejus pag. 249. & ſeq.

ex Theoph. Raynaudo

XVI. Maii.

cus, unde illi cognomentum Stoch, quæ vox Britannis truncum ſonat. Arborem produnt fuiſſe quercum annoſam; cujus cavum cum adjacente ſolo, dumis aculeatis inhorreſcebat. Hæſit eo in loco vir Dei per annos non paucos; herbis in ſolo inculto ſpontè naſcentibus, pomis ſilveſtribus famem ſedans: ſitim verò reſtinguens frigidâ ad teſtandam Dei magnificentiam (ut Philo diſſerit) etiam in avia Eremo, ac teſquis ſcaturiente. Fuit etiam cùm allato per canes venaticos pane (Angelicâ haud dubiè inſtigatione homini Dei proſpiciente) cibaretur. In ea eſcarum terreſtrium tenuitate, vel jejunitate, interiorem hominem opiparè ſaginabat, dulciorationis propè aſſiduæ pabulo mentem nutriens, & jugis in cœleſtibus epulis per illuſtrationes divinas, & benedictiones dulcedinis quibus ſuaviſſimè perfundebatur ... Jam complures annos in ſuo cavo hærentem Simonem, Deipara edocuit de adventantibus in Angliam è Palæſtina ſervis Dei, imitatoribus Eliæ: magnâ viris ſanctimoniâ, & religione in quorum cœtum cooptari ipſum placeret ... Carmelum ſubiit; ubi per annos aliquot in exigua cella concluſus delituit, cæleſti mannâ per Deiparam ſubindè refectus, ut graves Scriptores, à Delrio notati, prodiderunt. Ibi velut manucodiata, & avis cœli myſtica, vitam exegit ſanctiſſimam, multus, imo totus cum Deo, ac Cœlitibus, mundo nullus; donec inde digreſſus, & in Occidentem regreſſus, priſtina amplificandæ apud proximos divinæ gloriæ ſtudia reſumpſit ... Evectus ad Ordinis faſtigium, expolire, & componere in ſacro Cœtu omnia; & ad Majorum ſanctam æmulationem, opportunè, importune accendere univerſos, ac ſingulos pro munere inſtitit. Sed nominatim affectum erga Deiparam altè in ſuorum cordibus defigi, quantâ potuit accuratione ſategit. Nihil ille quidem remiſerat de ſuo flagrantiſſimo in Deiparam ſtudio, quod cum lacte hauſerat. Illud præſertim ab amantiſſima ſibi Deipara aſſiduis precibus expoſcebat Simon, ut pignus affectus ſui erga ſacrum Cœtum, cui ipſe præerat, & munimentum tutelæ perpetuò exhibendæ, aſſignare non gravaretur. Id quod maximè optandum habuit in tot decumanis Ordini ſacro infeſtis per averſam nonnullorum voluntatem; quorum in dies auctior concitatio timebatur. *Conſequenter refert, quomodò Clientis ſui humillimas preces Deipara ſuſceperit, cæleſti viſo eum recreaverit, & Scapulare tradiderit.*

1487. *Præter hactenus adductos, alios nonnullos de S. Simone, peculiariter qui vitam ejus ſcripſerunt, exprimit Molanus in* Martyrologio ſuo, *ſeu* Auctario ad Utuardum ad diem 16. Maji (a) *ubi iſta:* De Simone Stockio ex Catalogo Scriptorum Britanniæ vitam ſcripſerunt Monaldus Roſarius Vaſco, Rolandus Bouchier Hannonius, & Nicolaus Harlemenſis Batavus, viri ſuis temporibus claris

(a) in Annot. edit Antverp. an. 1583

Officium edidit Robertus Bale Carmelita Brunhamiæ. *Eorumdem meminerunt Martinus Delrio, & Pitſeus. Etiam alii, eamdem ſcriptis tradiderunt; compendioſe quidem Auctor anonymus, quam Benedictus Gononus Cœleſtinus refert inter Vitas Patrum Occidentis libro 4. In Codice etiam Bibliothecæ Vaticanæ num. 3813. extat (teſte Lezana [a]) ejuſdem Sancti vita, ſeu vitæ pars, ſive compendium. Prolixior autem eſt in* Menologio Carmelitano, *atque etiam in libro cui titulus:* Decor Carmeli *per R. P. Philippum à SS. Trinitate Præpoſitum Generalem Carmelit. Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ. In Annalibus Ordinis, ejuſdem vita, & geſta; ordine temporum, inſerta ſunt ab anno 1165. quò natus uſque ad 1265. quò obiit. Chronologia vitæ ejuſdem typis edita extat in* Vinea Carmeli *Parte 5. Eam digeſſit R. P. Segerus Pauli Colonienſis Ordinis Carmelitani Theologus, antiquitatis Eccleſiaſticæ eruendæ & illuſtrandæ ſingulariter ſtudioſus, qui etiam concinnavit vitam S. Teleſphori, & S. Avertani (Actis Sanctorum inſertas à RR. PP. Bollando & Henſchenio) atque vitam S. Simonis, quam hîc damus, ex vetuſtis monumentis, & Scriptoribus, ac Pontificiis diplomatibus digeſſit.*

Scriptores vitæ S. Simonis.

(a) Tom 4. Annal ad an. 1251. n. 12.

§. IV. *De cognomine* STOCK, *tempore nativitatis, arrepti religioſi Statûs, regiminis, & obitûs.*

1488. I*Oannes Groſſi in* Viridario (*quod habetur in Parte 2. Speculi hujus, eſtque liber 1.* (b) *hanc cognominis illius rationem adfert:* S. Simon Stock, natione Anglicus, ſextus Generalis Ordinis. Hic ante adventum Fratrum Carmelitarum in Angliam ſpiritu propheticò illos expectavit, in quodam trunco concavo vitam ducens ſolitariam: & ideo à trunco, qui vulgariter Anglicè Stock vocatur, Simon Stock nuncupatur. *Ita quoque Boſtius Pitſeus, & paſſim alii Scriptores de S. Simone tradunt, eum cognominatum* Stock *ſeu* Stoc, *& inde* Stochius, *&* Stockius *à trunco concava arboris, quam ad annos aliquot inhabitavit. Nonnulli exiſtimant, id etiam agnomen familiæ ipſius fuiſſe. Utrumque ſimul verificari poteſt. At cuipiam mirum videri poterit, eum pro cella habuiſſe concavam arborem. Circa hoc eleganter Theophilus Raynaudus Tomo 7. operum ſuorum qui inſcribitur* Marialia *ſic diſcurrit:* (c) Quantæ capacitatis dicemus fuiſſe illud arboris cavum, non Simonem modò inquilinum, ſed ipſum quoque Deum, & tot Angelicas turmas excipiens? Abietem tantæ craſſitudinis, ut quatuor hominum ulnas complectentium impleret, & æqualis propè craſſitudinis cedrum Cypriam, Plinius deſcribit (d). Qui item prædonum Germanorum, ſingulis arboribus cavatis, homines ad triginta ferentibus, navigantium, vaſtiſſimas arbores memorat. Vix tamen aliquo ſit loco ea vaſtitas, præ amplitudine illius apud Indos Occiduos caſtaneæ, quam textor cum textrina ſua, totoque opificii

(b) Tom præced. a 130. & ſeq.

Stock cognomen unde derivatum.

(c) lib. de Scap. Mariano parte 1. c. 1 pag.

(d) lib. 16. c. 10.

Arborum vaſtiſſimarum exempla.

apparatu

XVI. Maii.

apparatu inhabitabat: ejuſque concavum Equites octoni ſubibant, indeque nullo ſuo obſtaculo prodibant; tanta erat vaſtiſſimæ arboris cavitas. *Conſequenter adducit alia exempla maximarum arborum, & Sanctorum concavas arbores inhabitantium: & quidem de S. Bavone.*

Sancti concavas arbores inhabitantes.

qui annoſæ fagi veluti alvum, in modum fornicis cameratam, quæ hominem certum poſſet excipere tanquam locum ab Angelis ſibi præparatum inhabitare delegit, ut ſcribit in ejus actis Theodoricus S. Trudonis Abbas. *Surius in vita S. Lidewigæ, ſub iſto titulo marginali.* Gothardus in eremum contendit. & arborem cellulam habet, *refert, iſtum Gothardum oriundum in diſtrictu Colonienſi, deſiderio vitæ ſolitariæ profectum in Ægyptum, ibi* annis XII. inhabitaſſe cellam in arbore conſtructam. *Dum hæc ſcribuntur, & mentio fieret de capacitate quarumdam arborum ab amico exhibetur ſcripta & excuſa* vera delineatio quercus in Anglia, in ſylva Hetfont anno 1618. tantæ latitudinis, ut in ejus concavo trunco ſimul exiſterent quinque equites cum equis ſuis. *Sed iſta obiter occaſione cognominis* Stock.

S. Simon Anglicus *etiam congruè cognominatur.*

Chronotaxis vitæ S. Simonis

1489. *Inter prima Scriptorum munera cenſetur ratio Chronologiæ rerum geſtarum: circa quam in prophanis, & in Eccleſiaſticis, (v. g. circa præciſum annum natalitium Chriſti, & obitûs Deiparæ, & ſimiles millena) frequenter perplexæ oriuntur difficultates; quibus ſatisfaciendum, aut lumen ſubminiſtrandum, ut clariori veritatis nitore narrata effulgeant. In præfata Chronologia vitæ S. Simonis inſerta Vineæ Carmeli (quam cenſemus accuratam, & ſequendam) annus nativitatis ejus determinatur (ſicuti & in vita quæ ſequitur) annus Chriſti MCLXV. qui etiam aſſignatur in Menologio Carmelitano, & approbatur in* Annalibus Carmelitanis (a) *ubi iſta:* Eodem anno (1165) retrogradâ ſupputatione factâ à die obitûs, Cantiæ in Anglia noſtræ Religionis ſplendidiſſimum jubar B. Simon Stochus naſcitur. Cùm enim ætate centenarius vitæ curſum ſub anno 1265. conſummaverit, ut ſub eo tempore dicemus, elicitur hoc anno in lucem editum fuiſſe. *Circiter anno Chriſti MCLXXVI. ætatis duodecimo ſeceſſit in Eremum, ubi ſolitarius vixit annis circiter viginti: deinde annis quindecim partim ſolitarius, partim inter homines, ſtudia perficiens, & divini verbi prædicationi incumbens, traduxit. Ita in illa Chronologia, & in Annalibus Ordinis* (b). *Anno Domini MCCXII. cùm nonnulli Religioſi Eremitæ è Carmelo in Angliam adveniſſent, illorum inſtitutum amplexus fuit. Carmelitas autem aliquot in Angliam veniſſe anno Domini MCCXII. tradunt Thomas Bradley Anglus in Chronico cap. 9.* (c) *Lezana in* Annalibus *Tom. 4. ad iſtum annum, atque alii ab eo citati: & perſpicuè exprimunt verſus a præfato Thoma Bradley dicto loco inſerti. Idem annus deſignatur in Catalogo Scriptorum Britanniæ his verbis:* Anno Domini 1212. Quidam Eremi cultores ex Carmelo Syriæ venientes, Angliam intrabant, ſolitaria quærentes loca. Sed rebus illic ſub Pontificis interdicto tumultuantibus, nihil fecerunt. Ex eo tempore Simon Cantius ab illis informatus, & ex cava quercu, à quo Stokii cœpit cognomen, egreſſus, vitæ infeliciter actæ pœnitentiam hominibus prædicabat. *S. Simon mox in tantum profecit, verbo, & exemplo cæteris prælucens, ut paucis poſt annis à Generali Ordinis, in Terra Sancta degente, inſtitutus fuerit Superior omnium in Europa exiſtentium tanquam Vicarius Generalis ſeu Generalis ſecundarius. Segerus Pauli id refert ad annum Chriſti MCCXV. ad quem (in Chronologia) iſta:* S. Simon Stock conſtituitur hoc anno per omnes Occiduas Europæ Provincias, in quibus Carmeliticus Ordo recenter, ſub nova reſtauratione refloreſcere cœperat, Vicarius Generalis, ſeu ſecundarius Generalis Prior, cum poteſtatis plenitudine. Quod nemini mirum videri debet; cùm & hoc noſtro tempore videamus in reformatiſſimo Carmelitarum Diſcalceatorum Ordine duos Generales Priores, in Hiſpania unum, in Italia alterum reſidentes. Hinc eſt quòd Joannes Groſſius ſcribat, eumdem S. Simonem quinquaginta annis Ordinem ſuum laudabiliter rexiſſe: eoſque annos Palæonydorus, & alii quidam, ab hoc præſenti anno 1215. numerare incipiant. *Lezana cenſet id annis aliquot poſt contigiſſe. In illo officio continuatus fuit (ſed tamen veriſimiliter aliquo ejus loco ſubſtituto tempore ſexennii quo in Carmelo ſolitarius vixit) uſque-ad annum MCCXXXV. quò in Generalem primarium totius Ordinis electus fuit. Officium iſtud adminiſtravit annis viginti, videlicet uſque-ad MCCLXV. quò centenarius obiit Burdigalæ, ut mox dicetur.*

Vicarius Generalis pro Europa quandò inſtitutus S. Simon:

1490. *Quoad tempus quò in Palæſtinam profectus fuit, nonnulli non improbabiliter cenſent id contigiſſe ſtatim, aut paulò poſtquam Ordini aggregatus fuit; ſed veriſimiliùs id alii tradunt accidiſſe anno Chriſti MCCXXXVI. quò etiam illuc navigavit B. Iordanus Ordinis Prædicatorum Generalis, cui, miraculis illuſtri, magna interceſſit neceſſitudo cum ipſo B. Simone: & illi poſt mortem glorioſus apparuit, atque etiam alteri Carmelitæ, ſicut ex Annalibus Prædicatorum* (a) *per Thomam de Maluenda, ex Humberto, Antonino, Leandro, & Caſtillo, in Annalibus Carmelitanis* (b) *& in Chronologia vitæ S. Simonis, refertur. Annum traditi à Beatiſſima Virgine Maria ſacri Scapularis nonnulli exiſtimarunt fuiſſe MCCXLV. (quò magna Ordinis perſecutio erat, ſicut habetur ex Scriptore iſtis temporibus vicino Guilielmo de Sanvico, in libro inſerto Speculi hujus Tomo præcedenti* (c) *ſed ut omninò veriſimiliùs tenendum quod tradunt Petrus Swanyngtonus,* *Lezana* in Annalibus, *Segerus Pauli* in Chronologia vitæ S. Simonis, *Paulus ab omnibus Sanctis* in Clave aurea, *& alii id accidiſſe anno Domini MCCLI. Locus autem traditi Scapularis perſpicuè etiam exprimitur ab eodem Swanyngtono* Cantabrigiæ. *Dies natalis ejus quò terris ereptus cœlo vivere cœpit, abſque controverſia apud omnes eſt XVI. Maji: ad quem Kalendariis, & catalogis Sanctorum Ordinis Carmelitani vetuſtioribus, & recentioribus, atque etiam variis Martyrologiis (ut ante audivimus) inſertus eſt.*

quo tempore in Palæſtinam profectus.

(a) ad an. 1165

(b) ubobique ad an. 1178

(c) Habetur Tomo præcedenti: vide num 807. & 831.

(a) ad an. 1237.

(b) ad an. 1236.

(c) num. 432. & ſeqq.

quo anno à B. V. Maria Scapulare acceperit, & quo obierit:

XVI. Maii.

eſt. Quoad annum, is exprimitur in vetuſto officio S. Simonis, Eccleſiæ auctoritate approbato pro toto Ordine, in quo Lectione VI. ſub finem : In Conventu ſuo Burdegalæ migravit ad Dominum anno Chriſti milleſimo ducenteſimo, ſexageſimo quinto : *Eumdem annum deſignant Arnoldus Boſtius, Ioannes Palæonydorus, Ioannes Currifex, Menologium Carmelitarum, Aubertus Miræus, Lezana & alii. Ioannes Cheron Burdigalenſis* (a) *agens de S. Simone, notat Chronicon quoddam Burdegalenſe (cujus meminit Spondanus) errore compactoris vitæ S. Simonis non modò dies, & menſes, ſed & annos multos decurtaſſe, dum aſſignat annum obitus MCCL.*

(a) Lib Vindiciarum S. Scapularis

1491. ANNOT. (a) *Quòd S. Simon fuerit Vicarius Generalis per Europam, antequam eligeretur in Generalem primarium totius Ordinis, eleciturex vetuſtioribus Ordinis hiſtoricis, & diſertè traditur à P. Lezana in Annalibus variis locis* (b) *& à præfato Segero Paulo, in Chronologia vitæ S. Simonis* (c) *Et hinc nonnulli ſcribunt S. Simonem annis 50 (aut circiter) Ordinem rexiſſe, alii autem duntaxat 20. Utrumq; hôc ſenſu verum eſt : præfuit Ordini annis 20 (ab anno MCCLXV. uſque ad MCCXLV.) ut Prior Generalis primarius : & antea annis pluribus fuerat Generalis ſecundarius, ſeu Vicarius in Occidente. Ita quoque Nicolao Gallico ſucceſſori S. Simonis à quibuſdam tribuuntur anni 20, aut 19. regiminis, ab aliis tantùm quinque : utrumque etiam ſuâ ſubjeſtu veritate; annis quinque (ab anno M. CCLXV. ad MCCLXX.) fuit Generalis primarius, & ab anno circiter MCCL. ad MCCLXV. Vicarius Generalis in Terra-ſancta. Cùm enim Ordo in Europa valdè multiplicaretur, & interim adhuc in Terra-ſancta multùm vigeret, uſque ad annum circiter 1290. neceſſarium erant duo Generales (ſed ſubordinati) non enim exiſtens in Terra ſancta poterat intendere regimini Provinciarum & Conventuum in Europa, nec è contrà : præſertim difficilimis illis temporibus, inter multiplices perſecutiones.*

quot annis Ordinem rexerit.

(b) ad an. 1221. num. 11. & 1231. n. 5.

(c) ad an. 1215.

§. V. *Carmeli Ordo magnoperè propagatus, ſub regimine & ſolicitudine S. Simonis : & à ſtatu vitæ ſolitariæ, contemplativæ, aſſumptus ad vitam mixtam : unus ex 4. Mendicantibus.*

1492. ORdinis propagationi Beatus Simon Generalis intentus, ea quæ ipſi adverſari videbantur totis viribus obviare curabat. Quia ergo Dei majorem gloriam, honorem Virginis Matris, devotionis augmentum, & Eccleſiæ ſanctæ exaltationem concernere animadvertebat, ſi ejuſdem Virginis Sanctiſſimæ Religio, quæ eo tempore infidelium feritate è propriis ſedibus Palæſtinæ ejiciebatur, fidelium pietate, in Europæ partibus dilataretur, ideò in eam rem promovendam totus omninò aderat (d) *Nempè Bullas, ſeu Apoſtolicas literas plures procuravit, pro defenſione Ordinis contra infeſtantes, & pro ejuſdem commendatione, exemptione, privilegiatione, ac Regulæ explicatione, & moderatione : de quibus Tomo præcedenti, parte 1. libro 8, 9. & 10.* (e) *atque etiam hic infrà in ejus vita : & ſtudia ſcientiarum promovit, ſicut poſteà audiemus. Præcipuè tunc & ſequentibus ſæculis Ordo multiplicatus fuit in Anglia ratione ſacri Scapularis, & occaſione celebris miraculi, in Waltero de Lhyntonia. Imprimis de Conventu Wintonienſi teſtis oculatus Petrus Swanyngtonus, in hiſtoria traditi à B. Virgine Scapularis, ſcribit :* Et prædictus Dominus Decanus, propter miraculum ſibi per glorioſam Virginem Mariam in fratre ſuo oſtenſum, Fratres Wintoniæ fundavit; dando eis locum, & ædificando Monaſterium, noſtræ Religioni valdè commodum, & amplum. Sermone verò per Angliam, & extrà currente, multæ civitates, offerebant nobis loca ad inhabitandum. (a) *Et quidem in Anglia ipsò annò traditi Scapularis (1251.) Cantabrigiæ : Eboraci annò 1255. Oxoniis annò 1260. & alibi conſequenter. De præfati Wintonienſis monaſterii fundatione factâ occaſione miraculi (in Waltero, de quo hic infra in vita S. Simonis cap. 6.* (b)) *iſta tradit Thomas Bradley Epiſcopus Dromorenſis :* Wintoniæ fundator Dominus Petrus de Wintonia... qui propter miraculum ſibi per glorioſam Virginem Mariam oſtenſum fratres ibidem fundavit. *Miraculum iſtud, mediante Scapulari, & meritis S. Simonis, cujus occaſione facta fuit fundatio illa Wintoniæ, & alia alibi, refertur hic infra* (c) *Etiam in Scotia Carmeli germina excreſcebant circa annum 1258. ſicut habetur ex Thoma Dempſtero, & Hectore Boëtio, apud Lezana in Annalibus ad iſtum annum : & ad annum 1264. Similiter in Italia, ſub S. Simone, inter primarios Conventus recepti, aut dotati fuerunt. Drepani quidem (jam ante fundatus) anno 1250. dotatus & conſtructus fuit : eo quoque anno fundatus fuit Conventus Bivonenſis etiam in Sicilia. Genuæ anno 1258. Bononiæ anno 1260. In Luſitania Mauræ circa annum 1251, De quibus & aliis agitur in Annalibus Ordinis ad iſtos annos. In Gallia autem, tempore S. Simonis, Pariſiis monaſterium pietate S. Ludovici conſtructum fuit anno 1256. & conſequenter alia alibi. Singulariſſimè autem reſplenduit fundatio valdè miraculoſa facta Tholoſæ anno 1264. in qua ad recitationem Antiphonæ à S. Simone compoſitæ,* Ave ſtella matutina, *manifeſtiſſimum contigit miraculum, de quo luculenter in Annalibus Ordinis, ad iſtum annum.*

(d) ita Lezana in Annal. ad an. 1247. n. 5.

(e) num. 391. & ſeq. n. 427. & ſeq. 445. & ſeq. 463. & ſeq.

(a) Vide hic infrà num. 1524.

(b) n. 1522. al. de Lhyntonia

(c) in vita S. Simonis c. 6. num. 1522. & ſeq.

ſub S. Simone Ord. valdè multiplicatus.

1493. *In aliis etiam Europæ regionibus, tempore S. Simonis plura recepta fuêre loca pro fundandis cœnobiis; & quidem in Belgio Bruxellenſe, fundatum anno Chriſti 1249. ſicut habetur ex antiquiſſimis Conventus illius monumentis, in quibus iſta :* Hujus Conventûs fundatio cœpit anno Domini 1249 tempore Innocentii Papæ IV. ſub Generalatu Magiſtri Simonis Stock, jam miraculis clareſcentis. *Ab annis paucis, cùm antiquum clauſtrum deſtrueretur, pro conſtruendo novo, inter duos vetuſtos parietes eadem inſcriptio (veriſimiliter facta proximè poſt obitum S. Simonis) reperta fuit, & vidi. Extabat quoque, & ſæpe vidi, in alia parte veteris clauſtri. Leodii etiam, etſi jam antè per annos aliquot, ſeu per modum eremitorii, ſeu Conventûs non omninò formati, locum habuiſſent Carmelitæ (ideò præcedentes Prædicatores, qui illuc venerunt anno 1229. & Minores, qui anno 1231.) atta-*

XVI. Maii.

men illo etiam anno 1249. *plenariè Conventus ille fundatus fuit, ſicut conſtat ex antiquo Conventûs ſcripto, in pergameno, hujus tenoris:* Erectus eſt Carmelus iſte Leodienſis, in honorem Dei omnipotentis, ac glorioſæ Virginis Mariæ, anno partûs virginei ſupra milleſimum & ducenteſimum, quadrageſimo nono, ſub Pontificatu Innocentii IV. ſub imperio Friderici II. ſub Epiſcopatu Henrici tertii, ſub Generalatu Magiſtri Simonis Stock. *Cujus etiam meminit P. Bartholomæus Fiſen, Societatis Ieſu, in hiſtoria Leodienſi, lib. 13. Eodem etiam anno* 1249. *Harlemienſis Conventus in Hollandia fundatio facta fuit, ſicut tradunt Palæonydorus, in Faſciculo tripartito, Ioannes Genebrardus in Chronico Hollandiæ, & Annales Ordinis ad illum annum, ubi etiam agitur de fundatione Conventus Iprenſis, circa eumdem annum: cujus tranſlatio, ſeu dotatio facta anno* 1263. *à Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa confirmata anno* 1264. *in Octava Epiphaniæ. Illo anno* 1264. *etiam Brugis in Flandria fundatus fuit Conventus, & annis decem anteriùs* (1254.) *Mechliniæ in Brabantia. Quantùm ad Conventum Vallencenenſem, qui quidem unà cùm cæteris Conventibus Flandriæ ſub Provincia Franciæ unitus, in Capitulis Provincialibus locum habuit poſt præfatos Iprenſem, Brugenſem (atque ita poſteriùs nomen Conventus habuiſſe elicitur) ſicut fidem faciunt liber Provinciæ Franciæ, & etiam liber antiquus Provinciæ Belgicæ: attamen in Vallencenenſis urbis vetuſtis monumentis ejus fundatio refertur ad annum* 1235. *quô quidem, per modum hoſpitii, nondùm autem per modum formati Conventûs, aut ut talis in Capitulo aliquo Provinciali acceptati, ibi eſſe cœperunt, & perſtiterunt uſque poſt fundatos præfatos Conventus: qui ideò præcedentiam habuerunt. Ceterùm ex dictis habetur, quòd meritò Carmelitæ Belgæ & grati, & devoti eſſe teneantur S. Simoni Stock (ſicuti devotos fuiſſe conſtat, tum Gandavi, tùm Vallencenis procurantes ejus Reliquias) cùm præcipui præfati Conventus initium habuerint tempore ipſius S. Simonis, & veriſimiliter ejus etiam ſollicitudine, & ſollicitatione. Hinc omninò veriſimile id, quod traditur in Opuſculo,* Flores Carmeli Poëtici, *iteratis vicibus Leodii edito* (a) *ubi iſta:*

(a) auctore P. Philippo à Viſitat.

Vallencena tuos quando, ô Bruxella tuoſque
Cœnobiarcha Simon viſitat Eliades,
Obvia rura gravi greſſu peragrando, penates
Luſtrat Bruga tuos, atque Malina tuos.
Progrediens Grudios, fratres Legiamque colentes
Denique Agrippinum Paſtor ovile videt.

Quòd dicitur iviſſ. Agrippinam, ſeu Coloniam, ibi (ſicut & Boppardiæ) jam pridem ante Conventus fundati erant: ſed quod tempore, & ſollicitudine S. Simonis, inter cætera, in Germania fundata ſint monaſteria Herbipolenſe, & Bambergenſe, traditur in Annalibus Ordinis ad annum 1252. *n.* 3. *&* 4. *Argentinæ autem anno* 126 . *Paſſim etiam in aliis regionibus ſub regimine S. Simonis monaſteria nova recepta fuerunt, ſicut in iiſdem Annalibus, ad annum* 1246. *num.* 2. *refertur his verbis:* Fratres noſtri, piis Innocentii favoribus, de quibus anno præcedenti diximus, ſuffulti, per omnes Europæ regiones, ad quas pervenerant, ſub Sancti Generalis Simonis regimine, & juvantibus Chriſti-fidelibus, valde dilatari, ac propagari cœperunt. *Et ad annum* 1248. Juvabat valdè pro Ordinis eo tempore hujuſmodi dilatatione ejuſmodi B. Simonis Generalis ſanctitas, etiam miraculis comprobata.

1494. *Id etiam maximè notabile contigit ſub initium Generalatûs S. Simonis, ſub Innocentio IV. Summo Pontifice; tranſlatio Ordinis à ſtatu vitæ ſolitariæ, & contemplativæ, ad vitam mixtam, ut eſſet unus ex quatuor Mendicantibus. Cùm enim tempore fugæ è Terra-ſancta in Europam, controverſia eſſet in Ordine (qualis ferè initiò naſcentis Eccleſiæ inter Paulum, & Barnabam Act.* 15.) *an conveniret, ut Ordo hic, ex ſua Inſtitutione & Regula ſpecialiter ducatus ſolitudini, de alto contemplationis deſcenderet ad opera vitæ activæ; Innocentius IV. litem diremit, prabitâ ſcilicet maturâ deliberatione, ſanctiſſimoque conſilio, decernendo, eum, pro ſalute animarum, applicandum publico Eccleſiæ miniſterio, quod & ſucceſſores ejus probavêre. Atque ex tunc, vacare ſaluti proximorum, quod priùs fuerat charitatis, cœpit eſſe obligationis; nam ex vi ſtatûs, & ordinatione Eccleſiæ, ad animarum ſalutem procurandam jam tenemur, cùm Ordines* Mendicantes, *in quantùm tales, inſtituti ſint, ad activam vitam ſpiritualem in proximos exercendam. Hinc in finem ſupplicatione S. Simonis per ſuos commiſſarios Reginaldum, & Petrum, Innocentius ipſe Regulam primitivam in aliquot punctis, vitæ activæ non ita conformibus, nonnihil immutavit, & modificavit anno Chriſti* 1247. *Id tradunt Ordinis Hiſtorici, & quidem Arnoldus Boſtius* (a): Meritò etiam Innocentius Carmelitas, filios Sancti Eliæ, prædicatoris zelotiſſimi, & peccaminum deſtructoris unicè Summi (cujus verbum teſte Eccleſiaſtico, ardebat ut facula) prædicationis, & abſolutionis peccatorum dotavit privilegiis. *Et paulò infrà.* Sicque tandem perfecta eſt quadruplex illa Domini quadriga, à Zacharia Propheta longè antè prævisâ, de medio duorum montium æreorum, ideſt duorum Teſtamentorum egrediens, in firmamento fidei Catholicæ curſum ſuum uberrimo fructu regyrans, quæ tenui mendicitate, electione Chriſti-formi leviſſimâ, copioſiſſimas fruges cœlicis horreis ſemper intulit, & inferre quotidiè minimè ceſſat. *Ita quoque alii à nobis relati in Vinea Carmeli* (b). *In Catalogo Scriptorum Britanniæ etiam iſtius mentio eſt* (c) Anno Domini 1245. Eremitæ Montis Carmeli Mendicitatem primò in Europa, poſt Dominicanos, & Minoritas profitebantur; indè permiſſi ſunt prædicare, & Confeſſiones audire: nam multi ex eis hinc erant in Theologiæ facultate inſtructi. *Et alibi* (d) Innocentius Quartus Carmelitas in adoptionis filios admiſit: ab eremis ad urbes pertraxit, eorum

(a) de Patron. B. V. Mariæ cap. 9.

(b) parte 8. c. 10. n. 1144.

(c) Centuria 4. in Append. ad Nicol. Harpsfeld.

(d) Centur. 4. ubi de Innoc. 4.

XVI. Maii.

eorum Regulam ab Alberto Hieroſolymorum Patriarcha prius eis traditam, per Dominicanos correxit, mitigavit, declaravit: ac tùm demùm Apoſtolicâ benedictione confirmavit: permiſit eis verbum Dei prædicare, diſputare, & confeſſiones audire, & ab Epiſcoporum authoritate exemit: *Ut autem Religioſi idonei redderentur exercendis muneribus Ordinum Mendicantium, videlicet concionibus habendis, & confeſſionibus audiendis &c. S. Simon ſingulari ſollicitudine contemplationis, pietatis, & virtutum exercitiis conjunxit ſtudia ſcientiarum, ſicut audiemus infra cap. 7. vitæ ejus: & de hoc etiam teſtimonium reddit Diploma Innocentii IV. ad ipſum S. Simonem Priorem Generalem, & ad alios Ordinis hujus Religioſos, datum Aſſiſii, anno 1253. die 26. Auguſti, ubi iſta*: Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Dilectis filiis Priori Generali & Fratribus Eremitis Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis augmentum vobis, Deo propitio, provenire confidimus, ſi ſuper his, quæ piè cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Cùm itaque, ſicut ex tenore veſtræ petitionis accepimus, plures fratres veſtri Ordinis in Theologiæ facultate inſtructi competenter exiſtant. Nos veſtris ſupplicationibus annuentes, tibi, fili Prior, præſentium auctoritate concedimus, ut ex prædictis fratribus, quos ad hoc idoneos eſſe cognoveris, proponendi fidelibus verbum Dei, & audiendi confeſſiones eorum, de Diœceſanorum tamen locorum aſſenſu, licentiam largiaris, ſine juris præjudicio alieni. Datum &c. *Habetur in Speculo antiquo, & in Annalibus Ordinis ad annum* 1253. *ubi additur*: Hinc quoque meritò elicitur, quantùm Sancto viro Beato Simoni Generali in corde fuerit, in Religione ſua nedum ſtudium virtutum, ſed ſcientiarum, & doctrinæ ſemina plantare.

§. VI. *Cultus ſacer S. Simoni exhibitus: Reliquiarum tranſlatio, ſeu diſtributio.*

1495. ANno *proximè ſequente obitum S. Simonis aliquem ei cultum permiſſum fuiſſe traditur in Annalibus Carmelitanis* (a) *ubi iſta*: Eodem etiam anno, volente Deo, B. Simonem, qui anno præcedenti diem ultimum clauſerat, ſibi, & Beatiſſimæ ipſius Matri, devotiſſimum, honorare, Burdigalenſi Archiepiſcopo inſpiravit, ut eum veluti Sanctum coli, & honorari faceret, prout factum eſt. *Conſequenter notat*: in Catalogo Scriptorum Britanniæ hunc cultum ab hoc Archiepiſcopo Beato Simoni conceſſum, Canonizationem vocari . . . Immeritò tamen; cùm Canonizatio ſolùm ad Sedem Apoſtolicam ſpectet. *Theophilus Raynaudus tractans de Scapulari Partheno-Carmelitico* (a) *refert* Miſſam & Officium Divinum de B. Simone, tamquam de S. Confeſſore, Burdigalæ celebrari conceſſum à Nicolao Tertio: qui Pontifex renuntiatus fuit anno 1276. annis undecim poſt deceſſum S. Simonis. Innocentius V. & Adrianus V. in hujus Beati miracula & res geſtas inquiri juſſerant. Et cùm hujuſmodi negotia abſumant longa tempora, neuter eorum Cœlitum honoribus hunc hominem Dei honeſtavit. Poſtmodum tamen Nicolaus Tertius ritè perfectis omnibus jure ad id vel uſu præſcriptis, poteſtatem fecit, Miſſam & divinum Officium de Beato Simone, Burdigalæ ubi quieſcit, tanquàm de ſancto Confeſſore celebrandi 16. Maji, quæ fuit ei ad æternam vitam Natalis. *Ad alia etiam loca deinceps cultum illum fuiſſe propagatum, habetur ex vetuſto venerandæ auctoritatis Kalendario codicis antiqui MS. Carmeli Mechlinienſis, in quo ad diem XVI. Maji annotatur feſtum S. Simonis ſub ſolemnitate ritûs Duplicis. De Kalendario iſto pleniùs egimus hîc ſupra* (b): *de eo plura videri poterunt apud Waſtelium* (c).

(a) ad annum 1266 n. 5. S. Simoni cultum exhibitum anno 1 poſt obitum:

(a) de Scapul, part. 2. quæſt. 1. Tomo 7. operum ſuorum pag. 175. & 176.

(b) in Præfat. gen ad hunc Tom,

(c) Lib. 1. Vindiciæ ſect: 4: art: 1: §: 6: Officia propria pro feſto S. Simonis à quo tempore

(d) Tomo 4. Annal. Carm ad an: 1265: num: 90

1496. *Habuit autem illa feſtivitas S. Simonis ab antiquo totum proprium officium Eccleſiaſticum in locis quibuſdam particularibus, præſertim Burdigalæ ab anno 1435. cujus initium eſt*: Hic vir &c. *Et aliud in Anglia (ſicut habetur ex dicto §. 1.) De utroque iſta annotat. Lezana* (d): Ex iis vetuſtius eſt illud, quo cœnobium Burdigalenſe, ubi ſanctum Corpus requieſcit, à multis annis utitur; cujus authentica copia apud nos extat. Id verò ſcriptum eſt in libris Chori ejuſdem Conventùs anno 1435. ut etiam authenticis litteris teſtimonialibus comprobatur. Typis verò mandatum poſt fuit Burdigalæ anno 1580. Præter id autem erat olim (ut credimus in Anglorum uſu) officium aliud proprium ejuſdem Beati Simonis. S*ixtus V. Summus Pontifex, anno Chriſti* 1585. *Patribus Carmelitis Diſcalceatis acceptantibus Breviarium Romanum, per Bullam, cujus initium eſt*: Eximium quod in vobis elucet, *conceſſit, ut de variis Sanctis, quorum feſta ex veteri conſuetudine ſolemniter ſolebant in Ordine celebrari, poſſent Officia retinere, & recitare. Anno autem* 1609. *à Cardinale Bellarmino, iterumque anno* 1628. *à Cardinale Torres examinata, & recognita fuerunt iſta Officia propria Ordinis, ac à Sacr. Rituum Congregatione approbata. Inter illa Officia illud eſt de S. Simone*: Die 16. Maji: in feſto S. Simonis Confeſſoris, Ordinis noſtri: Duplex. *Ibi ad Veſperas, & horas, et ad Miſſam iſta eſt Oratio*: Plebs tibi Domine, Virginique Matri dicata, Beati Simonis, quem ei Rectorem, & Patrem dediſti, ſolemnitate lætetur; & ſicut per eum tantæ protectionis ſignum obtinuit, ita prædeſtinationis æternæ munera conſequatur Per Dominum. &c. *Officii autem præfati antiqui Burdigalenſis, ab anno 1435. in magnis libris chori ſcripti, & veriſimiliter etiam antea in uſu (quod nunc quoque auctoritate Apoſtolicæ Sedis, in toto Ordine recitatur) ad horas Canonicas, & Miſſam iſta eſt*

XVI. MAII.

oratio: Deus, qui precibus & meritis Beati Simonis Confeſſoris tui Carmeli montis Ordinem per manus Genitricis Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti ſingulari privilegio decoraſti; concede, ut ipſo interveniente, ad gloriam, quam diligentibus te præparaſti, pervenire valeamus. Per eumdem Dominum &c.

Reliquiæ S. Simonis diſtributa variis convent.

1497. *Reliquiæ S. Simonis ſucceſſu temporis per varias Ordinis Provincias tranſportata, ſeu diſtributa fuerunt: imprimis anno Domini M. CCCCXXIII brachium ejus tranſlatum fuiſſe Gandavum teſtatur Gandenſis Scriptor illuſtris Arnoldus Boſtius, in libro de Patronatu B. Virginis Mariæ quem ſcripſit anno Chriſti 1479. in quo cap. 10. inter alia, iſta*: Brachium nempè ejus integrum, omni veneratione dignum, multis præferendum divitiis, nullique pretio conferendum, Dei dono poſſidemus: proindè Sanctum Dei, virtutum & meritorum abundantiâ divinitùs reſperſum, cœleſtis gloriæ ingens ornamentum, quaſi totum præſentem, altiori reverentiâ venerantes, cujus ope, & interceſſione, juvari confidimus. *Cætera videri poterunt in ipſo Authore* (a). *Iſtarum Reliquiarum indubitatam fidem faciunt quoq; litteræ originales Archivi iſtius Conventûs, quarum ſuperſcriptio eſt*: Teſtimonium Reliquiarum S. Simonis Stock: *Et in illis hæc inter cætera*: Univerſis, & ſingulis Chriſticolis ſeriem hujus litteræ lecturis *&c.* Quia omnium rerum plaſmator vult, quòd per paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per Sanctorum ſuorum merita Eccleſia Catholica, Provinciæque hujus Ordinis & regna illuminentur, ea propter Joannes de Hazejaghere, præſentium lator, ejuſdem Ordinis, & Provinciæ Franciæ vir Religioſus, & probæ vitæ, prout aliàs experti fuimus, & circa iſtum Sanctum devotus, humiliter quidem nobis ſupplicavit, quatenùs de Reliquiis hujus ſancti Simonis impertiri dignaremur, ut ipſas communicare in ſua Provincia poſſet, ad Dei laudem & ſancti Simonis exaltationem. Nos igitur paternali pietate commoti, & bono zelo Provinciæ Franciæ pro poſſe ſervire cupientes, ſuæque petitioni annuere volentes, dicto Fratri Joanni Hazejaghere dedimus ejus Sancti brachium; duas coſtas, & unam partem gutturum. Et iſtas ſanctas Reliquias habentes rogamus, & ſupplicamus, quatenùs devotè, & honeſtè eas recipiant, & in loco honorifico ponant: ut in his omnibus Deus honorificetur in ſecula ſeculorum. In quorum omnium illorum teſtimonium ſigilla Vicariatus & Prioratûs officii præſentibus ſunt appenſa ... noſtro Conventu Burdigalæ, an. Domini M.CCCC. XXIII. quartâ die Novembris. *De præfato Ioanne Hazejagher & reliquiis per eum Conventus Gandenſi procuratis iſta in codice MS. ejuſdem Archivi leguntur.* Anno Domini 1423. memoria venerabilis ac piiſſimi P. Joannis de Hazejagher præſbyteri, qui conventum ſuum Gandenſem condecoravit celeberrimâ reliquiâ Burdigalis allatâ, brachii videlicèt B. P. N. Simonis Stock, ſexti totius Ordinis Generalis, quò extenſô, à glorioſa cœli Regina, in maximis anguſtiis ille B. Pater & Ordo conſtitutus, meruit in perpetuum fœderis pactum, amoris teſſeram, & in periculis ſignum ſalutis recipere ſacratiſſimi Scapularis veſtem. *In eodem Codice, ubi agitur* de inſignibus reliquiis S. Crucis, & S. P. N. Alberti, ac brachio B. P. N. Simonis Stock, *iſta tandem ſubjunguntur*: Quibus (eheu) injuria tum temporum, tum hominum nos deſtituit, (a) *Hæreticorum enim impia in Reliquias ſacras debacchatio (ſicut olim in ſacra corpora SS. Ioannis Baptiſtæ, Eliſæi & Abdiæ Prophetarum efferbuit veſania Iuliani impii Apoſtatæ, quorum æmulatores fuerunt ſuperioris ſeculi hæretici) Gandavi (& etiam in urbibus nonnullis aliis) contigit anno* 1578. *quô*, menſe Majo in Divorum templa irruunt, omne ſacrum aurum, argentum, cruces, calices, aliaque Eccleſiarum cimelia rapiunt, viros Eccleſiaſticos & Religioſos urbe expellunt. *Ita Franciſcus Haræus in Annalibus Belgicis* (b) *Et iſta obiter, occaſione Reliquiarum S. Simonis. Etiam in Conventu Brugenſi Reliquias S. Simonis fuiſſe, conſtat ex vetuſto libro MS. inſcripto* Manuale majus *in quo in inventario ſacrorum vaſorum, & ſupellectilis Eccleſiæ quæ erant anno* 1577. *annotatur*: Reliquiæ S. Simonis Stock in theca argentea. *Sed, heu, aliquantò poſt, in iiſdem tumultibus Belgicis per hæreticos illius theſauri jacturam fecimus.*

(a) In Speculi hujus Tomo 1. parte 3 lib. 2. nu. 1646.

& quidem Gandavenſi in Flandria, brachium, & alia data an. 1423.

Ad inſtantiam Ven. P. Joannes Hazejagheri.

ta in hæreticorum debacchantium furore diſperſa, & amiſſa:

(a) Vide Tom. præced. n. 1647.

anno Chriſti 1578.

(b) ad annum 1578.

Idem contigit Brugiis

1498. *Felicior fuit ſors* Conventûs *Vallencenenſis, qui ab iſta perduellium impia debacchatione digitum ejuſdem Sancti conſervatum gaudet: & magna cum veneratione uſque in præſens aſſervat ab anno MDVI. quô donatus fuit, ut fidem faciunt litteræ teſtimoniales hujus tenoris*: Nos Frater Menaldus S. Theologiæ Pariſienſis Magiſter, ac humilis Prior Provincialis Provinciæ Vaſconiæ ſacratiſſimi Ordinis Fratrum glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ de monte Carmelo, & Prior localis, & Clavarii, omneſque Filii, & Officiarii noſtri Conventus Burdigalenſis, confitemur, & atteſtamur, propter crebras ſupplicationes Venerandorum Patrum & Fratrum Petri Draguet & Joannis Lohet, ejuſdem Ordinis & Conventus Vallencenarum Sacerdotum, & profeſſorum, donaſſe eiſdem unum articulum digiti majoris dextræ manus ſanctiſſ. Viri B. Simonis Stock, cui viventi adhuc in ſeculo Sacratiſſima Virgo Mater Chriſti, Patrona habitum noſtræ ſacratiſſ. Religionis donavit: promittens: quòd in hoc moriens ſalvaretur: qui anno ætatis ſuæ centeſimo obiit mortem in Conventu noſtro Burdigalenſi, multis, & variis coruſcans miraculis. Quibus etiam Patribus dedimus Officium de ſe compilatum. Vos itaque Patres amantiſſimos obſecramus, ut ejuſdem ſanctiſſimi Patris memoriam agatis in Conventu veſtro, illique preces offeratis, tamquàm Paſtori: ut memor ſit ſuarum ovium ante conſpectum Sanctiſ-

Vallencenenſi anno 1506. articulus digiti majoris dextræ manus donatus;

XVI. Maii.

Sanctiſſimæ Trinitatis, & earumdem ovium cau[illegible]m tueatur & defendat. Datum in prænominato Conventu Burdegalenſi anno Chriſtianæ miſerationis ſexto ſuper quingenteſimum, & milleſimum: Idibus Feb. teſtante ſigno manuali Provincialis prædicti & ſigno Venerabilis Prioris & Clavariorum ejuſdem Communitatis hic appenſo. *Sequitur:* F. Menaldus de Roſariis, *ac deinde ſubſcriptiones quoque Prioris & Officiariorum. Ex originalibus literis deſumpta copia ad nos miſſa ſub finem Iunii 1673. ſubſcriptum erat, ut ſequitur:* Hæc de verbo ad verbum concordare cum ſuo Originali, præfatumque articulum digiti S. P. Simonis Stoch adhuc exiſtere, fuiſſe, & eſſe in magna populi veneratione, conſervarique, ac exponi ſæpiùs publicè in Eccleſia Vallencenenſi in quadam theca argentea, teſtamur, & in fidem hiſce ſubſignavimus in Carmelo noſtro Vallencenenſi, hâc 25. Junii 1673. *Subſcriptum erat* F. Cæleſtinus à S. Simone Carmelitarũ Provinciæ Gallo-Belgicæ Provincialis. F. Auguſtinus à S. Monica Exprovincialis nunc dicti Carmeli Prior. F. Damaſcenus à S Elizabeth Aſſiſtens R. A. P. Provincialis. F. Philippus à Viſitatione Definitor Provinciæ & Exſupprior Vallenc. F. Chriſtophorus à S. Elia Supprior Vallenc. *De præfato Menaldo, ſeu Monaldo, doctrina, & ſcriptis ejus tractant Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana, Poſſevinus in Apparatu, & Lezana in Annalibus Carmelitanis, ad annum Chriſti 1511.*

uſque in præſens in magna veneratione aſſervatur.

§. VII. Corollarium: *de magnis apud Deum meritis, ac inſigni ſanctitate B. Simonis.*

1499. *Quamvis vanum ſit, diſſerere de meritis Sanctorum, an hic iſto, vel illo major, vel minor; ex variis tamen ſignis colligere licet alicujus apud Deum merita, & ſanctitatem; cùm etiam Eccleſia ex ſimilibus procedat ad beatificationem, & canonizationem Sanctorum. Quantùm ad S. Simonem, ex antè-dictis pleniùs deductis, de iſtis quodammodò inferre, concludere, & judicare poſſumus ex his. Tùm quòd ab anno ætatis duodecimo manſerit in ſolitudine, uſque ad tempus oſtenſionis ſuæ ad Anglos, eis pœnitentiam prædicaturus: habebat autem pro cella, arboris truncum; pro cibo, herbas ſilveſtres; pro potu, aquam (ſic S. Ioannes Baptiſta* (a) puer erat in deſerto uſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël, *in magna vitæ auſteritate) Tum quòd iſthic, & deindè alibi, toto vitæ decurſu, virtutes exercuerit in heroico gradu. Tum quòd illic eum Deus canum miniſterio ſubindè aluerit. Tùm quòd ob mente, & contemplatione cæleſtium, cœli quaſi incola fuerit; idcircò viſitatus à cœli Regina prænuntiante illi adventum Carmelicolarum, quibus ſe ſociare deberet. Sed peculiaris dilectionis Mariæ erga Simonem, teſtimonium id eſt, quòd poſtea ab ea cæleſti manna paſtus fuerit. Tùm quòd ab ipſa ſingulare acceperit privilegium ſacri Scapularis, pro ſe, totoque Ordine, & cunctis Chriſtifidelibus eo ſe induentibus; Tùm quòd ſub ipſo exiſtente Priore Generali, Ordo ſuus pulſus ſedibus, in Europa quaſi hoſpes, peregrinus & advena (cùm cæteri Ordines in Terra-ſancta, aut in Oriente inſtituti, videlicet S. Anthonii, S. Pachomii, & alii omninò interierint; nonnulli autem alii, veluti S. Baſilii, S. Hieronymi &c. ad paucas regiones in Europa traducti ſint) Vinea tamen Carmeli è Terra-ſancta effoſſa, ac tranſlata in Europam, ibi palmites ſuos extenderet à mari uſque ad mare; præcipuè tempore S. Simonis, per omnes ferè Europæ regiones: quod ipſum ſanctitati ac ſedulitati hic Ordo acceptum debet.*

Sanctitas inſignis B. Simonis undè colligatur.

(a) Luc. 1.

1500. *Inſuper Simonis magnam ſanctitatem an non abundè teſtantur miracula, in vita; & poſt mortem (à Melano, & aliis nuncupatur;* miraculis prægloriosus) *ut propterea primo anno ab obitu cultus ei exhibitus fuerit, conſentiente Archiepiſcopo Burdigalenſi; & exindè cultus ille ſic alibi propagatus fuerit, ut Officium proprium ejus feſto legendum in Gallia confectum fuerit, à tribus plùs minùs ſeculis: & deindè etiam in Anglia. Hinc magno pietatis affectu, ex variis partibus, jam olim expetita fuerunt ejus ſacræ Reliquiæ. Denique magna apud Deum merita & ſanctitas Simonis irrefragabiliter firmantur, ex cultu, & Eccleſiaſticis Officiis, à Sede Apoſtolica conceſſis, & iteratis vicibus à Sacr. Rituum Congregatione recognitis, & approbatis. Quantùm ad miracula; etiam quâdam ratione in ipſum redundant illa, quæ paſſim, mediante Scapulari fiunt: de quibus videri poterit Tomo præcedenti* (a). *De ſanctitate, miraculis, & cultu S. Simonis iſta tradit Pitſeus* (b) De ejus vitæ ſanctimonia, prophetiæ ſpiritu, revelationibus, aliiſque ſtupendis ſignis, & prodigiis, mihi ex profeſſo de illius doctrina agenti, multa commemorare, nimis longum eſſet. Hæc apud eos legi poſſunt, qui fusè vitam ejus ſcripſerunt. Scripſerunt autem Monaldus Roſarius Vaſco, Rolandus Bouchier Hannonius, & Nicolaus Harlemius Batavus... Burdegali tandem in Vaſconia vitam hanc cum meliore commutavit, & ibidem in æde ſumma ſepulturam accepit die decimo ſexto Maji, anno ætatis ſuæ plùs minùs centeſimo, nati verò Chriſti Servatoris 1265. dùm Anglis regali poteſtate præſideret Henricus tertius. Porrò quoniam apud ejus ſepulchrum coruſcabant miracula, corpus ejus poſteà fuit effoſſum, & loco commodiore honorificentius reconditum: & ipſe tandem in numerum Sanctorum Confeſſorum ſolemniter relatus eſt. De quo compoſitum ſuſpicor illud officium Simonis Angli, quod concinnavit Robertus Balæus junior. *De officio illo compoſito à Roberto Balæo, & de altero vetuſtiore Officio proprio etiam ſermo fuit in antecedentibus* (c). *Quòd dicit:* In numerum ſanctorum Confeſſorum ſolenniter relatus eſt, *intelligendum eſt, non de ſolemniſſima illa canonizatione, ſicuti S. Andreas Corſinus S. Maria Magdalena de Pazzi, S. Tereſia; ſed de canonizatione ſimili, qua plerique Sancti antiquiores canonizati ſunt.*

(a) num. 1295. & ſeq.

(b) Lib. de viris Illuſtr. Angliæ ad an. 1265.

Obitus S. Simonis annus, & dies:

elevatio, ſeu tranſlatio propter miracula.

(c) num. 1478. & 1495.

1501.

XVI. MAII.

1501. *De ſanctitate & cultu B. Simonis peculiariter tractat & erudiè differit Philibertus Fezayus, in libro* de duplici privilegio ſacri Scapularis, *ubi*(a) *diſquirens, an, & quâ ratione S. Simon dicendus ſit canonizatus, ex Thoma Waldenſi, Bellarmino, & aliis, inter alia prænotat:* Quatuor modis homines piè defunctos hactenùs fuiſſe canonizatos: primò, à Deo, pro veteri, & novo Teſtamento: quia id per revelationem habetur in Scriptura. Secundò, ab Epiſcopis pro una provincia, vel diœceſi, accedente Summi Pontificis tacitâ, vel expreſsâ approbatione. Tertiò à Papa, pro univerſa Eccleſia: quia eſt Epiſcopus Epiſcoporum. Quartò, à conſuetudine, quæ ex conſenſu Summi Pontificis tacito, vel expreſſo, habeat vim legis. Ita Cardinalis Bellarminus cap. 8. *Ita Fezajus. De S. Romualdo ſcribit Cardinalis Petrus Damiani* (b): Poſt quinquennium à Sancti viri obitu, data eſt Monachis ab Apoſtolica Sede licentia, ut ſuprà venerabile corpus Altare conſtrueretur. *Et Cardinalis Baronius ad annum* 1027. *tomo* 11. *num.* 24. Conſtat autem, *ait*, ipſum (*ſcilicet Romualdum*) in Sanctorum numerum adſcriptum, eo tantùm ritu, qui tunc erat in uſu, nempè ut petentibus concederet Apoſtolica Sedes, ut ſupra corpus defuncti Altare conſtrueretur. *Eccleſia etiam Sanctorum cultum quandoque adjudicare conſuevit, indictione feſtivitatis eorum, vel appoſitione, & recitatione nominis illorum in Kalendario Sanctorum ut liquet ex literis Paſchalis Secundi datis Signia 2. Non. Iunii anno* 1110. *ubi hæc tantùm, quæ ad ritum, & ſolemnitatem pertinent, verba recenſentur:* Auctoritate præſentium vobis licere volumus, & mandamus, quatenùs 3. Nonas Auguſti diem natalis ejuſdem Confeſſoris, & Præſulis memorandi (*Petri ſcilicet Anagniæ Epiſcopi*) Sanctorum catalogo congruè celebrem recolatis. *Philibertus Fezajus ibi conſequenter de S. Simone Anglico declarat, quòd continuato ſeculorum aliquot curſu S. Simon inſertus fuerit variis Martyrologiis, & catalogis Sanctorum, & ut Sanctus habitus à tempore obitûs. Obſervat prætereà, quòd Officia propria Ordinis Carmelitarum, ac inter ea Officium de S. Simone, iteratis vicibus fuerint auctoritate Apoſtolicæ Sedis approbata, & Indulgentiæ conceſſæ in feſto, & Tranſlatione Reliquiarum ipſius S. Simonis. Conceſſit eadem Apoſtolica Sedes, ut feſtum ejus Officio proprio, ritu ſolemniſſimo* (*Duplicis majoris cum Octava integra*) *per totum Carmeli Ordinem celebretur.*

(a) Privileg. 1. controv. 4. & 5.

Canonizatio Sanctorum quatuor modis facta.

(b) in vita S. Romualdi cap. 72.

VITA

AUCTORE R. P. SEGERO PAULO COLONIENSI Ord. Carmelit. Theologo, Ex antiquis monumentis, & ſcriptoribus ac Pontificiis Diplomatibus digeſta.

CAPUT I.

S. Simonis Patria: pueritia: ſeceſſus in Eremum: inhabitatio concavæ arboris: prædicatio.

1502. QUò temporè Alexander Tertius Romanæ Eccleſiæ Pontificatum, Henricus Secundus Anglicani regni ſceptrum tenebat, S. verò Bertholdus Aquitanus Ordini Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli Prior Generalis præerat, beatus Simon cognomento Stock, ſive Stoch, in præfato Angliæ regno, quà fide, quà pietate tunc florentiſſimo, Chriſtianæ ſalutis, anno milleſimo, centeſimo, ſexageſimo quinto, lucis hujus uſuram memoratur accepiſſe. Patria ei fuit Cantia Angliæ Comitatus, vulgò Kent nuncupatus, qui ſub Metropoli Cantuarienſi ducentis, & quinquaginta ſeptem Parochiis quondam ornabatur, dum Catholica illic floreret fides: tametſi nobilior olim quoque extiterit, cùm regio fulgeret titulo, indeque Cantiorum Regis dicerentur.

S. Simon natus an. Chr. 1165.

1503. Parentes habuit non modò Catholicâ, ſeu orthodoxa fide, ſed & inſigni pietate, & vitæ honeſtate, potiſſimùm verò in cultu Deiparæ Virginis Mariæ conſpicuos, & generis proſapiâ illuſtres. Nomen ei in ſacro baptiſmatis fonte Simon inditum fuit: quod audiens, ſeu obediens interpretatur: nomen eximiis refertum myſteriis, quæ in magnis utriuſque Teſtamenti viris, hôc nomine inſignitis, contemplari licet, ut in Simone Machabæo, Simone, ſeu Simone juſto, ac timorato ſene, Simone Cyrenæo, Simone Bariona, ſeu Petro Apoſtolorum Principe, Simone Chananæo itidem Apoſtolo, ut alios prætereamus: quorum virtutes, atque epitheta quantâ curâ noſter ſanctus Simon in ſemetſo expreſſerit, ex decurſu vitæ ejus pleniùs patebit. Quòd verò Stoch, ſive Stock agnominetur non tàm à familia (quales in Anglia & extra eam nonnullæ extitère) quàm à trunco, ſeu cava quercu, quam plurimis annis ſolitarius inhabitavit, originem duxit. Acceperat à Domino infantulus animam ad

Parentibus pietate, & nobilitate claris:

cognomen ejus Stock unde:

omne

opus bonum, maximè verſatilem, & mirè in devotionem erga beatiſſimam Virginem propenſam; quam pia viſcera matris, ac induſtria paterna in ipſo ſtudiosè, uſq; dum adoleſceret, promovebant : atque ita cum lacte materno pietatem imbibebat, & ex paterna converſatione ſynceram fidem addiſcebat: &

pueritia ejus :

in agello cordis pueruli hujus germinabat ſemē virtutiferum, ac inviolabilis religionis, floreſque pueritiæ fructus indicabant futuræ benedictionis, & ſanctitatis. Creſcebat Simon, pulcher aſpectu, at animæ faciem habens longè venuſtiorem : erat ad omne ſtudium facilis, ad omnem ſcientiam habilis, ad omnem virtutem inclinatus.

ſtudia

1504. Jam annum ſeptimum complebat ætatis, cùm pater ipſum applicaret litterarum ſtudiis: quibus quinquennio incubuit, & adhuc puer in ſortem Domini electus eſt, & à Virgine Deipara inſtructus vitam concupivit ſolitariam.

devotio erga B. Virg. Mariam:

Priùs verò, quàm Eremum accederet ſanctus puer Simon, ardenti ſeſe affectu eidem Virgini Matri commendavit, ac conſecravit, lacrymoſis ab ea precibus conſilium, atq; auxilium flagitans: quod & abundanter ipſi eadem liberaliſſima Cœli Regina præſtitit: à qua hunc reportabat fructum orationum, ſcilicet ſponſionem, quâ deinceps omni tempore illi ſe matrem, & magiſtram

ſeceſſus in eremum:

pollicebatur. Itaque duodecimum annum agens, relictis parentibus, & ſpretis rebus familiaribus, ac mundi pompis, in ſolitudinem ſeceſſit; ubi, in concavæ quercus trunco deliteſcens, ab omni hominum commercio ſeparatus, tantò copioſiùs mentem pavit cœleſtibus contemplationis deliciis, quantò parciùs corpus fovit terrenis alimentis, eò liberiùs habuit Sanctorum communionem, quò rariùs cum hominibus colloquium. Sedebat ſolitarius in arbore, orabat aſſiduus, profunda fundens ſuſpiria : dormiebat rariſſimè, & carnem vepribus conſtrictam, ſpinarum verberibus ſubjiciebat ſpiritui. Jejuniis adeò deditus erat, ut aquâ frigidâ tantummodò potu, herbis, radicibus, pomis ſilveſtribus, cibis uteretur. Quem vitæ rigorem leniebat nonnumquàm Deus canum miniſterio, qui ſtatis diebus ad Simonem accurrentes, panem ei, undè jejuna membra refocillaret, afferebant (ſicuti & S. Rocho è menſa nobilis ac divitis Gothardi, Hinc de illo in ſacro Hymno canitur :

> Proſperam pro quo, fugiens, parentum
> Divitum ſortem, rigidam reponis
> Arboris trunco, canibus miniſtris,
> Ducere vitam.

1505. Cùm in tanta vitæ aſperitate, viginti annos tranſegiſſet, à Deipara didicit, Religioſos quoſdam vitæ ſolitariæ addictos peculiares, & antiquos ipſius cultores venturos aliquando ex Palæſtina in Angliam, quorum Religionem & ipſe tunc ſuſciperet. Eventus probavit oraculi veritatem, ſicut mox audiemus. Exindè aliis adhuc quindecim annis partim ſolitarius ibidem degit, partim ſtudia litteraria complet, Sacerdotio decoratur, & (a) Divini verbi prædicationi ſedulò incumbit. Hominum peccata eo tempore vehementer, tàm in capite (Joanne rege) quàm in membris iram Dei provocantia coarguens, & ſcelera taxans, ac regnum Anglicanum velut ſidus verbò pariter & exemplò illuſtrans. Nihilominus Eremum penitùs non deſeruit, ſed interpolatis ſubindè vicibus in ſolitudinem rediit, ſuumque arboris truncum reviſit. Quæ verò, & quanta ſcelera tunc in Anglia abundarent (præſertim tempore Joannis regis perverſiſſimi, qui multorum criminum reus à Pontifice à piorum cætu amotus, excommunicatuſque eſt, & toti Angliæ ſacrificiis interdictum) referunt Anglicarum rerum Scriptores.

(a) vitam mixtam agens prædicationi incumbit.

ANNOT. (a) Divini verbi prædicationi ſedulò incumbit, *ideo ab Arnoldo Boſtio, hic ſuprà relato, ſcribitur* : velut ſidus verbo, & exemplo illuſtrans. *&* à *Bzovio* vehemens divini Verbi præco. *Quin & hæretici paſſim aliàs in Sanctos contumelioſi, de noſtro tamen Simone Anglico, in Catalogo Scriptorum Britanniæ, centuria 2, iſta ſcribunt* : Quòd ex ſolitudine, Dei Verbum ſæpiuſcule annuntiaverit, ac plebis ſcelera taxaverit, ſanctitatis ejus non leve argumentum eſt.

CAPVT II.

Religioſorum Eremitarum ex Carmelo in Angliam ingreſſus: illis aggregatur S. Simon: ejus virtutes, & ſollicitudo in regimine.

1506. POſt recuperatam à Duce Bullionio Terram Sanctam, poſtque inſtauratum, ab Aymerico Antiocheno Patriarcha Carmeli Ordinem, poſt novam denique S. Alberti Patriarchæ Jeroſolymitani Regulam Latinam, ob frequentes, & graves Saracenorum infeſtationes, generalis traductio Ordinis ex Terra-Sancta in Europam facta fuit anno Domini MCCXXXVIII. & ſequentibus: verumtamen jam ante variæ variis temporibus particulares tranſmigrationes factæ fuerunt Europæorum ad ſuas regiones, ut ibi quietiùs Deo famularentur, & quidem (a) anno MCCXII. tempore Innocentii Papæ III. & Anglorum Regis Joannis aliqui Carmeli Eremitæ Angligenæ natione in Angliam advenientes illuſtriſſimæ iſtius provinciæ fundamenta jecerunt, humiles Eremiticas manſiones conſtruendo circa Alnewicum, & Aylesfordiam. Id cùm Simon intellexiſſet, alacri animo ad eos ſe contulit, & in eorum ſocietatem admiſſus eſt. Cujus doctrinam ſingularem raris virtutibus ornatam ut perſpexerunt viri religioſi, eum mirificè coluerunt, & tanquam virum Dei cælitùs miſſum ſuſpexerunt; adeò quidem, ut ſanctitate, doctrinâ, ac zelô Religionis conſpicuus non multos poſt annos cæteris omnibus tùm in Anglia, tùm cæteris hinc inde in Europa ejuſdem Carmelitici Inſtituti

(a) Angliam Carmelitæ ingrediuntur an. Chr. 1212.

illis ſe adjungit S. Simon :

XVI. MAII. fuerit præfectus, tamquam Vicarius Generalis, ſeu Generalis ſecundarius cum poteſtatis plenitudine. Erat autem moribus compoſitus, charitate fervens, in ſocietate manſuetus, fortis ad patientiam, ad miſerendum pronus; tam vehemens Divini Verbi præco, ut Anglorum animos à vitiis ad virtutes mirabiliter commutaret; in judicio certus, in eloquio modeſtus, ſtrenuus in agendis; humilibus & minoribus blandus; pœnitentibus benignus, rigidus ſuperbis, & inflexibilis obſtinatis.

ejus virtutes.

Ordinis perſecutio gravis;

1507. Circa annum Domini M.CC. XXV. gravis commotio, & perſecutio adversùs hunc Ordinem Carmeli exorta fuit tàm in Oriente, quàm in Occidente; ita ut plures eum extinctum vellent, tanquam novus eſſet, & contra Concilii Lateranenſis anno MCCXV. prohibitionem recenter inſtitutus nec Regulam habens approbatam. Huic perſecutioni in Palæſtina, ac Syria ſeſe oppoſuit Ven. Bertholdus per eas partes Prior Generalis, patrocinante ei* Radulpho Patriarchâ Jeroſolymitano Lat næ nationis, S Alberti ab anno 1214 ſucceſſore, teſte Siberto de Beka in Commentario ſuper Regulam ejuſdem Alberti. In Europa vero (ubi quàm maximè & periculoſius, apud Sedem Apoſtolicam perturbabatur idem Marianus Carmeli Ordo) S. Simon Stock egregium ſeſe ex officio defenſorem exhibuit; patrocinante ſibi ſuoque Ordini potentiſſimâ Cœli Reginâ Deiparâ quæ in viſu nocturno Honorio III. Pontifici Ordinis ſibi devotiſſimi protectionem, & confirmationem mandavit, inſinuans duos præcipuos Ordinis æmulos eâdem nocte mortali pœnâ, ſed diſpari exitu, plexos. Mox itaque Honorius Papa Regulam Ordinis, ab Alberto Patriarcha Jeroſolymitano datam, confirmavit, amplisſimasque Indulgentias præ cunctis ſuis prædeceſſoribus (Plenarias videlicet præcipuis anni Feſtivitatibus) eidem Religioni elargitur. Quæ potentiſſima Deiparæ protectio & Apoſtolicæ Sedis benignitas (per S. Simonem Stock in his Europæ Provinciis Generalem Priorem, potiſſimè procurata) prima origo extitit Feſti Commemorationis ſolemnis Glorioſæ Virginis Mariæ de monte Carmelo; quod deinceps, poſt acceptum ſacrum Scapulare privilegium, multò ſolemnius effectum eſt. Cùm deinde paucos poſt annos adverſarii nonnulli rurſus graviter moleſtarent hunc Ordinem; ex tenore confirmationis Regulæ anſam ſumentes; eò quod in litteris Apoſtolicis contineretur hæc clauſula [quam Regulam ante Generale Concilium vos dicitis humiliter ſuſcepiſſe] arguerentque Prælati Eccleſiarum, hanc Fratrum aſſertionem admittendam non eſſe niſi legitimis documentis eam probarent; quin & intenderent ipſis Fratribus ſuâ authoritate, contra tenorem Regulæ eorum Priores præficere; S. Simon Prior Generalis, eàdem quâ priùs vigilantiâ eis occurrit, egitque apud Gregorium IX. Honorii ſucceſſorem; ut is eamdem Regulam iteratò confirmaret, vetaretq; nè ullus Prælatorum ſecularium eis Priorem præficeret. Et, ad majorem cautelam, per aliud Breve Apoſtolicum curavit Ordinem ſuum fulcipi ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, ac tempore interdicti poteſtate divina celebrandi.

* *De Radulpho ſucceſſore S. Alb. vide hic ſupra nu. 1215.*

Patrocinatur B. V. Maria apparens Honorio III

alia commotio adverſus Ordinem,

remedium affert S. Simonis vigilantia

1508. Cùm poſt celebrata anno M.CC. XXXVI. Pariſiis ad Pentecoſten per B. Jordanum Ordinis Prædicatorum ſecundum Priorem Generalem, iſtius Religionis Generalia Comitia, idem Generalis Jordanus in Terram Sanctam, ad viſitanda ſui Ordinis illic extantia cœnobia peregrinationem inſtituiſſet: ſub idem tempus etiam S. Simon Stock (cui cum hoc Jordano, viro ſancto, ac miraculis claro, magna intercedebat neceſſitudo) ſuam protectionem in Palæſtinâ inſtituit. Sequenti autem anno præfatus B. Jordanus, cùm navigio appuliſſet prope Acconem, tempeſtate exortâ, unà cum ſociis, & multis aliis, naufragio periit die 13. Februarii. Verùm ejus ſanctitas poſt mortem diverſis eſt probata miraculis, ac manifeſtata apparitionibus. Inter has una eſt, quâ glorioſus apparuit noſtro S. Simoni Stockio, ſicuti & alteri cuidam Fratri Ordinis Carmelitici, ejuſdem loci, qui Religionem ſuam deſerere cogitaverat (ob tyrannicam Saracenorum, credo, perſecutionem in Palæſtina) ſic per talem tanti viri mortem, magis in propoſito confirmatus fuerat, & quaſi in deſperationem lapſus: quem tamen idem ſanctus vir Jordanus ad ſanam mentem reduxit, dicens: [ſibi impoſterùm non quâ morte abirent homines, ſed quam vitam duxerint, cogitandùm] Interfuit Simon Comitiis Generalibus ſui Ordinis anno MCCXXXVII in monte Carmeli celebratis: ubi (movente Beatiſſimâ Dei Genitrice Mariâ, Priori Carmeli apparente) decretū fuit, omnibus & ſingulis Fratribus Ordinis licitum eſſe, ob Saracenorum frequentes incurſiones tyrannicas, & maximè quia hic Ordo brevi è Terra-Sancta exterminandus erat; ad partes tranſmarinas ſive Europæas ſeſe transferre, ibidemq; ſuam Religionem ulteriùs propagare. quod hactenùs in particulari ſæpiùs factum fuerat, numquā tamen ex generali Ordinis decreto. Manſit deindè B. Simon in Terra-Sancta per annos aliquot (ſubſtituto quopiam, qui in Europa ſuô locô Vicarium Generalem ageret) interea deſiderio vitæ ſolitariæ, cui pridem aſſuetus erat, in ſecreta cellula, ſeu antro Eremitico ipſius Carmeli montis ferè ſexennio, moram traxit, protectus ibidem divinâ providentiâ, à Barbarico incurſu, & cœleſti mannâ à Deipara Virgine ſubinde paſtus. Præerat eò tempore Generalis Ordinis Venerabilis Alanus Brito natione, vir ſanctitate, & miraculis clarus. Is perpendens Saracenorum ac paganorum perſecutiones, & incurſus tyrannicos potiſſimum anno MCCXL. in Palæſtina factos (quô annô ab eis Jeroſolymis ſeptendecim millia Chriſtianorum cæſa fuerunt) nec ſine magno numero in aliis Palæſtinæ

B. Jordanus Ord. Prædic. ſubmerſus apparet S. Simoni, & alteri Carmelitæ.

Hiſtoriam illam plenius deſcriptam habes hic infra num. 1537.

S. Simon in Carmelo ſolitariam vitam agit.

ſtinæ locis: quando & Carmelitæ Quarentanenſes, ac Valimenſes, deſtructis eorum Cœnobiis, ibidem à Barbaris trucidati, ac martyrio coronati ſunt, aſſumpto ſecum S.Simone, multiſque aliis ſui Ordinis Fratribus, in Angliam ſeſe contulit.

1509. ANNOT. (a) anno MCC XII. *Illo anno ex Carmelo Religioſos aliquot in Angliam veniſſe, & illorum inſtitutum tunc amplexatum fuiſſe S. Simonem, habetur ex Auctoribus Tomo præcedenti inſertis & ex Annalibus Ordinis ad illum annum. Vide quoque hic paulò ante num.* 1489.

(b) *Circa an. Dom* MCC. XXV. Deipara in viſu nocturno Honorio III. Pontifici &c. *Hiſtoria iſtius apparitionis facta Honorio III, pleniùs deſcripta eſt tomo præcedenti, num.* 1593. *& de ea agitur quoque hic infrà ad diem XVI. Iulii: ubi etiam de confirmatione Regulæ, occaſione iſtius apparitionis per Honorium facta. Plura de iſta Ordinis tribulatione, & B. Virginis apparitione Honorio III, videre poterunt in Annalibus Ordinis ad an.* 1225. *&* 1226. *ſub finem, ubi iſta:* Hujus autem diplomatis (*confirmationis ſcilicet noſtræ Regulæ per Honorium III*) impetratio Beato Simone Stock, eo tempore in Europæ partibus Generalis Vicarii munus gerente, ſolicitatore facta eſt, prout habetur in officio & legenda ipſius

(c) B. Jordanus Ordinis Prædicatorum II Generalis. *De ejus cum S. Simone familiaritate, & amicitia, & ipſius poſt ſubmerſionem apparitione facta S. Simoni, & alteri cuidam Fratri, ex hiſtoriis Ordinis Prædicatorum agitur in Annalibus Carmelitanis ad annum* 1236.

CAPVT III.

Generalis Ordinis eligitur: Regulæ moderationem & alia privilegia ab Innocentio IV. Pontifice impetrat.

S. Simon eligitur Generalis

1510. ANno MCCXLV. in Anglia congregato Capitulo Generali in Carmelo Aylesfordienſi (quod primum fuit in Europa ſub Albertina Regula) in Generalem totius Ordinis non ſine comitante miraculo electus fuit. Addidit dignitatis oneri frequentiores vigilias, uberiores lacrymas, & acutiora cilicia, & ſeverior in ſe factus, mitis in omnes novo flagrorum genere corpus affligebat: & paupertatis Euangelicæ amator velut lampas fulgentiſſima in nebuloſa præſentis ſæculi turbine reſplendens, virgâ regularis correctionis, & baculo ſpiritualis doctrinæ Ordinem ſibi divinitùs commiſſum conſolabatur, & animas Chriſto lucrifaciebat, quas dæmonis aſtutia nitebatur auferre. *qualis ejus regimen:* Et ut quietè, & liberè ſui Fratres Deo, ejuſque Matri ſervire poſſent, Apoſtolicis privilegiis munire mox à ſua electione ſtuduit; nam eôdem annô MCCXLV. (a) Innocentius IV. ante inchoatum Generale Concilium Lugduni in Gallia, Regulam, ſicut ab Alberto Patriarcha prodiit, in primævo ſuo rigore confirmavit (quod etiam jam ante Honorius III. & Gregorius IX. præſtiterant.) *Apoſtolica privilegia Ordini procurat.* Deinceps verò inter alia, hujus Ordinis Fratribus conceſſit per ſpeciales Bullas Apoſtolicas, poſtquam eundem Ordinem recepiſſet ſub protectione ejuſdem Apoſtolicæ Sedis, quòd tempore interdicti generalis divina in Eccleſiis ſuis clauſis januis celebrare poſſint: quòd non teneantur cognoſcere inviti de cauſis à Sede Apoſtolica eis committendis, niſi litteræ commiſſionis ejuſmodi plenam de hac indulgentia fecerit mentionem: quòd poſſint ſuis in locis Fratrum ſuorum ſepulturam habere: id enim eis à quibuſdam Eccleſiarum Prælatis tunc temporis denegabatur: quòd non teneantur dare decimas de hortis, ac virgultis ſuis. Quod Prior Generalis poſſit ad Ordinem ſuſcipere ſuſpenſos, interdictos, & excommunicatos, eiſque abſolutionis beneficium impartiri: ſuos Fratres ab injectione manuum abſolvere, eos licentiare ad prædicandum Verbum Dei, & excipiendum confeſſiones fidelium ex diœceſani aſſenſu; ſed & diverſas diverſis temporibus in certis anni feſtivitatibus, & per earum Octavas omnibus Chriſti fidelibus, Eccleſias hujus Ordinis viſitantibus, Indulgentias largitus eſt; quorum dierum præcipuos ſpecificaverat jam olim S. Leo Papa IV quibus ipſe Innocentius IV. alios adjunxit.

1511. Quoniam in futurorum eventibus, ſic interdum fallitur quantumlibet attenta humani judicii conſideratio, ut id quod ipſa profuturum judicat, conſequenter ſuperveniens experientia nocivum oſtendat: ideo non eſt reprehenſibile, ſi quòd priùs conſultè ſtatutum fuerat, poſtmodùm ex inſpectione ſanioris judicii conſultiùs retractetur, præſertim quando obeſſe experimur potiùs quàm prodeſſe, ſi non declaretur, aut corrigatur, vel mitigetur. *Regulam Ordinis per Apoſtol. Sedem declarari & moderari procurat.* Cùm ergo Profeſſores hujus Religionis Regulam vivendi à Domino Alberto Patriarcha Jeroſolymitano accepiſſent, conſequens, & diuturna experientia eos docuit, quædam in dicta Regula ſtatuta eſſe ita dubia, quòd oportebat ea declarari, ſeu corrigi, quædam verò eſſe ita gravia, ut cùm hic Ordo à primordiis ſuæ Inſtitutionis peculiariter ſolitudini, & contemplationi addictus, ab Innocentio IV. deſtinatus eſſet, ut cum aliis tribus, unus eſſet ex quatuor Mendicantibus Regulam prout ab Alberto traditam in quibuſdam punctis ægrè ſervare poſſet; *Vid Tom. præced. num & ſeqq.* propterea S. Simon Prior Generalis, cum conſilio Capituli Generalis prædictam Regulam Ordinis in illis punctis, authoritate Eccleſiæ, declarandam, ac mitigandam eſſe expediens, quinimò neceſſarium cenſuit. Deſtinati ergo, pro eo negotio, ſunt duo providi, & graves Fratres Reginaldus & Petrus, & Lugdunum profecti, ad præfatum Pontificem Innocentium Quartum: qui eos benignè recipiens Regulæ declarationem, Correctionem, ac Mitigationem faciendam mandavit duobus hâc in parte Commiſſariis ſuis, ſcilicet Hugoni Cardinali, & Guilielmo Anteradenſi Epiſcopo; qui idem negotium compleverunt Kalendis

 Septem-

XVI. MAII. Septembris anno MCCXLVII. Idemque Pontifex per ſuas litteras Apoſtolicas præfatorum ſuorum Commiſſariorum Regulæ declarationem confirmavit mox ineunte menſe ſequenti ejuſdem anni, ſcilicet Kalendis Octobris.

15 2. Intendens quoque idem ſanctus Generalis Simon dilatationi Ordinis (b) in variis Europæ partibus loca pro fundandis Cœnobiis recepit. Sed cum inveterata diaboli malitia (cujus caput venenoſum Sanctiſſima Dei Mater multifariam contriverat) haud ferre poſſet hanc Religionem Marianam felices adeò per Europam facere progreſſus, (c) non paucas in Clero ſeminare cœpit invidiæ ſpinas per quas hujuſmodi Religionis flores ſuffocari pedetentim poſſent.

(c) Perſecutio gravis adverſus Ordinem:

Sed occurrit Ordinis hujus ſupremus Pater Simon tàm precibus ſuis ad præcipuam Ordinis Patronam, quàm ſupplicationibus ad Sedem directis Apoſtolicam: quorum favore impeditæ fuère adverſariorum machinationes, ut in ſequentibus latiùs patebit.

remediis opportunis occurrit S. Simon

Quidam enim Prælati renuebant Fratres hujus Religionis admittere ad habitandum in ſuis Diœceſibus; dicebant enim, quòd cum Regula ſolùm Fratribus Eremitis morantibus in monte Carmeli ſcripta eſſet, & tradita, non licebat dictis Fratribus ſecundum eorum Regulam, habitare alibi quàm in monte Carmeli. Alii autem ex Prælatis, quamvis in ſuis Diœceſibus admitterent, tamen non ſinebant illos extra Eremos, in Villis, vel Civitatibus loca habere: nam dicebant quòd cùm Fratres eſſent Eremitæ, non deberent niſi in Eremis habitare: porrò cavillum B. Simon Generalis per ſuos Oratores ad Innocentium IV. (ut ſuprà) directos, partim refutans, oſtendit falſum eſſe; partim præcavens in futurum, procuraverat hanc in Regula Alberti clauſulam addi [Loca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi vobis donata fuerint, ad veſtræ Religionis obſervantiam apta & commoda, ſecundùm quòd Priori & Fratribus videbitur expedire] & per inſtitutionem hujus Religionis oſtenſum fuit, quod ab antiquo, ſcilicet à tempore Prophetarum Eliæ, & cæterorum Patrum Legis veteris, licuerit Profeſſoribus hujus Ordinis habitare extra montem Carmeli in Eremis & Civitatibus, ac Villis: Alias aliorum prætenſiones, & gravamina æmulorum contra ejuſdem Ordinis Fratres cùm copioſè recenſeat iſtius ſæculi Scriptor Guilielmus de Sanvico in Chronico ſuo, ea apud ipſum legi poterunt: præſertim quòd permittere eis noluerint in ſuis Monaſteriis, ſeu Eccleſiis Divina celebrare: nec ſepulturam Fratrum ſuorum inibi habere. Occurrit quidem B. Simon per impetratas litteras Apoſtolicas Innocentii IV. hæc eadem Fratribus Ordinis hujus concedentes, anno MCCXLVII. die 27. Julii; ſed quia in eis clauſula addita eſſet: [Si expedire videritis, ſine juris alieni præjudicio;] Prælati quidam ad quos litteræ Innocentii directæ erant, licèt hæc Fratribus favorabiliter concederent, alii tamen eadem ipſis denegabant.

1513. Cernens itaque B. Simon ſe ſolum difficulter admodùm, ætate grandævum, Ordinem univerſum in tot moleſtiis, & adverſariorum machinationibus gubernare poſſe (qui necdum ex partibus tranſmarinis penitùs expulſus erat, plurimaſque ibidem, & majores Saracenorum patiebatur perſecutiones) coadjutorem aliquem muneris ſui habere deſiderabat: ideoque B. Nicolaum, cognomento Gallicum, patriâ Narbonenſem, vitæ ſanctitate, miraculis, ac doctrinâ conſpicuum (convocatis hunc in finem, aliiſque de cauſis, ut credere par eſt generalibus Ordinis Comitiis) Collegam ſeu coadjutorem Generalatûs officii ſui, potiſſimùm per Syriam ac Palæſtinam, cum poteſtatis plenitudine tamquàm Orientis Generalem Priorem anno Chriſti MCCL. ſibi ſociavit.

adjutorem in regimine Ordinis aſſumit.

Et hinc eſt, quòd veteres nonnulli Scriptores aſſerant, eumdem Nicolaum viginti propè annis Ordini ſuo præfuiſſe, ab anno ſcilicet quinquageſimo uſque ad ineuntem ſeptuageſimum iſtius ſeculi; licèt annis dumtaxat quinque poſt obitum S. Simonis Ordinem univerſum gubernaverit. His itaque Nicolao, ac Simone Ordini præſidentibus, cùm adhuc durarent præfatæ adverſariorum moleſtiæ eidem Religioni illatæ uterque ad Deiparam Virginem unicum ſuorum Fratrum præſidium confugiens, uterque ab eadem benignè exauditus fuit: utrique enim apparuit, ac remedium opportunum ſuggeſſit, mittens eos ad Innocentium Papam Quartum qui eoſdem adverſarios ſeveritate Apoſtolicâ coërceret; quæ ſic quidem intelligenda ſunt, quòd tametſi utrique apparuerit Virgo Mater, alteri tamen eorum ſcilicet S. Simoni utpote primario Ordinis moderatori in mandatis dederit, ut ad Innocentium mitteret, ſeu legationem in hoc negotio ordinaret: alteri verò, ſcilicet B. Nicolao commiſerit, ut ad Innocentium accederet, ſeu eum perſonaliter conveniret. Iſta autem apparitio & juſſio mittendi pro remedio ad Innocentium IV. facta fuit S. Simoni tunc quando eidem tradidit Scapulare (ſicut colligitur ex ipſiuſmet B. Patris epiſtola, ſequenti capite referenda) videlicet anno MCCLI. die 16. Julii & veriſimiliter circa idem etiam tempus ipſi Ven. Nicolao Gallico. Itaque Fratres à S. Simone miſſi, & pariter ipſe Nicolaus ſub initium anni proximè ſequentis MCCLII. Pontificem Innocentium Peruſii tunc morantem acceſſerunt, & gravamina expoſuerunt. Pontifex autem eis compatiens eôdem annô Idibus Januarii Apoſtolicas dedit, & conſignavit litteras, ad cunctos Epiſcopos, & Archiepiſcopos, juxta Deiparæ Virginis mandatum, ſeverè eis præcipiens, ut Fratribus hujus Religionis in præfatis gravaminibus

XVI. Maii. bus pium favorem impenderent, & moleſtatores ipſorum per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ compeicerent. Dum autem Fratres Innocentii Papæ Quarti litteras Dominis Prælatis præſentabant, Prælati illi qui Fratribus fuerant priùs favorabiles, multò magis tunc ſe eis favorabiles reddebant. Illi autem qui priùs duriores ſe exhibuerant, viſis iſtis Summi Pontificis litteris, ſubditos ſuos à gravaminibus ceſſare curabant: atque ita ab iſtis gravaminibus, & perſecutionibus Fratres liberati fuerunt.

1514. ANNOT. (a) Innoc IV. Regulam .. confirmavit. *De iſta Regulæ confirmatione, & variis privilegiis Ordini hinc conceſſis, ac de præfatæ Regulæ declaratione, & moderatione prolixè actum eſt tomo præcedenti parte 1 libro 8. cap. 5. ſub finem, cap. 6. & 7 per totum, nec non cap. 8. ſub initium. De ſingulari autem ejus favore erga Ordinem, & defenſione contra impetentes eum, ſpecialiter agitur in eadem parte, libro 9. cap. 5. & 7. ac libro 10 cap. 1. Dictis locis inſerta etiam ſunt quædam ejus diplomata: quæ & alia plura extant in Bullario Ordinis: pleraque etiam inſerta ſunt Annalibus Ordinis ad annos* 1245. 1246. 1247. 1250. 1253. & 1254.

(b) In variis Europæ partibus loca pro fundandis cœnobiis recepit, *vide hic ſuprà in Notatis præviis § 5.*

(c) Non paucas in Clero ſeminare cœpit invidiæ ſpinas. *De multiplicibus moleſtationibus & gravaminibus Ordinis hinc illatis tempore S. Simonis, actum eſt Tomo præcedenti, parte 1. libro 9 cap. 7. & libro 10, cap. 1. & cumulatiùs in Annalibus, ad annos regiminis ejus.*

CAPUT IV.

(a) *Qualiter (a) S Simon à Deipara Virgine ſacrum, ac mirificè privilegiatum ſuſceperit Scapulare ex ipſiuſmet B. Viri litteris hic deſcriptis oſtenditur.*

1515. CUm hic Ordo, antedictas pateretur perſecutiones S. Simon quotidianis precibus (ut jam ante dici cœptum) Ordinis Patronam deprecabatur, ut ipſa, maternò affectu protegente ſuccurreret, per ſignum aliquod gratioſum quò Ordo idem, & ab adverſariorum eriperetur tentamentis ſeu gravaminibus, & ipſis Chriſti fidelibus redderetur acceptior. Id verò quomodò, ubi & quando acciderit ex ipſiuſmet ſancti Viri verbis, in ſpeciali epiſtola ea de re ſuo amanuenſi dictata, & ſui Ordinis Fratribus directa, recenſebimus, quæ ſic ſonat. [Fratres chariſſimi, benedictus Deus qui non dereliquit ſperantes in ſe, & non ſprevit preces ſuorum: Benedicta in idipſum Sanctiſſima Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ memor dierum antiquorum & tribulationum, quæ multos veſtrûm invenerunt nimis (non attendentes, quòd omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutiones patientur) mittit vobis verbum, quod ſuſcipietis cum gaudio Spiritus Sancti: ipſe me regat, ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui. Cùm effunderem animam meam in conſpectu Domini, quamvis ſim pulvis & cinis, & in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam deprecarer, quòd ſicut volebat nos appellari Fratres ſuos, monſtraret ſe Matrem, eripiendo nos de caſu tentationum, & aliquo ſigno gratiæ recommendando erga ipſos qui nos perſequebantur, dicendo illi cum ſuſpiriis: [Flos Carmeli: Vitis florigera: ſplendor cœli: Virgo puerpera, ſingularis: Mater mitis, ſed viri neſcia, Carmelitis da privilegia, ſtella maris.] Apparuit mihi cum grandi comitatu, & tenendo Habitum Ordinis dixit. [Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis Privilegium: in hoc moriens æternum non patietur incendium.] Et quia ſuâ glorioſâ præſentiâ me lætificabat ultra captum, nec ego miſer majeſtatem ejus ſuſtinere poteram, diſparendo dixit, quòd mitterem ad Dominum Innocentium benedicti Filii ſui Vicarium, qui de gravaminibus remedium præſtaret. Fratres conſervando verbum iſtud in cordibus veſtris, ſatagite electionem veſtram certam facere per bona opera, & nunquam deficere. Vigilate in gratiarum actione pro tanta miſericordia, orantes ſine intermiſſione, ut ſermo mihi factus clarificetur ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, Jeſu Chriſti, Spiritus Sancti, & Virginis Mariæ ſemper benedictæ] Hactenùs Epiſtola S. Simonis, quam ad poſteritatis notitiam deduxit ejus diſcipulus, teſtis ocularis Petrus Swanyngtonus, qui in eodem Cœnobio, eôdemque die ubi, & quomodo id contigit, præſens fuit, ac primigenius Scriptor extitit hiſtoriæ traditi à Deipara Scapularis, quam ſic exorditur: [Beatus Simon grandævâ ſenectute gravatus, & rigoroſâ pœnitentiâ fractus omnium Fratrum dolores in corde ſuo ſuſtinendo, aſſiduè pernoctabat in oratione uſque ad auroram. Dum autem ſic oraret, venit ei conſolatio de cœlo, quam nobis in ſimul congregatis narrabat ſic Fratres chariſſimi &c.] ut in ſuperiori Epiſtola. Et mox ſubdit: [Idem verbum mittebat ad Fratres qui erant in aliis locis valde triſtes, per conſolatoriam (ſcilicet epiſtolam) quam ego immeritus, homine Dei dictante ſcribebam, ut ſimiliter gratias agerent orando & perſeverando. Cantabrigiæ, in craſtinum Diviſionis Apoſtolorum MCCLI.] Sic ipſe: eſt porrò is Petrus Swanyngtonus Anglus, primus ex Carmelitis in Oxonienſi Academia Doctor Theologus, ac Scriptor Eccleſiaſticus, ſancto Simoni à comitatu, confeſſionibus, & legationibus; qui viro ſanctitate pleno civitatem Burdigalam ſuo obitu, & corporis depoſitione beanti, quinque annos ſuperſtes, optimo patri & magiſtro parentaturus.

S Simon Ordinem ſuum aſſiduè commendat B.V. Mariæ

quæ apparens, Scapulare tradit.

& ad Sum. Pontificem mittendos monet

1516. Patet autem ex Swanyngtono, quò locô, quò annô, quò die hic ſacer Habitus Scapularis privilegiati à Deipara Virgine

XVI. MAII.

gine ſancto Viro traditus fuerit: videlicet Cantabrigiæ in Anglia anno à Chriſto nato milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, die decimo ſexto menſis Julii, qui immediatè ſequitur feſtum diviſionis Apoſtolorum; idque ſub noctem iſtius diei imminentis. Quod partim ex verbis Swanyngtonis [aſſiduè pernoctabat in oratione uſque ad auroram] partim ex primo miraculo intuitu ipſius ſacri Scapularis eòdem mox ſubſequenti die Wintoniæ patrato, deducitur. Cadebat in eundem annum MCCLI. fundatio Carmeli Cantabrigienſis teſte majori Ordinis Speculo fol. 60. cui fundationi tunc præfuiſſe creditur B. Simon cùm ſacrum hunc Habitum à Deipara acciperet. Tantum à Deipara donum, & privilegium poſteritatis memoriæ commendarunt, tradiderunt, & conſervarunt antiquitatis varia monumenta, & Scriptores per ſingula ſecula uſque in præſens.

1517. Dedit autem Beatiſſima Virgo huic Ordini ſuo prædictum Scapulare, ſive ſuperhumerale; non quòd S. Simon, ſuique Ordinis Fratres, eo anteà caruerint (non enim ait: hoc erit tibi & cunctis Carmelitis veſtimentum, ſed privilegium) cùm (b) ab hujus Ordinis primæva inſtitutione, hoc eſt ab annis nongentis triginta ante Chriſti ortum, uſque in præſens tempus, Carmelitæ ſemper Scapulare geſtaverint, ut pluribus docet Joannes Jeroſolymitanus Antiſtes de Inſtitutione primorum Monachorum; ſed ex cauſis ſubſequentibus. Primò ac principaliter ut per hujuſcemodi privilegiatum Habitum Ordo idem ab adverſariorum eriperetur moleſtiis, & Chriſti-fidelibus eò redderetur gratior & acceptior. Secundò: ut idem Scapulare eſſet ſignum novum, ſeu privilegiatum ac diſtinctivum ab antiqua Confraternitate hujus Ordinis, ſanctæ Mariæ de monte Carmeli, olim nuncupatæ. Nam licèt quondam hoc idem Scapulare à Fratribus, & iis quibus ab ipſis communicatum fuit, geſtatum ſit ut nudum ſignum dumtaxat Confraternitatis; deinceps tamen à tempore S. Simonis geſtari cœpit ut ſignum privilegiatum ac diſtinctivum ab antiquo Scapulari. Tertiò, ut manifeſtum fieret omnibus hoc Scapulare privilegiatum pignus eſſe amoris præcipui beatiſſimæ Virginis erga Fratres & Confratres ſuos, ſicuti quondam ſanctis ſuis cultoribus & Epiſcopis Ildephonſo, Bonito, Thomæ Cantuarienſi in ſimile amoris pignus cœleſtia veſtimenta tribuit, licèt Habitus ſacri Scapularis, ob tam nobile ſupradictum privilegium (à cujus participatione nemo excluditur, præſcripta ſervans) præcellat. Quartò: ut in periculis conſtituti per hoc amoris ac devotionis ſignum Deiparam ex corde invocantes optatum conſequantur ſalutis confugium: veluti olim per velum S. Agathæ Virginis & martyris contigit, ut de ea canit Eccleſia. Quintò: ut memoriale eſſet fœderis inter ipſam & Confratres ſuos initi. Nam ſicuti quondam Deus arcum ſuum in nubibus cœli memoriale eſſe voluit fœderis inter ſe, & inter terram ſeu humanum genus: Ita Virgo Deipara in morte eorum geſtantium hunc ſacrum Habitum, recordabitur fœderis ſui quod pepigit cum ſancto Simone Stock, dum ei idem Scapulare tradidit. Sextò: ut eſſet nota, ſive ſignum ſalutis æternæ à beatiſſima Virgine ex ſua promiſſione impetrandæ devotè deferentibus; quia ſicut ſcimus Salomonem donaſſe vitam Abiathar Sacerdoti, criminis læſæ majeſtatis reo, ob deportatam ab eo Arcam Teſtamenti: ita & Virgo Deipara à morte æterna præſervabit eum; qui devotè geſtaverit hunc ſacrum ipſius Habitum; juxta eum tamen ſenſum, quem mox ſequenti capite aperiemus.

(b)

Rationes tradita à B. V. Maria Scapularis

ANNOT. (a) S. Simon à Deipara Virgine ſacrum ſuſcepit Scapulare. *Qua occaſione id à S. Simone exoratum, & impetratum, luculentiùs declaratum eſt Tomo præcedenti parte 3. libro 5. cap. 2. Conſequenter cap. 3. Scapularis ſacri à SS. Virgine Maria conceſſi B. Simoni, hiſtoria in variis antiquitatis monumentis expreſſa, & à Scriptoribus à tempore S. Simonis, uſque in præſens, per ſingulas ætates tradita, ſtabilitur: quæ ibi atque etiam hic ſuprà in Prolegomenis §. 1. & 2. videri potuerunt*

(b) Ab hujus Ordinis primæva inſtitutione... Carmelitæ ſemper Scapulare geſtaverunt. *De antiquo uſu Scapularis, ſeu Superhumeralis, tam in veteri, quàm in nova lege, videatur Tomo præcedenti. parte 1. libro 7. cap. 5. & parte 3. lib. 5. cap. 1.*

CAPUT V.

(a) *Explicatio quorumdam verborum B.*[ma] *Virginis Mariæ tradentis Scapulare.*

(a)

1518. VErba Beatiſſimæ Virginis Mariæ [In hoc (ſeu: in quo quis:) moriens æternum non patietur incendium] vel, ut alii ex antiquis Scriptoribus interpretantur: [In hoc moriens ſalvabitur] quia ſacra ſunt, utpotè à Regina Sanctorum prolata, etiam nonnihil obſcuritatis præſeferunt, veluti & illa Marci ultimo: [Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit] & Joannis 6. [Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.] Iterum ad Romanos 10 [Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit] Quæ loca, & his ſimilia, animalis homo, qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, depravare ſolet. Verùm non ſic impii, non ſic, ſed quia in ipſis ſpiritus & vita ſunt, ſic & ſpiritualem, non animalem interpretem requirunt. Non enim hæc omnia ita abſolutè vera ſunt, ut ſi quis ea, ſeu aliqua ex ipſis ſolùm fecerit, omninò ſalvus fiat: nam moriens in peccato mortali tametſi crediderit & baptizatus fuerit, tametſi manducaverit panem Euchariſticum, tametſi nomen Domini invocaverit; non continuò ſalvabitur, quin potiùs condemnabitur: quia non in-

Iſta: In hoc moriens æternum non patietur incendium, quomodò intelligenda:

tra-

XVI. Maii.

trabit in illam (civitatem cæleſtem) aliquod coinquinatum Apocal. 21. Sed & eadem Scriptura alibi longè aliter docet, quam præfata ſonant loca ut 1. Corinth. 11. [Quicumque manducaverit panem hunc. vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & ſanguinis Domini] Et Matthæi 7. [Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum &c.] Vera nihilominus ſunt eadem præallegata Scripturæ verba; utpote à Spiritu veritatis orta; ideo, quia res illæ, per ea verba prolatæ, in ſe vim quandam ſalvandi habent, ſeu ex ſe conducunt ad ſalutem æternam aſſequendam, niſi aliundè homini impedimentum oriatur; hoc eſt, niſi quis ſibi ipſi per peccatum mortale obicem ponat, ob quem à talis beneficii conſecutione præpediatur. Pari ferè modò privilegium Habitus ſacri Scapularis Carmelitani. [In hoc moriens, æternum non patietur incendium] intelligendum eſt, ut dicta verba non ſimpliciter, & abſolutè intelligantur, ſed quantùm ex parte Virginis, ejuſque ſingularis interceſſionis pro illis qui devotè prædictum Scapulare in vita geſtaverint. Hoc eſt, verba iſta ex promiſſione & interceſſione efficaciſſimâ Deiparæ Virginis Mariæ, vim quandam quaſi moralem habent ſalvandi hominem qui Habitum iſtum geſtaverit, ſeu in eo obierit; niſi ipſe ultroneè, ſeu datâ operâ tali privilegio & gratiâ ſe indignum reddat per vitam perverſam, & finalem poſt mortale peccatum impœnitentiam. *

* Plura circa hæc vide Tom. præced. ex Lezana & ex Raynaudon. 1747. & 1114.

151. At quæret quiſpiam: Quid igitur ſingularis privilegii eſt in hoc Mariano Scapulari? numquid non omnes generatim ejuſdem beatiſſimæ Virginis cultores ſperant ipſius ope ſeu patrocinio ſalvari? Dicendum quippè, illos id utique ſperare poſſe, non tamen ex tam ſpecifica ac firma promiſſione, tot particularibus auxiliis conjuncta, ſicut hi quibus dictum ac promiſſum fuit [In hoc moriens, æternum non patietur incendium:] ſeu [In hoc moriens ſalvabitur.] Ideoque quod alii omnes ſperant ex gratuito Deiparæ patrocinio in extremis, id Carmelitæ, & eorum Confratres ſacri Scapularis piè credunt, ſe obtenturos quodammodò & quaſi ex debito quodam præviæ promiſſionis, juxta vulgare illud: Omne promiſſum cadit in debitum: quia nimirum ipſa cœlorum Regina addixit, æternaliter non damnandum, qui in illo ſacro Habitu obierit, eumquè dignè geſtaverit, & præſcriptas ab ipſa SS. Virgine ſervaverit leges. Videlicet quoad Religioſos [in ſancta perſeverando obedientia, paupertate, & caſtitate, ac Regulam obſervando, & inviolatam tenendo] quoad alios; [caſtitatem, ſi virgo eſt, ſervando: & in conjugatis, inviolati conſervationem matrimonii adhibendo: nec non Canonicum officium magnum, ſeu parvum B. Virginis, legendò, ſeu pro legere neſcientibus, diebus Mercurii à carnibus abſtinendo] ſicut ipſa cœli Regina ſtatuit, atteſtante Joanne XXII. Pontifice, in ſuo Diplomate, cujus initium eſt: *Sacratiſſimo uti culmine.* Hinc ipſe S. Simon, recepto à Deipara Scapulari pro ſe, & ſuis, ipſos hiſce monebat verbis: [Satagite, electionem veſtram certam facere per bona opera, & numquàm deficere] innuens, non ſufficere, ut quis ſalvus fiat, geſtare Scapulare; ſed requiri bona opera, & in illis non deficere; ſic ut quis finaliter impœnitens non moriatur: ſed, aut in accepta juſtitia perſeveret, aut, ſi eam per peccatum amiſerit, per gratiam veræ pœnitentiæ, interceſſione Deiparæ, intuitu præfatorum bonorum operum, obtenta, recuperet antè mortem: atque ita ab ipſa [ad montem vitæ æternæ perducatur] Patet hoc ipſum variis eventis, intuitu ſacri Scapularis patratis, quæ quaſi manibus, palpari poſſunt. Quot enim ex iis, qui huic Confraternitati fuêre incorporati, ſacrum Scapulare geſtantes ſibi ipſis ex deſperatione manus violentas inferre moliti; aut ab inimicis mortem intentantibus quæſiti; aut in præceps delapſi; aut ſclopetorum ictibus impetiti; aut à dæmonibus graviſſimè vexati; aut à feris beſtiis invaſi, ex Virginis Deiparæ favore. in hujuſmodi extremis periculis adjuti, præviâ confeſſione, & ſacrâ communione ſalutem ſunt adepti? Undè, ſenſu jam explicato, non immeritò ſacrum Scapulare piè geſtatum, ſignum quoddam æternæ prædeſtinationis eſſe creditur. Quod ſatis etiam innuitur in oratione, ſeu Collecta cujus initium eſt: [Plebs tibi Domine &c.] Authoritate Congregationis ſacr. Rituum iteratis vicibus approbata, recognoſcentibus Cardinalibus Bellarmino, & Torres, in quâ iſta [ſicut per eum (*Simonem*) tantæ protectionis ſignum obtinuit, ita prædeſtinationis æternæ munera conſequatur.]

Scapulari mediante plures ab æterna damnatione præſervati

Oratio illa olim ad miſſam & horas Canon. legi & cantari ſolebat Feſto S. Simonis, antequam eſſent miſſa & officia propria à Clem. X. conceſſa.

1520. Quoad verba illa Deiparæ Virginis. [Hoc erit tibi & cunctis Carmelitis (b) privilegium,] licèt primariò referantur ad omnes profeſſione Carmelitas, non tamen ſolos, ſed etiam ad omnes, qui ex parte aliqua ad eandem Religionem attinerent: veluti Tertiarii illius in ſeculo degentes; ſeu etiam quicumque, qui hunc ſacrum Habitum Ordinis ſive Scapulare præfatum geſtarent; nam & ideo ſubdit: [In hoc moriens æternum non patietur incendium.] ubi verba priora [In hoc moriens] ſupponunt generalem loquendi modum, non particularem, juxta ſenſum tamen jam explicatum. Confirmantur prædicta imprimis ex eo, quòd ipſamet Beatiſſima Virgo mox poſt traditum hujuſcemodi Scapulare privilegiatum, juſſerit per Decanum Eccleſiæ * Lhintonienſis B. Simonem acceſſiri, pro remedio animæ Fratris ſui Walteri, per impoſitionem ejuſdem ſacri Habitus procurato, & ex ipſo facto S. Simonis idem ſacrum Scapulare ipſi Waltero planè ſeculari, agonizanti, ac deſperato injicientis. Ex praxi

(b)

Privilegii præfati, & aliorum S. Scapularis participes eſſe poſſunt omnes fideles.

* al. Wintonienſis

XVI. Maii.

praxi denique ab eodem ſtatim ſeculo obſervata, & in præſens uſque perdurante; quam & Sedes Apoſtolica diverſis temporibus approbavit, Indulgentiis eos afficiendo, qui eundem ſacrum Habitum geſtarent. Animadvertendum quoque, quòd cùm in hiſtoria apparitionis Beatiſſimæ Virginis dicitur: [Tenendo habitum Ordinis dixit &c.] per vocem [Habitus] juxta veterem, atque etiam modernum loquendi modum, non integralem hujus Ordinis Habitum monaſticum, ſed Scapulare dumtaxat intelligi. Hinc in benedictione Scapularis dicitur [Suppliciter te Domine rogamus, ut ſuper hunc Habitum ſervo tuo imponendum, benedictio copioſa deſcendat] & iterum in traditione ejuſdem: [Accipe vir devote hunc Habitum benedictum.]

1521. ANNOTAT. (a) Explicatio quorumdam verborum. *Meritò, imò ex debito, iſta explicatio iſtorum verborum*: In hoc: *ſeu* In quo quis moriens *&c. hic inſeritur ab Auctore hujus vitæ S. Simonis, ut ſatisfiat iſti mandato R.mi P. Generalis Theodori Stratii, in libello de S. Scapularis privilegiis*: Illa tamen à noſtris nullatenùs typis mandanda, nec aliâ ratione divulganda, ſine explicatione horum verborum: In quo quis moriens æternum non patietur incendium: quæ triplicem ſenſum Catholicum habere poſſunt: *quem ibi conſequenter adfert. Triplicem illum ſenſum prolixiùs explicat Ven. P. Lezana in libro inſcripto*, Maria Patrona *cap. 5. ubi explicans illa verba*: In hoc moriens ſalvabitur, *hæc, inter alia ſcribit*: Cum certò certiùs liqueat plura ad ſalutem animæ, & ignem æternum fugiendum, præter Carmelitici ſcapularis induitionem, neceſſariò requiri &c. Trifariam igitur exponenda. Primò dicendo, quòd quemadmodum, juxta ſacræ ſcripturæ phraſim, promittitur vita æterna, vel ſalus propter aliqua, quæ licèt ad illam valdè conducant, ſola tamen non ſufficiunt, niſi cum aliis, ut patet ex illo Joannis 6. de Euchariſtia: [Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.] & rurſus ibidem [omnis qui credit in illum, non confundetur.] Et Marci ultimo: [Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.] *Conſequenter ex doctrinâ Patrum, & interpretum, apud Bellarminum tradit.* Scripturam divinam pluribus ſæpiùs rebus vim ſalvandi tribuere, non quòd illæ ſolæ ad eum finem perducant, ſed quòd ipſæ cum aliis neceſſariis id efficiant. Sic ergò in propoſito aſſerimus. *Hæc ibi Lezana, qui prolixiùs illa proſequitur. Conformiter ſcribunt Theologi noſtri alii, & exteri de Scapulari tractantes. Paulus Sebentner Theologus Societatis Jeſu* (a) *agens de Scapulari Carmelitico, poſt adducta præfata Scripturarum generalia pronuntiata, atque etiam iſtud*: Eleemoſyna ab omni peccato liberat (b), *ſic ad propoſitum*: Hac igitur ratione (ut redeam, undè digreſſus ſum) quando B. Virgo pollicita eſt, eum, qui in Scapulari ſuo morietur, non iturum ad inferos, cum ſale intelligi debet; nempè quantùm eſt ex parte ſua, & ex capite gratiæ illius copioſæ, quam etiam apud filium ſuum impetrabit, intuitû Scapularis, jam olim collati in ſignum ſalutis, fœdus pacis, & pacti ſempiterni: niſi ſcilicet ex alio capite, impingat in petram ſcandali, & lapidem offenſionis, per temerariam divinæ legis transgreſſionem. *Et iſta ibi latiùs proſequitur. tandem addit*: Quòd ſubindè Deus, ex abyſſo conſiliorum ſuorum, quibuſdam flagitioſiſſimis conferat gratiam non debitam efficacem illam, congruamque (certum atque infallibile ſalutis medium) velut connivens, ad caſtiſſimæ Matris ſuæ preces, interpellantis pro indignis quidem clientibus, inſignitis tamen, ac veſtitis Scapulari ſuo, Nihilominùs benevolentias iſtas, quæ privatis fiunt, & quaſi præter communem rerum ordinem, numquàm licet trahere in conſequentiæ neceſſitatem, certamque regulam; quaſi omnibus graviter, diuque ſceleratis, propter Scapulare geſtatum, eadem fortuna, gratiaque obventura ſit. *Luculentiùs hanc materiam pertractat & elucidat P. Theophilus Raynaudus Tomo 7. operum ſuorum, in libro de Scapulari Mariano, parte 1. cap. 7. & parte 2. quæſt. 7.* (c) *Parte etiam 2. cap. 6 iſtum refert caſum qui anno 1636. in Inſubria, juxta Ticinum flumen, contigit in ſignifero*: Beneficium ſacri Scapularis, quod ſubjicio, ita eſt temporarii ordinis, ut inter maxima ſpiritualia bona à propitio Numine indulta, ſit numerandum; cùm confracto, & intimè contuſo corde, dilata ad aliquam moram ſit animæ efflatio, ut locus eſſet expiandæ per confeſſionem conſcientiæ, & declinandi æterni exitii periculum... per horas trecentas anima ejus in ipſo fuit, donec advocato, apud quem peccata deponeret, Confeſſario, & confectis ſuâmet manû teſtamenti tabulis, Chriſtiano ritu expiatus defecit. Victor Amedeus, Dux Subaudiæ ſereniſſimus curavit inquiri in hoc negotium, per Archiepiſcopum Taurinenſem: & adſtipulati ſunt, extra judicium, oculati teſtes complures. *Illud pleniùs cum circumſtantiis deſcriptum, atque alia ſimilia, videri poterunt dicto tomo 7. Operum Raynaudi, pagina 269. Simile eſt, quod P. Joannes le Jeune Presbyter Oratorii de Jeſu, in opere inſcripto*, Le Miſſionaire (d), *tradit ex authentico inſtrumento atteſtatione ipſius ſacerdotis, qui Sacramenta adminiſtravit, & compluriùm aliorum teſtium, de quodam chirurgo Leonardo Tamin, oriundo ex pago* Oradour *in Francia*, quod anno MDCLIII. in Octobri gladio confoſſus in ipſo corde, cùm Scapulare geſtaret, ſe commendaverit B. Virgini Mariæ, ſupplicans, ne in campo moreretur inconfeſſus: atque ita ſupervixit horis novem, donec Sacramenta omnia recepiſſet, ac etiam Teſtamentum condidiſſet. *Ibidem bina alia habet ſimilia. Ejuſcemodi caſus alii videri poterunt Tomo præcedenti* (e) *Notandum autem peculiariter id quod ibi ſequitur* (f), *videlicet*, neminem poſſe propterea licentiùs vivere, nam frænum laxare voluptatibus, aut in aliis peccatis obſordeſcere, exiſtimando, quòd B.ma Virgo Maria non ſinet mori ſine confeſſione, & intereà in vita abuti, ſeu non uti gratiis ejus moventibus ad vitæ emendationem, præſumptio eſſet, & temeritas magna: *imò impium eſſet, in peccatis perſeverare, ſub confidentia, ſeu prætextu ſacri Scapularis, atque etiam meritorum Chriſti, vel B. Virginis. Sed opus non eſt, diutiùs iſtis hic immorari, cùm eodem Tomo præcedenti plenâ manu adducta ſint ex Theologis, & Scriptoribus illuſtribus verborum præfatorum*, in quo quis moriens &c. *catholica explanationes: videantur loca hic ad marginem citata* (g).

(b) Privilegium... ad omnes *&c. Quòd omnes qui S. Scapulare ab habente auctoritatem, & libro Confraternitatis inſcripti, ſervanda ſervantes, participes eſſe poſſint iſtius privilegii*: In quo quis moriens, *&c.* (*juxta ſenſum jam ante & Tomo præcedenti, locis indicatis explicatum*) *atque etiam aliorum, pleniùs declaratum eſt Tomo præcedenti parte 3. libro 5. cap. 20. num. 2245.*

Concionatoribus & Scriptoribus de Scapulari monitum,

quoad ſenſum iſtorum verborum: In hoc moriens *&c.*

quæ non nudè ut ſonant,

(a) in Promontorio malæ ſpei lib 3. § 18.

(b) Tob. 4.

ſed cum ſale intelligenda,

(c) pag. 270. & ſeq. ac pag. 292. & ſeq.

contuſo corde ſuperſtes donec confeſſus:

(d) parte 4. ſerm. 18. impreſ. Pariſ.

ſic & aliu gladio in corde confoſſus

(e) num. 2413. & ſeq.

(f) n. 2427. & n. 2123.

ſub prætextu S. Scapularis licentioſiùs vivere, impium eſſet.

(g) parte 3. lib. 5. cap 5. num 1747. & ſeq. & lib. 5 cap. 6. num. 2114 & ſeq.

CAPUT VI.

(a) *Primum miraculum privilegiati Scapularis in diſperato peccatore agonizante; approbatio Epiſcopalis revelationis factæ S. Simoni, nec non miraculi illius & ejuſdem publicatio.* (a)

1522. MOx ut vir ſanctus tam inſigni privilegio donatus fuit, voluit Virgo Deipara non tardare promiſſum

XVI. Maii.

ſum ſuum. Quòd ut debitâ cum fide probemus, authoritate utemur ejus qui & præſens fuit, & quod ſiiſinet oculis vidit, & ſcripto commendavit. Eſt is Petrus Swanyngtonus Anglus alias relatus, S. Simonis confeſſarius, & itineris comes, qui in hiſtoria traditi à SS. Virgine Mariâ Scapularis B. Simoni Stock, à ſe conſcripta, ſic ait: [Decimoſeptimo Kalendas Auguſti dum prædictus B. Simòn pergeret Wintoniā, me itineris comite, ad impetrandum formatas litteras pro D. Innocentio Quarto Pontifice à Domino Præſule Wintonienſe, qui Religioni noſtræ favorabilis erat, occurrit nobis celeri vecturâ Dominus

(b) (b) Petrus de Lhyntonia Decanus Eccleſiæ ſanctæ Helenæ Lhyntoniæ, obſecrando beatum Patrem, ut feſtinaret adjuvare germanū ſuum, qui moriebatur deſperatus: Erat ille Walterus nomine, homo inverecundus ad auſus improbos, rixoſus & magicis ſacrilegiis deditus, Sacramentorum contemptor, & vicinorum fatigator. qui rixando cum alio nobili fuerat lethaliter vulneratus ab illo. & videndo ſe citari ad divinum judicium, Diabolo commiſſa crimina ob oculos ponente, nolebat audire loqui de Deo, nec de Sacramentis; ſed blaſphemando quamdiu potuit loqui, vociferabatur, ſum damnatus, diabole vindica me de interfectore meo. Venientes in domum invenimus hominem ſpumoſum, ſtridentem dentibus, & rotantem oculos tāquā canem rabioſum: cùmq; videretur mori, nec haberet uſum ſenſuum corporis ſui, B. Pater Simon facto crucis ſigno, & injecto habitu ſuper languentem, elevatis oculis petebat inducias à Deo, ut pretium Chriſti non eſſet præda Diaboli: & repentè ægrotus qui moriebatur, reſumptis viribus, bono ſenſu & loquelâ, ſignando ſe ſigno ſalutari objurgabat dæmones, & cum queſtu lachrymabili dicebat: Heu me miſerum quantus mihi tremor damnationis æternæ! iniquitates meæ creverunt ſuper numerum arenæ maris; miſerere mei Deus, cujus miſericordia ſuperexaltat juſtitiam. Pater adjuva me, volo confiteri &c. Recedente me in angulo domus, narrabat mihi dictus Dominus Petrus Decanus, quòd videndo impœnitens cor fratris, orabat ſolitarius in cubiculo, & facta erat ad eum hæc vox: Surge Petre, quære dilectum ſervum meum Simonem, qui eſt in via, ut veniat in hunc locum. Et circumſpiciendo ubi eſſet qui hæc verba effunderet, ſecundò & tertiò eadem vox inſonuit. Quare prudenter credens quòd cœleſte oraculum erat, feſtinans aſcenderat equum, ut venerandum Patrem interciperet itinere, & agebat gratias, quòd tam opportunum inveniret. Poſt confeſſionem Walterus ille publicè renunciavit diabolicis pactis, & recepit Sacramenta Eccleſiæ, edendo ſigna magnæ pœnitentiæ, fecit teſtamentum, & acceptâ juratoriâ cautione fratris ſui Decani, ordinavit reſtitui malè ablata, & reparari injurias quas fecerat, & circa horam octavam noctis pacificè exhalavit animam: quæ fratri ſuo hæſitanti de ſalute ejus, apparuit, ſignificando benè ſecum agi, & quod per potentiſſimam Reginam Angelorum, per Habitum beati Viri tamquàm per clypeum evaſerat inſidias dæmonum. Fama iſtius facti volavit per totā urbem.] Hactenùs Petrus Swanyngtonus. Quòd iſtud miraculum cum ipſa apparitione ſeu revelatione Deiparæ, ſancto viro facta fuerit quoq; eôdem tempore ab Epiſcopo Wintonienſi tanquam loci Ordinario approbatum, ſive authentizatum, manifeſtè teſtatur idem Petrus Swanyngtonus, dicens: [Dictus Dominus Petrus de Lhyntonia, confeſtim venerabili Epiſcopo Wintonienſi cuncta per ordinem ſcripto inſinuans, ejus in re tam inuſitata ſententiam expectabat. Domino verò Epiſcopo ſtupēte ſuper hoc, & habente tractatum cum ſuis, judicatum eſt, beatum Simonem debere interrogari de virtute Habitus. Qui coram Domino Epiſcopo comparens, & mandatis ejus obtemperando, nihil celavit; Domino Epiſcopo mandante cuncta ſcribi ſub ſigillo authentico.] Sic ipſe.

Homini deſperabundo, *imponitur Scapulare:* *& is ſubitò convertitur,* *petit confiteri,* *Sacramentis receptis pie moritur:* *apparens ſignificat ſe per Scapulare ſalvatum.*

miraculum iſtud examinatur, approbatur.

1523. Fuit mox illa apparitio, ac traditio ſacri Scapularis privilegiati per Angliam, & ſucceſſivè per alia Regna & Provincias divulgata: (c) multiq; Principes, ac perſonæ utriuſque ſexus notabiles eundem Habitum ſacrū aſſumpſerunt atque geſtarunt, Quinimò & hanc devotionem ſuſcipiendi atq; geſtandi hoc ſacrū Scapulare præſenti noſtro ſæculo frequentiſſimam eſſe etiam in ſummis Eccleſiæ Monarchis reipsâ oſtenderunt præter antiquiores Leo XI. & Paulus V Romani Pontifices: Ferdinandus II. & Ferdinandus III. Romani Imperatores. plurimi Romanæ Eccleſiæ Cardinales: Anſelmus Moguntinenſis, Ferdinandus Colonienſis Archiepiſcopi, ut alios Antiſtites, Reges, Duces, Principes omittā: ſicuti & innumeros omniū penè in Eccleſia Religioſorum, ac Monaſticorū utriuſq; ſexûs, etiam Equeſtrium Ordinum profeſſores. De Leone quippe XI. iſtius nominis Romano Pontifice, quidam S.T. Magiſter, nunc Epiſcopali inſulâ decoratus, ex oculatis teſtibus ſcripto nobis communicavit ſequentia. [Cum Leo XI. jam creatus Romanus Pontifex, Cardinalitiâ exueretur veſte, ut Papali indueretur, voluit Prælatus veſtiens, Scapulare Carmelitarum, quò idem Leo à puero munitus fuerat, unà cùm aliis veſtibus è collo tollere, innuens Papalem habitum ſuperare habitum quemcumq;. Fieri id vetuit his verbis Pontifex: Deſine Mariam, nè me deſerat Maria. Quaſi diceret: Deſine Mariam mihi auferre: nè me deſinat Maria protegere.] Sic ille.

(c) *Principes multi Scapulare geſtantes,* *etiam Summi Pontifices, & Antiſtites.*

1524. Poſt traditum beato Simoni Scapulare à B.ma Virgine Deipara, eâdem patrocinante (d) Ordo Carmeliticus, hactenùs variè laceſſitus, paulatim apud Chriſti fideles magis acceptus eſſe, magiſque propagari ſeu dilatari cœpit; prout ſupra-nominatus Swanyngtonus his teſtatur verbis: [Prædictus Petrus Dominus Decanus, (e) propter miraculum ſibi per glorioſam Virginē Mariam (d) (e)

riam

XVI. MAII.

S.Scapularis occaſione Ordo fidelibus gratior, magis propagatus.

riam in fratre ſuo oſtenſũ, Fratres Wintoniæ fundavit, dando eis locum, & ædificando Monaſterium noſtræ Religioni valde commodũ, & amplum. Sermone verò per Angliam, & extra currente, multæ Civitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, & multi Proceres petebant affiliari huic ſacræ Religioni pro participio gratiarum, deſiderantes mori in habitu ſancto Ordinis, ut per merita Glorioſæ Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum: atque ita paulatim Religio Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo cœpit, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Maria Matre ejus, in partibus Occidentalibus multiplicari in multas Provincias, Provinciæque in domos, domus in perſonas ſufficientes, & idoneas, quæ multum fructum afferunt ad augmentum fidei catholicæ.

1525 ANNOT. (a) Primum miraculum privilegiati Scapularis *Miraculum iſtud verbo Petri Swanyngtoni pleniùs relatum eſt Tomo præcedenti parte 3. lib 5 cap. 2. num. 2078. Miraculi iſtius mentio fit quoque in Speculo antiquo Ordinis, Venetiis excuſo anno 1507 verbis mox referendis & in Catalogo Conventuum Angliæ, cùm agitur de fundatione Conventûs Wyntonienſis*

(b) Petrus de Lynthonia Decanus Eccleſiæ S. Helenæ Lynton. *In Chronico Thomæ Bradley cap 8. legitur*: Petrus de Wyntonia. *&c.* S. Helenæ Wintoniæ.

(c) Multique Principes... eundem ſacrum habitum aſſumpſerunt. *Tomo præced. parte 3 libro 5. cap. 5 latiùs actum eſt, de antiqua devotione geſtandi ſacrum Scapulare: & cap. 24 recenſiti ſunt Summi Pontifices (peculiariter Alexander VII:) Cardinales, & Præſules, Imperatores, Reges, ac Principes, qui ſub ſacri Scapularis vexillo auguſtæ cœlorum Reginæ ſervierunt.*

(d) Ordo Carmeli . . . magis propagari cœpit, *De mirifica Ordinis propagatione tempore S. Simonis.*

(e) Propter miraculum. .. in fratre ſuo. .., fratres Wintoniæ fundavit, *in Speculo antiquo Ordinis typis excuſo Venetiis anno 1507. folio 60 in Cathalogo Conventuum Angliæ, cùm agitur de fundatione Conventûs Wintonienſis leguntur, iſta:* Wyntoniæ fundator, Dominus Petrus de Lhyntonia Præpoſitus Eccleſiæ S. Helenæ Lhyntoniæ qui propter miraculum, ibi per glorioſam Virginem Mariam oſtenſum, fratres ibidem fundavit *Ita quoque in Chronico Reverendiſſimi Thomæ Bradley Epiſcopi Dromorenſis, cap. 8 in ſerie Conventuum Angliæ videantur Tomo præced. n 808.*

CAPUT VII.

S.Simon vitæ contemplativæ Socians activam ad ſalutem proximi, ſtudia ſcientiarum promovet: ejus tempore Apoſtolicis privilegiis plurimis Ordo decoratus: miracula: beata mors.

S.Simon ſtudia ſcientiarum promovet,

1526. CUræ etiam fuit B. Simoni, Ordinem ſuum non ſolùm optimis virtutum floribus exornare, ſed & ſolido ſcientiarum ſeu doctrinæ fundamento ſtabilire: & Mariæ contemplatrici aſſociare Martham laborantem. Sic quippè in litteris ſuis Apoſtolicis ſub annum Domini MCC.XLVII. ſcripſerat Innocentius IV. de Carmelitis ex Syria ad tranſmarinas partes adventantibus. [Cùm itaq; ipſorum ad hoc aſpiret affectio, ut per Apoſtolicæ pietatis auxilium, ſtatum conſequi valeant, in quo & ſibi & proximis, Deo propitio, ad ſalutem proficere hilareſcant, &c.] Quod autem hoc ipſum ſub regimine B.Simonis non mediocriter executioni mandatum fuerit, teſtatur idem Pontifex Innocentius ſub annum Chriſti MCCLIII. dicens. [Cùm itaque, ſicut ex tenore veſtræ petitionis accepimus, plures Fratres veſtri Ordinis in Theologica facultate inſtructi cõpetenter exiſtant: &c.]

1527. Licèt autem ad totius Ordinis incrementum ſeu profectum hæc ſancti Generalis Patris intentio ſeſe extenderit, potiſſimùm tamen in patria ſua, ac regno Anglicano (ubi Ordo ipſe magis comoſè, magiſque feliciter tranſplantatus fuerat) id executioni mandavit. Undè ipſo adhuc vivente * primũ in Anglia idem Ordo Doctorem Theologum Cantabrigienſis Academiæ anno Chriſti MCCLIX videre meruit Umifridum ſive Hunfredum Necktonum Norfolcenſem, de quo ſequentes verſus recitantur:

præſertim in Angliæ:

** Vide Pitſeum ad an. 1303.*

Laudibus Hunfredum meritis ſuper aſtra feramus
Cui data Grantanæ Laurea Prima Scholæ.

Quin in Anglia ſplendidiùs quàm in quacumq; aliâ Europæ parte hunc Ordinem floruiſſe conſtat magiſq; abundaſſe & numero Monaſteriorum & doctorum virorum copiâ; ſcriptores enim illuſtres centum & quadraginta commemorantur. Et ex illis varii pariter cum eruditione eximiâ, etiam vitæ ſanctimoniâ, ac non pauci Epiſcopali infulâ decorati. Undè patet quanta cura & induſtria B.Simon uſus fuerit, ut ſub initium hujus in Anglia refloreſcentis Ordinis unà cum pietate ſtudium quoque litterarum vigeret.

1528. Quin & ipſe vir ſanctus inter iſtos doctrinâ, & litterariâ ſuppellectili ornatos viros, meritò recenſetur; nam præter ea, quæ de ejus gradu Theologiæ Oxonienſi, nec nõ prædicationis munere memorantur, quæ poſteris reliquit ſcripta, liquida ſatis ſunt eruditionis ejus teſtimonia, videlicet?

(b) Quæ ſcripſerit S.Simon:

(b) Canones cultus divini librum unum:
Homiliarum ad populum, librum unum:
De Chriſtiana pœnitentia, librum unum:
Amos ſuper tribus ſceleribus.
Epiſtolarum ad Fratres, librum unum.
Frater Simon Prior Generalis.
Ad Chriſtiparam Virginem Antiphonas.
Flos Carmeli vitis florigera: & Ave ſtella matutina.

inter eaſdem Antiphona duæ celebres

Inter Antiphonas à viro ſancto ad honorem glorioſæ Virginis Mariæ compoſitas, duas nominatim ſpecificant Authores, eò quòd Deus meritis ſuæ Matris, utramque illuſtri miraculo condecorare voluerit. Nam ſicuti per priorem quæ incipit: FLOS CARMELI, tàm nobile ac miraculoſum denarium ſacri Scapularis ipſe

XVI. Maii.

ipſe S. Pater obtinuit; ita & in altera, cujus eſt initium (c): AVE STELLA MATUTINA, eadem divina bonitas ac Virginis benignitas ſeſe mirabiles exhibuêre. Quod priuſquam oſtendamus eandem Antiphonam ex veteri & moderno hujus Ordinis Breviario hôc locô integram adducemus, quæ talis eſt.

(c)

Ave ſtella matutina,
  Peccatorum medicina,
  Mundi princeps, & Regina.
Virgo ſola digna dici,
  Contra tela inimici,
  Clypeum pone ſalutis,
  Tuæ titulum virtutis.
Tu es enim virga Jeſſe,
  In qua Deus fecit eſſe
  Aaron amygdalum,
  Mundi tollens ſcandalum.
Tu es area compluta,
  Cæleſti rore imbuta,
  Sicco tamen vellere.
Tu nos in hoc carcere
  Solare propitia
  Dei plena gratiâ.
O ſponſa Dei electa,
  Eſto nobis via recta
  Ad æterna gaudia,
  Ubi pax eſt & gloria.
Tu nos ſemper aure piâ,
  Dulcis exaudi Maria.

AVE STELLA MATUTINA Deiparæ grata.

Hæc Antiphona quàm Deiparæ Virgini extiterit grata, inſigni miraculo, in fundatione Carmeli Toloſani in Gallia, eadem Cælorum Regina palam declarare dignata fuit; quod ſcripto commendavit Joannes de Hildeſheim, in ſuo Dialogo. Et hâc ratione Antiphona iſta S. Simonis AVE STELLA MATUTINA in Carmelitarum Ordine à temporibus antiquis magnâ in veneratione ſemper extitit;

1529. Sollicitudine etiam hujus ſancti Præſulis Ordo plurimis fuit ſtabilitus, & decoratus Apoſtolicis favoribus, & privilegiis; etenim præter ea, de quibus jam ante cap. 2. anno MCCLIII. die 26. Auguſti Innocentius IV. quatuor conſignavit Bullas in favorem Ordinis, & anno ſequenti (MCC. LIV.) binas litteras Apoſtolicas dedit in favorem Monaſteriorum aliquot Angliæ, die ſcilicet 26. Auguſti, & 9. Septembris; nec multò poſt obiit, die nimirum 7. Decembris ejuſdem anni. Hic inſuper, tempore Pontificatus ſui, in præcipuis anni feſtivitatibus, earumque Octavis omnibus Chriſti fidelibus, viſitantibus hujus Ordinis Eccleſias (Deiparæ Virgini, ut plurimùm dicatas) tertiæ partis peccatorum remiſſionem elargitus fuit. Nec non decem dierum Indulgentiam eis conceſſit, qui hanc Religionem appellarent, *Ordinem Fratrum Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Hæc verò omnia ad inſtantiam S. Simonis, ſive per ſuos delegatos impetrata fuiſſe, indubium eſt. Apoſtolicam benignitatem non minorem expertus fuit apud Innocentii ſucceſ-

(d)

Apoſtolicæ Sedis favores, & privilegia conceſſa tempore S. Simonis.

ſorem Alexandrum IV. à quo annô MCC. LV. die 13. Februarii Indulgentias obtinuit pro certis anni feſtivitatibus: & anno ſequenti ampliſſimis favoribus idem Alexander Ordinem Carmeli proſequens, ſeptem diverſas Bullas ei favorabiles expediri juſſit: videlicet 15 Januarii duas, 3. Februarii unam, nonâ Februarii duas, 24. Februarii unam, & 3. Martii unam. Anno MCCLIX. ab eodem B. Simon quatuor impetravit Bullas Apoſtolicas pro Ordine ſuo, ac denique anno MCCLXI. (ultimo Alexandri) ſex diverſas Bullas impetravit in Ordinis ſui provectum datas, ſcilicet die 7. Martii unam, 8. Martii tres, 11. Martii unam, & 19. ejuſdem unam. Item ab ejus ſucceſſore Urbano IV. eodem anno die 16. Septembris impetravit per Breve Apoſtolicum, quòd Fratres hujus Ordinis pia fidelium legata recipere poſſint; ſicuti & bona injuſtè quidem acquiſita, neſcitur tamen cui illa reſtitui debeant.

1530. Miraculorum quoque coruſcatione, & cœleſtibus revelationibus B. Pater Simon extitit pergloriosus. Dum vice quâdam Miſſam celebraturus, ad calicis præparationem perveniſſet, credens omnia neceſſariò requiſita adeſſe, reperit ambos urceolos aquâ repletos; diaboli ſiquidem callidâ arte vinum ex altera ampulla ablatum erat, ejuſque loco aqua ſuppoſita. Quod advertens B. Simon, factô ſuper aqua Crucis ſignô, eam ipſam (Chriſtum Redemptorem noſtrum imitatus) quamprimùm convertit in vinum. Adhæc cùm in domo fratris ſui germani prandium ſumpturus eſſet, volens is ſancti viri frugalitatem experiri, ei apponit piſcem coctum: at B. Simon eum ſumere recuſans, in aquam projici mandavit, qui mox reviviſcens, cunctis ſtupentibus, natavit illæſus. Inter multiplices quoque revelationes ejuſdem viri ſancti præter ſupradictas memoratur quoque, quòd cùm inſtantiùs die quâdam Beatiſſimam Virginem rogaret, ut Ordinem ſuum adverſus æmulos & obtrectatores tueri dignaretur, certior ab ea fieri meruerit, eundem Ordinem ſemper eſſe duraturum, ſeque ſpecialiſſimam & perpetuam ejus Patronam, Auxiliatricem, & Tutricem permanſuram. Similis, magiſque ſpecifica revelatio ſeculo uno poſt contigit S. Petro Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitano.

Miracula per S. Simonem:

aqua in vinum converſa:

piſcis coctus reviviſcens:

1531. Annô ætatis centeſimô Burdigalæ in viſitatione Ordinis exiſtens febre correptus: undè ſuum inſtare deceſſum intelligens, diem, & horam prædixit. Cumque plures ad illum convenîſſent ſui Ordinis Superiores, & Religioſi, paterno cum affectu, & lacrymis, magnâque devotione illos hortabatur ad perpetuum ac ſincerum Dei Matris Mariæ ſervitium. Commendavit ipſis inviolabilem Romano Pontifici exhibendam obedientiam, memoriæ eorum imprimebat firmam Conſtitutionum, & Ordinationum Regularium obſervantiam.

Obitus S. Simonis:

Iii 2 Roga-

XVI. MAII.

Rogabat ut quotidiè tremendum celebrarent Altaris ſacrificium in perpetuam paſſionis ac mortis Domini Salvatoris noſtri memoriam. Prædicebat illis magnas quas ſemper paſſuri eſſent tribulationes, a quibus tamen omnibus ipſorum benedictiſſima Mater Maria eos liberaret; ut hiſce mediantibus tribulationibus, augeretur in eis ſpiritus Religionis. Exponebat ipſis munditiam & puritatem, quam Habitus, à Beatiſſima Virginè traditus, expoſceret: receptis autem ſanctis Sacramentis ſuaviſſimè efflavit animam. Sicut in vita, ita & poſt miraculis à Deo honoratus, divino enim monitu, & prodigio tertiâ die effoſſum corpus, elevatum, ac honoratiori loco depoſitum fuit, & mirificum ſparſit odorem: & quidem inter recentiora iſta: Burdigalenſis Conventus Prior à medicis derelictis, factô votô ſanitati reſtitutus fuit. Mulier in partu laborans, & moriens, ejus ſanctitati commendata inter vivos aſſerta fuit. Hæreticus pictor, qui per riſum ſancti effigiem in capſa pingebat, paralyſi corripitur: tacti pœnitens, & hæreſim abjurans ad ſepulchrum & pedes Sancti provolutus, membris ſanus & integer redditus fuit. Ex peculiaris devotionis ad B.Simonem affectu Reliquiæ ejus, temporis ſucceſſu, per diverſas Ordinis Provincias tranſportatæ ſeu diſtributæ fuere. Ex quibus anno Chriſti M.CCCC.XXIII die 4. Novembris ſacrum ejus brachium, duæ coſtæ, ac pars una gutturis à Guilielmo Coſtallo Doctore Theologo, ac Priore Carmeli Burdigalenſis, per Fratrem Joannem Hazejager ad Provinciam Franciæ directæ ſunt. Brachium verò ejus præfatum ad Carmelum Gandenſem eôdem annô tranſlatum fuiſſe, Arnoldus Boſtius Gandenſis Theologus in ſuo Patronatu Mariano teſtis eſt. Sed & hôc tempore noſtro particula quædam de ejuſdem ſacris Reliquiis adhuc aſſervatur in Eccleſia Carmeli Colonienſis, prout litteræ Epiſcopales deſuper confectæ manifeſtant.

graviter infirmus facto voto convaleſcit, ita mulier in partu laborans;

pictor ibidem punitus:

Reliquiæ diſtributæ.

1532. ANNOT. (a) Curæ etiam fuit, Ordinem ... ſolido ſcientiarum, ſeu doctrinæ fundamento ſtabilire, *ſcilicèt ut obligationi noſtra ſic ſatisfieret. Olim Ordini huic vitam ſolitariam magis profitenti ſtudia non ita neceſſaria erant; verùm cùm tempore S. Simonis Ordinis, inter quatuor Mendicantes recenſito, ab Eccleſia ſit commiſſa cura peculiarior vacandi ſaluti proximorum eum in finem ſtudiorum etiam nunc eſt neceſſitas, ſicut bene in Conſtitutionibus ſtrictioris obſervantiæ, parte 3. cap. 2. exprimitur his, inter cætera, verbis*: Noſtri jam Inſtituti ratio poſtulat, ut cum Theologia myſtica, quæ ſanè pars eſt Carmelitarum optima, litterarum ſcientiarumque ſtudia non impigrè conjungamus.

Studia neceſſaria in Ordine Carmeli,

(b) Poſteris reliquit ſcripta ... Canones &c. *Pitſeus, libro de* illuſtribus Angliæ Scriptoribus, *eadem recenſet. Ita quoque Poſſevinus* in Apparatu, *litteraS.* Simon Stockius Anglus, ex Cantiæ Comitatu, ſcripſit ſermones ad populum habitos, Antiphonas item & Reſponſoria ad B. Virginem, quas Eccleſia recepit. Vixit circa annum 1265, *Iſte autem eſt annus obitûs, ſicut pleniùs relatum eſt ſuprà.*

(c) Ave ſtella matutina: *inſigne miraculum iſtud quò illa à Deo comprobata fuit aliquoties memoratur Tomo præcedenti num 705 1510 & 1615 illa ab immemoriali tempore etiam in Sabbatino Officio ad* Benedictus *decantari ſolebat an non optandum (pro devotionis ſomento) ſuam permanſiſſe? aut reſtitui?*

(d) Ordo pluimis fuit ſtabilitus, & decoratus Apoſtolicis favoribus & privilegiis *Referuntur ſingillatim in Annalibus Ordinis, ad annos quibus præfuit S. Simon Diplomata autem extant pleraque in Bullario Ordinis, & in antiquo Speculo Ordinis.*

(e) Reliquiæ ... per diverſas Ordinis Provincias tranſportatæ *ut pleniùs conſtat ex dictis in Notatis prævii § 6, ſub finem.*

APPENDIX

Circa vitam S. Simonis, cultum, ac miracula:

Ex antiquis monumentis Carmeli Burdigalenſis, & atteſtatione præcipuorum Patrum Provinciæ Vaſconiæ.

1533. ANno Domini 1671. *auctoritate R.mi P. Generalis noſtri, Româ Burdigalam tranſmiſſum fuit memoriale continens quæſita varia circa vitam, cultum, & miracula S. Simonis. Ad propoſita puncta reſcripſerunt RR. PP. Provincialis, & Exprovincialis Vaſconiæ, & Prior Burdigalenſis infrà ſcripti: & inſtrumentum ab ipſis ſignatum, & ſigillatum, miſerunt Romam, ubi aſſervatur in Conventu S. Mariæ Tranſpontinæ, & copia authentica per R. P. Seraphinum à Ieſu Maria Provincialem Scotiæ, in Belgium miſſa fuit Prolixitatis vitandæ gratiâ, præcipua dumtaxat indè hîc exhibentur, quoad cultum, ac miracula: itaque ſic ibi*: Reſpondemus nos ſequentia adducere tanquam certa & indubitata, tùm ex conſtanti & immemoriali traditione, tùm ex factis adhuc ſtantibus & permanentibus: quorum primum ſit. quòd Officium proprium S. Simonis Burdigalæ prælo editum, & ad Reverendiſſimum P. noſtrum Generalem per nos tranſmiſſum, à tempore immemoriali recitatum ſit in Conventu Burdigalenſi, 2. Quòd iſtud Officium proprium, exceptis lectionibus, & Oratione, deſcriptum ſit cum cantu & nota, Gothico charactere, in ingènti & vetuſtiſſimo libro membranaceo, in Choro ejuſdem Conventus aſſervato, quo libro & cantu in feſto S.Simonis adhuc quotannis utimur, ad cantandam antiphonam PAUPERTATIS, antè ejus ſacellum Veſpertinis horis, tam vigiliæ, quàm diei feſti, quæ eſt Antiphona ad Magnificat dicti Officii proprii. 3. Quòd feſtivitas hujus S. Confeſſoris maxima cum ſolemnitate, & incredibili populorum & peregrinorum, etiam ex Hiſpaniarum partibus adventantium, concurſu quotannis præfatâ die 16. Maji celebretur. 4. Poſt præclara virtutum inſignia, & eximia perpetrata miracula in Conventu Burdiga-

diga-

XVI. Maii.

digalenſi, dùm Generalis Ordinis officio fungeretur, animam cælo reddidit anno Domini 1265. 5. Quòd verba Joannis Pitſei, dicentis, S. Simonem Stock in æde ſumma ſepulturam accepiſſe, nihil contrarietatis habeant cum verbis & aſſertionibus aliorum authorum, jure affirmantium, corpus S. Simonis quieſcere in Conventu Carmelitano Burdigalenſi; quia per ædem ſummam Pitſei, intelligitur veſtibulum, atrium, porticus, ſeu ingreſſus Eccleſiæ Carmeli Burdigalenſis, in quo veſtibulo ſeu ingreſſu noſter Sanctus, præ humilitate & contemptu ſui ipſius, tumulari enixè poſtulavit, verùm non multò pòſt, erumpentibus miraculis, in ornatiorem locum, ſcilicet in Capellam, in qua nunc quieſcit, aſportatùm fuit. 6. Quod ſigillum majus officii Provincialis iſtius Provinciæ Vaſconiæ habeat pro ſtemmate effigiem impreſſam & cælatam S.Simonis Stockii, recipientis ſacrum Scapulare è manibus B.ᵐᵃ Virginis Deiparæ. 7. Quòd tria miracula num. 11. præſcripti memorialis recenſita, certiſſima ſint: primum ſcilicet mulieris ex partu laborantis & inter mortuos reputatæ, facto voto, & Miſſæ ſacrificio pro ea celebrato in honorem hujus Sancti, ſtatim ad vitam, & priſtinam ſanitatem reſtitutæ: cujus miraculi fama & veritas omnibus nota fuit, quandoquidem hæc mulier erat noverca prælaudati Reverendi Admod. P. M. Joannis Cheron adhuc hoc idem aſſerentis; ſacerdos verò, ex noſtris, qui pro ea Miſſæ ſacrificium obtulit, fuit Rev P. Lami, qui poſthàc in odore ſanctitatis inter noſtros Carmelitas Diſcalceatos obiit. Secundùm Prioris Conventus Burdigalenſis à Medicis deſperati, deindè precibus S. Simonis, priſtinà ſanitate donati; & iſtud etiam miraculum ſub noſtro ævo patratum fuit; nam iſte Prior fuit R. P. M. Rategui, contemporaneus dicti Rev. Adm. P. Joannis Cheron, à quo narratur, dictum Rev. P. Rategui Priorem Burdigalæ in extremo, & deſperato vitæ periculo conſtitutum, S. Simoni Stock ſe voviſſe, & in ejus honorem cereum album, dum Miſſæ ſacrificium pro ſe celebraretur in ſacello ejuſdem Sancti (ad quod penè exanimis adferri voluit) propriis manibus obtuliſſe, indeque ſtatim convaluiſſe. Tertium denique pictoris hæretici, per riſum & ſubſannationem effigiem S.Simonis in ejus capſæ ligneæ ſuperficie, cùm vultu deformi, & ridicula corporis & habitûs compoſitione pingentis; ob id verò (cælo hanc irreverentiam inultam eſſe non patiente) in ſubitaneam paralyſim lapſi, poſtmodùm verò facti pœnitentis, hæreſim abjurantis, & ad ſepulchrum & pedes Sancti provoluti, miraculoſæ corporis & animæ ſanitati reſtituti. Quorum miraculorum, ſicut & piſcium coctorum, ſigno Crucis à S.Simone formato, ad vitam revocatorum; nec non aquæ, benedictione ejuſdem Sancti ſacerdotalibus ornamentis

Miracula meritis S. Simonis.

induti, & in procinctu inchoandæ Miſſæ ad altare conſtituti, in vinum converſæ: & plurimorum aliorum miraculorum hiſtoriæ ad vivum, & ſeorſim repræſentantur in antiquis & eximiis picturis, ſacellum hujus Sancti circumcingentibus.

1534. *Hactenùs ex iſto inſtrumento, ſeu ſcripto, in quo etiam aſſeruntur, & traduntur ſequentia: Quòd* Coſtallus (*qui brachium S. Simonis &c. Gandavum miſit anno* 1423. *ſicut habetur in litteris teſtimonialibus, ſuprà in Notatis prævus §. 6. memoratis*) fuerit Prior Conventus Burdigalenſis, circa annum 1423. & poſteà, Provincialis Vaſconiæ. Quòd Monaldus Roſarius (*qui anno* 1506. *digitum S Simonis donavit Conventui Valencenenſi*) Provincialis fuerit anno 1506. Quòd tranſlatio corporis, ſeu Reliquiarum S Simonis in argenteam arcam, miro artificio elaboratam, & gemmis pretioſiſſimis ornatam, mandato Reverendiſſimi P. Hieronymi Ari Generalis, Viſitatoris Apoſtolici, dictum Conventum actu viſitantis anno 1663. facta fuerit: Quòd variæ hujus Sancti Reliquiæ in varias Ordinis Provincias, & Conventus, maximè in Flandriam & Hiſpaniam fuiſſe diſperſas, & aſportatas. *Cur autem ſpecifica memoria de iſtis Reliquiis diſtributis, ſicut & de vetuſtioribus miraculis, jam non extet Burdigalæ, hanc reddunt rationem.* Reſpondemus, iſtum defectum, ſeu deſtitutionem ſcriptorum & inſtrumentorum rerum apud nos ab antiquo geſtarum, & præcipuè ad S.Simonem ſpectantium, ex quatuor potiſſimùm capitibus originem ducere: 1. ex receſſu Anglorum ex iſta Provincia poſt tranſactos in ea, vi armorum, pluſquam 200. annos, qui eorum receſſus, vel expulſio accidit circa annum à Chriſto nato 1452. Religioſi autem noſtri ex Anglia oriundi, recedendo cum militibus & aliis Regni Angliæ incolis, partem Reliquiarum S.Simonis & Inſtrumentorum, de eodem tractantium, quippè qui hujus noſtræ Provinciæ gubernio potiti fuerant, ſecum in Angliam detulerunt. 2. Ex diviſione Provinciæ noſtræ Vaſconiæ ab Aquitania; ex his enim una eademque Provincia conſtabat, uſque ad annú * 1470. Veriſimile eſt autem Aquitanos à Vaſconia, & præcipuè à Conventu Burdigalenſi (cui prælaudatus Coſtallus ex Aquitania oriundus & alii Aquitani diu præfuerant) recedentes, ſecum etiam partem Reliquiarum S.Simonis, & monumentorum ad eundem ſpectantium, aſportaſſe. 3. Ex ſæviſſima peſte, quæ circa annum 1570. totam ferè civitatem Burdigalenſem depopulata eſt: ita ut omnibus Religioſis in noſtro conventu Burdigalenſi (nullo excepto) peſte ſublatis, per ſat longum tempus claves Conventus reſerati in domo publica dictæ civitatis reſervatæ fuerint: cùm autem, ceſſante hoc flagello, Conventum purificare voluère ſæculares ad id publicè deſtinati, & conducti, magnam partem ſcriptorum ibi repertorum promiſcuè & imprudenter igni

* veriſimilius 1355. aut 1362. videri poterunt Annales Carmelit. ad iſtos an.

XVI. Maii.

tradiderunt. 4. Ex rabie hæreticorum, qui anno 1571. noſtræ Vaſconiæ, ſicut & Aquitaniæ Conventus diruerunt, titulos & inſtrumenta ſuſtulerunt, aut combuſſerunt, ſacerdotes occiderunt, omnemque ſacrorum memoriam abolere tentaverunt: quamvis in civitate & conventu Burdigalenſi tantam crudelitatem, ſicut alibi, exercere non potuerint.

Conſiliarius Burdigal. per Scapulare à trajectu præſervatus

1535. *Inter quæſita tunc Româ Burdigalam miſſa etiam erat iſtud: [In relationibus publicis typis editis Pariſiis an. 1652. habetur* DE BOURDEAUX LE 14. NOVEMB. 1652. dernierement un conſeiller de ce parlement ayant reçeu un coup de piſtolet à la poitrine, ſans en avoir eſté bleſſé: & ayant trouvé, que la bale avoit donné ſur le Scapulaire qu'il portoit, & par le quel on à reconnu qu'il fut preſervé de ce danger, on en à beaucoup augmente la devotion, que l'on à touſiours eue pour cette Confrairie eſtablie en cette ville par S. Simon Stock, qui en fut l'inſtituteur, & dont le corps repoſe icy au Convent des P. P. Carmes: *An non ſit memoria iſtius miraculi?]* *Reſpondent:* Vera eſt etiam relatio publica, de qua agitur num. 12. dicti memorialis; Conſiliarius enim Parlamenti Burdigalenſis ibidem recenſitus adhuc vivit, & vocatur Dom. Dandraut, vir piiſſimus, qui quotidiè pro occaſione ibi memorata gratias agit, delaudatq; ſibi præſtitam à ſacratiſſima Virgine Maria de Monte Carmelo protectionem, miramque ejus ſacri Scapularis ad ſalvandum in periculis efficaciam. *Et immediatè ſequitur:* Quæ omnia ad majorem Dei, & B.mæ Virginis Mariæ, nec non utriuſque famuli S. Simonis Stock, gloriam & honorem dicta ſint. Burdigalæ die 8. Januarii an. 1672. ſub noſtro manuali ſigno, officiiq; noſtri ſigillo. *Et ſignatum erat:* F. Richardus à S. Andrea Provincialis Carmelitarum Vaſconiæ. F. Angelus à S Thereſia, Prior Carmelitarum Burdigalæ. F. Joannes Cheron Exprovincialis Vaſconiæ.

De peculiari cultu S. Simonis Bolzani in Tirolenſi Comitatu.

S. Simonis cultus peculiaris Bolzani quâ occaſione

1536. *CONvenienter etiam hoc loco commemorandum, quod, & quâ occaſione S. Simon peculiari veneratione colatur Bolzani in Eccleſia PP. Prædicatorum.* Bolzanum (Germanicè Bolzan & Botzen) inſignis urbs eſt Comitatùs Tirolenſis, mercatu celebris. Ibi in eccleſia PP. Prædicatorum Sacellum eſt S. Simoni Stock dicatum, & in eo altare Pulcherrimum ipſius S. Simonis, cum ejuſdem imagine conſtructum circa annum Chriſti 1626. ex voto per quemdam nobilem Gaudentium Botſch zu Zwingenberg, Archiducis Leopoldi fœlicis memoriæ Marcſchalcum Tirolenſem, eo fine ut mediante intercesſione B. V. Mariæ de Monte Carmeli & S. Simonis impetrare poſſet hæredem. Contigit autem, ut erecto jam altari, Deus votum illius exaudiret, eidemque hæredem filiam concederet. Et ecce horâ quâ conjux prædicti Nobilis concepit, contigit ut noctu campanula ejuſdem Sacelli in campanili (quod idem ſacellum S. Simonis ſpeciale habet) ultrò pulſaretur. Mortuo autem eodem Nobili, eâdem horâ obitûs tabula ſeu imago S. Simonis ex altari in terram decidit, Eſtque hoc valde apud PP. Prædicatores ejuſdem loci celebre, peperitq; eidem ſacello magnam inter homines devotionem, quæ etiamnum ibidem perſeverat. Semper enim ſunt in eodem ſacello frequentes homines Sancto Simoni ſupplicantes. *Et iſta ex relatione, & aſſertione anno Chriſti 1645. die 19. Octobris ſcripto tradita à R. A. P. Iacobo Emans S. Theologiæ Doctore, iteratis vicibus Provinciale Carmelitanæ Provinciæ Alemaniæ Inferioris, deinde Romæ Aſſiſtente Generali R.mi P. Generalis Carmelitarum: qui hoc præſenti anno 1674. eadem confirmavit his verbis:* Ea, quæ ante annos plus minùs 28. ad P. V. A. R. ſcrip. hiſce coram P. V. ſanctè proteſtor & declaro, omnia, prout verba mea, quæ illo tempore ſcripſi, ſonant, eſſe veriſſima; quæ proindè P. V. tutò & ſecurè Vitæ S. Simonis inſerere poterit; veriſſima inquam, eſſe dico, in quantum veridicus (ut ſupponere debeo de viro gravi, & Religioſo, qualis ille, qui mihi idipſum narravit) fuit hujus rei relator: qui eo tempore in dicto Conventu vixit, quo hiſtoria hæc contigit. *Ita ille in litteris Coloniæ datis 20. Martii 1674. & in aliis ſignatis 24 Aprilis, ſic de eodem:* Quoad S. Simonis Bolzani apud PP Prædicatores Sacellum, tribus illis punctis, ad quæ ſibi reſponderi petiit, breviter ſatisfacio, dicendo 1. Me illud Sacellum oculis meis perluſtraſſe, & altare Sacelli bene conſideraſſe, cujus tabula picta S Simonem noſtrum à B. Virgine S. Scapulare recipientem repræſentat: & hanc ob cauſam ego Sacellum iſtud appellavi Sacellum S. Simonis, 2. Pater qui mihi hiſtoriam illam de Nobili Sacelli illius Fundatore narravit, fuit Ordinis S. Dominici, & Gremialis Conventûs Bolſanenſis, ad quem hoſpitii cauſâ, non in reditu, ſed in acceſſu ad Capitulum Generale Anno 1645. Romæ celebratum divertimus. Oblitus ſum verò dicti Patris nomen exquirere, ideoque, quô nomine vocatus fuerit ignoro. 3. Archidux, qui illo tempore Comitatum Tirolenſem Oeniponti reſidens moderabatur, non fuit Sereniſſ. Archidux Leopoldus Guilielmus glor. mem. qui aliquando ſuperioribus annis totius Belgii Gubernator fuit, ſed alius *nempe qui anno 1586. natus deinde Epiſcopus Argentoratenſis, & Patavienſis Epiſcopatui renuntians factus Comes Tirolenſis, obiit anno 1632.*

1537. *Sed cur S. Simonem Deus ibi peculiariter coli voluit apud PP. Prædicatores? An fortè per quamdam quaſi ſympatiam, qualis eſſe poteſt inter Sanctos? Memoratur de S. Simone, eum B. Iordano Ordinis Prædicatorum fuiſſe familiarem, & devotum; ideo ipſe B. Iordanus, poſt ſub-*

XVI. Maii.

ſubmerſionem ſuam glorioſum apparuiſſe S. Simoni, atque etiam alteri Fratri Carmelitæ, memoratum eſt hîc ſupra, num. 1508. & in Annalibus Prædicatorum ad Annum 1237. ac Carmelitarum ad annum 1236. refertur his verbis: Frater quidam de Ordine Carmeli ad recedendum tentatus, audito quòd frater Jordanis ſubmerſus fuiſſet, magis, ac magis turbatus, hæc apud ſe dicebat. Vanus eſt omnis, qui ſervit Deo; aut iſte bonus homo non fuit, qui ſic periit, aut Deus non benè renumerat eos, qui ſerviunt ſibi. Cùm igitur ad mane recedendum firmaſſet animum, ipsâ nocte apparuit ei perſona pulcherrima cum luce immensâ circumjens ipſum; tum tremulus, ac ſtupens orabat dicens: Domine Jeſu Chriſte adjuva me, & oſtende mihi quid hoc ſit; & ſtatim reſpondit: ne turberis, frater chariſſime, quia ego ſum Frater Jordanis, de quo tu hæſitabas & ſalvus erit qui uſque in finem ſervit Domino Jeſu Chriſto, & diſparuit, ipſo in omnibus conſolato. Hoc ipſe Frater, & Prior ejuſdem Ordinis Frater Simon vir Religioſus, & verax, noſtris Fratribus narraverunt. *Quòd* Simon *iſte vocatus* Prior, *fuerit B. Simon Stock, pro comperto videtur, prout nomen, tempus, locus, & ſigna ſanctitatis denunciant.*

B. Iordanus Ord. Prædic. General. glorioſus apparet cuidam Carmelitæ,

eum conſolans

Ita Lezana in Annalibus (a) *ubi plura ad intentum.*

(a) ad annum 1236. n. 3.

1538. *Præterea S. Simone Generalatûs officio fungente, id memorabile contigit anno M. CC. XLVII. quòd Regula Ordinis Carmelitani, prout tradita à S. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano, magis proportionata vitæ ſolitariæ eremiticæ, & contemplativæ, quàm vitæ mixtæ, (qualis eſſe debet Ordinum Mendicantium) in variis punctis iſto anno mutata nonnihil fuerit; & accommodata vitæ mixtæ, & Ordinum Mendicantium functionibus; ideò quòd tunc Ordo Carmeli ab Eccleſia aſſumptus eſſet ut unus ex quatuor Mendicantibus, ſpecialiter in ſalute animarum procuranda impenderetur. Iſta autem Regulæ moderatio, & mutatio facta fuit, veriſimiliter ad S. Simonis inſtantiam, per Hugonem Cardinalem tituli S. Sabinæ, & Guilielmum Anteradenſem Epiſcopum, ex Ordine Prædicatorum aſſumptos; Carmeli Ordini ſingulariter addictos. De iſta Regulæ declaratione, mitigatione, & mutatione tactum ſubinde fuit in antecedentibus: pleniſſimè autem illa tradita ſunt Tomo præcedenti parte 1. lib. 8. cap. 6. 7. & 8. & in Annalibus Carmelitanis ad annum 1247. & exindè Prædicatorum, ac Carmeli Ordines ſpecialis cujuſdam neceſſitudinis vinculo colligati fuerunt.*

XXII. MAII. (OLIM XXV.)

DE SS. MARIA IACOBI, & SALOME

1539. IN *antiquioribus Miſſalibus, & Breviariis Ordinis hujus, ad diem XXV. Maji legitur:* Octavo Kalendas Junii Mariæ Jacobi, & Salome, Duplex: *eſtque in Breviario Officium proprium totum: Hymni ad Veſperas hoc eſt initium:*

Hodierna feſtivitas
Per mundi claret orbitas.

Et ad Matutinum:

Lætabundus fidelium
Cœtus colat ſolemnia.

Initium autem Miſſæ: Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes &c. *Arnoldus Boſtius in libro de* Patronatu B. Virginis cap. 13. *agens de peculiari honore & reverentia, quibus Carmeli Ordo Patronam ſuam Mariam proſequitur, & idcircò etiam ſingulari cultu honoret parentelam ejus; videlicet* SS. *Ioachim, Annam, Ioſephum (de quibus ſingulis plura ad dies, quibus feſta eorum celebrantur) de præfatis* Maria *Iacobi, & Salome ſubjungit:* Et ſanctas Mariam Jacobi, & Mariam Salome, prælectas Domini Jeſu materteras, quarum laus in ejus præconium ſingulariter redundat, affectione devotâ proſequimur, feſta eorum ſolemniore cultu celebrantes. *Quòd autem communiter dici ſoleant ſorores Deiparæ, accipiendum juxta non infrequentem Scripturæ loquendi modum, quia erant conſobrinæ, ſeu neptes: ſicut Abraham vocabat Saram ſororem ſuam; & S. Iacobus atque alii, fratres, & ſorores Domini in Scripturis* (b) *nuncupantur.* Nam ſi cùm in divinis ſcripturis ſorores nominatas invenerint; velint hi germanas intelligere, in portentoſos eos labi errores neceſſe eſt; cùm apud Mattheum, & Marcum, Chriſti ſorores & fratres nominentur, dicentibus concivibus ſuis: Nonne & ſorores ejus apud nos ſunt? quas quidem nullus umquam Catholicus ex Deipara Virgine natas, ut horrendum nefas, vel cogitare præſumpſerit: Porrò fratrum, & ſororum nomine ſæpè in divinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi, apertiſſimum eſt: nec enim quis dixerit, eſſe mentitum Abraham, cum Saram uxorem ſororis nomine nuncupavit. *Ita Cardinalis Baronius* (c).

(b) Math. 13. & alibi

(c) In Apparatu ad tom. 1. Annal.

VITA

XXV. Maii.

XXV. MAII.

VITA S. MARIÆ MAGDALENÆ DE *PAZZIS.

* Pàzzis nuncupatur identidem in Actis Canonizationis: Vincentius Puccin. & alii nonulli ſcribunt Pazzi.

Virginis, Monialis Ordinis B.^mæ Virg. Mariæ de Monte Carmeli, antiquæ obſervantiæ regularis, plurimis Dei donis, præſertim flagrantiſsimâ in Deum charitate, vitæque innocentiâ, ac miraculorum gloriâ illuſtris: à Virgine Dei Matre candidiſsimo velo circumdatæ, in ſignum illibatæ virginitatis.

NOTATA PRÆVIA.

Vita S. Mariæ Magd. de Pazzis, ſingulari, & mirâ ratione, primùm Italicè conſcripta, ac deindè traducta, omni idiomate uſitato in Chriſtianæ Orthodoxæ profeſſionis regionibus, edita: & à quibus.

Sancta dicitur Eccleſia, quia ſemper in ea Sancti.

1540. *DEus Sanctus, & Sanctitas ipſa ſanctam ſuam Eccleſiam omni tempore ſanctis hominibus, velut mundum ſideribus, illuſtrat; & ideo etiam (inter alias rationes) Sancta dicitur. Hoc quidem præſens ſeculum in quo verſamur XVII. à Chriſto nato, eximiâ ſanctitate decoravit, & illuſtravit (inter alios ſuperioribus annis ſolemni Canonizationis ritu toti Eccleſiæ prapoſitos) ſancta extatica Virgo Maria Magdalena de Pazzis, quæ ſeculi hujus primordia conſecravit, ac cælo illuxit anno hujus ſeculi ſeptimo, videlicet M.DC VII. die XXV. Maji. Hanc Deus variis decoravit miraculis, & tantis cumulavit cæleſtibus donis, ut magis cæleſtem quàm mortalem ducere videretur vitam, heroicarum virtutum omnium actibus continuatam: quas inter peculiariſsimè reſplendent eximia corporis, & animæ puritas, & flagrantiſsima erga Deum charitas, ac ad proximorum ſalutem zelus, nec non ſublimis orationis, meditationis, & contemplationis ac raptuum juge quoddammodò exercitium, ita ut curſus vitæ ejus à tempore profeſſionis quaſi continuata extaſis, & raptus, ac ad Deum adhæſio, & cum eo interna converſatio, atque ita etiam ante mortem velut cæli incola videatur; ut meritò de illa aſſeratur in Actis Canonizationis:* Divinæ gratiæ incomparabili theſauro imbuta, & locupletata vitam prorsus Angelicam duxit. Mortalium enim conditionem tranſgreſſa, aut ſemper in cœlo fuit, aut cœlum cum ea... terræ ſimul hoſpita, & manſionum cœleſtium inquilina... perpetuâ velut extra ſe rapta: animâ in cœlis magis habitans; ubi amabat, quàm in corpore, ubi animabat... prope ſponſalis thalami januam conſtanter permanens. *Ibi autem tantis fuit irradiata cæleſtium & divinarum intelligentiarum ſplendoribus, ut indè ſublimem illam intelligentiam de altiſsimis myſteriis SS. Trinitatis; & Verbi incarnati, atque aliis, nec non purgatiſsima & utiliſsima hauſerit documenta, quibus paſsim vita ejus reſperſa eſt: atque ita à Deo ipſo edocta, plùs plerumque ſuis Confeſſariis ipſa contulit, quàm ab eis acceperit. Hinc R. P. Octavius Gondi, Societatis* JESU, *divinum illud ſupercæleſte lumen in ea admirans, & venerans, confeſsiones ejus genuflexus ipſe excipere ſolebat (ad cancellos ſcilicet, ſepto inter Confeſſarium, & pœnitentem interjecto) ſicut teſtatur vitæ illius primarius ſcriptor Vincentius Puccinus* *. *Alii autem Confeſſarii ejus ordinarii, & extra ordinarii, deputati ad examen vitæ ejus, & intelligentiarum myſticarum conſueverunt, doctrinam contentam in verbis ab ea prolatis in ſuis raptibus, eſſe utiliſsimam, purgatiſsimam, ſublimiſsimam, ſicut mox audiemus. Hinc non immeritò Vitæ ipſius Florentiæ, biennio ab obitu, & aliquoties poſteà excuſæ, ab Alexandro Puccino hæc Ode præmittitur:*

S. Maria Magdalena de Pazzis eximia ſanctitate decoravit ſeculum XVI.

vitam quaſi cæleſtem ducens

*Verba ejus ſunt: Il P. Ottavio Gondi de medeſimi Patri Gieſuiti, per lo gran concetto, che avea dalle ſue ſante virtu, non ardiva di confeſſarla ſe non ginocchione, affermando poi di non ſi partir mai da lei, che non riceveſſe maggior lume ſpirituale.

Siccinè mortales mens artus, membraque linquens
Sidereos toties tendis ad uſque choros?
Corporis anguſtos nũ Virgo exoſa penates,
Immenſas cœli te juvat ire vias?
Qui mens in terra vivas, quæ vivis olympo?
Te vitæ hinc ſedes viſere ſæpè juvat.

1541. *In* Summario Canonizationis *iſta de vita ejus Scriptoribus leguntur:* Vitam illius ediderunt Vincentius Puccius (a), Leo à S. Joanne, Dominicus à tribus Mariis, Albertus Oppelius, Ludovicus Mertola, Dominicus à Jeſu, Coſmas facellius, Richardus Rucquelot, Simon Martinus, Virgilius Ceparius, Petrus Wemmers, Joannes Baptiſta de Lezana &c. Conciones de ipſa egerunt Henricus Engelgrave Soc. Jeſu in Pantheon Cæleſti par. 1. in Concione de B. Aloyſio Gonzaga §. 1. Chriſtophorus Avendanus, Laurentius Maria Brancatius, Bartholomæus Belvedere, & alii paſſim. Carmine autem illam celebrarunt Michaël Orſi, Joſephus Baptiſta, Joſephus Campanile, & Chriſtophorus Franciſcus Falbogoiſchi Polonus edidit carmine Polonico ſolem-

(a) al. Puccinus

Scriptores vitæ ejus

XXV. Maii. ſolemnitatem Beatæ Mariæ Magdalenæ ibibem celebratam, & alii. Panegyricum verò in ejus honorem decantavit Paulus Pacinus, & Paulus Pepenis S. T. D. Ord. Prædicatorum ſcripſit Panegyricum B. Magdalenæ, dicatum Eminentiſſimo D. Cardinali ab Arach.] Ibi in iſto Summario referuntur alii plures qui de ipſa ſcripſerunt: Gallico idiomate vitam illam traductam ex Italico ediderunt quoque Dom. Ludovicus Brochand Baccalaureus Facultatis Theologicæ Pariſienſis, & P. Gregorius à S. Martino S. Theologiæ Lector Ordinis Carmelitani Provinciæ Gallo-Belgicæ: Latinitate autem donata per P. Patritium à S. Iacobo, ejuſdem Ordinis Provinciæ Alemanniæ Inferioris, Romæ elucubrata, typis edita fuit Francofurti anno 1670.

Primus Scriptor, ſeu Collector Vincentius Puccinus.

1542. Primus Scriptor vitæ hujus, ſeu potius Collector fuit Vincentius Puccinus Monaſterii iſtius in quo ipſa S. Maria Magdalena vixit Confeſſarius & Rector: teſtatur autem ipſa, undè materiam ſcribendi habuerit. Cum Deus tam mirabiliter operaretur in ſancta hac Virgine, maximis ab eo delibuta charismatibus: & in frequentiſſimis ſuis raptibus ſublimia loqueretur de divinis myſteriis, & de mediis, ac impedimentis ſpiritualis profectûs; ne theſaurus ille lateret abſconditus, & ut arcana à Deo ipſi revelata, ac documenta utiliſſima etiam aliis prodeſſe poſſint, Matres Monaſterii monitæ fuerunt à ſuo Confeſſario, & Rectore, ut annotarent ſcripto revelationes, illuſtrationes, & ſpiritualia documenta illa quæ loqueretur: ſed cùm ita celeriter verba ex ejus ore profluerent, ut impoſſibile eſſet, ab una ſcripto poſſe tradi, Deo inſpirante hac uſæ ſunt induſtriâ: Tres, aut ſubindè quatuor ex prudentioribus deputatæ fuerunt quæ ſcriberent hâc methodo, & ſingulæ habebant etiam aſſiſtentem. Igitur cum loqueretur, prima, adjuvante ſua aſſiſtente, ſcribebat primam periodum, & apponebat num. 1. deindè ſecunda cum ſua aſſiſtente, ſequentem periodum, & ſignabat num. 2. deindè tertia cum ſua aſſiſtente, & notabat nu. 3. Tum rurſus prima cum ſua aſſiſtente: & adjungebat: num. 4. tum ſecunda, & addebat: num. 5. & tertia, ſignando num. 6. & ſic in orbem. Quandò ceſſabat extaſis, ſeu raptus, ſcripta omnia, juxta ſuos numeros in ordinem redigebant: & quando ſubindè de aliquo dubitabant, an quidpiam omiſſum, aut malè ſcriptum, Mater Prioriſſa per Obedientiam mandabat B. Mariæ Magdalenæ, ut corrigeret, aut diceret ea quæ Deus ipſi in extaſi inſpiraverat: quod ipſa faciebat cum profundiſſima humilitate, & ſui annihilatione. Iſta ſic referuntur in ejus vita (impreſſionis anni MDCXXXX. Neapoli) (a) Vincentius Puccinus teſtatur quoque, in principio tertiæ editionis factæ Florentiæ anno MDCXXI. (de qua editione mox etiam) quòd ipſi S. Mariæ Magdalenæ mandatum fuerit in virtute ſanctæ obedientiæ, ut duabus venerandis matribus ſui monaſterii, omnes revelationes, intelligentias, & illuſtrationes ei in ſuis raptibus à Deo communicatas, integrè & minutè referret, ac ut iſta ſingula ſcripto traderent: ita ipſa Sancta fecit cum ſumma humilitate, ac magna animi ſui repugnantia.

mirabilis induſtria in confectione vitæ hujus.

(a) cap 61. pag. 156.

Volumina 4 ſcripta de geſtis & dictis S. Mariæ Magd.

1543. Sic autem ſcripta fuerunt quatuor volumina: primum ea legit, & probavit D. Franciſcus Benvenutus Theologus, Canonicus, Pœnitentiarius Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ, qui annis multis fuerat iſtius Monaſterii Confeſſarius Ordinarius: qui etiam illa curavit examinari ab aliis Theologis, peculiariter autem per P. Nicolaum Fabrinum Societatis Ieſu, Theologum magnæ eruditionis, & experientiæ in rebus ſpiritualibus: ac inſuper per alios quatuor: qui cenſuerunt doctrinam in illis contentam eſſe theſauros cœleſtes. Iſta autem in ordinem redegit præfatus Vincentius Puccinus, Confeſſarius monaſterii iſtius. Mox poſt felicem obitum B. Magdalenæ, plurimorum fuit ardens deſiderium legendi mirabilem illam vitam. Propterea à R.^mo Dom. Petro Niccolino Vicario Generali Florentino fuit ad examen commiſſa R. D. Franciſco Bonciano Archidiacono Florentino: qui cùm legiſſet, cenſuit ejus lectionem futuram magnæ utilitatis. Poſtea fuit tradita R.^mo & illuſtriſſimo Dom. Alexandro Archiepiſcopo Florentino, ut poſſet typis edi, & in publicum evulgari. Archiepiſcopus eam rurſùs commiſit examini P. Claudii Seripandi, Societatis Ieſu viri pereruditi, qui de illa hanc dedit cenſuram: R.^me & Illuſtriſſime Domine &c. mihi commiſſa de vita venerabilis Matris ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzi, ſanctæ memoriæ, vidi, & reperi illa adeò plena ſublimiſſimis, ſimul & utiliſſimis doctrinis, & admirabili intelligentiâ rerum divinarum, ut aliud dicere non poſſim, quàm, DIGITUS DEI EST HIC; opus eſt Spiritûs ſancti, qui animabus puris ſe ita communicat, ut unico tractu plus addiſcant, quàm multis annis in ſcholis capere poſſent: undè digna impreſſione judico; potiſſimùm, cùm modus loquendi hujus benedictæ animæ de ſuis altiſſimis conceptibus attemperatus ſit intelligentiæ perſonarum quarumcumque, etiam ſimplicium, & indoctarum, quæ legent hæc opera. Datum in Collegio noſtro S. Joannis Euangeliſtæ, die 8. Martii anno 1609. In alia approbatione, data anno 1610. die 16. Septembris, aſſerit, Intelligentias ſpirituales S. Mariæ Magdalenæ eſſe ex illuſtratione Spiritûs-ſancti, è theſauris divinæ gratiæ, ex lumine, quo ex piſcatoribus rudibus effecti ſunt prædicatores, & magiſtri mundi. Conformiter cenſuerunt R. P. Emanuel Ximenez, etiam Societatis Ieſu, Conſultor Sancti Officii, ſcilicet opera illa eſſe purgatiſſima, & utiliſſima, complectentia doctrinam ſolidam, à Deo iſti ſanctæ Virgini inſpiratam, ad noſtram utilitatē: Et R. P. Ignatius Nenti, Theologus Ordinis Prædicatorum, opera illa eſſe plena altiſſimis revelationibus, & ſolidis doctrinis: ita ut perſpicuum ſit, illa eſſe ex divina illuſtratione: cui complacuit ſua ſecreta revelare iſti ſanctæ Virgini: atque ita illa opera digniſſima prælo eſſe.

A viris eruditis examinata.

& judicata magnæ utilitatis,

plena ſublimiſſimis doctrinis,

attemperatis intelligentiæ quarumcumque perſonarum,

è theſauris divinæ gratiæ.

ex divina inſpiratione.

1544. Præfatus Dom. Archiepiſcopus inſuper vitam illam, illuſtrationes, & dicta in raptibus deinde etiam tradidit examini Theologorum S. Inquiſitionis, eò quòd ibi multa fidem concernentia continerentur: qui ſimiliter judicârunt,

iterata examina per Theologos S. Inquiſitionis qui ſimiliter cenſent:

XXV. MAII.

Omnia in illis contenta prolata ſunt ab ipſa S. M. Magd. in ſuis raptibus:

runt, omnia ibi contenta eſſe doctrinam piam, & divinam. *Denique monaſterium, in quo S. Mariæ Magdalena vixit, perſonaliter acceſſit Reverendiſſ. Dom. præfatus Petrus Niccolinus Vicarius Generalis, cum D. Froſino Cancellario Archiepiſcopatûs, & coram illis ac Confeſſario Monaſterii Moniales omnes numero ſexaginta, manè immediatè poſt Communionem comparuerunt: & impoſitum illis fuit diſtrictum præceptum declarandi, an omnia ibi contenta, dicta eſſent ab ipſa B. Magdalena in ſuis raptibus & extaſibus: & prælecta fuerunt ſigillatim omnia capita: & quæ audierunt, & ſcripſerunt, juramento ſuo aſſ rueruut, & ſcripto confirmârunt, ea omnia ſic ſe audiviſſe & ſcripſiſſe: nec verbum additum, aut demptum. Deindè coram præfatis, & aliis quatuor teſtibus facta ſunt ab iſtis Monialibus atteſtationes ſub juramento, & ſubſcriptiones in peculiari libro, ad hoc deſtinato, & ſignato quoque à præfato Dom. Vicario Generali, teſtimonium reddente de atteſtationibus & ſubſcriptionibus illis. Liber ille in perpetuam memoriam ſervatur in illo monaſterio, & copia authentica in archivio Archiepiſcopatus Florentini.*

1545. *Porrò præfatorum Alexandri Epiſcopi Florentini, & Petri Niccolini Vicarii Generalis Florentini variæ commiſſiones ad examen Vitæ S. Mariæ Magdalenæ, & eorundem (poſt examina facta) iterativæ, conceſſiones ad prælum: nec non approbationes prædicatorum Franciſci Bonciani Archidiaconi Florentini, Claudii Seripandi, Emanuelis Ximenez, & Ignatii Neuſi, habentur ſub initium voluminis in ſex partes, per præfatum R. Dom. Vincentium Puccinum diſtributi: quarum duæ complectuntur hiſtoriam vitæ: reliquæ continent raptus, extaſes, illuſtrationes; & documenta, in raptibus Sanctæ huic à Deo communicata. Illud autem volumen typis editum fuit Florentiæ pluries: nos præcipuè uſi ſumus editione anni 1621. & ea erat Vitæ hujus editio tertia, ante Beatificationem: anno dumtaxat XIV. ab obitu. Etenim primum paulò poſt obitum Vita illa typis prodiit: quæ tam citò diſtracta fuit, ut mox ſecundâ vice imprimi debuerit: & illa ſimiliter impreſſio tam brevi ſpatio fuit divendita, ut dicto anno 1621. (qui erat decimus quartus ab obitu) tertiâ jam vice recuſa fuerit Italicè, & aliquantò poſt Hiſpanicè, Gallicè, Germanicè, Polonicè, Belgicè. Indè licet colligere, quanta aviditate Vita Virginis hujus mox à ſuo deceſſu, expetita, & diſtracta fuerit. Inter eos autem qui ex iſtis tam authenticè à Vincentio Puccino digeſtis vitam ſcripſerunt, præfatus P. Leo à S. Ioanne, iteratis vicibus Provincialis Turoniæ, primùm quidem compendiosè Gallico idiomate editam, & ſapiùs recuſam, deinde exiſtens Romæ Aſſiſtens R.mi P. Generalis, Latinitate donatam, Magno Etruriæ Duci dicatam, publici juris fecit: & ea hìc ſequitur.*

Florentiæ, ante ejus beatificationem tertiò excuſa, & recuſa:

ac mox in varia idiomata traducta:

& magnâ aviditate diſtracta

1546. *Inter omnia hactenùs de vita, virtutibus, & ſanctitate B. Mariæ Magdalenæ edita, præcipuæ, & irrefragabilis auctoritatis eſt quoque liber, cui præfigitur titulus iſte:* Acta Canonizationis S. Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis à Dominico Capello collecta *Romæ typis Fabii de Falco.* *M,DC.LXIX. cujus initium hoc eſt:* Eccleſia Catholica divinâ luce perfuſa radios ſuos per totum Orbem diffundit, ab illo myſtico Sole lumen accipiens, cujus calore, & influxu animata, in ſanctitate, & juſtitiâ coram ipſo perpetuò ſubſiſtit. Hæc eſt veræ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ nota, quæ in cœtibus infidelium non reperitur, quòd in eâ ſemper ſanctitas viget, quam propterea in Symbolo fidei SANCTAM eſſe profitemur: *& aliquantò poſt:* Petrus de Alcantara pœnitentiæ rigore, & euangelica paupertate conſpicuus, ac Maria Magdalena de Pazzis admirabili puritatis nitore, & Angelicâ morum innocentiâ refulgens, ipſam Eccleſiam heroicarum virtutum ſplendore illuminant. Quo autem modo, quâ exactâ diligentiâ, quanto graviſſimarum rationum pondere arduum hoc, & ſummi momenti Canonizationis negotium proceſſerit, & quàm accuratè, ac seriò cauſa hujuſmodi diſcuſſa ſit, ex ſequenti narratione conſtabit.

Eccleſiæ Catholicæ nota Sanctitas ſemper vigens

Vita, virtutes, miracula S. Mariæ Magd. exactiſſ. diligentiâ inſerta actis Canonizationis

Libri, ſeu ſcripta tria Romæ excuſa in cauſa Canonizationis S. Mariæ Magd. de Pazzis.

1547. *Aliud etiam opus impreſſum fuit in folio Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ & iſte præfigitur titulus:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Informatio ſuper dubio, an conſtet de relevantia noviſſimorum proceſſuum Florentini & Neapolitani de iis, quæ ſupervenerunt poſt indultam eidem Beatæ venerationem. *Et hoc eſt initium:* BEATISSIME PATER, Cum in Congregatione Sacr. Rituum habita coram Sanctitate Veſtra die 4. Octobris anni proximè elapſi 1667. *In eo peculiariter agitur, de continuatione, & percrebeſcentia famæ ſanctitatis ejus: & ſub initium Sanctitas ejus ex variis proceſſibus anteà factis compendiosè ſtabilitur. Aliud inſuper in folio typis editum fuit: & hic eſt titulus:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Carmelitarum Summarium. *Deindè ſequitur:* Cauſa Canonizationis Ancillæ Dei Sororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentinæ Ordinis Carmelitarum de Obſervantia poſt relationem à tribus Rotæ Auditoribus, tàm Sanctiſſimo, quàm Sac. Rituum Congregationi factam, plenè, maturèque per plures ſeſſiones diſcuſſa, referente Illuſtriſſimo Pio, ac cognito diſtinctè, & conſtito primùm de validitate proceſſus, deindè de heroicis virtutibus dictæ Ancillæ Dei, demùm de miraculis tàm in vita, quàm poſt mortem factis. *Ibi conſequenter producuntur ex proceſſibus Florentiæ, & Neapoli factis, jurati teſtes plurimi deponentes de continuatione, & percrebeſcentia famæ ſanctitatis Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & devotionis populorum erga eam: nec non de miraculis ejus. Ex priore illo hic proximè ſequitur Vita (in gratiam lectorum tituli capitum inſerti, & ad marginem notulæ) Deindè etiam ex eodem ſequuntur concernentia Canonizationem: denique ex duobus aliis præcipua aliquot miracula proferentur: quibus tandem ſubjunguntur miracula aliquot poſt Canonizationem, & exercitium devotionis quinque feriis ſextis.*

VITA

VITA

Ex Actis Canonizationis,

Et ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum, juxta exẽplar Romæ impreſſum.

CAPUT I.

Nativitas; pueritia, vita in ſeculo.

1548. FLorentia Urbium Ætruriæ princeps, virtutum altrix, Sanctorum fæcundiſſima parens, die ſecunda Aprilis, anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti Mundo edidit Infantulam, cui ſanguine illuſtres parentes Camillus de Pazzis, & Maria Bondelmontia in Baptiſmate Catharinæ nomen impoſuerunt, quod in ingreſſu Monaſterii in Mariam Magdalenam mutatum eſt. In ea cum corpore crevit ſpirituale donum, & fortiſſimo Divini Amoris vinculo ultra captum ætatis adſtricta, ferè ab incunabilis, quaſi jam Mundo nuncium remiſiſſet, quodcumque genus ſericarum veſtium abhorrebat, & illas, in lacrymas profuſa, in ſinum genitricis rejiciebat; mediocres vix ferre poſſe videbatur, & viliores hilàris induebat; quaſi jam illud apprimè intelligeret. [Vince veſtem quæ Virgo es; vince aurum, quæ carnem vincis, & ſæculum; nec monilium, aut veſtium quære ornamenta, ſed morum.] Integrâ flevit die, patris imperio coacta molliorem veſtem induere è domo egreſſura. Ita ætatis præjudicium ſupergreſſa, creſcebat, confortabatur ſpiritu; itaque nec illi adhuc rationis uſus erat, cum jentaculum matutinis, & pomeridianis horis à domeſticis acceptum in pauperes erogabat, futuræ quidem Sanctitatis inſigne præſagium.

S. Mariæ Magd. de Pazzis nativitas:

ſancta pueritia

Sericas veſtes rejicit.

1549. De charitate in charitatem tranſibat, Divino ſpiritu ducta, & jam quaſi Cœleſti Sponſo matura, in Divini Amoris complexu vivebat, languebat, mortua erat: illi enim tantummodò adhærens, de Deo loqui, vel de eo loquentes tantùm audire volebat, & vana colloquia fugiens, in ſecretioribus gyneceis aſſiduò morabatur in meditationibus ſanctis, indeque à parentibus avocata, brevi ſe expedire ſatagebat, ut illa feſtinè repeteret; jam tunc à pueritia ſexenni, Matthæi conſilium implens. [Cùm oraveris, intra cubiculum tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt te in abſcondito, reddet tibi.] Quicquid igitur ſupererat temporis à rebus domeſticis Orationi impendebat, Lucæ eloquio edocta. [Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.] Et Pauli ſuaſa conſilio. [Sine intermiſſione orate.] Quoties illa peccatis hominum Deum offendi cogitabat, in lacrymas inenarrabiles agebatur, quibus Divinam miſericordiam ad peccatorum veniam, & emendationem provocabat. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eo humilitatis ſenſu venerabatur, ut recèns illo refectos avidè alloqueretur, quaſi tunc Dei præſentia in illis frueretur, Chriſto Domino aſſerente. [Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.]

Dei amor, oratio:

Mirus affectus erga SS. Sacramentum.

1550. Ætatis igitur anno decimo, Feria v. in Cœna Domini, Chriſti Amoris exceſſum contemplans, quo ſe mortalibus in Euchariſtiæ Sacramento ſalutarem cibum exhibuit, perpetuam illi devovit Virginitatem, & quicquid per ætatem poterat, totum Chriſto conſecravit, ſeque Parentibus ſubinde conjugium ſuadentibus reſpondebat, potius mortem ſubituram, quàm à Virginitatis ſemel concepto propoſito reſilire; beatius, inquiens, ſibi videri, in carne imitari vitam Angelicam, quàm ex carne mortalium numerum augeri. Itaque fervido deſiderii æſtu ad Sanctimonialis vitam in perpetua Virginitate anhelans, matrem precibus ſibi conciliare ſtudebat, ne caſtum propoſitum impediret; patri verò aſſerebat ſanctâ deliberatione, ſe potius capitis diſcrimen paſſuram eſſe, quàm aliud vitæ genus amplecti, præter Monaſticum: ad hoc citius evolare ſolicita, moram pati vix poterat, creſcebatque ex dilatione deſiderium. Interim ruri degens, viles puellas, quaſi tyrunculas ſibi aſſumptas, Chriſtianæ Legis præceptis imbuebat; domique ſingulis Feſtis ruſticanam turbam in unum congregans, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fideique Symbolum illi exponebat, atque ut turba eadem libentiùs conflueret, plerumque illis ſudariola, & gremialia, aſſentiente matre, donabat. Ruri proindè libenter morabatur, Civitatem invita, nec ſine lacrymis repetebat; ubique tamen piis precibus ſedulò intenta erat, vehementer ſolicita, ut domeſticis ſuis in eo opere ſociaretur.

Decennis communicat, virginitatem vovet

Ruri puellas catechiſmum docet:

1551. Adultâ ætate Monaſterium S. Joannis Equitum in educationem ingreſſa, nunquam ibi obſequentis puellæ affectum egreſſa eſt. Moniales ideo Sanctam fore puellam præſagiebant, non inferiorem Gertrudæ, & Catharinæ Senenſi, atque in ea Virtutum omnium, præſertim humilitatis, obedientiæ, & charitatis ſpecimen admirabantur. Quoties illa audiebat ſuperſtites haberi viros Chriſtianâ pietate inſignes, qui vel pro Dei amore, vel pro Religionis incremento in via Domini laborarent, ſancto gaudio exilire videbatur, & gratias Deo referebat, qui majora dignaretur per alios, quàm per ſe ipſam operari; nempe majorem ex aliis, quàm ex ſe proceſſuram Deo gloriam humilis adoleſcentula arbitrabatur: è contra cùm cerneret Religioſorum Cœtus Divino cultui intepeſcere à & ſtrictiori ſemita

Virtutum exemplar

Zelus ſalutis animarum & obſervantia regularis

XXV. MAII.

exercitia pietatis erga infirmas, ta declinare, per quam primi Duces iter ad Cælum paraverunt, anxiè affligebatur. Moniales infirmas frequentèr inviſebat, lectione ſacrâ reficere ſatagebat, & ad Sacramentorum frequentiam blandis verbis alliciens, ad fundendas Deo preces ſanctâ interim ſedulitate trahebat; non quærens quæ ſua eſſent, ſed quæ Jeſu Chriſti. Et quàmvis temporalibus exercitiis intenta eſſet, ejus tamen anima Divinis contemplationibus abſorpta, claris jam immenſæ Veritatis fulgoribus excitabatur: *conjuncta contemplatione:* itaque Divino amore inebriata; interdum eo vultus rubore inflammabatur, ut roſæ ſpeciem referret, oculi inſtar ſyderum fulgerent, & tota quid Angelicum exhiberet.

CAPUT II.

Ingreſſus in Religionem: virtutes monaſticæ, atque aliæ.

1552. ANno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio, ætatis ſexto decimo, tandem cum lacrymis Religionis habitum ſuſcipiendi facultate à Parentibus impetrata, Monaſterium S. Mariæ de Angelis Ordinis Carmelitarum ingreſſa eſt, nunquam ſibi feliciorem diem contigiſſe affirmans: qua de cauſa parietibus Monaſterii oſcula figebat, quibus à ſecularium rerum contagio, & à ſenſuum illecebris ſe cuſtodiendam eſſe ſperabat. Ex ea die nunquam ad crates ferreas accedere viſa eſt, niſi præcepto Superioris coacta, & quaſi tunc ad ſupplicium traheretur, memor Ambroſii docentis. [Virgo, quæ Chriſtum quærit, non debet eſſe vulgaris, non in foro, non in plateis;] crates Monialium inquiens forum, & plateas eſſe. *crates colloquutorii horret & viſitationes:* Oderat proinde etiam parentum, & conſanguineorum colloquia, ſed virorum præſertim; gnara, quòd Virginum eſt trepidare, viri ingreſſus pavere, & ad omnes viri affatus vereri. Eâdemque operâ ſedulò præcavebat, ne inanibus nugis tempus illud contereret, quod in Divinis colloquiis impendendum erat. *ſilentii obſervantiſſima:* Sciens autem cultum Juſtitiæ eſſe ſilentium, leges ejus nunquam violavit, taciturnitatis cuſtos religioſiſſima, ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Dominus reperiret.

1553. Sepulto propriæ voluntatis arbitrio, tota è Superiorum nutu pendebat, ſumma cum lætitia imperata exequebatur, licèt illa interdum cum ſua voluntate pugnarent; *obedientia ejus exactiſſima* Pauli ſectatrix præcipientis. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.] Itaque ſibi etiam in extaſim raptæ à Deo imperata, nonniſi accedente Superioris aſſenſu executioni mandabat, Apoſtoli ſermone paritèr edocta. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt; itaque qui reſiſtunt poteſtati, Dei ordinationi reſiſtunt.] Imò nedum Superioribus ex voto, ſed ſociæ nutibus parebat, ſe illi voluntariè ſubjiciens.

1554. Ad vilia quæque officia læta deſcendebat; *paupertatis cultrix,* & ſi quid interdum ad vitæ neceſſaria ſibi deeſſe contingeret, præ gaudio geſtiebat, tunc inquiens ſibi videri, quòd paupertatis limites non excederet. Copiam itaque rerum nauſeabat, & novam nunquam, ſed magis tritam veſtem perquirebat, ſolicita non fulgere nitore veſtium, ſed candore animæ; juxta D. Bernardi ſententiam. [Foris pannoſa, intus ſpecioſa.] Sic emergens è terra, ea dumtaxat appetebat, quæ ſurſum ſunt; omniumque ſeſe Virtutum exemplar abſolutiſſimum exhibens, Monialibus ſciſcitantibus, quomodo in Monaſterio converſandum eſſet, reſpondere ſolebat, oportere eo ſemper ſpiritu vivere, quem primâ ingreſſus die conceperant: fortaſſe memor Eccleſiaſtici [Fili à juventute tua excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam:] nullumque præterea privatum commodum præceptis Religionis præferendum addebat.

1555. Completo decimo ſeptimo ætatis anno, *profeſſionem emittit;* ſummo pietatis ardore Profeſſionem emiſit; ſubinde nullum detractans laborem, alienum ſubire aſſueta erat, ut reliquæ Sorores oneribus temporalibus alleviatæ, ſacris myſteriis, & orationi commodiùs inſtarent. Noctes proinde plerumque traducebat inſomnes, ut Sororum miniſteria impleret, *ſororibus mirè officioſa:* ipſæque unà ſecum dies tranſigerent in exercitationibus ſanctis. Et ſi aliquando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, miro pudore afficiebatur, quòd tantam animi libertatem modicæ carnis terminus coerceret: in illam proinde ſæviens, tenue corpuſculum flagellis cruentabat, & ad opus redibat, & ne defeſſa in aſſiduo labore interdum deprehenderetur, ægritudinem occultabat.

1556. Singulis Sabbatis ex Evangelio proximæ Dominicæ meditandi per hebdomadam argumenta deſumebat: *colloquia ejus divini amoris incitamenta:* ejus colloquia erant perpetua Divini amoris incitamenta; erat enim illi quædam lucida ingenii acies, in fronte modeſta tranquillitas, prudentiæ lumen ad regimen perſpicax, & in Cæleſtium ſermone mira facundia: quàmvis enim Latinè loqui non didiciſſet, nec ſacris Literis operam navaſſet, ſæpe tamen vel Sacri Textus ſententias referebat, vel Sanctorum dicta, & adagia, ut ſe ferebat occaſio, memorabat. Itaque annum agens vigeſimum tertium Tyruncularum illi cura demandata eſt, quarum animos ſola præſentia piis cogitationibus imbuebat, & uno oculorum ictu culpis obnoxias deterrebat; *novitiarum magiſtra, illas ſuaviter & prudenter ad perfectionem promovet;* ita ut faterentur Tyrunculæ, ſe vel leviſſimis labeculis inquinatas Præceptricis conſpectum ſuſtinere nequiviſſe: quàmvis illa adeo de ſe humilitèr ſentiret,

XXV. MAII.

tiret, ut ſuas tentationes, animique perturbationes Tyrunculis ipſis memoraret, ne præconceptâ ſuæ Sanctimoniæ opinione deciperentur. Etſi enim Sancta omnibus & videretur, & eſſet, ſe tamen omnium imperfectiſſimam, multiſque culpis obnoxiam reputabat; nempe Sanctitas illius jam omnibus nota, ſe tantùm latebat.

1557. Cælеſti quodam lumine imbuta, animarum ſtatum, & intimos cujuſque ſenſus penetrabat: aptiſſima proinde remedia animarum languoribus applicabat, ut vel vitia abigeret, vel virtute, induceret. Quare nedum Tyrunculas ſuas, ſed alias pleraſque tentationibus vexatas, ejus directioni Confeſſarii ſubjiciebant, quas ipſa ad ſolidam animæ quietem trahebat; ſuâ non fucatâ benignitate, quâ illas * condiebat, ſolabatur interdum, vel zelo, quo timorem incutiebat, & vitia perſequebatur. Quemadmodum igitur ſolo verbo animarum perturbationes pacabat, ita ſolo nutu pervicaciâ contundebat, nunquam verò alias increpabat, niſi prius conſiderationis oculum in ſe retorqueret, culpas timens, quibus carebat: hæc enim humilium perfectio eſt, illic culpam timere, ubi non eſt. Confortabatur tamen ſæpiſſimè repetens, non habere Deum obicem, quem ſibi irato poſſit opponere, ne ſontes animas dimittat impunes: & Religioſas teneri plurimùm aſſerebat, tam pro ſua, quàm pro aliorum ſalute ferventes ad Deum preces effundere.

** al. eradicebat.*

ardens affectus pro Eccleſia,

1558. Quotidiè Sanctam Eccleſiam Deo commendabat; & Sanctimoniales redarguebat, quæ diem præterire ſinerent, non effuſis pro Eccleſia precibus: aſſueta dicere, nomen ſponſæ Chriſti non mereri, quæ Eccleſiam, Dei Sponſam, Majeſtati Divinæ ſedulò non commendaret. Conquerebatur præterea, flebat amaris lacrymis, quòd non poſſet ad Chriſti ovile devias oves reducere, & infidelium converſioni operam exhibere; & hæc revolvens animo, in profuſiores lacrymas ſolvebatur, adeout cibum ſumere non poſſet, potum cum fletu temperaret, verè lacrymis ſtratum ſuum rigaret. Itaque ſi Martyrium deerat, Martyrii deſiderio planè conficiebatur, tum aſſiduis corpuſculi cruciatibus, ſemper mortificationem Jeſu Chriſti in ſe circumferens; ut vita Chriſti manifeſtaretur in corpore ſuo. Licèt verò exterior homo pro infirmitate ſua cruciatus horreret, interior tamen invictâ quidem conſtantiâ omnia poterat in eo; qui eam confortabat: & quidquid ſuo opere explere nequibat, verbo ſupplere ſatagebat. Itaque Mariam Mediceam ad Gallorum Regis connubium properantem enixè rogavit, ut hæreſes extirpari, infideles reduci, & Catholicorum filios piè educari ſtuderet.

& ſalute animarum, ac converſione peccatorum;

choro nunquam abſens:

1559. Choro niſi ægra, nec ſemel defuit: & ad ægras aſſidua, jam declamatis inſomnis aſſiſtebat, nedum viventibus, ſed vitâ functis quæcumq; exhibens pietatis officia. Præ cæteris verò ægræ cujuſdam Sororis curam gerens, naturalē fugæ affectum promptitudine ſpiritus ſupergrediens, ex fœtidiſſimo ulcere, quos horrebat infirma caro, vermiculos, & putredinem abſtergebat: cumque putres ulceris hiatus lamberet, exclamabat: [O quàm majorā paſſus eſt Jeſus pro nobis:] mentem figens in Myſteriis acerbiſſimæ Paſſionis Chriſti, gnara certam eſſe expectationem promiſſæ Beatitudinis, ubi participatio fuerit Dominicæ Paſſionis. Lingebat præterea deformes ſcabiei cruſtas, quibus corpus obtegebatur Sororis Barbaræ deBaſſis, & Mariæ Benignæ de Orlandinis, ut fusè infra inter Miracula referemus.

ægris maximè officioſa, ulcera fœtida abſtergens, & ſcabiem lingens Chriſti paſſionem recogitat:

CAPUT III.

Extaſes: abſtinentiæ, & caſtigatio corporis.

1560. EO tandem Divini amoris æſtu urebatur, ut per clauſtra tranſiens exclamaret. *O Amor, ô Amor non benè notus, non benè redamatus, tot injuriis affectus: ô quàm pauca pectora te noverunt: ego pectus meum exhibeo: veni ad cor meum, veni, ut, fovearis.* Itaque tali ferebatur impetu, ut clauſtra mirâ corporis agilitate percurreret, veſtes dilaceraret, & quicquid manibus offerebatur, procul abigeret. Mox ſibi reddita, uti magis inhians; dicere ſolebat: Quòd ſi blaſphemiis locus eſſet immunis, nec abhorruiſſet ignem inferni, modò ibi ſanctum Nomen ejus non blaſphemaret.

divini amoris æſtus mirabilis

1561. Ubi Symbolum Fidei recitabat, in extaſim rapiebatur, idque non ſemel illi evenit alloquenti Cardinalem Alexandrum Medicem, mox in Pontificatu Leonem Undecimum: plus enim ubi amabat, quàm ubi animabat, ſuo amoris pondere ferebatur. Dietim Sanctiſſimam Trinitatem ſummâ humilitate, & aſſiduis ferè laudibus adorabat: itaque anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, à die Sabbati Pentecoſtes ad diem Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis, dies, noctеſque ſuccedentes Divinâ viſione extra ſenſum gaviſa eſt, in quo raptu mane quolibet Sancti Spiritus auram ſub diverſis formis accepit; cumque in ſe rediret, ſumpto vix modico cibo, ad Divinas Horas recitandas pergebat.

SS. Trinitati valdè devota:

1562. Feriâ quintâ, & ſextâ majoris Hebdomadæ eodem anno, & milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo perſimiles raptus paſſa eſt, cum communicatione dolorum, quos Chriſtus in ſua Paſſione pertulit acerbiſſimos; ei ſcilicet porrigente Domino faſciculum myrrhæ ſuæ Paſſionis Myſteria. Interdum per tres ſuccedentes noctes ad altiſſima quæque Divinarum rerum arcana admiſſa eſt; & ſubinde, Sanctiſſimæ Trinitatis Myſteria ultra humanum captum expoſuit: cumque ad Horas Canonicas Triadi laudes caneret, adeo Divinarum Perſonarum amor urgebat eam, ut ferventi illo dilectionis adore li-

SS. Trinitatis myſteria ſupra humanum captum exponit:

queſcens, pallère, & penè confici videretur.

1563. Ipſo eodem anno cum æterno Patre admiranda habuit colloquia de præparatione ante ſumptionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: iiſque viſionibus, & Dei gratiis ad eum tandem amoris æſtum pervenerat, ut amore redundans interdum exclamaret. *O Amor te ampliùs ferre non poſſum! ô Amor in te redi; tanti Amoris incapax ego ſum*; ſtatimque gelidum fontem, vel puteum feſtinè petebat ubi inter frigidas undas brachia mergebat, & manus, illas avidiſſimo ore potabat, & ſinum aquarum copioſa aſperſione refrigerebat. Nec ſemel, cùm tanto Amoris igne ureretur, Jeſu Chriſti Imaginem ſtringebat amplexibus, eamque è Cruce divulſam propriis velaminibus detergebat jam lacrymis madidam: Interdum verò adeò lateri Crucifixi os applicabat, quaſi inde ſuaviſſimum liquorem ſugeret. Semel à Deo annulo ſubarrata eſt; aliquando coronâ ſpinarum redimita; & à D. Auguſtino bis ſuper cor ejus inſcriptum eſt characteribus aureis, vel ſanguineis; Verbum *Caro factum eſt*; ejuſque Sancti felicem animam in extaſim rapta ſuſpexit.

Amore divino exæſtuans aqua frigida infuſa, & ſumpta refrigeratur

à Deo annulo ſubarrhata, & ſpinis redimita;

cordi ejus inſculptum à S. Auguſtino Verbum Caro factū:

1564. Deum tandem orabat, ut nullo jam vel Cæleſti oblectamento ipſam recrearet, quæ ut perfectiùs, & puriùs inſerviret, nullo jam erat confovenda ſolatio, ſed corporis tantùm robore munienda ad ferendum fortiùs; vel ſaltem cæleſtes favores, quos ſibi Sponſus dignabatur impertiri, arcano tegeret velamento; Sancti Leonis memor docentis: [Fratres, quantum poſſumus, elaboremus, ut quod ſuperbia tumidum, elatumque reddit, humilitate, & manſuetudine complanetur.] Nec non ſapientis adagium apprimè intelligens, quòd. [Ubi humilitas eſt, ibi ſapientia eſt.] Quæ de ſe Scripta, deque ſuis Viſionibus penes Sorores reperiebat, comburere ſolebat; intimam animi modeſtiam, ſuique contemptum, oculis, ac vultu perpetuò demonſtrans.

humilitas ejus, ſuique contemptus:

1565. Quinquennio panis, & aquâ tantum illi cibus fuit, & potus; proximo autem biennio à Medicis imperata modicum vinum adjecit aquæ, & Dominicis diebus Quadrageſimali cibo veſcebatur. At cum voluiſſent Superiores experiri, an Deo annuente tali abſtinentia afficeretur, mitiorem illi eſcam appoſitam ſumere coacta, eam difficultatem gluriendo patiebatur, ut ſingultibus penè deficere videretur. Mirabilem ideo in tam rara abſtinentia vitam tranſigebat, & nudis incedebat pedibus, quàmvis glacies urgeret, donec pedibus omnino impedita, aliena tantùm ope progrederetur. Adhuc tamen exultans, ut gigas ad currendam viam, ad Cælum feſtina properabat; & licèt morbi ſecus illi ſuaderent, eò tamen anxio caſtigandi corporis ardore æſtuabat, ut integras noctes in oratione tranſigeret, ferreo cingulo, & ciliciis carnem tereret, ſpinea corona caput transfigeret, liquenti cera ſe interdum uſtularet. Quaſi verò ad ſummum virtutis perveniſſet, ad exitum properabat; ubi enim incremento locus non eſt, occaſus prope eſt.

quinquennio ſolo pane, & aqua victitat:

corporis caſtigandi anxius ardor

1566. Vigiliis itaque, & corporis caſtigationibus confecta, cum D. Auguſtino ſentiebat, inquietum eſſe cor noſtrum, donec requieſcat in Deo, & rationabili creaturæ nullo modo ſufficere ad beatam requiem quidquid Deo minus eſt; omnemque copiam, quæ Deus non ſit, egeſtatem videri; nihil proinde animam implere, niſi Deum, ad cujus imaginem facta eſt. Conquerebatur propterea, quòd incolatus ejus prolongaretur, & cupiebat diſſolvi, cum Chriſto perenniter permanſura,

Vigiliæ:

CAPUT IV.

Ægritudo ultima: obitus: miracula: & eorum approbatio.

1567. Ægra, jam penè confecta, delicatiorem ſibi delatum cibum, quaſi illo non indigeret, ſui prorſus oblita ad alias ægrotas mittebat: adeoque cultrix Caſtitatis erat, ut ſe jam ad aliam lecti partem vertere non valens, ægre-ferret Sororis manibus tangi; jucundius ſibi inquiens in ſtrato marceſcere, quàm aliena manu contrectari: & jam prope moritura, à Confeſſariis expetita, ingenuè faſſa eſt, ne cogitatione quidem cognoviſſe unquam, quidnam eſſet, quod Caſtitatem deformaret. Hunc verò pudicitiæ candorem à Beatiſſima Virgine ſe accepiſſe aſſerebat, quæ eam in extaſim ſemel raptam nitidiſſimo velo operuerat, quo circumdata, nulla unquam labe potuit pudicitiæ candorem denigrare.

ægra tangi manibus Sororum non vult, cultu caſtitatis:

Caſtitatem ſervavit nitidiſſimam ope Deiparæ.

1568. Tandem quinque menſium ægritudine afflicta, invictæ patientiæ documenta præbuit: & Sacramentis de more munita, eximia animi demiſſione à Monialibus veniam poſtulavit, omnique mortis timore excuſſo, futuram tantùm vitam meditando, Sorores, ut bono eſſent animo, ſolabatur. Circa horam ſeptimam Confeſſario ſibi aſſiſtenti dixit, ad quieſcendum pergeret; adhuc enim ſibi ad mane proximum vita ſupererat. Morti proxima Symbolum Fidei, quod loquelæ uſu deſtituta recitare nequibat, à Sororibus recitari nutibus imploravit, eoque inchoato in extaſim rapta eſt; & quaſi tunc prælibaret felicia illa gaudia Paradiſi, agenti animam quædam æternæ Felicitatis, & Beatificæ fruitionis dulcedines in ejus vultu collucebant, quæ tamen adhuc à profundæ humilitatis indiciis eam minimè ſegregabant.

1569. Mane cùm Confeſſarius, Sacrum facturus, ſtolam indueret, à Monialibus admonitus eſſet, ut ad Mariam Magdalenam agentem animam accederet, reſpondit. *Dicite illi, ut quam vivens exhibuit obedien-*

obedientia juſſu animā retinet ad tempus:

XXV. Maii. *dientiam, præſtet pariter moriturę, & me expectet, donec, Sacro peracto, Sorores ſuas cæleſti Pane refectam.* Hæc audiens Maria Magdalena, quæ uſque tunc penitùs obmutuerat, quaſi ab interitu revocata, ſubridens inquit. *Benedictus Deus:* potum poſtulavit, & animam retinuit, donec Sacrificium compleretur, & Moniales à Sacro Convivio unà & Confeſſarius rediiſſent. Tunc verò innocentem animam, qualem à Deo acceperat,

moritur: Cælitum choro inſerendam Servatori reſtituit, die vigeſima quinta Maji, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, ætatis quadrageſimo primo. In qua brevi vitæ periodo explevit tempora multa, & mortem obiit pretioſam in conſpectu Domini.

magnus ad eam hominum concurſus: Proximà die corpus ejus ad Eccleſiam elatum eſt, tantaque hominum multitudo accurrit, quæ veſtes illius intercideret, ut poſtes Eccleſiæ occludere neceſſe fuerit.

In feretro faciem avertit ab homine lubrico Interim illud accidit admirabile, quòd cum B. Virginis facies ad ſiniſtram declinaret, extemplò dextrorſum vergere viſa eſt, quàmvis feretrum nullo motu ageretur: & compertum eſt, à ſiniſtris adſtare proſtitutæ vitæ adoleſcentem, quem neque exanime Virginis corpus ferre potuerat. Sacrum pignus humo traditum eſt ſub ara Templi majori, humido quidem loco; ubi tamen per annum quievit incorruptum, quàmvis veſtes ex humiditate loci penitùs conſumptæ eſſent.

poſt annum à ſepultura corpus incorruptum, ſuaviſſimi odoris: Indè tranſlatum, ſuaviſſimum liquorem, uti balſamum, è tibiis emiſit, variis medendis languoribus ſalutarem. Ad præſens verò corpus etiam incorruptum manet leniſſimo fragrans odore.

1570. Condito cadavere, fama tamen Sanctitatis, & Miraculorum magis inde gliſcere viſa eſt.

mox à morte gliſcit miraculis: Quare editi ſunt Proceſſus informativi auctoritate ordinaria, quibus mox in Congregatione Sacrorum Rituum per bo. mem. Cardinalem Urſinum relatis die decima Februarii, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto,

ideò facti Proceſſus informativi: Sacra eadem Congregatio conceſſit litteras Remiſſoriales ad ſumendas probationes in genere, & in ſpecie; & cauſæ diſcuſſionem Sacræ Rotæ Auditoriò tunc de more commiſit. Advectis ad Urbem Proceſſibus Florentiæ compilatis,

in ſacra Congregat. Rituum miracula ejus examinantur. Sacra Congregatio die quarta Aprilis, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, referente bon. mem. Cardinale Pio, cenſuit conſtare de illorum validitate. Die verò vigeſima quarta ejuſdem præterea declaravit conſtare de Virtutibus in gradu heroico. Et ſecunda Maji, proxima quæ ſequuntur Miracula approbavit: nempe dum viveret.

& approbantur XVII. ſequentia: 1571. Maria Magdalena ſuens, vel pingens repentino mentis exceſſu corripiebatur, at fixis licèt in Cælum oculis, ab incœpto opere non ceſſabat, illud ita perficiens, ac ſi illi tantùm intenta eſſet: idipſum verò Moniales exploraturæ, an videlicet aliquo oculorum miniſterio opus expleret, feneſtras claudebant, oculos illi faſciis velabant: ipſa tamen immobilis, & extra ſenſum eodem planè modo opus proſequebatur, & abſolutiſſimè perficiebat.

1572. Soror Maria Catharina de Chellis ab ulcere, ex quo pars oſſis putrefacti Chirurgus extraxerat, acerbiſſimis conficiebatur doloribus, per Beatam faſciis obligata, à doloribus illicò, & ſubinde ab ulcere liberata eſt: Soror Fides per annum adverſa valetudine laboraverat, & nervorum omnimodà attractione impedita, lecto hærebat immobilis, acerbiſſimis excruciata doloribus. Accepta è manibus Beatæ Imagine Deiparæ Virginis, cum qua ſuper illam Signum Crucis produxerat, momento ſanatur.

1573. Catharina de Spinis à dæmone obſeſſa, ad Beatam perducta eſt, ſtatimque diriùs, acriùſque vexari cœpit; at Signo Crucis ſuper eam per Beatam producto, dicto citiùs dæmon abſceſſit. Soror Barbara Baſſa tabifica ſcabie, lepræ non abſimili, vexabatur, à Medicis deſperata; lambit Maria Magdalena ejus ulcera, & ægra evadit prorsùs incolumis.

1574. Sorori Mariæ Benignæ de Orlandinis fœtidà ſcabie laboranti per ſexquiannum, jam in lepram deſitura, lambit pariter Beata partes affectas, & morbus evanuit. Soror Pax de Columbinis totius ſiniſtri lateris apoplectico morbo correpta, ter tribus ſucceſſivis diebus ſuper ægram per Beatam Signo Crucis producto, prima die lateris ſenſum, ſecunda motum, tertia integram ſanitatem recepit.

1575. Cherubina Rabatta peſſimo ulcere in capite affecta, febri, & acerbiſſimis doloribus torquebatur, à Medicis derelicta; ter autem per Beatam ſuper ægram Signo Crucis producto, ulcer, dolor, & febris abſceſſerunt. Ipſa eadem Cherubina alio ulcere, & lethali febri correpta, & extrema unctione munita, ferè agebat animam; tetigit ſtramentum, in quo jacebat Beata, & ſtatim ſe ſanam reperit.

1576. Poſt mortem verò: è tibiis corporis Beatæ integri, & incorrupti diutinus liquor effluxit, mirè fragrans, variis medendis languoribus ſalutaris. Maria de Rouanis decimo jam ſexto menſe lethali febri proſtrata, & vitæ ſpe penitus deſtituta, ad pectus admoto ſibi florum faſciculo, qui Beatæ recèns defunctæ Corpus contigerat, repentino ſomno corripitur, nec multò poſt expergefacta è lecto deſilit prorſus incolumis. Eadem Maria poſt quadriennium rurſus moleſtiſſima febri, variiſque morbi ſymptomatibus in diſcrimen vitæ adducta, ſtomacho pulvillum, quo Beata dum viveret, utebatur, applicavit, & priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. Elapſis ſubinde menſibus, febri, & acerbiſſimis ſtomachi doloribus aggreſſa, ſpatio integri bimeſtris lecto decubuit; ſtatimque ac tunicam, qua Beatæ corpus amictum fuerat, ſuperinduit, evaſit incolumis. Poſt annum paritèr in febrim incidit,

qua

XXV. Maii.

qua per bimeſtre proſtrata eſt; producto tamen ſuper eam Signo Crucis cum velo, quo vivens Beata utebatur, ſanitatem recepit.

1577. Catharina de Taſſis duodenario ſtomachi dolore dirè exagitata, dolore capitis cum vertigine, & febri ſuccedentibus, propè jam moritura, particulam veſtis Beatæ ſtomacho admovit, & ſomno ſtatim correpta eſt; mox expergefacta, ſe doloris, & ægritudinis moleſtia liberam reperit. Magdalena de Rondonis ſex annorum ſpatio confirmatis doloribus, quibus totum corpus excruciabatur, jam declamata, applicitis corpori veſtibus Beatæ, voto vix nuncupato, ſanatur. Petrus de Allis Romanus febri & doloribus jam penè confectus, ſuperinduto velo Beatæ, illicò convaleſcit.

Beatificatio, & cultus:

1578. Exinde Sacra Congregatio permota eſt, ut Decretum ederet, poſſe quandocumq; tutò deveniri ad ſolemnem B. Mariæ Magdalenæ Canonizationem, & interim illam Beatam nuncupari, & venerari. Die vigeſima ſecunda Auguſti univerſo Carmelitarum Ordini indulſit, ut illius Officium, & Miſſam reſpectivè recitare, & celebrare poſſet. Die decima quinta Januarii, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, hujuſmodi Indultum extendit ad univerſam Ditionem Florentinam.

miraculū poſt Beatificationem à ſac. Congregatione diſcuſſa, & examinata:

1579. Poſt noviſſima autem Decreta ſanctæ mem. Urbani Octavi, die prima Aprilis, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, Sacra eadem Congregatio cenſuit, conſtare de caſu excepto, nempe de Cultu Beatæ exhibito auctoritate Apoſtolica, & compilatis ſubinde Proceſſibus ſuper his, quæ Beatificationi ſucceſſerunt, iiſque ad Urbem advectis, & in Sacra Congregatione diſcuſſis, primò declaratum fuit, conſtare de illorum validitate, die ſcilicet quarta Octobris anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Et die decima Septemb. proximi præteriti anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi octavi, conſtare de quinque Miraculis, poſt indultam Venerationem ſequutis. Nempe continuationis incorruptionis, & fragrantiæ corporis Beatæ. Nec non duplicis multiplicationis olei in Monaſterio Sanctæ Mariæ Angelorū Florentiæ anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto; & anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto: primæ ſcilicet, inſumendi in lampadibus per octiduum arſuris in celebratione Solemnium Beatificationis ipſius Beatæ: ſecundæ verò olei prædicti, in urceum ferè vacuum effuſi, quod ſubinde ſatis fuit indigentiis Monaſterii per integrum quadrimeſtre, nec multiplicare deſierat, donec novum oleum collectum eſt. Necnon reſtitutionis viſus Mariæ Angelæ Gorinæ guttâ ſerenâ per biennium orbatæ, quæ ope Beatæ Mariæ Magdalenæ imploratâ, ſtatim perfectè vidit.

VITA

Ex R. Dom. Vincentii Puccini opere de vita, & divinis illuſtrationibus ipſius S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, contracta, digeſta, & Latinitate donata, per R.A.P. Leonem à S. Ioanne, Ordinis Fratrum B.me Virg. Mariæ de Monte Carmelo, Provincialem Turoniæ, exindè Aſſiſtentem Generalem R.mi P. Generalis ejuſdem Ordinis, Regis Chriſtianiſſimi Concionatorem ordinarium.

CAPUT I.

Patria, proſapia, Nativitas, vita in ſeculo.

Vita S. Mariæ Magd. de Pazzis admiranda æquè & imitanda:

1580. Noſtri hujus Ævi pietatem priſcæ plurimum decedere, nimis in comperto eſt. Intereà nequaquam abbreviata Dei manus, homines ſubindè in Orbem inducit ſanctitate conſpicuos, qui aliis cedant in exemplum. Ejuſmodi fuit beata Soror Maria Magdalena Pazziana, novum Carmeli ſidus. Vitam certè illius tot virtutes exornant, tot eximiæ dotes nobilitant, totque illuſtrant ſtupenda; ut in ambiguo ſit, pluſne imitationis, quàm admirationis promereatur.

Florentiæ naſcitur an. MD.LXVI.

1581. Florem hunc extulit Florentia, hortus Italiæ amœniſſimus. In ea ſiquidem Ætruriæ Urbe primaria, nata eſt, vixit Monialis, tantâque demum ſanctitatis famâ devixit; ut annis poſt obitum non plus viginti, Beatorum Albo inſcripta ſit ab Urbano VIII. Pontifice Maximo. Patri nomen M. Camillus Geri Pazzianus, Matri Laurentia Boudelmontia. *parentes:* Ambo probitatis commendatione, & Nataliū ſplendore illuſtres. Ex iis nempè Familiis, quas Magnatum appellant Itali; quin & ipſa Pazziana, inclytæ Mediceæ affinis. Gravida Mater ab ſuetis faſtidiis libera, felicem partum edidit ineunte Aprile, ceu deberet Flos ille caſtitatis, vere ipſo germinare. *nominatur Catharina:* Dum aquâ luſtrali fit Chriſtiana, inditum illi nomen Catharinæ; ſive quia Divam ſingulari cultu erat proſequutura, ſive quoniam eximias illius virtutes erat imitatura.

indoles præclara:

1582. Etquidem in illa aurora, tot emiſit virtutum radios, ut præter annos & artus nihil haberet puerile. Dicique vix poteſt, quàm erat tunc blanda, docilis, morigera.

indoles præclara;

rigera. Flucebat in formoſo corpuſculo præclara animi indoles, innataq; decori modeſtia procul à nugis & crepundiis, admixta gravitati felicitate, amorem perindè ac reverentiam Puellulæ conciliabat. Paulatim deindè adoleſcens, non obſcura prodidit integritatis & prudentiæ ſpecimina; otioſos ſermones, vanaſque confabulationes, mirâ prorſus induſtriâ declinans. Una tunc illi voluptas frui Eccleſiaſticorum & Aſcetarum colloquiis; quos de ſtudio virtutum, deque ineunda ſalutis via conſuleret. Ardebat verò imprimis, de altiſſimo Trinitatis myſterio frequentiùs erudiri.

gratia in illa præveniens;

1583. Nondum plenariè ſeptennem prævenit in benedictionibus dulcedinis, cæleſtis Providentia, quæ [à fine ad finem attingit fortiter quidem, ſed ſuaviter diſponens univerſa.] Jam enim ceu per gradus, puellam gratiæ vis attollebat ad culmen perfectionis Euangelicæ. Jam aſpirabat illi numen, cordis munditiem incredibilem, mirabilem totius vitæ paraturam, prolixamq; adverſus Pauperes & egenos miſericordiam. Fraudabat ipſa ſe ſuis commodis, ut proximis indulgeret: largiebaturq; Mendicantibus & Incarceratis jentacula ac merendas, teneræ adhuc ætati conſuetas. Ardebat verò vehementiùs Orationem Dominicam, Symbolum fidei, cæteraq; id genus alios edocere Quia porrò id agitur Ruri commodiùs, illic tota erat in iſtiuſmodi rudimentis. Contigitq; ſemel, dum reduceretur Florentiam, ut collacrymaretur effuſiùs, eò quòd non vacaſſet filiam Villici, in myſteriis Fidei pererudire. Nec aliter comprimi potuit fletus innocens, quàm ductâ ſecum Ruſticanâ.

primi guſtus vitæ interioris;

1584. Sub id quoq; tempus prægustavit non parum ineffabiles delicias vitæ interioris, recollectionis, mentaliſq; Orationis. Jam ſatagebat cæleſtis ſponſus Catharinæ animum unire ſibi glutino amoris, cujus vim neſcit qui non experitur. Ne verò hæc inter illuderetur ab hoſte teterrimo, cui ſolemne eſt in Angelum lucis ſeſe transformare; optimo ſemper Confeſſore uſa, ab illius ductu & conſiliis omninò pendebat. Eo tunc munere fungebatur Andreas Roſſius è Societate Jeſu, cui ſe totum credebat; Dei ipſius imperium reverita, dum Patri ſuo ſpirituali per omnia ſe exhibet obſequentem. Sub illius regimine, hanc ſibi in mentali oratione Methodum præſcripſerat.

rudimenta orationis mentalis;

1585. Præmiſſâ lectione è libello pio, cui Author Gaſpar Loartes, ejuſdem vir inſtituti; lectori altè inſculpebat ſenſum rerum cæleſtium, & æternarum. Mox demiſſo animo provoluta in terram, recitabat Antiphonam, VENI SANCTE SPIRITUS; unà cũ CONFITEOR; [quia juſtus in principio Orationis, accuſator ſui eſt]Tum pernici mente ſupra ſe, ſupraq; omnia evolans penetrabat ſe totam in Dei ſinum; ubi hauriebat ſuavitates æternitatis ineffabiles. Sanè enim in hiſce divinis oſculis, ſupra Nectar & Ambroſiam ſuaviſſimis, uſque eò delectabatur; ut abiret procul ultra ſtatutum orationis terminum. Inde illi ſitis & fames Dei tanta, ut nihil quæreret ardentiùs quàm ſecreta domus & penetralia. Iſticq; ſæpiùs reperiebatur à domeſticis, extra ſe poſita, corpore ſine ſenſu, animo divinarum rerũ contemplationi hærente. Indeq; adinſtar Magdalenæ aſſueſcens Chriſti pedibus ex illius familiari convictu, geminam didicit vitæ inſtituendæ præceptionem; quâ & mentem cæleſti ſponſo jungebat ſemper, & corpus jugi mortificationis ſtudio exercebat.

duplex ſtudium:

1586. Hinc ſiquidem Dei fame eſuriens, anhelabat ſemper ad frequentem Synaxim. Idq; tanto cum ardoris impetu ut applicaret ſe propiùs Matri, aliiſq; ſacræ menſæ accumbentibus; hauſtura ſcilicet divinum odorem panis hujus Angelici; vixq; ab illis niſi admodùm violenter avellenda. Ubi verò licuit per ætatem & Myſtagogum, diuiniſſimo Sacramento participare; tantus porrò erat animi ardor, ut hoc cæleſti igne liquefacta, tota ſolveretur in lachrymas gaudii & delectationis tenerrimæ. Econtra vultus illi triſtitiâ & mærore depreſſus, quoties non vacabat cæleſti hoc epulo recreari. Inq; ipſo die Jovis Sancto, quo tanti myſterii inſtitutio religiosè à Chriſtianis recolitur; memor vinũ illud Altaris Virgines germinare: altèque recogitans quanam ratione Dei erga genus humanũ in hoc Sacramento amori vicem rependeret, injecto divinitùs conſilio, Virginitatem Chriſto conſecravit.

amor Eucharistiæ:

Virginitatem vovit.

vita auſtera;

1587. Indè quoque votum ingens & ardens Chriſti Servatoris ſui vitam laboribus & ærumnis plenam, neciſq; crudeliſſima tormenta jugiter *imitandi*. Cumque ſcopus illi ſemper fuiſſet vita monaſtica, rudimentum iſtius poſuit in cunctis auſterioribus delibandis. Quibus certè adhuc juvenis admodum innotuit, ſciunt quemadmodum inito divortio ſolemni cum nugis, blanditiis, deliciiſq; puellaribus in id porrò unum incumbebat ut animum, carnemq; crucifigeret cũ concupiſcentiis. Sic nimirum informata, nulli non obediebat ſumma cum animi dejectione; ſui judicii aciem retundens, amoris proprii igniculos extinguens, naturæ nihil planè concedens; ne multa, corpus innocentiſſimum affligens ciliciis, jejuniis, vigiliis, flagellis acerbioribus. Ex Apoſtoli præcepto, [Mortificationem Jeſu ſuis in membris latè circumferebat.] Credes id profectò non difficultèr, ſi recordaris nuſquam otiari divinum amorem [à Spiritu Sancto noſtris in cordibus diffuſum] Immo actuoſiſſimum id præcipuè operari, ut ſimiles nos Chriſto efficiat; qui cùm Deus eſſet extra telum & ictũ noſtram induit mortalitatem, ut illud exemplar haberemus. Eo nimirum ardore ſuccenſa, ſpineam ſibi coronam contexuit, In eaq; capiti duriùs aptata pernoctare ſuſtinuit, ut nimirum capitis ſui Chriſti dumos ac tribulos eo facto imitaretur: dicam ampliora, quibus à fructibus Arbor dignoſcetur.

amor Dei actuoſus;

ſpinea corona:

1588. Cortonam, Urbem Æturiæ, profecturi

XXV. Maii.

deponitur in Monaſterio:

ſecuturi Parentes Catharinæ, hanc, ſuadente R. P. Blanca Collegii Societatis Jeſu Rectore, cogitant relinquere in Parthenone S. Joannis Florentino. Illa perquàm ultrò aſſentitur, dum illi fas ſit ſingulis feſtis accedere ad ſacram Synaxim. Eo nimirum clauſa ſacrario, totam ſeſe dedit rebus divinis. Certè oratio illius tā continua, ut ſæpè ſæpiùs ultrà horas quatuor prorogaretur. Notitiæ tā exquiſitæ, lumina mentis adeò ſublimia, ſenſuſque ita ſecreti & arcani virtus, ut verbo dicam, tam emendata; ut communi omniū Monialium voto, hanc ſuo cœtui aggregare peroptarent. Adeò conſtans illis erat præſagitio, ex hacce aurora ſolem oriturum, cujus radiis inclareſceret æquè & incaleſceret Orbis univerſus.

nuptias reſpuit:

1589 Verùm aliter viſum Omnipotenti Deo, cujus ſub nutu vitæ cujuſq; momenta decurrunt. Cortonā igitur Florentiam reverſi Parentes & ipſa domum revocatur. Moxq; [ceu inimici hominis eſſent ejus domeſtici] in diverſa provocatur. Urgetur ad nuptias perquàm inſtanter. Virgo interim concepto à ſe voto impreſſius hærens, generoſiùs repoſuit vitam ſe monaſticam quibuſvis thalamis anteferre. Ea ſcilicet animi conſtantia & firmitudo Parentes tetigit, cetera pios; veritique reluctari ſupremi Numinis voluntati, exuto affectu quo filiam, utpotè unicam, complectebantur; totum id negotii, Deo permisêre, & Catharinæ directori.

vocatio monaſtica examinatur:

1590. Ut ergo maturiùs in re tanti momenti procederetur, vocationem aliquandiu examinandam communis ſententia fuit. Propoſitum eo fine Monaſterium vel S. Crucis, vel S. Mariæ de Angelis. Inclinabat vehementiùs in primum, quoniam iſtis ex S. Dominici inſtituto peculiare eſt perquàm rarò videri à ſuis. Prælegit nihilominùs alterum Carmelitarū, de quo audiebat in ceteris, patere ſingulis diebus acceſſum ad Synaxim. Utq; illud vitæ genus experiretur, Cœnobiū ingreditur in ipſa Aſſumptæ Virginis feſtivitate, ibiq; manſit dies omninò quindecim. Mirū verò dictu eſt quot illic virtutum exempla dederit, quot viciſſim receperit à Religioſo cœtu; quem ergà ſe ſic ſenſit affectā, ut avelli non potuerit niſi Parentum imperio. Manſit ergo apud eas menſes tres, partim ut id daret pietati; partim ut per mille obſtacula probaretur ejus vocatio. Vicêre tandem preces importunæ, &, quæ oſtendebat, mundi faſtidia.

CAPUT II.

In Carmeli Ordinem introitus, Novitiatus, Profeſſio, Vitaque in Monaſterio privata.

1591. IN ipſo Adventûs pervigilio repetiit, monaſterium; ipſoq; die Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ, Ordinis noſtri Patronæ, omnium Monialium ſuffragiis recepta eſt ad Carmeliticum habitum, quo induta fuit die 30. Januarii ſequentis. Fert natura plantarum genus, quæ ſoli mutatione manſueſcunt in flores, fructuſq; longè ſuaviſſimos. Non aliter noſtra Pazziana tranſlata è cœno in cælum, è ſeculo in Clauſtrum. Tūc enim verò ſenſit multò efficaciora gratiæ vocantis auxilia inſtinctuſq; ardentiores ad virtutem, cujus non perceperat in ſeculo niſi rudiora rudimenta. Mox etenim [aſcenſiones diſponens in corde ſuo, ivit de virtute in virtutem, donec illi ſe manifeſtarit Deus,] luce illā, & divinis conſolationibus perfundens. Inſtatq; miraculi fuit Novitiā *Mariam Magdalenam*, (hoc enim nomen induit cum veſte ſacra,) ſummam profectionis profiteri. Simul viſa & Monaſticam aggredi, & enitiad ſanctitatem; adeò fundamenta habuit ipſum verticem. Induta recipit imaginem Chriſti crucifixi, cantantibus in Choro illud Pauli ſacrum celeuma; [Abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.] Illicò ſenſit Novitia neſcio quid in intimis medullis uſq; adeò vivum, efficax, ac penetrans; ut nihil umquam ſimile reliquo vitæ curriculo, expertā ſe affirmaret. Seq; urgeri ſemper memoriā divini hujus inſtinctûs, ad perfectionem generoſiùs comparandam. Principio ut planè [exhiberet ſe Deo hoſtiam viventem,] totā ſe Superiorum voluntati mancipavit; in omni diſciplina regulari obſervantiſſima.

anno 1582. die 8. Decemb. recepta ad Carmeliticum habitum quē amicta anno 1583. die 30. Januarii:

eximia devotionis ſenſus:

virtutes in Novitiatu:

1592. Angelum dixiſſes in convictu familiari, adeò manſuetè agebat cum univerſis potenterq; accendebat fervorem in Novitiatu. Perfectā ęquanimitate imitabatur plagam illam ætheris, ubi nulla tempeſtas. Unde illi pax interior, quę lucebat admirabiliter in ipſa oris & frontis compoſitione; quamq; nulla uſquam nubes inobſcurabat, adeò conſtans erat & tranquilla inter vitæ hujus adverſa. Quem certè præcipuum orationis mentalis divinæq; præſentiæ fructum, norunt, qui in vita ſpirituali aliquid norunt. Verborū parciſſima, vix umquam niſi rogata loquebatur. Nec alius illi uſus linguæ & vocis, quā Dei laudes & proximi ædificatio. Imprimebat in aliis vita illius Sanctiſſima, [æmulationē meliorum chariſmatum.] Accendebatq; in Novitiatu fervorē, quo certatim ſatagebant omnes Chriſto ſeſe offerre victimas tum puritatis, tū mortificationis. Abs uno, codemq; humilitatis ſenſu, duplex in Novitia effectus oppoſitus. Suas ipſa nimirum virtutes ſemper accuſabat, culpas in aliis excuſabat, flectebatque porrò ad ſuam utilitatem. Ac licèt jam tunc paſſim crederetur altiùs ſubvecta, gratias nihilominus dona noverat tam ſolerter abſcondere ſub humilitatis velo; ut vocaret ſe ſubindè ſervā inutilem; ſuaſq; leviſſimas culpas, ceu graviſſima crimina publicè accuſaret.

1593. Procedebat cum anno tirocinii clara virtutibus, quas præſertim commendat Regula Carmelitarū. Jamq; appetente Profeſſionis tempore, illam modis omnibus perurgebat. Atq; ut amor ſincerus morarum impatiens eſt, referente matrum conſilio expectari debere ſocias, ut omnes inſimul vota emitterent; illicò reſpondit noſtra Magdalena,

XXV. Maii. na, cum ſingulari tamen modeſtia: Equidem non habebunt me ſociam in votis nuncupandis Sorores aliæ, quandoquidem non ſine vehementi dolore eveniet, ut ſolam admitti

Profeſſionem emittit an. 1584. die 27. Maji, feſto SS. Trinit. cogat neceſſitas Rei veritatè docuit eventus. Actutum corripitur Magdalena febri peracutâ, tuſſiq; immani, breviq; morbo ingraveſcente, tendentem ad ultima deſerunt medici quatuor è peritioribus; faſſi ſe quidnam eſſet morbi, planè prorſus ignorare. Tuncque porro, ut fit in extremis, cenſuêre Moniales illam non excedere è vivis niſi votis ritè nuncupatis. Præſtitit id ipſo die Sanctiſſimæ Trinitatis; novoque fervore validior, obtinet tandem, licèt viribus attrita, deferri coram altari Beatæ Virginis, ubi ejuſmodi cultum peragere ſolemne erat.

ſanata miraculosè: 1594. Votis emiſſis, relata in valetudinarium, rogat curatrices, ut clauſo tantiſper lectulo, liceret illi conquieſcere. Elapsâ jam pluſquàm horâ admiratæ ſilentium, tuſſiſque ipſius præſertim vacationem, thalamum tandem ingrediuntur, reductiſque conopæis obſtupeſcunt rei novitate. Viſebatur monialis non ampliùs languens, emaciata, pallidaſ ſed quiete fruens, ſomnoque verè extatico. Color illi vividus ac purpureus, vultus radians ſolis inſtar, obtutibus

prima extaſis: in Chriſti imaginem defixa. Verbo dicam Seraphino longè ſimilior, quàm ut anteà jam jam morituræ. Tot fuêre teſtes primæ hujus extaſeos, quot erant in Conventu Moniales. Placuitque ſupremo largitori Deo id miraculi extendere totos dies quadraginta; velut eximio erga illam amoris privilegio ſupra cæteros, quibus dona ejuſmodi non cedunt niſi tranſitoria. Singulis quippè diebus manè poſt ſacram Synaxim rapta extra ſe patiebatur divina, tanta cum animi voluptate, & cœli deliciis, ut cedente vi morbi, contra medicinas hactenùs pertinacis, mox reſtituta ſit integræ valetudini. Efficit rei novitas ut ſeorſim à Novitiatu, locus illi alius deſtinaretur; ubi liberiùs vacaret Deo, vocanti, ad inſueta. Contra nitebatur Magdalena ægrè ferens, ſi quid in ea crederetur ſingulare & eximiū. Obtinuitq, lachrymis & precibus; ut inaliarū contubernio viveret. Opus enim mihi præ cæteris, aiebat modeſtiſſimè, erudiri in diſciplina regulari; admoneri de meis peccatis, & in omnibus aſceticis impenſiùs exerceri.

1595. Quia porrò indies magis ac magis augebantur Dei ſuam erga famulam inſolita beneficia; committitur ſpeciali curæ Matrum Euangeliſtæ Jocundæ, & Magdalenæ Moriæ, Ambæ videlicet noverant vias Domini, in ſpirituum diſcretione animarum experitiſſimæ. Illis ſe miro candore aperuit noſtra Magdalena, gnara obedientiæ ſacrificium cæteris anteponi, ubi præſertim metus à Dæmonio meridiano. Eâ adverſus Superiores obedientiâ ſimplici, obtinuit ut

Theodidacta evadit. fieret Theodidacta: doceretur q. immediatè à Deo, per unctionem Spiritûs in ſcientia Sanctorum. Patuit id toto vitæ curriculo, in ſchola Chriſti valdè admodùm exercitæ; non ſolùm faciens ſed & patiens divina.

1596. Et verò fortè fortunâ dum aliquando in rebus Monaſterii occuparetur, *21 Maji an. 1585.* ſentit ſe vocari interiùs in Novitiatum Vix eò acceſſerat, cum vi majore in terram dejicitor, jacuitque illic diu ceu mortua; donec *novum vitæ* ſibi tantiſper reddita, ingemuit; [*Domine quid me vis facere.*] Reſpondit, velle ſe, ut *genus illi à Deo præſcribitur:* ſæculi crimina expiaret, illam vitæ genus capeſſere valdè inſuetum; in ſolo pane & aqua, exceptis diebus feſtivis, quibus cibis quadrageſimalibus uti liceret. Viditque ſtatim haud procul quibus præmiis Deus illos remunerat, qui intuitu illius ſpoliant ſe omnibus vitæ oblectamentis. Indè illicò maximo cum fervore exclamat, *ô mi Deus, quàm locus iſte amœnus, & omni felicitate exuberans! ſed heu me! quot ad illum aſpirantibus dura, & aſpera ſubeunda! Ah! ſi ſaltem id ſatis eſſet omnium ſaluti, quàm ultrò in iſtis acerbis perdurarem! Quanta porrò Verbo tuo gloria, ſi aliquid mihi tolerandum pro aliorum ſalute. Hem Domine mi, his ſaltem eris contentus?*

1597. Rediêre illæ eædem extaſes poſtridiè, ac nudius tertiùs. *extaſes frequentes:* Nam in omnium cœtu humi impacta, eruditur ſigillatim in auſtero illo vivendi genere; ſecura de viribus contra eos omnes qui ejuſmodi Dei imperiis erant reluctaturi. Promiſſaque illi tunc protectio nominatim S. Agnetis, ſanctiſſimæque Deiparæ, Chriſtique paſſionem illius cordi imprimendam, ut illius & faciliùs, & efficaciùs recordaretur. Ne de cætero, Sathanam pertimeſceret; cujus artes ipſa eluderet, impetus reprimeret. *Nihil plane metuas, filia chariſſima,* ait illi ſemel Pater æternus; *viriliter age, & eſto robuſta in omnibus inſpiratis. Macte animo. Nam ſi præceptis meis obedientem te exhibueris, juxta meam, meique voluntatem Unigeniti, qui tam prolixè ſe mortalibus indies indulget; erit mihi anima tua ſedes & hortus delicioſiſſimus, ſicuti fuit huc uſque. Verùm ut mihi perplaceant tui amoris effectus, fac illos ante omnia voluntarios, ſacrificium enim cordis quæro ab hominibus.* Poſtmodum audita in extaſi vox dicens; *Cras panis & aqua erunt in obſonium; at niſi id feceris, oculos meos & amorem à te avertam.* Poſt tantillum ſilentii, ingeminavit illud ex Pſalmis [*non moriar, ſed vivam, & enarrabo opera Dei mei.*] *Pſal. 117.* Adjunxit non modò facturam ſe imperata, ſed vitam illam inter aſpera optare perennem; ut pro ſeculi delictis, tantiſper divinæ juſtitiæ faceret ſatis.

1598. Intereà gnaræ ſuperiores obedientiâ maximè & perſeverantiâ ſecerni Dei *examinatur vocatio infuſa,* opera ab naturæ impetu, vel dæmonum technis, cenſuerunt non diſcedendum à via & vita communi, donec amplius illi conſtaret de Dei voluntate per ſigna certiora. Id quod perendiè accidit. Nam menſæ communi accumbens, cibos conſuetos evomuit ſummo cum horrore ac violentia. *vitam inchoat duriſſimam 26. Maji an. 1585.* Id quod cùm ſæpiùs contigiſſet, eò tandem deventum eſt, ut Divinæ voluntati permitteretur.

XXV. Maii. retur. Ab eoque tempore tametſi ferret omninò ægrè quidquid ſingularitatem ſubolebat, ipſo die S. Zenobii Florentiæ Epiſcopi & Patroni, vitam aggreſſa eſt ex Dei præcepto, in pane & aqua duriſſimam.

CAPUT III.

Recipit à Chriſto Regulas de vitæ genere ſingularis.

1599. PLacuit itaque Deo Optimo, Maximo ſingula præſcribere, quorum hic ſumma ad noſtram utilitatem erit abundè. En igitur quam à Chriſto accepit regulam, utpotè vitæ totius ſpiritualis moderatore & magno paſtore animarum

vitam Deus ipſi præſcribit.

Ego anima tua ſponſus, meique Patris Verbum, hanc tibi præſtituo regulam in eodem actu amoris quo te facio participem infinitæ meæ puritatis, tibi & mihi notæ. Vide ſeduld, Regula tua, mea eſt; quandò ut à me tibi amantiſſimè conceſſa, ſic à te fideliſſimè obſervanda. Sic præfatus divinus leg ſlator ſubjungit Articulos duodecim, ſummæ reverà perfectionis, & obligationis ſtrictiſſimæ compendium.

Articuli ſeu Regulæ XII. à Chriſto traditæ.

I. 1600. *Id à te efflagito, ut in omnibus quæ agis, aſpires ſemper ad eam puritatem, quam te edocui: perſuaſumque habeas quidquid aut loqueris, aut operaris, eſſe vita tua ultimum.*

II. *Iuxta tuas vires, meaq; gratiæ benignitatem tot habebis oculos, quot animas curæ tuæ cõmendabo.*

III. *Omne erga alios conſilium, præceptumve hauries à me primò; quem propterea ſuffixum cruci, ſemper geſtabis in oculis, magis in corde.*

IV. *Verba non proferes niſi vera, manſueta, juſta; procul ab omni tum adulatione, tum vanitate & mendacio. Dabiſque me ſemper in aliorum exemplar, & ideam.*

V. *Eris ad mearum menſuram gratiarum eſus famelicorum, ſitientium potus, nudorum veſtis, hortus captivorum, afflictorum ſolamen.*

VI. *Si agis cũ ſecularibus prudentiam ſerpentis imitare: columbæ ſimplicitatem, quoties cũ meis ſponſis chariſſimis; illos cave ut aſpidem & baſiliſcum; iſtas venerare & cole ut templum Spiritûs-Sancti.*

VII. *Meo nimirum exemplo, ſummè erga omnes eris miſericors; memor illius [Quis infirmatur, & ego non infirmor.]*

VIII. *Petitis ſemper acquieſces, quoties id tibi per tuam conditionem fas erit.*

IX. *Tanti facies tua vota, tuam regulam Ordiniſque tui Conſtitutiones; quanti meipſum; utpote à me profectas. Altèque Monialium pectori inſculpes zelum meæ vocationis, ſuæque Religionis.*

X. *Non aliud tibi gaudium, quies, aut conſolatio; quàm deprimi, deſpici, abjici.*

XI. *Amo latebras, ex genio amoris; ideoque mutua inter nos deſideria tua meaque viciſſim dona, nemo agnoſcat, niſi quibus id à me munus demandatum.*

XII. *Offeres jugiter æterno Patri meos dolores, meipſum, omnes creaturas. Eritque ea mihi jucundiſſima, tibique utiliſſima præparatio, ut ad me accedas in altaris Sacramento; quod diu noctuque viſitabis vices tres ſupra triginta, niſi obſtent vel charitas, vel obedientia.*

1601. Enimverò ſolet Deus dare ſimul & velle, & perficere. Illicò propterea ſenſit Dei famula gratiæ vires ut hæc aliaque innumera animoſiùs exequeretur. Plenam nempè & integram victoriam pollicitus illi eſt Deus. Illius ſe fore cuſtodem. Præterque Spiritûs Sancti opem; adfuturos auxiliares Sanctiſſimam Deiparam, SS. Auguſtinum, Angelum Carmelitam, Catharinam Senenſem; quos omnes colebat affectu ſpeciali. Eſt verò cur indigeret ejuſmodi auxiliis tot inter corporis, animique labores, morbos, ægritudines, anxietates, mœſtitias, hoſtiles impetus, variaque & horrenda tentationum genera; quibus probanda erat velut aurum in fornace, utque cum Chriſto patiente iniret ſocietatem. Illa ergo univerſa acceptavit magnanima, cum ardore ærumnarum incredibili. Cujus quidem documenta dedit ipſo die Pentecoſtes certiſſima.

Animatur ad certamen:

1602. Deo ſiquidem revelante intellexit, mittendam ſe in lacum leonum ad quinquennium; hoc eſt privandam ſenſu & ſuavitate, non ipsâ tamen gratiâ. Viditque tunc catervam dæmonum, quibus præda erat futura. Tum noſtra Heroina pari animi fortitudine, & modeſtiâ, *ſanè mi Deus, ſufficit mihi gratia tua. Ego dixi in exceſſu mentis meæ, in veritate tamen, non movebor in æternum. Etiamſi cælum ruat, vel telluris ima dehiſcat, poſſum omnia in te Deus meus, & Dominus meus* Tuncque divinitus incenſa ſuper altari Deiparæ, cartæ inſcripſit hanc novam vitæ formulam. *Ego ſoror Maria Magdalena facio profeſſionem, promittoque Deo, Matrique ejus puriſſimæ Virgini Mariæ: B. Catharinæ Senenſi, Seraphico Patri Franciſco, totique Aulæ cæleſti, obedientiam, caſtitatem, quâ me modo ratione edocet Deus. Idque aggredior eâ animi firmitate ut ab inceptis nuſquam deſiſtam, niſi velle id Deum certiſſimè mihi conſtet. Ideòque ſecura de illius miſericordia, hancce profeſſionem emiſi in manu puritatis Mariæ.*

quinquennio probanda

1603. Abindè experta eſt, Chriſtum ſponſum reverà ſanguinum, diris omnibus & acerbis exercita. Uſque adeò toto hocce quinquennio nulla illi requies, nulla tranquillitas: nulla nec vita, nec gloria; quàm labor, tempeſtas, mors, iliaſque tentationum, quibus fuit aſſiduè verberata. Quoniam verò Deus mercedem ſemper æquat labori, datque conſolationes ad dolorum menſuram; accepit à Chriſto nova ſponſa, dotes omninò quinque. Cognovit illa animæ pretium & valorem, obtinuit ſpineam coronam, caſtum cum Chriſto connubium, corde potiri ſponſi diviniſſimi, divinæque puritatis conſortium.

præmia ex æquo tentationum:

1604. Prima tentatio, Spiritûs erat blaſphemiæ circa fidei myſteria; ſecunda, ſuperbiæ & arrogantiæ; tertia, gulæ; quarta, luxuriæ; quinta omnium violentiſſima, quâ indubiè peſſumdanda erat niſi ſummè ipſa ſibi invigilaſſet; tenebræ erant in animo pluſquàm cimmeriæ, noxque atrox; quâ nihil planè diſcernens, ſuſpenſa hærebat anima cælum inter

tentationes quinque:

XXV. Maii.

inter & terram, profundâ caligine involuta. Ah! quis infernus animæ nonniſi ad cæli delicias, ſuaviſſimamque Dei præſentiam anhelantis! Credere ſe omninò ſine fide, ſine ſpe, ſine charitate. Faſtidire ad ſtudia virtutum, frigeſcere in pietatis exercitiis: non defungi diſciplina regulari niſi aut valdè oſcitanter, aut quaſi contemptim. Non videre niſi nefanda, nullo prorſus re oblectari, capi omnium tædio. Exhorreſcere ad divina Sacramenta, velut ac ſi deinceps forent ſupervacanea. Exiſtimare ſe jam nihil diſcernere inter gratiam & crimen, ſenſum peccati & conſenſum, cœlum & orcum. Denique ceu mille ſuppeterent vires, ſed nec ipſa ampliùs bona voluntas currere ultrò in præcipitia.

tormentorū magnitudo: 1605. Iis nempè blanditiis ſponſas ſuas Chriſtus allicit, & ineſcat. Vult, credo, per ejuſmodi ardua & aſpera, illis fœnerare, palmas duplicare ad gloriam; ut ſint nobis in exemplum, planè ut olim fides & patientia Sanctorum. Indè nihil in tartari pœnis adeò intolerandum reputabat noſtra Magdalena, quod non ſuſtinuiſſet vehementiùs. Verùm nihil gravius aut acerbius, quàm metus, ne eſſet decepta, cum viſione Dæmonum fermè continua. Illi utique inſultabant, modò per blaſphemias adverſus Deum horrendas, modò per imas ſcalas eam devolvunt. Subindè eam lancinabant, inſtar viperarum. Ne multis, uſque adeò excruciabatur, ut ſub eo calamitatum pondere tantum non deficiens, ingemiſceret ſæpiſſimè cum D. Antonio; *Vbi es mi Deus, ubi optime, maxime, Sol gratia tua. Decor illius extinctus eſt, evanuitque ſplendor ab oculis meis. Ergo-ne abjicies me in finem Deus meus & ſic conculcabor ab inimicis meis? compello cælum & terram, cunctaque omnia, ut veniant in adjutorium mihi. Hei me! ecce jaceo languida, arida, paralytica. Sicut arbor eradicata, roreque cœli deſtituta; non folia ferens, non flores, non fructus. Abjicior heu! repudior tanquam jam mortua à corde.*

ipſius fidelitas: 1606. Hoc in certamine quamvis tota gratiæ incumberet Magdalena, agebat nihilominùs ſuas partes pari cum fidelitate, tum generoſitate. Quibus namque induſtriis, putatis illam tot tentationibus obluctatam! Studium illi perenne virtutum, humilitatis maximè, & mortificationis. Vacabat in Monaſterio abjectiſſimis, publicè ſua accuſabat crimina, ſic enim vocabat culpas vel leviſſimas. Tanto porrò cum animi dolore, ut audientes cogeret ad lachrymas. Commendabat ſe aliarum precibus. Enormia tentationum aperiebat iis quibus id injunctum erat munus, illarum veſtigia frequentius oſculabatur. Indignamque ſe reputabat aliarum conſortio, quas Angelos vocabat: unius alicujus partes ſemper erant illam de ſuis culpis admonere & caſtigare.

vita aſperitas: 1607. Quis deindè credat Adoleſcentulam teneram, delicatam, crudo & auſtero vitæ generi ſuffecere? Cibus illi quem prædiximus, panis & aqua. Sed tam frugi ut vita vix toleraretur, bis ut plurimùm in hebdomade, vigiliæ propemodùm perpetuæ. Decumbebat ſemper induta aut humi, aut in ſtorea: plerumque cum cilicio, & cingulo ferreo hiſpido ſtimulis peracutis: ſomnum quem Chriſtus ipſe taxaverat in quinque horas, interrumpebant vel oratio mentalis, vel ſpectra nocturna: vel frequens ægritudo, vel raptus & extaſes frequentiſſimæ. Veſtis omnium maximè detrita, & pannoſa: Deique juſſu excalceata, lachrymas ſpectantium ciebant pedum vulnera per nives & frigora ambulantis. Cumque illam fovere attentarent Moniales, reſpondebat læta & hilaris: *Sinite me tantilla hac pro meis peccatis pati, ita enim placet ſponſo meo Chriſto.* Quoties viribus per morbos & extaſes attrita, non ſufficiebat ipſa ſuetis flagellationibus; (quas ſæpiùs frequentabat cum ferreis catenis) ex Superiorum permiſſu alias advocabat in cruentam ejuſmodi carnificinam. Ubi autem his aſperioribus jubebatur abſtinere, ſupplebat illa orationum & prolixitate, & fervore. Semel evenit ut tentata inhoneſtiùs ab Aſmodæo, ſuggeſtas flammas inſtar Benedicti ac Franciſci, volutans in nive ac ſpinis extinxerit.

1608. Sed enim quia Virgines Chriſti ſponſas tenet ea in materia ſcrupulus non levis, ſolo tot dedecorum cogitatu expiraſſet haud dubiè; niſi adfuiſſet Regina Virginum, ſanctiſſima Deipara, velum illa Magdalenæ capiti imponens nive candidiorem: *Sis*, inquit, *ſecura, integritatem non plus læſam ab illis indecoris, quàm veſtes trium puerorum in fornace babylonica: aut Solis radios, dum hærent cœno & luto.* Aliud quoque remedium ſenſit validiſſimum, Sanctorum opem implorare, invocare cuſtodem Angelum, divos Patronos: puriſſimæque Deigenitricis tutelæ ſeſe committere. Semel de ſalute deſperans, urgebatur ut violentas ſibi manus afferret. Quid tunc illa, ut hoſtis tartarei impetum retunderet? Cultrum ſumit è culina, eumque, altare Virginis conſcendens, deponit in manibus ſigni ſacri, totaque effuſa in lachrymas ab ea victoriam impetrat; exindè viſitata à SS. Thoma Aquinate & Didaco, ſigillatim de iſtis edocetur: moneturque certiſſimum fore remedium, ſi Monaſterii Prioriſſæ ea omnia candidè revelaret. Etenim, ut probè novit cacodæmon id remedii eſſe efficaciſſimum, eam modis omnibus divertebat; quotieſque ibat in cellam ſuæ Antiſtitis avertebat à via, alioque violentiùs transferebat. Verùm enim præcipuum illi præſidium fuit, diviniſſima Euchariſtia. Cumquè tartareus hoſtis ſuam illi ſæpiſſimè indignitatem ingereret, & arceret à Sacra Synaxi; ut ab iis ſe plagis & formidinibus extricaret; adit Monaſterii Præpoſitam: injectoque divinitùs conſilio, perrogat eam ut ſibi imperet, nec ultra cunctaretur. Præcepit Mater, præceptum læta excepit filia dicens; *Deo gratias, Chriſto ad-*

remedia pro caſtitate:

S. Thomas Aq. & S. Didacus tradunt modum efficaciſſ. vincendi tentationes:

XXV. Maii. *juvante conaber ſcilicet quod jubes*. Quod ità acceptum fuit Deo, ut exindè nulla difficultas communicanti obrepſerit.

1609. Quotquot ſunt in Calvario eruditi: minus ad tot ac tanta puellæ tormenta obſtupeſcent; gnari Chriſtum, ſuis famulis agonothetam, tentationem ſemper temperare intra illorum vires. Non permittit duplicari cruciatus, niſi robore geminato: facitque ſemper, ut in patienti animæ poſſeſſionem inveniant. Sanè nulla *optat amplius doverare:* honorum, nulla divitiarum, nulla voluptatum ſitis tam ardens; ut in noſtra Magdalena, extrema omnia pro Chriſto perferendi cupido. Quamobrem dicebat illa frequenter mortem ſe citam non optare, quia in cælis nulla patientiæ materia. Quotieſque affluebat gratiarum plenitudine ſuaviſſimâ, in hanc aut ſimiles querelas erumpebat. *Heu! heu Domine mi, quorſum à te violatur pactum quo me obſtrinxi tam lubens, non alium mihi paſtum aut potum quàm tuum fel & acetum, non alia mihi oblectamenta, quàm tua tormenta, non aliam ſedem quam Calvarium; non aliam denique vitam, quàm te um mori*. Uſque adeò verum eſt cruces, Sanctis multò magis votivas quam ſæculi mancipibus genio indulgere,

diffidentia ſui, confidentia in Deo. 1610. Oritur id à duplici capite. Primò, ſummè ſibi ipſis diffidunt vel maximè Religioſi, fidunt deinde vehementer in Deo per quem nihil non valent. Idipſum experta ſemel eſt noſtra Magdalena. Contemplabatur aliquandò infinitam Chriſti Jeſu clementiam, ſtupenſque aliquos ita miſeros ut illâ ſe defraudent; ſubitò mutato ore, vultum invaſit angor, ingenſque mœſtitia. Viderat nimirum irruentem in ſe dæmonum catervam. Tum illa animos ac vires reſumens à Chriſto, erupit in verba hæc magnifica. *Verbum caro factum eſt: non nobis Domine, non nobis*. Moxque ad Orci phalanges obverſa; *Ne puteris cohors tartarea, me aliquid à me præſumere, aut mihimet tribuere. Agnoſco nihil in me laude dignum. Agnoſco quidquid iſthic boni eſt, manare ab illo fonte lucis & bonitatis inexhauſto. Unum id mihi aſſumo meam miſeriam, meam vilitatem, meam ingratitudinem. Macte igitur anime mi, novit omnia quod adoro Verbum æternum. Tu verò Princeps tenebrarum, illud intueri nequaquam potes. O Verbum caro factum, ut fragilitatem noſtram ſuſtentes. O Ieſu Nazarene, populi tui Rex amantiſſime; effunde in me copiam, & robur pretioſi ſanguinis tui. Non mihi, ſed tibi hanc deprecor victoriam. Optares equidem infamis Lucifer, rabie & indignatione furens, me non dare gloriam Verbo Dei, anima mea ponſo. At ſcito in tui contemptum, quòd benedicam Dominum Deum meum in omni loco, & tempore; nec unquam laus illius recedet ab ore meo. O Utinam animarum Myriades, mecum repetant: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Mox arrecta in pedes, terque ducto ſigno crucis, expanſis brachiis altiùs intonat totâ fide, ſpiritu, & zelo inardeſcens: *In virtute ſanguinis Verbi Incarnati, & in virtute eſſentiæ Patris æterni, diſcedite hinc ſpiritus maledicti*. Tum verò lætabunda, jubilans, Triumphans, ſolutaque in gratiarum actiones, enixiſſimè Chriſtum deprecatur; ut ſui ſanguinis guttulâ dignaretur irrorare hominem, cujus converſionem tunc ardentiùs efflagitabat. *O quàm ultrò* exclamabat, *ſubirem ſupplicorum genus omne, ut ego fruar illius converſione! Haud equidem tunc eſſent ſupplicia, ſed mere delitiæ. Væ inolita peccandi conſuetudini, væ ſorteſcenti in peccatis. Domine Deus Salvator, Amor meus, & omnia. O Verbum æternum, ah! non mereor exaudiri, creaturarum indigniſſima: ſed tuus ille ſanguis, qui longè plura promeretur, huic peccatori veniam impetret*.

1611. Quid verò mirum ſi ſubnixa hæc Monialis ſui diffidentiæ, fiduciæ in Deo, gemino velut fundamento, ſtetit immota adverſus impetus omnes tartareos? ſi frequenter illi in ore, cum guſtu ſuaviſſimo; ſermo iſte Pauli extaticus [*Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*.] Aiebatque ſæpiſſimè, primum ac præcipuum poſtulaſſe ſe à Deo, utpotè perfectionis compendium, exactiſſimam in omnibus, quamdiu hìc viueret, Divinæ voluntatis executionem. Loquentem aliquandò de ea ſublimi reſignatione, illicò extaſis corripuit: viditque tunc Deo revelante; quæ, quot, & *propria voluntas:* quanta mala pullularent abs propria voluntate. Magis verò in hominibus qui per votum obedientiæ nuncupatam Deo hoſtiam toties polluunt & contaminant, quoties ſibi ipſis obtemperant. Exindè intellexit, velle Chriſtum, ut ipſa ultimas propriæ voluntatis fibras extirparet; omneſque omninò naturæ motus, & appetitiones comprimeret. Quo percepto divinitùs oraculo Prioriſſæ manu apprehensâ, adjunctiſque in Societatem quæ aderant, perrexit in Oratorium. Illic proſtrata ſummis, imiſque precibus flagitabat; lumen ſibi & vires obtinerent à Deo quibus nudam & puram in omnibus Dei voluntatem adimpleret. Tum vertens ſe ad Monaſterii Præfectam, manumque, quam tenebat, ſtringens: tota in lachrymas & ſuſpiria liqueſcens perrogabat, ut ſibi opem ferret in exuenda propria voluntate. Denique petitâ à cœtu religioſo veniâ delictorum, ſibi è raptu reddita eſt. Subindè cœlum ſuaviſſimè contemplata, tenerrima hæc eructabat. *Tu ſcis Domine mi; quo uſque jam à prima ætate unum iſtud habuerim in votis, tibi placere. Nunc etiam ſi ſcirem id velle tuum Numen, ipſa darem me præcipitem in ignem æternum, tuos amantiſſimos nutus æternum adoratura*. Sæpè poſita extra ſe, exclamabat: *Heu Sorores meæ, Sorores amantiſſimæ, nunquid non guſtatis ſuavitatem hujus vocis*; Voluntas Dei? Subjungebat, à viris dicatis Deo, jacturas incurri gratiæ & gloriæ incredibiles. Quippè ignorant cæleſte iſtud commercium, quo fructus augetur centenarius; quoties perfectiſſimâ reſignatione, ſolo divinæ voluntatis motivo peraguntur univerſa.

1612. Sum-

XXV. MAII. *ſemel in menſes examen.*

1612. Summæ duxiſſet religioni aliquid pro ſe vel pro aliis aliter poſtulare à Deo quàm ſub iſta nuda & ſimplici conditione: *Si id illi placeret. Fiat, ô Pater optime, voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Multoque magis obligatam ſe ſuperno Numini profitebatur, quoties minus exaudiebatur. Ideò ſingulis menſibus ſemel in aliquo Monaſterii loco ſecretiori; ſedulo examinabat in quibus defuerat divinæ voluntati; eamve negligentiùs impleverat. Legebat deindè regulas ſibi à Chriſto præſcriptas. Tum ut delicta expiaret, ſuamque deinceps diligentiam excitaret; ſpatio horæ unius cum catena ferrea, ſeipſam mulctabat. Prædixi jam ea conformitate voluntatis ſuæ cum Divina, nutriri fiduciam quam habebat in dilecto animæ ſuæ ſummam. Indeque quidquid occurreret, una illi cura, Chriſto placere. Quare & tentata aliquando de reditu in ſeculum, ut pereuntibus opem ferret, claves Monaſterii depoſuit in manibus Chriſti Crucifixi. Egregio ſcilicet documento velle ſe nihil niſi ex amuſſi divinæ voluntatis. Ipſumque fore clauſuræ quam voverat & janitorem, & cuſtodem.

CAPUT IV.

Poſt tentationes, proventus magnus, & poſt tempeſtates, ſerenum.

Iun X an, 1589.

1613. CEterùm poſt nubila Phœbus, poſtque tempeſtatum horrenda, facta eſt tranquillitas magna. Nempe in ipſo Pentecoſtes pervigilio, dum horis matutinis occinitur *Te Deum laudamus*, Chriſtus Magdalenæ apparuit admonens [*tranſiſſe jam hiemem, imbres receſſiſſe*;] foreque ut poſt quinquennii tentationem, ipſa gratiſſimo vere refloreſceret. Spoponditque vice dæmonum, ipſam deinceps fruituram ſingulari illius præſentia nunquam uſquam deperdenda. Indè jubilus ingens, effuſæ in gratiarum actiones. *Liberaſti me*, canebat cum Vate purpureo, *de inimicis meis, & eos indui confuſione. Tranſire me feciſti, ô Deus meus, per ignem & aquam, tum demùm eduxiſti me in refrigerium.* Mox exultans in ſpiritu, præhensâ manu Superioris, alias quæ aderant, ad plauſus & εὐχαριστίαν excitabat lætabunda. Nunc, nunc tempeſtas deſiit. *Mecum ergo magnificate Deum meum, & illi omnes gratias toto corde & ore rependamus.*

liberatur à tentationibus:

variis donis exornatur:

1614. Rurſumque extatica vidit in luce ſplendidiſſima delectos, & dilectos ſibi Patronos proceſſionem obire ſane pulcherrimam. Nam bini & bini è cæli Curia procedebant SS. Thomas, & Agnes; Joannes Euangeliſta, & Maria Magdalena; Joannes Baptiſta, cum Catharina Senenſi; Franciſcus cum Clara; Auguſtinus, & Angelus Carmelita, Michaël Archangelus cum Cuſtode Angelo. Omnes ſimul adibant Patrem æternum, ab eoque varia recipiebant *donaria*, quibus dilectiſſimam ſponſam exornarent. Ille diadema capiti imponebat, iſte torquem collo circumdabat. Alius veſte induebat candidiſſimâ, alii gemmis onerabant digitos. Omnes certatim mundo illo nuptiali, ſed cæleſti adornabant. Illa interim vilis in oculis ſuis ſucclamabat: *O quæ, qualis, & quanta tua, mi Deus, bonitas, & indulgentia! vicêre ſupra modum magnificus, dum præmiis elargeris ei, quam ob ſua crimina debuiſti caſtigare.* Ea inter, quemadmodum toto illo quinquennio, juſſa erat expreſſè à Deo vitam inſtituere crudam maximè, & aſperam, ſuamque ea ſuper re voluntatem manifeſtis ſignis declaraverat: ſic elapſo illo probationis termino, imperavit Deus, rediret ad communem cæteris vitam; Regulam Ordinis, & Monaſterii Conſtitutiones ſedulò obſervans. Ut verò innoteſcat quos per dura ejuſmodi exercitia, propriamque fidelitatem, fecerit in via Dei progreſſus; juvabit hoc loco inſerere exercitium ſpirituale quod ipſa ſibi compoſuerat. Recitabat illud quotidie, obſervabatque ad unguem religioſiſſimè.

redit ad vitam communem:

exercitium quotidianum:

1615. Manè evigilans, adorans ſupremum Numen, frontemque & pectus muniens Crucis ſigno, incipiebat: *Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas.* Præmiſſo deindè conſcientiæ examine, Chriſti ſanguine litabat. Tùm ad ſingulas perſonas converſa, Patrem venerabatur totius fontem Deitatis, ſanguinem illi & vitam offerens. Alias duas identidem enixè rogans, ut ſuam in ſe ipſa voluntatem adimplerent. Inde ſacram Incarnati Filii humanitatem reverita, nexum utriuſque naturæ indiſſolubilem confitebatur, parata ſuum tantæ veritati ſanguinem impendere. Eâdem oblatione proſequuta unitatem Sanctiſſimæ Trinitatis, quâ poterat maximâ animi puritate ac ſimplicitate ſuam renovabat profeſſionem; ſpondebatque exactiſſimam Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam. Hinc ardentiùs offerebat ſe totam in holocauſtum Trinitati Sanctiſſimæ. Tum totius vitæ cogitatus, verba & opera uniebat Dei puritati. Precabaturque, ipſe in ſe impleret beneplacitum ſuum; quo ab eo creata erat, nec non ad Monaſticem clementiſſimè appellata. Jam in ſeſe reflectens cernebat ſe merum nihil, moxq; attollebatur in Deum. Cui & prolixè gratulabatur de infinito perfectionum cumulo. Gaudebatque porrò plurimum ab illo ſolo poſſideri, in lumine inacceſſibili, cujus abyſſum infinitam nemo auſit explorare. Illic abſorpta invitabat cæli Angelos, homines terræ incolas, volucres, piſces, vegetantia, lapides, elementa ad Dei laudes. Eratque illi gaudium ingens, quòd videret omnia hæc creaturarum encomia non eſſe niſi guttulam in Oceano. Eſt enim ultra modum immenſa Numinis excellentia, & quidquid moliantur creaturæ omnes, longè ſubſidit infra

Dei

Dei Majeſtatem. Ulteriùs igitur progreſſa, Deum gaudebat eſſe Deum. Intelligenſque ſummè amabilem, eum optabat deamare cum illa ipſa perfectione, qua amatur ab omnibus creaturis. Immò ſi id fieri poſſet, eo ipſo amore infinito & immenſo quo ipſe diligit ſe; illi gratias agens quòd dum ſolus amat ſe condignè, noſtras omnium obligationes ſupplet.

1616. Et ita per hoſce motus amoris anagogicos, iterum Sanctiſſimam Triadem adorabat venerabunda: illique primo offerebat loco, ſuas omnes dotes innumeras & immenſas. Tum abſconditos in Chriſti humanitate theſauros gratiæ & meritorum opulentiſſimos. Mox dotes Virginis Mariæ incomparabiles. Virtutes denique omnium in utràque Eccleſiâ prædeſtinatorum. Optabat ea omnia agere & pati, cumque eo ipſo, quo unquam creaturæ omnes, affectu puritatis Claudebatque voto iſto pulcherrimo, ut toto vitæ curriculo, hacque ſignanter die, Deum ſuum coleret, adoret, adoraret, amaret: quo illum junctim creaturæ omnes colebant, adorabant, amabant. Jamque facta ardentior, eundem actum iterabat adverſus ſanctiſſimam Trinitatem, cui mille agebat gratias pro ſuis infinitis perfectionibus, pro effuſis in Chriſtum, in Chriſtiparam, in Beatos, in Juſtos innumeris beneficiis. Sibiq; ſpecialiter attenta & intenta, ſolvebatur in gratiarum actiones; quòd ad illius imaginem eſſet efformata, Filii ſanguine reparata: perque vocationem Monaſticam, Chriſti ſponſa effecta. Denique quod ſingulis diebus, quin & momentis, illam ſuis donis dignaretur, quin & ſeipſo utpote donorum maximo. Proptereaque Deum agnoſcebat ſuarum omnium virtutum Autorem, in quem idcirco ſua omnia gratiſſimè refundebat. Gaudebatque non illis quidem donis, ſed quòd per illa vegetior ac potentior fieret in Dei ſervitio ac famulatu. Conſciaque tenuitatis ſuæ gratiarum actionem offerebat æterno Patri Verbum caro factum, cruoremque iſtius pro nobis effuſum.

1617. Tot junctis inſimul beneficiis, velut carbonibus, incenſum pectus Magdalenæ peroptabat intimiùs adhærere Deo; à quo uſque adeò amabatur, perque omnes titulos amabiliſſimo. Pergit ſcribere, quàmvis per fidem tu illum agnoſcas magnum ultra omnia magna, doceris eodem lucis radio, eum cum ſua creatura unionem procurare. Quo certè titulo deprimes te ad tuam vilitatem, fateberiſque te vel minimo illius donativo indigniſſimam. Addit deinde, Patrem adiens: rogabis ejus Unigenitum; conceſſumque ſemel, toto ſinu fovebis, illique te uſquequaque committes quod ipſemet occumbens in Cruce derelictus à Patre, in illius tamen manus ſpiritum emiſit. Eundem Chriſtum induta, exues te omninò tua voluntate; diceſque in omnibus, [ita Pater quoniam ſic placitum eſt ante te fiat voluntas tua.] Recordata ſcilicet ultimæ illius orationis in horto Gethſemani: rogabis deindè, hoc ut conſilium ſuæ voluntatis, in te veluti filia ſtabiliat. Offeres te deinceps Filio Incarnato, ut dignetur te in ſponſam acceptare. Spiritui Sancto, ut te habeat diſcipulam, edoceatque veram humilitatem. Tum Patri æterno offeres filium, cum ſuis omnibus prærogativis; humanitatem, animam, corpus, cogitationes, locutiones, operationes. Offeres demum Paſſionem, ſanguinemque pretioſiſſimum, ceu [faſciculum myrrhæ;] interim dum eàdem oblatione defungeris in templo cordis Verbi æterni, in memoriam oblationis ab eo factæ, dum inter nos vixit, ac pro nobis in Cruce devixit. Sed vide, ut facias idipſum pro univerſa Eccleſia Triumphante, Militante, Patiente. Eamque hoſtiam offeres quo majori unquam affectu, ab omnibus creaturis oblata eſt. Quia porrò cuiuſmodi oblatione plurimum oblectatur Pater æternus, frueris illa delectatione cum Verbo illius increato, & Incarnato. Totum id abſolvet votum, Chriſti veſtigiis ad mortem uſque inhærendi.

1618 Nemo divina intelligens, negarit hanc eſſe linguam Sanctorum: nec aliter locuturum, ſi nobis conviveret, Seraphinum. Verùm enim quia neque Sol illucet niſi ut calefaciat, nec cæleſtes tot notitias animis hominum imprimit Deus, quàm ut illorum pectus accendat ad virtutum praxim; divino iſtiuſmodi exercitii finem imponunt ſequentes ſponſiones, quas manè quotidie iterabat poſt renovatam profeſſionem, propoſitumque, Regulam & Conſtitutiones obſervandi perquam religiosè. *Profiteor ego ſemper & ubique altiſſimam humilitatem, me adoraturam Sanctiſſimam Trinitatem in eorum vice qui eam vel ignorant, vel negant, vel non adorant. Me in omnibus paupertatem exaltaturam, nunquam egentibus & afflictis defuturam: omnia mea opera tam intrinſeca, quàm extrinſeca, in Chriſti vulneribus ædificaturam. Me fore piacularem hoſtiam pro delictis totius monaſterii. Profiteor toto cælo abeſſe me à ſeculi genio, lætari quoties deſpiciar et confundar, non aliter ſi poſſem quam quo modo in ipſo lætatur Deus. Gratulabor Deum eſſe qui eſt. Deamabo paupertatem ſpiritus. Patiarque ultima, ut proximi in Deo condelectentur. Compatiarque Deo Opt. Max. pro facinoribus admiſſis contra illius Majeſtatem.*

1619. Poſthàc converſa ad ſanctiſſimam Deiparam, illius Excellentiam colebat venerabunda: deprecabaturque ut evaderet ipſa mater, filia, ſponſa Chriſti Jeſu Mater, conformitate & uniformitate ſuæ voluntatis cum divina. Filia, per amorem & charitatem intenſiſſimam. Sponſa fidelitate & exhibitione ſponſionum omnium exactiſſima. Tum magnæ illi Matri offerebat ipſummet conventum, quem domum Virginis nuncupabat, rogans illum non aliter ſervare dignaretur, quàm quà curâ *ad B. Virginem Mariam:*

Verbum

XXV. MAII. Verbum ſervabat Incarnatum, propriamque virginitatem. Concludebatque per hæc vota; *Spondeo, ò Virgo puriſſima, meaque amantiſſima Mater, me potius tartari pœnas electuram, quã zelo carere obſervantiæ in iſta domo tua; ac in cunctis Monialibus præſentibus & futuris.* Finis erat

ad Angelos & Patronos; trina recitatio ſalutationis Angelicæ. Tunc reverita Angelum Tutelarem, opem illius & auxilium implorabat, hacce verborum formula: *Voveo, mi Cuſtos Angele, me obauditurum omnibus illis, quæ mihi per te inſpirabit Deus meus.* Deniq; ſalutatà totâ cæleſti Aulâ, ſic illius patrocinia invocabat. *Promitto, omnes Sancti & Sanctæ Dei, cultũ veſtris Feſtivitatibus ac Reliquiis, religioſiſſimum: veſtrarum præcipuè virtutum ſolidã, quantũ Deus per vos dederit, perfectã imitatione.*

1620. Hujuſce exercitii, quòd abundè commendat tum ſublimitas, tum ſinceritas, appendix erit collectio aſpirationum, ardentiſſimarumque affectionum, quibus noſtra inſueverat Magdalena; ſive Deum ſimplici intuitu contemplata, ſive ſupra ſe, vel ad alia

alia conversa, & ſublimiſſima perfectionum exercitia; reflectens. Flores iſtos quidem amœniſſimos ſumma cum voluptate ſeminat Deus & legit in Viris ſanctiſſimis; dum eos vel ad ſuæ gratiæ puritatem evehit, vel ipſe deprimit ſe ad illorum virtutes. Hæc itaq; divina conſilia, fixiſſimaque mentis propoſita ſibi aſſumebat, aliis perſuadebat. I. Summa cuique eſſe debet divinæ Majeſtatis reverentia, ingenſq; gratulatio de ſuis ſublimiſſimis perfectionibus, cum jugi adoratione illius potentiæ, ſapientiæ, clementiæ: ſed præ ceteris infinitæ illius charitatis qua diligit ſeipſum, conditaq; extra ſe univerſa. II. Velle Deo & optare omnem gloriam, & honorem, quem intra ſe poſſidet, æternumque poſſidebit. III. Lætari effuſiùs quiſq; debet de mutuis ac reciprocis communicationibus, inter Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis: quodque ita ſit excelſus nimis, ut cunctorum captum infinitis ſuperet paraſangis. IV. Deo gratias lætanter agere pro amore illo immenſo, quo ſe ab æterno & in æternũ uſquequaq; diligit: habereque gratiſſimum, amorem hùc ab Angelis in cœlo, ab hominibus in terra, cunctiſq; creaturis nunquam unquam exæquandum. V. Chriſto gratulari quòd omnes theſauros gratiæ, & veritatis in eo abſconderit Pater, præſertim pro illa virtute tot miraculorum operatrice, cordiumq; & affectuum illicè. VI. Exultare quòd à Patre dati ſumus in Chriſti peculium & hæreditatem; Chriſtoq; congaudere de ea poſſeſſione jucundiſſima, deq; Servatoris in Fidelibus ſuis oblectatione. VII. Lætari ſummopere de amore eximio, quo Verbum caro factum proſequitur virginitatem. VIII. Deo ipſummet Deum offerre; ut ipſe ſibi congaudeat gratiaſq; perſolvat pro gloria illa, honore, & felicitate qua intra ſe perfruitur; proq; omnibus beneficiis, quæ ſuis creaturis elargitur. IX. Sinceriſſimi amoris affectu, iſta Domino Deo inſinuare; *Nunc, nunc ſi poſſem, mi Deus, omnem gloriam, honorem, laudem tibi procurare quam recipis ab omnibus Beatis in cælo, juſtis in terra, tò quam id agerem animo libentiſſimo. Verùm quoniam, mi Deus, deficiunt vires, vota non dedignaberis & affectus cordis mei teneriſſimos.* X. Totũ ſe & integrum Deo dare, dedicare, conſecrare. Utq; melius tanto Numini famuleris, optare omnem perfectionem quæ illi placet. Sanctiſſimâque conſuetudine flectere voluntatem, ut nihil amet extra Deum, niſi quatenùs amatur à Deo; læta de tanto erga illam amore deq; beneficiis ab eo amore, nuſquam ſterili aut infœcundo, in illam profluentibus. Uno verbo, cum hæc omnia maneant in deſideratis, Deum ſemper magis ac magis quærere, veſtigare, amare, totoque animi affectu, in eum efferri & abſorberi.

CAPUT V.

Mariæ Magdalenæ in Monaſterio officia.

1621. HActenùs laboravit Soror Magdalena, propriæ perfectioni. Viſũ deinceps divinę providentiæ, illá aliorum ſaluti implicare. Bonum namque propriâ indole, ſeſe diffundit; quemadmodum ſol ſibi primum, mox & aliis ſolet illucere. Communi omnium itaq; conſenſu inſtituitur Magiſtra Juniorum, mox & Novitiorũ. His namque major debetur cura; ſunt ſiquidem ſpes & ſeminarium ſacri cujuſvis Inſtituti. In illiq; proptereà inſtruendis, maximũ operæpretiũ. Diceres novellas plantas, initio flecti faciles, antequam robora fiant. Id verò munus ſic diu exercuit feliciter, ut intelligerentur fortunata ſodalitia, quoties illis procurat Deus *Iuniorum, & Noviciorum cura illi demandatur;*

Superiores rarâ virtute excultos. Curabat ante omnia benevolentiam admiſcêre gravitati, ut amicitiam ſimul & reverentiam conciliaret. *qualiter illas inſtruat:* Ac licèt propriis maximè exemplis ſuis alumnis præluceret ad ſanctitatem, nihil tamen omiſit ut eas informaret in doctrina regulari. Scienſq; vix ullum aliud munus eſſe in Aſcetis majoris momenti, omnes illius partes explebat nimis quàm accuratè. Quia vita in Monaſteriis auſterior neque ſuſtineri ſine vocantis ope poteſt, quis enim ſe eligat ad hæc & diſcernat? imprimis ſeduliùs examinabat vocationem Poſtulantium. *vocationis examen:* Omni ſcilicet diligentiâ inquirebat illarum indolẽ, propenſiones, affectus, genium & ingenium; ut indè conſtaret, an eſſent ad ſuſcipiendum Ordinẽ, & imbibendũ illius ſpiritũ idoneæ. *poſtulantes probat:*

1622. Eo nimirum conſilio duas aliquando Virgines nobiles, annos jam natas viginti, quæq; aciem ingenii & acumen demonſtrabant, ſapiens animorum exploratrix, ut illarum probaret ſimplicitatem, palàm juſſit recitarent Alphabetum, quaſi dubitaret illas ignorare, quod pueruli primùm addiſcunt. Idq; cum præſtitiſſent innocentiſſimè, meruerunt illicò capi in ſacrum cœtũ. Aliarum ut exploraret humilitatem, aiebat; *Errat latè ſeculum, dum putat hanc ingredi Monaſterium ſolo ac mero Dei intuitu. Credit iſta nos ſibi debere plurimùm quòd habitum noſtrũ induat; imò verò miror ego, quòd illã admittere Ordo dignetur.* Jamq;

XXV. Maii.

duo in ceteris novis Candidatis inculcabat. Summam ſcilicet ſacræ Religionis exiſtimationem, mutuumq; inter ſe, cum maximo tamen candore, familiaritate, honorem; unaquæque alteram reveretur non aliter quàm Chriſti ſponſam, Dei Templum, germanam Angelorum. Crudelitatis eſt quoties Superiores ſubtrahunt inferioribus merendi occaſiones. Fuit verò in hac parte Mater valdè admodùm indulgens, adeò ſuas Alumnas quavis data occaſione etiam atq; etiam exercebat. Egreſſas præſertim ab oratione modò publicè, modò privatim arguebat vehementiùs; ſuas illis culpas improperabat, aut ſimili pulſabat mortificatione. Sive crederet animum tùc ad ea vel maximè præparatum, ſive ut ea ratione fructum orationis expenderet.

Novitias exercet: 1623. Ut noviter ſacro albo inſcriptis altiùs inſinuaret Monaſticæ vocationis dignitaté, materna erga illas teneritudinis & charitatis viſcera induebat. *Ante omnia, filiæ meæ,* aiebat optima directrix, *date operam, ut Deo placeatis: iis iſtis Matribus optimis, quæ vos ſummo poſt baptiſmum beneficio aſſecerunt, dum vos ſocias ſibi allegere. Non eſtote igitur ingratæ. Sed ſingulas proſequimini cultu, reverentiâ, famulatu; voſq; illarum conſortio cenſete indigniſſimas. Non aperite oculos niſi ad illarum virtutes eximias, ad omnes è contra defectus clauſos ſemper habetote.* *ad dura provocat:* Maturè eas ablactabat ab uberibus ſuavitatum, quibus parvulæ ejuſmodi ſolent initio traductionis à Chriſto copioſiùs lactari. Quare animabat illas & ad virtutem formabat maſculam ac virilé, illam ſcilicet quæ tendat ſemper in ardua, perferat duriſſima, ſuperet difficillima; nihil habeat demiſſi, nihil mollis, nihil in fœminis fœminei. Identidem propterea inculcabat virtutis florem ac Perfectionis non legi niſi in ſpinis, in tribulis ac dumetis, in arduis & aſperis. Uſq; adeò ut minùs exiſtimaret illas, quibus diverſa à Chriſto patiente ad ſanctitatem itinera. Ideoque ſæpiſſimè ingerebat, ſe nolle in eis virtutes molles & delicatas, ſed maſculas & heroicas. Animum cunctis creatis ſuperiorem, nullo caſu exterrendum. Qui ad Deum contendat ſtudio ſemper indeteſſo. Cui perinde ſint omnia dulcia & amara, læta & triſtia, copia & inopia, vita & mors. Quamvis ergo in initiis viam crucis complanaret, verbiſque plurimum emolliret; haud ita multò poſt raptabat per aſpera Calvarii, augens mortificationes ex gratiæ & profectûs menſura.

nullus dies abſq; linea: 1624. Erat in Novitiatu ſcrupulus ingens, diem ducere nullo dato mortificationis documento; jacturamque eam reputabat grandem, in fœnore vitæ ſanctioris. Verùm crimen erat enorme, alicui adhuc rei adhærere. Quippè quæ ſuas optabat alumnas ſic omnibus ſpoliatas, & immunes; ut Chriſtum ſolùm intuerentur, & ſeipſas quæ ſe divino ſponſo penitùs conſecrarent. Si quam videret orationi nimis addictam, & ejus illecebrisineſcatam; ut eam ejuſmodi deliciis privaret, mille interjiciebat obſtacula. Mittebat modò ut domum everteret, modò ad reſarciendos pannos, alias vè opera Monaſterii. Idque agebat porro donec planè aſſuefierent Deum ubique paſſim reperire, in eoque cuncta peragere; illi deſervientes reverà in ſpiritu, & veritate.

1625. Nec ullo prorsùs modo tolerabat regulas illas & impedimenta, quibus quotquot luculentioribus in ſeculo nuncium remiſère, accumulant ſibi theſauros infelices. *expropriatio perfectiſſima:* Ideò ſuadebat ſingulis ut ſemel in mentè ſiſterent ſe Deo, examinarentq, ſincerè an intùs vel foris affectum aliqua tandem re ſentirent irretitum. Id ſiquidè agnoſcens unaquæq;, debebat illicò ſpoliare ſe, & in manus Superioris reſtituere, publicè proteſtata velle ſe omninò nihil niſi Chriſti ſponſi paupertatem, ac puritatem. Eo etiam fine illis ſæpiùs injungebat permutationem cellulæ, Breviarii, Roſarii, veſtis, aliorumque planè omnium. Nec deſiſtebat ingerere per vota Monaſtica Deo non hominibus, ſuam illas voluntatem mancipaſſe. Ac illam quidem integram, non imminutam: ad mortem uſque, non pro aliquo temporis intervallo. Indè ſi quid reſtaret, diem feſtum agendum Deo plenaria abdicatione. Hoc altè nimirum animis imprimebat. Sorores dilectiſſimæ, non poſſumus vivere Angelicè; niſi abnegemus nos, noſtraq, omnia. Habet animus, quamdiu hic vivitur, alas duas, quibus in Deum ſubvehatur, brachia duo quibus illi adhęreat; amorem Dei, odium ſui. Filiæ meæ, ſorores amantiſſimæ, nullum aliud à me petatis exercitium. Ecce verbulis duobus, compendium vitæ ſpiritualis, ſummamq; totius perfectionis. Enimverò ſi cupido vobis ineſt brevi altiſſimam hanc doctrinam imbibendi, præceptorem eligite vobis Chriſtum Jeſum vel Cruci ſuffixum, vel in Altaris Sacramento quieſcentem?

CAPUT VI.

Varia ad virtutum documenta ſuis Novitiis præſcribit.

1626. QUod agriculturæ Heri oculus, hoc Tironibus ſuis excolendis & erudiendis noſtræ Magdalenæ ſollicitudo. *tria perfectionis Carmeliticæ capita:* Totam illis impendebat ita accuratè, ut nihil omitteret eorum quæ certam facerent per bona opera vocationem; tribus ſummatim capitibus complexa, quidquid ſacri noſtri Ordinis Carmelitici perfectionem poteſt adjuvare. Prima erat cura formandi hominis interioris, unumque illud porrò neceſſarium ceteris omnibus anteponere. Secunda, illa de obligationibus Monaſticis accuratiùs informare; explicando vota, Regulam, Conſtitutiones. Anteque omnia quis ſit Religionis ſcopus, ad quem debent ſua omnia collimare; quôque ingenio & ſpiritu, iis omnibus defungi debent. Tertia verſatur circa uſum Sacramentorum qui nunquam debet eſſe niſi ſanctiſſimus, ne videlicet ex frequentiori vileſcant.

XXV. MAII. *Uſus Sacramentorum:*

ſcant. Quod ultimum ex his ipſis verbis Chriſti didicerat. *Genus ſeculi corruptiſſimum, abit modo totum in fallacias & mendacia. Ut etiã dum accedunt ad mea Sacramenta perditam à ſe gratiam recuperaturi, à me magis alienentur, mea veritatis ac ſinceritatis abdicatione. Accedunt, inquam, non ſeipſos debitá animi demiſſione accuſaturi: ſed præ ſuperbia & arrogantia, quærentes in peccatis excuſationes. Ideoque non recipiunt Sacramentum, ſed ſacrilegium admittunt: non cancellant retrò peccata, ſed nova ſuperinducunt. Eam ob rem, non à me, quod maximè optabam & pollicitus eram, beneficia cumulantur, ſed furorem meum contra illos & indignationem accendunt. Peſtis tanta cauſa & origo, ſtudium hominibus placendi; quo mortem ſibi comparant per ea ipſa remedia, quæ comparandæ ſaluti à me fuerant præparata.* Id cùm audiſſet Mater altè ingemuit cum Vate purpureo. *Domine Deus erubeſcant impii, & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa.* Manſitque in ea ſumma Sacramentorum reverentia, quam & ſuis deinceps imprimere, magis ac magis ſatagebat.

Pſal. 30.

Confeſſio:

1627. Confeſſionem certè præcipiebat frequentem, ſedulam, exactam, plenam humilitimæ compunctionis. Iis quippe ſacrificium contritionis & pœnitentiæ, fit acceptabilius in oculis Dei; qui cor contritum, & humiliatum numquam deſpicit. Petentibus licentiam, pergendi ad Sacram Exomologeſim; Ite porrò, aiebat, memores pergere vos ad lavanda veſtræ animæ vulnera in Chriſti vulneribus, ſacroq; cruore. Peracta Communione ſciſcitabatur; *Hem! ſorores meæ quibus hodie mane colloquiis dignatus eſt cœleſtis ſponſus animam veſtram? Nam quod me attinet, percepi jam à prima ætate ex uſu Euchariſtiæ fructum minimè vulgarem.* Nec paſſa ullam privare ſe divinis epulis, aiebat, *Ah! neſcis, filia chariſſima, nullum ad perfectionem compendium efficacius. Pro certo ego habeo vel una Synaxi ritè perceptá, virtutes omnes heroicas poſſe comparari.* Id porro ſentiebat ipſa, cùm ſic aliquando vocatam ad ſe monialem eſt allocuta. *Precemur Deum, Soror, dignetur ſuo lumine & calore noſtra frigora, noſtras glacies reſolvere: maximèq; in eſu panis hujus Angelici, ubi tot cæleſtis ignis & divini amoris incendia. Exoret à Chriſto noſtrarum precum invidia, talem ſemper huic Monaſterio Superiorem, qui nullam ad has cæleſtes epulas admittat non dignam.* Verbo uno plurima complecti par eſt; erant Magiſtræ hujus ſermones ceu aculei acutiſſimi, Novitiarum pectoribus altè infixi, quibus ad virtutem Monaſticam continuò extimulabantur.

Communio:

Silentium:

1628. Silentium illa dilaudans, in noſtra Regula fuſiſſimè commendatum; quæ, aiebat, vanis labia minimè claudit, fruendis cæli deliciis ſemper remanet inidonea. Summæ ducebat religioni loqui de Parentibus, vel de rebus ſæculi. Indè & ſæcularium converſationem comprimis averſata, dictitabat unum è præcipuis fructibus, quem ingerit Sacra Synaxis, horrorem eſſe collocutorii. Quare tantundem deprecabatur uri in purgatorio, quantùm temporis contriverat cum ſæcularibus. Cenſebatque hac ſeculi fuga, ſervari imprimis caſtimoniam, cui plurimum incumbebat; gnara celeſti ſponſo lilia eſſe gratiſſima. Illumque florem illibatum naſci in locis deſertis inter ſpinas, non in triviis & compitis. Eo ſenſu viſa ſæpiùs Clauſtri crateres ac muros deoſculari, utpotè repagula quibus Sanctimonialis diſcluditur à mundi colluvie. *O ſeculi mancipia,* exclamabat interdum, *ſi intelligeretis repoſitas in æternitate Virginibus coronas; ſiĉ, nunc præpete abiretis in ultimos receſſus, in remotiſſimas ſolitudines, in clauſtra auſteriſſima.*

Fugâ ſeculi ſervatur ſ *caſtitas:*

Mœnia Monaſterii oſculatur:

1629. Chriſtum recordata, qui rerum potiens factus eſt omnium egenus, ut illius inopiâ ditaremur, impenſiùs commendabat votum Paupertatis; cujus ſanè Chriſti vita & mors; documenta ſunt luculentiſſima. Angebaturq; vehementiùs, ſi in aliqua adverteret ſupervacanea. Deflebat verò ſæpiùs percalidè, nullius ſe rei penuriam pati in Monaſterio Illique perplacebat ſententia illa, quæ Religioſis pollicetur in altera vita quidquid illis in iſta defuerit. Intuens aliquandò fixiſſimè phrigium opus ſolerter acu à Moniali depictum, rogatur à viciniori, quorſum illi adeò eſſet intenta, ducto altè ſuſpirio reponit illa: *Hoſce flores conſiderans Soror mea, dubito valde, & Deus ſcit, an illa Monialis parinquam curá incubuerit animæ ſaluti, & vita quam Deo vovit obligationi. Sed ò me miſeram! nimis quàm verum, & certè novit qui omnia novit ſi unquàm tantá animi contentione ſtudui cognoſcendo & amando Deo meo, quantò in hiſce floribus aptiſſimè concinnandis allaboravit.*

Paupertas docet:

1630. Semel in exceſſu mentis animam vidit Monialis, cujuſdam magnæ in Conventu exiſtimationis, paucos ante dies defunctæ. Tota illa ſplendebat luce coruſcans, exceptis manibus. Dumque ad id ſtuperet Magdalena, illi à Deo revelatum fuit, id contigiſſe, quia dum viveret, multum propenſa in liberalitatem, ſecularibus plura munuſcula largiebatur. Vidit alias plures è Monaſteriis detruſas in tartara, eò quòd conceſſa corpori laxamenta ut ſpiritus fieret vegetior, effecerãt diſſolutas, præcipuè verò quia effractis votivæ Paupertatis repagulis, aliæ cultum in veſtibus conquiſierant, aliæ conculcatâ Chriſti modeſtiâ, Monaſticum ſchema verterant in ſtemma vanitatis. Ideoque anxia, & mœrens exclamabat; *O Paupertas, paupertas Monaſtica, quam, heu parum curaris modò! O ſi agnita vigeret, carerent cellulæ vaná & inutili ſuppellectile, uſus pecuniæ odio haberetur cane pejus & angue! Procul à clauſtris exularent tot commoda, tot vana, tot ſuperflua. Ah bone Ieſu! quàm ſordibus proprietatis inobſcuratum eſt aurum paupertatis. Ah! proprietas infeliciſſima, ut claudis Paradiſum, aperis infernum. Quot heu! modò æternis illis ignibus concremantur, ob neglectam dum viverent paupertatem. Tum converſa ad Sorores, equidem non capio quorſum Deo devota, vitam communem minimè*

Religioſis quàm perniccioſum munuſcula dare ſecularibus:

& paupertatis repagula frangere:

Proprietas damnat

XXV. Maii.

amplexantur; tamque excellens vitæ genus ſua proprietate corrumpunt. Proh! funeſtam, & infelicem proprietatem; quæ ſceleri omnium flagitioſiſſimo falſos virtutis, aut neceſſitatis colores circumponit. Quid? Moniales tenentur ſeculi rebus multò magis addictas, quàm ſi reſtarent in ſeculo! Demum poſt alia plurima pari cum fervore, ad Chriſtum obverſa: ô mi Ieſu! pateris pœnarum genus omne, ut tot animæ ſponſæ tuæ vitæ communis obſervantiam ferè complectantur; quandoquidem tot ex illis oſtendis, non ſine animi mei mœrore & triſtitia incredibili, per proprietatem orco immerſas, ſempiternis gloriæ tuæ divitiis æternum carituras.

obedientia excellentia. 1631. Verùm primam in Aſcetica intelligentiam ſtatuebat noſtra Magdalena, debitam ſuperioribus obedientiam. Ac licèt multa, illi per ſe immediatè præciperet Numen, numquam agere quicquam auſa eſt niſi nutu & imperio Superiorum. Ideoque ſæpiùs dictitabat guttam meræ obedientiæ doliis ingentibus contemplationis toto cælo anteponendam. Et verò viſa eſt ſæpiùs redire ab extaſi, ad primulam Superioris vocem, ceu optaſſet omnes, vel minimas vitæ totius actiones ſibi ſignanter imperari. Progrediebatur ulteriùs, diem rata perdidiſſe, quoties alicui Moniali non exhibuerat ſe obedientem. Undè familiariùs aliquandò dixit è Monaſterio nonnullis; *Si ferè aſpiras ad ignotas mundo divitias, cave diligenter ut obedias quotidie tum, aliquo tandem titulo inferioribus.* Piſtricem agebat aliquando panem in mactra conficiens, cùm ad Sacram Synaxim datur ſignum. Tum rapta extra ſe advolavit, quo planè erat cultu; id non advertens, niſi diu poſt. Aliâ ſimiliter vice vocanti Confeſſario accurrit è Refectorio furculâ adhuc ad manum.

Zelus diſciplinæ Regularis, 1632. Zelus illi tantus pro Domo Dei, ut mors illi longè potior quàm vel minima Regulæ aut Conſtitutionum violatio. Immò ferebat impatienter in aliis, leves illas relaxationes quibus laborat multitudo. Ideòque ſedulò monebat Superiores, de defectibus vel minimis in diſciplina regulari. Rationem producebat relatu ſanè & notatu digniſſimam. Quoties in his levioribus peccatur, non modò læditur Ordo Monaſticus, ſed Dei ipſius pupilla vulneratur. Quare, aiebat frequenter, ſicut cervus deſiderat aquarum fontem, ita homines ſitire debent Dei honorem, & animarum ſalutem, quas Chriſtus proprio cruore redemit. Debet enim verò quiſque non ſui tantum, ſed & Proximi rationem reddere. Propterea que non idcirco ſinendus eſt abire in infernum, quia illi diſplicitura eſt fraterna correctio. Nam licèt jubeat Deus aliena onera portare, & compati infirmioribus; imperat ſimul zelum aſperiorem, ut eradicetur peccatum, peccatorque ad meliorem frugem convertatur. Sic enim expurgatis zizaniis, fructus remanebit dignus æternitate. Dum curabat Novitiatum, illas adhortabatur frequenter, ad

& ſalutis animarum,

ſalutem animarum. *Scitote, chariſſimæ, minimam nobis ſubeſſe ultimæ depreſſionis rationem metuſque ingentis occaſionem, ſub Dei judiciis juſtitiæ etiam ſeveriùs & examinantis, & porrò caſtigantis. Noſtrâ mimirum culpâ pereunt animæ innumeræ, ferè ſalutem aſſecuturæ, ſi pro illis oblatus fuiſſet à nobis Chriſti ſanguis, prout exigunt Dei honor, zelus Religionis, officium charitatis.*

1633. Sed enim quoties agebatur de cultu divino, tum denique erumpebant zeli flammæ & incendia ardentiſſimi. Quantâ ſcilicet verborum vi ſuas admonebat Dei laudes in Choro decantandas, planè ut Beati in Empyreo. Neque cogitandum unquam de expediendo officio divino, ceu cetera, nullius momenti. Aiebat enim: *Si Deum laudare negotium eſt ita ſublime & arduum, ut illud Angeli puriſſimi aggredi vix audeant, niſi cum metu & reverentia inenarrabili; quomodò id attentabimus nos mulierculæ, infirmiora vaſcula, conſcia tot miſeriarum? Credo ego toto corde Deum adeſſe Choro, noſtris pſalmis interveniente ratione ſpeciali; undè divino exercitio plurimum accedit tum dignitatis, tum ſanctitatis. Quis ergo pudor tot cernere Aſcetas, qui veriſſimæ hujus veritatis vel ignari, vel obliti divinum officium minimè curant.* Hi erant ſenſus, hi ſermones noſtræ Magdalenæ. Ipſa quamvis languens & attrita ſuo præibat exemplo, quod verbis multum ſanè præponderat. Adeo ut totâ vitâ curam retinuerit ad Matutinas excitandi, neque unquàm deerat choro, niſi ſummè ægrotans. Et jam mirabitur quiſquam tot Beatæ coram Deo & hominibus decora, quando verbo & exemplo tot virtutes edocuit in Ordinis Carmelitici ſtabilimentum? officii Divini:

CAPUT VII.

Amor Sororis Mariæ Magdalenæ erga Deum, & Proximum.

1634. Lineas omnes videmus confluere in centrum, radioſque Solis uniri in illius globo. Haud propè aliter Beatæ hujus Monialis virtutes omnes, colligi in illius charitate eminentiſſima certiſſimum eſt. Refert quidem Hiſtoria Eccleſiaſtica miracula divini amoris fidem omnem ſuperatura; niſi Deus adoraretur à Chriſtianis ceu ignis conſumens, cujus non aliæ profectò quàm amoris & charitatis flammæ. Verùm fingi nequit fornax ita ardens, ut erat in corde hujus Monialis ſuccenſa. Neque ullus, credo, leget in integra vitæ illius hiſtoria charitatem immenſam, cum Deo familiaritatem; raptus, extaſes, contemplationem ſublimiſſimam; quin meritò addubitet, ſi inter homines contemplationi deditos ab aliquo aut ſuperatur, aut etiam æquatur. Quoties acta in motus illi ſuetos, quos cæleſti hoc nectare inebriat Numen? Jàm fixis in cælum oculis ſuccla mabat: *O amor, ô amor, ô Deus amor, & charitas*

Deus ignis conſumens Deut. 4.

XXV. MAII.

charitas immenſa, nimiùm certè, nimiùm diligis tuas creaturas. Fallor, mi Ieſu, non equidem nimiùm tuæ immenſitati, ſed noſtræ vilitati. Heu, Servator amantiſſime, quorſùm tot tui in me amoris pignora? Quorſum tot & tanta beneficia?

alias excitabat ad amorem.

1635. Aliquando crucifixum prehendens currebat per Monaſterium, igneos ſermones proferens quibus inflammarentur ceterarum corda. *O amor! ô amor! ô amor: nunquam uſquam ceſſabo, mi Deus, vocare te amorem meum, ſpem meam, totum meum.* Tum verſa ad Sorores: *An neſcitis, Sorores amantiſſimæ Ieſum meum non eſſe niſi amorem?* Aliàs dilectum animæ ſponſum, hiſce verbis provocabat; *Fiat mihi, Domine Deus meus, & omnia, vox ita valida; ut quoties amorem te voco, audiatur ubique terrarum, inque ipſomet tartaro; quò ſcilicet noſcaris, ameris, ut qui ſolus verus amor es.*

erga crucifixum blanditiæ:

Quibus jam blanditiis crucifixum aliquando excipiebat, quis ſatis edixerit? Sumebat illum in manus, complectebatur, ſinu fovebat; ſudorem & ſanguinem illius extergens aut ſtrophio, aut velo. Eoque ſucceſſu, ut illa reſtarent uda & benè madida, ceu de facto Chriſtum in cruce morientem deterſiſſent. Rigente comprimis hyeme ut exhalaret latens flamma, cogebatur ſinum aperire, ſtomachum nudare, lymphamque frigidam manibus, & pectori affundere. Quin etiam hauſtu maximè copioſo ac frequenti, interius illud incendium mitigare. Ab eoque igne tabeſcens, converſa ad cælum, voces emittebat languoris: *O Deus: ô Chriſte, ô Ieſu ſuaviſſime: tantam amoris flammam ultra non ſuſtineo.*

extra ſe rapitur:

1636. In ipſa inventione Sanctæ Crucis, accidit mirabile. Nam ſibi erepta, in has voces prorupit. *O amor! ô amor! parum agnite, parum amate. Si cares hoſpitio, veni totus intra me. Subi cor meum; ibi cubabis, ibi quieſces. Quid verò mortales, amorem immortalem ceſſatis deamare? Hei me! vivo ab amore moriens, morior vivens. Nempè amor ſimul labor & quies, amœnitas & aſperitas, oblectamentum & tormentum, mors & vita.* Aliquandò manibus plaudens, brachia pandens, pulſu etiam campanarum homines convocabat, *Euge, properate, venite ô mortales, Deum veſtrum amate.* Diſcurrenſque per Clauſtra, & pomeria, inquirebat, qui amorem cognoſcerent, & amarent. Primamque obviam manu apprehenſam, ſic compellabat: *O anima amas amorem, ſicut vitam tuam? Hem! vivis adhuc, hoc igne amoris non extincta, non conſumpta?*

igne arcentur lupi:

1637. Hac verò ſimilitudine, vim amoris exprimere ſolita erat. Agnis lupi hoſtes omnium reverà infenſiſſimi. Hos porrò bonus Paſtor arcet à grege & caula, facibus & tœdis. Quid ergo faciat creatura rationalis, ut expellat lupum illum tartareum, animabus perpetuâ venatione inſidiantem, inhiantem? nempè tota amore igneſcat, tota inflammetur charitate. Si iſtâ tegitur, quid eſt quod reformidet? nullo alio eget tutamine, præſidio nullo. Muniatur duntaxat charitate, erit verò potentiſſima, ſemper victrix, ſemper triumphans. Ea nimirum in Magdalena, virtutum ſumma. Amore ſic paulatim ac feliciter conſumpta; ut divina prorſus metamorphoſi in Deum qui amor, ipſiſſimaque charitas eſt, meruerit transformari.

oratio continua:

Ab iſta ſupra fidem amoris ſcaturigine, fluxiſſe in Beatam donum orationis continuæ nemo non intelligit. Vix ut reperiatur in ullo aliquo, ea noſtri Inſtituti pars primaria ac princeps, quemadmodùm in noſtra Pazziana. Quia enim Deum amabat indeſinenter, in lege Domini die ac nocte meditantem ſine intermiſſione oraſſe credenda eſt. Undè illi à Creatis alienatio tanta, ut paucis diebus ante obitum, rogantibus confidenter reſponderit; ſe nulla re, extra Deum, uſquàm delectatam. Illoque ſolo ſe contentam in vita & in morte, in tempore & æternitate.

lumen mentis & cordis puritas:

Et mirabitur jam aliquis ex ea divini amoris flamma extitiſſe tot mentis lumina, tantamque in Magdalena cordis puritatem; quibus vel leviſſima errata, queis lædi tantiſper poſſet ſumma charitas, recognoſceret. Patuit id aliquandò cùm rapta extaticè, peregit conſcientiæ examen; quod excerpſit, retulitque in commentaria quæ tunc aderat Monialis.

examen conſcientiæ:

1638. Recitatis itaque aliquot Pſalmis, inquirit in ſeipſam cum acri cenſura. Accuſat ſe primùm quòd ſtatim evigilans primitias cordis non obtulerit Chriſto, nimis ſollicita de Sororibus hora congrua excitandis. In Choro non exercuiſſe actum plenariæ, & perfectæ reſignationis. Dum divinum penſum ſolvitur, attendiſſe ſe potiùs ad ritus exteriores, aliarumq; errata, quàm ad Dei laudes cum Angelis toto cordis affectu concelebrandas. In Sacra Synaxi guſtum ſenſibilem à ſe prælatum, Chriſti per acerba obeuntis compaſſioni. Quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ acceſſerit, parùm tranquilla & quieta. Admonitas à ſe ſuæ curæ commiſſas, nimis acerbè Quòd à conſanguinea è ſeculo dum viſitaretur, non ſine aliqua hypocriſi voluerit videri probior, Deoque unitiſſima non fuerit Quod inter prandendum non ſatis memor fellis & aceti Chriſto propinati, neq; mendicantibus, tunc & egenis ſatis condoluerit. Quòd contra quã præſcribunt conſtitutiones, aliquam in refectorio fuerit allocuta. Quodque faciliùs quàm par erat, admiſerit diſpenſationem horæ alicujus in Choro canonicæ.

pœnitentiam ſibi imponit

1639. Intereà ſubindè proſtrata Deo, illius implorans clementiam; ſeque confeſſa dignam quæ æternum vapularet, ſolumque meritis ſanguinis Chriſti innixa; concludit cum doloris ſenſu vehementiſſimo: *Quot à me, mi Deus, alia admiſſa flagitia innumera, cogitando, loquendo, operando? Heu me, Domine mi! quidquid in me eſt abnorme eſt. Vah me miſeram, quæ nihil molior niſi impuriſſimum. Hæc ita ſe habere fateor, Ieſu clementiſſime. Quæſo tamen avertas, quod piaculum*

XXV. MAII.

culum foret inexpiabile, deſperare de tua miſericordia. Scio equidem indignam me quâ cum agas indulgenter. Sed effuſus pro me ſanguis tuus, hanc miſerrima peccatrix veniam efflagitat. Denique ne abiret impunita, ſeorſim ſæviit in ſeipſam acriori flagellatione. Ex quibus apertè liquet amorem divinum, quo tota animabatur, nihil in illa toleraſſe quod diviniſſimo ſponſo tantiſper diſpliceret.

amor proximi. Ab eodem cæleſtis ignis camino, zelus ardebat erga Proximos quàm-maximus. Pervidebat illa mentis acie acutiſſima pretium ingens animarum, quas proprio ſanguine Chriſtus in cruce appendit. Quare nec aliter homines appellabat niſi hoc reverenti nomen, animas; quippe Dei charactere & effigie ſanctiùs impreſſas. Viſa eſt aliquando cum Crucifixo ad manum, tota amore æſtuans in haſce flammas erumpere. *Tu verò Chriſte charitas æterna, mortem in hoc patibulo ſuſtinuiſti, effuſo pro flagitioſis ſacro cruore. Ah! quàm quoque vellem, mi Ieſu, ſanguinem & vitam illis convertendis profundere.*

zelus animarum; 1640. Iiſdem zeli oculis cernebat totum mundum in maligno poſitum. Deformitatem verò peccati mortalis tantam, ut ad ſolam illius prolationem propemodum expiraret. Atque ut contrario oppoſita contrariis magis eluceſcunt, videns unum Beatum, alterumque damnatum; ità altè penetravit illius felicitatem; ut in hujus calamitatis contemplatione defixa, pallens, livida, totaque vultu & animo cohorreſcens, ſic miſeram allocuta ſit: *Ades ergo miſerrima, maledicta à Deo tuo, privata ſorte Beatorum, jamque ſempiternis addicta incendiis. Heu, heu! quàm citò in ſupplicia mutata delicta, oblectamenta in tormenta! igitur pro momentanea voluntate, æternum cruciaberis miſera & infelix.* Tum celo obverſa, adjungebat: *O Deus immortalis! ſuavis quidem, ſed auſterus, miſericors ſed acerbus; clemens, ſed vindex. Homines ex ſæculi genio Majeſtatem tuam uſquequaque offendunt, & tu illis non parcis. Age Iudicem ſeveriſſimum, & iſta homines ſeculi nihili faciunt.*

peccati horror, Ibat quoque ulteriùs in ipſam ſceleris turpitudinem, quam dæmonibus comparabat. Paratamque ſe dictitabat ſpoliari gratiæ donis omnibus, ut illis induerentur proximi, reſervatâ ſibi ſolùm voluntate Deum amandi, illique obſequendi. Cùm enim noſſet perfectiſſimè peccati deformitatem, vel à minimis longè abhorrebat. Ideoque dies ante obitum non pluſquam quindecim, pronunciavit iſtud axioma, cedro, immò cælo digniſſimum. *Vitam hanc deſero, unum iſtud ignorans, qui fieri poteſt, ut homo ultrò conſentiat in vel leviſſimum peccatum, offendatque Dei Majeſtatem.*

præſertim in Sacerdotibus. 1641. Videbatur verò in Sacerdotibus ea longè major turpitudo. Proptereaque abibat in fletus, ſæviebatque in ſe vehementiùs. Augebat ejuſmodi aſperitates crudeliſſimas præſertim in bacchanalibus; ut ſeculi flagitia expiaret, obtineretque à Deo Sacerdotum impiorum converſionem. Ideò & amplexabatur tunc aſperiora, & prolixius, ac ferventius orabat. Totque argumentis agebat apud Numen, ut cogi videretur ad ejuſmodi converſiones. Sic enim aliquando Deum identidem perurgebat: *Noſti, Domine mi, horum crimina nævos eſſe in vultu & facie, qui in omnium oculos incurrunt non ſine grandi ſcandalo. Fontes ſunt illi publici, ſemel venenati; plebem inficiunt, vulgus corrumpunt. Illos habes domeſticos, in te refunduntur illorum dedecora. An non ipſe, Domine Deus, nos docuiſti, illos lucem eſſe mundi; quá igitur ratione ſinis ſolem peccati tenebris offuſcari? Sal infatuatum ad nihil valet ultra. Tu eos tui populi conſtituiſti duces. Et permittis interim ut iter oſtendant tuis præceptis, tuiſque exemplis planè contrarium. Si cæcus cæcum ducit, an non ambo cadunt in foveam? tuum ergo Ieſu ſuaviſſime, in illos ſanguinem ut effundas, etiam atque etiam precor. En me pro illis piaculum offero. Obruar tormentis, pœnas Purgatorii ſuſtineam; nullas ærumnas, nulla verbera recuſo. Caſtiga me Deus in tuo furore, dummodò iniquitas tollatur à ſanctuario. Partemque Eccleſiæ tuæ nobiliſſimam eliminatis procul ignorantiâ & ſcelere; ſcientiâ, & virtute illuſtra. Ah? me miſeram, me uſquequaque infelicem! cur non mihi aſſumo genus omne ſuppliciis, in tot ſcelerum expiationem? O fiam anathema, delear de libro vitæ, peream millies, dummodo tot flagitioſi Sacerdotes ſalvi fiant.*

1642. In quos deindè effectus erumpebat zelus ille animarum, credi vix poteſt. *alii zeli effectus.* Gratiſſimum illi erat, ſorores converſas, eaſque maximè rudes & idioticas in rebus fidei erudire: ſæpiuſq; ferebat ægerrimè quòd impedirent ſexus & vota ne contenderet ad Indos & Turcas, Infidelium converſioni operam feriò navatura; Et pro Chriſto animarumque ſalute mortem oppetitura. *O Mundi Servator ac Reparator*, aiebat aliquando, *tot mihi animas tua indulgentia concedat, quot guſtum hodie obibo, Quàm vellem volucres imitari? utque illas volare terrarum ubique; amoris tui, & charitatis hymnum apud omnes decantatura.* Ceterùm nihil habet vita contemplativa eminens ac ſublime, quod non eſſet in noſtra Magdalena familiare. Sed materia illa ingens eſt admirationis, non orationis.

CAPVT VIII.

Eligitur in Conventus Suppriorissam, morbisque gravissimis conflictatur.

1643. ELapſo officii curriculo, omnium ſuffragiis iterum confirmatur Magiſtra Novitiorum. Sed eam mox invadit catarrhus in omnia paſſim membra effuſus cum tuſſi graviſſima: momentò exhauſtis viribus deficit paulatim. At metuens illa hoſtis tartarei inſidias, ne ſcilicet prætextu valetudinis arceretur à vita auſteriori, ex illa nihil planè remiſit. Perſtititque invicta, donec diſruptâ venâ in pectore, cogitur à Superioribus committere ſe Medicis. *morbi graviſſimi;*

Hi

XXV. Maii. Hi verò intuiti dolores quos perferebat acutiſſimos, copiamque exundantis è pectore ſanguinis, conclamatam pronunciant. Illa interim ipſo Joannis Chriſti Præcurſoris natalitio, acta in extaſim (& hanc ultimam vidit monialium cœtus) audivit à Chriſto futurum ut continuis morbis excruciaretur ad uſque ultimum vitæ ſpiritum: id quod tanta animum perfudit lætitia, ut porrectâ fronte, vultuque hilari dixerit: *Vis ergo Domine Ieſu moriar parvula, vis me naſci denuò.* Seque ipſa poſtmodùm interpretans, & obedientiæ imperio pronunciavit futurum ut in Crucis nuditate expiraret. Hoc eſt in ea ſpiritus inopiâ, & animi denudatione, ut à Deo derelicta videretur, in iis ſaltem quæ ſapiunt gratiæ ſenſus extraordinariæ. Indè dicebat poſtmodum: *Obſtupeſco videns me omninò diverſam ab ea quæ hactenùs fui. Anteà ſatis, Deo largiente, mihi erat virium, ut nihil non perficerem: nunc quò plus connitor, plùs videor languida & effœta.*

petit vacationem ab officiis: 1644. Appetente electionum tempore, ſumma cum animi modeſtia & demiſſione, poſtulat ab omnibus fieri immunem, ut ſibi tantiſper vacare concederetur. Non quòd reverà ſuam invideret operam, ſed quia, ſubjungebat: *Prævideo præter præſentem modò ægritudinem, quò calamitatis & afflictionis mihi ſit deveniendum.* Effecit nihilominus vita ſanctiſſima, fiduciaque omnium in illa generalis; ut in Supprioriſſam Conventûs, votis conſentientibus, aſſumeretur. Conſenſit illa tandem, licèt admodum repugnans, eo quippè munere ſibi videbatur indigniſſima. Cupida tamen defungi ad unguem, illud aggreditur ſub finem Octobris, raris cum virtutum omnium exemplis, Quod equidem non duravit diu.

eligitur Supprioriſſa an. 1604.

ſtatim in morbo corripitur: 1645. Vix enim elapſis diebus octo decubuit, Deo ita volente, cum febre præacuta, doloribuſque capitis graviſſimis. Ibat nihilominus quotidiè ad Sacrum cum aliis, adque Sacram Synaxim. Monitaque id valetudini nocere plurimum, reponebat, *dempta Superiorum autoritate, millies potiùs mortem oppeterem, quàm privare vel ſemel hoc paſtu Angelico. Niſi enim vires & robur ſuppleret cæleſtis epula, omninò non ſufficerem tot morbis in corpore acerbiſſimis, multoque minùs tot animæ ærumnis & deſolationibus tolerandis. Sed divinum iſtud condimentum fovet admirabiliter & auget cordis vigorem, cunctis moleſtiis ac doloribus longè ſuperiorem.* Quid, quod ardor ille inolitus quo inflammabatur generoſum pectus ad conformitatem cum Chriſto patiente, augeſcebat ipsâ attriti corporis debilitate. Undè audiens aliquando in communi menſa vitam Sancti tormentis illuſtrem, obtinuit à Chriſto ſponſo, daret ſibi ſemper ad ultimam uſque periodum occaſiones acerbiora indies magis ac magis perpetiendi. *Iuvat utique maximoperè*, aiebat, *ſemper nobiſmet deſidere non parum, videndumque ſtudioſiùs ne naturæ ignaræ ex ſe & præterva, morbis & doloribus emeritis, ambiat quietem nuſquam illi concedendam.*

cupido perpeſſionum:

1646. Quâ ſuper re roganti è Monialibus alicui, num ſibi videretur ſatis exercita illo probationis quinquennio, reſpondit optima Mater multo cum fervore: *Tunc enim verò nuſquam indè tuli quidquam. Nam tametſi inter vexationes & cruciatus ros ſemper aliquis è cælo & à Sponſo cordis intima irrigans, quidquid erat amaritudinis melliſſimè edulcorabat. Nunc porrò quæritur à me; idque perrogo dilectum animæ meæ, perpeſſio nuda & cruda. Fel volo felliſſimum, nullâ prorſus ſuavitate temperatum. Aveo amaritudines amariſſimas, procul ab omni ſolatii condimento. Tantaque de illius amore mihi ineſt fiducia, ut ſperem ante obitum hanc ab illo gratiam & ingens beneficium.* Obtinuit verò ſic copioſè, ut vix ulli hactenus mortalium, conceſſa videatur reſidua fæx in calice, quem diviniſſimo labiorum attactu Chriſtus in cruce edulcavit. Siquidem aliis deliciæ, illi fiebant ſupplicia & tormenta; unde audita ſubindè, ſibi cor eſſe nonniſi capax afflictionum. Ideoque à viſitantibus ſollicitè quæritabat precum ſubſidia, ut ſufficeret tot perpeſſionibus crudeliſſimis.

flagrans deſiderium patiendi acerbiſſima, ſine omni conſolatione:

1647. Juvit ſanè plurimùm per animi fervorem, tot malis induruiſſe: flammaque jam in prima illa ægritudine ſub finem Novitiatûs, altè medullis concepta. Quare *exemplo* rogata ſub id tempus, quid ſentiret dura *Chriſti animatur:* tot inter & aſpera, illicò, reſpondit, digito in Crucifixum intento: *Hîc quidem contemplor acerbiſſimos cruciatus, ſuſceptos à Chriſto pro genere humano. Inde lectulus iſte videtur mihi aſſurgere in theatrum, ſub Dei oculis ipſius omnia cernentis ac præſidentis. Videt me è cruce iſta. Novit infirmitatem meam, animatque & excitat ad patientiam. Etiam delectant duriſſimi dolores, quoties recordor quidquid uſquam prædeſtinatos divexarit, in ſacram hanc humanitatem confluxiſſe.* Fuit verò ea meditatio, clypeus quo adverſa omnia excepit intrepida quamdiu vixit, magis etiam in vitæ periodo ultima.

CAPUT IX.

Mors, ſepultura, fama ſanctitatis.

1648. PRetioſa apud Deum mors Sanctorum appellatur, quia, ut in *pretioſa mors ſanctorum.* picturis, extremum artis eſt finire ac concludere. Id profectò præſtitit egregiè noſtra Pazziana, vitam omni virtutum genere commendabilem morte ſanctiſſimâ abſolvens. Juſtum Palmæ comparat Scriptura, ſemper viridi, ſemper florenti. Suaviſſimo cantu Cygnus præludit morti; nec ſplendidior Sol apparet, quàm ſub occaſum. Lampas aromatica mox extinguenda, lucem & odorem copioſiùs exhalat. Ita plane hactenus deſcriptæ à nobis virtutes omnes, concurrunt majori vigore & ſplendore, ut obitum Magdalenæ illuſtrent.

1649. Neque credi facile eſt attritas tot dolori-

XXV. MAII.

morbi graves & diuturni;

doloribus vires, duraſſe in tantæ patientiæ exemplum. Annos ſcilicet quinque hæſit lectulo: triſte, ſed grande ſpectaculum. Nec ſolùm non poterat moveri, ſed nec tangi tantiſper, quin videretur novaculis in omnibus membris crudeliùs lancinari. Pauciſque ideo animus erat ægrotam viſitare, & planè qui audebant, ſolvebantur in lacrymas, vel ſine ſenſu attoniti cogebantur recedere, ſemper tamen cum maxima commiſeratione, tantæque conſtantiæ admiratione. Enimverò his in doloribus elucebat virtutum genus omne, nec uſquàm conqueſta eſt. Niſi fortè hoc amoris & humilitatis actu ſuaviſſimo; *Optime Ieſu, ut ipſe virtus mea ſis & robur, vide iſtud corpuſculum tot laboribus ferendis minimè ſufficiet.*

reſpuit omne ſolatium:

1650. Dixiſſes Phœnicem conſumi pedetentim in ſua pyra. Totaque eò collimabat, ut in ultimo illo vitæ articulo Chriſti morientis dolores omnes ad vivum repræſentaret. Quare promittenti Confeſſori citum aliquod levamen, reſpondit illa magnanimiter: *Hoc à me abſit, mi Pater, ut aliquod ſolatii genus expectem, immò excepto perpeſſiones, quibus non alius ſinis quàm vita.* Atque ut abyſſus abyſſum invocat, ſic avida erat ærumnarum; ut nihil planè admitteret, quo mitigaretur dolorum ſenſus acerbiſſimus. Ipſis quoque per amicos miſſis bellariis ac condimentis, religioſiùs abſtinebat. Ideoque iterabat ſæpiùs, quamlibet ægrotet Religioſus, nihil unquam ſibi ſumendum niſi ex rigore paupertatis. Effuſaque in lachrymas Dominum deprecabatur, abeſſet à morbis omnis ſimulatio. Stupor erat profectò animam durare cum ea macie & languore. Cernenteſque Medici conſumptum planè humidum radicale, quidquid ſupererat vitæ miraculo audacter tribuerunt.

tota Deo addicta:

1651. Interea velut ac ſi deſloreſcente corpore, refloreſcat animus; mens jugiter adhærebat Deo, oculi defixi in Crucifixum, quem ſemper manu geſtabat: Aures replebant horæ Canonicæ, per duas Moniales recitatæ; ex ore fluebant nectarei ſermones, in aliorum ædificationem. Modò ut levaret mœſtitiam Præfectæ Conventûs, illi ſe plus à morte quàm in vita ſpondebat profuturam. Modò Monaſterium commendabat Confeſſoris curæ ac ſollicitudini. Quod ea præſtitit ſermonum teneritudine, quæ ſuum erga Sorores affectum palam teſtaretur. Eas verò intuita circa lectulum complorantes, ſuaviſſimè ſolabatur; exhortans multo cum fervore, ut in exactiori diſciplina regulari conſtanter perſeverarent. Præſertim nihil præter Jeſum Chriſtum haberent in amoribus; eumque probarent ardorem fiduciâ in ejus bonitate, compaſſione in doloribus, & quæſitis occaſionibus ſemper aliquid pro illius amore tolerandi. Atque ut Chriſtiana humilitas, cordi haud abſimilis, prima vivit, moriturque; ſumma tunc cum animi demiſſione veniam poſtulavit pro ante vitæ ſcandalis & neglectu in curanda Religione. Ita mixtis hinc ſummæ modeſtiæ indiciis, inde lugentium omnium lachrymis, ſacroque oleo inuncta, cunctis dum valedicit credebatur obitura; quando ſubitò viſa eſt ſuſcitari, recepto diviniſſimo *Euchariſtiæ* Sacramento. Certè quidem novo virium acceſſu facta vegetior ac validior, Confeſſorem fidentiùs hortata eſt, iret audacter ad Montem non procul Florentia, ſeque commendaret illic precibus Eremitarum. Ne dubitaret victuram ſe in triduum, illius reditum haud dubiè expectatura.

ſumpta Euchariſtia vires reparat

1652. Vix ille redierat, cùm vires cœpêre palam debilitari. Petenſque abs moribunda quid putaret, de præſenti ſuo ſtatu, vitaque anteacta; hiſce verbis reſpondit. *Scias, Pater mi, unum id mihi ſemper curæ, ſuperioribus exhibere me obedientiſſimam: neque in cunctis aliud cogitaſſe, quàm Dei præſentiam.* Videns verò vitam paulatim recedere, cœpit ex Eccleſiæ ritu animæ commendationem. Ipſaque conſcia ultimæ horæ, petiit ſibi dari Viaticum. Tum plena Deo, de illius regno locuta eſt ſublimiter, deque promiſſa illic ſuis Electis felicitate ſempiterna. Suis Sororibus ultimò vale dicens, illas obteſtatur: Nulli unquàm niſi ſponſo Chriſto amorem & affectus mancipent: illi ſoli fidant, pro illius amore diris omnibus ſeſe offerant; nec unquam in Monaſterio obſervantiam, & ſpiritum interiorem extingui aut relaxari permittant. In ſumma, palam erat ex tot alacritatis & lætitiæ ſignis, expirantis animum verſari jam in cæli atriis: brevique admittendam in penetrali, ad caſtiſſimum Agni connubium.

aurea monita dat ſororibus:

mortis ſuæ horæ præſcia:

1653. Eam ultimæ ſuæ horæ conſciam, ſatis liquidò conſtat. Nam poſt labores quinquennales, media nocte admonuit vigilantes, inſtare tempus vocandi Sorores ex uſu Monaſterii. Moxque obmuteſcens, viſa eſt animam efflare. Hæſit interim diu anxius Confeſſor, quid ageret. Hinc percupidus Miſſam celebrare, & Moniales pro agonizante communicare. Inde metuens, ne dum faceret in Altari, illa expiraret; ſed ecce divino, ut creditur, inſtinctu, dum ipſe ad Sacrum ſe accingit, mandat, animam retineret ad uſque Miſſæ finem, ſuumque reditum præſtolaretur. O felices obedientiæ victorias! ô trophæa uſquequaque inclyta! dictu mirum, ſed utique verum; obedientiam præſtitit Monialis noſtra qualem promiſerat, puta uſque ad mortem. Nam intimato Superioris mandato, rediit vox jam à pluſquam ſex horis deperditas vireſque reaſſumens, ait: *Deo gratias, ſit nomen Domini benedictum.* Immò & petiit dari ſibi aliquid alimenti, quo vita retineretur donec illam finire permitteret obedientia. Peracto Sacro, properè advolat Sacerdos. Ægrotam reperit cum reſiduis ſororibus colloquentem maximo cum fervore; *Gratias* inquiebat, *ego Deo meo; cujus ſum clementia,*

XXV. MAII.

mentia, ſeu juſtitia me ſic dereliquit orbatam omni guſtu ſpirituali. Et hoc ſummè mihi placet, Domine Deus meus. Iterumque quidquid devotionis eſt, tibi devoveo. Saltèm dignetur infinita tua miſericordia, me complecti, mihique animæ meæ ſalutem non denegare. Hactenùs illa.

1654. Accedit Confeſſor cum reliquo cœtu. Tum paucis poſt horis, beata anima quæ nil niſi Superioris benedictioné, Monialiumque comprecationes videbatur expectare; evolavit in complexus dilectiſſimi ſponſi; à quo terris tantiſper conceſſa ad ſui nominis gloriam, totius Eccleſiæ ædificationem & decus Ordinis Carmelitani moritur poſtridie Aſcenſionis, horâ promeridianâ circiter tertiâ, annos nata uno ſupra quadrageſimum, ipſo die S. Zenobii Archiepiſcopi Florentini: eâdemque, non ſine Numine aliquo, die & hora quibus contigit mors Chriſti in Cruce. Vt perfecta tam vitæ, quam mortis cum illo conformitate, in manus Patris ſpiritum emitteret.

Moritur 25. Maii an. 1607.

curatur cadaver:

1655. Mors hæc Beatis, lætitia in cœlo fuit, terræ mœſtitia. Jacturam ſuam flebant amariſſimè Moniales quibuſcum vixerat, illæ præſertim quæ ſub ejus vixerant magiſterio. Interim curatur funus. Cadaver loculo componitur, ceu ad triumphum. Facies mortuæ ſic hilaris, ſplendens, & amœna; ut facilè diceres enaſci hancce corporis pulchritudinem, ex animi felicitate. Aliquid orationis funebris delibavit Confeſſor, Moniales adhortatus ad defunctæ imitationem. Tum demùm defertur in Chorū, ut ex ritu Eccleſiæ juſta illi perſolverentur. Verùm ſparſus ubique, dum viveret, odor virtutum excivit in Vrbe populoſiſſima Plebis frequentiam ſanè incredibilem. Advolant planè omnes, totâ ad ſpectaculum effuſâ civitate. Nemo videbat Sacras exuvias, ſine motu interiori: ſentiebantque omnes, arcanis vinculis ligari ſe divinæ ſpeciei intuendæ. Parùm erat ſemel cadaver conſpexiſſe, redibatur ſubinde reſpiciendum. Cum ipſo intuitu creſcebat videndi cupido, ægrèque admodùm quiſque abs demortua avellebatur.

Concurſus populi:

mandatur ſepulturæ.

1656. Quòd ſi vox populi, vox Dei; omnes utique non aliter quàm Sanctam, Beatamque nuncupabant. Certatim ruunt in oſcula, reverenterque tangunt ferculum. Inſperſos loculo flores quiſque avidiùs rapit, ut novos identidem ſpargere neceſſum fuerit. Denique aucto cum ſingulorum frequentiâ & pietate, omnium ardore; adhibendum fuit circa corpus ſatellitiū, fores Eccleſiæ iterum aperiendæ, & cerei ubique accendendi. Nocte tamen ingruente, clauduntur Sacræ Ædes. Tum verò Sacrum corpus ſericis indutum, cum hymnis & canticis deponunt Moniales retrò Altare majus. Vndè non ita multò poſt extrahi voluit Numinis providentia, vitam repaſtinaturi per frequentiam miraculorum, quibus ſuis in Sanctis mirabilem exhibet ſe Deus.

CAPVT X.

In vita, & poſt mortem claret Miraculis.

Miracula ſeu ſanctitatis:

1657. PErperàm judicat craſſum vulgus per miracula, de juſtorum Sanctitate. Virtus enim-verò hujus teſtimonium eſt, omni majus exceptione. Docente præſertim fide peccati fugam, vitam probam, gloriæque merita ſempiternæ, fructus eſſe & effectus gratiæ genuinos. Secùs quidquid miraculorum nomine circumfertur, flos dumtaxat eſt & amœnitas, à qua præcisè non vendicatur jus æternæ hereditatis. Suos interim Sanctos ſæpiſſimè Deus illuſtrat per miracula, ſive ut ſuam augeat gloriam in ſuorum honore: ſive in ædificationem Plebis, quæ ferinè non miratur niſi poſita ultra illius tum notitiam, tum facultatem. Hunc verò viſibilem Sanctitatis caracterem indidit Deus vitæ & morti B. Mariæ Magdalenæ Pazzianæ; quò latè ejus gratia, & gloria divulgaretur. Quia verò non damus hìc niſi vitæ compendium, ſinceriora inſeruiſſe miracula erit ſatis. Omittamque conſultè plura, quorum teſtes non eſſe dignata eſt Numinis clementia, partim in corporum, partim in animarum ſalutem. Signanterque in An. 1586.
illorum ſolatium, quos perdura & aſpera exercet vita ſpiritualis.

1658. Virgo nobilis Florentina, Catharina nomine, Energumena primo ſtatim Magdalenæ imperio à teterrimo hoſte fit immunis. Morbo & ſenio gravis Monaſterii Confeſſor percepto jam viatico, abibat è vivis; cùm ecce retinetur precibus Pazzianæ, in commodum conventus; cui, ne eſſet ingratus, reliquum vitæ mancipavit. Calculo excruciata Soror Catharina Gignorea, à Maria Magdalena viſitabatur in valetudinario, iſtius verò preces impenſiùs illa efflagitat. Vix orationi ſe applicuerat, cùm ægrota ſomno corripitur. Evigilatque poſtmodum plenè ſanata. Alteram Monialem Magdalenam Morioeam, divexabat à ſeſquianno Iſchias crudelior. Ipſo die Veneris Sancto admonetur interiùs ſe ſanatam iri, ſi admoveretur Magdalenæ, quam tenebat tunc extaſis ſuper Chriſti patientis myſteriis. Defertur, Magdalenæ qua parte dolebat applicatur, mox perſanatur.

anno 1589.

anno 1589.

anno 1602.

An. 1587.

1659. Patiebatur divina noſtro Magdalena, cùm ex Oratorio Novitiorum ſignum tulit B. Virginis, pergitque ad Sororem Fidem Bucciæam Converſam, convulſionibus tantum non emortuam. Ducto cum imagine ſuper ea Crucis ſigno, paulum orans, cælum intuita ait; *fiat tua Deus, tua voluntas.* Cum hiſce verbis dolores finiêre, ipſaque

 mox

concubia Matronam prænobilem Mariam Bardiæam, corripit dolor nephriticus ingens. Adhibitis fruſtra cæteris remediis, alia nobilis fœmina applicat flores ſimiliter & veſtis Magdalenæ particulam. Id advertens ægrota, votum nuncupavit argenteum cum ceræ dupondio. Quòd & propediem præſtitit. Nam malo indormiens, ſana evigilavit. Unde poſtridie Medicis ſtupor, Monialibus lætitia, aliiſque, quibus id referebat, alacritas. Virginiam Ridolphæam, Petri Franciſci Rincini uxorem excruciabat ſalus filii decennalis jam à Medicis conclamata, ſuique impos, ut mater & fœmina, cogitavit tandem de Magdalena; cui dum viveret, fuerat admodum familiaris. Securiorque reddita interiùs, veſtis fruſtulum extrema patienti applicuit; voto ritè nuncupato, ſi reviviſceret puer, veſte induendum Carmelitica ad annum, & votivum donarium ſepulchro illius appendendum. Finis voti, pueri ſanitas fuit, quam miraculo adjudicavit Medicorum concors ſententia.

Miraculoſæ ſanationes.

1665. Neque verò mirum, ſi jam Deo fruens ſpiritus nequam expellebat ab Energumenis, quos dum viveret in iſta fragilitate tot victoriis detriumphavit. Certè Malignus ille uſque adeo Lucretiam Pezzininam, annos natam quinque ſupra viginti, ſui juris effecerat; ut poſt dira omnia ſic illam incurvaverit, ut totas ſeptem hebdomadas non erigeretur in pedes, ſed raptaret prona in terram. Nihil omiſſum fuerat, ut malus Genius averruncaretur. Sed incaſsùm. Id nimirum dixiſſes reſervari à Deo, Magdalenæ. Nam oſculata ſemel cum fiducia, flores & veſtis illius reliquias, reddita eſt priſtinæ ac naturali figuræ. Poſtque dies octo idipſum factitans, cacodæmon qui vim latentem ſuſtinere non poterat, Puellam reliquit planè liberam. Illa cum matre, & Sororum ternione, ſeptem continuis diebus Veneris ritè expiata & Euchariſtiæ epulo gratias egit Deo.

1666. Nec omitti hoc loco debet quod juvat imprimis animadvertere, ut Monialis hujus ſanctitas eximia pateſiat. Excitus famâ publicâ Sacerdos Societatis Jeſu, & ipſe accedit inſpecturus Sacra lipſana. Contemplatur attentiùs in vultu radios quoſdam vividos, teſtes illius gloriæ: quodque videbatur oppidò quam inſuetum, oculos vidit ſemi-apertos, mireque ablandientes. Recedebat ille cum incredibili pietatis ſenſu. Sed dum deportatur cadaver, in medium Eccleſiæ, ut plebi fieret ſatis; regreditur & ipſe, fruiturus ſpectaculo longè gratiſſimo. Cumque tutiùs intueretur; videt palam caput moveri in loculo, & inclinare verſus Sacrarium, mox & in aliam partem citiſſimè revolvi. Attonitus rei novitate, circumſpiciebat num quiſpiam commoviſſet. Cumque intactum palam eſſet, vidit ex parte Sacrarii à quo tam cito diverterat aliquem cœno & luto voluptatum immerſum. Tum verò perſuaſus quantum ſordes & ſæculenta abhorreret caſtiſſima hæc columba, curavit tandem commoneri peccatorem ſordidum; qui tactus miraculo ad pœnitentiam & ſanctiorem vitam traductus eſt. Idque proprio chirographo ſubſignavit teſtis ille oculatus, profeſſione & morum probitate inſignis.

mortuæ caput avertit ab adoleſc. lubrico:

1667. Sequuntur alia duo, quibus apprimè ſuaderi poteſt vitæ hujus lectio. Legebat illam primò tunc editam Laura Cavalcantæa, Romæ illuſtris. Dumque lectioni incumbit, movetur potentiùs ut Beatâ intercedente, poſtularet à Deo gratiam quam à novem annis fruſtra omnibus viis expetiverat. Augebat fiduciam quòd recordabatur adfuiſſe ſe, cum induta eſt Magdalena veſtem Monaſticam. Nec eam ſpes fefellit. Nam orationi inſiſtens, votis ita potitur plenariè; ut rei veritate perſpectâ à Confeſſario, illam crediderit miraculo adſcribendam. Facti totius narrationem mulier ipſa Româ Florentiam ſcripſit, favorem tamen reticens, quippè qui erat ex conſcientiæ arcanis. Altera Lucenſis Elizabetha Bonnetia, dum inter febris incendia, audit vitam Magdalenæ, tunc primò evulgatam; miro devotionis ſenſu afficitur erga Beatam; tota in lachrymas effuſa. Receptàque ab altera reliquiâ; mox integram valetudinem aſſecuta eſt.

Lectio vitæ S. Mariæ Magd. quam utilis:

An 1609. 17. Mart.

1668. Coronidem imponat quid non abſimile, ſed in ſereniſſimo Principe eminentiſſimum. Tribus ab obitu annis Cardinalis Gonzaga, dum illi perlegitur vita Magdalenæ, motus experitur inſuetæ pietatis. Inde procurat ſibi tabellam defunctæ ad vivum expreſſam cum veſtium lipſanis, quæ cultu aſſervabat religioſiſſimo. Poſtmodùm Romam pergens, divertit Florentiam, Sacrum pignus magno cum affectu viſitaturus. Curàvit loculum aperiri illuſtriſſimus Archiepiſcopus. Apparet corpus integrum, fluenteque è corpore balſamo veſtes madefactæ, cum odore per totum templum ſuaviſſimo. Vidit id miraculi Cardinalis, lampademque argenteam quæ ad tumulum diu noctuque arderet, dono dedit, faſſus ſe per interceſſionem Beatæ, beneficiis quamplurimis à Deo cumulatum. Conſulti deindè ea ſuper re Medici fidem miraculo fecère, neque verò corpus ullo medicamine fuerat conditum. Patuitq; Deum qui cælis materiam dedit ſimilem formæ, ut ſint incorruptibiles; ſic puriſſima ſuorum corpora, ſervare integra ab interitu.

aliud ſimile:

1669. Juſſit propterea urbis Antiſtes, illud ex humo efferri in capſam auratam; cui duo ſuperſtant Angeli, quorum alter manu geſtat lilium, illius caſtiſſimæ Virginitatis ſymbolum: alter coronam, ſignum victoriæ ab ea ſæpiùs de hoſte tergemino magnanimiter reportatæ. Per Cancellos objectum oculis ſacrum corpus, excivit mox

corpus humo reſicentum elevatur.

 effuſos

effuſos ad ſpectaculum cives Florentinos. Crevitque adeo pietas populorum, ut viginti poſt annis, inſtantibus Etruriæ Magno Duce, Monialibus Conventus Angelorum, nec non Generali Carmelitarum, cunctis ritè examinatis, edixerit ſpeciali Diplomate Urbanus VIII. Pontifex Maximus, Mariam Magdalenam Pazzianam, quoad vixit, Inſtituti fuiſſe Carmelitici, ac proponi deinceps titulo Beatitudinis publicæ fidelium venerationi.

CAPUT XI.

Raptus, Extaſes, Revelationes B. Mariæ Magdalenæ præcipuæ.

Revelationes, quatuor modis examinandæ:

1670. PEregregiè Doctor ex alma Sorbona famoſus, quique adfuit pro Gallis Concilio Conſtantienſi, ubi & approbatæ S. Brigittæ Revelationes; harum veritatem ſcribit non aliter, quàm probam monetam examinari. Sono videlicet, lapide lydio, pondere, ſtemmate Principis, ſeu effigie. Juxta certiſſimam hanc Regulam nemo dubitabit de noſtræ Magdalenæ *Revelationibus*, niſi admodùm aut ignarus, aut nequam. Nihil quippè habent omninò niſi perquam conforme verbis Sacræ Scripturæ, Eccleſiæ auctoritati, rationis ponderi, fidei decretis ac fidelium ædificationi. Præterquam quod declarant Numinis in Magdálenæ præſentiam, à quo tot luces, tot ſplendores. Id verò atteſtantur etiam Inquiſitores Sancti Officii, Magnus Pœnitentiarius, Cancellarius, & Officialis Florentinus: plures inſuper è Societate Jeſu, magna eruditione & probitate viri. Juſſi namque illi volumen vitæ hujus integrum examinare, retulerunt votis concordibus, DIGITUM DEI hic eminere. (a) Deique operationes in Pazziana mirabiles in Eccleſiæ decus, & fidelium exemplum. Verùm quia ſunt divina hæc chariſmata in noſtra Magdalena adeò innumera, quia propemodum continua; ne recedam à propoſita mihi brevitate, potiora ſatis erit retuliſſe. Ideoque magis quod iſthic non offertur niſi ſertum, ex lectiſſimis floribus concinnatum.

(a) Vide hic ſuprà n. 1543.

puritas animæ Dei donum excellens, quomodò acquiratur:

1671. Mox à profeſſione totos quadraginta dies paſſam eſſe divina, jam ſupra à nobis prælibatum fuit. Junio inſequente recepit à ſponſo prædilecto, divinæ puritatis donum excellentiſſimum. Didicitque ad illud perveniri imprimis mortificatione, cordis cuſtodiâ, corporis caſtimonia, ſummaque demum humilitate. Docuit alia extaſis, paucos ut iſthic vivitur modò, divinæ illi puritati copulari. Indeque ſuſpirabat cum gemitu, & fletu. *Heu me! languet ſponſus, nec reperit ubi hoſpitetur cum ſponſa puritate. Quærit, & neminem invenit. Et nihilominus ſufficeret tantillum hujus divinæ ſimplicitatis, & puritatis. Hanc unam expetit, ut effundat theſauros gratiarum opulentiſſimos. Sed heu tu dilecta anima mea, electa ex millibus; dic ſodes, ubinam vis puritatem inhabitare? Sacra erunt oculi pro portica, os pro jubilo, cor pro thalamo. Non placet Ieſu ſuaviſſime. [Sponſa ſiquidem oculis, ex tuiſmet oraculo ſicut columbarum, & recti diligunt te.] Vis enim-vero ſponſam tuam, ut hoc munere exornetur, totam eſſe pulchram? nec ullam illi ineſſe maculam. Uno verbo, vis puritatem cuncta illius membra inſidere; oculos, os, labia, cor: cogitationes, locutiones, operationes; nullibi non eminere.* Rogat deinde ſua ſibi revelari impedimenta. Ea verò Chriſtus enumèrat: nictus immodeſtior, verbum otioſum, tantillum philautiæ, intentio paulò obliquior. Præ verò ceteris diſſimulatio, delictorum excuſatio, affectata hypocriſis, aliaque id genus. Exclamat demum ſibimet erepta; *O puritas, puritas! veni ergo habitare in ſponſis ſponſi Virginum? O puritas Regina ſpecioſiſſima, veni & nobiſcum ne dedigneris commorari.*

puritatis impedimenta:

ſimplicitas puritatis comes:

1672. Proſequitur illa. Puritati ſemper comes *ſimplicitas*. Hæc catulus veluti fidelis, heræ ſemper advigilat, clamoribus ſubmonet, hoſtes fugat. Vel germanam dixeris puritati individuam. Quare vano conatu aſpirant plures ad puritatem, quippe qui dedignantur ſimplicitatem; nec una potitur quis, ſine alia. Repudiatur autem ſimplicitas, utpote deſpicatiſſima. Quid autem operoſiùs quàm complecti ruinam philautiæ & propriæ exiſtimationis. Qui ſibi igitur vivere placent, ſunt à ſimplicitate perquàm alieni: ſibique per omnia addicti, illam nuſquam purè exercent. Et planè puritas ſic tenera & ſubtilis res eſt, ut reſpuat animum ſibi hærentem. Thronum eburneum non collocat illa, niſi in vacuo proprii amoris. Auffert omnia, ut det omnia, neque poteſt anima niſi penitùs ſpoliatur, indui divino apparatu. Puriſſima eſt ipſamet puritas, nec ulli rei admiſcetur quin ſtatim fiat impura. Sed enim ſeriò in clauſtris oppugnantur tum puritas, tum ſimplicitas. Hoſtes ſcilicet utrique infenſiſſimi, aſtutiæ, vafrities, invidiæ, acediæ, puſillanimitates: cura ſui nimia, honoris, & valetudinis ſollicitudo; ratio merè humana, carnis & mundi prudentia. ſimiliaque dedecora quæ divinas illas virtutes pellunt è fæmnæis, noſque è cælo ſæpiſſimè deturbant. Adjungit demùm notas ambarum, & ſtemmata. Non aſſueſiunt niſi verè pœnitentibus, atque ad amorem divinum toto ſtudio enitentibus. Argumentum erit maledicentiæ os & aures occluſiſſe, Proximis opem ferre quoties præſertim agitur de ſalute. Si ploras illius peccata, optaſque illi virtutes omnes cum gratiarum ubertate. Solem nempe radius manifeſtat, vixque alius divini amoris caracter quàm proximi.

puritatis hoſtes qui:

varia Chriſti myſteria: nu. 1585.

1673. Secundùm Deum, in cælo perindè & in terra, nihil pretioſius Chriſti humanitate. Ideò & illi contemplandæ, attenta ſemper erat & intenta noſtra Magdalena. Ac licèt quæ ea ſuper re illi accidêre, omnem ſuperent admirationem; ſeligemus tamen præcipua, quibus animemur ad ſtudium

XXV. Maii.

dium perfectionis. In ipſo Annuntiationis pervigilio attentiori cogitatu meditans Incarnationis myſterium, divinitùs penetravit mirabilem illam unionem, nec non Sanctiſſimæ Deiparæ puritatem. Simulque, quod ſtupeas, vidit S. Auguſtinum cordi ſuo aureis caracteribus inſcribentem, VERBUM, ut denotaret perſonam divinam: ſimulque ſanguineis notis, CARO FACTUM EST, quibus humana in Chriſto natura declaratur. Inſequente die Jovis Sancto, cœpit liberaliùs participare Chriſti in Cruce tormentis. Crevêre illa admirabiliter ſequenti die Veneris mane. Nam uſque ad meridiem vultu erat pallido & languido, corpore præfrigido, viribus attritis. Mox majora perpeſsà, frons ſudat, oculi madent lacrymis, humoribuſque defluis tumeſcit ſtomachus; Veritæ Moniales ne ſuffocaretur, veſtes laxant. Illa tantiſper ad ſe reverſà, oculis in cælum clementer ſublatis, multis cum ſuſpiriis & angoribus in hæc prorupit. *Mi Ieſu planè deficiunt vires, nec valeo ulteriùs cruciatus tuos experiri.* Verùm quia Extaſis ſtatus eſt lucis ac ſplendoris, vidit tunc Jeſum in Cruce expirantem: didicitq; emortuum inclinato capite, ut Spiritum ſuum ſuis infunderet electis.

Paſſionis Christi tormenta patitur:

1674. Sub id tempus converſans cum aliis in horto, benigniſſimè vocatur à Chriſto. *Veni & vide quid agam in anima; cunctis ignotum, niſi quibus cor mundum eſt.* His dictis invadit eam impetus amoris tantus, ut confeſtim in conclave fuerit deferenda. Illic genuflexa, defixaque in Crucifixum quo planè modo D. Franciſcus quando ſtigmata illi impreſſit Seraphinus, dixit cum fervore incredibili; *Cape me, ò Ieſu, & totam me in vulneribus tuis abſconde.* Idipſum quinquies repetens, lucebat facies flammà longè ardentiori. Tum membra omnia applicans Crucifixo, hæc ingemiſcebat ſigillatim: *O mi Ieſu! condantur oculi mei, in oculis miſericordiæ tuæ. Tuis auribus meæ ſic prorsùs adhæreant, ut nil à me percipiatur niſi vox dilecti; jungatur os meum labiis tuis, ut tecum amorosè colloquar: pectuſque meum ò Ieſu amantiſſime, pectori tuo involvatur.* Id cum continuaſſet aliquandiu, obverſa ad crucifixum quem cernebat ſanguine madidum, exclamat; *Numquid non ſatis eras, ò Amor! ſanguis ille tuus toto corpore defluus? Quid debuit ergo ex oculis ipſis manare? O amor, ſi ſaltem humus illa fuiſſem, tuo cruore madida! fac ſaltem ò amor! ut hominum cordibus excipiatur tuus ille divinus ſanguis! ò amor quam longè plures ſagittas vibras in illorum pectora, quàm contra te ejaculantur. O amor Coronam tuliſti ſpineam, ut ſponſas tuas gloria in cælis coronares: ò amor cui potius debetur pungens iſtud diadema, amori an amanti? Mihi, mihi utique debetur illa corona, eam te precor ò Amor! concede. O Amor! non te norunt homines, ideo & deſerunt, ò ſemper tecum vivam crucifixa, tecum & commoriar.* Hæc aliaque conſimilia identidem proſequebatur, cùm animæ medullis quinque plagas radiantes à Chriſto inſculptæ. Undè illi gaudium ingens, quo tormentorum ſenſus planiſſimè evanuit.

crucifixa:

1675. Vice alterà toto ſex ſupra viginti horarum ſpatio, patientis Chriſti hiſtoriam in ſemet ad vivum per varia Monaſterii loca repræſentavit. Agoniam patitur in horto, ſudans ſanguinem: capitur, ligatur, raptatur: à Pilato plebi oſtenditur, ſpoliata flagellatur; neci addicitur, cogiturque crucem geſtare; ſic onuſta, adrepit in Monaſterii Oratorium. Illic ſupinam ſe reclinat manu unà, deindè & altera, quaſi utramque Cruci aptaret. Poſt mediam horam non ſine grandi ſtupore ſpectantium, inflexis genibus quo erat modo erigitur in pedes, inclinaturque parieti ſpeciem revera exhibens crucifixi. Diutiùs eo in ſtatu cùm perſtitiſſet, diſtinctè repetiit ſeptem verba noviſſima à Chriſto prolata. Demùm ceu moriens, & mortuam revera credidêre Moniales quæ aderant, corpus cernentes pallidum, frigidum, rigidum, immobile, ſupremis verbis *conſummatum eſt*, ſubjungit; *nunc abſolutum opus redemptionis, finitum opus communicationis, perfectum opus reconciliationis.* Mox (quod citra admirationem nequit cogitari) proferens noviſſimum illud, *& inclinato capite emiſit ſpiritum*; Velut ac ſi receſſiſſet anima, labebatur caſu violento, niſi Moniales ruentem excepiſſent. Quibus peractis ſpeciem induit revera Angelicam, ſolis inſtar reſplendens.

Paſſionis myſteria in ſe repræſentat.

1676. Eodem anno pridie feſti S. Catharinæ Senenſis, vidit hominum ſcelera ac flagitia horrenda. Tuncque ceu diris omnibus excruciata, ſucclamat; [*Dolores inferni circumdederunt me.*] *Heu Ieſu, amor meus, non ſuppetunt ultra vires. Vel auferas has à me abominationes, vel illas intollerabiles remove ab oculis meis: Proh! infelices, vanitatem intuitis cadunt in iniquitatem. Seculi dignitatibus attolluntur, & in orcum detruduntur. Domine, Domine regnum tuum non hæreditabunt, qui blaſphemant nomen ſanctum tuum.*

horror peccati:

1677. Vidit deindè Chriſtum magnifico apparatu, à quo rogatur *num vellet ab illo deſponſari?* Cui illa ſummà cum animi demiſſione: *Semper tu pollicitus eras, mi Ieſu, vitam tecum per omnia abſconditam: tanto favore me profiteor indignam: tua nihilominùs voluntas fiat. Supplebit indignitatem, pretioſus ſanguis tuus.* Tum manum extendens, quam ſuſtentabant è cælo Paranymphi Auguſtinus & Catharina, annulo pronubo ornatur à ſponſo. Mox ipſa facta lætior, ait: *Dominus ſponſavit me in dulcedine ſuavitatis, & liberalitatis ſuæ, & in unione Sanctiſſimæ Trinitatis.*

à Chriſto deſponſatur:

1678. Erat aliquando in Choro, cùm ſenſit ſe vocari interiùs. Petità licentia pergit in Oratorium, ubi orans prolixiùs, ſic Chriſtum grandi cum fervore eſt allocuta. *Ego Patris famula, filii ſponſa, templum Spiritûs Sancti.* Cernenſque in mentis exceſſu, Chriſtum coronam ſuam ſpineam illius capiti imponentem, ait ingenti cum amoris

donatur corona ſpinea:

XXV. MAII.

impetu. *Quis unquam Rex ſeu Imperator propriâ coronâ ſibi ablatâ, caput ſponſæ exornavit? ita eſt Domine Jeſu, hæc tibi nota dedecoris fuit & doloris. Tu verò per illam vis me & decorare, & honorare.* Tum Chriſtus frontem cingens hocce pretioſo diademate, dixit coram Sanctiſſima Virgine, SS. Auguſtino, Angelo, & Catharina Senenſi; illam ſe hocce donario decorare, nunc quidem citra dolorem ullum. Sed futurum propediem, ut ejuſmodi ſpinas & aculeos probè ſentiret. Et planè ab hinc acutiſſimos capitis dolores experta eſt, quæ diebus Veneris dirum in modum invaleſcebant.

An. 1585. Chriſto parentat.

1679. Maji duodecimo induta perſonam Sanctiſſimæ Deiparæ, Chriſto parentavit pari affectu & luctu. Chriſtum pendentem in patibulo contemplata, petit lachrymabunda concedi ſibi ad ſepulturam. Elevatiſque manibus, brachiis expanſis, viſa eſt in gremium recipere. Tum per multas lacrymas, oſcula & baſia alloquebatur eâ verborum ſuavitate, quæ præſentibus lacrymas copioſè elicerent. Nam digito in lateris vulnus intento; *Hem! quidni intremus in latus iſtud, ſic nobis excipiendis latiſſimè apertum? Quidni, quidni abdimus nos in his foraminibus petræ, in cavernis maceriæ?* Mox ſurgit, funus proſequutura. Totaque ad luctum compoſita, vultu mœſtiſſimo, demiſſis in terram oculis, junctiſque manibus; modeſtè varia circumiens loca, innuebat ſe cum Mariis tribus & Joanne Evangeliſta proficiſci, ut Chriſtum ſepeliat. Præmium tantæ miſericordiæ fuit cor Chriſti, noſtræ Magdalenæ, ut olim Senenſi Catharinæ conceſſum. Illa ſeſe colligens decuſſatiſque ſuper cordis regione brachiis, incredibili mentis jubilo exultabat. Tot beneficiis auctuarium acceſſit, à Sanctiſſima Trinitate benedictio: *Cor meum*, inquit Filius, *clauſi pectore ſponſæ prædilectæ.* Tum Pater: *Sponſa unigeniti pete à me quidquid libuerit.* Ipſa demùm in gratiarum actiones effuſa, ait; *benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus, in æternum & ultra.*

CAPUT XII.

Continuantur Extaſes ſuper ſtatu Monaſtico.

An. 1585. obſervantia diminuta, relaxata indigens reformatione:

1680. ANno vertente extaſim paſſa eſt quatuor diebus, noctibuſque continuis; duabus horis quotidiè exceptis, recitando officio, alimentoque permodico conceſſis. Ægréque tunc valdè tulit, quod vellet Deus illam ab aliis audiri; illique obſiſtebat acriùs, ſi ita loqui fas eſt, ut maneret omninò abſcondita. Vidit porrò in clariſſima luce, quantùm relaxata in clauſtris diſciplina indiget reformatione. Qua ſuper re ſcripſit ſæpiùs ad varios Eccleſiæ Præſules, magno cum rationum pondere, ut juvarent rem imprimis neceſſariam; undè gloria Dei amplior, Eccleſiæ verò utilitas præcipua. Cupida ſcilicet videndi obſervantiam Regularem, qualis initio à ſuis Inſtitutoribus; luce circumfuſa, altiùs in hanc veritatem penetravit. Principio mille encomiis proſecuta ſtatum Monaſticum, modò vocabat locum deliciarum, hortum concluſum, fontem ſignatum; modò thalamum regium, Dei thronum, cælum terrenum: Paradiſum ubi degunt homines Angeli, ſeu Angeli incarnati; modò Arcam ex ligno incorruptibili, Sancta Sanctorum: conclave Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ illic agit ſuaviſſimè. Vidit poſteà tabellam ubi virgo humanâ formâ auguſtior, Religionem repræſentabat. Vultu erat decoro, mixta gravitati manſuetudine, qualis vigebat dum viverent ejus Fundatores. Non ſe capiens, rogavit viam qua ad illam itur. Tum viſa Matrona animam è ſeculi turba abducere in ſolitudinem, hiſque illam informare.

An. 1596. Religionum monaſticarũ decor admirabilis tempore fundatorum ſuorum:

repræſentatur à Virgine decore vultûs:

Monaſtica documenta tranſmiſſa:

1681. Oblato primùm diario, ait: non induaris unquàm niſi ut decet, Hoc eſt nihil cogites, dicas, faciaſve niſi Regulis & Conſtitutionibus per omnia accommodatum. Continentur iſto volumine tria præcipuè. 1. Notitia ſubtilior, quâ intelligitur quam grata Deo ſit cordis munditiès. Quiſquis enim Clauſtrum ingreditur, viam cæli arripit clariorem, lucidiorem, puriorem. 2. Primarius vigor Religionis conſtans fervore Spiritûs, ſuique contemptu & abnegatione. Sed heu! utrumque deſtruit in diès vita Religioſorum corruptiſſima. 3. Amuſſis ſeu Regula, ad quam ſua omnia exigere debent quotquot Monaſticen profitentur. Addit deindè: *Oblatum tibi cibum, offeres mihi prægustandum, ſit licèt inſipidus & amarus, ſumes ut favum; quia nulla tibi dulcedo, niſi ab uberibus meis: nec aliis floribus delectari te convenit, quàm ex ſpinetis.*

Monaſtices perfectiſſima imago.

1682. Hinc halitu ſuo oculos illius emundans, claudebat terrenis, cæleſtibus aperiebat; undè videbant ſolum Jeſum. Cætera purgans, illuminans ac perficiens, limâ timoris Dei (quam alterâ manu geſtabat) elimabat verba; ſilentiique balſamo perfundebat, ut nonniſi coacta loqueretur. Tubam deindè mandatorum Dei inflabat in auribus Monialis, cui Echo eſt Regula & Conſtitutiones. Hæc facienda omnia ſuggerens, aures Serpentibus occludit. Murmura nedum comprimit, ſed & ſermones otioſos, vanos, aut inutiles. Ne verò manus commaculentur, induuntur aſperioribus chyrothecis. Quidquid enim in Religione fit, ſimplex eſſe debet & abjectum. Semel quippè erectus ad altiora, ſi tantiſper recedit à ſimplicitate & humilitate, incurrit in Proximorum offenſionem, qui faſtum illum ferre nequeunt. Duo deindè calcaria ſtimulos addunt, exempla Majorum, tum eorum quibuſcum vivimus. Aurea illa quidem, quia à charitate proficiſcun-

XXV. Maii.

cuntur. *Sic conveſtita ſupra modum placebis mihi. Teque ducam per mea veſtigia, ad apicem perfectionis.* Aliàs objecta illi Religio eſt, ſub ſpecie Paradiſi; è cujus meditullio fontes quatuor orbem irrigant, homines fœcundant. E primo fluit vinum, hic quam alibi longè delicatius; ſymbolum divinæ unionis, quæ mentes ſanctè inebriat. Ex altero aqua limpidiſſima; denotans quam excellenter de theſauris Eccleſiæ clauſtra participant. E tertio olei ubertas, quâ ſignificatur pax & tranquillitas vitæ Aſceticæ ſumma. E quarto denium balſamum odoriferum, Superiorum prudens eſt admiratio; quæ ſua non præſtat condimenta, niſi planè mortuis.

Religio Paradiſus: quatuor fontes,

1684. Altera vice percepit ex ore Dei ipſius novem regulas, quas in monaſteriis diligenter obſervari maximum operæ pretium eſt. 1. Electio Superiorum ſit ſancta, ex ſolo Dei intuitu ſine ulla alia conſideratione. 2. Si afflictionibus oppreſſi Regulares, levant ad Deum puras manus, opem illi feret ſicut & Moyſi. 3. Si alieni ſunt à ſeculo, terreniſque affectibus immunes; ſervabuntur à Chriſto ceu Collegium Apoſtolicum, iiſdemque privilegiis gaudebunt. 4. Si paupertatem amant velut ſororem, ſponſamve dilectiſſimam, illis omnia providebit celeſtis providentia. 5. Si colunt impenſiùs cordis munditiem, inſtar dilecti diſcipuli ſupra pectus Domini amantiſſimè recumbent, fientque participes ſecretorum celeſtium. 6. Si ſincerè & ſanctè amant proximos, ſedem in illis ſuam Chriſtus collocabit. 7. Si levant ſe ſupra ſe, & à divina voluntate prorſus dependent; faciet, ſi ita dicere fas eſt, illorum voluntatem Chriſtus. 8. Si pœnitentiâ delectantur, illorum contubernio Chriſtus ſummè oblectabitur. 9. Si conſtantes ſunt in obſequio Dei, illis perſeverantiam elargietur. Nemo porrò his omnibus aliiſque fruetur, exors vitæ communis. Sigillum apponit fervens hæc aſpiratio. *Iſtud porrò, mi Deus, rei totius momentum; ut quibus iſta indulges, aliis ſe impertiant. Avara namque virtus, virtutis nomen vix promeretur.*

Religioſi ſtatus perfectiſſimi compendium, è 9 Regulis à Chriſto datis.

1685. Aliquando in hæc verba erumpebat, aliaque conſimilia: *O, verbum amantiſſimum increatæ Sapientiæ, meique cordis Sponſe dilectiſſime; deſideras, ſi quid tamen deſideras, in ſponſis tuis ſimplicitatem, puritatem, humilitatem; quibus molem perfectionis inædificent. Iubes, mi Sponſe, eminere ſimplicitatem ac paupertatem in illorum veſte, ſupellectile, corde, ore, vita univerſa. Sed quæ pars vitæ tuæ, ô Servator amantiſſime, magis illas exhibet in noſtrum documentum? ſcilicet in Nativitate, ubi repererunt te Paſtores jacentem in præſepio. In Præſentatione, quando non offeruntur niſi gemina hujus virtutis ſymbola. In panum multiplicatione, ubi humi diſcumbebant, non opiparis menſis accumbebant. Quàm igitur cuique metuendum, ne vanitatem ipſe in Clauſtra inducat. Væ, væ, & millies væ; ubi præſertim radiat lux aliqua paupertatis ac ſimplicitatis, proprietatem & vanitatem introducenti. Vis inſuper, ô verbum ſummè adorandum obedientiam exactiſſimam. Ille, ille lectulus eſt Salomonis; ubi mutuis fruuntur amoribus, Sponſus & Sponſa. Ibi tranquilla mens dormit, dum cor vigilat, Sponſus eam cuſtodit. O felix Religio, ubi illæ deliciæ! Quàm verè uſurpare iſtud potes, filia Ieruſalem, ſi diligitis me; congratulamini mihi. Et quænam tua fuit, Ieſu peroptimè exaltatio, niſi quia [factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis?]*

Simplicitas, Puritas, humilitas, quàm neceſſaria in Religione: ita quoque obedientia exactiſſima.

1686. Optat demùm charitatem, quæ ſit vinculum perfectionis. Jubetque proptereà excludi ab ingreſſu clauſtri, vanos ac temerarios. Contrà admitti quotquot conſecrant ſe Deo liberè, non coactè; humiliter, non vanè; Crucis amantes non ſui ipſius; mundum abnegantes, non jam ab ipſo abdicati; celum purè intuiti, non propria emolumenta, aut commoda. Exclamabat deinde; *Domine Deus libera nos ab ore Leonis hujus ferociſſimi, à quo pleraque bona hominum opera devaſtantur. Heu! Domine mi, turpis, ac teter iſte reſpectus humanus puriſſimum ſplendorem Religionis detrivit & infuſcavit.* Addit peti à ſponſo in ſuis famulis, veram ac ſinceram prudentiam; non falſam, non fucatam qualem habet ſeculum. Sic Deo adhærentem, ut nullo ſub prætextu bonum ullum opus prætermittatur. Adeoque parum de corpore ſollicitam, ut animus ſemper Deo ſit unitiſſimus cum perfecto omnium virtutum exemplo. *O ſi in nobis luceret ille ſplendor,* exclamabat, *quantus inde honos tuæ Majeſtati.*

Charitas itidem quam neceſſaria, & Prudentia ſincera,

Poſcit denique zelum divini honoris, & ſalutis animarum. Offertque Chriſtus cor, ceu hortum amœniſſimum; undè flores ac fructus legant ſponſæ. Latus apertum, ut illic figant tabernaculum, quietem, delicias. Ex eoque vulnere hauriant vitam, prudentiam, fervorem, charitatem; quæ virtutum apex eſt & culmen. Qui ex eo manat Divinus ſanguis, arma ſubminiſtrat adversùs hoſtes viſibiles perindè & inviſibiles; quibus reportatâ de illis victoriâ, magnificentiùs triumphat. Mutatque, arte opulentiori, animæ facultates omnes velut metalla in aurum. Inde memoria cuncta obliviſcitur, Dei ſolius memor. Mens ceteris cæca, non percipit niſi excellentiam tum Numinis, tum ſtatus Monaſtici. Voluntas demum, abdicata omni erga res creatas affectione toto impetu fertur in Deum, illo æternùm fruitura.

Zelus quoque divini hon. & ſalutis animarum,

1687. Mira vidit de pietate erga Sanctos, Beatam præcipuè Virginem, Ordinis noſtri Patronam. Omnes illius feſtivitates ut dignè celebraret, præparabat ſe accuratius. In ipſo Aſſumptionis pervigilio, intenta myſterio, rapitur in extaſim horis duodecim. Tum in haſce voces erupit; *Agilitas corporis, lætitia cordis, libertas voluntatis, aviditas mentis, beneficiorum recordatio, puritas intentionis, ſimplicitas actionum, veritas ſermonum, ſenſuum mortificatio; hæc porrò neceſſaria contendentibus ad Mariam.* Ab aliis Patronis, quot te precor, recepit beneficia? Decembris decimo octavo

Pietas in Sanctos, An. 1583. B. Virgo. Alii Patroni an. 1584.

vo videt Sanctiſſimam Deiparam, mediam Sanctos inter Angelum Carmelitam & Ignatium Loyolæum. Atque ab altero de humilitate, ab altero de paupertate miré eruditur. Subinde tot pſalmis in honorem S. Auguſtini recitatis, quot elementis nomen illius conflatur; videt gloriam Doctoris illius incomparabilem plura cum eo eſt admirabiliter collocuta, & ab eo erudita. Anno milleſimo ſexcenteſimo gloriam Ludovici Gonzagæ extaticè intuita, exclamat; *ô quantam Ludovico Ignatii filio beatitudinem! id niſi meus mihi manifeſtaſſet ſponſus, nunquam certè credidiſſem. Ato Ludovicum Deo chariſſimum, terque Sanctum: ô utinam daretur mihi orbi univerſo inſinuare; quanta ſit Ludovici Ignatii filii ſanctitudo*, &c. Idque ſibi revelatum lecto decumbens jurejurando affirmavit Florentiæ Antiſtiti, ſubſignavitque, inſtantibus Patribus è Societate; ipſa interim ægrè ferens, intima hæc ſecreta publicari. *Ergo-ne vilis & abjecta, ibo in ora hominum, & libris inſcribar?*

B. Ludovicus Gonzaga quam glorioſus in cœlo.

1688. Celebrabatur ſub id tempus canonizatio S. Didaci Franciſcani, oſtenſaque devotæ Magdalenæ illius gloria his propemodùm Symbolis. Fruebatur animus faciali viſione Verbi increati, oblectabaturque cum centum illis quadraginta mille Virginibus, quæ cum mulieribus nunquam coinquinati ſequuntur Agnum quocumque ierit. Videbatur ille medius quatuor inter auguſtiſſimas Reginas, volanti Aquilæ pedes innixus. A dextris Paupertas, & obedientia: a lævo latere, puritas, & charitas. Jungebantur humilitati, quæ coronâ è perpetuis floribus frontem illius cingebat. Didicitque iiſdem privilegiis beandos, quotquot in hacce vitâ illas virtutes excolerent. Sed res utique non levis momenti. Nam puritas animum depoſcit, ab omnibus creatis alieniſſimum. Obedientia plenariam ſui-ipſius abnegationem, quæ animum efficiat ſine voluntate, voluntatem ſine proprio judicio; animum ſine oculis, oculos clauſos rebus planè omnibus; præterquàm quod charitati proximi, perfectæque cunctis obedientiæ Superioribus, æqualibus, inferioribus alacriter præſtandæ. Paupertas hominem ſpoliat omnibus deliciis, & commodis. Non ſuadet ſolùm ut non amentur, quod facit puritas, ſed ut in Chriſti quoque pauperes effundantur. Vidit verò S. Didacum hic excellere, ob regulam B. Patris Franciſci religioſiſſimè ab eo obſervatam. Intereà apicem paupertatis nobiliſſimæ, terris ignotæ; à Deo oppidò æſtimatæ, & cui omnes ex æquo obligantur; ſitam eſſe in vitæ ac morum ſinceritate, rectitudine, ſimplicitate. Ceterùm S. Didacum attolli maximè humilitate, velut umbraculo Solis æterni. Quippè vitæ hujus humilitas profundior, aſcenſus eſt ad altiorem felicitatem. Undè liquet quàm in cælo ſublimis ſit S. Didacus. Quippè qui dum viveret ſub cælo pater fuit, mater, frater, ſoror, ſponſus ob-

S. Didaci repræſentantur perfectiſſimum Religioſi quàm ſublimis gloria in cœlis:

jectiſſimæ humilitatis. His latiùs explicatis, ſermonem extaticum ſic proſequitur. *O Patronum meum chariſſimum, fideliſſimumque Advocatum! Quàm opto hæc quæ à me videntur modò, intelligere & imitari perfectiſſimè. Ingens certè mihi cupido eſt percipiendi Aquilam illam, tuis ſub pedibus expanſam. Scio, ſcio denotat utique ſublimiſſimam contemplationem, orationem, charitatem ardentiſſimam. Alas habet expanſas, quippe non ibas ſed currebas, volabas ad perfectionem; quam cetera virtutes non pluſquam adjuvant. Paupertas exuebat te, puritas ornabat, obedientia tribuebat ſummam quietem; charitas verò copulabat Deo, qui charitas eſt. O ter quaterque Beate, quantum te attollit charitas in terris maximè exercita. Nam illa totius vitæ alpha fuit & omega. Sermones non erant niſi à charitate. Aſpectus, actiones, omnia à charitate proficiſcebantur.* Poſt multa tandem, illius ſe precibus etiam commendat.

aquila comparatur;

1689. Ne in materia prorſus immenſa abeamus in infinitum, paucis concludo. Nihil habuerunt Catharinæ, Gertrudes, Angelæ, Brigittæ, Tereſiæ, aliique univerſi, quod non reſplendeat in noſtra Magdalena: Mentis elevationes, notitiæ, ſplendores, raptus, extaſes, prophetiæ, languores, transformationes, uniones cum Deo intimiſſimæ, aliaque id genus dona & chariſmata, uſque adeò frequenter viguerunt in hac Carmelitana; ut viderentur jam conſueta, & propemodum connata. Sic durante Octava Pentecoſtes, ſemper extatica quotidie ſub horam tertiam Spiritum ſanctum ſub variis formis recipiebat; ignis, flammæ, columbæ, nubis, linguæ ardentis. Sic revelatus illi in extaſi, Chriſtus à Pilato Plebi præſentatus, & ex utero matris illibato egreſſus. Sic conſcientiæ labeculas omnes diſtinctiſſimè recognovit. Sic viſa mediis in tenebris, velut in luce meridiana, acu & forcipe laborare in operis delicatiſſimis. Nocte concubia vidit P. Virgilium Cepareum, Rectorem in Collegio Florentino, cum alio ejuſdem Societatis colloquentem. Poſtridiè, cogente obedientiâ, mutuos utriuſque ſermones retulit ſigillatim. Dum cerneret extaticè Columbulam candidiſſimam huc illuc volitantem, quietemque quæritantem; evocatur à puella nobili, quæ Monaſticem quidem meditabatur, ſed de monaſterio adhuc anceps & dubia. Moneturque ab illius Cuſtode Angelo, qui præibat ſcalam geſtans in aëre; *ſiſte hoc loco, à me in illius favorem electo.* Ad ſe demùm reverſa, totum explicuit Puellæ; quæ poſt ſuperata impedimenta diverſiſſima, induit peplum Monaſticum.

S. M. Magdalena comparata cum aliis Virgin. extaticis.

Spiritum ſanctum ſub variis recipit figuris.

Videt in tenebris, & P. Rectorem S. I. longè abſentem audit loquentem:

viſio mirabilis columbæ;

1690. Quid ab illa prædicta memorem? Monet Præfectam Conventùs de proximo obitu Sororis unius, quæ optimè tunc ſe habebat. Admonita ipſa à Medicis cogitare de ſupremis, oleoque unctionis, modeſtè & verè reſpondit: Nondum venit hora mea. Eaque adventante, Sororem brevi ſequuturam ſe prædixit. Quid, quod Leoni XI. tunc Cardinali eidemque Archiepiſcopo Flo-

futura prædicit:

XXV. MAII.

Florentino, qui ejus voluit extaſim experiri; prædixit ſucceſſurum Clementi VIII. Sed *futura prædocet;* cùm Legatus pergeret in Galliam, admonuit eam dignitatem umbram futuram evanidam. Rem docuit eventus, neque enim *occulta pandit,* vixit in Pontificatu niſi dies ſex ſupra viginti. Quoties homines admonuit de occultis ſceleribus, de tentationibus, ceteriſque arcanis conſcientiæ? Vidit egreſſam de corpore animam in orcum detrudi, tum ob an- *Indulgentiæ quanti æſtimandæ,* teactæ vitæ flagitia turpiſſima, tum ob neglectas Indulgentias. Secus, vidit Sororem, cui in diuturna infirmitate miniſtraverat, poſt quindecim horarum expiationem cælo redditam; quoniam immania patienter tulerat, Indulgentiiſque erat uſa ut Chriſti meritis. *M. Magd. Bagneſia quanta gloria in cælis,* Viſitabat frequenter tumulum V. M. Mariæ Magdalenæ Bagneſiæ, cujus vita meruit à Dominicano, & Camaldulenſi præſcribi; eamque vidit in ſublimi Throno gemmis innumeris exornato, quem illi præparaverat puritas eximia. Vidit & aliam in cælum 3. Febr. An. 1588. conſcendentem ducibus Angelo cuſtode, & S. Miniato; cui fuerat in vita ſupra modum addicta. Didicitque à Deo ſtetiſſe ſex dies in igne expiatorio, triplici de cauſa. 1. Quia aliquibus operulis vacaverat diebus *Purgatorii pœna addicta monialis ob 3. culpas.* feſtivis. 2. Quia cùm eſſet ex majoribus & antiquioribus in Monaſterio, zelo defuerat ob aliquos humanos reſpectus. 3. Quia in parentes, & conſanguineos erat proclivior. Tribus viciſſim virtutibus acciſas illius pœnas in Purgatorio. 1. Cura erat conſervandæ puritatis, ac ſimplicitatis Monaſticæ. 2. Charitas in omnes præcipua. 3. Interpretatio facilis ſuper aliorum actiones. Dum effertur corpus Monialis unius, 5. Junii An. 1589. cui diu opem impenderat, ſubitò abrumpens neſcio quæ opera, ad calathum, raptaque exclamavit. *Vale, Soror dilectiſſima! vale ô anima perbeata! Nos ergo derelinquis in hac Valle lacrymarum, pergiſque ad ſedes beatas potitura felicitate. O, quàm ſpecioſa es, ac ſplendida, & quis tantam felicitatem, valeat enarrare!*

1691. Hæc revelationum materia ſanè 14. Junii An. 1587. pulcherrima, claudi debet gemma inſigni. Rogabat illa in Choro ferventiùs pro de- *Purgatorii pœna inenarrabilis: ita & gloria cœleſtis.* functo mox fratre, raptaque vidit animam fratris igne expiatorio dirè excruciatam. Tum illa in lacrymas, & gemitus effuſa; *ô miſeram, beatam tamen! ô animam vexatam, ſed glorioſam. Ah! tormenta Purgatorii exquiſita, & quis illa ſufficiat enarrandis? non ſuſtineo, mi Deus, poſt viſionem horrendam ampliùs vivere, & inter homines degere.* Viſâ deinceps gloriâ, cui per hujuſmodi cruciatus aptabatur, ſuperinjungit; *Non ita, non ita, Cruciatus iſtos diros & crudeles non placet appellare, quando deſinunt in tantam felicitatem.* Paucis poſt diebus dum ageret cum aliis in horto, vidit imminuta illa tormenta, unde ait gemebunda; *hei, mi, hei mi Domine Deus pro miſericordia tua mundum, quia ſunt ſe debent, & à te tamen exulant.*

1692. Poſteaquàm fuit planè immunis frater Magdalenæ, revelavit illi Deus præ- *Cuique peccato pœnis attributa Purgatorio;* ſtituta cuique peccato tormenta. Undè tantus illi horror, ut pallida, livida per hortum prona obambulans, pectuſque percutiens, flebili modo ingeminaret: *Heu, heu, miſericordia, miſericordia, ô Chriſti ſanguis deſcende in hunc ignem, flammas extingue, animas redime. Ita planè eſt. Quidquid pertulére Martyres, quid ad hæc incendia? ô me felicem, ſi imo tartaro non adjudicor.* *cujus tormenta ſuperant quid. quid Martyres pertulêre.* Lentè progrediebatur tremebunda, cùm ſubitò locus horrendus obiicitur; quo viſo exclamat; *ô Deus, in hiſce locis & tormentis Religioſi!* Tum tormenta pro cujuſque flagitiis dinumeravit. Hypocritæ ſunt in imo carceris fœdiſſimi: Mendacibus plumbum in ore, cum alternis ignis & glaciei tormentis: Inobedientes, & impatientes graviſſimè vidit onuſtos, direque verberatos: Ex eoque crevit horror, ut, juſſa, declaraverit, ſe millies tunc morituram; niſi vitam ſuſtentaſſent SS. Angelus Tutelaris, Auguſtinus, & Catharina Senenſis. Felices quos vitæ hujus le- *Concluſio, utiliſque hortatio.* ctio à tot, tantiſque tormentis efficiet immunes. En vobis, ô Chriſtiani, ad cælum iter aperit & oſtendit hujus Carmelitanæ hiſtoria. Portum commonſtrat, quò poſt ſæculi hujus tempeſtates juvat appellere; illius virtutes imitemur, ut ſimus tandem conſortes felicitatis. Ut via proclivior evadat, offero hic pro coronide, *Axiomata* quædam lectiſſima, ex illius vita integra & Scriptis excerpta; quæ & legere, & meditari, & porrò obſervare juvabit plurimùm ad ſalutem.

CAPUT XIII.

Documenta B. M. Magdalenæ potiſſima.

1693. Vix ulla poſt Baptiſmum major gratia, quàm vocatio Monaſtica. Proptereà noviter indutis inculcandus *Religioſa Monaſtica vocatio, quanta Dei gratia:* ante omnia Dei cultus, illarumque rerum omnium quæ ad illum ſpectant: quantaque cum reverentia accedendum ad divina Sacramenta, uti placeant Deo.

Mox pedetentim quaſi manuducendæ ad *Religioſa Monaſtica exercitia, & virtutes præcipua,* exercitia vitæ ſpiritualis. Verbo & exemplo animandæ ſunt ad virtutes veras & ſolidas. Inſpirandum illis pretium, & exiſtimatio vocationis. Inſtruendæ demùm perquam accuratè tam in Regula, quàm in Conſtitutionibus, quas volunt profiteri.

Longè ſatius foret perire in ſæculo, quàm damnari in Clauſtro. Deberque ſuſcipi vita Monaſtica ultrò & ſponte: neque alia prorſus de cauſâ, quàm ut vacetur Deo.

Novitia omnis gerat ſe velut mortuam, in manu Myſtagogæ. Commercium eſt vita Clauſtralis, ubi uſura creſcit in fructum centeſimum. Semitaque ad cælum compendioſior, ſecurior, facilior.

XXV. MAII.

Duobus maximè cardinibus innititur. Alter eſt animi fervor, & alacritas. Alter deſpectus mundi, & ſui.

Religio hominem exteriùs ſimul & interiùs purgat, illuminat, perficit. Claudit oculos ſuis Alumnis ad cuncta terrena, nec relinquit apertos niſi cœleſtibus; ut neminem videant, præter ſolum Jeſum.

Idem religioſo palato ſapor mellis, & fellis; nec aliud ſitit, quàm Matris ubera. Statim atque Angelicum ſchema induit, id ratum fixumque habeat; nil cogitandum, loquendum, agendum, quod non ſit religioſo viro digniſſimum.

Paupertatis votum qualiter ſervandum,

1694. Quidquid hic deerit Moniali, locupletiùs poſſidebit in altera vita. Quantumcunque ægrotet, nunquàm recedere debet à Paupertate. Munuſcula & apophoreta, laquei ſunt, quibus trahitur in infernum: ſaltem gloriam uſquequaque imminuunt. Paupertas verò hæc Monaſtica parùm admodum agnita, multò minus exercita; jubet non ſolum omnia relinquere, ſed & elargiri. Væ atque iterum væ vanitatem & proprietatem introducenti, maximè ubi vigent paupertas ac ſimplicitas.

Semel in menſe debet Monialis revocare ad examen affectus omnes, an rei alicui detineantur: illamque confeſtim, in manu Superioris abdicare. Quàm heu! cœli commercio prævideant commerciola neſcio quæ rerum levidenſium, ſueta aliquando in Monaſteriis. Et utinam non inducant jacturam beatitatis!

Caſtitas naſcens inter ſpinas, in hortis clauſis, quanti meriti:

1695. Caſtitas velut roſa non oritur niſi in hortis clauſis, atque inter ſpinas. Ædificat illa Aſcetis Thronum in cœlo eburneum. Si ſciretur illius præſtantia, actutùm opplerentur Monaſteria. Debentque Moniales muros & clauſtra deoſculari, utpote candidiſſimi illius lilii ſepes & repagula.

quomodò ſervanda,

Debet caſtitas omnes omninò partes tam animi, quàm corporis occupare. Non habitat niſi in iis qui vitam vivunt ſpiritualem.

& quibus modis,

Hujus porrò vitæ ſignum eſt luculentum nunquam detrahere de proximo, neque detrahentibus faciles aures præbere: ſed eum, haud aliter quàm ſeipſum diligere. Ut verò nomen retineat puritatis, nihil planè admittit niſi puriſſimum. Neque adiri poteſt illa, niſi per ſimplicitates. Ædes habent contiguas & connexas, ad alteram non patet aditus niſi per alteram. Vel leviſſimâ labeculâ deteritur illius ſplendor. Etiam ſervatur illibata mediis in ſordibus, quemadmodum ternio ille in fornace Babylonica. Acquiritur autem mortificatione tum interna, tum externa; cordis cuſtodiâ, corporis caſtimoniâ, imprimìs humilitate.

Obedientia quanta præſtantia:

1696. Obedientia lectulus eſt Salomonis myſticus, regiuſque thalamus. Perfecta animum inducit ſine voluntate voluntatem ſine proprio judicio, judicium ſine intelligentia, intelligentiam ſine oculis; cœcitatem uno verbo, quæ non ſciat niſi cunctis

quomodò præſtanda,

obedire. Sociæ obedientiæ individuæ alacritas, humilitas, ſimplicitas, velox executio, conſtanſque perſeverantia. Audiendæ Superiorum voces, nutus & imperia non aliter quàm Dei ipſius. Immo indignú ſe inferior æſtimare debet Superiorum mandatis, & incapacem ad illa executioni demandanda. Si aliquid præcipitur contra Dei nutus, Regulam & Conſtitutiones, debitamque honeſtatem; obedientia minimè eſt, ſed idolum & monſtrum. Crede diem te perdidiſſe, quoties nulli Sorori morem gerere contigit. Voluntatē devoviſti Deo, non Mortali neſcio cui. Et illam quidem integram, non diviſam. Quàm igitur enorme illam vel retractare, vel diſcindere? Præſtat vel minima ſublimiſſimæ contemplationi. Quàm verò peroptandum ut nihil planè agamus niſi ſigillatim demandatum! ô quanta ſuavitas hac voculâ continetur, voluntas Dei. Juvat ſemel in menſe poſt ſerium examen defectus in obedientia emendare & in ſemet caſtigare.

Regula & Conſtitutiones quanti æſtimandæ:

1697. Nihil magis curare debet Monialis, quàm ut de Regula & Conſtitutionibus diligenter informetur; nihil ex præſcriptis omittendo, ſemperque extrema fugitando. Procul amandandum quidquid ſingulare eſt; obſervantia quippe via regia eſt. In illa vivendum, in illa moriendum omninò; nec

non minùs quàm Deus à quo profecerunt:

curandum ab aliis obſervetur nec ne: Nec paulò minus facere debet quiſque ſuam Regulam, quam Numen ipſum à quo procedit. Singularitas umbra mortis eſt. Neque aliud ducit magis ad perfectionem, cumulatque merita in æternitate, quàm diſciplina regularis exactiſſima. Satius eſſet millies interire, quàm quidquam ex ea violare. Id verò eſt pungere Dei pupillam. Quin verò debet unaquæque aliarum defectus ſupplere, & in ſemet caſtigare. Pretium & valor

Pſalmodia, & chori aſſiſtentia Angelicum officium,

Monaſticæ vocationis, ſemper oculis obiicienda. Locus ſacer eſt Monaſterium, imago Collegii. Enimverò Pſalmodiæ in Choro adeſſe, officium eſt utique Angelorum. Immo haud ſatis ſunt puri & mundi, ut divinas laudes concelebrent. In illius comparatione, omnis alia oratio aut parùm, aut nihil prorſus eſt. Illic adeſt Deus modo prorſus ſpeciali. Ideoque nobis planè neceſſaria Angelica tum puritas, tum reverentia. Non alia re magis honoratur Deus, quàm per bona exempla.

Virtutum Monaſticarum pædagogus Chriſtus.

1698. Virtus parca & avara, virtus minimè eſt. Si te cupido inceſſit progreſſus in virtute faciendi notabiles, Pædagogum tibi ſume Chriſtum; vel in Cruce, vel in diviniſſima Euchariſtia. Illum per omnia debemus imitari, ſervum maximè & abjectum.

Humilitas quantis meritis,

Humilitas viam pandit ad cælum. Quoties exercetur, aliquid de peccatis remittitur. Deſcenſus ſpontanei, ſunt reverà aſcenſus: quantoque altiùs deprimeris, tanto evidentiùs frueris Deo. Ipſe ſuper nihilo noſtro, mundum creat. Offendunt Deum, ſi qui alii iſti ſublimes, qui ambulant in magnis & in mirabilibus ſuper ſe; ſeque mirantur ut pulchros, cæteros ut lutum & cœnú depretiant.

Seip-

XXV. MAII. Seipſam accuſare, alias, ſi delinquant, excuſare; officium reverà humilitatis eſt, & Monialis. Si peccata tua ſponte revelas, illa Chriſti ſanguine velas & tegis. Etiam injuſtè accuſata ſi te excuſas, Monialis eſſe recuſas. Quàm proficuum ſi adeſt ſemper Soror fida, quæ culpas notet exactiùs. Duo perfectionis fundamenta; omnibus poſtponi, nemini anteponi.

Patientia via eſt ad æternitatem beatam: 1699. Patientiam habe fortem & virilem, via illa eſt ad æternitatem ſecuriſſima. Cùm brevi finiant miſeriæ omnes, juvat agere ſemper patienter, ea ſiquidem Verbi Incarnati imitatio eſt perfectiſſima. Quid Alcta? Rupes immota. Virtus non probata, non meretur nomen & laudem virtutis. Patientia non exercita, non eſt niſi ſuperficietenùs. Afflictio & calamitas locum hìc tenent Purgatorii, noſque ab illo igne diriſſimo faciunt immunes. Ego certè non nimis anhelo ad Paradiſum, quia nulla ibi materia tolerantiæ. Videturque, ut ita loquar, beatitudo ex ea parte imperfectior. Virtus nihil præter nomen, habet fœmineï: cætera virilis eſt & maſcula. *dedecet, Chriſtum ſpinis, non roſis coronari,* Quis pudor quandiu vivit Jeſus in ſpinis; roſis & floribus oblectari. Nempè non aliæ cæleſtis ſponſi blanditiæ & deliciæ, quàm cruces, opprobria; ærumnæ, tormenta. Animi æqualitas durat in omnibus adverſis. Nec quicquam durum & acerbum, ſi Chriſtus cogitatur ſuffixus patibulo. Roſa non legitur niſi inter ſpineta. Neque invenitur Deus in cupediis & deliciis, ſed in vera dumtaxat & ſolida virtute. Mors Chriſti, vita eſt Monialis. Nec aliud illi mel, quàm fel & acetum Chriſti patientis ultima. Corpus non magis faciendum, quàm infamis colluvies.

Oratio eſt anima Religionis: 1700. Si quando impedit ſuperiorum auctoritas, ne aſperioribus utaris adverſus tentationes; ſupplebis oratione, & prolixiori, & ferventiori. Oratiò debet eſſe humilis, fervida, reſignata, perſeverans, ſummaque cum reverentia. Deum ſcilicet alloqueris, coram cujus Majeſtate columnæ cæli contremiſcunt. Anima & vita Religionis, oratio eſt. Cave tamen ne diſciplinæ regulari ullum faciat præjudicium. Quidquid enim agitur ex genio & uſu obſervantiæ, oratio eſt. Fructus orationis, mortificatio. *ejus fructus, mortificatio;* Sæpè non exaudit nos Deus ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem. Ideò adhibenda ſemper conditio hæc, [Pater, ſi fieri poteſt.] *effectus, pax animi,* Quàm ſublimis & excellens vox, *DII voluntas*. Pax interior & animi tranquillitas, effectus eſt mentalis orationis: noſtræque cum Deo unionis, præcepta remuneratio.

Charitas: 1701. Ultrò proximis cederem gratiarum genus omne, demptâ Dei offenſâ. Qui heu! fieri poteſt ut quis peccet in Deum conſultò, & quaſi ex deliberato & deſtinato. *quomodò exercenda erga proximum.* Mandatum Chriſti novum & proprium, in dilectione mutua ſitum eſt. Commiſeratio, charitatis proles eſt. Omnia in charitate, & per charitatem fiant. Tot quotidie animas poſtulabis à Deo, quot greſſus ambulabis. Prompta & alacris eſt charitas, proximo famulatur ut Deo. Prudentiæ fons & origo, intima cum Deo unio. *Prudentiæ fons, unio cum Deo.* Neque aliæ nobis vis aut virtus, quàm ex ſanguine Jeſu Chriſti. O, quæ jactura, diem abire ſine aliqua mortificatione! Qui Deum amat, nihil non valet.

Silentium quomodò ſervandum: 1702. Oris ſilentium non magna res, cordis quam maxima. Communionis fructus præcipuus ac palmaris, horror colloquutorii. Non loquaris niſi modeſtè, raro ac cogente neceſſitate; quandoquidem de omni verbo otioſo reddenda in die judicii, ratio eſt. Antequam loquaris prævideas an id exigat Dei gloria, proximi utilitas, neceſſitaſque maximè neceſſaria. Non debet loqui Monialis niſi vera, juſta, manſueta. Concharū more os claude terrenis, ſi vis cælitùs irrorari. Summè cavenda locutio tempore ſilentii. vix enim tunc loqueris innocenter. *qualiter loquendum,* Sermonibus Monialium, velut magnete, trahuntur corda ſecularium, ſuntque norma virtutis. Puta alias tui Inſtituti, Angelos eſſe terrenos, Dei portitores, & ſponſas Chriſti Jeſu: Nurus Patris æterni, templum Spiritus ſancti. Nec illis, aut de illis loquere, quàm ſicut de rebus illis Sanctiſſimis. Indignam te puta illarum conſortio, vix dignam quæ veſtigia illarum deoſculeris. O ſi pondus noſtræ conditionis recogitaremus, quàm eſſemus procul à murmurationibus, verbiſque otioſis. Alias æſtima, deque illis loquere, quo planè modo vis eas te æſtimare, de te loqui. Alieni defectus alto ſemper ſilentio premendi. Age cum Superioribus demiſsè, cum æqualibus, cum Inferioribus ſuaviſſimè, ac cum omnibus, admixtâ facilitati gravitate. Intuenda in proximo Numinis imago. Eâ delectatur Deus, tametſi aliquibus nævis infuſcatâ. Dum agis cum ſecularibus, prudentiam imitare ſerpentis: columbæ ſimplicitatem, quoties cum Dei famulis.

Superioris optima delineatio, 1703. Superior in Monaſterio tabella eſt, facilitate, & gravitate viſibiliter depicta, Deique in terris oraculum: tot debet habere oculos, quot homines curat. Nec quicquam aut conſulere aut præcipere, niſi petitâ prius à Chriſto licentiâ. Nullum reprehendere, niſi poſt ſerium & maturum examen. Omnia officia Monaſterii diſtribuere ex æquo, non attentâ protapiâ, aliave è ſeculo conſideratione. Cum ſincera eſt Superiorum electio, adeſt illis ſpecialis Spiritùs ſancti præſentia, ut ſuo ritè munere defungantur. Crudelis eſt Superior, qui ſuos non exercet ad virtutem; furatur illis ampliſſimam ſegetem meritorum. Quæ in unoquoque peregit Deus, non aperiat niſi Dei Vicariis. Neque aliud in vita & in morte conducit magis, quàm Superioribus per omnia morigerum eſſe, cunctaque ſub oculis Dei peragere. Dæmonis aſtutia eſt dolis pleniſſima, nos à noſtris Præpoſitis alienare, ne illis ſecreta conſcientiæ aperiamus,

mus, maximè ubi pulſat nos acris ac vehemens tentatio. O felicem Ordinem, cui providet Numen Superiores potentes verbo & opere.

Generalia documenta.

1704. Quiſquis adhæret Deo, feſtum agit intra, foris lætiſſimus: oculus ſimplex, Dei oculos velut magnes allicit. Nullum ſacrificium Deo acceptius bona voluntate; indè enim bonis operibus accreſcit plurimum. Offer te Patri filiam, Filio ſponſam, Spiritui-ſancto diſcipulam. Quàm felices qui omnia ſua Chriſti vulneribus inædificant. Noſtra virtus omnis dependet à Chriſti ſanguine, cujus vis arcana homines in Deum demutat.

Ad perfectionem non eundum, ſed currendum, ſed volandum. Fervor flamma eſt omnia noſtra accendens, ne quid fiat ignarè, ac negligenter. Illa perfectionis verticem tangit, cui honos Dei cordi eſt, ejuſque voluntas. Similis eſt Chriſti ſponſa avaris in ſeculo: loculos habet ſoli Deo agnitos. Iiſque theſauris abſconditis celum coëmitur.

Peccati abominatio: minimum impedit etiam unionem cum Deo.

1705. Summa perfectionis, eſt fuga peccati vel leviſſimi. Sola peccati pronunciatio, nos deberet exanimare. Deo condolendum de hominum peccatis. Quidquid diſplicet Deo, peccatis accenſetur. Nulla culpa tam levis, quæ non valdè impediat unionem animæ cum Deo. Cuique duo oculi. Altero ſuas culpas intuetur, altero Dei beneficia quæ apud alios meliùs haberent. Chriſto debentur Monialis oculi, alteri nemini. Et illius manus maledictæ, ſi profanis occupantur. In omnibus abdicanda æſtimatio ſui, nec aliud veſtigandum quàm Deo placere. In exterioribus corpus habe ut cloacam, ubique humilis, indefeſſa, parataque ad obediendum. Semper & in omnibus, jaculatoriis orationibus aſpira ad Deum, illius opem implora. Te, tuaque omnia illi offer, Verbo incarnato unita.

1706. Quidquid magnificum eſt, cautiùs devita. Illic enim latet ſemper philautia, ut anguis in herba. Vilia ſecùs & abjecta, magni ſunt apud Deum momenti. Nihil fieri debet in Religione niſi ſimplex, humile, modeſtum. Exterioribus danda diligenter opera, ſemper tamen citra interioris præjudicium. Expletis initiis, reliquis vacare quantum ſatis, magnum humilitatis pretium eſt. Id unum ambire debet Monialis, ſibimet imperitare. Quinque præ cæteris efflagitari debent in omni Religione. 1. Charitas Dei: 2. unio inter fratres: 3. Superiores

Religio monaſtica feliciſſima redditur per quinque,

inſtar Davidis ſecundùm cor Dei, diſciplinæ regulari addictiſſimi: 4. nulla paupertatis relaxatio: 5. & ut omnes à cælo illuminati intelligant quanti ſit apud Numen abdicatio propriæ voluntatis, totiuſque Inſtituti obſervantia exactiſſima.

1707. Qui in Monaſterio varia obeunt officia, non impigrè curent alienas neceſſitates, neque ad aliud attendant. Nemo à te repulſam ferat, ſi ea quæ petuntur dare non eſt nefas. Parabis te egregiè ad Sacram Synaxim, ſi te cunctaque offers æterno Patri per Chriſtum & cum Chriſto. Juvat frequens diviniſſimi Sacramenti viſitatio. Longè potiùs mori mallem, quàm, ni jubeat obedientia, vel ſemel communione privari; illa enim arx noſtra, & propugnaculum. Non accedas ad *Confeſſionem*, niſi velut ad Chriſti Sanguinem, quo animæ ſordes emaculantur. Sit illa frequens, accurata, diligens, humilis, verecunda.

Communio ſacra, & confeſſio, quomodò ſacienda.

1708. Quoties Sacerdos vivit perperàm; ſol obtenebratur, ſal evaneſcit. Quot heu quotidie homines pereunt, quia non oblatus pro eis Chriſti Cruor. Quid non tolerandum, ut vel unicus ſalvetur. Grande nefas contemptus Indulgentiarum, quæ ſunt revera Chriſti ærarium, gaza Eccleſiæ & theſaurus. Nulli niſi mundo corde, percipiunt quæ ſunt Sponſi, & Sponſæ. Sacerrima Chriſti Jeſu humanitas noſtra in terris occupatio ſit, quandoquidem erit & in cælo. Calvario invideamus, quod Chriſti cruorem exceperit. Tribus clavis Servator Cruci affigitur; obedientia, humilitate, conformitate cum Dei voluntate: tribus Virginis vulvæ; puritate, amore, obſequio: tribus ſinui Patris æterni; naturâ, æqualitate, complacentiâ.

Indulgentia gaza Eccleſiæ,

Chriſtus per tria affixus cruci, Virgini Matri, Patri æterno.

1709. Aliorum nos exempla debent extimulare. Reſpectus humanus ſingularis ferus depaſcit univerſa. Monialis ſic per virtutem bona evadit, ut omnia vertat in bonum, nec quicquam mali advertat in Proximo. Victoriam tentationum reportant Chriſti gratia, fidelitas, mortificatio, Sanctorum invocatio, recurſus ad Superiores. Quidquid agis, age ut vitæ opus ultimum, à quo pendet alterutra æternitas. Perennitas ædificii pendet à fundamento. Neque perſeverabit homo in virtutum praxi, niſi ſimplicitati & Dei veritati innitatur. Citra hæc duo fruſtrà laboratur, quia non laboratur æternitati. Sibi mori, Deo vivere, compendium eſt vitæ in cælis ſempiternæ.

Documenta varia: monita utiliſſima.

CANONIZATIO

& eam concernentia, antecedenter, comitanter, & ſubſequentes.

CAPUT I.

Sanctitatis, & miraculorum fama publica, ante & poſt obitum, jugiter creſcens uſque ad Beatificationem; & exinsè quaquaverſùm magis magiſque gliſcens, permovens Principes ad poſtulandam Canonizationem; & Summum Pontificem, ac Cardinales, ut ad eam procedant.

[*Canonizatio Sanctorum quid:*]

1710. CAnonizatio eſt publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera Sanctitate, & gloriâ alicuius hominis jam defuncti, ac ſimul judicium, & ſententia, quâ ei decernuntur honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant. *Ità Bellarminus* (a) *apud quem plura videri poterunt de hac materia.* Porrò iſte canonizandi modus primis ſeculis in uſu extitit; nempè vel per aliquod generale decretum Eccleſiæ, vel inquiſitione, approbatione, ac decreto Primatum, & Epiſcoporum, in eorum ſingulis Provinciis, ac Diœceſibus. *Etenim* olim Canonizationes ritè perficiebantur, ac validè, ſolo etiam decreto, vel aſſenſu Epiſcoporũ donec Alexander III. ad ſolum Paſtorẽ univerſalem hujuſmodi declarationes, vel aſſenſum pertinerè, jure optimo ſancivit (b) nè liceat aliquem pro Sancto, abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, venerari; eâ ſcilicet validiſſimâ ratione, quòd jubere, ut quis à totâ Eccleſiâ, ut Sanctus habeatur, ad eum tantummodò ſpectat, qui jus habet proponendi toti Eccleſiæ quid credendum, agendumque ſit in iis, quæ ſunt religionis. Canonizationem verò Sanctorum ad religionem pertinere, quis dubitet? immò ad fidem? cùm ex ea conſurgat fervor, & comprobatio fidei Chriſtianæ, & in ea ſit ſpecialis, & ſignata profeſſio fidei. cujus ſymbolum continet Sanctorum (nempè cum Chriſto feliciter regnantium) communionem, per indiviſam ſpiritùs, inquam, communionem, & indiſſolubilem nexum charitatis, quæ nunquam excidit. *Ita in Actis Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis:* (c) *ubi iſta, & multa alia ſuper Canonizatione Sanctorum, ſacra & antiquæ traditionis plena traduntur ab Illuſtriſ. & Reverendiſſimo D. Franciſco Maria Phœbeo Tarſenſi Archiepiſcopo. Qualiter autem ab Eccleſia (Summo Pontifice, Cardinalibus, & Epiſcopis) proceſſum fuerit in Canonizatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, de ejus ſanctitate, & heroicis virtutibus, ac miraculis, famâ publicâ percrebeſcente, & ſemper augeſcente, hic conſequenter audire, & utile, & jucundum Lectori erit. (Alia quædam notatu digna de canonizatione Sanctorum olim uſitata præceſſerunt hîc ſuprà* a*).*

[(a) Contr. to. 1. de Sanctorum beatitud. c. 7.]

[*In uſu fuit ab initio Eccleſiæ Chriſti:*]

[*olim fieri poterat per Epiſcopos:*]

[(b) Cap. *Audivimus*, de Reliq. & ven. SS.]

[*Nunc Sum. Pontifici reſervata eſt, ob cauſas juſtiſſimas.*]

[(c) in Diſſertat. de Canonizat. pag. 330. & ſeq.]

[*Canonizationis S. M. Magd. de Pazzis motiva, & modus procedendi hic conſequenter declarantur.*]

1711 *De ſanctitate Mariæ Magdalenæ adhuc in vita exiſtentis, & magis mox ab ejus obitu, tanta fuit Florentiæ, & alibi mentibus hominum impreſſa exiſtimatio; ob miracula in vita, & cùm nondum ſepulturæ tradita eſſet, & quæ poſteà ſecuta ſunt, nec non ob vitam ejus omninò ſingularem extaticam; ut multorum ardens fuerit deſiderium, legendi vitam ejus, geſta & dicta in raptibus: ac propterea illa ordinatè digeſta, præmiſſis exactiſſimis diſquiſitionibus, & examinibus, primùm Florentiæ Italico idiomate fuerunt typis edita anno 1609. ſecundo ab ejus obitu: quæ tanto ardore à plurimis expetita, & comparata fuere, tàm celeriter diſtracta, ut biennio poſt rurſùs recudi debuerint, ac tertiò anno 1621. & conſequenter Neapoli, & Venetiis etiam excuſa fuerunt, atque intereà traducta in omnia idiomata uſitata inter orthodoxæ fidei profeſſores prodierunt: ſicut pleniùs relatum eſt hîc ſuprà* (b).

[a) n. 1501. pag 424.]

[*Sanctitatis ejus fama publica adhuc in vita exiſtentis, percrebeſcens mox ab obitu.*]

[*indè plurimorum fuit deſiderium legendi vitam ejus, quæ anno 2. ab obitu edita, mox diſtracta fuit.*]

[(b) in Notis præv. num. 1541.]

1712. *Ob iſtam ſanctitatis famam, & percrebeſcentiam, annis paucis poſt ejus obitum, auctoritate ordinaria cœpti formari Proceſſus circa ejus vitam, virtutes heroicas, & miracula, & conſequenter Romæ factæ Relationes, nec non in Sacra Rituum Congregatione plures deſuper habitæ fuerunt ſeſſiones, ſic ut tandem anno 1626. (qui erat decimus nonus ab ejus obitu)* poſt maturam diſcuſſionem Relationis Rotalis de mandato fel. recordationis Urbani VIII. ad Congregationem Sacr. Rituum tranſmiſſæ, ac referente bon. mem. Cardinale Pio, eadem Sac. Congregatio omnia in eadem relatione contenta pluribus hinc indè ſeſſionibus habitis approbaverit, ac inſuper cenſuerit, & decreverit, prædictam Servam Dei quandocumque Sanctiſſimo placuerit poſſe Beatam declarari, atque ad ejus Canonizationem juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem deveniri, & in numerum Sanctorum, qui Cœlo, divinoque aſpectu fruuntur, cooptari, & uti talem ab omnibus colendam decerni. *Ità in impreſſo Romano, ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ anno M.DC.LXVIII. ſub titulo:* Canonizationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo. Informatio ſuper dubio. An conſtet de relevantia noviſſimorum proceſſuum Florentini & Neapolitani. *Quàm autem pia exiſtimatio populi de ſanctitate Mariæ Magdalenæ firma fuerit & generalis ſtatim ab ejus obitu, & mirabiliter magis magiſque quaſi ſubitò percrebuerit, habetur ex priore vita hic ſuprà, cap. 4. & in Actis Canonizationis, Romæ impreſſis anno MDCLXIX. hic traditur verbis* (c): Tranſlatum in Eccleſiam mortuale pignus, vix à religioſa vulgi, reliquias veſtimentorum, florum, qui ſacras exuvias contigerant, ſimiliumque improbè extorquentis rapacitate defendere potuerunt armatæ manus. Interim

[*Aliquantò poſt cœpti formari proceſſus de virtut. heroicis, & miraculis.*]

[*Ac deindè Romæ relationes in Congregat. Sacrorum Rit.*]

[*Ac ibi probata, & approbata ejus in eminenti gradu ſanctitas, ac miracula.*]

[(c) pag. 52. & 25.]

XXV. MAII.

Sanctitatis ejus fama, & hujus percrebeſcentia mox ab obitu gliſcens & generalis,

Interim illud accidit admirabile, quòd cùm Magdalenæ facies ad ſiniſtram declinaret, mox dextrorſum vergere viſa fuerit, nullo feretri facto motu; compertumque fuit à ſiniſtris aſtare proſtitutę vitæ adoleſcentem, quem neque exanime Virginis corpus ferre potuerat. Tandem horâ ſecundâ noctis, retrò altare majus humido quidem loco, terræ mandatum fuit emortuum buſtum. Tumulatoque cadavere, ſenii ignara, & poſt facta ſuperſtes, virtus, & tàm ſanctitatis; quàm miraculorum fama magis, magiſque quaquaverſùm gliſcere cœpit. Undè per auctoritatem Ordinariam editi fuere proceſſus informativi, quibus in Sacra Rituum Congregatione per Cardinalem Urſinum relatis, die X. Februarii an. MDCXXIV. Sacra Congregatio litteras indulſit remiſſoriales ad ſumendas quaſcunque in genere, & in ſpecie probationes: *ſicut declaratum eſt hîc ſuprà cap. 4. Vitæ prioris. Iſta omnia pleniùs traduntur in alio illo libro impreſſo anno MDC. LXVIII. ſub titulo:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Carmelitarum Summarium. (a) *Referuntur ibi tres Bullæ Urbani VIII. datæ annis 1616. 1627. & 1628. circa Beatificationem, & cultum Mariæ Magdalenæ. Conſequenter continuatio & percrebeſcentia famæ ſanctitatis B. Mariæ Magdalenæ prolixè probatur ex proceſſibus Florentino, & Neapolitano, ac plurimorum juratis teſtimoniis, nec non præcipuorum Hiſtoricorum ſcriptis. Sub priore etiam iſto titulo:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo INFORMATIO &c. *ſimiliter traditur:* Secutâ Beatificatione, famam ſanctitatis dictæ Beatæ olim prædictis Indultis comprobatam, longè latèque diffuſam ac propagatam perſeveraſſe, frequentiſſimiſque miraculorum operationibus manifeſtatam percrebuiſſe. *Ibi conſequenter ſanctitas B. Mariæ Magdalenæ, & ſanctitatis fama, ejuſque percrebreſcentia ſtabiliuntur variis argumentis. Ne prolixiores hîc ſimus, aliqua dumtaxat adferimus, videlicet:*

(a) n. 2, 3 & 4.

Conſequenter frequentiſſimis miraculis longè latèque fama ſanctitatis diffunditur.

1713. Ex conſtanti plurimorum Teſtium tàm in proceſſu Florentino, quàm Neapolitano examinatorum depoſitione unanimiter firmantium, famam Sanctitatis prædictæ Beatæ, ac operationis miraculorum tàm in vita, quàm poſt fælicem illius obdormitionem celeberrimam ſemper fuiſſe, percrebuiſſe, ac continuò percrebreſcere, nedùm Florentiæ, Neapoli, cæteriſque locis; & Civitatibus Univerſæ Italiæ: Verùm etiam extra eam Matriti, aliiſque locis Regnorum Hiſpaniarum, Germaniæ, & Poloniæ... Univerſi populi Florentini, Neapolitani, Romæ, pluriumque aliarum Italiæ Civitatum, & locorum, diverſorumque Hiſpaniarum, Poloniæ, ac Germaniæ locorum, & Civitatum conceptam erga eandem Beatam poſt indultum Beatificationis continuatam, & continuò auctam percrebuiſſe, & augeri devotionem, ejuſdem interceſſionem invocantis in ſuis neceſſitatibus & anguſtiis, firmiter credentis meritis dictæ Beatæ Votorum compotem fore. Indubitatum prædictæ Sanctitatis, ac devotionis teſtimonium deſumi ex continua, ac indies percrebreſcente exhibitione cultûs, ac publicæ Venerationis, ac ex forma ſepulchralis ornatus in Capella ipſius honori dicata in Eccleſia Beatæ Mariæ Angelorum magnificè extructa cum innumeris Tabellis votivis, & donariis diverſi generis, ac ſeptem lampadibus argenteis, ubi in latere dextro prædictæ Capellæ conſpicitur depicta Imago dictæ Beatæ cum ſancto Auguſtino ſcribente in corde ipſius Beatæ hæc verba, VERBUM CARO FACTUM EST, ut legitur in deſcriptione ipſius ſepulchri. Ex concurſu, & devotione, ac veneratione ſepulchri prædictæ Beatæ, præcipuè Magnatum, Præſulum, aliorumque Nobilium ibidem orantium, genuflectentium, Miſſaſque celebrari facientium, quamplurimoſque alios actus publicæ Venerationis, & cultûs exercentium: quæ devotio, ac veneratio quotidie augetur, ac percrebreſcit... Denique ex innumeris gratiis, & miraculis ab omnipotenti Deo ejus meritis, & interceſſione etiam poſt Indulta prædicta patratis, de quibus deponunt teſtes relati dicto Summario. Ex quibus ſimul junctis ſatis ſuperque probata remanet continuatio, & percrebreſcentia famæ ſanctitatis, publicæ Venerationis, operationis miraculorum, & exhibitionis cultûs ſolemnis tàm ejuſdem Reliquiis, quàm Imaginibus ubique exiſtentibus. *Hactenùs ex præfato impreſſo Romani anni MDC. LXVIII. de publica fama ſanctitatis ejus ante Beatificationem, & magna percrebreſcentia poſt Beatificationem.*

Imperatoris, & aliorum inſtantia pro ejus Canonizatione,

1714. *Propter miracula, & famam publicam tàm celebrem ſanctitatis hujus Virginis per Imperatorem, & Principes alios inſtantiæ factæ fuerunt apud Summum Pontificem, de quibus in Actis Canonizationis editis anno MDCLXVIII.* iſta: (a) Intereà deferuntur litteræ Majeſtatis Cæſareæ, Reginæ Galliarum Chriſtianiſſimæ, nec non Magni Ducis, & Magnæ Duciſſæ Etruriæ, unà cum precibus univerſi Ordinis Carmelitarum, quibus illi à Sanctiſſimo enixè poſtulabant, ut abſolutis iis, quæ deerant in cauſa B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ad ſolemnem ejuſdem Canonizationem devenire dignaretur. Quamobrem inhærendo Sacræ Congregrationis Decretis, declarato jam, conſtare de validitate Proceſſuum ſuper his, quæ poſt indultam Beatæ venerationem ſupervenerant, Sanctitas ſua cauſam proſequi, & exhibita nuper miracula examinari præcepit. *Die autem X. Septembris habita eſt Congregatio Sacrorum Rituum coram ipſo Summo Pontifice Clemente IX. ſicut in iiſdem Actis Canonizationis traditur hiſce verbis:* Igitur die X. Septembris MDC LXVIII. in Congregatione Sacrorum Rituum habitâ coram eodem Sanctiſſimo, quinque de allatis miraculis poſt indultam Beatæ venerationem, præhabitâ maturâ diſcuſſio-

(a) in Actis Canonizat. pag. 17.

Literæ Imperatoris, & aliorum pro canonizatione:

XXV. Maii.

diſcuſſione, approb… ſunt. Et Sanctitas ſua, accitis iterùm Conſultoribus (prælibatis de more præclaris Beatæ Mariæ Magdalenæ meritis) tùm ab iis, tum à Cardinalibus requiſivit, an tutò procedi poſſet ad ſolemnem illius Canonizationem? Et omnes concordibus ſuffragiis in affirmativam ſententiam convenerunt. *Ità in præfatu Actu* (a). *Conſequenter poſt alias congregationes, & ſeſſiones, eodem anno die 4. Octobris coram eodem Summo Pontifice habita eſt rurſus Congregatio & in ea reſolutum, quòd* pleniſſimè conſtaret de puritate, & excellentia vitæ, ac ſanctitatis, virtutibus, & miraculis illius interceſſione ab Altiſſimo tàm in vita, quàm poſt illius obitum patratis, ita ut poſt maturam diſcuſſionem Relationis Rotalis de mandato fel. recordationis Urbani VIII. ad Congregationem Sacr. Rituum tranſmiſſæ, ac referente bon.mem. Cardinale Pio, eadem Sac. Congregatio omnia in eadem relatione contenta pluribus hinc indè ſeſſionibus habitis approbaverit. *Et iſta hactenùs de variis Congregationibus, & ſeſſionibus pluribus in ordine ad Canonizationem S. Mariæ Magdalenæ: deinceps compendiosè de tribus aliis ſolemniſſimis Congregationibus, ſeu Conſiſtoriis in eadem cauſa habitis, & ibi tunc dictis, & geſtis compendiosè præcipua adducentur.*

(a) pag. 57.

etiam coram Sum. Pont.

1715. *Quantum ad literas* Reginæ Galliarum Chriſtianiſſimæ *videlicet* Mariæ Tereſiæ ad Summ. Pontificem Clementem IX. *pro canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis (de quibus hî. paulò ante) ea data fuerunt die 29 Januarii anno 1668. Eodem anno die 15. Januarii etiam* Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. *ejuſdem ſubjecti literas dederat ad ſuam Sanctitatem: utraque integra deſcripta extant ad calcem vitæ Gallicæ per Dom. Ludovicum Brochand editæ Pariſiis an. 1670. Literæ* Auguſtiſſimæ Imperatricis Tereſiæ *ad eumdem Clementem IX. data Viennæ 6. Martii an. 1668. nec non Literæ* Regis Catholici Hiſpan. Philippi *data an. 1658. die 8. Decembris, &* Reginæ Catholicæ Mariæ Annæ, *die 2. Martii 1659. ad* Alexandrum VII. *nec non* Magni Ducis Etruriæ; Ducis, ac Duciſſæ Sabaudiæ, *atque aliorum plurium* Ducum, *&* Principum *eodem, & præcedentibus annis ad eundem* Alexandrum VII. *data, inſtantes ad procedendum in cauſa canonizationis* S. *Mariæ Magdalenæ de Pazzis, memorantur in vita Latina, per P. Pætrum à S. Jacobo* (b). *Ex iſtis omnibus propatulum eſt, quàm generalis fuerit fama eximiæ ſanctitatis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.*

Literæ Regii & Principū ad Summ. Pontif. pro canonizat. B. M. Magd. Paz.

(b) lib. 3. c. 15. & 16.

CAPUT II.

Conſiſtorium ſecretum præſentibus Clemente IX. Summo Pontifice, & Eminentiſſ. DD. Cardinalibus, habitum die 18. Martii an. 1669. in cauſ. Canonizationis B. Petri de Alcantara, & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

1716. DIe igitur XVIII. Martii, anno MDCLXIX. coacto Conſiſtorio ſecreto, quod, ut moris eſt, præcedenti die indictum fuerat; Sanctiſſimus clauſis foribus, ità locutus eſt. [Venerabiles Fratres. Ratio præſentis temporis, in quo S. Mater Eccleſia ſuadet fidelibus, ut præcipuo ſtudio ad miſericordiam implorandam confugiant: tum etiam urgentes Chriſtianæ rei neceſſitates à nobis exigunt, ut Divinæ bonitatis Thronum peculiaribus atque humillibus precibus adeamus; eorum ſuffragia procurantes, qui cum cœleſti beatitudine fruantur, & inexhauſtum illum æternæ gratiæ fontem de proximo hauriant, poſſunt opportuno, & valido præſidio nos juvare. Idcirco cogitationem noſtram, mentemque convertimus ad promovendam cauſam Canonizationis Beati Petri de Alcantara, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, de quorum heroicis virtutibus, atque eximiis miraculis narrationem in præſenti Conſiſtorio exponi, & à Vobis audiri cupimus.]

Conſiſtoriū ſecretum in cauſa Canonizationis S. M. [illegible] de Pazzis, Sum. Pont. alloquitur DD. Card.

1717. Tunc Eminentiſſimus Ginettus Congregationis Sacr. Rituum Præfectus, Sanctiſſimi mandatis obtemperans, in hunc modum referre cœpit: (*primùm de B. Petro de Alcantara, & tum de B. Maria Magdalena de Pazzis in hunc modum*) [BEATISSIME PATER, Beata Maria Magdalena, ex illuſtri Paciorum familia Florentiæ nata, priùs orare didicit, quàm loqui: nullum infantiæ in ea ſignum, ſed ſola apparuit innocentia. Omnes enim mundi blanditias, omnes ſenſuum illecebras peroſa, relictis creaturis, ſoli Deo vacabat, à quo ſeptennis edocta quicquid de ſtudio orationis Sancti Patres præſcribunt, exactiſſimè obſervabat. Ab utero crevit cum illa miſeratio, nam parvula cibum ſibi ſubtrahebat, ut pauperibus largiretur. Decennis Virginitatem Deo vovit, tantoque amoris igne ſuccenſa fuit, ut intùs ardens, incendium vix ferre poſſet. Parentes adverſarios experta, qui invitam nuptiis deſtinabant, oratione tandem, & prudentiâ expugnavit. Quare prævio eorum aſſenſu, decimo ſexto ætatis anno, Carmelitico Habitu in Monaſterio ſanctæ Mariæ Angelorum aſſumpto, ſeipſam arctiùs cæleſti ſponſo conſecravit. Tyrocinium ab eo gradu virtutis inchoavit, qui aliis ſupremus eſt; non enim gradatim ad perfectionem proceſſit

Eminent. D. Cardinalis Ginetti, narratio de heroicis virtutibus & miraculis S. M. Magd.

epitome vitæ

virtutes in pueritia,

in Monaſterio à limine ad culmen repente volavit.

XXV. MAII.

ceſſit, ſed Spiritu ſancto impellente à limine ad culmen repentino motu volavit. Emiſſâ profeſſione, mundo, & ſibi mortua eſt, ut Deo viveret. Exſtaſes ejus continuè erant, manſitque aliquando viginti ſex horarum ſpatio à ſenſibus abſtracta, ad intimam cum Deo unionem, eò ſublimiùs pertracta, qu[ò] longiùs à ſeipſa receſſerat. In his autem exceſſibus, ejus aſtutias timens, qui in Angelum lucis transfigurat, profundiſſimas humilitatis radices in ſui co[gnitione] figebat; [t]uam ſe omnium mo[rtalium] ſceleratiſſimam judicabat, eò mag[is] ſibi diſplicens, quò glorioſior erat in [c]onſpectu hominum, & Angelorum. [A]nnos nata decem, & novem ſolo pane, [&] aquâ, Deo præcipiente, veſci cœpit. Exercitationes ejus erant, otium labore vincere, corpus flagellis caſtigare, inediam, dolores, ſuique contemptum amare, non pati. Mox admirabilem exſtaſim paſſa eſt à vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, diu, noctuque extra ſenſus rapta; poſt quem exceſſum, rigidiſſimam probationem ingreſſa eſt, per totum quinquennium arida, deſolata, ab omnibus derelicta, à dæmonibus crudeliter flagellata, blaſphemiæ, & deſperationis tentationibus vexata, ac ferè uſu rationis deſtituta. Sed non deſeruit electam ſuam Deus; ejus enim præſidio munita omni calamitate ſuperior fuit; aliquot etiam eo tempore patratis miraculis, ne puſillæ ſorores eam ſpiritu erroris illuſam exiſtimarent. Hâc autem probatione peractâ potioribus gratiis aucta eſt. Pervia illi erant arcana cæleſtia, ſtatum animarum in altera vita perſpexit, quædam in locis remotis dicta, & facta, tanquam præſens vidit, & audivit: futura multa prædixit: intimas cordium cogitationes penetravit. Jugis in ea ſerenitas erat, & jucunda tranquillitas. Omnem, vel minimam impuritatis labem non vicit, ſed penitùs ignoravit. Poſtremâ tandem infirmitate correpta, quam trium annorum ſpatio, in ſemel aſſumptâ auſteritate permanens, patientiſſimè toleravit, expleto quadrageſimo primo exilii anno, die vigeſimâ quinta Maji, anno MDCVII. migravit ad Sponſum, ſtatimque fama virtutum ejus per totum Orbem diffuſa eſt. Tam in vita, quàm poſt mortem innumeris miraculis coruſcavit. Ex his autem octo à vivente patrata, duodecim poſt mortem Congregatio Sacrorum Rituum approbavit, quæ, utpotè omnibus nota, breviſſimè perſtringo. Rapta in Exſtaſim, dum acu pingeret, licèt extra ſe poſita, clauſis etiam feneſtris, oculiſque velatis ab opere non ceſſabat, ipſumque abſolutiſſimè perficiebat. Quandam mulierem ab ulcere peſſimo, aliam à nervorum attractione, duas à lepra, unam à morbo apopletico, aliam ab ulcere, & febri ſolo contactu repentè ſanavit. unam denique à dæmone horribiliter obſeſſam, producto in eam ſigno crucis, ſtatim liberavit. Poſt mortem cadaver ejus non exenteratum, non aromatibus conditum, & in loco humidiſſimo ſepultum, integrum, incorruptum, flexibile poſt annum repertum eſt, ſuaviſſimum odorem ſupernaturaliter emittens, liquorque ex eo effluxit [ſuccur]rendis infirmitatibus ſalutaris. Mulierem jam acceptâ extremâ unctione animam agentem à morte præſervavit. Alias à longa, & lethifera febri, atque acerbiſſimis doloribus, ac infirmitatibus inſtantaneâ ſanatione curavit. Quibus ritè probatis Urbanus VIII. Beatæ titulum, & cultum ei indulſit; novoque proceſſu de his, quæ ſupervenerunt fabricato, Sanctitas Veſtra alia quinque miracula approbavit, continuationem nimirum incorruptionis, & fragrantiæ ſupernaturalis: multiplicationem olei in ejus Monaſterio bis peractam: & reſtitutionem viſus Mariæ Angelæ Gorinæ; ac proindè Sacra eadem Congregatio cenſuit, tutò poſſe quandocumque deveniri ad ſolemnem ejuſdem Beatæ Canonizationem. Supereſt igitur, ut Sanctitas Veſtra, cauſæ jam numeris omnibus abſolutæ ſupremam manum imponat, coronidem Canonizationis adjiciat: pro qua aſſequenda ad pedes Sanctitatis Veſtræ humillimas preces porrigunt Imperator cum Auguſta Conjuge, nec non Regina Galliarum Chriſtianiſſima, Magnus Dux, ac Magna Duciſſa Etruriæ, qui natam ſibi ſubditam Patronam venerantur, aliique Catholici Principes ferè omnes, & univerſus Carmelitarum Ordo.]

exſtaſes quaſi continuæ: intima cum Deo unio.

toto quinquennio quaſi in barathro deſolationis.

deinde potioribus gratiis aucta.

mox ab obitu fama virtutum per Orbem diffuſa.

recenſentur octo in vita miracula,

& duodecim poſt mortem à Congreg. Sacr. Rituum approbata.

Imperator, & Principes plures ſupplicantes pro Canonizatione.

1718. Hucuſque Cardinalis Præfectus: quibus auditis, Sanctiſſimus denuò ſuper iis Cardinalium ſententias reſcire voluit his verbis. [Audiſtis pariter quàm præclaris virtutibus, ac miraculis divina bonitas decoraverit Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis. Videturne vobis opportunum, ut ad ſolemnem etiam illius Canonizationem deveniamus?] Unanimi conſenſu, & unâ voce Cardinales reſponderunt: [*Placet.*] Finito Conſiſtorio, D. Caſalius Congreg. Sacr. Rit. Secretarius plura exemplaria Relationis vitæ, virtutum, miraculorum, nec non Actorum in cauſa eorumdem Beatorum, Cardinalibus, & Epiſcopis conſignari curavit, ut iis attentè prælectis ſuam quiſque poſteà ſententiam in ſemipleno Conſiſtorio, præmiſſâ maturâ conſideratione, proferret.

Sum. Pont. iteratò alloquitur Cardinales.

CAPUT III.

Conſiſtorium publicum habendum die 21. Martii ejuſdem anni denuntiatum, & dicto die celebratum.

1719. FEria V. XXI. Martii, erit Conſiſtorium publicum in Aulâ Regia Palatii Vaticani pro relatione habendâ de Vitâ, virtutibus, miraculis, & Actis omnibus in cauſa Canonizationis Beatorum Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis: nec non pro indicendis jejuniis, ac

Conſiſtoriũ publicum indicitur.

XXV. Maii.

ac precibus ad explorandam divinam voluntatem ſuper ſolemni Canonizatione eorumdem Beatorum. Eminentiſſimi Domini Cardinales intererunt cum cappis violaceis

quo veſtium Cardinales & Epiſcopi induti:

ex camelotto, Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, Protonotarii, cæterique cum cappis laneis. Ideo moneantur Eminentiſſimi DD. Cardinales, Decani ſeu antiquiores Epiſcoporum Aſſiſtentium, Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ, Abbreviatorum, & Votantium Signaturæ Juſtitiæ, necnon Gubernator Urbis, Oratores Principum, Principes ſolii, Conſervatores Urbis, cæterique moneri ſoliti. Prædictâ igitur die Sanctiſſimus ex Aula Paramentorum (ſic vocant) pluviali purpureo Phrygio opere contexto, & mitrâ redimitus eminenti ſede ad Aulam Regiam delatus eſt: in quam, præter Cardinales, Epiſcopos, cæteroſque Romanæ Curiæ Prælatos, immenſa Principum virorum, ac nobilium multitudo convenerat. Sanctitas ſua in parato ſibi throno conſedit. *Acta in ordine ad canonizationem B. Petri de Alcantara, & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis tunc ibi relata fuere in elegantiſſimis binis orationibus: in quibus de excellentia vitæ, virtutum, & miraculorum utriuſque: ex illa de B. Maria Magdalena (cum pleraque quoad ſubſtantiam eadem præceſſerint in antecedentibus) aliqua dumtaxat delibantur hîc conſequenter de ejus virtutibus.*

1720 Fortis animi gloria adeò ſupra fœmineæ imbecillitatis ſortem aſſurgere Sapientium Regi viſa eſt, Beatiſſime Pater, ut vix mulierem fortem inveniri poſſe crediderit, eamque ſi quando, quod eſt omninò rariſſimum, reperiri contingat, procul & ab extremis terrarum finibus eſſe petendam pronunciaverit. Quamobrem feliciſſima meritò patrum noſtrorum tempora dixerim, quibus hoc cæleſte munus ſpectare datum

ex oratione Abbatis Marcelli Severoli Advocati Conſiſtorialis:

eſt in Maria Magdalena de Pazzis ... Vidit enim in M. Magdal. de Pazzis parentum noſtrorum ætas, & nos filii miramur fortiſſimā planè virginem, quæ bella Domini militando eas retulit victorias, quibus non in veteri prophanæ Romæ Capitolio, ſed in ſanctiſſimo Chriſtianæ Romæ Vaticano cæleſtis triumphi honores jure mox poſtulemus. Florentiæ, in ſolo ſcilicet Sanctorum feraci, nata eſt Maria Magdalena de Pazzis ... Aperuēre jam tenerrimæ ætatis anni, & ſimplices infantiæ mores, quæ in adulta Sanctitatis eſſet futura maturitas, & ſpem magnam ſplendidiſsimi Solis attulit domeſticis omnibus illa virtutum aurora. Abdicatis enim omninò puellaribus ludis, ſummo tum ac cœleſti quodam ſolatio perfundebatur, cùm de divinis rebus diſſerentes audiret, ad quos ſitientes ſemper aures afferre ſoleret, atque ab his multa de Chriſtianis officiis, multa de religionis arcanis ultrò ſciſcitari, ac de auguſtiſsima præſertim Triade, erga quam miro quodam animi ſenſu rapiebatur; Quare cùm aliquando editam ab Athanaſio, fortiſsimo Catholicæ rei propugnatore, credendi normam nacta eſſet, non avidiſsimè tantùm totam perlegit, ſed velut inventum quolibet Indico pretioſius margaritum vultu geſtientis præ gaudio notas præſeferente, aſſervandam detulit ad matrem ... Illa etiam in parvula, longè ſupra modum ætatis viſa eſt, ſingularis nimirum ſolicitudo, dum ruri præſertim degeret, ruſticas puellas Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuendi, in quo munere ruſticandi delicias illa reponebat; quamvis jam tum, & alias, derivaret è Cælo in attentiſsima rerum divinarum contemplatione, quâ ut liberiùs frueretur, ſecedebat identidem in abditiorem aliquem domus angulum, ibique erecto genibus corpore, palmiſque ſuppliciter, aut ad pectus admotis, aut ſupinis, aut duplicatis, animum à ſenſibus avocabat, & ſpem omnem, amoremque quoad poterat transfundebat in Deum. Et quantus oranti virgini divini ardoris è cælo calor incideret, duo præcipuè ſignificabant, dolor nimirum, quem ex hominū in Deum offenſis tantum concipiebat, ut inſomnes aliquando noctes inter lacrymas traduceret: & fames quędam divini panis, quo dum nondum per ætatem veſci liceret, ejus odore recreari mirificè videbatur, atq; ideo à matris latere, aliorumq; domeſticorum, quos noverat cæleſti ferculo refectos, avelli vix poterat. At ubi primùm decenni licuit Angelicæ menſæ accumbere, amoris tedâ vehementiore tacta, majoreque inflammata ſpecie ſanctitatis, cælum mente complexa voluntaria ſponſione florem virginitatis addixit Deo; atq; exinde nullæ in victu deliciæ, nulla in veſtitu mollities, nullus formæ cultus, utpote quæ non hominum amores ætatis & venuſtatis flore colligeret, ſed ſolo virtutum decore uni divino Sponſo placere ſtuderet.

S. M. Magd. fortiſ. Virgo:

SS. Trinitatis myſterio à puertia devotiſſima:

rudimenta fidei docet puellas ruſticas:

mira ejus fames erga SS. Euchariſtiam:

1721. Ætatis verò, ſuique jam victrix fortiſsima Virgo, par erat, ut nobiliori victoria præteritarum gloriam augeret, & proculdubio fuit, cum mortalibus rebus valere juſsis, à parentibus, quà precibus, quà conſtantia impetravit, ut Carm. Virg. diſciplinæ nomen daret in cœnobio, quod meritò omniū virtutum officina habebatur. Quod illa Dei beneficium adeò ſemper habuit eximium, ut nullam ſibi feliciorem unquā illuxiſſe diem conſtanter diceret eâ, quâ ſibi divino munere datum eſt religioſis parietibus includi, quibus proindè non rarò amanter oſcula infigeret ... Brevi temporis intervallo adeò magnos effecit in virtute progreſſus, ut nequaquam per gradus ad apicem ſanctimonię contendiſſe, ſed ad eam feliciſsimè evolaſſe viderētur ... Noluit à moderantiū imperio, ne latum quidē unguem unquam abſcedere, cujus rei paulò poſt nobile dedit exemplū, cum nimirum, Deo mandante, ut ſolo cibario pane & aquâ contenta, reliquis omnibus in victu abſtineret, non priùs hujuſmodi jejuniū aggreſſa eſt, quàm per eos id licuit, quorum non tam imperiis, quàm nutibus regebatur.

Monialis cur Monaſterii parietes oſculetur,

ejus obedientia exactiſſima:

XXV. MAII.

triumphatrix de tartareis hoſtibus.

1722. Victâ jam per obedientiam, & profligatâ voluntate, corpore per jejuniũ ſubacto, duriora, & fortiora certamina præparabat Virgini æternus Pater, ut eo vinceret glorioſius, quò pugnaret atrociùs. Gerendũ illi propterea cum Tartareis hoſtibus quinquennale bellum indixit. At parem omninò, imò majorem tot hoſtibus adeò potentibus, adeo verſutis feliciſſima Virgo ſeſe longo quinque annorum experimento probavit. Nullam illi earum artium omiſére, quibus hominum corda ſolent impugnare, nec raro expugnant, ſed illa divini Spiritus præſidio communita, dæmonum vim & artes eluſit, & irriſit ſemper invicta; quamobrem tanquam victrix, veluti adoreâ, & triumphali coronâ multiplici cæleſtium munerum cariſmate donata eſt ab amantiſſimo Sponſo, annulo nempè ſubarrata, & amantium animarum diademate, ſpineo ſcilicet, in ſydera poſtmodũ migraturo coronata . . . Et quidni tot validiſſimos hoſtes Virgo longe validior ſuperaret, quæ omnium præſidio virtutum armata pugnaret. Fidei in primis tecta clypeo, quo non ſolũ retunderet, ſed retorqueret ignea dęmonũ tela. Quę virtus, quanta in hac Virgine fuerit ex amore, quo erga fidei teſſeram Apoſtolorum Symbolum rapiebatur, perſpici potiſſimum potuit, ſiquidem non ſemel, aut iterùm, ſed ſæpè illud magno ſenſu pietatis concinendo ſupra naturam corporis extra ſenſus ferebatur. Quæ verò fidem conſequitur Spes, una fuit, quæ illam à prima uſque adoleſcentia docuit, ea pro nihilo habere, quæ homines per ignem, ferrumque peterent, ſiti meliorum, hoc eſt æternorum accenſa.

eos omnium præſidio virtutum expugnans,

præſertim charitatis ardore:

1723. Sed ſi quæ virtus in M. Magd. viſa eſt floruiſſe, ut plurimæ dubio procul floruêre, ea potiſſimùm viſa eſt, quæ cæterarum meritò princeps, & habetur, & eſt, charitas. Frons, vultus, verba divinum in hac Virgine ſemper amorem ſpirabant, & quanta in ejus corde flamma divinæ charitatis arderet, vel negligentiùs intuenti palã faciebant. Ejuſdem ardoris indices erant crebra, atq; ignita ſuſpiria, quibus divinum cordis æſtum ventilabat. Omnia M. Magd. dicta, ſalutationes, colloquia divini amoris mentione condiebantur, ſine quo nihil amanti Virgini ſapiebat. Profectò mihi hujus Virginis vitam attentiùs conſideranti, non tam vixiſſe, quàm amaſſe, nec tam amaſſe, quàm in amorẽ verſa fuiſſe videtur. Neque meum hoc tantum, ſed omnium planè judicium foret, ſi Virginẽ contigiſſet aſpicere vultu ex divina charitate ardente ſemper orantem, ſi ſacrarum precum penſum incredibili ſenſu pietatis perſolventem, ſi cæleſtes epulas in Euchariſtia frequentantem, eo divini amoris igne flagrantem, ut facie pręſeferret cordis incendium. Ex hoc porrò tam incenſo in Deum amore illa Chriſtianæ virtutis officia hominibus debita derivabant, quorum illa adeò nullum omiſit, ut omnia cumulatiſſimè impleverit . . . Quanta in alienis procurandis commodis ſedulitas, ſi pręſertim, vel egentiũ neceſſitas poſceret, vel ægrotantium infirmitas poſtularet. Sororum illa Sanctimonialium decumbentium lectis aſſidere, alloquio recreare, ſolari, miniſtrare, eluere vaſa, parare edulia, abſtergere purulenta ulcera, adeò ut nulla eſſet ægritudo tam putrida, nullũ tam tetrum ulcus, cui virgineas manus adhibere M. Magd. deſugeret. Ac fuit aliquando cùm auſu planè heroico Catharinæ Senenſis, & Franc. Xaverij ad inſtar ſaniem, taboq; fluentem lingere non timuit, quinimò dum ipſa acerbiſſimo dolorum ſenſu cruciaretur, ſi de aliorũ cruciatibus inaudiſſet, oblita ſuorum alienos tantum miſerando ſentire videbatur. Viſa etiam eſt in ipſà morte de morte glorioſiſsime triumphare, cùm mutatis prorſus officiis, effusè lacrymis ſociæ virgines adſtantes indulgerent, ipſa animis, & Deo plena, atque cæleſte gaudium præſeferens ore, quod claudebat in pectore, ſolabatur mœrentes; quin & juſſa per Confeſſariũ vitam jam abeuntem tamdiu retinere, donec abſoluto ſacrificio ipſe cum Sororibus divino pane refectis poſſet adeſſe morienti, aut eſſe moriendo obedientiæ miraculum, quæ vivendo fuerat exemplar, eò uſq, continuit, quoad ille cum ſororibus adveniret. Tunc die XXV. Maji anni MDCVII. ut felicior viveret, ad Superos migravit. *Ibi conſequenter, atque etiam in antecedentibus exponitur* quòd ſæpiùs vim naturæ imperantem protulerit, pellendo morbos, & energumenos liberando: *& referuntur miracula ſedecim: ac tandem ſic oratio illa concluditur:*

heroico actu tetra ulcera lingit:

mira ejus obedientia, in morte.

1724. [Quæ profectò prodigia voces dicemus eſſe cum Auguſtino, quibus illa miraculorum lingua petit à Sanctitate Veſtra Sanctarum Virg. honores, & cultum ſibi decerni, atque cum his Virginis per prodigia loquentis vocibus preces conſentiunt, quas ad Sanctitatis Veſtræ pedes prolapſi fundunt humillimas, cum Auguſta Conjuge Imperator Auguſtus, Galliarum Regina Chriſtianiſsima, Magnus Dux, & Magna Etruriæ Ducìſſa, qui eam ambiunt ſibi in Cœlos adoptare Patronam, quam naſcendi ſorte ſubditam ſibi gloriantur in terris, cæteriq; ferè omnes Catholici Principes, & univerſa per Europã Carmelitana familia, quæ ex hujus Virginis Canonizatione magnum ſibi decorum incrementum pollicetur.] Abſoluta oratione, Archiepiſc. Nerlius in hunc modũ reſpondit. [Non ſine præcipuo divinæ Providentiæ conſilio fit, ut Petro de Alcantara, cui tam arcta charitatis, & ſanctimoniæ neceſsitudo, in arduis militiæ certaminibus, cum admirabili Tereſia interceſsit, nunc in petitione honorum, & coronâ comes adjungatur Maria Magd. de Pazzis Carmelitanæ perfectionis, omniumque virtutum conſortio, ac potiſsimum jugi, & altiſsima contemplatione divinorum, altera ſanè Tereſia. In hujus quoq; tam præclaræ Virginis cauſa, quò Summus Pater luminum voluntatem ſuam adhuc apertiùs revelare dignetur,

S. Petri de Alcantara, S. Tereſia, & S. M. Magd. de Pazzi aſſimilatio,

San-

XXV. Maii. Sanctiſſimus Dominus noſter conſuetas hortationes adhibet, conſultationibus Conſiſtorio ſemipublico reſervatis; interim tantorum Suffragatorum numero, ac pietate magnoperè lætatur.] Hujuſmodi reſponſionem Sanctitas ſua per me reddi voluit religioſis precibus ornatè, diſertèque porrectis.

CAPUT IV.

Conſiſtorium denuntiatum pro die 8. Aprilis, & eâ ipsâ habitum in cauſa Canonizationis ejuſdem: & ſuffragia, ſententiæ, judicia Eminentiſſimorum Dom. Cardinalium ac illuſtriſſ. aliorum Præſulum, de ſanctitate ac heroicis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virtutibus.

Conſiſtorium in Aula Ducali Vaticana. 1725. FEria II. die VIII. Aprilis horâ XIV. erit Conſiſtorium Semipublicum in Aula Ducali Vaticanâ, in quo Eminentiſſimi DD. Cardinales, nec non Reverendiſſimi DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Romæ degentes ferent ſententiam ſuper Canonizatione Beati Petri de Alcantara, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, eamque ſinguli diviſim ſcriptam, & ſubſcriptam tradent D. Secretario Congregationis Sacrorum Rituum. Eminentiſſimi DD. Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto. *quo ornatu ibi Cardinales, & alii,* Reverendiſſimi verò Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, & Secretarius Sacræ Congregationis, nec non Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ cum Cappis laneis, quibus utuntur in Capellâ Pontificiâ. Eminentiſſimi DD. Cardinales cum incipient ſuas ferre ſententias, aſſurgent detecto capite, eaſque proſequentur tecto capite ſedentes. *modus ferendi ſententias,* Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ferentibus ſententias Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus, ſedebunt tecto capite: ſtabunt verò cum Sanctiſſimus loquetur: & genuflectent, antequam loqui incipiant, & ſimiliter poſtquam tulerint propria ſuffragia: aſſurgent autem ſinguli, ſtatim ac primus Patriarcha ſententiam laturus aſſurget, ſicque ſtabunt, donec ultimus Epiſcoporum ſententiam ferre deſierit...

Summ. Pont. paramenta, 1726. Deſignatâ igitur die Conſiſtorium coactum eſt in Aula Ducali Vaticanâ, ad quam Summus Pontifex ex interiori cubiculo, vulgò dictâ paramentorum, amictu, albâ, cingulo, ſtolâ violaceâ; & pluviali rubri coloris indutus mitrâque pariter ſimplici ornatus pedes acceſſit. Anteriores fimbrias veſtis, & pluvialis Pontificii duo Cubicularii Aſſiſtentes, poſteriores Excellentiſſimus D. Thomas ejuſdem Pontificis Nepos, ne in terram deſfluerent, ſuſtinebant. Sedente Sanctiſſimo in ſolio eminenti, quod ampla deſuper umbella tegebat; Cardinales, cæterique Prælati omnes ſuo quiſque loco juſto ordine conſederunt. *Ordo ſeſſionis,* Subſellia Cardinalium infra gradus ſolii à dextero latere ad ſiniſtrum uſque continuato ductu in aream excurrebant. Sedilia autem pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, diſpoſita poſt Cardinalium ſubſellia viſebantur; Dextrum latus Aſſiſtentes, non Aſſiſtentes verò ſiniſtrum occupabant latus. Protonotarios Apoſtolicos, Decanum & alterum antiquiorem Rotæ Auditorem ſcamna poſt prædicta ſubſellia Solio adverſà exceperunt. In areâ juxtà gradus Solii ſtabant DD. Caſalius, Congregationi Sacrorum Rituum à Secretis: Vanninus, & Arata, Cubicularii Pontificis Aſſiſtentes, & Secretarius. Clericuſque Sacri Collegii, veſtibus, & Caputiis rubris de more inverſis amicti: nec non Cæremoniarum Magiſtri veſtibus violaceis induti. Porrò Sanctiſſimus ad augendum Sacri hujus Conceſsûs ſplendorem, & eximium paternæ benevolentiæ ſpecimen exhibendum, huic piiſſimæ actioni adeſſe voluit Auguſtiſſimam Sueciæ Reginam, orbis miraculum, clariſſimam hujus oculi Heroinam, & Catholicæ Religionis immortale decus, & ornamentum. *Regina Sueciæ locum datum pro audiendis ſententiis,* Hæc cuncta attentè, & curiosè ſpectavit è ſuperiore cubiculi ejuſdem Aulæ imminentis feneſtrâ...

1727. SS.^mus DOM. NOSTER CLEMENS, Pontificiâ, & ſummâ quâdam gravitate, circumſtantes in hunc modum alloquutus eſt: [Venerabiles Fratres. Quæ pertinent ad hæroicas virtutes atque eximia miracula Beati Petri de Alcantara, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Conſiſtorio publico nuper habito audire, & ex fideli ad Vos tranſmiſsâ narratione maturè perpendere valuiſtis. *Summ. Pont. verba ad Cardinales, & Præſules,* Reliquum jam eſt, ut de publico illis cultu decernendo deliberemus; cùm æquum ſit laudari viros glorioſos, quorum memoria in benedictione eſt; Non tam, ut hanc illis quaſi laborum, ac virtutum ſuarum mercedem tribuamus, qui de ſua felicitate ſecuri, de noſtra tantùm ſunt incolumitate ſoliciti, quàm ut eorum exemplis, quæ ad mortalium animos excitandos plurimùm valent, Chriſtiana charitas incaleſcat.... *Canonizatio Sanctorum quem ob finem fiat.* Tanta profectò fuit in utroque ſanctimoniæ, morumque ſimilitudo, ſive intueamur vitæ aſperitatem, & abſtinentiam, ſive illibatum animi candorem, ſive immenſum divini amoris incendium, quod frequentiſſimi mentis raptus, & aſſidua rerum cæleſtium contemplatio ſequebantur, ſive denique mirabilia, quæ per eos divina Omnipotentia patravit, ut judicaverimus, ſimul promovendam amborum celebritatem. *S. Petri de Alcantara & S. Mariæ Magd. de Pazzis paritas in ſanctimonia & virtut.* Quadrageſimæ verò tempus ad id tractandum elegimus, quod & eorum ſanctitas in auſteritate jejunii præcipuè eluxit, & hoc eſt tempus acceptabile, in quo cum Deus placabiliorem ſe mortalibus præbeat, nobis, ut ſperamus, miſericorditer indicabit, quid in re tanta ſtatuere ad ſui nominis

XXV. Maii.

gloriam, atque ædificationem fidelium debeamus.] ... Ubi Pontifex loquendi finem fecit: omnes, ſervatis de more cæremoniis, in denunciatione Conſiſtorii jam ſupra deſcriptis, ſua ſuffragia hoc ordine tulerunt.

hac ſplendidi gemma, tua veluti ſolidus adamas:

1728. *Franciſcus, Epiſcopus Oſtienſis, Card. Barberinus.* Beatiſſime Pater, Civitas Sancta Hieruſalem nova deſcendens de cœlo hodie ſplendidiſſimam nobis profert Margaritam, B. Mariam Magdalenam de Pazzis, meritò B. Petro de Alcantara quaſi ſolido adamanti ſociandam; cùm ambo, licèt diſparis ſexus, pari pœnitentiæ exemplo vixerint. Hæc in Carmelo diſponens aſcenſiones, eò uſque levavit ſe ſuper ſe, quoad exceſſum dilectionis, quæ mortis vim habet, altiùs quàm currus igneus Eliam rapuit, in cæleſtem videlicet Paradiſum eveheretur. Fortunata Nazareth vicina Carmelo: fortunata prole hâc Etruria ...

ſemper in cœlo, aut cœlum cum illa.

1729. *Martius Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.* B. Maria Magdalena de Pazzis noſtris fere temporibus vixit in Monaſterio S. Mariæ Angelorum Civitatis Florentiæ; nec ulli ignotus eſt divinæ gratiæ incomparabilis theſaurus, quo imbuta, & locupletata vitam prorsùs Angelicam duxit. Mortalium enim conditionem tranſgreſſa, aut ſemper in cœlo fuit, aut cælum cum illa ...

oleo, & vino Monialium neceſſitati miraculosè ſuccurrit.

1730. *Franciſcus Maria Epiſc. Tuſculanus Card. Brancatius.* B. Mariam Magdalenam, de cujus hodie Canonizatione agitur, Sanctiſſime Pater, unam de Virginibus ſapientibus dicerem, niſi hæc majori ex charitate permota oleum conſortibus omnibus affluentiùs præbuiſſet; hincque ſapientiorem meritò dicendam exiſtimarem. Et ne minor Evangelico appareret Samaritano, vinum ad perfectionem per olei infuſionem redactum, Monialium neceſſitati ſuccurrens adjecit ...

conformis imaginis filii Dei,

1731. *Ulericus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.* B. Maria Magdalena de Pazzis viſa eſt prædeſtinata à Patre miſericordiarum, ut fieret conformis imaginis filii ſui; eundem ſiquidem Dei filium imitata æterni Patris voluntatem unicè in votis, unice in actis habuit; ſitivit & ipſa ſalutem animarum, ideoque mentis intuitu videns prævaricantes tabeſcebat, quòd eloquia Dei non cuſtodirent; deducebat quaſi torrentem lacrymas, quòd errantes ipſa quærere non poſſet, ac palmites abſciſſos viti reſtituere, ut in vite manentes facerent fructum bonum: & ut in pœnis ſimillima fieret Redemptori, cruciatus, quos ille pro mortalium redemptione paſſus eſt, interiùs in extaſim rapta quantùm humana natura ferre poterat, ſuſtinuit ...

illuſtre exemplum pœnitentiæ, & charitatis,

1732. *Iulius Epiſcopus Sabinenſis Card. Gabrellus.* Fœcunda heroicæ virtutis Italia B. Mariam Magdalenam de Pazzis in lucem edidit, Beatiſſime Pater, quæ Alcantarani ſenis horridam ſanctitatem æmularetur Florentina Virgo, pœnitentiæ gloriâ, & charitatis. Cilicium geſtavit ſpinarum aculeis cannabinè inſutis, tenera membra lacerantibus, cùm ſæpè ſub algente Cælo nivibus cooperta Deum propitiare ſuis pœnis alienis culpis perſeveraret. Nam ſemel animæ damnatæ cruciatus contemplata, uſque adeò miſericordiâ in peccantes exarſit, ut pro iis ultrò ſe ſuppliciis acerbiſſimis devoveret. Voti ream ſtatim decubuiſſe ferunt, ac quinque integros annos in graviſſimis morbis egiſſe, nullâ recreatam ſtillâ cæleſtium conſolationum. Inferos in virginem immigraſſe diceres, niſi cùm doleret plurimùm, plus amaret ...

quinquennio graviſſimè cruciata pro peccatis hominum avertendis,

Petri de Alcantara, & S. M. Magd. de Pazzis æquiparatio,

1733. *Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Urſinus.* Duos video deſcendere in arenam pugnantes, ut de partâ victoriâ coronam accipiant, nempè Petrum de Alcantara, & Magdalenam de Pazzis. Enitet enim in Viro ſumma humilitas, & in Muliere ſtrenua fortitudo; humilitas Petri ut granum ſynapis, quod eſt minimum omnium ſeminum, quo fuit demiſſior, eò celſiorem crevit in arborem, ut rami ejus uſque ad cælum pervenerint. Mulier è contra ſuperbiens in caſtigando corpore aſperrima experta pœnitentiæ, quæ majora videbantur, inconcuſsâ virtute ſuperavit. Mirandum igitur eſt præcellere in Viro ſummam humilitatem, in muliere ſtrenuam fortitudinem; ſic meritò milites Chriſti in pugna contra diabolum, & mundum victoriam reportarunt ...

S. Maria Magd. divinæ gloriæ amplificandæ, & ſui vilipendii ſtudioſiſſima,

1734. *Cæſar tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Facchinettus.* Beatiſſime Pater, dum Petrus de Alcantara ingentis amnis impetum, atque tempeſtatem compeſcit, Maria Magdalena de Pazzis inſignem de inani gloria reportat triumphum. Nam & ſuarum egregiarum virtutum, & divinæ gloriæ amplificandæ ſemper ità fuit ſtudioſa, ut illi tunc illuſtrior videretur eſſe atque beatior, cùm ab omnibus vilior atque ineptior exiſtimaretur ...

ejus heroica vita corpus cæleſti imbuit aromate:

1735. *Federicus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.* B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, heroicè florens virtus, ita cœleſti corpus ejus imbuit aromate, ut id incorruptione quæſitâ quaſi cinnamomum, & balſamum aromatizans, & quaſi myrrha electa divinæ perennem dederit odorem ſuavitatis, quò vexata mulceatur, triſtis exhilaretur, hilaris in Dei laudem exultet Eccleſia ...

Magdalenæ duplicis æquiparatio,

1736. *Benedictus tituli ſancti Honuphrii Presbyter Card. Odeſcalcus.* Duplicem edidit Magdalenam amor divinus, alteram Hieroſolymis, Florentiæ alteram. Elegit illam ſpeculum pœnitentiæ; iſtam integritatis miraculum. Utraque rigore vitæ conſpicua, imbecillitatem ſexûs vertit in prodigium fortitudinis; utraque cæleſtis Sponſi amantiſſima, præ ejuſdem deſiderio, divinâ quadàm inſaniâ viſa eſt delirare. Illa, ut dulciùs Sponſi colloquio frueretur, ſeceſſit in nemora; hæc, ut tutiùs, in patriam detulit ſolitudinem, in ſpecus immigrante Monaſterio,

XXV. Maii.

ſterio, & cellula in conclave Divinitatis ...

1737. *Laurentius tit. ſanctorum Quirici, & Julitæ Presbyter Card. Raggius.* Ut ea, quæ Divinum cultum, & ſpiritualem populorum ſalutem attingunt, Sanctitas Veſtra dies noctéſque meditari non deſinit; ità nunc egregia nobis proponit ad imitandum exemplar, id eſt virtutes omni commendatione majores Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, profectò caſtiſſimæ, atque innocentiſſimæ Virginis, tot tantiſque miraculis illuſtris ...

M. Magd. de Pazz. innocentiſ. virtutum exemplar.

1738. *Aloyſius tit. S. Alexii Presbyter Card. Homodæus:* Aureo charitatis telo, hoc eſt, amore ſancto ſaucia, arduum ad cæleſtia peregit iter Maria Magdalena de Pazzis; illius videlicet æmula Magdalenæ, quam ubi Pater ſuperni luminis reſpexit, amoris in illa flammas excitavit; cujus igneis ſubvecta pennis, in cælum ſubindè ferebatur, terræ ſimul hoſpita, & manſionum cæleſtium inquilina. Flammis iiſdem ſuccenſa Maria Magdalena de Pazzis evehi pariter non rarò viſa eſt in ſublime, facta cœli propemodùm Civis, antequàm eſſe deſineret incola terræ noſtræ. Hoc tamen uno præſtantior hæc eſt, quòd ardores amoris ſancti virginitatis integerrimæ candore illuſtrarit, divino nempè Sponſo ſimillima, lilium ſimul & roſa, candida ſcilicet & rubicunda ...

Magdalena utriuſque paritas, & poſterioris integerrima virginitas,

1739. *Petrus tit. S. Marci Presbyter Card. Otthobonus.* Sanctitatis menſura divina charitas eſt, Beatiſſime Pater. Hinc illa olim peccatrix Maria Magdalena inſigniter Sancta, quoniam dilexit multum. Jam verò in altera hac ævi noſtri Maria Magdalena is ardor inerat, is impetus ignis atque flammarum, ut aquæ multæ non poſſent extinguere charitatem. Siquidem gelidum ſæpè fontem petere. manus, brachia frigidiſſimis mergi undis, affusâ item frigidiſſima pectori aquâ refrigerari oportebat: nudis etiam veſtigiis, hyemante licèt cœlo, incedere cogebatur. Quid pallor, deliquia, extaſis? quid illa Sponſi munuſcula, atque argumenta amoris, ſpinea corona, faſciculus myrrhæ, annulus pronubus? Igitur nihil hâc Sponsâ Chriſti ſanctius, quia nihil amantius ...

charitas menſura ſanctitatis binas Magdalenas ſanctitatis fecit exemplaria,

1740. *Laurentius tituli ſancti Chryſogoni Presbyter Card. Imperialis.* Quàm plura divinæ electionis ſigna fulgent in Maria Magdalena, nam poſt exhibitum caſtitatis, humilitatis, & obedientiæ mirabile ſpecimen, meruit in oratione, & iejunio dæmonia eiicere, leproſos mundare, ſalutem ægris manu impoſitâ reſtituere: & non ſolùm intimos mortalium animi ſenſus, ſed & arcana Cœli penetrare; undè non mirum, ſi cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Jugo mortalis ſervitutis exuto, eo liquore corpus fragravit, cui verè benedixit Dominus, nam virtus ex illo exibat, & ſanabat infirmos ...

In S. Maria Magd. de Paz. plura divinæ electionis inſignia,

1741. *Gibertus tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Presbyter Card. Borromeus.* In B. Maria Magdalena de Pazzis tot divinæ bonitatis munera tam præſenti numine enituere, ut niſi ſigna ſecuta fuiſſent, quibus Deus mirabiliter Sanctitatem Virginis decoravit, illam cælo adſcitam abundè miris modis teſtarentur ſingularia ſummæ patientiæ, obedientiæ, & flagrantiſſimæ divinæ charitatis experimenta; quibus intra religioſa clauſtra non ſolùm ab hominum conſociatione, ſed etiam ab humana contagione ſecreta innocentem, & planè cæleſtem vitam egit ...

ea cæleſtem vitam egit.

1742. *Marcellus tituli S. Stephani in monte Cælio Presbyter Card. Sanctæ-Crucius.* Profectò habebit magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate B. Maria Magdalena de Pazzis, quæ habet aliquid jam non carnis in carne, (ſunt verba Divi Auguſtini de virginitate;) non enim ſolâ puriſſimâ virginitate laudabilis, ſed omni heroicarum virtutum genere ità refulget, ut plus ultrà humana conditio efferri vix poſſit. Ejus converſatio fuit perpetua in cælis, non hoſpes, non advena, ſed domeſtica Dei, non ſpiritu ſervitutis, ſed adoptionis filiorum obſtricta, ſe ſupra ſe levavit adeò Sponſa Chriſti, ut Secretaria Divinitatis acceptiſſima appellari poſſit. Prodigium facta eſt multis, Angelis & hominibus ſpectaculum, ſive in corpore, ſive extra corpus vixerit, neſcio; quia nec domeſtici ejus id ſatis intellexerunt. Alebatur ſpiritu pluſquàm pane, & frequentiùs Angelorum pane, quàm cibis noſtris reficiebatur. Hinc proceſſit illa miraculoſa corporis incorruptio, & in ipſo cadavere odor ſuaviſſimus; quibus merita B. Mariæ Magdalenæ à Deo nobis maximè commendari, non eſt dubium; quia ſi omnis caro, quæ caro eſt, communi maledicto peccati, ſicut fœnum veteraſcit, & corrumpitur: dum caro B. Mariæ Magdalenæ ſui naturâ corruptibilis & mortalis, incorruptionem & immortalitatem induit poſt mortem, dicendum eſt, quòd caro iſta virginalis tabernaculum fuerit grandis animæ, quæ adeò prævalet in Cœlo, ut potens ſit de tam longinqua regione corporis beati dotes efficaciter in exanimem carnem induere ...

habebat aliquid jam non carnis, in carne.

Divinitatis ſecretaria:

in corpore, quaſi extra corpus plus ſpiritu quàm pane vivens.

ejus caro tabernaculũ fuit magnæ animæ:

1743. *Ioannes Baptiſta tituli ſancti Marcelli Presbyter Card. Spada.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena, licèt Italico idiomate de Pazzis nuncupata, inter prudentes virgines eſt connumeranda. In toto enim ſuæ vitæ decurſu prudentiſſima apparuit; in infantia, dum paratos ſibi cibos pauperibus erogabat: in pueritia, dum veſtes ſericas, & alia muliebria ornamenta reſpuebat, dum orationi continuò vacabat, & dum decennis perpetuam vovit virginitatem; indè majoris perfectionis viam aggrediens inter Moniales in virtutibus ſemper uſque ad mortem progrediens, adveniente Sponſo introivit cum eo ad nuptias ...

prudentiſſima fuit ab infantia, & deinceps.

1744. *Franciſcus tituli ſanctæ Mariæ in Via Presbyter Card. Albicius.* B.me P. Magdalenam habemus non peccatricem, ſed virginem, non prædicante Chriſto pœnitentem, ſed ferè ab ortu ſigna pœnitentiæ præbentem; non

XXV. Maii.

Magdalenæ utriuſque comparatio,

non nardo piſtico pedes Salvatoris ungentem, ſed ex ſuo genu ſuavem liquorem manantem, & morbos depellentem; non ad Chriſti crucem lugentem, ſed coronâ ſpineâ redimitam à Chriſto, caput Chriſti imitantem. In hoc uno conſortes, quòd in extaſim raptæ æterni Patris fruebantur aſpectu, & divini amoris ſpiculo ſauciatæ languebant...

1745. *Carolus tit. S. Priſcæ Presbyter Card. Pius*: Primordia B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis omnium virtutum excellentiſſima Charitas illuſtrat, Beatiſſime Pater, tùm in Deum orationis fervore, tum miſericordiæ operibus in proximum, quem non corporali modò, ſed etiam ſpirituali pabulo ſuprà ætatis captum, ac ſexûs qualitatem nutriebat. Cæteræ verò virtutes in reliqua ætate ſic enituerunt, ut pro fidei profeſſione martyrium ſæpiùs optaret, ac ad Symboli recitationem in exſtaſis raperetur. Spes adeò vigens, ut cùm intra ſe non caperet, frequenter exclamans, & clauſtra percurrens audiretur, inquietum enim erat cor, & mens impatiens, donec requieſceret in Domino. In vita denique ac poſt mortem, veteris ac novi Teſtamenti celebriora miracula renovans, debiles confortavit, infirmos ſanavit, à dæmone obſeſſos liberavit: ex ejus corpore fragrantiſſimus odor exhalans, liquor emanans, oleum in vaſis Monaſterii ſæpiùs multiplicatum: teſtimonia illa ſunt, quæ Eccleſiæ tradidit Deus, ut ſuum de illa in Sanctarum Virginum numero deſcribenda voluntatem aperiret...

S. M. Magd. de Pazzis virtutibus heroicis, & miraculis magnis decorata,

1746. *Carolus tit. S. Euſebii Presbyter Card. Gualterius.* Quàm ex iſto adoratæ ſolio Majeſtatis univerſitatem luſtras, Beatiſſime Pater, totam propagatâ longè latèque rerum cum virtute geſtarum famâ, & inſolitâ miraculorum gloriâ pleniſſimam vides, quibus eamdem Maria Magdalena de Pazzis laudabiliter implevit. Hæc enim illa Virgo ſapiens eſt, quam Dominus in obedientia, & oratione vigilantem ſemper invenit, quæque prudens eidem Sponſo ſuo cum lampadibus divini amoris, quo incenſa æſtuabat, oleo multiplicato lucidioribus adeò ſanctitatis gloriâ, ſuavitatis odore, ac multiplici cæterorum miraculorum varietate ubique fulgens, inclyta obviàm exivit...

Virgo verè ſapiens:

1747. *Flavius tituli ſanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. Chiſius.* Florem dedit Florentia, Beatiſſime Pater, ac æternus ille amor, qui paſcitur inter lilia, floris hujus fragrantiâ perfuſus deſcendit in hortum, & libavit delicias in odore ſuavitatis. Flos hic eſt Maria Magdalena de Pazzis, quæ ſanctitatem undique redolens, ac virtutum omnium ſplendore refulgens totam illuſtravit Etruriam. Pudicitiæ candorem, votivâ oblatione cæleſti Sponſo dicavit, ac divini amoris adeò exarſit ardore, ut flammam, quam geſtabat in corde, non rarò oculis, ac vultu, impetuque æſtuanti propalaret...

flos ſanctitatem undique redolens:

1748. *Scipio tit. S. Sabinæ Presbyter Card. Ilsius.* Beatiſſime Pater. Innocentiæ typum, ac pœnitentiæ in B. Maria Magdalena de Pazzis agnoſcunt, & mirantur omnes, qui vitam ipſius Angelicam, & geſta majora homine reputant, ac perpendunt. Nulla unquàm admiſſâ culpâ, pœnis ſemper ultrò ſuſceptis, virtutem cœpit noſſe cum vita: ſæculum fugit antequàm noſſet. Mori cupiens, & eſſe cum Chriſto, perpetuò vixit confixa cruci cum Chriſto. Ex quo forti ligno, ſignoque victoriæ cum movente arma hoſte tartareo congredienti fortiter, ac vincenti Sponſus gloriæ, qui paſcitur inter lilia, dulciſſimæ contemplationis manna dedit abſconditum. Eamque palmis, & coronis onuſtam in cæleſtem Jeruſalem ſuſtulit, ut cum triumphanti Eccleſia canticum laudis concinat triumphale...

typus innocentiæ, & pœnitentiæ,

1749. *Petrus tit. S. Calixti Presbyter Card. Videnus.* Beatiſſime Pater, Magdalena de Pazzis, futura ſeculis virginitatis exemplar, in Urbe florum, velut in horto lilium nata: mox ſecuriori Monaſterii ſepto concluſa, virtutum omnium indè ſparſit ſuavitatem. Ne quidquam, prædaturus germen tàm nobile, tartareus hoſtis adlaboravit; nam latrocinanti pœnitentiæ ſepem objecit, & ſpiras ſerpentis antiqui trajecit ſpinis, inter quas ingenioſè crudelis nudum corpus obvolvit. Sic integritatis florem, quem ſanguinis, & lachrymarum humore fortiſſima Virgo educaverat, amatiſſimo Sponſo Deo ad extremum uſque ſpiritum reddidit illibatum...

virginitatis exemplar,

1750. *Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Bonellus.* Comperta abundè eſt, Beatiſſime Pater, B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſanctitas. Penè à cunis illam ſibi delegit Chriſtus Sponſus, adamavitque non oris elegantiam, ac formam, ſed quæ efflorеſcere ſtatim cœpit, pietatis indolem. Decimo ætatis anno virginitatem vovit. Hæ fuere caſtæ virginis cum Chriſto nuptiæ. Attulit ipſa dotales virtutum opes Sponſo: miſit viciſſim illi Sponſus ſua munera, ſpineam coronam, faſciculum myrrhæ, Sponſæ annulum. Thalamus Crux fuit, in qua mori illa cum ſponſo, & pro Sponſo peroptabat. Hinc ignis ille medullas ità adurens, ut mergi frigidiſſimis interdum undis oporteteret... Quod ſi connubiis non modò animi innectuntur, ſed nomina etiam miſcentur, & tituli; decet Virginem hanc vocari Sanctam, nuptam videlicet Sponſo, qui Sanctus eſt, de quo dicitur: *Quod Sanctus vocabitur*...

ſponſi cæleſtis ſponſa electa,

dotalibus virtutum opibus dotata.

1751. *Cælius tituli S. Petri in monte Aureo Presbyter Card. Piccolomineus.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena de Pazzis, cui in ſacro baptiſmi lavacro Catharinæ nomen inditum, in Religionis ingreſſu hoc Mariæ Magdalenæ ſibi aſſumpſit; ab ipſa appellatione Catharinæ Senenſis puriſſimæ Virginis, & Mariæ Magdalenæ fortiſſimæ pœnitentis virtutes auſpicata: Catharinæ innocentiam, dum illibatum animi candorem nequi-

exprimens in ſe S. Catharinam Senenſem Virginem, & M. Magdal. pœnitentem:

XXV. Maii.

nequidem levi fœdæ cogitationis nebulâ offuſcatum unquam ſenſit; illa roſeam coronam cœlitùs oblatam repudians, ſpineam elegit: hæc è ſpinis contexto caput diademate coronavit; Si charitate in proximum exardeſcens Catharina purulento ulceri os virgineum admovens, repentè ſanavit: hæc puriſſimis labiis ſcabiem exoſculans, dum renitente naturâ putredinem hauſit, eâdem obſtupeſcente ſanitatem reſtituit. Nec Magdalenæ gemitus deſunt; quibus non ſuas, ſed alienas ſcelerum ſordes abluit, & non quatriduanum fratrem Lazarum revocavit ad vitam ſuarum contemplatione lachrymarum: ſed complures in lethali tumulo peccatorum jacentes exſuſcitavit ad gratiam. Utraque tamen dilexit multum; alteri titulo charitatis remittuntur peccata: alteri, quia innocens merita cumulantur...

1752. *Paluzzius tit. Sanctorum Apoſtolorum Presbyter Card. Paluzzius Albertonius.* Redeuntis ad cor Mariæ Magdalenæ lacrymas æmulata pariter eſt Virgo innocens B. Maria Magdalena de Pazzis, non doloris jaculo expreſſas, ſed vulnere charitatis. Eò felicior, quòd non cecidit ad miſericordiæ pedes, tanquàm à fœdioribus vitæ maculis abluenda, ſed ab alienato paſſim à ſenſibus animo ad divini oris oſculum Sponſo invitante pervenit. Eò admirabilior, quòd minora dimittentem Dominum non minùs ipſa dilexit; nec abundante delicto, ſuperabundavit & gratia...

In quo Maria Magd. de Pazzis felicior, & admirabilior alterâ.

1753. *Cæſar tituli S. Ioannis ante portam Latinam Presbyter Cardinalis Raſponus.* Magni intereſt cùm Dei gloriæ, tùm hominum ſalutis, Beatiſſime Pater, tranſlatas ad cœleſtem patriam mortales eſſe quàm plurimos, de quorum perpetua felicitate certum nobis, exploratumque ſit; majore namque alacritate, & fiduciâ certiore, in ſtadio currimus, in quo plures partas victorias, & palmas relatas videmus. Eòque magis, ſi horum memoria in benedictione ſit, & altaribus, & votis, & propitiationibus honoretur; minùs enim piget imitari, ut ſcitum eſt, quod celebrare delectat. Nè verò Sanctitas unicum priſci ſeculi decus videatur, ſed noſtra etiam ætas hac laude gloriari meritò poſſit, magni ad Eccleſiæ profectum momenti eſſe puto, ſi quemadmodùm tela ad ferienda corpora, ſic exempla Sanctorum ad ſanandos animos adhibeantur. Hæc autem ipſa multò adhuc efficaciora fiunt, cùm à ſexu imbecilliore produntur, cùm ſolemne divinæ providentiæ ſit, infirma hujus mundi eligere, ut fortia quæque non modò confundat, ſed etiam roboret, & ad præclara facinora excitet, & impellat. Hæ omnes, Beatiſſime Pater, ſatis magnæ, ſatiſque graves cauſæ, quamobrem dubitandum nullo modo, quin B. Maria Magdalena de Pazzis ſolemni appellatione Sanctitatis, & cultu, ſanctis Virginibus debito, honoranda, fidelibuſque univerſis vita ejus imitanda, & parta illi ingentibus meritis apud Deum gratia per vota, & ſupplicationes ritè imploranda, proponatur.

S. M. Magd. de Pazzis Canonizatio quàm utilis Eccleſiæ.

1754. *Iacobus tituli ſanctæ Mariæ de Pace Presbyter Card. Ninnus.* Virgo fortis B. Maria Magdalena de Pazzis, toto vitæ curſu, divino afflante ſpiritu, agere, & pati fortia meditata eſt. Data in præſidium Eccleſiæ militantis, ut validiori eſſet adjumento à primis annis ſe generosè accinxit ad certamina. Severiſſimâ proſcriptione abdicavit à ſe omnes mundi illecebras, & mollia indumenta, ſciens ſpoliis non indigere induitam fortitudine. Animo ſemper ad patiendum expoſito experta eſt jejunia, vigilias, cilicia, pedum nuditatem, voluntariam paupertatem, ſui abjectionem, & profundam humilitatem. Virgo verè vigilans, & una de numero prudentum; cujus lucerna nunquam extincta...

1755. *Vitalianus tit. S. Agnetis Presb. Card. Vicecomes.* Florentia tunc verè floruit, quandò hunc edidit virtutum candidiſſimum florem B. Mariam Magdalenam, quæ tota Deo, tota Cœlo, quamvis ſata in mundo, opere, conſilio, ſermone, ac ſignis ſalutarem undequaque effundebat odorem; illius candorem non fœdavit impuritatis virus, virebat quidem inter charitatis flammas, & creſcebat inter inexhauſtum divini amoris fontem...

1756. *Iacobus tit. S. Sixti Presbyter Card. Roſpiglioſius.* Beatiſſime Pater, B. Mariam Magdalenam niveus candor virginitatis, ignea in Deum charitas, abſtinentia propè inaudita, aliæque heroicæ virtutes Virginem ſapientem penitùs probavere. Quod & ſignis, ante & poſt ejus obitum, Beatæ ſanctitatem cœlitùs confirmantibus, præclariſſimè innotuit:... & quod humanæ imbecillitati magis congruit, ad imitationis incitamentum præbet nobis mulier fortis exempla virtutis, quæ in infirmitate perficitur...

Mulier fortis, incitamentum ad virtutes.

1757. *Franciſcus ſanctæ Mariæ in Via-lata Diaconus Card. Maidalchinus.* In B. Maria Magdalena de Pazzis ea ſemper fuit vitæ admirabilitas, & virtutis præſtantia, ut æquiſſimâ lance ponderata Sanctorum cultu digna cenſeatur, quò efficaciùs ad virtutem homines excitentur, & Eccleſia Dei pluribus luminibus augeatur...

Eccleſiæ lumen.

1758. *Fridericus S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Haſſia.* B. Virgo Maria Magdalena de Pazzis eſt Virgo ſapiens, & una de numero prudentum, quæ ſtultitiam, quam videbatur præferre nomine, ſapientiam fuiſſe apud Deum oſtendit: & lampade divini amoris oleo accensâ occurrens Sponſo, & Sponſæ intravit cum eo ad nuptias. Quinimò, & ipſa eſt Sponſa, quæ à Sponſo Chriſto annulo ſubarrhata, & ad exemplum Sponſi coronâ ſpinarum redimita accepit coronam gloriæ, quam illi Dominus præparavit in æternum.

Stultitiam in nomine, ſapientiam divinam in opere præferens.

1759. *Carolus S. Cæſarii Diaconus Card. Carolus Barberinus.* Non minus ſapienter, quàm juſtè novum iſtud Carmeli germen in agrum militantis Eccleſiæ, Te jubente, producitur, Beatiſſime Pater, Beata inquam Maria

XXV. MAR.

Maria Magdalena, fertilis illius propago, quæ communi cum S. Thereſia genita parente, ejuſdem verticis gloria, ſuaviſſimo illum odore virtutum pariter replevit, & ſuâ ſobole fœcundavit. Sacris itaque honoribus jungatur B. Petro Thereſiæ obſervantiſſimo, æmula Thereſiæ, quam abſtinentia ſumma, aſperitas ſæviſſima, jugis corporis afflictatio adeò illi ſimilem reddidêre, ut ne ſingula texam, ambo ſolo pane, & aqua in annòs plurimos victitarint; ambo innocentes victimæ pro ſeculi noxis ſeſe acerrimè cruentarint; ambo nudis pedibus, vel glacie rigente, graderentur. Tam ardens inſuper Dei amor eos fecit æquales, ut miris raptibus ambos conſimili planè munere divina gratia dignaretur.

comparatio S. Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magd.

1760. *Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena, cujus vita in Spiritu ſancto, & igne divini amoris incendium fuit, verè optimam partem elegit, quando non pedibus ſed cordi Domini tota adhærens hauſit flammas in gaudio de fontibus Salvatoris, omnia ſpirans, omnia ſuſtinens, omnia vincens. Innixa ſuper dilectum ſuum, ſupra ſexum, ſuprà ſenſum, ſuprà humanitatem elata ſenſit, quàm ſuavis eſt Dominus: tenuit eum, nec dimiſit, donec dilectio fortis, ut mors, revelavit amanti faciem dilecti ſui.

hæc ſupra ſexum, ſupra humanitatem elata fuit,

1761. *Franciſcus Maria SS. Viti & Modeſti Diaconus Card. Mancinus.* Petrum de Alcantara jure ſequitur, Beatiſſime Pater, altera Thereſia, paribus referta virtutibus, nova Carmeli gloria, Beata inquam Maria Magdalena de Pazzis. Debebatur profectò huic virgini in ipſomet ortu auſpicatiſſimum Catharinæ nomen, cùm eam cæleſtis Sponſus duarum inſtar Alexandrinæ, & Senenſis eſſet annulo pariter ſubarrhaturus, debebatur in ingreſſu monaſterii & Mariæ Magdalenæ nomen; quia divino amore ſaucia dilexit multum, & ſupernis intenta contemplationibus ſæpiſſimè in extaſim rapiebatur. Quid loquar de heroicis ejus virtutibus! quid de miraculis, cùm tota ipſius vita nihil aliud, quàm miraculum fuerit...

tota ejus vita quaſi miraculum:

1762. *Angelus ſancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Celſus.* Maria Magdalena de Pazzis non quidem mulier in civitate peccatrix, ſed Virgo in Sanctimonialium domo cum Deo amantiſſimè, & conjunctiſſimè vixit...

cum Deo conjunctiſſimè vixit.

1763. *Paulus ſancti Georgii Diaconus Card. Sabellus.* Inæſtimabiles virtutum margaritæ Virgineam B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis animam ab ipſa infantia ornavêre. Inter omnes enituit ſingularis in Deum charitas, quâ vivebat ipſa jam non ipſa, vivebat verò in ipſa Chriſtus: Eximio hoc Sponſi amore perpetua velut extaſi extra ſe rapta Magdalenæ anima in Cœlo magis habitabat, ubi amabat, quàm in corpore, ubi animabat: charitatem reliquæ virtutes comitatæ ſunt, ancillæ reginam: virtutes maxima miracula conſecuta fuere, quibus vivens, & poſt mortem coruſcavit...

vitam quaſi cæleſtem ducens,

1764. *Sigiſmundus S. Mariæ in Dominicâ Diaconus Card. Chiſius.* B. Mariam Magdalenam de Pazzis ſummæ abſtinentiæ rigor, & divini amoris præſtantia, vitæ, morumque admirabilis ſanctitas dignam meritò eam reddiderunt ut particeps fieret Dominicæ paſſionis; undè certa, atque ſecura redditur expectatio promiſſæ beatitudinis, præſertim in Virginibus, quæ ſequuntur agnum quocumque ierit.

ſanctitas ejus admirabilis,

1765. *Iulius tit. ſancti Martini in Montibus Presbyter Card. Spinola (adverſa valetudine Domi detentus ad Conſiſtorium miſit hoc ſuum ſuffragium)* Mariæ Magdalenæ de Pazzis adhuc miſeriarum vallis incolæ ſupernis felicitatibus frui conceſſum: adhuc mortali cæleſtes delicias cum immortalibus fuêre communes. Sed cur potiùs non dixerim in præclarâ iſtâ Virgine inveniſſe delicias ſuas ſpatiantem inter lilia Deum? Sæpè enim commoratus cum ipsâ, ſemper ſibi benè complacuit in ipsâ; dilectam Sponſam declaravit annulo, ſibique perſimilem fecit ſpineo ſerto... *Suffragiis, elogiis, & teſtimoniis de eminenti ſanctitate Mariæ Magdalenæ de Pazzis verbo, & ſcripto ſic enunciatis ab Eminentiſſ. DD. Cardinalibus pari oratione, & ordine dederunt Illuſtriſſ. & R.^mi DD. Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi tunc Romæ exiſtentes: quæ quidem etiam ſingula hîc conſequenter exhibere luberet: aſt prolixitatis nimiæ vitandæ gratiâ cùm & pleraque quoad ſubſtantiam ferè contineant præcedentium, viſum fuit, exhibere dumtaxat nomina, & titulos eorum, juxta ſeriem in Actis Canonizationis relatam, & præcipua quædam excerpta ſequentia.*

ei adhuc terra incolæ conceſſum frui ſupernis felicitatibus.

1766. Apoſtolici temporis charitatem ab hoc ſeculo alienam non eſſe B. Maria Magdalena de Pazzis exemplo ſuo oſtendit, quæ alteram Magdalenam Chriſti diſcipulam, & amantem, ut nomine, ità & virtute expreſſit. Illa Chriſto viventi familiaris fuit, hæc glorioſo. Illa neglectis Marthæ negotiis optimam partem elegit; hæc domeſtica negotia otio nectens contemplationis, etiam dum acu pingeret extrà ſenſus poſita, opus abſolutiſſimè peragebat. Illa ab Angelis ſepties in die ferebatur in Cælum, hæc ſæpiùs per plures dies in ecſtaſim rapta, Cæli deliciis fruebatur. Utraque verò ab omni materiæ concretione ſoluta, ſibi & mundo mortua vixit; ſed unum eſt, in quo typus prototypon vicit, quòd illa aliquandò peccatrix, hæc ſemper innocens fuit... B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis vita, ſi vel ab ipſis incunabulis inſpiciatur, tota miraculum eſt. Nihil in illâ niſi ſanctum, niſi pium, niſi divinum, niſi mirabile. Innocentia nunquam amiſſa: virginitas ſemper illibata: charitas in Deum quotidiè intenſior: amor in proximos ubique exæſtuans: odium ſui perpetuum: humilitas profunda: contemplatio ſublimis: converſatio plerumque in Cælo: revelationes, viſiones, ecſtaſes, raptus, tranſitus denique aſſidui in ſtatum planè Deificum... Con-

Magdalena utraque comparatur.

M. Magdalena de Pazzis vita tota miraculum:

fluxerunt

XXV. Maii.

Deipara virtutum colſarum quàm maximè imitatrix.

Miraculoſa ejus vita veluti miraculum ſuperavit.

fluxerunt in hanc Virginem ſumma illa, quæ ſingulariter admiramur in Sanctiſſimâ Deipara; flos puritatis nullo unquàm vel primo impuritatis motu afflatus, humilitas infra omnem creaturam abyſſata, lumen altiſſimę contemplationis a primo infantiæ ſuæ diluculo nunquam eclipſatum, tormentorum Chriſti patientis familiariſſima participatio, denique ingens ſub cruce deſolatio ... Quis igitur ſufficiens erit, ô glorioſa Beata, qui brevi verborum circulo ſupernaturalem, & immaterialem tuam politicam dignè exprimere poterit? In carne cum eſſes, in carne nec-nè eras, an extra carnem? ignoro quidem; hoc autem certò ſcio, te ſemper propè ſponſalis thalami januam conſtanter permanſiſſe, habentem præ manibus non ſolùm lucernam fidei ſemper accenſam; verùm etjam & vas cum oleo, hoc eſt cor Sponſi amore repletum, tanquam una ex quinque virginibus ſapientibus.

viva quaſi mortua, & econtrà.

1767. Virgo Catharina de Pazzis, quaſi per antiphraſim una de numero prudentum, non ſine numine nomen Mariæ Magdalenæ aſſumpſit, quia Sacratiſſimæ Virginis Mariæ virgineum candorem, & Magdalenæ pœnitentiam amplexa eſt. Inter cætera admiranda, quæ geſſit, comprobatur; vivam ſui ipſius motum amiſiſſe per ectaſim; mortuam ſui ipſius motum recuperaſſe per antipatiam mali, ut reverà oſtenderetur ſemper viva, quæ *in Domino obiit, & ſicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus.* Quare etiam viva, quaſi mortua, cibo quandoque non utebatur: & mortua, quaſi viva, incorrupta permanet, *quiſque curris in odorem unguentorum ſuorum, & veluti oleum effuſum nomen ejus*; non ſemel multiplicavit oleum, tanquam una ex iis, *quæ ſumpſerunt oleum ſecum, & intraverunt cum Sponſo ad nuptias ...*

Heroicæ virtutes ejus veluti 7. candelabra aurea ante conſpectum Dei.

Heroicæ virtutes ejus tanquam ſeptem aurea candelabra antè conſpectum immaculati Agni emicuêre: I. Charitas, quâ fœtidiſſimas plagas infirmæ Sororis excolebat. II. Virginitas, cujus immaculatum florem ſervans, beatiùs illi viſum eſt in carne imitari vitam Angelicam, quàm ex carne numerum fidelium augere. III. Obedientia, Confeſſorem celebrantem expectans, dum animam ageret, obediendo præpoſitis, & illis ſubjacens. IV. Fides, cujus Symbolum ruſticanas puellas docens, ecſtaſim ſæpiſſimè experiebatur. V. Humilitas, quâ tumidum quod ſuperbia, elatumque redderet, humilitate explanaret. VI. Abſtinentia, cujùs quotidianus cibus quinquennio ſolus panis, & aqua fuit. Et demùm VII. amor in Eccleſiam Dei Sponſam, pro quâ quotidianas divinæ Majeſtati preces effundebat. Lætetur hodie deſerta, & invia, & exultet ſolitudo. Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli; dum B. M. Magdalenam de Pazzis; novum proceræque ſanctitatis germen Eccleſiæ protulit.

1768. *Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi præſentes in iſto Conſiſtorio, & verbis jam relatis, aut ſimilibus pro Canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis unà cum Eminentiſſ. Cardinalibus præfatis ſuffragia ferentes erant ſequentes.*

Patriarcha, Archiepiſcopi, Epiſcopi teſtimonia ferentes de eminenti ſanctitate M. Magd. de Pazzis.

Stephanus Ugolinus Patriarcha Conſtant. Aſſiſtens.
Iacobus Altovitus Patriarcha Antiochenus, Aſſiſt.
Camillus de Maximis Patriarc. Hieroſol. Aſſiſt.*
Ægidius Columna Archiepiſ. Amaſienſis, Aſſiſtens.
Franciſcus Caëtanus Archiep. Rhodienſis, Aſſiſtens.
Franciſcus Nerlius Archiepiſc. Florentinus, Aſſiſt.
F. Thomas de Sarriâ Archiepiſc. Tarentinus, Aſſiſt.
Stephanus Brancatius Archiep. Adrianop. Aſſiſtens.
Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Urbin. Aſſiſtens.
Federicus Ubaldus Archiepiſcopus Caſareæ, Aſſiſt.
Franciſc. Maria Phœbeus Archiep. Tarſenſis, Aſſiſt.
Carolus de Vecchiis Archiepiſc. Athenarum, Aſſiſt.
Bernardinus Roccius Archiepiſ. Damaſcenus, Aſſiſt.
Fr. Ioſeph della Corgna Epiſc. Urbevetanus, Aſſiſt.
Paulus Æmilius Alterius Epiſ olim Camerin. Aſſiſt.
Gregorius Bolognettus Epiſc. olim Reatinus, Aſſiſt.
Laurentius Gavottus Epiſc. olim Vintimil. Aſſiſt.
Ioſephus Maria Suareſius Epiſc. olim Vaſion. Aſſiſt.
Gaudentius Polus Epiſcopus Amerinus, Aſſiſtens.
Fr. Bonaventura Theulus Archiepiſcopus Myrenſis.
Matthæus de Ianuario Archiepiſcopus Rheginus.
Onuphrius Conſtant. Metropolita Debrarum, &c.
Ioſeph Ciantes olim Epiſcopus Marcicenſis.
Vincentius Vincentinus Epiſcopus Hieracenſis.
Vincentius Candiottus Epiſcopus Balneoregienſis.
Philippus Iacob Epiſcopus Policaſtrenſis.
Marcellus Phylonardus Epiſcopus Aquinas.
Guarnerius de Guarneriis Epiſcopus Signinus.
Ioſephus Palermus Epiſcopus Converſanus.
Ioan. Carol. Valentinus Epiſc. Civitatis Ducalis.
Camillus Piazza Epiſcopus Dragonenſis.
Ioan. Laurentius Caſtiloneus Epiſcopus Anagniæ.
Sebaſtianus Surrentinus Epiſcopus Troianus.
Franciſcus Palleus Epiſcopus Helsopolitanus.
Franciſcus Cinus Epiſc. Maceratæ, & Tolentini.
Ioan. Baptiſta Spinola Epiſc. Lunenſis Sarzanenſis.
Iulius Carracciolus Epiſc. Melphienſis, & Rapoll.
Emanuël Brancatius Epiſcopus Ariani.
Franciſcus Ravizza Epiſcopus Sydonienſis.
Fr. Petrus Lanfranconius Epiſcopus Interamnenſis.
Hercules Dominicus Monannus Ep. Terracinenſis.
Cuſtodius de Pigno Epiſcopus Hyerapolitanus.
Onuphrius Hippolytus Epiſcopus Porphyrienſis.
Marcus Antonius Vincentinus Epiſc. Fulginatenſis.
Philippus Alferius Offerio Epiſcopus Fundanus.
Fr. Fulgentius Arminius Monforte ab Avellino, Epiſcopus Nuſcanus.
Perſius Carraccius Epiſcopus Larini.
Ioannes Baptiſta Alferius Epiſcopus Fanenſis.

** Al. Maſſimus.*

Duo ultimi iſti Epiſcopi Larini; & Fanenſis; adverſâ valetudine domi detenti ſuffragia ſua ad Conſiſtorium miſerunt.

XXV. MAII.

ceſſit, ſed Spiritu ſancto impellente à limine ad culmen repentino motu volavit. Emiſsâ profeſſione, mundo, & ſibi mortua eſt, ut Deo viveret. Exſtaſes ejus continuè erant, manſitque aliquando viginti ſex horarum ſpatio à ſenſibus abſtracta, ad intimam cum Deo unionem, eò ſubliminùs pertracta, qu[illegible] longiùs à ſeipſa receſſerat. In his auten[illegible] ex[illegible] ceſſibus, ejus aſtutias timens, qui[illegible] in Angelum lucis transfigurat, profu[illegible]iſſimas humilitatis radices in ſui co[illegible]tione figebat; [illegible]nam ſe omnium mo[illegible]um ſceleratiſſimam judicabat, eò ma[illegible]ibi diſplicens, quò glorioſior erat in [illegible]nſpectu hominum, & Angelorum. [illegible]nos nata decem, & novem ſolo pane [illegible] aquâ, Deo præcipiente, veſci cœ[illegible]. Exercitationes ejus erant, otium labore vincere, corpus flagellis caſtigare, inediam, dolores, ſuique contemptum amare, non pati. Mox admirabilem exſtaſim paſſa eſt à vigilia Pentecoſtes uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, diu, noctuque extra ſenſus rapta; poſt quem exceſſum, rigidiſſimam probationem ingreſſa eſt, per totum quinquennium arida, deſolata, ab omnibus derelicta, à dæmonibus crudeliter flagellata, blaſphemiæ, & deſperationis tentationibus vexata, ac ferè uſu rationis deſtituta. Sed non deſeruit electam ſuam Deus; ejus enim præſidio munita omni calamitate ſuperior fuit; aliquot etiam eo tempore patratis miraculis, ne puſillæ ſorores eam ſpiritu erroris illuſam exiſtimarent. Hâc autem probatione peractâ potioribus gratiis aucta eſt. Pervia illi erant arcana cæleſtia, ſtatum animarum in altera vita perſpexit, quædam in locis remotis dicta, & facta, tanquam præſens vidit, & audivit: futura multa prædixit: intimas cordium cogitationes penetravit. Jugis in ea ſerenitas erat, & jucunda tranquillitas. Omnem, vel minimam impuritatis labem non vidit, ſed penitùs ignoravit. Poſtremâ tandem infirmitate correpta, quam trium annorum ſpatio, in ſemel aſſumptâ auſteritate permanens, patientiſſimè toleravit, expleto quadrageſimo primo exilii anno, die vigeſima quinta Maji, anno MDCVII. migravit ad Sponſum, ſtatimque fama virtutum ejus per totum Orbem diffuſa eſt. Tam in vita, quàm poſt mortem innumeris miraculis coruſcavit. Ex his autem octo à vivente patrata, duodecim poſt mortem Congregatio Sacrorum Rituum approbavit, quæ, utpotè omnibus nota, breviſſimè perſtringo. Rapta in Exſtaſim, dum acu pingeret, licèt extra ſe poſita, clauſis etiam feneſtris, oculiſque velatis ab opere non ceſſabat, ipſumque abſolutiſſimè perficiebat. Quandam mulierem ab ulcere peſſimo, aliam à nervorum attractione, duas à lepra, unam à morbo apopletico, aliam ab ulcere, & febri ſolo contactu repentè ſanavit, unam denique à dæmone horribiliter obſeſſam, producto in eam ſigno crucis, ſtatim liberavit. Poſt mortem cadaver ejus non exenteratum, non aromatibus conditum, & in loco humidiſſimo ſepultum, integrum, incorruptum, flexibile poſt annum repertum [illegible], ſuaviſſimum odorem ſupernatura[illegible]ter emittens, liquorque ex eo effluxit [illegible]edendis infirmitatibus ſalutaris. Mulierem jam acceptâ extremâ unctione animam agentem à morte præſervavit. Alias à longa, & lethifera febri, atque acerbiſſimis doloribus, ac infirmitatibus inſtantaneâ ſanatione curavit. Quibus ritè probatis Urbanus VIII. Beatæ titulum, & cultum ei indullit; novoque proceſſu de his, quæ ſupervenerunt fabricato, Sanctitas Veſtra alia quinque miracula approbavit, continuationem nimirum incorruptionis, & fragrantiæ ſupernaturalis: multiplicationem olei in ejus Monaſterio bis peractam: & reſtitutionem viſus Mariæ Angelæ Gorinæ; at proindè Sacra eadem Congregatio cenſuit, tutò poſſe quandocumque deveniri ad ſolemnem ejuſdem Beatæ Canonizationem. Supereſt igitur, ut Sanctitas Veſtra, cauſæ jam numeris omnibus abſolutæ ſupremam manum imponat, coronidem Canonizationis adiiciat: pro qua aſſequenda ad pedes Sanctitatis Veſtræ humillimas preces porrigunt Imperator cum Auguſta Conjuge, nec non Regina Galliarum Chriſtianiſſima, Magnus Dux, ac Magna Duciſſa Etruriæ, qui natam ſibi ſubditam Patronam venerantur, aliique Catholici Principes ferè omnes, & univerſus Carmelitarum Ordo.]

exſtaſes quaſi continuæ intima cum Deo unio.

toto quinquennio quaſi in barathro deſolationis.

deinde potioribus gratiis aucta.

mox ab obitu fama virtutum per Orbem diffuſa.

recenſentur octo in vita miracula,

& duodecim poſt mortem à Congreg. Sacr. Rituum approbata.

Imperator, & Principes plures ſupplicantes pro Canonizatione.

1718. Huc uſque Cardinalis Præfectus: quibus auditis, Sanctiſſimus denuò ſuper iis Cardinalium ſententias reſcire voluit his verbis. [Audiſtis pariter quàm præclaris virtutibus, ac miraculis divina bonitas decoraverit Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis. Videturne vobis opportunum, ut ad ſolemnem etiam illius Canonizationem deveniamus?] Unanimi conſenſu, & unâ voce Cardinales reſponderunt: [*Placet.*] Finito Conſiſtorio, D. Caſalius Congreg. Sacr. Rit. Secretarius plura exemplaria Relationis vitæ, virtutum, miraculorum, nec non Actorum in cauſa eorumdem Beatorum, Cardinalibus, & Epiſcopis conſignari curavit, ut iis attentè prælectis ſuam quiſque poſteà ſententiam in ſemipleno Conſiſtorio, præmiſsâ maturâ conſideratione, proferret.

Sum. Pont. iteratò alloquitur Cardinales.

CAPUT III.

Conſiſtorium publicum habendum die 21. Martii ejuſdem anni denuntiatum, & dicto die celebratum.

1719. Feria V. XXI. Martii, erit Conſiſtorium publicum in Aulâ Regia Palatii Vaticani pro relatione habendâ de Vitâ, virtutibus, miraculis, & Actis omnibus in cauſa Canonizationis Beatorum Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis: nec non pro indicendis jejuniis, ac

Conſiſtorium publicum indicitur.

XXV. Maii.

quo veſtitu Cardinales & Epiſcopi induti:

ac precibus ad explorandam divinam voluntatem ſuper ſolemni Canonizatione eorumdem Beatorum. Eminentiſſimi Domini Cardinales intererunt cum cappis violaceis ex camelotto, Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, Protonotarii, cæterique cum cappis laneis. Ideo moneantur Eminentiſſimi DD. Cardinales, Decani ſeu antiquiores Epiſcoporum Aſſiſtentium, Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ, Abbreviatorum, & Votantium Signaturæ Juſtitiæ, necnon Gubernator Urbis, Oratores Principum, Principes ſolii, Conſervatores Urbis, cæterique moneri ſoliti. Prædictâ igitur die Sanctiſſimus ex Aula Paramentorum (ſic vocant) pluviali purpureo Phrygio opere contexto, & mitrâ redimitus eminenti ſede ad Aulam Regiam delatus eſt: in quam, præter Cardinales, Epiſcopos, cæteroſque Romanæ Curiæ Prælatos, immenſâ Principum virorum, ac nobilium multitudo convenerat. Sanctitas ſua in parato ſibi throno conſedit. *Acta in ordine ad canonizationem B. Petri de Alcantara, & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis tunc ibi relata fuêre in elegantiſſimis binis orationibus: in quibus de excellentia vitæ, virtutum, & miraculorum utriuſque: ex illa de B. Maria Magdalena (cum pleraque quoad ſubſtantiam eadem præceſſerint in antecedentibus) aliqua dumtaxat delibantur hic conſequenter de ejus virtutibus.*

ex oratione Abbatis Marcelli Severoli Advocati Conſiſtorialis:

1720 Fortis animi gloria adeò ſupra fœmineæ imbecillitatis ſortem aſſurgere Sapientium Regi viſa eſt, Beatiſſime Pater, ut vix mulierem fortem inveniri poſſe crediderit, eamque ſi quando, quod eſt omninò rariſſimum, reperiri contingat, procul & ab extremis terrarum finibus eſſe petendam pronunciaverit. Quamobrem feliciſſima meritò patrum noſtrorum tempora dixerim, quibus hoc cæleſte munus ſpectare datum eſt in Maria Magdalena de Pazzis... Vidit enim in M. Magdal. de Pazzis parentum noſtrorum ætas, & nos filii miramur fortiſſimâ planè virginem, quæ bella Domini militando eas retulit victorias, quibus non in veteri prophanæ Romæ Capitolio, ſed in ſanctiſſimo Chriſtianæ Romæ Vaticano cæleſtis triumphi honores jure mox poſtulemus. Florentiæ, in ſolo ſcilicet Sanctorum feraci, nata eſt Maria Magdalena de Pazzis... Aperuêre jam tenerrimæ ætatis anni, & ſimplices infantiæ mores, quæ in adulta Sanctitatis eſſet futura maturitas, & ſpem magnam ſplendidiſsimi Solis attulit domeſticis omnibus illa virtutum aurora. Abdicatis enim omninò puellaribus ludis, ſummo tum ac cœleſti quodam ſolatio perfundebatur, cùm de divinis rebus differentes audiret, ad quos ſitientes ſemper aures afferre ſoleret, atque ab his multa de Chriſtianis officiis, multa de religionis arcanis ultrò ſciſcitari, ac de auguſtiſsima præſertim Triade, erga quam miro quodam animi ſenſu rapiebatur; Quare cùm aliquando editam ab Athanaſio, fortiſsimo Catholicæ rei propugnatore, credendi normam nacta eſſet, non avidiſsimè tantùm totam perlegit, ſed velut inventum quolibet Indico pretioſius margaritum vultu geſtientis præ gaudio notas præſeferente, aſſervandam detulit ad matrem... Illa etiam in parvula, longè ſupra modum ætatis viſa eſt, ſingularis nimirum ſolicitudo, dum ruri præſertim degeret, ruſticas puellas Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuendi, in quo munere ruſticandi delicias illa reponebat; quamvis jam tum, & alias, derivaret è Cælo in attentiſsima rerum divinarum contemplatione, quâ ut liberiùs frueretur, ſecedebat identidem in abditiorem aliquem domus angulum, ibique excepto genibus corpore, palmiſque ſuppliciter, aut ad pectus admotis, aut ſupinis, aut duplicatis, animum à ſenſibus avocabat, & ſpem omnem, amoremque quoad poterat transfundebat in Deum. Et quantus oranti virgini divini ardoris è cælo calor incideret, duo præcipuè ſignificabant, dolor nimirum, quem ex hominû in Deum offenſis tantum concipiebat, ut inſomnes aliquando noctes inter lacrymas traduceret: & fames quędam divini panis, quo dum nondum per ætatem veſci liceret, ejus odore recreari mirificè videbatur, atq; ideo à matris latere, aliorumq; domeſticorum, quos noverat cæleſti ferculo refectos, avelli vix poterat. At ubi primùm decenni licuit Angelicæ menſæ accumbere, amoris tedâ vehementiore tacta, majoreque inflammata ſpecie ſanctitatis, cælum mente complexa voluntaria ſponſione florem virginitatis addixit Deo; atq; exinde nullæ in victu deliciæ, nulla in veſtitu mollities, nullus formæ cultus, utpote quæ non hominum amores ætatis, & venuſtatis flore colligeret, ſed ſolo virtutum decore uni divino Sponſo placere ſtuderet.

S. M. Magd. fortiſ. Virgo:

SS. Trinitatis myſterio à pueritia devotiſſima:

rudimenta fidei docet puellas ruſticas:

amor ejus fames erga SS. Euchariſtiam:

1721. Ætatis verò, ſuique jam victrix fortiſsima Virgo, par erat, ut nobiliori victoria præteritarum gloriam augeret, & proculdubio fuit, cum mortalibus rebus valere juſsis, à parentibus, quà precibus, quà conſtantia impetravit, ut Carm. Virg. diſciplinæ nomen daret in cœnobio, quod meritò omniû virtutum officina habebatur. Quod illa Dei beneficium adeò ſemper habuit eximium, ut nullam ſibi feliciorem unquâ illuxiſſe diem conſtanter diceret eâ, quâ ſibi divino munere datum eſt religioſis parietibus includi, quibus proindè non rarò amanter oſcula infigeret... Brevi temporis intervallo adeò magnos effecit in virtute progreſſus, ut nequaquam per gradus ad apicem ſanctimonię contendiſſe, ſed ad eam feliciſsimè evolaſſe videretur... Noluit à moderantiû imperio, ne latum quidê unguem unquam abſcedere, cujus rei paulò poſt nobile dedit exemplû, cum nimirum, Deo mandante, ut ſolo cibario pane & aquâ contenta, reliquis omnibus in victu abſtineret, non priùs hujuſmodi jejuniû aggreſſa eſt, quàm per eos id licuit, quorum non tam imperiis, quàm nutibus regebatur.

Monialis cur Monaſterii parietes oſculetur.

ejus obedientia exactiſſima:

Ppp Victâ

XXV. MAII.

triumphatrix de tartareis hoſtibus.

1722. Victâ jam per obedientiam, & profligatâ voluntate, corpore per jejuniū ſubacto, duriora, & fortiora certamina præparabat Virgini æternus Pater, ut eo vinceret glorioſius, quò pugnaret atrociùs. Gerendū illi propterea cum Tartareis hoſtibus quinquennale bellum indixit. At parem omnino, imò majorem tot hoſtibus adeo potentibus, adeo verſutis feliciſſima Virgo ſeſe longo quinque annorum experimento probavit. Nullam illi earum artium omiſere, quibus hominum corda ſolent impugnare, nec rarò expugnant, ſed illa divini Spiritus præſidio communita, dæmonum vim & artes eluſit, & irriſit ſemper invicta; quamobrem tanquam victrix, veluti adoreâ, & triumphali coronâ multiplici cæleſtium munerum cariſmate donata eſt ab amantiſſimo Sponſo, annulo nempè ſubarrata, & amantium animarum diademate, ſpineo ſcilicet, in ſydera poſtmodū migraturo coronam . . . Et quidni tot validiſſimos hoſtes Virgo longè validior ſuperaret, quæ omnium præſidio virtutum armata pugnaret. Fidei in primis tecta clypeo, quo non ſolū retunderet, ſed retorqueret ignea dęmonū tela. Quę virtus, quanta in hac Virgine fuerit ex amore, quo erga fidei teſſeram Apoſtolorum Symbolum rapiebatur, perſpici potiſſimum potuit, ſiquidem non ſemel, aut iterùm, ſed ſæpè illud magno ſenſu pietatis concinendo ſupra naturam corporis extra ſenſus ferebatur. Quæ verò fidem conſequitur Spes, una fuit, quæ illam à prima uſque adoleſcentia docuit, ea pro nihilo habere, quæ homines per ignem, ferrumque peterent, ſiti meliorum, hoc eſt æternorum accenſa.

eos omnium præſidio virtutum expugnans,

1723. Sed ſi quæ virtus in M. Magd. viſa eſt floruiſſe, ut plurimæ dubio procul floruêre, ea potiſſimùm viſa eſt, quæ cæterarum meritò princeps, & habetur, & eſt, charitas. Frons, vultus, verba divinum in hac Virgine ſemper amorem ſpirabant, & quanta in ejus corde flamma divinæ charitatis arderet, vel negligentiùs intuenti palā faciebant. Ejuſdem ardoris indices erant crebra, atq; ignita ſuſpiria, quibus divinum cordis æſtum ventilabat. Omnia M. Magd. dicta, ſalutationes, colloquia divini amoris mentione condiebantur, ſine quo nihil amanti Virgini ſapiebat. Profectò mihi hujus Virginis vitam attentiùs conſideranti, non tam vixiſſe, quàm amaſſe, nec tam amaſſe, quàm in amorē verſa fuiſſe videtur. Neque meum hoc tantum, ſed omnium planè judicium foret, ſi Virginē contigiſſet aſpicere vultu ex divina charitate ardente ſemper orantem, ſi ſacrarum precum penſum incredibili ſenſu pietatis perſolventem, ſi cæleſtes epulas in Euchariſtia frequentantem, eo divini amoris igne flagrantem, ut facie pręſeferret cordis incendium. Ex hoc porrò tam incenſo in Deum amore illa Chriſtianæ virtutis officia hominibus debita derivabant, quorum illa adeò nullum omiſit, ut omnia cumulatiſſimè impleverit . . . Quanta in alienis procurandis commodis ſedulitas, ſi pręſertim, vel egentiū neceſſitas poſceret, vel ægrotantium infirmitas poſtularet. Sororum illa Sanctimonialium decumbentium lectis aſſidere, alloquio recreare, ſolari, miniſtrare, eluere vaſa, parare edulia, abſtergere purulenta ulcera, adeò ut nulla eſſet ægritudo tam putrida, nullū tam tetrum ulcus, cui virgineas manus adhibere M. Magd. defugeret. Ac fuit aliquando cùm auſu planè heroico Catharinæ Senenſis, & Franc. Xaverij ad inſtar taniem, taboq; fluentem lingere non timuit, quinimò dum ipſa acerbiſſimo dolorum ſenſu cruciaretur, ſi de aliorū cruciatibus inaudiſſet, oblita ſuorum alienos tantum miſerando ſentire videbatur. Viſa etiam eſt in ipſa morte de morte glorioſiſsime triumphare, cùm mutatis prorſus officiis, effusè lacrymis ſociæ virgines adſtantes indulgerent, ipſa animis, & Deo plena, atque cæleſte gaudium præſeferens ore, quod claudebat in pectore, ſolabatur mœrentes; quin & juſſa per Confeſſariū vitam jam abeuntem tamdiu retinere, donec abſoluto ſacrificio ipſe cum Sororibus divino pane refectis poſſet adeſſe morienti, aut eſſe moriendo obedientiæ miraculum, quæ vivendo fuerat exemplar, eò uſq; continuit, quoad ille cum ſororibus adveniret. Tunc die XXV. Maji anni MDCVII. ut felicior viveret, ad Superos migravit. *Ibi conſequenter, atque etiam in antecedentibus exponitur* quòd ſæpiùs vim naturæ imperantem protulerit, pellendo morbos, & energumenos liberando: *& referuntur miracula ſedecim: at tandem ſic oratio illa concluditur:*

præſertim charitatis ardore:

heroico actu tetra ulcera lingit:

mira ejus obedientia, in morte.

1724. [Quæ profectò prodigia voces dicemus eſſe cum Auguſtino, quibus illa miraculorum lingua petit à Sanctitate Veſtra Sanctarum Virg. honores, & cultum ſibi decerni, atque cum his Virginis per prodigia loquentis vocibus preces conſentiunt, quas ad Sanctitatis Veſtræ pedes prolapſi fundunt humillimas, cum Auguſta Conjuge Imperator Auguſtus, Galliarum Regina Chriſtianiſsima, Magnus Dux, & Magna Etruriæ Duciſſa, qui eam ambiunt ſibi in Cœlos adoptare Patronam, quam naſcendi ſorte ſubditam ſibi gloriantur in terris, cæteriq; ferè omnes Catholici Principes, & univerſa per Europā Carmelitana familia, quæ ex hujus Virginis Canonizatione magnum ſibi decorum incrementum pollicetur.] Abſoluta oratione, Archiepiſc. Nerlius in hunc modū reſpondit. [Non ſine præcipuo divinæ Providentiæ conſilio fit, ut Petro de Alcantara, cui tam arcta charitatis, & ſanctimoniæ neceſsitudo, in arduis militiæ certaminibus, cum admirabili Tereſia interceſsit, nunc in petitione honorum, & coronâ comes adjungatur Maria Magd. de Pazzis Carmelitanæ perfectionis, omniumque virtutum conſortio, ac potiſsimum jugi, & altiſsima contemplatione divinorum, altera ſanè Tereſia. In hujus quoq; tam præclaræ Virginis cauſa, quò Summus Pater luminum voluntatem ſuam adhuc apertiùs revelare dignetur,

S. Petri de Alcantara, S. Tereſia, & S. M. Magd. de Pazzi aſſimulatio,

San-

XXV. MAII.

Sanctiſſimus Dominus noſter conſuetas hortationes adhibet, conſultationibus Conſiſtorio ſemipublico reſervatis; interim tantorum Suffragatorum numero, ac pietate magnoperè lætatur.] Hujuſmodi reſponſionem Sanctitas ſua per me reddi voluit religioſis precibus ornatè, diſertèque porrectis.

CAPUT IV.

Conſiſtorium denuntiatum pro die 8. Aprilis, & eâ ipsâ habitum in cauſa Canonizationis ejuſdem: & ſuffragia, ſententiæ, judicia Eminentiſſimorum Dom. Cardinalium ac illuſtriſſ. aliorum Præſulum, de ſanctitate ac heroicis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virtutibus.

Conſiſtorium in Aula Ducali Vatican.

1725. FEria II. die VIII. Aprilis horâ XIV. erit Conſiſtorium Semipublicum in Aula Ducali Vaticanâ, in quo Eminentiſſimi DD. Cardinales, nec non Reverendiſſimi DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Romæ degentes ferent ſententiam ſuper Canonizatione Beati Petri de Alcantara, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, eamque ſinguli diviſim ſcriptam, & ſubſcriptam tradent D. Secretario Congregationis Sacrorum Rituum. Eminentiſſimi DD. Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto. Reverendiſſimi verò Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, & Secretarius Sacræ Congregationis, nec non Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ cum Cappis laneis, quibus utuntur in Capellâ Pontificiâ. Eminentiſſimi DD. Cardinales cum incipient ſuas ferre ſententias, aſſurgent detecto capite, eaſque proſequentur tecto capite ſedentes. Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ferentibus ſententias Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus, ſedebunt tecto capite: ſtabunt verò cum Sanctiſſimus loquetur: & genuflectent, antequam loqui incipiant, & ſimiliter poſtquam tulerint propria ſuffragia: aſſurgent autem ſinguli, ſtatim ac primus Patriarcha ſententiam laturus aſſurget, ſicque ſtabunt, donec ultimus Epiſcoporum ſententiam ferre deſierit...

quo ornatu ibi Cardinales, & alii,

modus ferendi ſententias,

Sum. Pont. paramenta,

1726. Deſignatâ igitur die Conſiſtorium coactum eſt in Aula Ducali Vaticanâ, ad quam Summus Pontifex ex interiori cubiculo, vulgò dictâ paramentorum, amictu, albâ, cingulo, ſtolâ violaceâ; & pluviali rubri coloris indutus mitrâque pariter ſimplici ornatus pedes acceſſit. Anteriores fimbrias veſtis, & pluvialis Pontificii duo Cubicularii Aſſiſtentes, poſteriores Excellentiſſimus D. Thomas ejuſdem Pontificis Nepos, ne in terram defluerent, ſuſtinebant. Sedente Sanctiſſimo in ſolio eminenti, quod ampla deſuper umbella tegebat; Cardinales, cæterique Prælati omnes ſuo quiſque loco juſto ordine conſederunt. Subſellia Cardinalium infra gradus ſolii à dextero latere ad ſiniſtrum uſque continuato ductu in aream excurrebant. Sedilia autem pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, diſpoſita poſt Cardinalium ſubſellia viſebantur; Dextrum latus Aſſiſtentes, non Aſſiſtentes verò ſiniſtrum occupabant latus. Protonotarios Apoſtolicos, Decanum & alterum antiquiorem Rotæ Auditorem ſcamna poſt prædicta ſubſellia Solio adverſa exceperunt. In areâ juxtà gradus Solii ſtabant DD. Caſalius, Congregationi Sacrorum Rituum à Secretis: Vanninus, & Arata, Cubicularii Pontificis Aſſiſtentes, & Secretarius. Clericuſque Sacri Collegii, veſtibus, & Caputiis rubris de more inverſis amicti: nec non Cæremoniarum Magiſtri veſtibus violaceis induti. Porrò Sanctiſſimus ad augendum Sacri hujus Conceſsûs ſplendorem, & eximium paternæ benevolentiæ ſpecimen exhibendum, huic piiſſimæ actioni adeſſe voluit Auguſtiſſimam Sueciæ Reginam, orbis miraculum, clariſſimam hujus oculi Heroinam, & Catholicæ Religionis immortale decus, & ornamentum. Hæc cuncta attentè, & curioſè ſpectavitè ſuperiore cubiculi eidem Aulæ imminentis feneſtrâ...

Ordo ſeſſionis,

Regina Sueciæ locus datus pro audiendo ſermone,

1727. SS.mus DOM. NOSTER CLEMENS, Pontificiâ, & ſummâ quâdam gravitate, circumſtantes in hunc modum alloquutus eſt: [Venerabiles Fratres. Quæ pertinent ad hæroicas virtutes atque eximia miracula Beati Petri de Alcantara, & Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Conſiſtorio publico nuper habito audire, & ex fideli ad Vos tranſmiſsâ narratione maturè perpendere valuiſtis. Reliquum jam eſt, ut de publico illis cultu decernendo deliberemus; cùm æquum ſit laudari viros glorioſos, quorum memoria in benedictione eſt; Non tam, ut hanc illis quaſi laborum, ac virtutum ſuarum mercedem tribuamus, qui de ſua felicitate ſecuri, de noſtra tantùm ſunt incolumitate ſoliciti, quàm ut eorum exemplis, quæ ad mortalium animos excitandos plurimùm valent, Chriſtiana charitas incaleſcat.... Tanta profectò fuit in utroque ſanctimoniæ, morumque ſimilitudo, ſive intueamur vitæ aſperitatem, & abſtinentiam, ſive illibatum animi candorem, ſive immenſum divini amoris incendium, quod frequentiſſimi mentis raptus, & aſſidua rerum cæleſtium contemplatio ſequebantur, ſive denique mirabilia, quæ per eos divina Omnipotentia patravit, ut judicaverimus, ſimul promovendam amborum celebritatem. Quadrageſimæ verò tempus ad id tractandum elegimus, quod & eorum ſanctitas in auſteritate jejunii præcipuè eluxit, & hoc eſt tempus acceptabile, in quo cum Deus placabiliorem ſe mortalibus præbeat, nobis, ut ſperamus, miſericorditer indicabit, quid in re tanta ſtatuere ad ſui nominis glo-

Sum. Pont. verba ad Cardinales, & Præſules,

Canonizatio Sanctorum quem ob finem fiat.

S. Petri de Alcantara & S. Mariæ Magd. de Pazzis paritas in ſanctimonia & virtut.

XXV. Maii.

gloriam, atque ædificationem fidelium debeamus.] ... Ubi Pontifex loquendi finem fecit: omnes, ſervatis de more cæremoniis, in denunciatione Conſiſtorii jam ſupra deſcriptis, ſua ſuffragia hoc ordine tulerunt.

hæc ſplendidiſſ. gemma, tua veluti ſolidus adamas:

1728. *Franciſcus, Epiſcopus Oſtienſis, Card. Barberinus.* Beatiſſime Pater, Civitas Sancta Hieruſalem nova deſcendens de cœlo hodie ſplendidiſſimam nobis profert Margaritam, B. Mariam Magdalenam de Pazzis, meritò B. Petro de Alcantara quaſi ſolido adamanti ſociandam; cùm ambo, licèt diſparis ſexûs, pari pœnitentiæ exemplo vixerint. Hæc in Carmelo diſponens aſcenſiones, eò uſque levavit ſe ſuper ſe, quoad exceſſum dilectionis, quæ mortis vim habet, altiùs quàm currus igneus Eliam rapuit, in cæleſtem videlicet Paradiſum veheretur. Fortunata Nazareth vicina Carmelo: fortunata prole hàc Etruria ...

ſemper in cœlo, aut cœlum cum illa.

1729. *Martius Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.* B. Maria Magdalena de Pazzis noſtris ferè temporibus vixit in Monaſterio S. Mariæ Angelorum Civitatis Florentiæ; nec ulli ignotus eſt divinæ gratiæ incomparabilis theſaurus, quo imbuta, & locupletata vitam prorsùs Angelicam duxit. Mortalium enim conditionem tranſgreſſa, aut ſemper in cœlo fuit, aut cælum cum illa ...

oleo, & vino Monialium neceſſitati miraculosè ſuccurrit.

1730. *Franciſcus Maria Epiſc. Tuſculanus Card. Brancatius.* B. Mariam Magdalenam, de cujus hodie Canonizatione agitur, Sanctiſſime Pater, unam de Virginibus ſapientibus dicerem, niſi hæc majori ex charitate permota oleum conſortibus omnibus affluentiùs præbuiſſet; hincque ſapientiorem meritò dicendam exiſtimarem. Et ne minor Evangelico appareret Samaritano, vinum ad perfectionem per olei infuſionem redactum, Monialium neceſſitati ſuccurrens adjecit ...

conformis imagini filii Dei,

1731. *Ulderícus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.* B. Maria Magdalena de Pazzis viſa eſt prædeſtinata à Patre miſericordiarum, ut fieret conformis imaginis filii ſui; eundem ſiquidem Dei filium imitata æterni Patris voluntatem unicè in votis, unice in actis habuit; ſitivit & ipſa ſalutem animarum, ideoque mentis intuitu videns prævaricantes tabeſcebat, quòd eloquia Dei non cuſtodirent; deducebat quaſi torrentem lacrymas, quòd errantes ipſa quærere non poſſet, ac palmites abſciſſos viti reſtituere, ut in vite manentes facerent fructum bonum: & ut in pœnis ſimillima fieret Redemptori, cruciatus, quos ille pro mortalium redemptione paſſus eſt, interiùs in extaſim rapta quantùm humana natura ferre poterat, ſuſtinuit ...

illuſtre exemplum pœnitentiæ, & charitatis,

1732. *Iulius Epiſcopus Sabinenſis Card. Gabriellius.* Fœcunda heroicæ virtutis Italia B. Mariam Magdalenam de Pazzis in lucem edidit, Beatiſſime Pater, quæ Alcantarani ſenis horridam ſanctitatem æmularetur Florentina Virgo, pœnitentiæ gloriâ, & charitatis. Cilicium geſtavit ſpinarum aculeis cannabinè inſutis, tenera membra lacerantibus, cùm ſæpè ſub algente Cælo nivibus cooperta Deum propitiare ſuis pœnis alienis culpis perſeveraret. Nam ſemel animæ damnatæ cruciatus contemplata, uſque adeò miſericordiâ in peccantes exarſit, ut pro iis ultrò ſe ſuppliciis acerbiſſimis devoveret. Voti ream ſtatim decubuiſſe ferunt, ac quinque integros annos in graviſſimis morbis egiſſe, nullâ recreatam ſtillâ cæleſtium conſolationum. Inferos in virginem immigraſſe diceres, niſi cùm doleret plurimùm, plus amaret ...

quinquennio graviſſimè cruciata pro peccatis hominum avertendis,

1733. *Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Urſinus.* Duos video deſcendere in arenam pugnantes, ut de partâ victoriâ coronam accipiant, nempè Petrum de Alcantara, & Magdalenam de Pazzis. Enitet enim in Viro ſumma humilitas, & in Muliere ſtrenua fortitudo; humilitas Petri ut granum ſynapis, quod eſt minimum omnium ſeminum, quo fuit demiſſior, eò celſiorem crevit in arborem, ut rami ejus uſque ad cælum pervenerint. Mulier è contra ſuperbiens in caſtigando corpore aſperrima experta pœnitentiæ, quæ majora videbantur, inconcuſsâ virtute ſuperavit. Mirandum igitur eſt præcellere in Viro ſummam humilitatem, in muliere ſtrenuam fortitudinem; ſic meritò milites Chriſti in pugna contra diabolum, & mundum victoriam reportarunt ...

Petri de Alcantara, & S. M. Magd. de Pazzis æquiparatio,

1734. *Cæſar tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Facbenettus.* Beatiſſime Pater, dum Petrus de Alcantara ingentis amnis impetum, atque tempeſtatem compeſcit, Maria Magdalena de Pazzis inſignem de inani gloria reportat triumphum. Nam & ſuarum egregiarum virtutum, & divinæ gloriæ amplificandæ ſemper ità fuit ſtudioſa, ut illi tunc illuſtrior videretur eſſe atque beatior, cùm ab omnibus vilior atque ineptior exiſtimaretur ...

S. Mariæ Magd. divinæ gloriæ amplificandæ, & ſui vilipendii ſtudioſiſſima,

1735. *Federicus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Sfortia.* B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, heroicè florens virtus, ità cœleſti corpus ejus imbuit aromate, ut id incorruptione quæſitâ quaſi cinnamomum, & balſamum aromatizans, & quaſi myrrha electa divinæ perennem dederit odorem ſuavitatis, quò vexata mulceatur, triſtis exhilaretur, hilaris in Dei laudem èxultet Eccleſia ...

ejus heroica vita corpus cæleſti imbuit aromate:

1736. *Benedictus tituli ſancti Honuphrii Presbyter Card. Odeſcalcus.* Duplicem edidit Magdalenam amor divinus, alteram Hieroſolymis, Florentiæ alteram. Elegit illam ſpeculum pœnitentiæ; iſtam integritatis miraculum. Utraque rigore vitæ conſpicua, imbecillitatem ſexûs vertit in prodigium fortitudinis; utraque cæleſtis Sponſi amantiſſima, præ ejuſdem deſiderio, divinâ quadàm inſaniâ viſa eſt delirare. Illa, ut dulciùs Sponſi colloquio frueretur, ſeceſſit in nemora; hæc, ut tutiùs, in patriam detulit ſolitudinem, in ſpecus immigrante Monaſterio,

Magdalenæ duplicis æquiparatio,

XXV. Maii.

ſterio, & cellula in conclave Divinitatis . . .

1737. *Laurentius tit. Sanctorum Quirici & Iulitæ Presbyter Card. Raggius.* Ut ea, quæ Divinum cultum, & ſpiritualem populorum ſalutem attingunt, Sanctitas Veſtra dies noctesque meditari non deſinit; ità nunc egregia nobis proponit ad imitandum exempla, id eſt virtutes omni commendatione majores Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, profectò caſtiſſimæ, atque innocentiſſimæ Virginis, tot tantiſque miraculis illuſtris . . .

M. Magd. de Pazz. innocentiſ. virtutum exemplar.

1738. *Aloyſius tit. S. Alexii Presbyter Card. Homodeus:* Aureo charitatis telo, hoc eſt, amore ſancto ſaucia, arduum ad cæleſtia peregit iter Maria Magdalena de Pazzis; illius videlicet æmula Magdalenæ, quam ubi Pater ſuperni luminis reſpexit, amoris in illa flammas excitavit; cujus igneis ſubvecta pennis, in cælum ſubindè ferebatur, terræ ſimul hoſpita, & manſionum cæleſtium inquilina. Flammis iiſdem ſuccenſa Maria Magdalena de Pazzis evehi pariter non raro viſa eſt in ſublime, facta cœli propemodùm Civis, antequàm eſſe deſineret incola terræ noſtræ. Hoc tamen uno præſtantior hæc eſt, quòd ardores amoris ſancti virginitatis integerrimæ candore illuſtrarit, divino nempè Sponſo ſimillima, lilium ſimul & roſa, candida ſcilicet & rubicunda . . .

Magdalena utriusque paritas, & poſterioris integerrima virginitas.

1739. *Petrus tit. S. Marci Presbyter Card. Otthobonus.* Sanctitatis menſura divina charitas eſt, Beatiſſime Pater. Hinc illa olim peccatrix Maria Magdalena inſigniter Sancta, quoniam dilexit multum. Jam verò in altera hac ævi noſtri Maria Magdalena is ardor inerat, is impetus ignis atque flammarum, ut aquæ multæ non poſſent extinguere charitatem. Siquidem gelidum ſæpè fontem petere, manus, brachia frigidiſſimis mergi undis, affusâ item frigidiſſima pectori aquâ refrigerari oportebat: nudis etiam veſtigiis, hyemantè licèt cœlo, incedere cogebatur. Quid pallor, deliquia, extaſis? quid illa Sponſi munuſcula, atque argumenta amoris, ſpinea corona, faſciculus myrrhæ, annulus pronubus? Igitur nihil hâc Sponsâ Chriſti ſanctius, quia nihil amantius . . .

charitas menſura ſanctitatis bonus Magdalenæ ſanctitatis fecit exemplaria,

1740. *Laurentius tituli ſancti Chryſogoni Presbyter Card. Imperialis.* Quàm plura divinæ electionis ſigna fulgent in Maria Magdalena, nam poſt exhibitum caſtitatis, humilitatis, & obedientiæ mirabile ſpecimen, meruit in oratione, & iejunio dæmonia eiicere, leproſos mundare, ſalutem ægris manu impoſitâ reſtituère: & non ſolùm intimos mortalium animi ſenſus, ſed & arcana Cœli penetrare; undè non mirum, ſi cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Jugo mortalis ſervitutis exuto, eo liquore corpus fragravit, cui verè benedixit Dominus, nam virtus ex illo exibat, & ſanabat infirmos . . .

In S. Maria Magd. de Paz. plura divinæ electionis inſignia,

1741. *Gibertus tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Presbyter Card. Borromeus.* In B. Maria Magdalena de Pazzis tot divinæ bonitatis munera tam præſenti numine enituere, ut niſi ſigna ſecuta fuiſſent, quibus Deus mirabiliter Sanctitatem Virginis decoravit, illam cælo adſcitam abundè miris modis teſtarentur ſingularia ſummæ patientiæ, obedientiæ, & flagrantiſſimæ divinæ charitatis experimenta; quibus intra religioſa clauſtra non ſolùm ab hominum conſociatione, ſed etiam ab humana contagione ſecreta innocentem, & planè cæleſtem vitam egit . . .

ea cæleſtem vitam egit.

1742. *Marcellus tituli S. Stephani in monte Cælio Presbyter Card. Sanctæ-Crucius.* Profectò habebit magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate B. Maria Magdalena de Pazzis, quæ habet aliquid jam non carnis in carne, (ſunt verba Divi Auguſtini de virginitate;) non enim ſolâ puriſſimâ virginitate laudabilis, ſed omni heroicarum virtutum genere ità refulget, ut plus ultrà humana conditio efferri vix poſſit. Ejus converſatio fuit perpetua in cælis, non hoſpes, non advena, ſed domeſtica Dei, non ſpiritu ſervitutis, ſed adoptionis filiorum obſtricta, ſe ſupra ſe levavit adeò Sponſa Chriſti, ut Secretaria Divinitatis acceptiſſima appellari poſſit. Prodigium facta eſt multis, Angelis & hominibus ſpectaculum, ſive in corpore, ſive extra corpus vixerit, neſcio; quia nec domeſtici ejus id ſatis intellexerunt. Alebatur ſpiritu pluſquàm pane, & frequentiùs Angelorum pane, quàm cibis noſtris reficiebatur. Hinc proceſſit illa miraculoſa corporis incorruptio, & in ipſo cadavere odor ſuaviſſimus, quibus merita B. Mariæ Magdalenæ à Deo nobis maximè commendari, non eſt dubium; quia ſi omnis caro, quæ caro eſt, communi maledicto peccati, ſicut fœnum veteraſcit, & corrumpitur: dum caro B. Mariæ Magdalenæ ſui naturâ corruptibilis & mortalis, incorruptionem & immortalitatem induit poſt mortem, dicendum eſt, quòd caro iſta virginalis tabernaculum fuerit grandis animæ, quæ adeò prævalet in Cœlo, ut potens ſit de tam longinqua regione corporis beati dotes efficaciter in exanimem carnem inducere . . .

habebat aliquid jam non carnis, in carne.

Divinitatis ſecretaria:

in corpore, quaſi extra corpus plus ſpiritu quàm pane vivens.

ejus caro tabernaculũ fuit magnæ animæ:

1743. *Ioannes Baptiſta tituli ſancti Marcelli Presbyter Card. Spada.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena, licèt Italico idiomate de Pazzis nuncupata, inter prudentes virgines eſt connumeranda. In toto enim ſuæ vitæ decurſu prudentiſſima apparuit; in infantia, dum paratos ſibi cibos pauperibus erogabat: in pueritia, dum veſtes ſericas, & alia muliebria ornamenta reſpuebat, dum orationi continuò vacabat, & dum decennis perpetuam vovit virginitatem; indè majoris perfectionis viam aggrediens inter Moniales in virtutibus ſemper uſque ad mortem progrediens, adveniente Sponſo introivit cum eo ad nuptias . . .

prudentiſſima fuit ab infantia, & deinceps.

1744. *Franciſcus tituli ſanctæ Mariæ in Via Presbyter Card. Albicius.* B.me P. Magdalenam habemus non peccatricem, ſed virginem, non prædicante Chriſto pœnitentem, ſed ferè ab ortu ſigna pœnitentiæ præbentem;

XXV. MAII.

Magdalena utriuſque comparatio.

non nardo piſtico pedes Salvatoris ungentem, ſed ex ſuo genu ſuavem liquorem manantem, & morbos depellentem; non ad Chriſti crucem lugentem, ſed coronâ ſpineâ redimitam à Chriſto, caput Chriſti imitantem. In hoc uno conſortes, quòd in extaſim raptæ æterni Patris fruebantur aſpectu, & divini amoris ſpiculo ſauciatæ languebant...

1745. *Carolus tit. S. Priſcæ Presbyter Card. Pius*: Primordia B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis omnium virtutum excellentiſſima Charitas illuſtrat, Beatiſſime Pater, tùm in Deum orationis fervore, tum miſericordiæ operibus in proximum, quem non corporali modò, ſed etiam ſpirituali pabulo ſuprà ætatis captum, ac ſexûs qualitatem nutriebat. Cæteræ verò virtutes in reliqua ætate ſic enituerunt, ut pro fidei profeſſione martyrium ſæpiùs optaret, ac ad Symboli recitationem in exſtaſes raperetur. Spes adeò vigens, ut cùm intra ſe non caperet, frequenter exclamans, & clauſtra percurrens audiretur, inquietum enim erat cor, & mens impatiens, donec requieſceret in Domino. In vita denique ac poſt mortem, veteris ac novi Teſtamenti celebriora miracula renovans, debiles confortavit, infirmos ſanavit, à dæmone obſeſſos liberavit: ex ejus corpore fragrantiſſimus odor exhalans, liquor emanans, oleum in vaſis Monaſterii ſæpiùs multiplicatum: teſtimonia illa ſunt, quæ Eccleſiæ tradidit Deus, ut ſuum de illa in Sanctarum Virginum numero deſcribenda voluntatem aperiret...

S. M. Magd. de Pazzis virtutibus heroicis, & miraculis magnis decorata.

1746. *Carolus tit. S. Euſebii Presbyter Card. Gualterius.* Quàm ex iſto adoratæ ſolio Majeſtatis univerſitatem luſtras, Beatiſſime Pater, totam propagatâ longè latèque rerum cum virtute geſtarum famâ, & inſolitâ miraculorum gloriâ pleniſſimam vides, quibus eamdem Maria Magdalena de Pazzis laudabiliter implevit. Hæc enim illa Virgo ſapiens eſt, quam Dominus in obedientia, & oratione vigilantem ſemper invenit, quæque prudens eidem Sponſo ſuo cum lampadibus divini amoris, quo incenſa æſtuabat, oleo multiplicato lucidioribus adeò ſanctitatis gloriâ, ſuavitatis odore, ac multiplici cæterorum miraculorum varietate ubique fulgens, inclyta obviàm exivit...

Virgo verè ſapiens:

1747. *Flavius tituli ſanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. Chiſius.* Florem dedit Florentia, Beatiſſime Pater, ac æternus ille amor, qui paſcitur inter lilia, floris hujus fragrantiâ perfuſus deſcendit in hortum, & libavit delicias in odore ſuavitatis. Flos hic eſt Maria Magdalena de Pazzis, quæ ſanctitatem undique redolens, ac virtutum omnium ſplendore refulgens totam illuſtravit Etruriam. Pudicitiæ candorem, votivâ oblatione cæleſti Sponſo dicavit, ac divini amoris adeò exarſit ardore, ut flammam, quam geſtabat in corde, non raro oculis, ac vultu, impetuque æſtuanti propalaret...

flos ſanctitatem undique redolens:

1748. *Scipio tit. S. Sabinæ Presbyter Card. Ilicius.* Beatiſſime Pater. Innocentiæ typum, ac pœnitentiæ in B. Maria Magdalena de Pazzis agnoſcunt, & mirantur omnes, qui vitam ipſius Angelicam, & geſta majora homine reputant, ac perpendunt. Nulla unquàm admiſsâ culpâ, pœnis ſemper ultrò ſuſceptis, virtutem cœpit noſſe cum vita: ſæculum fugit antequàm noſſet. Mori cupiens, & eſſe cum Chriſto, perpetuò vixit confixa cruci cum Chriſto. Ex quo forti ligno, ſignoque victoriæ cum movente arma hoſte tartareo congredienti fortiter, ac vincenti Sponſus gloriæ, qui paſcitur inter lilia, dulciſſimæ contemplationis manna dedit abſconditum. Eamque palmis, & coronis onuſtam in cæleſtem Jeruſalem ſuſtulit, ut cum triumphanti Eccleſia canticum laudis concinat triumphale...

typus innocentiæ, & pœnitentiæ,

1749. *Petrus tit. S. Calixti Presbyter Card. Vidonus.* Beatiſſime Pater, Magdalena de Pazzis, futura ſeculis virginitatis exemplar, in Urbe florum, velut in horto lilium nata: mox ſecuriori Monaſterii ſepto concluſa, virtutum omnium indè ſparſit ſuavitatem. Ne quidquàm, prædaturus germen tàm nobile, tartareus hoſtis adlaboravit; nam latrocinanti pœnitentiæ ſepem objecit, & ſpiras ſerpentis antiqui trajecit ſpinis, inter quas ingenioſè crudelis nudum corpus obvolvit. Sic integritatis florem, quem ſanguinis, & lachrymarum humore fortiſſima Virgo educaverat, amatiſſimo Sponſo Deo ad extremum uſque ſpiritum reddidit illibatum...

virginitatis exemplar,

1750. *Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Bonellus.* Comperta abundè eſt, Beatiſſime Pater, B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſanctitas. Penè à cunis illam ſibi delegit Chriſtus Sponſus, adamavitque non oris elegantiam, ac formam, ſed quæ eſfloreſcere ſtatim cœpit, pietatis indolem. Decimo ætatis anno virginitatem vovit. Hæ fuere caſtæ virginis cum Chriſto nuptiæ. Attulit ipſa dotales virtutum opes Sponſo: miſit viciſſim illi Sponſus ſua munera, ſpineam coronam, faſciculum myrrhæ, Sponſæ annulum. Thalamus Crux fuit, in qua mori illa cum ſponſo, & pro Sponſo peroptabat. Hinc ignis ille medullas ità adurens, ut mergi frigidiſſimis interdum undis oporteteret... Quod ſi connubiis non modò animi innectuntur, ſed nomina etiam miſcentur, & tituli; decet Virginem hanc vocari Sanctam, nuptam videlicet Sponſo, qui Sanctus eſt, de quo dicitur: *Quod Sanctus vocabitur*...

ſponſi cæleſtis ſponſa electa,

dotalibus virtutum opibus dotata.

1751. *Cælius tituli S. Petri in monte Aureo Presbyter Card. Piccolomineus.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena de Pazzis, cui in ſacro baptiſmi lavacro Catharinæ nomen inditum, in Religionis ingreſſu hoc Mariæ Magdalenæ ſibi aſſumpſit; ab ipſa appellatione Catharinæ Senenſis puriſſimæ Virginis, & Mariæ Magdalenæ fortiſſimæ pœnitentis virtutes auſpicata: Catharinæ innocentiam, dum illibatum animi candorem nequi-

exprimens in ſe S. Catharinam Senenſem Virginem, & M. Magdal. pœnitentem:

nequidem levi fœdæ cogitationis nebulâ offuſcatum unquam ſenſit; illa roſeam coronam cælitùs oblatam repudians, ſpineam elegit: hæc è ſpinis contexto caput diademate coronavit; Si charitate in proximum exardeſcens Catharina purulento ulceri os virgineum admovens, repentè ſanavit: hæc puriſſimis labiis ſcabiem exoſculans, dum renitente naturâ putredinem hauſit, eâdem obſtupeſcente ſanitatem reſtituit. Nec Magdalenæ gemitus deſunt; quibus non ſuas, ſed alienas ſcelerum ſordes abluit, & non quatriduanum fratrem Lazarum revocavit ad vitam ſuarum contemplatione lachrymarum: ſed complures in lethali tumulo peccatorum jacentes exſuſcitavit ad gratiam. Utraque tamen dilexit multum; alteri titulo charitatis remittuntur peccata: alteri, quia innocens merita cumulantur....

In quo Maria Magd. de Pazzis felicior, & admirabilior alterâ.

1752. *Paluzzus tit. Sanctorum Apoſtolorum Presbyter Card. Paluzzus Albertonius.* Redeuntis ad cor Mariæ Magdalenæ lacrymas æmulata pariter eſt Virgo innocens B. Maria Magdalena de Pazzis, non doloris jaculo expreſſas, ſed vulnere charitatis. Eò felicior, quòd non cecidit ad miſericordiæ pedes, tanquàm à fœdioribus vitæ maculis abluenda, ſed ab alienato paſſim à ſenſibus animo ad divini oris oſculum Sponſo invitante pervenit. Eò admirabilior, quòd minora dimittentem Dominum non minùs ipſa dilexit; nec abundante delicto, ſuperabundavit & gratia...

S. M. Magd. de Pazzis Canonizatio quàm utilis Eccleſiæ,

1753. *Cæſar tituli S. Ioannis ante portam Latinam Presbyter Cardinalis Raſponus.* Magni intereſt cùm Dei gloriæ, tùm hominum ſalutis, Beatiſſime Pater, tranſlatas ad cœleſtem patriam mortales eſſe quàm plurimos, de quorum perpetua felicitate certum nobis, exploratumque ſit; majore namque alacritate, & fiduciâ certiore; in ſtadio currimus, in quo plures partas victorias, & palmas relatas videmus. Eòque magis, ſi horum memoria in benedictione ſit, & altaribus, & votis, & propitiationibus honoretur; minùs enim piget imitari, ut ſcitum eſt, quod celebrare delectat. Nè verò Sanctitas unicum priſci ſeculi decus videatur, ſed noſtra etiam ætas hac laude gloriari meritò poſſit, magni ad Eccleſiæ profectum momenti eſſe puto, ſi quemadmodum tela ad ferienda corpora, ſic exempla Sanctorum ad ſanandos animos adhibeantur. Hæc autem ipſa multò adhuc efficaciora fiunt, cùm à ſexu imbecilliore produntur, cùm ſolemne divinæ providentiæ ſit, infirma hujus mundi eligere, ut fortia quæque non modò confundat, ſed etiam roboret, & ad præclara facinora excitet, & impellat. Hæ omnes, Beatiſſime Pater, ſatis magnæ, ſatiſque graves cauſæ, quamobrem dubitandum nullo modo, quin B. Maria Magdalena de Pazzis ſolemni appellatione Sanctitatis, & cultu, ſanctis Virginibus debito, honoranda, fidelibuſque univerſis vita ejus imitanda, & parta illi ingentibus meritis apud Deum gratia per vota, & ſupplicationes ritè imploranda, proponatur.

1754. *Iacobus tituli ſanctæ Mariæ de Pace Presbyter Card. Ninius.* Virgo fortis B. Maria Magdalena de Pazzis, toto vitæ curſu, divino afflante ſpiritu, agere, & pati fortia meditata eſt. Data in præſidium Eccleſiæ militantis, ut validiori eſſet adjumento à primis annis ſe generosè accinxit ad certamina. Severiſſimâ proſcriptione abdicavit à ſe omnes mundi illecebras, & mollia indumenta, ſciens ſpoliis non indigere induitam fortitudine. Animo ſemper ad patiendum expoſito experta eſt jejunia, vigilias, cilicia, pedum nuditatem, voluntariam paupertatem, ſui abjectionem, & profundam humilitatem. Virgo verè vigilans, & una de numero prudentum; cujus lucerna nunquam extincta...

1755. *Vitalianus tit. S. Agnetis Presb. Card. Vicecomes.* Florentia tunc verè floruit, quandò hunc edidit virtutum candidiſſimum florem B. Mariam Magdalenam, quæ tota Deo, tota Cœlo, quamvis ſata in mundo, opere, conſilio, ſermone, ac ſignis ſalutarem undequaque effundebat odorem; illius candorem non fœdavit impuritatis virus, virebat quidem inter charitatis flammas, & creſcebat inter inexhauſtum divini amoris fontem...

1756. *Iacobus tit. S. Sixti Presbyter Card. Roſpiglioſius.* Beatiſſime Pater, B. Mariam Magdalenam niveus candor virginitatis, ignea in Deum charitas, abſtinentia propè inaudita, aliæque heroicæ virtutes Virginem ſapientem penitùs probavere. Quod & ſignis, ante & poſt ejus obitum, Beatæ ſanctitatem cælitùs confirmantibus, præclariſſimè innotuit: ... & quod humanæ imbecillitati magis congruit, ad imitationis incitamentum præbet nobis mulier fortis exempla virtutis, quæ in infirmitate perficitur...

Mulier fortis, incitamentum ad virtutes:

1757. *Franciſcus ſanctæ Mariæ in Via-lata Diaconus Card. Maidalchinus.* In B. Maria Magdalena de Pazzis ea ſemper fuit vitæ admirabilitas, & virtutis præſtantia, ut æquiſſimâ lance ponderata Sanctorum cultu digna cenſeatur, quò efficaciùs ad virtutem homines excitentur, & Eccleſia Dei pluribus luminibus augeatur...

Eccleſiæ lumen,

1758. *Fridericus S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Haſſia.* B. Virgo Mariæ Magdalena de Pazzis eſt Virgo ſapiens, & una de numero prudentum, quæ ſtultitiam, quam videbatur præferre nomine, ſapientiam fuiſſe apud Deum oſtendit: & lampade divini amoris oleo accensâ occurrens Sponſo, & Sponſæ intravit cum eo ad nuptias. Quinimò, & ipſa eſt Sponſa, quæ à Sponſo Chriſto annulo ſubarrhata, & ad exemplum Sponſi coronâ ſpinarum redimita accepit coronam gloriæ, quam illi Dominus præparavit in æternum.

Stultitiam in nomine, ſapientiam divinam in opere præfert,

1759. *Carolus S. Cæſarii Diaconus Card. Carolus Barberinus.* Non minus ſapienter, quàm juſtè novum iſtud Carmeli germen in agrum militantis Eccleſiæ, Te jubente, producitur, Beatiſſime Pater, Beata inquam

XXV. MAR.

Maria Magdalena, fertilis illius propago, quæ communi cum S. Thereſia genita parente, ejuſdem verticis gloria, ſuaviſſimo illum odore virtutum pariter replevit, & ſuâ ſobole fæcundavit. Sacris itaque honoribus jungatur B. Petro Thereſiæ obſervantiſſimo, æmula Thereſiæ, quam abſtinentia ſumma, aſperitas ſæviſſima, jugis corporis afflictatio adeò illi ſimilem reddidêre, ut ne ſingula texam, ambo ſolo pane, & aqua in annos plurimos victitarint; ambo innocentes victimæ pro ſeculi noxis ſeſe acerrimè cruentarint; ambo nudis pedibus, vel glacie rigente, graderentur. Tam ardens inſuper Dei amor eos fecit æquales, ut miris raptibus ambos conſimili planè munere divina gratia dignaretur.

comparatio S. Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magd.

1760. *Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.* Beatiſſime Pater, B. Maria Magdalena, cujus vita in Spiritu ſancto, & igne divini amoris incendium fuit, verè optimam partem elegit, quando non pedibus ſed cordi Domini tota adhærens hauſit flammas in gaudio de fontibus Salvatoris, omnia ſpirans, omnia ſuſtinens, omnia vincens. Innixa ſuper dilectum ſuum; ſuprà ſexum, ſuprà ſenſum, ſuprà humanitatem elata ſenſit, quàm ſuavis eſt Dominus: tenuit eum, nec dimiſit, donec dilectio fortis, ut mors, revelavit amanti faciem dilecti ſui.

hæc ſuprà ſexum, ſuprà humanitatem elata fuit,

1761. *Franciſcus Maria SS. Viti & Modeſti Diaconus Card. Mancinus.* Petrum de Alcantara jure ſequitur, Beatiſſime Pater, altera Thereſia, paribus referta virtutibus, nova Carmeli gloria, Beata inquam Maria Magdalena de Pazzis. Debebatur profectò huic virgini in ipſomet ortu auſpicatiſſimum Catharinæ nomen, cùm eam cæleſtis Sponſus duarum inſtar Alexandrinæ, & Senenſis eſſet annulo pariter ſubarrhaturus, debebatur in ingreſſu monaſterii & Mariæ Magdalenæ nomen, quia divino amore ſaucia dilexit multum, & ſupernis intenta contemplationibus ſæpiſſimè in extaſim rapiebatur. Quid loquar de heroicis ejus virtutibus! quid de miraculis, cùm tota ipſius vita nihil aliud, quàm miraculum fuerit...

tota ejus vita quaſi miraculum:

1762. *Angelus ſancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Celſus.* Maria Magdalena de Pazzis non quidem mulier in civitate peccatrix, ſed Virgo in Sanctimonialium domo cum Deo amantiſſimè, & conjunctiſſimè vixit...

cum Deo conjunctiſſimè vixit.

1763. *Paulus ſancti Georgii Diaconus Card. Sabellus.* Inæſtimabiles virtutum margaritæ Virgineam B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis animam ab ipſa infantia ornavêre. Inter omnes enituit ſingularis in Deum charitas, quâ vivebat ipſa jam non ipſa, vivebat verò in ipſa Chriſtus: Eximio hoc Sponſi amore perpetua velut extaſi extra ſe rapta Magdalenæ anima in Cœlo magis habitabat, ubi amabat, quàm in corpore, ubi animabat: charitatem reliquæ virtutes comitatæ ſunt, ancillæ reginam: virtutes maxima miracula conſecuta fuere, quibus vivens, & poſt mortem coruſcavit...

vitam quaſi cæleſtem ducens,

1764. *Sigiſmundus S. Mariæ in Domnicâ Diaconus Card. Chiſius.* B. Mariam Magdalenam de Pazzis ſummæ abſtinentiæ rigor, & divini amoris præſtantia, vitæ, morumque admirabilis ſanctitas dignam meritò eam reddiderunt ut particeps fieret Dominicæ paſſionis; undè certa, atque ſecura redditur expectatio promiſſæ beatitudinis, præſertim in Virginibus, quæ ſequuntur agnum quocumque ierit.

ſanctitas ejus admirabilis,

1765. *Iulius tit. ſancti Martini in Montibus Presbyter Card. Spinola (adversa valetudine Domi detentus ad Conſiſtorium miſit hoc ſuum ſuffragium)* Mariæ Magdalenæ de Pazzis adhuc miſeriarum vallis incolæ ſupernis felicitatibus frui conceſſum: adhuc mortali cæleſtes delicias cum immortalibus fuêre communes. Sed cur potiùs non dixerim in præclarâ iſtâ Virgine inveniſſe delicias ſuas ſpatiantem inter lilia Deum? Sæpè enim commoratus cum ipſâ, ſemper ſibi benè complacuit in ipſâ; dilectam Sponſam declaravit annulo, ſibique perſimilem fecit ſpineo ſerto... *Suffragiis, elogiis, & teſtimoniis de eminenti ſanctitate Mariæ Magdalenæ de Pazzis verbo, & ſcripto ſic enunciatis ab Eminentiſſ. DD. Cardinalibus pars orationis, & ordine dederunt Illuſtriſſ. & R.mi DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi tunc Romæ exiſtentes: quæ quidem etiam ſingula hîc conſequenter exhibere liberet: aſt prolixitatis nimiæ vitandæ gratiâ cùm & pleraque quoad ſubſtantiam ferè contineant præcedentibus, viſum fuit, exhibere dumtaxat nomina, & titulos eorum, juxta ſeriem in Actis Canonizationis relatam; & præcipua quadam excerpta ſequentia.*

ei adhuc terræ incolæ conceſſum frui ſupernis felicitatibus.

1766. Apoſtolici temporis charitatem ab hoc ſeculo alienam non eſſe B. Maria Magdalena de Pazzis exemplo ſuo oſtendit, quæ alteram Magdalenam Chriſti diſcipulam, & amantem, ut nomine, ità & virtute expreſſit. Illa Chriſto viventi familiaris fuit, hæc glorioſo. Illa neglectis Marthæ negotiis optimam partem elegit; hæc domeſtica negotia otio nectens contemplationis, etiam dum acu pingeret extrà ſenſus poſita, opus abſolutiſſimè peragebat. Illa ab Angelis ſepties in die ferebatur in Cælum, hæc ſæpiùs per plures dies in ecſtaſim rapta, Cæli deliciis fruebatur. Utraque verò ab omni materiæ concretione ſoluta, ſibi & mundo mortua vixit; ſed unum eſt, in quo typus prototypon vicit, quòd illa aliquandò peccatrix, hæc ſemper innocens fuit... B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis vita, ſi vel ab ipſis incunabulis inſpiciatur, tota miraculum eſt. Nihil in illâ niſi ſanctum, niſi pium, niſi divinum, niſi mirabile. Innocentia nunquam amiſſa: virginitas ſemper illibata: charitas in Deum quotidiè intenſior: amor in proximos ubique exæſtuans: odium ſui perpetuum: humilitas profunda: contemplatio ſublimis: converſatio plerumque in Cælo: revelationes, viſiones, ecſtaſes, raptus, tranſitus denique aſſidui in ſtatum planè Deificum... Con-

Magdalenæ utriuſque comparatio.

M. Magdalenæ de Pazzis vita tota miraculum;

fluxerunt

XXV. Maii.

fluxerunt in hanc Virginem ſumma illa, quæ ſingulariter admiramur in Sanctiſſimâ Deipara; flos puritatis nullo unquàm vel primo impuritatis motu afflatus, humilitas infra omnem creaturam abyſſata, lumen altiſſimę contemplationis a primo infantiæ ſuæ diluculo nunquam eclipſatum, tormentorum Chriſti patientis familiariſſima participatio, denique ingens ſub cruce deſolatio ... Quis igitur ſufficiens erit, ô glorioſa Beata, qui brevi verborum circulo ſupernaturalem, & immaterialem tuam politicam dignè exprimere poterit? In carne cùm eſſes, in carne nec-nè eras, an extra carnem? ignoro quidem; hoc autem certò ſcio; te ſemper propè ſponſalis thalami januam conſtanter permanſiſſe, habentem præ manibus non ſolùm lucernam fidei ſemper accenſam; verùm etjam & vas cum oleo, hoc eſt cor Sponſi amore repletum, tanquam una ex quinque virginibus ſapientibus.

Deipara virtutum celſarum quadam maxime imitatrix.

Miraculoſa ejus vita veluti miraculum ſuperavit.

1767. Virgo Catharina de Pazzis, quaſi per antiphraſim una de numero prudentum, non ſine numine nomen Mariæ Magdalenæ aſſumpſit, quia Sacratiſſimæ Virginis Mariæ virgineum candorem, & Magdalenæ pœnitentiam amplexa eſt. Inter cætera admiranda, quæ geſſit, comprobatur; vivam ſui ipſius motum amiſiſſe per ectaſim; mortuam ſui ipſius motum recuperaſſe per antipatiam mali, ut reverà oſtenderetur ſemper viva, quæ *in Domino obiit, & ſicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus.* Quare etiam viva, quaſi mortua, cibo quandoque non utebatur: & mortua, quaſi viva, incorrupta permanet, *quiſque currit in odorem unguentorum ſuorum, & veluti oleum effuſum nomen ejus*; non ſemel multiplicavit oleum, tanquam una ex iis, *quæ ſumpſerunt oleum ſecum, & intraverunt cum Sponſo ad nuptias* ... Heroicæ virtutes ejus tanquam ſeptem aurea candelabra antè conſpectum immaculati Agni emicuêre: I. Charitas, quâ fœtidiſſimas plagas infirmæ Sororis excolebat. II. Virginitas, cujus immaculatum florem ſervans, beatiùs illi viſum eſt in carne imitari vitam Angelicam, quàm ex carne numerum fidelium augere. III. Obedientia, Confeſſorem celebrantem expectans, dum animam ageret, obediendo præpoſitis, & illis ſubjacens. IV. Fides, cujus Symbolum ruſticanas puellas docens, ecſtaſim ſæpiſſimè experiebatur. V. Humilitas, quâ tumidum quod ſuperbia, elatumque redderet, humilitate explanaret. VI. Abſtinentia, cujus quotidianus cibus quinquennio ſolus panis, & aqua fuit. Et demùm VII. amor in Eccleſiam Dei Sponſam, pro quâ quotidianas divinæ Majeſtati preces effundebat. Lætetur hodie deſerta, & invia, & exultet ſolitudo. Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli; dum B. M. Magdalenam de Pazzis; novum proceræque ſanctitatis germen Eccleſiæ protulit.

Viva quaſi mortua, & econtrà.

Heroicæ virtutes ejus veluti 7. candelabra aurea ante conſpectum Dei.

1768. *Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi præſentes in iſto Conſiſtorio, & verbis jam relatis, aut ſimilibus pro Canonizatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis unà cum Eminentiſſ. Cardinalibus præfatis ſuffragia ferentes erant ſequentes.*

Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi teſtimonia ferentes de eminenti ſanctitate M. Magd. de Pazzis.

Stephanus Ugolinus Patriarcha Conſtant. Aſſiſtens.
Iacobus Altovitus Patriarcha Antiochenus, Aſſiſt.
*Camillus * de Maximis Patriarc. Hieroſol. Aſſiſt.*
Ægidius Columna Archiepiſ. Amaſienſis, Aſſiſtens.
Franciſcus Caëtanus Archiep. Rhodienſis, Aſſiſtens.
Franciſcus Nerlius Archiepiſc Florentinus, Aſſiſt.
F. Thomas de Sarriâ Archiepiſc. Tarentinus, Aſſiſt.
Stephanus Brancatius Archiep. Adrianop. Aſſiſtens.
Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Urbin. Aſſiſtens.
Federicus Ubaldus Archiepiſcopus Cæſareæ, Aſſiſt.
Franciſc. Maria Phœbeus Archiep. Tarſenſis, Aſſiſt.
Carolus de Vecchiis Archiepiſc. Athenarum, Aſſiſt.
Bernardinus Roccius Archiepiſ. Damaſcenus, Aſſiſt.
Fr. Ioſeph della Corgna Epiſc. Urbevetanus, Aſſiſt.
Paulus Æmilius Alterius Epiſ olim Camerin. Aſſiſt.
Gregorius Bologuettus Epiſc. olim Reatinus, Aſſiſt.
Laurentius Gavottus Epiſc. olim Vintimill. Aſſiſt.
Ioſephus Maria Suareſius Epiſc. olim Vaſion. Aſſiſt.
Gaudentius Polus Epiſcopus Amerinus, Aſſiſtens.
Fr. Bonaventura Theulus Archiepiſcopus Myreoſis.
Matthæus de Ianuario Archiepiſcopus Rheginus.
Onuphrius Conſtant. Metropolita Debrarum, &c.
Ioſeph Ciantes olim Epiſcopus Marcicenſis.
Vincentius Vincentinus Epiſcopus Hieracenſis.
Vincentius Candiottus Epiſcopus Balneoregienſis.
Philippus Iacob Epiſcopus Policaſtrenſis.
Marcellus Phylonardus Epiſcopus Aquinas.
Guarnerius de Guarneriis Epiſcopus Signinus.
Ioſephus Palermus Epiſcopus Converſanus.
Ioan. Carol. Valentinus Epiſc. Civitatis Ducalis.
Camillus Piazza Epiſcopus Dragonenſis.
Ioan. Laurentius Caſtilioneus Epiſcopus Anagniæ.
Sebaſtianus Surrentinus Epiſcopus Trojanus.
Franciſcus Pallejus Epiſcopus Helopolitanus.
Franciſcus Cinus Epiſc. Maceratæ, & Tolentini.
Ioan. Baptiſta Spinola Epiſc. Lunenſis Sarzanenſis.
Iulius Carracciolus Epiſc. Melphienſis, & Rapoll.
Emanuël Brancatius Epiſcopus Ariani.
Franciſcus Ravizza Epiſcopus Sydonienſis.
Fr. Petrus Lanfrancon ius Epiſcopus Interamnenſis.
Hercules Dominicus Monaunus Ep. Terracinenſis.
Cuſtodius de Pigne Epiſcopus Hyerapolitanus.
Onuphrius Hippolytus Epiſcopus Porphyrienſis.
Marcus Antonius Vincentinus Epiſc. Fulginatenſis.
Philippus Alferius Oſſorio Epiſcopus Fundanus.
Fr. Fulgentius Arminius Monforte ab Avellino, Epiſcopus Nuſcanus.
Perſius Carraccius Epiſcopus Larini.
Ioannes Baptiſta Alferius Epiſcopus Fanenſis.

** Al. Maſſimus.*

Duo ultimi iſti Epiſcopi Larini, & Fanenſis; adverſá valetudine domi detenti ſuffragia ſua ad Conſiſtorium miſerunt.

XXV. Maii.

CAPUT V.

Canonizationis Ordo, modus, ceremoniæ quibus peracta.

1769. *PRæmiſſis tam multis pravis proceſſibus, relationibus rotalibus, ſeſſionibus, Conſiſtoriis, & prolatis Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum omnium præſentium ſuffragiis in unum conſentientibus, SS.mus Dominus diem Canonizationis, & prævie preces, jejunia, eleëmoſynas aliaque opera pia pro divino implorando lumine indixit his verbis:* [Venerabiles Fratres. Suffragiis veſtris in unum conſentientibus, eòque collineantibus, quo Noſter quoque animus ferebatur, diem Canonizationis indicimus vigeſimam octavam Aprilis, Dominicam in Albis. Pollicetur ſpectata pietas veſtra, quod cum agatur de re tanti ponderis, & ad univerſam Eccleſiam pertinente, precibus, jejuniis, eleëmoſynis, aliiſque piis operibus ab Altiſſimo, ſicuti ſummoperè cupimus, poſtulabitis, ut ſuper hac voluntatem ſuam Nobis dignetur oſtendere.]

Canonizationis diem decernit Sum. Pont.

1770. Die XXII. Aprilis, feriâ ſecundâ poſt Paſcha, Eminentiſſimus D. Fridericus Cardinalis Haſſiæ à Leopoldo 1. electo Roman. Imper. Auguſto apud Sum. Pont. Prolegatus deſignatus, innumeris è primaria nobilitate viris, & Romanæ Curiæ Prælatis comitatus, à ſuo Palatio ad Vaticanum curru magnifico vectus, litteras ejuſdem Cæſareæ Majeſtatis obtulit SS. D. N. Clementi IX. quibus ei gratias agebat Imperator, quod ad ſuam interceſſionem B. M. Magdal. de Pazzis Sanctorum catalogo adſcribere decreviſſet; inſuper Sanctitatem Suam rogabat, ut in Canonizationis ſolemniis conſuetas, ut vocant, inſtantias audire dignaretur Suæ Majeſtatis nomine ab Eminentiſſimo D. Card. Roſpiglioſio Sanctitatis Suæ ex germano fratre nepote faciendas. Cui alias item Cæſaris litteras conſignavit, ut in eadem celebritate prædictas inſtantias facere vellet. Litteræ autem ſunt hujuſmodi.

Leopoldi Imperatoris littera ad Sum. Pont. circa Canonizationem.

1771. Beatiſſimo in Chriſto Patri Domino Clementi IX. Divinâ providentiâ S. Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici Domino Reverendiſſimo.

Beatiſſime in Chriſto Pater Domine Reverendiſſ. Poſt officioſiſſimam commendationem filialis obſervantiæ continuum incrementum. Ut jam ſæpiùs Paternam Sanctitatis Veſtræ in Nos propenſionem, peculiareq; Nobis gratificandi ſtudium magnâ cum ſatisfactione, ac conſolatione luculenter experti ſumus, ità & hoc magnopere Nos afficit, quod Sanctitas Veſtra Canonizationem Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ad interceſſionem noſtram, & vel maximè ob præclara ejuſdem ſanctitatis merita, proximè celebrandam decreverit. Et cùm jam aliud non ſuperſit, quàm ut hæc Beata honore illo, quo in Cęlis fruitur, in terris quoque conſpicua reddatur, adeoque ejus Canonizatio proximè in effectum redigatur. Hinc Sanctitatem Veſtram pro filiali obſervantia noſtra impensè rogatam cupimus, ut inſtantias, quas eidem Nepos ſuus Reverendiſſimus Cardinalis Roſpiglioſius noſtro nomine hac in re porriget, benevolè admittere, indèque ad actum Canonizationis dictæ Beatæ devenire dignetur. Faciet in eo rem Nobis gratiſſimam, cui Nos de reliquo vitam longævam, atque ſemper incolumem pro Univerſalis Eccleſiæ, Domuſque noſtræ bono animitùs apprecamur. Datum in Civitate noſtra Viennæ, die XXIII. Martii anno Domini milleſimo Sexenteſimo Sexageſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani Undecimo, Ungarici decimo-quarto, & Bohemici decimo-tertio. Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ:

Obſequens filius

LEOPOLDUS.

1772. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Jacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſio Amico noſtro Chariſſimo.

Imperatoris ejuſdem littera ad Eminentiſſ. D. Cardinal. Roſpiglioſium.

Leopoldus Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Jacobo S. R. E. Cardinali Roſpiglioſio Amico noſtro Chariſſimo ſalutem, ac benevolentiæ noſtræ affectum. Reverendiſſime in Chriſto Pater, Amice Chariſſime. Perjucundum Nobis auditu fuit Sum. Pontificis Beatitudinem, ad interceſſionem noſtram, B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Canonizationem, quam eximia ejuſdem, quâ in terris claruit, ſanctimonia promeretur, proximè celebrandam ſtatuiſſe. Cumq; jam apprimè deſideremus, ut ad ſolemnem hujus Canonizationis actũ conſtituto tempore procedatur, iſque reipsâ expediatur. Idcircò Paternitatem Veſtram Reverendiſſimam pro ſingulari noſtrâ in eamdem fiduciâ hiſce enixè requirendam duximus, quatenùs Sanctitatem Suam verbis noſtris rogare, ſolitaſque hac in parte inſtantias facere velit, ut ad actum Canonizationis præfatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis devenire dignetur, non dubitantes, quin Paternitas Veſtra Reverendiſſima id curæ, ac laboris in ſe noſtri gratiâ lubens ſit ſuſceptura; quem in finem eidem omnem ad hoc negotium perficiendum opportunam, neceſſariamve facultatem, vigore harũ impertimur, & viciſſim Eidem peramice voluntatis noſtræ officia prolixè offerimus, peculiaremque affectum noſtrũ confirmamus. Datum in Civitate noſtra Viennæ, die vigeſima-tertia Martii an. MDCLXIX. Regnorum

rum noſtrorum Romani undecimo, Ungarici decimo-quarto, & Bohemici decimo-tertio.

1773. *Conſequenter accuratè, & ſigillatim referuntur præparatoria ad Canonizationem, & ſumptuoſiſſimus apparatus, & Eccleſiæ Vaticanæ ornatus, & theatri Ichnographia, nec non ejuſdem Theatri proſpectus, ſeu repræſentatio ſeſſionis Summi Pont. in throno, medium locum tenente, & Eminentiſſ. DD. Cardinalium, cæterorumque Prælatorum, & officialium, ac Principum, nec non Sereniſſ. Chriſtinæ Alexandræ Suecorum Reginæ, in peculiari eminenti thalamo, à latere: Sed nimiæ prolixitatis vitandæ causâ iſtu prætermiſſis, præcipuus dumtaxat Canonizationis actus hîc ſequitur.*

Sum. Pont. in Baſilica Vaticana pro Canonizatione B. Petri de Alcantara & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis obedientiæ obſequium exhibetur,

1774. Itaque Summus Pontifex, hac magnificentiſſima ſacræ pompæ ſpecie, & dignitate, ab ipſo ſtatim Baſilicæ ingreſſu, intuentium & admirantiũ oculis objecta, editiori eminens loco, triginta-ſeptem Cardinalium, ſexaginta, & amplius Antiſtitum, ac innumerorũ ferè ex Romana Curia Præſulum frequentiſſimâ, & ampliſſimâ coronâ cinctus, delatum ſibi conſueto ritu excepit obedientiæ obſequium: à Cardinalibus oſculo manus: ab Epiſcopis oſculo genu: à Pœnitentiariis oſculo pedis. Poſtquam Cardinalium antiquior Barberinus, Sacri Collegii Decanus, obedientiam præſtitit, à D. Caſalio Diacono, Baſilicæ Principis Apoſtolorum: D. Muti Subdiacono, Baſilicæ Liberianæ: Preſbyteri munus obeunte D. Antaldo, Baſilicæ Conſtantinianæ Canonicis, Dalmaticâ, tunicellâ, & pluviali reſpectivè indutis, ab infimo Solii gradu ad faldiſtorium in cornu Epiſtolæ poſitum deductus eſt; ibique manus primùm lavit: deindè ſacras, pretioſas, & ad hunc ſolemnem diem paratas, induit veſtes.

ad quem ſe tum deducitur Card. Barberinus.

1775. Abſolutâ obedientiæ functione, D. Fulvius Servantius (Cæremoniarum Magiſter, ſacrorum rituum peritiſſimus) ſedente jam à dextro Solii latere Cardinale Ginetto, antiquiore poſt Cardinalem Barberinum Epiſcopo Cardinale, ad ejuſdem Solii gradus deduxit Cardinalem Roſpiglioſium, delegatum, ut ſupra diximus, ad poſtulandam Canonizationem BB. Petri, & M. Magdalenæ. Hic ubi ad Soliũ pervenit, factâ priùs Sum. Pont. profundâ capitis inclinatione, ſtetit medius, habens hinc indè genuflexos à latere ſiniſtro Cæremoniarum Magiſtrum, à dextro Comitem Alexandrum Caprariam Sacri Conſiſtorii Advocatum, conſuetâ veſte cum caputio indutum; qui uti erat genuflexus, Cardinalis nomine, à Suâ Sanctitate, ut eamdem Canonizationem peragere dignaretur, inſtanter ſic poſtulavit. [BEATISSIME PATER, Reverendiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſius hic præſens, nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majeſtatis Catholicæ Caroli ſecundi Regis Hiſpaniarum, inſtanter petit per Sanctitatem Veſtram catalogo Sanctorum Domini noſtri Ieſu Chriſti adſcribi, & tanquam Sanctos ab omnibus Chriſti-fidelibus pronunciari venerandos B. Petrum de Alcantara Ordinis Minorum, & B. Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitarum.]

ac deindè Card. Roſpiglioſius.

Imperatoris, & Regis Hiſpan. nomine inſtantia 1. pro Canonizatione,

1776. His autem Reverendiſſ. D. Franciſcus Nerlius, Archiepiſcopus Florentinus, Sanctiſſimi D. N. Secretarius ab Epiſtolis ad Principes, ſtans in ſiniſtro Solii latere, his conceptis verbis ità reſpondit. [Edocta Redemptoris admonitionibus, ac exemplis Eccleſia, nihil, arduis præſertim in rebus, inchoat, proſequitur, perficit, abſque multâ, & jugi piarum orationũ inſtantiâ. Quapropter, etiam poſt tot alias, quà juris humani diligentias exquiſitiſſimas, quà divinæ voluntati cùm agnoſcendæ tum propitiandæ rationes complures adhibitas; in ipſo rei tranſigendæ limine, SS. D. N. adhuc nova inſtaurat Orationum ſubſidia. Etenim jubet Venerabiles Fratres ſuos S. R. E. Cardinales, & univerſos huic celebritati præſentes Chriſti-fideles, humiliter ſupplices, ac proſtratos ante Principis Apoſtolorum Confeſſionem, Phialas aureas, odoramentorum plenas, effundere in conſpectu Domini; quo beneplacitum in tam gravi negotio ſuum ex inacceſſibili luce proferre, benignè velit.]

reſponſum nomine Sum. Pont.

1777. Quibus auditis, Cardinalis Roſpiglioſius, factâ Pontifici reverentiâ, medius inter Advocatum, & Cæremoniarum Magiſtrum, ad ſuum locum reverſus eſt. Mox Sanctiſſimus, mitrâ ornatus, ſuprà ſuppoſitum à Capellæ Clericis faldiſtorium in ipſa Solii areâ genuflexus: Regina verò ſuper binis pulvinaribus è ſerico aureo, à Marchione de Monte, Regiæ ipſius Aulico, ſibi ſubjectis, innixa: omneſque alii ſuis quique, prout aderant, diſpoſiti locis, in genua provoluti, ad orandum ſe compararunt. Tum duo Cantores flexis ante ſcabellum genibus, in quo litaniarum librum collocaverant, & poſt Cardinalem Decanum eâ die celebrantem, ſuo item faldiſtorio in genua procumbentem, verſâ in theatri aream fronte, dextrâ autem contra altare ad cornu Epiſtolæ, ſiniſtrâ verò Pontificem versùs, LITANIAS SANCTORUM plano cantu dicere cæperunt, quas uſque ad AGNUS DEI continuarunt.

qui poſteà, & etiam Regina Suecica, Card. ac cæteri omnes genuflectunt pro oratione:

cantantur Litaniæ Sanctorum.

1778. Mox Pontifex ad ſuum thronum ſe recepit, & D. Cardinale Roſpiglioſio iterùm ad infimum Solii gradum, modo jam ſuperiùs relato, deducto: Comes Capraria Advocatus eiſdem prorſus, quibus antea diximus, cæremoniis, ſecundò inſtitit pro obtinendâ apud Sanctiſſimum BB. Petri, & Mariæ Magdalenæ Canonizatione, hoc modo: [BEATISSIME PATER: Reverendiſſ. D. Cardinalis Roſpiglioſius hic præſens, nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majeſtatis Catholicæ Caroli Secundi Regis Hiſpaniarum inſtantèr & inſtantiùs petit per Sanctitatem Veſtram catalogo Sanctorum Domini noſtri Jeſu Chriſti adſcribi, & tanquam Sanctos ab omnibus Chriſti-fidelibus pro-

Imperatoris, & Regis Hiſp. nomine inſtantia ſecunda pro Canonizatione,

pro-

XXV. Maii.

pronunciari venerandos Beatum Petrum de Alcantara Ordinis Minorum, & Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitarum.] Ad hæc Reverendiſſimus D. Nerlius Secretarius ità reſpondit: [Stat Angelus ante Altare, habens Thuribulum aureum. Repetitis igitur juſſu SS. D. N. denuò comprecationibus danda ſunt illi incenſa multa, ut det de orationibus Sanctorum ſuper Altare aureum, quod eſt ante Thronum Dei.]

reſponſum nomine Sum. Pont.

1779. Quibus peractis, Cardinalis Roſpiglioſius, cum Advocato, & Cæremoniarum Magiſtro, eò, undè venerat, revertit. Pontifex verò mitratus, è throno deſcendens, ad faldiſtorium ſuper areâ, iterum poſitum, oraturus proceſſit. Cumque Cardinalis Haſſiæ Diaconus, qui ſtabat à dextro Pontificis latere, ad populum converſus, altâ voce dixiſſet: Orate: Cardinalis Carolus Barberinus Diaconus, qui ſtabat à ſiniſtris, Pontifici mitram detraxit; & poſtquam Sanctitas ſua, & cæteri, qui aderant, poſitis humi genibus, preces ad Deum fuderunt, altâ pariter voce pronunciavit: Levate. Tunc Pontifex, aliique omnes ſurrexerunt; allatoque à Patriarchis Aſſiſtentibus libró cum candelâ, adſtante etiam Cardinale Ginetto, utpote antiquiore poſt Decanum Cardinale Epiſcopo, Sanctitas Sua, ante faldiſtorium, cum cantu inchoavit Hymnum: Veni creator Spiritûs; in genua cum cæteris procumbens ad tres ſequentes verſus. Quibus cantatis, cum reliquis ſeſe elevans, depoſitâ mitrâ, ſtetit uſque ad finem Hymni; eoque abſoluto, nonnulli è Cantoribus proſecuti ſunt, ℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, Alleluia. Aliiſque reſpondentibus, ℟. Et renovabis faciem terræ, Alleluia. Sanctitas Sua, ſtantibus ante Solii gradus duobus Votantibus Signaturæ Juſtitiæ Acolythis cum candelabris, & cereis accenſis, recitavit Orationem: [Deus, qui corda fidelium, &c.] redimitus poſteà mitrâ, paulìſper ſedit.

qui ſucced. etiam Regina mortua, Cardinales, ac cæteri omnes genuflectunt, pro oratione:

Dein Sum. Pontifex inchoat: Veni Creator Spiritus:

quo abſoluto cum verſibus dicit orationem.

1780. Illicò Advocatus Capraria ante Solii gradus, genuflectens à dextris ſtantis Cardinalis Roſpiglioſii, tertiò, & inſtantiſſimè à Sanctiſſimo poſtulavit, ut Canonizationem tandem peragere, & perficere dignaretur, in hunc modum: [Beatissime Pater Reverendiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſius hìc præſens, nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Majeſtatis Catholicæ Caroli Secundi Regis Hiſpaniarum inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſſimè petit per Sanctitatem Veſtram catalogo Sanctorum Domini Noſtri Jeſu Chriſti adſcribi, & tanquam Sanctos ab omnibus Chriſti-fidelibus pronunciari venerandos B. Petrum de Alcantara Ordinis Minorum, & Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitarum.] Et Reverendiſſ. Nerlius pariter tertiâ vice paucis hiſce verbis reſpondit: [Aſcendit fumus incenſorium de Orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo; cujus voluntate SS. D. N. jàm intellectâ, modò referet B. Petrum de Alcantara in Sanctorum Confeſſorum numerum, & B. Mariam Magdalenam de Pazzis in Albo Sanctarum Virginum adſcribet.] Itaque Summus Pontifex, aſſiſtentibus Patriarchis, librum, & candelam ſuſtinentibus, adſtante quoque prædicto antiquiore Cardinale Epiſcopo, cum Mitrâ ſedens, & majorem quodammodò humanâ præferens majeſtatem, divino Spiritu afflatus, ex Cathedra BB. Petrum, & Mariam Magdalenam Sanctos eſſe declaravit, eoſque univerſæ Eccleſiæ colendos, & adorandos propoſuit, his verbis.

Imperatoris, & Regis Hiſpan. nomine pro Canonizatione inſtantia 3.

reſponſum nomine Sum. Pont.

qui tandem ex Cathedra BB. Petrum, & M. Magdalenam Sanctos declarant.

1781. [Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & divinâ ope ſæpiùs imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, B. Petrum Confeſſorem, & B. Mariam Magdalenam Virginem, Sanctum, & Sanctam eſſe decernimus, & definimus, & Sanctorum catalogo adſcribimus: ſtatuentes, ab Eccleſia univerſali, quolibet anno, memoriam Beati Petri inter Sanctos Confeſſores non Pontifices, die decimâ-octavâ Octobris: & Beatæ Mariæ Magdalenæ inter Sanctas Virgines non Martyres, die vigeſimâ-quintâ Maii, piâ devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.]

canonizationis formula.

1782. Stante interim Cardinale Roſpiglioſio ante Solii Pontificii gradus, Comes Capraria in genua provolutus; ipſius Cardinalis nomine, ſententiam Canonizationis ritè prolatam acceptavit, gratias Pontifici retulit, & Apoſtolicas ſuper eâ re litteras expediri ſupplìciter ità poſtulavit: [Beatissime Pater. Idem Reverendiſſ. D. Cardinalis Roſpiglioſius nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi electi Imperatoris, & Catholicæ Majeſtatis Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis acceptat pronunciationem à Sanctitate Veſtra factam, eidemque gratias immortales agit, & enixè ſupplicat, ut Sanctitas Veſtra ſuper Canonizatione eâdem litteras Apoſtolicas dignetur decernere.] Sanctiſſimus verò, facto manu Crucis ſigno, de more benedicendo dixit: *Decernimus.* Confeſtim D. Cardinalis Roſpiglioſius Solium conſcendit, & manum, ac genu Sanctiſſimi oſculatus, Sanctitati Suæ, nomine Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, grates egit; & Advocatus Capraria ad Protonotarios circumſtantes verſus, eos rogavit, ut, ſuper ſolemni hujuſmodi Canonizatione publicam, ac ſolemnem fidem facere vellent hoc modo. [Rogantur omnes Protonotarii, & Notarii hìc præſentes, ut ſuper hujuſmodi ſolemnis Canonizationis actu unum, vel

Cardinalis Roſpiglioſi ſupplicatio.

idem nomine Imperatoris, ac Regis Hiſpan. grates refert.

XXV. Maii.

vel plura, publicum, ſeu publica, inſtrumentum, vel inſtrumenta conficiant, ad perpetuam rei memoriam.] Tunc prior Protonotariorum eos, qui in area Solii ſtabant, hujuſmodi rei teſtes adhibuit, dicens: *Vobis teſtibus.* His peractis D. Cardinalis Roſpiglioſius, & Advocatus ad ſua ſe recepere loca. Sanctiſſimus verò, depoſitâ mitrâ, ſurrexit, ac ex aperto ſibi ab Aſſiſtentibus Patriarchis libro, accedente etiam prædicto Epiſcopo Cardinale, cecinit hymnum: *Te Deum laudamus*: quem Muſici uſque ad finem proſecuti ſunt.

Sanctiſſ. Dominus inchoat Te Deum Laudamus.

& ſubitò factus harmonicus tubarum, & tympanorum ſonus, diſploſiones ſcloporum.

1783. Facto repentè per Cæremoniarum Magiſtrum ſigno; tubæ canere cœperunt, inflari litui, pulſari tympana; & militum acies, per totum S. Petri forum bellico more diſpoſitæ, ſemel, ac iterum, tertiumque diſploſêre ſclopos: excêpere, ac reddidêre totidem vicibus ſonum alæ Equitum, ſervato militari ordine, ad Circi angulos præſtolantes, armis egregiè munitæ, dejectis ab humero per tranſverſum pectus faſciis elegantes, & apertis ad liberum proſpectum galeis ſpectabiles: omnis item generis tormenta ænea, tùm in ipſo Vaticano foro, tùm in Sancti Angeli Caſtro, cum innumeris mortariis pulvere incendiario fartis, horribili ſimul ſtrepitu plauſuque ſpectantium, tonitruum more, boatuque diſploſa, lætitiam geminarunt. Secutus mox, audituſque majoris Capitolii campanæ ſonus ad hilaritatem publicam univerſam Civitatem provocavit: omnium Eccleſiarum campanæ per integram horam feſtivè ſonuerunt: tubæ in variis Urbis regionibus cecinerunt: alia è diverſo muſica inſtrumenta reſponſarunt; ubique plauſus, & lætitia cùm religione conjuncta: lætari omnes, gratulari, ob ſolemnem Divorum Canonizationem Deo gratias agere: Sanctorum Petri, & Mariæ Magdalenæ nomina crebro repetere: auxilium ab illis implorare: eoſque potentes in Cœlo Patronos, & in terris, mortalibus propitios tutelares, ſibi deligere, & miro quodam religionis ſenſu illorum memorias venerari.

omnis generis tormentorum æneorum, & mortariorũ horribilis ſtrepitus, plauſuſque adſtantium.

& pulſus campanarũ majoris Capitolii. & omnium Eccleſiarum per horam, ac multiplicium inſtrum. muſicorum reſonantia.

1784. Abſoluto per Capellæ Muſicos Hymno, Diaconus Cardinalis à dextris cantavit ℣. *Orate pro nobis Beati Petre, & Maria Magdalena, Alleluia.* Choro contra reſpondente: ℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti, alleluia.* Ferentibus deinde candelabra cum cereis accenſis duobus Acolythis, & ad infimum Solii gradum conſiſtentibus: nec non allatis per Aſſiſtentes Patriarchas libro, & candelâ; Summus Pontifex eorum opem imploraturus, quos cum Deo regnare jam declaraverat, elatâ voce cecinit ſequentem Orationem. [Oremus Omnipotens ſempiterne Deus mirabilis in Sanctis tuis, qui Beatos Petrum, & Mariam Magdalenam Sanctorum tuorum gloriâ ſublimaſti: concede propitius: ut eos imitari non pigeat, quorum ſolemnia celebrare delectat. Per Dominum noſtrum, &c.] Poſt Orationem D. Cardinalis Azzolinus, qui ſuo loco inter Cardinales Diaconos ſedebat, & ſi Pontifex celebraſſet, Euangelium recitaturus erat, Solium conſcendit, ſtanſque à ſiniſtro Pontificis latere ſtantis adhuc ſine mitrâ, conſuetam dixit confeſſionem, additis tamen Sanctorum recens Canonizatorum nominibus, hoc modo. [Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, Beatis Petro, & Mariæ Magdalenæ, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum Beatos Petrum, & Mariam Magdalenam, omnes Sanctos, & te Pater, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.] Quâ finitâ, à D. Emerix Auditore Rotæ, ut dictum eſt, Subdiacono Apoſtolico, elatâ ante Solii gradus Cruce, Sanctiſſimus ſolito more abſolutionem, & benedictionem cum cantu impertiit, dicens. [Precibus & meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Beati Michaëlis Archangeli, Beati Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Beatorum Petri, & Mariæ Magdalenæ, & omnium Sanctorum; miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam.] Indulgentiam, abſolutionem, remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. Et Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Choro in fine abſolutionum & Benedictionis reſpondente. Amen.

Summ. Pont. recitat orationem, De Sanctis jam canonizatis,

& dat benedictionem ſolemnem cantando,

1785. Itaque perfectâ Canonizationis ſolemnitate, omnes cerei extincti fuerunt. Brevi interjectâ temporis morulâ, ad imos Altaris gradus Papa deſcendit, ibique ſtans, depoſitâ mitrâ, & profundâ capitis inclinatione verſus Aram maximam factâ, cum Cardinale Barberino ſimul inchoavit confeſſionem ad Miſſæ introitum dici ſolitam; eâque finitâ, & reſumptâ mitrâ, ad Pontificalem Sedem rediit. Hìc thus injecit in thuribulum, quo paulò poſt à Cardinale Ginetto Epiſcopo Aſſiſtente thurificatus fuit; mox demptâ mitrâ, & ſtans, dixit introitum Miſſæ de currenti Dominicâ in Albis, & cum ſibi Aſſiſtentibus Cardinalibus Kyrie eleiſon (Cardinales enim ſacris veſtibus induti ad circulum non fuerunt vocati.) Stans etiam alteram Orationem de Dominica cantantem Cardinalem audivit, & de Sanctis recens Canonizatis alteram. *Conſequenter Miſſa ſolemniſſima ritus, ac oblata, & ordo deferendi ea, aliaq; ceremonia, nec non ſigillatim ornamenta omnia, & expenſa deſcribuntur.*

candelæ omnes extinguuntur,

1786. *Quoad cultum publicum ab Eccleſia univerſali tribuendum S. Maria Magdalena, anno 1670.*

XXV. Maii.

no 1670. à SS. Domino Clemente X. & à Sacra Rituum Congregatione hac Decreta prodierunt:

URBIS, ET ORBIS.

Breviario Romano apponitur Officium S. M. Magd. de præcepto:

SAnctiſsimus D.N. Clemens X. ad preces ſibi porrectas per Eminentiſsimum D. Cardinalem de Haſsia nomine Cæſareæ Majeſtatis benignè annuit, ut in Breviario Romano apponatur Officium proprium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum, ſub ritu Semiduplici, de præcepto ab omnibus recitandum, cum Lectionibus à Sac. Rituum Congregatione approbandis. Hâc die 9. Iulii 1670. M. Epiſc. Portuen. Card. Ginettus. Loco ✠ ſigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.*

FORMULA IN MARTYROLOGIO.

DIe vigeſimâ quintâ Maii imprimenda primo loco in Martyrologio Romano, ac legenda annuntiando feſtum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum, juxta infra-ſcriptum Decretum Sacræ Rituum Congregationis.

Formula quæ Martyrologio Rom. inſerenda decernitur à Sacr. Rit. Congr.

Florentiæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, quam plurimis Dei donis, vitæque innocentiâ, ac miraculorum gloriâ illuſtrem, Clemens Nonus ſanctarum Virginum numero adſcripſit.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Bona, prædictam Formulam, quâ feſtum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis, Ordinis Carmelitarum, Romano Martyrologio die vigeſimâ quintâ Maii inſerendum eſt, approbavit, & in novis editionibus, juxta diſpoſitionem ejuſdem Martyrologii primo loco, & initio lectionis, die vigeſimâ quintâ Maii apponi mandavit, eò quòd de eadem Sancta ab Eccleſia univerſali in poſterùm recitandum ſit Officium. Hâc die XXIX. Novembris MDCLXX. M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus. Loco ✠ ſigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secretarius.

ANNOTATIO.

1787. DE Canonizationis ſolemnitatibus aliis. Canonizationis ſolemnitate factâ, ſicut prædictum eſt, Romæ anno 1669. die 28. Aprilis, in primaria Orbis Chriſtiani Eccleſia Vaticana, ſucceſſivè in toto Ordine Carmeli eadem celebrata fuit; & primum quidem Romæ die 25. Maii, & ſeptem ſequentibus, in Eccleſia nova monaſterii nuncupati Sanctiſſimæ Incarnationis, ſiti in monte Quirinali, Monialium Ordinis B mæ Virginis Mariæ de monte Carmeli, antiquæ regularis obſervantiæ. (Vulgus Moniales illas communiter nuncupat *Barberinas*, aut propter binas felicis memoriæ Urbani VIII, neptes ibidem Moniales, quæ Florentiâ è monaſterio S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis à dicto Pontifice evocatæ Romam, ibi iſtud monaſterium fundârunt, & informârunt: aut propter magnificentiam, quâ ipſe Urbanus Pontifex, & Eminentiſſ. Cardinalis Franciſcus Barberinus dictum monaſterium, fabricamque erigi curarunt.) Solemnitatem ibi ſuâ præſentiâ, & pietatis cultu condecorarunt Principes, Prælati, & Cardinales complures, atque etiam Sua Sanctitas: & Deus ipſe inſigni miraculo eam illuſtriorem reddidit die 26. Maii, quæ erat ſecunda feſtivitatis iſtius, in perſona infirmæ inſtantaneè ſanatæ: id referetur hic infrà, ubi de miraculis poſt Canonizationem.

Canonizationis ſolemnitatis celebrata per totum Carmeli Ordinem, variis locis miraculis illuſtrata:

Barberinæ *Moniales, quæ.*

1788. Celebritas tertia etiam Romæ facta fuit in Eccleſi. S. Mariæ Tranſpontinæ Conventûs Carmelitani (in quo ordinariè reſidet R mus P. Generalis Ordinis) inchoata die 9 Junii feſto Pentecoſtès, quo proceſſio gratioſiſſimi aſpectûs facta fuit, ab Eccleſia Vaticana, delato Sanctæ vexillo, ad dictam Eccleſiam Tranſpontinam, cum pleno choro muſicès, geſtantibus Carmelitis candelas, & faces ardentes, comitantibus variorum Ordinum Religioſis, & numeroſiſſimo populo. Solemnitas autem præcipua fuit die 2. Pentecoſtes: quo Eminentiſſimi Domini Cardinales ad dictam Eccleſiam convenientes, Capellam, ſeu Congregationem habuerunt manè: à meridie verò Sanctitas Sua, comitante præcipua Romanâ Nobilitate, ſuâ præſentiâ eamdem illuſtravit: ſequentibus octonariis diebus feſtivitas illa continuata fuit. Quartò denique iiſdem Romæ celebrata fuit Canonizatio illa in Eccleſia S. Joannis Florentinæ nationis, etiam per octiduum: & interea ſolemnitas illa decorata fuit aliquot miraculis referendis hic infrà.

1789. Florentiæ Canonizationis ejuſdem feſtivitas ſplendidiſſimo apparatu inchoata die 2. Junii, continuata fuit per XV. dies: intereà ibi variis maniſeſtiſſimis miraculis Deus ſolemnitatem illam glorioſiorem reddidit: quorum fama immenſum hominum cœtum congregavit: ex iſtis miraculis quædam referentur hic infra. Solemnitates ſimiles factæ quoque fuerunt Neapoli (etiam comitantibus variis miraculis) Venetiis, Mediolani, Taurini, & alibi per Italiam: ita quoque in Hiſpania, Gallia, Germania, & Belgio, in Urbibus, in quibus Carmelitici inſtituti Conventus exiſtunt. Et quidem Antuerpiæ, ubi hæc typis eduntur, in Necrologio in clauſtro iſta inſerta leguntur (b) [Dominicâ ſolemnis noſtræ Commemorationis celebrata hic fuit Canonizatio S Mariæ Magdalenæ de Pazzi. Illuſtriſſ. Dominus Ambroſius Capello Epiſcopus Antuerpienſis fecit officium: ac RR. Adm. DD. Canonici D. Virginis (*Eccleſiæ Cathedralis*) cum RR. DD. Canonicis S. Michaelis (*Ordinis Præmonſtratenſis Monaſterii celeberrimi à S. Norberto fundati*) Capitulo S. Jacobi (*Eccleſiæ collegiatæ*) cæteriſque Ordinibus Mendicantibus comitati ſunt ſupplicationem, quam, uti & Officium, ſuâ quoque præſentiâ in corpore honorârunt Nobiliſſimi ac Ampliſſimi Domini de Magiſtratu.] *Hæc ibi*;

(b) ad an. Chr. 1669. in Julio.

MIRA-

XXV. Maii.

MIRACULA

meritis, & ad invocationem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, præſtita poſt mortem ex ejus CANONIZATIONIS INFORMATIONE, *&* CANONIZATIONIS SUMMARIO *Romæ impreſſis.*

1790. M*iracula varia in vita facta à Congregatione Sacrorum Rituum approbata, relata ſunt in antecedentibus, variis locis; hic conſequenter agetur de miraculis, quæ poſt obitum; & pleraque poſt Beatificationem, contigerunt, deſumpta ex duplici Romano impreſſo, cujus tituli ſunt iſti, prioris:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo INFORMATIO, &c. *Poſterioris autem:* Canonizationis Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Carmelitarum SUMMARIUM. *In utroque illo impreſſo valdè luculenter, & accurate agitur de XIII. miraculis ſequentibus: & in ſtatera rigidi examinis ſingulorum ratio expenditur: ac teſtes referuntur.*

1791. PRIMUM MIRACULUM: Perennis incorruptionis Corporis dictæ Beatæ. *De iſto miraculo perennis incorruptionis corporis agetur hic infrà ad diem XVI. Decembris: in utroque autem iſto Romano impreſſo* (a) *prolixè illud refertur, & juratis teſtimoniis plurimis confirmatur, ac præcipuè ex viſitatione Apoſtolica facta anno* 1663. *per tres Epiſcopos, & plures alios unà cum interventu peritorum adhibitorum ſuper recognitione incorruptionis dicti ſacri corporis: qui omnes illud viderunt, ac tetigerunt veſtitum cum facie detecta, pedibus & manibus nudis, & illud pro integro, incorrupto, & fragrante recognoverunt, ſicut dicto loco (ad diem 16. Decembris) videre licebit.*

(a) in priore pag. 3. & ſeq. in poſter pag 45. & ſeq.

S. M. Magd. corpus incorruptum.

1792. II. MIRACULUM: Etiam perennis fragrantiæ odoris ſuaviſſimi è corpore, & indumentis prædictæ Beatæ manantis. *Miraculum iſtud etiam pleniùs refertur hic infrà, ad eundem diem XVI. Decembris. De eo tractatur in utroque illo Romano impreſſo* (b): *ubi refertur,* quod in præfata viſitatione Apoſtolica mirificum, ſuaviſſimum illum odorem, præſertim ex ore, omnes ſint experti, & confirmatur ex depoſitione teſtium: qui pluriès illud viderunt, & tractarunt.

fragrans odorem ſuaviſſ.

(b) in primo pag. 6. & ſeq. in 2. pag. 49.

1793. III. MIRAC. Multiplicationis olei in magna quantitate anno 1626. quo celebrata fuit feſtivitas dictæ Beatæ. *Illud quoad ſubſtantiam & circumſtantias latiùs refertur in impreſſo priore. Conſequenter poſt relationem teſtium ſubjungitur:* Ex qua facti ſerie patet tria miracula concludentiſſimè probari. Primum nempè prædictæ multiplicationis, ſecundum verò excreſcentiæ prædicti olei per quatuor, ſeu quinque dies, itaut præfatæ Moniales urceum prædictum ſemper invenerint in eodem ſtatu ac menſura, quibus illum repererunt poſt multiplicationem; Nam facti ſubſtantiâ ut ſupra probatâ, dubitari nequit de illius miraculoſa operatione, præter ſolitum naturæ ordinem divinitùs factam per creationem novæ materiæ olei additæ præexiſtenti, ac propterea referendum eſſe ad miracula primi generis ex D.Thom. par. 1. quæſt. 105. art. 3. ad primum, & Toſtato ad Matth. d. cap. 14 quæſt. 103. & Valent. 1. tom. 1. diſp. 7. quæſt. 1. puncto 2. object. 5. ſive etiam iſta multiplicatio non fiat per creationem novæ materiæ, ſed per additionem alterius jam creatæ ejuſdem ſpeciei juxta aliam opinionem Bannez ad D.Thomam dicta qu. 92. dub. 2. concluſ. 4. Tertium denique olei fæculenti & aquoſi, clari, puri, ac benè olentis reperti, quæ tranſmutatio ab uno extremo malæ qualitatis, ad omnimodam perfectionem excedit etiam vires totius naturæ creatæ, ſicut de aqua in vinum converſa à Domino in Cana Galileæ, de quo Joannes cap. 2. *Rursùs in ſequentibus ſub titulo:* Summarium *latiſſimè tractatur de iſto miraculo.*

Olei multiplicatio ſeu excreſcentia:

in ea tria miracula contigerunt:

1794. IV. MIRAC. Perſimilis multiplicationis olei ſecutæ anno 1654. *Illud etiam latiùs refertur in priore impreſſo: deindè poſt pleniſſimam miraculi probationem, ſubjungitur:* Ex quibus, & aliis circumſtantiis indubitatum redditur miraculum copioſiſſimæ multiplicationis prædicti olei ex deductis tribuendum meritis dictæ Beatæ. Quod profectò aſſimilatur exemplis relatis in ſacris Scripturis, tàm in veteri, quàm novo Teſtamento. Primò nempe multiplicationis, ſeu non deficientiæ farinæ, & olei factæ ab Elia 3. Reg. cap. 17. ibi. Et ex illa die Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus juxta verbum Domini. Secundò multiplicationis olei factæ ab Eliſeo in Domo Sunamitidis 4. Regum cap. 4. Tertiò multiplicationis, ſeu non diminutionis viginti panum hordeaceorũ factę ab eodem Eliſeo, de quo, ut habetur d. cap. 4. cum comediſſent centum viri, adhuc de illo ſuperfuit juxta verbum Domini. Quartò famigeratæ multiplicationis panis, & piſcium factæ à Chriſto, qui trans mare Galileæ acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpiciens in Cœlum benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis; diſcipuli autem turbis, de quo manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt, & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos; Manducantium autem numerus fuerat quinque millium virorum, exceptis mulieribus, & parvulis, de quo Matth. cap. 14. Marc. cap. 6. Luc. cap. 9. & Joan. cap. 6. Quintò alteriùs multiplicationis panis, & piſcium factæ a Chriſto in ſolitudine, qui ex ſeptem panibus, & paucis piſcibus quatuor millia hominum extra parvulos, & mulieres, qui ex eo manducaverunt, ſaturavit, & ex fragmentis quæ ſuperfuerunt, ſeptem ſportæ plenæ remanſerunt, ut habetur Matth. cap. 15. & Marc. cap. 8. Similia quoque paſſim leguntur in

Olei multiplicatio alia:

Miracula ſimilia in ſacris Lit.

vitis

XXV. MAII.

& in Vitis Sanctorum,

vitis Sanctorum. *Varia ibi conſequenter adducuntur, videlicet* de S. Benedicto, S. Genoveva Virgine, S. Philiberto, S. Nicolao Epiſcopo, S. Andrea Corſino, S. Thoma de Villanova. *De eodem miraculo, ac legitima plena ejuſdem probatione diffuſè agitur in ſequentibus, ſub titulo* Summarium *n.20. pag.67 & ſequent.*

Vini corrupti transformatio:

1795. V. MIRAC. Vini corrupti ac putrefacti, injectione guttarum hujus olei, ut ſuprà multiplicati, in dolium, confeſtim ad perfectionem transformati. *De miraculo iſto quoad ſubſtantiam, cum omnibus circumſtantiis optimè firmatis, & per teſtes probatis prolixè agitur in utroque impreſſo.*

infirma per 17. annos inſtantanea convaleſcentia:

1796. VI. MIRAC. Sanationis reſtitutæ in genu Sororis Angelæ Mariæ de Crucifixo, aliàs de Anſelmis, à fluxionibus paſſis per ſeptemdecim annos. *Prolixè ſubſtantia, & circumſtantia Miraculi iſtius traduntur in impreſſo priore. Conſequenter adferuntur teſtimonia, ac deindè additur:* De ſanitate autem in inſtanti interceſſione dictæ Beatæ uncto priùs genu oleo multiplicato, ut ſuperiùs dictum eſt, liquet. Quare hujuſmodi ſanatio, cùm non ſolùm fuerit operata reſpectu tumoris, & fluxionis in genu per tot annos paſſæ, ſed etiam luxationis prorſùs incurabilis, profectò cum Theologis reponenda eſt in ſecundo ordine miraculorum: utpote omninò excedente facultatem totius naturæ creatæ, quantùm ad id, in quo fit. *Ibi conſequenter, & latiſſimè in ſequentibus, ſub titulo* Summarium, *num. 22. de iſto miraculo, & atteſtationibus agitur.*

ſubitanea viſus per biennium amiſſi recuperatio,

1797. VII. Recuperationis viſûs à Donna Magdalena Angela Gorini, quo per biennium orbata fuerat. *Latiùs illud deſcribitur in priore impreſſo, ubi iſta:* Voto emiſſo Beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus velum ad cellam ipſius delatum fuerat, in pervigilio feſtivitatis illius jejunandi cum pane, & aqua, ſtatim primævam facultatem viſivam recuperavit: *ſcilicet in oculo dextro, in quo cæca erat. Conſequenter declaratur:* Ipſam ſanationem fuiſſe obtentam meritis, & interceſſione Beatæ Mariæ Magdalenæ, cui ſeſe enixè commendaverat ob inefficaciam medicamentorum incaſsùm adhibitorum. Modus enim, & qualitas ſanationis èvincit illius operationem fuiſſe miraculoſam, ſive enim actio ipſa reſtitutionis luminis in oculo dextero prorſus illo carente conſideretur in ſe ipſa, ſeu quantum ad ſubjectum, in quo fit, procul dubio ſolis naturæ viribus fuit impoſſibilis; Nam licèt natura poſſit dare lumen corpori, non tamen cœco, & dare vitam, non tamen mortuo, ut dicit D. Thom. par. 1. quæſt. 105. art. 8. in corpore verſ. ſecundo ... Sive etiam quantum ad modum; nam ſuppoſito etiam, quòd naturaliter potuiſſet obtineri, id tamen non potuiſſet adimpleri abſque multiplici ac violento remediorum uſu, ut fatetur ipſemet Medicus ... Et ultrà inſtantaneitatem ſanatio undique fuit perfecta, cùm nullum poſteà præcedentis morbi ſignum remanſerit in oculis, ſed recuperatam viſionis perfectionem impoſterùm conſervavit. *In ſequentibus ſub titulo* Summarium *Miraculum iſtud, & circumſtantia, ac atteſtationes etiam prolixè referuntur.*

ſanatio ſubita à varia infirmitate;

1798. VIII. Perfectæ ſanitatis reſtitutæ Sorori Mariæ Catharinæ Rinuccini, febri malignâ, & dolore capitis in extremis laborantis. *Illud copioſiùs exhibetur in priore impreſſo: ibi conſequenter additur:* Hæc miraculoſa ſanatio reponenda eſt in tertio ordine miraculorum, quoad modum, in quo eorum magnitudo maximè apparet. *Alia in miraculi iſtius confirmationem ibi referuntur: prolixiùs autem de eo tractatur, ſub titulo* Summarium.

à dementia:

1799. IX. Liberationis Sororis Dariæ Teri Monialis dementis, ac furioſæ per octo decim menſes, & amplius. *In priore impreſſo illud pleniùs traditur: conſequenter referuntur de viſu & certa ſcientia teſtes. Poſt alia ſequitur:* Quæ plenè & concludenter deponunt de furore prædicto per octodecim, & ampliùs menſes, incaſſum adhibitis humanis remediis, & de ſubſecuta ſanitate, poſt invocationem dictæ Beatæ, cui preces effuderat ejus germana. *Itidem de eo tractatur in altero impreſſo.*

faciei defunctæ aversatio à lubrico,

1800. X. Converſionis faciei dictæ Beatæ jam defunctæ in aliam partem, ad adſpectum cujuſdam adoleſcentis licentioſi. *Illud ſubindè commemoratum eſt in antecedentibus, & pleniùs refertur in utroque ſupra nominato impreſſo Romano. In priore hæc, inter alia, annotantur:* Hujuſmodi converſio corporis dictæ Beatæ ab una parte ad alteram, ac de per ſe in horrorem impuritatis prædicti juvenis, ex quo ipſe vitam commutavit, non poteſt adſcribi, niſi miraculo, tanquàm excedens facultatem totius naturæ creatæ; quia corpora defunctorum ut plurimum arida & inflexibilia non moventur. *Et in* Summario *adferuntur teſtimonia de viſione eorum, qui præſentes ſpectarunt. Additur;* quòd juvenis ille ex iſto motu, & converſione capitis in alteram partem, terrefactus, & in alterum mutatus, ac de ſua turpi vita præterita contritus, confeſſionem generalem fecerit, & paulò pòſt obierit.

qui indè convertitur.

Prolapſi è rheda, & raptati mora præſervatio.

1801. XI. Dominici Caravitæ ab evidenti periculo mortis liberati, ope dictæ Beatæ, *Id ſic contigit:* Dominicus ille filius Petri Caravitæ Conſiliarii Regii egreſſus Neapoli, cecidit è rheda ſupra alteram ex rotis anterioribus, eratque coxa ſubtus axem complexa: quare terrefactis equis, & fugâ ab eis arreptâ, abſque eo quòd prædictus Dominicus habenas cohibere valeret, per quartam partem unius milliaris, & ampliùs, per viam anguſtam, rheda à dictis equis veloci curſu protracta, omnium judicio habitus fuit prò mortuo; ſanus tamen, & abſque ulla læſione repertus eſt (indumentis tamen ſciſſis, ac laceratis) interceſſione dictæ Beatæ, ab ipſo eodem momento prolapsûs invocatæ, & quæ illi in habitu Carmelitano propè ſe adeſſe continuò ſibi videbatur.

XXV. Maii.

Ita in priore impreſſ. *Additur:* hujuſmodi præſervatio miraculo adſcribenda eſt, præcipuè ex ſubitaneo lapſu, & protractione rhedæ per longum ſpacium, multiplici læſione, ſciſſione, ac laceratione indumentorum, abſq; tamen ulla læſione prædicti Don Dominici. *Ibidem, & diffuſius in Summario num. 27. agitur de iſto miraculo.*

1802. XII MIRAC. Liberationis Petri Caravitæ à pleuritide, cum evidenti mortis periculo. *Id contigit Neapoli anno 1643.* Petrus ille Caravita Conſiliarius Regius erat acutiſſima febri cum pleuritide correptus, ita ut ſputum ſanguineum ex ore emitteret, & urina nigra conſpiceretur; quare à Medicis de ſalute deſperatus, ac viribus deſtitutus, unctus oleo Beatæ, prævia invocatione illius, ſtatim ſurrexit ſanus, & incolumis, abſque ulla applicatione remediorum. *Ita in priore impreſſo, in quo iſta ſequuntur:* Cum liquidò conſtet de omnimoda, ac inſtantanea ſanatione prædicti Petri Caravitæ, interceſſione dictæ Beatæ miraculo adſcribenda eſt. Tanto magis, cum illius magnitudo ex hoc conjiciatur quod ultra febrim acutiſſimam, pleuritide laborabat infirmus, & hoc malum auctum, & periculoſum, & pro deſperato à Medicis habitum, abſque humanis remediis, ac debita curatione in inſtanti ſanari minime poterat, niſi virtute divina. Quamobrem in vita S. Bernardi lib. 5. in fine recenſetur miraculum illud ejuſdem Sancti patratum in quodam Abbate, qui febre & pleuritide laborabat, & ad ſepulchrum dicti Sancti ſanitate obtenta, meritorum ipſius prædicator evaſit. In SUMMARIO *num. 28. de miraculo illo latiſſime agitur, & adferuntur teſtificationes, ac de ſubita illa ſanatione à pleuritide, judicia Medicorum, naturaliter talem caſum non potuiſſe contingere.*

varia ſalus:

1803. XIII. MIRAC. Gaſparis de Roomer pluries liberati ab evidenti mortis periculo, invocata ope Beatæ. *Id ſic compendioſè traditur:* Annis 1647. & 48. dum in arce nova, tempore tumultuum, causâ confugii exiſteret, plurimi ante januam cameræ, in qua degebat, pilis plumbeis ſclopis exoneratis à populo cæſi, ac graviter percuſſi ſunt; ipſe autem tunc, invocata ope Beatæ, ab evidenti periculo mortis; atque iterum in mari à ſubmerſione liberatus fuit: prout etiam anno 16·6. à contagio; nam affectus carbunculo in inguine, ac febri correptus, meritis dictæ Beatæ, cui gemens ſeſe enixè commendaverat, ſpretis humanis remediis, ſanus, & incolumis evaſit. *Hiſtoria cum particularibus circumſtantiis plenius refertur in* Summario.

MIRACULA,

poſt Canonizationem:

Ex impreſſo Romano.

1804. R*Omæ anno MDCLXX. excuſus eſt libellus Italico idiomate, cujus titulus latinè eſt iſte:* Relatio ſuccincta ſolemnitatis factæ in Canonizatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliquorum miraculorum, ejus interceſſione, & ad ipſius invocationem præſtitorum. *Illa ex Italico in latinum tranſtulit P. Patritius à S. Iacobo, Provinciæ Alemanniæ Inferioris, & unà cum aliis nonnullis ſubjecit vitæ S. Mariæ Magdalenæ, proximè poſt librum 3. ſub hoc titulo:* Brevis Relatio quorumdam miraculorum, meritis & interceſſione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, poſt ſolemnem ejus Canonizationem patratorum. *Immediate ſequitur.* Ex commiſſione Reverendiſſimi P. Fr. Hyacinthi libelli, Sac. Palatii Apoſt. Mag. hanc Relationem miraculorum, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi meritis & interceſſione patratorum, legi & nihil inveni orthodoxæ fidei & moribus Chriſtianis repugnans, ideoque dignam impreſſione cenſeo, ad augendam fidelium devotionem erga Sanctam & Omnipotentis Dei exiſtimationem. Romæ 10. Junii 1670. *Subſcriptum erat:* Joſephus Fottius Soc. Jeſu. *Et infra:* Imprimatur. Fr. Hyacinthus libellus, Sac. Palatii Apoſt. Magiſt. *In gratiam eorum, quibus Relatio iſta ad manum non fuerit, miracula illa ſub compendio ſpectanda hic exhibentur: conſentaneè angelicæ atteſtationi:* Opera Dei revelare, & confiteri honorificum eſt. *Miracula enim ad invocationem Sanctorum facta.* opera ſunt Dei, qui facit mirabilia magna ſolus; *ſed quandoque interceſſione Sanctorum ad eorum merita declaranda, & eis mediantibus beneficia mortalibus præſtanda.*

Moribunda ſubito convaleſcens

1805. MIRACULUM PRIMUM, moribunda ſubito convaleſcens (*primum, & ſolemne, quod poſt Canonizationem eveniſſe novimus*) *Romæ contigit anno 1669. infra Octavam ſolemnitatis feſtiviſſimè celebratæ in Monaſterio Monialium Carmelitanarum antiquæ obſervantiæ quæ vulgo* Barberinæ *nuncupantur, ob rationem hic ſupra expoſitam.* Igitur ſub initium ſolemnitatis iſtius, Angela Perſiani infirmitate gravi decumbens, ſic ut extremum jam ſpiritum trahere cenſeretur ab omnibus: in extrema hac neceſſitate, pro devotionis erga S. Mariam Magdalenam affectu, illi ſe commendavit die 24. Maji; nec mora, nam veluti in momento, in ictu oculi Sanctam ſibi viſa eſt intueri præſentem, haſque ſuis diſtinctiſſimè auribus inſonare voces: *Sana es, ò Angela, dominicâ proximâ* (quæ erat 26. Maji) *Miſſæ ſacrificio aſſiſtes.* Et ita evenit.

(a) num. 1787.

1806. II. & III. MIRACULUM: Prodigioſus corporis virginei motus & elevatio.

Anno

XXV. Maii. Anno eodem 1669. die 2. Junii Florentiæ inchoata eſt magnificentiſſima ſolemnitas, ratione Canonizationis: initium fuit proceſſio ex Eccleſia Patrum Carmelitarum ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, comitantibus Cardinale Medices, Magno Duce Florentiæ, & cujuſvis ſtatus ac conditionis numeroſiſſimâ turbâ, præcedente S. Mariæ Magdalenæ vexillo. Tunc virgineum corpus uſquè modò penitùs incorruptum, integrum, atque odoriferum, ad majorem devotorum conſolationem, Chriſtique fidelium excitandam pietatem, publico proſpectui expoſitum fuit per dies 15. continuos. In ſublimi igitur rari pretii & majeſtatis abſide, ſuper tres ſtatuas inargentatas, trium votorum religioſorum expreſſivas, quæ fulcri loco erant, Balthaſar Franceſchini (à patrio ſolo, Volterani nuncupatus) ſacrum collocârat pignus, urnæ incluſum, politiſſimis cryſtallis, aureas inter compactis ſecretiſque corollas. Ad tantum magnificentiæ apparatum concurſus populi agglomeratus *corporis prodigioſus motus:* eſt ingens: aſt omnium erat ardens deſiderium fruendi aſpectu ſacri corporis iſtius, & hinc lamentatio, quòd elevatum ad altitudinem 7. cubitorum proſpici non poſſet (contra expectationem artificis præfati) Hanc autem univerſalem tridui mœſtitiam ſtupendo lætificavit ſucceſſu Virgo Seraphica, quando die quarto corpus ſuum arcæ incluſum, vi quâdam impenetrabili ad fidelium ſolatium elevavit, ſublimavit, verſuſque populum convertit: cujus prodigii fama vix divulgata, immenſum nimis hominum con- *farina multiplicatio:* glomeravit cœtum. *Farina miraculosè multiplicata.* Eodem hoc tempore longè benigniſſimam, liberaliſſimamque Virgo Seraphica ſuo ſe exhibuit Florentino Monaſterio, dum in dictæ ſolemnitatis decurſu farinam miraculosè multiplicavit in arcis farinaceis, quemadmodùm in feſtivitate Beatificationis oleum adauxerat in urceis. Pleniùs illud refertur in Italico iſto Romæ impreſſo, & in altera vita Latina.

1807. IV. Miraculum. *Paralytica annis 19. per velum curata.* Sororem Angelam Catharinam Vlivieri, Florentiæ Monialem in monaſterio S. Annæ in prato, per annos continuos novemdecim in lecto decubuam afflixerat & exhauſerat paralyſis, eâ nervorum contractione in latere dextero, ut digitis quatuor brevius eſſet ſiniſtro. Tantâ capitis laborabat gravedine, diſtillatione ac rheumatiſmo, ut nec viſitantis ſermonem audire, aut manuum motum ſufferre poſſet. Hac igitur in extrema anguſtia aliquam Seraphicæ Virginis concupiſcere cœpit reliquiam, ſecretò confidens, ſe in Canonizationis ejus ſolemnitate, illius meritis & interceſſione, deſperatam recuperaturam ſanitatem. Infirmæ deſiderium intelligens infirmaria, Dominum Bentivoglio, ut aliquam à Matribus monaſterii S. Mariæ Angelorum, reliquiam S. Mariæ Magdalenæ petere & procurare dignaretur, obteſtata eſt: ſubitoque maxima cum charitate, vela virginei capitis ad Matrem Abbatiſſam monaſterii S. Annæ tranſmiſêre rogatæ Moniales. Conſignatas reliquias magna cum reverentia excepit Abbatiſſa, & proceſſionaliter ad infirmæ cubiculum, ſeu valetudinarium deferens, præmiſsâ brevi oratione, eas applicuit paralyticæ. Et ecce mox ingens decumbentem invaſit tremor, & paulo poſt veluti exſanguis & mortua fuit: paulò poſt dum re- *paralytica annis 19. ſubitò convaleſcens,* liquiis ſacris pars affecta ſignaretur, è veſtigio nonnihil ſibi reſtituta, è lecto ad ſanctiſſimæ Virginis Altare deduci petiit, ſtupentibus Monialibus omnibus, dum erectam vident in pedibus, quæ novemdecim annis impotens decubuerat in grabato. Cùm autem paulatim vires reſtituerentur, fuit, in gratiarum actionem, hymnus *Te Deum laudamus*, inchoatus, quo durante, valetudinariam genuflexam rurſus ingens invaſit tremor, qui pariter cum hymno *Te Deum* terminatus fuit, ideoque novo exultans jubilo Catharina, cantica intonavit *Benedictus*, & *Magnificat*, ſonantibus campanis; quæ inter lætitiæ communis ſigna, tantis, quæ convaluerat, ſe repletam fuiſſe proteſtata eſt conſolationibus, ut in paradiſo ſibi viſa fuerit demorari, terminatâ gratiarum actione, nullâ adjuvante, ſuam repetiit cellam, perfectè ſana.

1808. V. VI. VII. & VIII. Mirac. *Cæcitatis grave periculum ſublatum.* Tereſia *puella à cæcitate liberata:* puella 9. annorum, à ſua nativitate habens in oculis maculas ſanguinei coloris, ac deindè etiam cinerei, & inde ex parte viſu orbata, ac periclitans de omnimoda cœcitate, acceptâ imagine S. Mariæ Magdalenæ, illam frequentibus oſculis demulcens, & eâdem ſe ſignans, ac ad honorem Sanctæ preces recitans, evaneſcentibus maculis, integro viſui reddita fuit. *Plaga incurabilis ablata.* Anna Conſtantia, filia Dominici Fortini, octodecim annorum puella, crudeli torquebatur plagâ in majori pedis dexteri digito; quod malum medici & chirurgi omnes, poſtquàm plurima inaniter applicuiſſent remedia, penitùs judicabant incurabile; quatuor ex pla- *alia à plaga incurabili:* ga extractæ fuerant particulæ oſſis, neque medici aut chirurgi ipſam adverſi casûs originem cauſamque umquam penetrare potuerunt. Die 9. Junii, qui ſolemnitatis Florentinæ ultimus erat, tempore Veſperarum, ad Eccleſiam redit Catharina mater, ſupplicatura Sanctæ, ut, ſi filiam liberare nollet, pedem ad minus in eo reſtitueret ſtatu, ut incedere poſſet; talibus uſque ad noctem immorans precibus, inſuper ſi filia convaleſceret, votum appromiſit argenteum. Et ecce domum redeunti matri obvia procedit filia, dicens: mater mea, benedictus Deus, ego nec tumorem, nec ullum ampliùs patior dolorem; inquiſivit, vidit, ſtupuitque Catharina plagam penitùs ſolidatam. Undè poſtridie, 10. Junii, cum matre filia ivit ad Eccleſiam S. Virginis, ubi in gratiarum actione communicavit. Et die 29. ejuſdem menſis, inſigne

XXV. MAII.

inſignè ex argento anathema, pro obtentæ ſanitatis beneficio, obtulerunt. *Simile in brachii dolore & plaga incurabili.* Anno eodem die 25. Maii, ipſo feſto S. Mariæ Magdalenæ, ei facto voto, curata fuit plaga, poſt varii generis conatus medicorum & chirurgorum inanes tempore quatuor annorum, in Sorore Maria Pauli Moniali monaſterii S. Nicolai in Prato. *ſimile:*

à ſanguinis fluxu: *Sanguinis fluxus inſtantaneè ſiſtitur.* Eodem anno die 24. Maii (vigilia feſti) Monialis in alio monaſterio Florentiæ nuncupato Porticus, per annum continuò laborans ſanguinis profluvio, ſe commendans S. Mariæ Magdalenæ, ejuſque velo capiti illius ſuperpoſito, mox liberata fuit.

1809. IX. & X. *Paralyſis & febris continua ſublata.* Anno eodem Parmæ illuſtris Domina Corona Scotti, annis 4. & dimidio paralytica, pedes habens exangues velut mortuos, accedente deinde febre continua cruciabatur. *illuſtris Domina à paralyſi annorum 4.* Die 30 Maii ex litteris Marchioniſſæ Maleſpini monita de miraculo præfato in Moniali monaſterii de Prato, meritis S. Mariæ Magdalenæ, & à sereniſſima Parmenſi acceptis ejus reliquiis, parte ſcilicet habitûs, cum conſilio ſui Confeſſarii R.P. Andreæ Spinolæ Societatis Jeſu, vovit per annum geſtare veſtem in colore ſimilem veſtibus ipſius Sanctæ: & ejus corpus viſitare, ſi ſanitatem obtineat. Tum convocatis domeſticis, & recitatis ter *Pater noſter,* & *Ave Maria,* infirma magnâ fiduciâ ſe commendavit Sanctæ: & præfatus Pater eam ſignavit Reliquiâ ſancti habitûs: & ecce pedes hactenus immobiles, veluti manu quâdam elevari ſenſit infirma: mox petiit, & induit veſtes: ſurrexit, & ad ſacellum pedes ivit. Eminentiſſ. Cardinalis Leopoldus informatus de illo miraculo, monuit Moniales monaſterii S. Mariæ Magdalenæ, ut pro eo debitas Deo gratias agerent. *Debilitas, & dolor manuum inſtantaneè curantur.*

alia à manuum debilitate: Sub idem tempus mulier Julia nomine tribus annis continuis lecto affixa, ob debilitatem; inſuper acerbo manuum dolore, ac inflammatione affecta; nec morbi qualitatem medici cognoſcerent, intuita vexillum Sanctæ, quod in proceſſione deferebatur, & acceptâ particulâ veli illius, ac magnâ fiduciâ manus ſignans, illicò ſanitatem adepta fuit.

1810. XI. & XII. *Claudus erectus, & correctus.* *quidam à claudicatione,* Vir nomine Sanctus Scopeto, ex præcipitio ultra duos annos impotens incedere ſine fulcris, fruſtrà tentatis variis remediis, anno præfato die 4 Junii (qui erat tertius ſolemnitatis Canonizationis Florentiæ) repens uſque ad virgineum corpus, ibi ſubmiſſiſſimè orans, priſtinum robur obtinuit, & exclamavit: Benedicta, tibi gratias ago: miraculum, miraculum! inque ejus honorem confeſſus eſt & communicavit, ac ibi fulcra reliquit. *Aſthma inveteratum pellitur.* *ab aſthmate inveterato,* Anno eodem die 5. Junii Lucia Fedi laborans inveterato aſthmate, & ſpirandi difficultate, incaſſùm adhibitis variis medicinis, viſitans Sanctæ corpus, & firmâ fide ſe illi commendans, ab omni prorſùs malo liberata fuit.

1811. XIII. XIV. XV. XVI. *Cæcitas oculi ſublata.* *à cæcitate;* Sub idem tempus Stephanus faber lignarius in Prato, ab infantia cæcus in oculo ſiniſtro, acceptâ particulâ goſſipii, quod attigerat corpus Sanctæ, eidem magna cum devotione ſe commendavit: recitatâ deinde antiphonâ *Salve Regina,* mox ut oculum cæcum Reliquia attigit, macula quæ oculum occæcaverat, evanuit. *Maligna febris ſubitò fugata.* *à febre maligna;* Pondolphus Senenſis febri malignâ graviter laborans, & à medicis deſperatâ ejus ſanitate, facto voto ad honorem S. Mariæ Magdalenæ, ejus promptam expertus eſt opem, illicò integram obtinens ſanitatem. *Catharrus opprimens ſtatim fugatur.* *à catharro opprimente;* Mulier, Martha Tiberii, ſubitò noctu gravi correpta catharro, ut expirare videretur, monita ut ſe commendaret Sanctæ Virgini, & ori ejus impoſito folio roſæ quæ corpus Sanctæ contigerat, infirmitas evanuit, & poſtridiè corpus Sanctæ inviſens grates perſolvit. *Palpebræ oculorum ſuo loco excuſſæ, reſtitutæ.* *à malo oculorum;* Puellæ 12. annorum catharrus vehemens oculorum excuſſerat palpebras: quæ uncta oleo S. Mariæ Magdalenæ, ad priſtinum ſtatim reſtitutæ ſunt locum.

1812. XVII. XVIII. XIX. *Infeſſa & poſſeſſa annis 23. à malignis ſpiritibus ſibi reddita.* *à dæmone poſſeſſione;* Magdalena Hippolyta annis 23. obſeſſa à dæmonibus, & ab iis ſæpè furialiter torta, poſt exorciſmos per varios ſacerdotes, & alia ſpiritualia remedia adhibita, abſque effectu: tandem conſilio R.P. Donati Mariæ Ricci, Ordinis Prædicatorum, inviſit S. Mariæ corpus, & vovit habitum ſimilem ei, quem Sancta geſtavit, aſſumere. Mox dæmon ſe à Sancta compelli ad exitum publicè conqueſtus, die 15. Auguſti feſto Aſſumptionis, receptione iſtius habitûs, ab omni ſpiritu maligno, & infeſtatione diabolica libera fuit.

1813. *Religioſa virgo à febre, & vario mixtoque morbo quaſi inſtantaneè libera.* *à vario morbo:* Maria Archangela Fieſolini Monialis in monaſterio S. Claræ Florentiæ, per bimeſtre febri, & variis aliis ſymptomatibus in ſtomacho & capite graviter afflicta, ut ſubinde mortua videretur: tentatis incaſſùm remediis; toto devotionis affectu mota erga S. Mariam Magdalenam, plenâ fiduciâ inſtitit, ut aliquid de ejus reliquiis obtinere poſſet. Die 22 Julii, præmiſſâ confeſſione, magna cum fiducia ſe Sanctæ commendavit. Poſtridie autem ad illam perlatum fuit vexillum Sanctæ, & per P. Confeſſarium expanſum ſuper infirmam, orantibus intereà cæteris monialibus. Paulò poſt, eodem die ſe liberam à dolore, & confortatam ſentiens, veſtes petiit, induit, & obambulavit. Hinc omnes ſorores congregatæ in choro, lætæ cantârunt *Te Deum laudamus:* & ad ſingulos verſus novas vires, novamque fortitudinem ſibi accedere exiſtimabat, ita ut finito hymno

ad circumſtantes dixerit: Ecce me jam penitùs ſanam, & incolumem. Poſtridièque in gratiarum actionem, omnibus aſtantibus ſororibus, miſſa decantata eſt in honorem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi. *Claudus erectus, & firmatus.* Claudus quidam nuncupatus Bertus, non niſi fulcrorum adminiculo potens incedere, poſt adhibita varia remedia ſine fructu, menſe Auguſto inviſit corpus Sanctæ, de cujus oleo partem affectam inungens, ſubitò expertus eſt mali diminutionem, & intra paucos dies ſic convaluit, ut ulteriùs non indigens fulcris, ea in obtenti favoris anathema ſuſpendi curarit in Eccleſia, ubi ſanctum corpus quieſcit.

à claudicatione.

1814. XX. XXI. & XXII. *Varii generis gratiæ.* Romæ tempore ſolemnitatis ratione Canonizationis in Eccleſia S. Joannis, Florentinorum nobilis quidam exhauſtus infirmitate, & quaſi à medicis derelictus, piè Sanctam invocavit, & votum addidit: & ecce mox ab omni morbo ſe liberum ſenſit. Gratiam agnoſcens, voto ſatisfacturus cor argenteum in tabula collocatum obtulit. Tempore ejuſdem feſtivitatis R. P. Franciſcus Spenter, præfatæ Eccleſiæ Sacriſta, ex gravi infirmitate ſurdaſter in ſiniſtra aure, internâ motus inſpiratione, accepit pauxillum goſſipii intincti oleo lampadis ardentis ante altare Sanctæ: auriculam inunxit: & paulatim ab omni malo exemptus, gratiam ſibi factam deprædicavit. Iſtud verò omninò ſingulare eſt, quòd Eccleſiæ ejuſdem Sacerdotes aſſeverarunt, ſe expertos in compluribus implicitis gravioribus peccatis, & peccandi inveteratæ conſuetudini, voluntariè, & pertinaciter immerſis, viſitatione altaris S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, ad meliorem frugem, ſeriamque pœnitentiam, & ſeriam vitæ emendationem converſis. Et iſta hactenus ex præfata Relatione Romæ impreſſa. Sequentia ſunt ex libro præfato Vitæ, Romæ approbatæ.

Infirmitates variæ pulſæ meritis S. M. Magdalenæ:

1815. XXIII. Miraculum. *Parturiens, & proles mirabiliter mortis nexibus erepta.* In oppido Turris Annuntiatæ, diſtante Neapoli milliaribus 12. mulier Andreæana uterum ferens, menſibus quinque continuis paſſa ſanguinis fluxum, inſtante partu, præ debilitate impotens eniti, omnibus de vita deſperantibus medicis, & ipsâ jam quaſi agonizante, & exanimi; cùm omne humanum ſubſidium inane eſſet, maritus ſe magnâ fide convertens ad S. Mariam Magdalenam de Pazzi, imaginem ejus, quam habebat, coram multis impoſuit conjugi moribundæ, dicens: *Confido firmiter, quod Sancta illa glorioſa ei gratiam impetrabit.* Et ecce indilatè meliùs habens, paulò poſt enixa eſt maſculum vivum: ac poſt paucos dies incolumis ſurrexit. Maritus pro tanta gratia inſigne obtulit anathema. Miraculum iſtud multùm auxit devotionem erga Sanctam.

puerpera & proles morti erepta:

1816. XXIV. & XXV. *De ſublimi cadens illæſus.* Neapoli tempore ſolemnitatis ratione Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ, adoleſcens ſedecim annorum pulſaturus campanam in loco, ubi proceſſio tranſibat, in ſuburbio virginum, campanile aſcendens, fallente pede, corruit deorſùm ad altitudinem 30. paſſuum: memor Sanctæ, cujus feſtivitas erat, cadens ei ſe commendabat: & ad terram perveniens, erectus ſtetit illæſus. Miraculum auxit ſitus loci; caverna profunda infra campanile; miro enim modo ad 10. palmas ultra eam cecidit. Archiepiſcopus Neapolitanus caſum Romam ad Eminentiſſ. Cardinalem Roſpiglioſum tranſcripſit. *Diuturna febris, & apoſtema ſublata.* Eodem loco, & tempore, Neapolitani viri nobilis Vincentii Pagani conjux, quinque menſibus ex gravi decumbebat morbo, medicis ignoto: acceſſerat febris, & apoſtema in pectore concluſum: undè ſanies mixta ſanguini profluebat. Tranſeunte illàc proceſſione, ſe multis lacrymis Sanctæ commendabat. Vix proceſſio tranſierat, & ſe liberam à febre, & ſanguinis ac ſaniei ſputo ſenſit, & infra paucos dies ſana lectum deſeruit, anathemate in acceptæ gratiæ teſtimonium oblato.

cadens de ſublimi, incolumis:

1817. XXVI. & XXVII. *Dux Teleſanus à diuturna febre continua, & ſanguinis fluxu ſubitaneè liber.* Dom. Antonius Cena Grimaldi Dux Teleſanus, per annum febri quaſi continuâ laborans, mutandi aëris gratiâ exiſtens Neapoli, recrudeſcentem paſſus infirmitatem, deficientibus jam viribus, ex copioſo ſanguinis fluxu, per nares, qui ſiſti non poterat, ſe toto corde convertit ad petendam opem, meritis S. Mariæ Magdalenæ, cujus velo ex Carmelitarum Eccleſia Conventûs nuncupati *De Vita*, ad ipſum delato, & capiti impoſito, mox ſanguinis fluxus ceſſavit: & poſtridiè in eo recuperatæ ſanitatis ſtatu ſe reperit, ut ipſe Eccleſiam præfatam inviſerit, gratias acturus, largam offerens eleëmoſynam. *Similis gratia in Neapolitano nobile.* Hieronymus Carminianus, Neapolitanus Eques, ſubitaneâ infirmitate tam gravi correptus, ut unanimi medicorum judicio, vicina ei mors inſtaret; hinc ad opem confugit implorandam à S. Maria Magdalena, de cujus reliquiis allatis, & infirmo impoſitis, ſenſit levamen, & poſt paucos dies, integrâ receptâ ſanitate, grati animi votum perſolvit.

1818. XXVIII. XXIX. & XXX. *Incendium miraculoſè extinctum: imago chartacea S. Mariæ Magdalenæ in igne inviolata, cæteris omnibus igne abſumptis.* Id contigit Neapoli in monaſterio Charitatis, in platea nuncupata Toloſana. In grati animi teſſeram, Sancta hæc monaſterii illius ſuſcepta protectrix, & ei Sacellum dicatum: ac tabula, ſeu pictura caſum exprimens Carmelitanæ Eccleſiæ præfatæ *De Vita* oblata. *Infirmitas octo annorum, & gravis fœtor ſubitò fugantur.* Claudia Nicolai Antonii Antuerpienſis, Neapoli habitantis filia, annis octo gravem paſſa infirmitatem internam, undè tanta viſcerum erat infectio, ut intolerabilem exhalaret

à varia infirmitate ſanatio inſtans.

XXV. MAII.

halaret fœtorem: tandem tranſeunte illàc proceſſione ſolemnitatis S. Mariæ Magdalenæ, ei ſe voto obſtrinxit: & cum maxima familiæ totius admiratione, ac lætitia, immunis à fœtore, & ſana reperta fuit; ideò cum amicorum caterva Eccleſiam præfatam *de Vita* adiit, & voto ſatisfecit. *Oleum multiplicatum: ſævus dolor mitigatus.* Romæ in Hoſpitali S. Spiritus oleum S. Virginis mirabiliter multiplicatum gravem Victoriæ Gaſparrini Prioriſſæ Conſervatorii relevat dolorem.

Diverſi alii morbi fugati.

1819. XXXI. & XXXII. *Religioſa virgo à diuturna pthiſi, & altera à biennali nervorum contractione exempta.* Ploërmeli in Britannia minori, anno 1669. monialis Ordinis Carmelitani, monaſterii dicti de Bethleem, annos aliquot pthiſi laborans, à medicorum ope abdicata, munita extremis Sacramentis, ſacro Viatico, & extremâ Unctione, ex interna motione opem S. Mariæ Magdalenæ inclamavit, & votum fecit: ſicque perfectam ſanitatem nocte Sanctæ ſolemnitatem præcedente, obtinuit. In eodem monaſterio, ſoror Angelica à S. Philippo, nervorum contractione & pectoris debilitate afflicta; ac biennio lecto affixa; feſto Aſcenſionis Domini eodem anno, ſimili devotione ſic confortata fuit, ut ad chorum procedere potuerit: ubi poſtquam Sanctæ reliquias venerata fuiſſet, hymno, *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem à communitate cantato, reverſa eſt ſana, nullius indiga opis.

Epiſcopus à malo affecto cruris ſanatus.

1820. XXXIII. *Epiſcopus devotione ad S. Mariam Magdalenam ſanitatem recipit.* Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dom. Epiſcopus Veneti in Britannia minori, moleſtâ in uno crure laborabat fiſtulâ; à quo importuno malo ut ſeſe redimeret, paulò poſt ſolemnitatem Paſchalem hujus currentis anni, novenam inchoavit, in honorem S. Mariæ Magdalenæ, deſideriique compos effectus, priorem obtinuit integerrimam corporis incolumitatem. Et iſta hactenus ex præfata Relatione Romæ examinata, approbata, & à R.^mo Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici imprimi conceſſa.

EXERCITIUM DEVOTIONIS.

quinque Feriis ſextis: in memoriam quinque ſingularium favorum præſtitorum, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, myſteriis Paſſionis Chriſti, Feriâ 6. peractæ, devotiſſimæ.

Devotio V. Feriis ſextis quâ occaſione initium habuerit:

1821. DEi inſpiratione hæc devotionis praxis initium habuiſſe videtur: primâ enim feriâ ſextâ poſt ſolemnitatem Canonizationis, pluſquàm trecentæ perſonæ, ſine ullo prævio inter ſe condicto, ſeu communicatione; ſed ex inſtinctu quodam interiori, Florentiæ ad Eccleſiam, ubi requieſcit corpus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, convenerunt, communicantes, confitentes, & alia pietatis exercitia præſtantes. Motivum hujus devotionis fuit, eximia Sanctæ hujus Virginis pietas erga Feriam ſextam; & myſteria paſſionis Chriſti, illâ die peractæ: quæ non ipſa tantùm ſingulari veneratione proſequebatur, ſed & perſonas alias incitabat. Etiam ipſa illâ die a Chriſto, & Deipara recepit ſingulares gratias, mox referendas: & in illarum memoriam, etiam illa peragitur devotio: quæ mox Florentiâ Romam quoque traducta fuit, & inibi Italico ſermone explicata, probata, & typis edita; ac deindè per alias Europæ regiones propagata, & frequentata, ob ſingulares gratias variis collatas, mediante illâ devotione.

1822. Exercitia autem hujus devotionis, & perſonarum eam inchoantium fuerunt, confiteri, communicare, aliquam eleemoſynam dare, & jejunare quinque Feriis ſextis continuis, & viſitare altare ipſius Sanctæ Virginis, atque ibi, ſeu ante aliquam ejus imaginem preces aliquas legere, videlicet litanias, ad ejus honorem, aut quinies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ad honorem quinque vulnerum, & paſſionis Chriſti, ac in memoriam, & venerationem quinque ſubſequentium favorum, ipſi à Deo, & Virgine Maria præſtitorum, in præſentia SS. Patronum ſuorum. *ejus exercitia*

1823. Primâ Feriâ 6. recolitur Stigmatum ſacrorum receptio.

2. Feria ſexta eſt in venerationem ſpiritualis deſponſationis Chriſti cum ipſa, annulo eam ſubarrhantis. *in memoriâ 5 favorum ſingularium S. M. Magdalenæ.*

3. Feriâ ſexta eſt in memoriam favoris à Chriſto ei præſtiti, conceſſione coronæ ſpineæ.

4. Feriâ ſextâ in honorem gratiæ ei præſtitæ à Chriſto, ipſi cor ſuum communicante.

5. Feriâ ſextâ Commemoratio victoriæ de ſpiritibus immundis obtentæ, meritis B. Virginis Mariæ, illam, in teſtimonium puriſſimæ caſtitatis, ab omni labe impuritatis velo candidiſſimo circumdantis.

ANNOT. De S. AUGUSTINO, S. THOMA AQUINATE, S. ANGELO MARTYRE S. CATHARINA SENENSI, S. DIDACO, S. IGNATIO; B. ALOYSIO GONZAGA, & aliis Sanctis, quos ut ſingulares Patronos peculiariter coluit, quibus aſſiſtentibus præfatos favores recepit, agetur ad XVI Decembris: paſſim etiam eorumdem mentio ſunt in antecedentibus. *S. M. Magd. Patroni.*

XXV. Maii.

*Epigrammata, & Elogia nonnulla * ad variarum virtutum exercitia ſuaviter, & fortiter moventia,*

* in ſolemnitate Canonizationis S. Mariæ Magdal. de Pazzis appenſa variis in locis.

1824. PLeriſque in locis variæ fuerunt exhibitæ repræſentationes virtutum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; Florentiæ in duodecim Zodiaci ſignis, ſingulis ſingulas virtutes ejus heroicas apposite exprimentibus: Mediolani, & aliis variis in locis (in Belgio pleriſque in civitatibus) arcus triumphales; alibi columnæ, & obelisci, in quibus concinnè & artificiose ejuſdem vita, virtutes & favores, quibus à Deo decorata fuit, oculis obiciebantur: edita quoque elogia, odæ, Epigrammata. Ex præcedentium prolixa lectione tædii, forſan concepti, levandi gratiâ animo varietate gaudenti, ex plurimis paucula ſpectanda hic proponuntur.

(a) ex libel. impreſſo Mediolani de ſolemnitate Canonizationis ibid.

Naſcitur ad volatum. (a)

Alas ortus ut ales, mox ad ſydera tollit;
Ad ſuperos virgo nata repente volat.

Provocat ad volandum. (b)

(b) ex cod.

Provocat hæc mater natos ad ſumma cieri;
Matres, & natos alta Puella docet.

Amor proprius necans, necatus à Maria Magdalena. (c)

(c) ex libel. Taurini edito.

Perſonatus amor noſtri nos decipit, huncque
Magdala virgo necat, vivat ut ipſa Deo.

Pugna parans trophæa. (d)

(d) ex cod. Taur.

Pugnatura lacum Virgo eſt ingreſſa leonū:
Plura ibi bella gerit: plura trophæa refert.

(e) ex lib. Veneto.

O quoties illā rabies Acherontica bello (e)
Aggreſſa eſt: palmam ſed pia Virgo tulit.
Crediderat ſerpens ipſam fœdare veneno,
Contrivit colubri caſta puella caput.
Semper enim blandi contempſit gaudia ſensûs,
Mundi delicias, carnis & illecebras.
Orbe triumphato, cœleſti gaudet honore,
Et ſedet Angelicis aſſociata choris.
Discite mortales ex Virgine temnere mundum,
Ut vobis liceat scandere ad astra gradum.

Corona ſpinea radix diadematis cœleſtis. (f)

(f) ex lib. Taurin.

Spinea de cœlo venit tibi Virgo corona:
Votis, & meritis congruit illa tuis.
Jam gaude, quòd ſpina caput, non gemma coronet:
Ponit radices ſic diadema ſuas.

Turpibus odio. ab impuris averſa. (a)

(a) ex lib. Mediol.

Ut Speculum deformis quiſquis temnit, & odit:
Sic Sponſæ vultum culpa videre nequit.
A Juvene impuro, ne cerni poſſit eidem
Obvertit faciem mortua Virgo ſuam.
Virgo pudicitiæ dum ſit vel mortua cuſtos,
Credite, prodigium virginitatis erat.

Dei amicus amor pœnis infligit. (b)

(b) ex cod. Mediol.

Dat ſpinas Jeſus cordi, dat malleus Clavus
Nè deſint pœnæ, quas dat amicus amor.

Amor ardens & urens. (c)

(c) ex cod. Mediol.

Corde igne divino ſuccenſo
Rogum amoris gerebat accenſum.
Deus ignis, Sponſa flamma;
Uterque urit;
Utrique ardeat.

Vivit in Christo. (d)

(d) ex cod.

Arbor vivit jam non, vivit in arbore germē;
Vivit & Almæ cor, cor ſine corde ſuo.

In propria venit amor. (e)

(e) ex cod.

Ut Verbum Caro ſcribas, en tibi pagina cordis:
Hic tua nam legêt, in propria venit amor.

Doctrina ejus non ejus, ſed Dei (f)

(f) ex lib. Mediol.

Non liber ipſe docet, ſunt verba docentia libri:
Fatur & ipſa Dei Virgo, ſed ipſe Deus. *

* Vide hic ſuprà num. 1543.

Chriſtus Cor præbens alloquitur B. Mariam Magdalenam Pazzianam, ſuæ Paſſionis perfectiſſimam æmulatricem. (g)

(g) ex lib. Veneto.

Faſciculū myrrhæ porto, tu Magdala portas
Faſciculum myrrhæ: jam ſumus ergò pares.
Magdala cùm videas me ſpinea ſerta gerentē,
Spinea ſerta geris: jam ſumus ergò pares.
Quæ defixa meum lacerârunt ſtigmata corpus,
Ipſa tuum lacerant. jam ſumus ergò pares.
Quid mihi jam ſupereſt? tu Cor mihi Sponſa dediſti:
En tibi Cor dono: jam ſumus ergò pares.

Paritas, ſeu aſſimilatio illa intelligenda analogica. ſed nunc de iſtis ſatis, ut parcitati deſiderium ſuperſit, nec copia faſtidium pariat. Deinceps itaque ſermo ad alia procedat.*

* Vide hîc ſuprà num. 218.

DE FESTO SACRATISSIMO PENTECOSTES:

Quo Propheticus Elianus Carmelitanus Ordo à veteri Lege ad Euangelicam traductus fuit; hinc in eo HIC DIES *merito eſſe debet* CELEBERRIMUS ATQUE SANCTISSIMUS.

Pentecoſte dies 50. à Paſchate lætiſſimus omnibus Chriſtianis.

1825. **H**Oc die glorioſo (*quinquageſimo à Paſchate; & ideo* Pentecoste *nuncupato*) facto repente de cœlo ſono, tamquam ſpiritus vehementis, Spiritus-sanctus *verus Deus (tertia in SS^ma^ Trinitate perſona)* Apoſtolos Chriſti donavit munere inſolito & cunctis inaudito ſeculis, *&* illuſtravit illos inundans Divinitas Deitatis, *ſicut lætabunda, exultans, & jubilans canit ſancta mater Eccleſia; ut* (tamquam aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans) *nos filios ſuos excitet ad devotionis fervorem, quò ſimiliter digni reddamur,* illapſa nobis cœlitus, largiri dona Spiritus, *& ut* Spiritus-sanctus procedens à throno Deitatis, *etiam* pectora noſtra inviſibiliter penetret, *ſanctificet, &* ſibi faciat tabernacula, *ac* infundat unctionem ſuam clemens noſtris ſenſibus: *&* purificet noſtri oculum interioris hominis. *Et iſta quidem univerſalis eſt cauſa lætitiæ cunctis fidelibus. Peculiaris inſuper eſt ratio exultationis, & jubilationis Carmeli Ordini univerſo illo eodem die ſimilibus chariſmatum donis delibato, dum in pleriſque ſuis alumnis Apoſtolorum prædicatione ad Chriſti fidem traductis, à Moſaica lege ad Chriſti Eccleſiam tranſiit, & in ſigno ignis Spiritum-ſanctum recepit; ac deinceps, zelo divini honoris, & ſalutis animarum flagrantiſſimi Patris Eliæ filij, ſeu ſucceſſores, effecti fuerunt Apoſtolorum in Euangelij promulgatione cooperatores. Ita concorditer tradunt Carmelitani Ordinis hiſtorici & confirmat auctoritas Eccleſiæ* (a): *opera autem pretium erit hiſtoriam aliquanto altius repetere.*

Peculiariter Carmelitæ tunc à Lege veteri ad Euangelicam traducti.

(a) vide infra ad XVI. Julii

SS. Elias & Eliſ. ac eorū diſcipuli Moſaicam legem ſervabant, atque uno paupertatē, caſtit. & obed.

1826. *Magnus Propheta Elias; & duplicis ſpiritus ejus hæres S. Eliſeus, ac eorum diſcipuli filij Prophetarum,* Moſaica ſuperantes mandata *ut loquitur Caſſianus mox adducendus) illis ſuperaddiderunt tria Inſtituti Religioſi monaſtici eſſentialia, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; interim etiam Moſaicam legem exacte ſervantes. Tempore autem prædicationis Chriſti Salvatoris, aliqui eorum diſcipuli S. Ioannis Baptiſtæ, Elianæ monaſticæ vitæ cultores, deinde etiam Chriſti diſcipuli effecti ſunt. Poſt Chriſti autem aſcenſionem feſto Pentecoſtes, plerique ipſorum Chriſti fidem ſuſcipientes baptizati fuerunt, & poſt iſtos et iam cæteri. Ita luculenter Ioannes Hieroſolymitanus* in libro de inſtitutione primorum Monachorum, *& cæteri poſt ipſum. Ioannes Hildeshemenſis* (b) *agens* de ſancta vita antiquorum Carmelitarum; *ſic paucis ad intentum:* Vivebant ſecundùm Legem Moyſi, Decalogum obſervantes, & veteris Teſtamenti traditiones pro poſſe perficientes: ſtabant ſic per multos annos. Proceſſu vero temporis, incarnato Salvatore, & prædicante, verbum ipſius audiverunt, & fidem receperunt. *Thomas Bradley Epiſcopus Dromorenſis in Hibernia iſtis concinit* (c) Regula & modus vivendi horum Monachorū Carmelitarum in veteri Teſtamento hic erat: vivebant ſecundum legem Moſaicam, & veteris Teſtamenti traditiones: & ultra hoc promittebant caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, & ſequeſtrabant ſe ipſos, tam habitu, quam habitatione à reliquo populo Judæorum. *Iſta ibidem conſequenter latius proſequitur ſigillatim, ac tandem ſic concludit:* Ex prædictis patenter claret, quod illi fuerint perfectiſſimè Deo relegati ſicut & Carmelitæ moderni eorum ſequaces ſunt. Nam ſicut Carmelitæ moderni Euangelium implent, & aliqua ſuperaddunt, ſicut patet in eorū Regula Bullata, ſic & illi in veteri Teſtamento legem Moſaicā impleverunt, & aliquid ſuperaddiderunt, ut dictū eſt ſuperius. Et idem teſtatur Caſſianus in Collationibus Patrum. Unde in 4. cap. primæ partis, ſeu in Collationibus Theonæ Abbatis ſic ait Sicut Eliam quoque & Jeremiam probamus non fuiſſe ſub lege, quòd cū licite conjugia abſque repræhenſione potuerant iniviſſe, virgines tamen perſeverare maluerunt: ſic Eliſeum ac reliquos ejuſdem propoſiti viros Moſaicæ legis ſuperaſſe mandata, de quibus ita ait Apoſtolus: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis *&c. In alio autem ejuſdem Epiſcopi Thomæ Bradley libro cui titulus:* Chronicon *&c. cap tis 3. titulus eſt iſte:* Quomodò Religioſi viri montis Carmeli baptizati ab Apoſtolis, cum eis fidem Chriſti prædicaverint, & in Carmelo Eccleſiam Salvatoris Matri dedicaverint. *Et iſta ex vetuſtis monumentis ac illuſtribus Scriptoribus confirmat, videatur Tomo præcedenti* (d) *Conformiter ſcribunt Ioannes de Malinis, & Ioannes Paleonydorus, in libris etiam Tomo præcedenti inſertis* (e). *Sed inter omnes, prolixiùs, & accuratiùs de iſtis tractavit Philippus Riboti Cathalanus, in volumine de inſtitutione, & proceſſu Ordinis hujus, ac de peculiaribus geſtis Religioſorum Carmelitarū (ſcripto anno Chriſti 1370) libro 5. per totum. Opus iſtud etiam editum eſt in Tomo præcedenti* (f) *parte 1. libro 5. fere per totum; ideo haud neceſſe eſt ea hic repetere; cum ibi legi poſſint.*

(b) in Defenſorio cap. 8. Vide Tom. præced. n. 669.

(c) lib. de fundat. Ordinis Carm. cap. 3 Vide Tom. præced. n. 836.

Carmelitæ poſt dies Pentecoſtes, & ſeqq. Euangelicam legem ſuſceperunt:

(d) Tom. præced n. 778. & ſeq.

(e) num. 913. & ſeq. & 970. ac ſeq.

(f) Videatur Tomo præced n. 182. & ſeq. uſque ad finem libri iſtius.

1827. *Æque luculenter de iſtis ſcripſit Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali libro 5. ſub initium per plura capita: primus titulus eſt iſte:* Quod licèt ex Profeſſoribus hujus Religionis aliqui

XXV. MAII.

Omnes illi, in veteri, & nova lege, unius ejuſdemque religionis.

qui olim fuerint Judæi, & aliqui poſtea Chriſtiani, hoc tamen non derogat hujus Religionis identitati & unitati: *ubi; inter cætera hæc:* Antiqui hujus montis Monachi, etſi non nomine, tamen rectâ fide fuerunt veri Chriſtiani, ſicut ſunt Monachi moderni: quoniam illi fidem firmam in Chriſtum habuerunt, à quo & animarum ſalutem ſperaverunt, pro qua conſequenda mundum reliquerunt, & corpora & animas ſuas Deo obtulerunt: de quibus Apoſtolus ſic ait: Circuierunt in melotis: & infra: & hi omnes teſtimonio fidei probati inventi ſunt.... Quamobrem non eſt exiſtimandû, ſucceſſores illorum ad Religionem eorum non pertinere ideò, quia ſunt Chriſtiani; ſed multò magis eſſet arbitrandum, ipſos ſucceſſores ad Religionem eorum non attigiſſe, ſi Chriſtianitatis ritum ad animarum ſalutem conſequendam non ſuſcepiſſent: ſicut eis illi prophetæ vaticinati fuerunt: teſte enim S. Petro Apoſtolo, de animarum ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt. *Capite 2. & ſequentibus traditur, quod, & qualiter* Religioſi iſti à S. Joanne Baptiſta inſtructi fuerint, & ejus baptiſmo baptizati, ac ad Chriſti doctrinam comparati. *Capite 5. refertur*, quod illis temporibus inter illos Religioſos eſſent Judæi in varijs nationibus

Nati diverſis orbis regionibus.

nati ex parentibus, qui tempore captivitatum, & oppreſſionum populi Judaici, ex Judæa ad alias ſe receperant regiones. Ex his autem Judæis natis in regionibus illis multi devotione Terræ promiſſionis tracti, tempore imperij Tyberij Cæſaris, ad terram illam cû in pacis eſſet tranquillitate remeantes, ſtudebant religioſè illic vivere, copulantes ſe prædictis Religioſis filijs Prophetarum habitantibus in Terræ promiſſionis urbibus: & præſertim illis, qui manebant in Jeruſalem, quorum memoratus fuit Lucas in Actibus Apoſtolorum, dicens: Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi viri Religioſi, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt... quos

Annis ſingulatim veniebant in Jeruſalem.

poſtquam prædicti Religioſi in rudimentis diſciplinæ propheticæ & monaſticæ vitæ eremiticæ erudierant, ad eremos transferebant. *Capite 6. memoratur*, Quòd tempore legis veteris profeſſores hujus Religionis annis ſingulis in Jeruſalem tribus vicibus convenire conſueverunt, & anno quo Chriſtus aſcendit in cœlum; ipſi omnes propè domum Apoſtolorum in monte Sion manebant. *Capite 7. narratur*, Quòd profeſſores hujus Religionis ad domum Apoſtolorum in die Pentecoſtes acceſſerunt, & plerique eorum ab Apoſtolis baptizati fuerunt. *Ubi iſta:* Religioſi autem præfati in monte Sion,

Habebant manſionem in monte Sion.

non multùm remotè à prædicto cænaculo, ut præmittitur, habitantibus, obſtupuerunt audientes prædictum ſonum inſolitum reſonare in cœnaculo Apoſtolorum. Et ſcire cupientes, quidnam hoc eſſet, ad illud Apoſtolorum cœnaculum acceſſerunt. Qui cùm illuc perveniſſent, ſtupebant omnes, & mirabantur.... Multi ergò ex prædictis Religioſis, videntes, quod illi, quos Apoſtoli baptizabant in nomine Jeſu Chriſti, recipiebant in ſpecie ignis viſibilis Spiritum-ſanctum, recordati fuerunt; adveniſſe tempus, de quo dux eorum Beatus Joannes Baptiſta Chriſtum prophetans, eis prædixerat. Ille, ſcilicet Chriſtus, baptizabit vos in Spiritu ſancto, & igne. Quamobrem acceperunt ſermones Apoſtoli Petri, & baptizati ſunt ipſa die in Chriſto, recipientes in ſigno ignis viſibilis Spiritum-ſanctum. *Capite 8. ſe dicitur*, Qualiter profeſſores reſidui hujus Religionis ad veram fidem baptiſmi Chriſti pervenerunt, & ab Apoſtolis poſtmodùm baptizati fuerunt. *Capite 9. oſtenditur, quod Religioſi prædicti per Apoſtolos in doctrina Chriſti erudati, per Phœnicem & Palæſtinam fidem Chriſti prædicaverint. Ibi autem hæc, inter cætera:* Erant autem prædicti Religioſi perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communione fractionis panis: totâ die quoque perſeverantes in orationibus unanimiter in templo cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum.... Denique eorum multi ea, quæ ab Apoſtolis hauſerant, exteris effundentes, fidem Chriſti per Phœnicem & Palæſtinam prædicaverunt, dilatantes dogmata fidei in moribus vitæ ac monaſtica converſatione Eccleſiam Dei inſigniſſimam demonſtrantes... Unde Joſephus Antiochenus in libro de perfecta militia primitivæ Eccleſiæ cap. 12. ſic teſtatur dicens: Perfectæ militiæ Chriſti Apoſtolorum coadjutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi viri ſolitarij, contemplationi dediti, ſanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſæi ſequaces, qui de monte Carmeli deſcendentes, per Galilæam, Samariam, & Judæam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt. *De iſto Joſepho Antiocheno plura habes hic ſuprà num. 806.*

Plures eorum baptizati die PENTECOSTES, *& poſtea.*

Deinceps fidem Chriſti prædicarunt cum Apoſtolis.

1828. *Cumulatiùs iſta de tranſitu Ordinis à Lege veteri ad novam tradit P. Lezana in Annalibus Tomo 1. ad annum mundi 4086. Chriſti autem 34 ubi hiſtoriam illam ſic auſpicatur:* Dies decima ab Aſcenſione Chriſti, & quinquageſima a Paſchate, ſicut Hebræis valde ſolemnis fuit propter feſtum Pentecoſtes, quòd eâ die more ſolito celebratur; ſic, & maximè Chriſtianis ſolemniſſima, & ſacratiſſima eſt, propter adventum Spiritus-ſancti in Chriſti diſcipulos, juxta ipſius promiſſionem. Luc. 24. verſ. 49. & Act. 1. verſ. 5. quæ tunc contigit. Noſtri quoque Prophetici Ordinis Profeſſoribus glorioſiſſima eſſe debet, propter miram plurium ipſorum eodem tempore ad Chriſti fidem converſionem, baptiſmique receptionem, quæ nova & ſpiritualis ipſorum generatio initium dedit ſecundo ejuſdem Ordinis ſtatui, quo ſub Chriſti vexillo primum clareſcere cœpit, ſicut finem priori, quo ſub Synagogæ Eccleſia floruerat. *De prædicatione autem cum Apoſtolis prolixè tractat idem P. Lezana Tomo 2. ſub initium (a). Quædam etiam hujus propoſiti præceſſerunt hic ante, in hoc Tomo (b) Sed*

PENTECOSTE olim ſolemnis Judæis, ſolemniſſima Chriſtianis,

Glorioſiſſima Carmelitis.

(a) In Appar cap. 6.

(a) hic ſu-pra n. 805.

(a). *Sed iſta omnia pleniùs pertracta ſunt tomo præcedenti variis locis.*

1829. *Quod* Cœnaculum grande, *in quo Chriſtus fecit ultimam cœnam, & inſtituit SS. Eucharistiæ Sacramentum, in quo Apoſtoli erant, quando ſuper eos venit Spiritus-ſanctus, eſſet in illa parte civitatis Jeruſalem, quæ vocabatur Mello, refert Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ* * *capitulo primo hiſtoriæ Actuum Apoſtolorum, ubi iſta:* Omnes quidem Apoſtoli quàm alii diſcipuli, nec non mulieres habitabant in illa parte Jeruſalem, quæ dicebatur Mello, ſcilicet in monte Sion: ubi David conſtruxerat ſibi palatium: & ibi erat cœnaculum illud grande ſtratum: in quo præcepit Dominus ſibi parare Paſcha. Et in cœnaculo illo tunc habitabant undecim Apoſtoli. Cæteri autem diſcipuli & mulieres habitabant circumquàque per diverſa hoſpitia. *Quòd in eadem parte civitatis, haud longè ab illo* Cœnaculo grandi *fuerit quoque manſio Religioſorum Filiorum Prophetarum, poſterorum S. Prophetæ Eliæ, tradit vetuſtus Pater Joannes Jeroſolymitanus, in libro de* Inſtitutione primorum Monachorum *cap. 35. ubi iſta:* Et ob hoc quàm maximè manſionem Religioſi Filii Prophetarum habebant in Jeruſalem, ut in dictis feſtis convenirent ad eam. Anno ergo, quo Chriſtus aſcendit in cœlum, omnes prædicti Religioſi mox poſt ejus aſcenſionem in Jeruſalem convenerunt, ut ibi inſtans feſtum Pentecoſtes celebrarent. Habitabant autem tunc in Jeruſalem Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti, propè manſionem dictorum Religioſorum, ſcilicet in illo COENACULO GRANDI, ET STRATO, in quo Chriſtus in die cœnæ fecit ſibi parari Paſcha, ubi Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, & corpus ſuum ſub ſpeciebus panis ſumendum diſcipulis tradidit, eoſque Sacerdotes ordinavit. Quod Cœnaculum erat in monte Sion, in parte illa montis quæ dicitur MELLO; ubi erat olim palatium, quod Rex David ſibi conſtruxerat. Et ita prædicti Religioſi fuerunt in habitatione tunc Apoſtolorum vicini. *Eadem tradunt præfati Thomas Bradley Epiſcopus, & Arnoldus Boſtius, locis ante citatis.*

* Petrus Comeſtor, qui claruit circa ann. Chr. 1150.

Cœnaculum in quo Apoſtoli acceperunt Spiritum S.

vicinum erat manſioni Religioſorum Fil. Proph.

Marci 14.

1830. *Animadvertendum autem, quod poſteri S. Prophetæ Eliæ variis fuerint nuncupati nominibus, de quibus etiam tomo præcedenti* (b) *præcipuum fuit:* Filii Prophetarum, *quod frequens eſt in libro 4. Regum: eo etiam utitur S. Lucas in Actis Apoſtolorum c. 3. Cap. autem 2. eoſdē nuncupat* viros Religioſos. *Philo autem Judæus de illis agit ſub nomine* Eſſenorū: *quos S. Eliæ poſteros fuiſſe, habetur ex dictis hic ſupra, inter XII. Fundamenta, præſertim Fundam. III. Ad præſens propoſitum notanda iſta Adriani Adrianij verba:* Judæorum meliores Eliæ atque Eliſei diſcipuli, Heſſeni appellati ſunt: atque è vicinioribus Engaddi locis, totam pervaſerunt Ægyptum, quæ Sehiti appellatur: ſanctâque ſuâ converſatione victoriam adepti ſunt Euangelicæ veritatis. *Luculenter de hoc ſubjecto tractavit R.P. Franciſcus Bona Spei, in* Carmeli Armamentario, *Scuto X. cujus titulus eſt:* Filii Prophetarum, Eſſeni &c. veri nominis Monachi (uti ſatis probatum eſt ſupra) ſacroſanctum Jeſu Chriſti Euangelium audierunt, acceptârunt, baptizati ſunt, & in diſſeminanda fide Euangelica coadjutores Apoſtolorum fuerint. *Opera-pretium erit quoque de iſtis conſulere Arnoldum Boſtium, in libro de Patronatu B. Virginis cap. 3. ubi inter alia iſta, de Eſſenis:* Quos conſtat Hebræos quidem fuiſſe, &, veluti cæteros Iſraëlitici generis Chriſtianos, ſanctiſſimæ Dei Matris Mariæ, & Apoſtolorum (quibus Philo convixit) tempore, Judaicis adhuc inſtitutionibus, & Legis obſervationibus licenter adhæſiſſe. Non enim lex vetus mala fuit, quemadmodum idololatria; & ideò neque ſubitò repellenda, ſed debuit cum honore ſepeliri Synagoga, ut tempore ſuo bona fuiſſe, palam oſtenderetur. *Ad idem intentum Cardinalis Baronius in Annalibus tomo 1. ad annum Chriſti 64. ita ſcribit:* Quod ſi & obſervationem diei Sabbati Philo in Eſſenis commendat, haud mirum eſt, cùm & Apoſtolos etiam Judaizaſſe, eorum Acta teſtentur. *Porrò* Filios Prophetarum, *de quibus dicto loco S. Lucas, ſucceſſores fuiſſe iſtorum, de quibus in libris Regum, nempe S. Eliæ Prophetæ poſteros, pleniùs declaratum videri poterit apud Joannem Jeroſolymitanum* (a): *& apud Petrum Waſtelium* (b). *Similiter verbum* Religioſi *in Actis Apoſtolorum ſumi pro ſpecialiter Deo dicatis, tradunt idem Joannes Jeroſolymitanus* (c), *S. Chryſoſtomus, Theophylactus, ac alii apud dictum Waſtelium* (d).

(b) Tomo præced. part. 1. lib. 5.

Poſteri S. Eliæ variis nominibus appellati:

etiam Eſſeni dicti.

tempore Apoſtolorum multos Legis veteris obſervationes cur tenerent.

(a) de Inſtit. prim. Monachs cap. 37.

(b) lib. 1. Vindic. ſect. 5. art. 8. §. 7. ſub fin.

(c) cap. 34. & ſeq.

(d) eodem loco.

1831. *Hactenus dicta, & relata motiva generalia, ac particularia de hac ſolemnitate facilè perſuadebunt cuilibet bonæ voluntatis Carmelitæ, ut etiam ſibi dictum reputet illud Levitici 2.* VOCABITIS HUNC DIEM CELEBERRIMUM ATQUE SANCTISSIMUM: *atque ita peculiari pietatis affectu ſolemnizet ſacerrimum hoc feſtum, & (exemplo Apoſtolorum,* ſucceſſu à populo, concordi charitate, *&* perſeveranti oratione *ad illud ſe præparantium) pravià ad illud ſe diſponendo, cor ſuum idoneum reddat divinis chariſmatibus. Ad hoc inſuper nos excitare debent exempla Sanctorum Ordinis hujus, hoc feſtum magno devotionis affectu ſolemnizantium. De S. Petro Thoma Patriarcha Conſtantinopolitano referunt Joannes Hildesheimenſis diſcipulus ejus, & plures alii, quòd* tempore Clementis Papæ ſexti, Avenione ipſo Regente, in ſancta nocte Pentecoſtes ipſe ferventibus deſideriis deſideraverit à B. Virgine Religionis ſuæ patrocinium, & conſervationem: & ipſa illi reſponderit: Petre, ne timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio noſtra. *Plura circa hæc videri poterunt hîc ſuprà* (e), *& tomo præcedenti variis locis* (f). *Singulariſſimum autem peculiaris devotionis hoc feſto, & præviæ præparationis ad illud, exemplum præbuit nobis extatica ſoror noſtra S. Maria Magdalena de Pazzis: quæ licet per pietatis exercitia ſingularia (ſupra ordinaria) ad ſolemniores anni feſtivitates, per octo, aut decem dies ſe previè præpararet, ſpecialiſſimè*

PENTEC. *Carmelitis peculiari devotione celebrandum.*

id præſtitit S. Petrus Thomas,

(e) n. 699. & 715.

(f) n. 661. & 1096. & 1505. & 1677.

& S. Maria Magd. Pazz.

 tamen,

tamen id à Deo edocta, præſtitit à feſto Aſcenſionis Domini, uſque ad Pentecoſten; ſic idonea, & digna reddita fuit, ut à vigilia Pentecoſtes, uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis diù, noctùque extaſim paſſa, quotidie Spiritum-ſanctum ſub diverſis formis acceperit. *Ita teſtatur Vincentius Puccinus, & referunt cæteri ſcriptores vitæ ejus, & verbis jam relatis legitur in Officio divino canonico pro toto Carmeli Ordine ab Eccleſia approbato, & conceſſo: in quo etiam iſta:* Mirabili ſub ſchemate

Ignis, columnæ, fluminis,
Linguæ, columbæ, flaminis,
Sanctum recepit Spiritum. (a)

(a) circa hæc vid. hic ſupr. n. 1639.

I V N I V S

XIV. JUNII.

VITA S. ELISEI PROPHETÆ

Primarii Diſcipuli, ac hæredis duplicis ſpiritûs S. Eliæ, & cum eodem Religioſæ monaſticæ vitæ Principis, atque Carmelitani Ordinis Patris: puritatis Deiparæ, antequàm natæ, præſcii, & æmulatoris:

Hiſtoria inconcuſſæ veritatis, rerum admirandarum varietate obleƈtans: multiplici virtutum exemplo inſtruens, ac movens: Monaſtices à S. Elia Propheta inchoatæ, à S. Eliſeo rigatæ, incrementa illuſtrans.

Ex ſacris literis, & Patribus digeſta: per F. Dan. à V. M.

PRÆFATIO.

Eliſeus expreſſa imago & veluti autographi Eliæ.

1832. MAgni Prophetæ ELIÆ primariùs diſcipulus, individuus comes ſpiritualis filius, & duplicis ſpiritus hæres fuit S. Propheta Eliſeus: in quo proindè tanquam in apographo, relucet veluti autographum ipſe S. ELIAS. Uterque verè dictus *Currus Iſrael, & auriga.* Uterque voluntariæ paupertatis, caſtitatis virginalis, perfectæ obedientiæ, cæterarumque obſervantiarum Religioſæ vitæ exercitator, & primum exemplar. Elias enim Religioſam, Monaſticam, & Eremiticam vitam inchoando plantavit, Eliſeus eandem rigavit, & magnoperè propagavit. Uterque continuè præſentiæ Dei exercitio, futuræ in cœlis Beatitudinis quodammodo prægustu inebriatus, cœleſtem in terris vitam agens. Uterque miraculorum maximorum operator, & ideò thaumaturgus. In aliis quoque, quanta ſit eorum inter ſe ſimilitudo pateſcet conferenti utriuſque vitam. Hinc paſſim Patres S. ELIAM, & S. Eliſeum ſimul jungunt. Ita S. Hieronymus ad Euſtochium: *Miſſor immiſſus Virgo* ELIAS, *Virgo Eliſeus:* & alibi agens de Principibus Monachorum: *Noſter Princeps* ELIAS, *noſter Eliſeus.* Et ſanctus Iſidorus tractans de Monachis, & Religioſi Monaſtici Inſtituti authoribus: *hujus* (Monaſticæ) *converſationis Princeps* ELIAS, *& diſcipulus ejus Eliſeus fuerunt:* & Joannes Caſſianus lib. 1. de Inſtitutis Cœnobiorum cap. 2. *In veteri Teſtamento hujus profeſſionis fundatore primordia,* ELIAM *ſcilicet & Eliſeum, divinarum Scripturarum auctoritate demonſtratur.* Similiter & alii loquuntur. Eadem etiam eſt Hiſtoriæ S. Eliſei utilitas, & ex varietate ac magnitudine rerum, quæ in ea tractantur, jucunditas, quæ & Elianæ. Ea quoque ejuſdem eſt ſingularis prærogativa, quod ſit indubitatæ & inconcuſſæ veritatis, atque in ſupremo certitudinis, & infallibilis veritatis gradu; utpotè Spiritûs ſancti ſpiramine dictata, & teſtimonio conſignata in libris tertio, & quarto Regum, & in Eccleſiaſtico.

Quod autem cum ſuo magiſtro veri nominis Religioſus, & Monachus, & Princeps, Fundator, Auctor Religioſorum, & Monachorum fuerit, cum præfatis S. Hieronymo, Iſidoro, & Caſſiano, tradunt Patres, & Doctores alii. Hinc S. Macharius *Eliam, & Eliſeum veraciter veteris Teſtamenti Monachos* nuncupat (a): & Petrus Damianus (b), *Hujus* (Eremiticæ, Monaſticæ) *vitæ normam, ut anteriora præteream, Elias cœpit; Eliſeus verò, aucto diſcipulorum collegio dilatavit.* Quòd in Carmelo ordinaria ejus eſſet manſio (ubi Monaſticam diſciplinam à ſuo magiſtro didicit, exercuit, & poſtea aliis tradidit) atque etiam alios pios homines Sabbatis & Kalendis illuc devotionis gratiâ accedentes inſtruxerit, ex dicendis cap. 6. confirmabitur; propterea mox à raptu magiſtri ſui S. Eliæ, regreſſus in Jericho, inde profectus eſt in Galgala, & Bethel: *abiit autem inde in montem Carmeli.*

Religioſus, & Monachus fuit:

(a) Serm. ad Monach.
(b) Tom. 3 de orig. vitæ Erem.

1833. Cum autem poſt raptum ſui magiſtri, ejuſdem eſſet ſucceſſor, & Rector omnium Filiorum Prophetarum, in variis locis habitantium, videlicet in Samaria, circa Jorda-

XIV. JUNII.

Jordanem, circa Iericho, & Bethel, Galgala, & alibi; illos certis temporibus viſitabat, & cum eis aliquamdiu morabatur; ut illos in religioſa monaſtica diſciplina à S. Elia primum inchoata, & tradita, inſtrueret, ac firmaret; deindè autem rurſùs ad Carmelum regrediebatur. Hinc mulier Sunamitis habitans non longè à Carmelo (ſicut declarabitur infra cap. 6.) dicebat marito ſuo: *Animadverto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter*, quando videlicet ex Carmelo proficiſcebatur, ad viſitandos ſuos diſcipulos in prædictis locis, & aliis: aut inde redibat ad Carmelum. Hinc Gilbertus Genebrardus, corrigendo Polydorum, & Carmelitici Ordinis originem referens, ad SS. Prophetas Eliam, & Eliſeum, addit: *Qui Carmelum montem Terræ ſanctæ primi conſecrarunt, & diſcipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura* FILIOS PROPHETARUM *appellat*. Ioannes Bacho conformiter ſcribit: *in Carmelo B. Mariæ dato, Prophetæ Elias & Eliſeus Patres noſtri inhabitabant.* Quòd præſcius, & æmulator fuerit puritatis Virginis Deiparæ, tradit S. Methodius (a), iſtis verbis Deiparam alloquens: *Puritatis etiam tuæ Elias Propheta præſcius, atque imitator in ſpiritu &c. Te quoque ejuſdem ſucceſſor Eliſeus, à ſapiente Magiſtro his Sacris initiatus, tamquam jam exiſtentem, quæ tamen nondum exiſtebas, præfigurans.* Hinc Arnoldus Boſtius (b): *Quaſi ad ſigilli ſpiritualis imaginem, Eliſeum, Michæam Moraſthiten, Abdiam, Ionam, ac cæteros, quos advocaverat . . . ſecum, tamquam Mariæ præcurſores, continentiam virginitatis edocebat*: ſcilicet Elias (de quo plura ad diem XX. Iulii.)

Ordinaria ejus manſio in Carmelo:

(a) in Serm. de Simeone & Anna, ſeu de Purific.

(b) lib. de Patron. Mariæ cap. 2.

1834. Feſtum S. Eliſei in hoc Ordine ſub ritu duplicis majoris primæ claſſis celebratur die XIV. Iunii, cum Octava: officia & Miſſa ipſo feſto, & per totam Octavam propria ſunt, à variis Pontificibus conceſſa, & à Sacr. Rituum Congregatione diverſis vicibus approbata: & præponitur: *In feſto S. Eliſei Prophetæ, Patris noſtri.* In Kalendariis autem veterum Miſſalium, & Breviariorum: nec non in antiquis catalogis Sanctorum Ordinis Carmelitani, ad diem XIV. Iunii legitur: *S. Eliſei Prophetæ, Ordinis Carmelitarum Principis, Duplex.* Eſt etiam officium totum proprium, ſimiliter & Miſſa: Orationes autem tres infra Miſſam olim erant iſtæ: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui in electis Prophetis mirabilis prædicaris: præſta, quæſumus, ut ſicut ſpiritum Eliæ in ſancto Propheta Eliſeo, Carmelitarum duce ſecundo, ad miracula facienda duplicaſti: ita gratiam ſancti Spiritûs ad virtuoſa opera exercenda, in nobis multiplicare digneris. Per Dominum &c.* SECRETA. *Quæſumus, Omnipotens Deus, ut ſicut beatum Eliſeum beato Eliæ vitâ & opere, in monte Carmeli, pro defenſione ſervorum ſuorum, coadunaſti: concede nobis famulis tuis cum ipſis in cœleſtibus ſociari. Per Dominum.* POSTCOMMUNIO. *Deus, qui beatum Eliſeum Prophetam montis Carmeli incolam altis mirificaſti prodigiis, & illuſtraſti doctrinis, tribue nobis, quæſumus, ut ejus exempla ſequentes, ad te pervenire mereamur. Per Dominum.* Ad eumdem diem Ioannes Gillemanus, Ordinis Canonicorum Regularium, monaſterii Rubræ-Vallis propè Bruxellas, in *Hagiologio*, ſeu *Martyrologio*, ſcribit: *XVIII. Kalendas Iulii, apud Samariam Paleſtinæ, quæ nunc Sebaſte dicitur, ſancti Eliſei Prophetarum præcipui, qui primus poſt Eliam, quadraginta & tribus annis ſacræ Religionis Carmeli Pater extitit, & auriga.* (a) Itidem ad eumdem diem Baptiſta Mantuanus (b) (ornatè more ſuo) conformiter jam dictis:

Feſtum ejus ſolemne in toto Carmeli Ordine,

tamquàm de ſecundario fundatore,

(a) De iſto Joan. & Martyrol. ejus vide To. præced. n. 1705.

(b) lib. 6. Faſtor. ſeu de ſacr. dieb. ad Leon. X. Rom. Pont.

1835. *O Pater, ô Princeps, ô Dux Eliſee meorum*
Heliadum qui Cæſarea coluêre penates,
Et vada Iordanis Libano venientia, ſalve.
Lux tua poſt Idus Iuni quæ prima reſurgit,
Carmeli lætatur apex, fons inclytus ille,
Quem Pater Elias ſitiens potare ſolebat,
Illa luce ſinum magis implet, & undique ripas
Tranſiliens recreat poſitos in margine flores,
Ac maris in virides decurrit alacriùs undas.

Conſequenter pari elegantiâ proſequitur S. Eliſei gêſta, & miracula: tandemque ſic concludit:

O morum exemplar, ô Relligionis imago,
Cujus ad exemplum ſancti vixère nepotes
Tempus ad hoc; etenim qui relligioſa frequentant
Clauſtra, ſuos vertunt tua per veſtigia greſſus,
Atque tui ſimiles vivendo evadere certant.
Flecte acies in nos, Pater, & tua reſpice vultu
Tecta pio, quæ ſervat adhuc Carmelus in alto
Vertice. Barbaricas gentes de finibus illis
Ejice, & exulibus da prima habitacula nobis.

VITA

Ex Scriptura ſacra, & Patribus digeſta.

CAPUT PRIMUM.

Sancti Eliſei Prophetæ encomia nonnulla & celſi meriti teſtimonia.

1836. INprimis *Libro 4. Regum* cap. 3. occurrunt iſta: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto.* Et cap. 5. *Vivit Dominus, ante quem ſto.* En ſpecimen completi in Eliſeo tanquam paternorum bonorum hærede, ſpiritus Eliæ, cujus, ut ſuprà vidimus, eadem iſta prima fuere verba, quæ ab ipſo prolata fuere, manifeſtantia ſummam, quæ hâc in vitâ haberi poteſt, perfectionem, & quodammodò initium cœleſtis beatitudinis, conſiſtentis in perpetua præſentiæ divinæ viſione & fruitione. Et iſta quidem ex Libris Regum hîc ſufficiant.

Eliſei exercitium continua Dei præſentiæ

ejus elogia in S. Scriptu.

Eccleſiaſticus cap. 48. in Epilogo encomiorum S. Eliæ appoſitè tranſit ad laudes S. Eliſei his verbis: *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus: in diebus ſuis non pertimuit principem, &*

 poten-

XIV. IUNII.

potentiâ nemo vicit illum. Nec ſuperavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. Illud igitur primum eſt, & ſingulariſſimum S. Eliſei encomium, quod ſui magiſtri quàm maximè *amplificati in mirabilibus* ab hominibus in Paradiſum abeuntis, ſpiritu repletus fuerit. Id qualiter factum fuerit, explicatum eſt in vita S. Eliæ, & quid ſit duplex ſpiritus Eliæ, quem petiit, & obtinuit Eliſeus, declarabitur cap. 3.

Quomodo intelligendũ, in diebus ſuis non pertimuit Principem.

Sequitur: *In diebus ſuis non pertimuit Principem &c.* Senſus eſt: Eliſeus liberè prophetavit & prædicavit veri Dei cultum, nihil veritus regum idololatrarum & impiorum offenſam, minas & cædes, ſed intrepidè & in barbam eis reſtitit, eoſque redarguit. Ita vocatus ad caſtra trium regum, ſcilicet duorum impiorum, Ioram filii Achab, & regis Edom, ac tertii pii ſcilicet Ioſaphat regis Iuda, qui omnes ſuppliciter in ſiti & defectu aquæ ejus prophetiam, & opem depoſcebant, animosè dixit ad Ioram: *Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ, &c.* Vide hìc infrà cap. 5. *Nec ſuperavit illum verbum aliquod*: hoc eſt, nullum verbum comminationis, vel adulationis eum à veritate retraxit, ut habet Liranus, nec ullæ minæ, blanditiæ, aut promiſſa potuerunt infringere adamantinum Eliſei animum. *Et mortuum prophetavit corpus ejus*, id eſt: corpus ejus in ſepulchro ſuo attactu mortuum vivificavit, prout refertur cap. 13. libri 4. Regum. *Hoc ſanè mirabile & paradoxum quòd mortuus mortuum vivificet, cùm naturaliter mortuus virum mortificet*, inquit Cornelius dicto loco. *In vita ſua fecit monſtra*, id eſt portenta, prodigia, miracula, quæ referuntur libro 4. Regum cap. 2 & ſequentibus. Et hæc quidem ex ſacris Litteris: quibus etiam ex quamplurimis nonnulla ex Patribus deprompta ſubnectenda videntur.

S. Epiphanius compendio tradit vitam prodigioſam Eliſei.

183~. S Epiphanius libro de SS. Prophetis ortum, locum ſepulturæ, S. Eliſei, & præcipua aliquot prodigia, quibus cum Deus honoravit ſic paucis commemorat: *Eliſeus Propheta erat ex Abelmuth, de terra Rubim, quo ſuper hujuſmodi contigit miraculum: Quod ſimul atq; natus eſt in Galgalis, Bos illa aurea in Selom clamore tam acuto vociferata eſt, ut auribus acciperetur Hieroſolymis. Expoſuit tunc prodigium ſacerdos. Hæc, inquit, argumento ſunt, Prophetam hodiè in lucem eſſe editum, qui comminuet ſculptilia, & confringet, & evertet conflatilia. Prodigia porrò innumera Deus per manum Eliſei deſignavit. Cæterum carnis debitum ſolvens, in Sebaſtopoli Samariæ, ſupremo honore affectus eſt.* Quædam ferè ſimilia refert Dorotheus in Synopſi Prophetarum, atque etiam alii.

S. Chryſoſtomus ſublimia ejuſdem merita adſtruit.

1838. S. Chryſoſtomus de compunctione cordis lib. 2. ſublimia S. Eliſei merita, & elevatam à terrenis mentem ſic adſtruit, & in exemplum proponit: *Oportet animam à rebus effici præſentibus alienam. Tales erant animæ ſanctorum Prophetarum, quæ ob hoc acceperunt etiam oculos alios, quibus poſſent videre futura. Etenim renunciare præſentibus rebus, & alienum effici ab eis, proprium hoc humanæ induſtriæ opus eſt: Poſt hæc verò accipere oculos, quibus ventura proſpicias, divini muneris eſt donum. Talis fuit Eliſeus, qui quoniam omnia mundana reliquit negotia, & amavit propheticam vitam, regnum cæleſte & ſupernam gloriam in terris adhuc poſitus vidit. Vidit enim quæ nunquam mortalis viſus inſpexerat, montem curribus igneis, atque equis flammeis plenum, armatorum turmas, & caſtra cæleſtis exercitus. Nemo ergo poteſt eorum, qui delectantur præſentibus & caducis, cæleſtia ac ſpiritualia contueri.* Aliquot etiam ſcripſit inſignes ſermones de S. Eliſeo. Undè nonnulla referentur in ſequentibus.

S. Eliſeus mundana omnia reliquit:

exemplum præbuit Religioſis mundo renunciantibus.

1839. Sanctus Nilus Abbas, diſcipulus S. Joannis Chryſoſtomi in Aſcetico: *Ideò veterum Sanctorum vitas literarum monumentis mandare voluit Spiritus S. ut quam quiſque vivendi rationem elegit, eam ex propriis exemplis exploret, & dirigat ad veritatem. Quomodò igitur Eliſeus cùm ſe Eliæ magiſtro adduceret, mundo renunciavit? Reperit, inquit, Eliſeum arantem in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum arantibus unus erat. Et tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes. Hæc promptum ardentis animi ſtudium declarant. Neque enim dixit: vendam inſtrumenta boum, & prudenter diſponam. Neq; conſideravit ea, ſi venderentur, emolumenti plus allatura. Sed cùm totus eſſet incenſus cupiditate, quà ad magiſtri neceſſitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis ſe tanquam à recto propoſito revocantibus ſtuduit explicare.* Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes inter veteres omnes uberius de S. Eliſeo pertractat in Libro de Inſtitutione Monachorum. Inprimis capite 13. *Supremus Eliæ diſcipulus, fuit ſanctus Eliſeus.* Ibi conſequenter compendio referuntur præcipua ejus geſta, & miracula. Capite 25. agitur de S. Eliſei ſucceſſione in ſpiritu, & prælatura ſancti Eliæ, & capite 26. de paterna ejus ſollicitudine pro commiſſis ſibi filiis. Ibi occaſione iſtorum verborum ex capite 4. libri 4. Regum: *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Kalendæ, nec Sabbatum*, ſubjungitur: *Conſueverant ſiquidem devotæ perſonæ benedictionem ſecum victualium afferentes, viſitare diebus feſtis Eliſeum, & cæteros Monachos montis Carmeli, præcipuè autem devotione audiendi ab Eliſeo, & ab aliis Prophetis verbum Dei.* Sed de his plura hìc infrà capite 6.

1840. S. Ambroſius ſerm. LXXXVII. (qui totus eſt de S. Eliſeo) hæc de ejus meritis: *De Eliſei autem meritis quid dicamus, cujus hæc prima laus eſt, quod patrem voluit gratiâ ſuperare, dum dari ſibi amplius poſtulat, quàm ſcit apud eum eſſe qui poſſidet? Avarus quidem eſt in petendo, ſed idoneus in promerendo: dum enim à patre plus exigit, quàm habebat, facit eum meritis ſuis plus præſtare quàm poterat.* Ibidem ſub initium: *Diximus in defenſionem ipſius de cælis auxilia deſcendiſſe, & armatos equites ſive quadri-*

XIV. Iunii.

quadrigas ei divinitùs aſfuiſſe, adſtitiſſe etiam circa ipſum quadrigam igneam. Magna quidem res, ſed in viro ſancto miranda non eſt. Quid enim mirum, ſi is auxilia meretur e cœlo, cujus animus ſemper in cœlo eſt? Alia ex eodem adducentur in ſequentibus. S. Auguſtinus ſicut etiam de S. Elia, ita & de S. Eliſeo conſcripſit inſignes ſermones, in quibus peculiariter & luculenter deſcribit, & declarat, Sanct. Eliſeum in plurimis typum fuiſſe Chriſti Salvatoris.

ejus animus ſemper in cœlo erat.

S. Iſidorus.

1841. S. Iſidorus libro de vita & obitu Sanctorum, qui Deo placuerunt, cap. 36. *Eliſeus Eliæ diſcipulus* . . . illa ibi recenſet quæ in ſequentibus ſigillatim tradentur. Rupertus libro 5. de victoria verbi Dei cap. 10. *Spiritus Eliæ, id eſt, operatio virtutum, quæ in ſpiritu Domini dicta fuerat Eliæ, duplex in Eliſeo facta eſt.* Et infra ſub compendio ſic refert præcipua S. Eliſei miracula ſedecim. Abulenſis in caput 2. libri 4. Regum quæſt. 31. *Eliſeus poſt raptum Eliæ fuit Princeps Prophetarum, & habitabat in illis locis diſcurrendo per collegia iſta Prophetarum, ſicut Elias* . . . *& ſic fuit tota vita ſua diſcurrendo per diverſa loca, viſitando viros religioſos, quorum pater & princeps ipſe erat.* Et in caput XVI. Evangelii S. Matthæi quæſt. 46. agens de miraculis S. Eliſei: *Præter Moyſem,* inquit, *videtur Eliſeus eſſe major omnibus Prophetis in miraculis, imo & multi putabant eum fuiſſe majorem Moyſe in miraculis, quia mortuos ſuſcitavit duos, quod Moyſes non fecit, quarto Regum quarto, & decimo tertio.* Et eadem repetit quæſt. 50. cujus titulus eſt: *Nullus Prophetarum veteris Teſtamenti, tot tantaq; miracula patravit, ſicut Eliſeus.* Ibidem addit: *In cæteris etiam miraculis magis Chriſtus ſimulabatur Eliſeo, quàm cæteris, licèt eum incomparabiliter Chriſtus excederet, quia fecit opera, quæ nemo alius fecit. Ioann. 15. Ideò putari poterat Eliſeus.* Chriſtum autem exiſtimatum fuiſſe à nonnullis eſſe Eliſeum, tradunt Author Scholaſticæ hiſtoriæ, & alii circa illa Matthæi verba: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis,* &c.? *Aut unum ex Prophetis:* per quod veriſimiliter denotatur Eliſeus.

Rupertus ejuſdem miracula 16. refert.

Tertullianus verſibus tradit decora S. Eliſei:

1842. Tertullianus ex primis poſt Apoſtolica tempora Scriptoribus Chriſtianis hic agmen claudat. Is igitur libro 3. adverſus Marcionem de concordia Patrum veteris & novi Teſtamenti, præcipua aliquot S. Eliſei miracula iſtis complectitur verſibus:

Hujus diſcipulus, fortis ſucceſſor Heliſeus,
Qui duplicem Heliæ petiit ſibi ſumere ſortem:
Ad caſtigandam violento verbere plebem,
Tantum pro Domino & talem ſpiravit amorem.
Iordane percuſſo, pedibus via facta regreſſus,
Demerſam fluvio revelavit virga ſecurim;
Mortiferumque cibum in vitalem tranſtulit eſcam,
Detinuit pluvias; iterato tempore duplo;
Mundavitque lepras; hoſtes caligine cepit.
Cujus poſt obitum jam condita membra ſepulchro,
Abjectus quidam, mactatus cæde latronum,
Mortuus, ut tetigit, revocatâ luce revixit.

Circa illa verba: *Detinuit pluvias iteratò tempore duplo:* Hæc annotat Jacobus Pamèlius: *Iſtud quod Eliſeo inter cætera tribuit Auctor, non reperitur in Bibliis, niſi obſcure ex conſequenti, cum enim defectu roris & pluviarum juſſu Eliæ facta fuerit fames annis tribus & menſibus ſex. ut legitur 4. Reg. 8, prædicta fames ſeptem annorum ab Eliſeo, (quod tempus duplum nuncupat Auctor) fuit in ea ſententia Auctor, quod hæc fames orta ſit ex eo, quod etiam Eliſeus pluvias iterato detinuerit.* Aliorum Patrum, & Scriptorum authoritates in decurſu vitæ paſſim adferentur.

CAPVT II.

S. Eliſei patria: vocatio ad Propheticum Religioſum Inſtitutum.

1843. ELISEI vocabulum ſignificat *Salus Domini,* ex futuri præſagio impoſitum, ut ſcribit S. Iſidorus, & Cornelius à Lapide in caput 2. libri 4. Regum: *Eliſeus,* inquit, *Hebraice idem eſt quod ſalus Dei, vel Deus Salvator. Ita ex Beda Eucherius & Angelomus.* Patria ejus, patriſque nomen, & inſignis vocatio, ac ſequela ad Propheticum Religioſum Inſtitutum deſcribitur cap. 19. libri 3. Regum his verbis: *Eliſeum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, unges Prophetam pro te,* id eſt, *in ſucceſſorem tuum,* ſeu Præpoſitum Prophetarum & Collegiorum ipſorum, ut habetur ex Abulenſi.(a) Igitur Pater S. Eliſei fuit *Saphat* vir locuples, utpotè qui habebat duodecim juga boum, iiſque per duodecim aratores ager ingens coleretur unà cum multis aliis operariis, qui ſufficerent pro conſumptione duorum boum. Boves autē iſtos fuiſſe ipſius, aut filii ejus Eliſei patet ex eo, quod ex eis duos mactaverit pro epulo, quo ſuis valedixit. De tribu fuiſſe Ruben, & in ejus ortu prodigium vituli aurei mugitum ingentem, qui uſque Ieroſolymam audiretur, & quid per eum denotaretur, tradunt Epiphanius, S. Iſidorus jam relati, & S. Aldelmus Saxonum Epiſcopus lib. de laudibus virginit. cap. 10. *In cujus exortu aurea quadrupes in Galgalis Bomboſa vocis mugitum reboaſſe deſcribitur, ſignificans idololatria lapſum, & ſimulacrorum ceremonias explodendas.* Et Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ in Librum 3. Regum cap. 36. *Nato,* inquit, *Eliſeo in Galgalis, imago de vitulis aureis mugiit. Quo audito in Ieruſalem, ait ſacerdos. Propheta natus eſt in Iſrael, qui ſculptilia eorum deſtruet & fuſilia.* Et ita contigit, maximè quandò fanum Baal fuit deſtructum, ſtatua comminuta, & igni tradita, omneſque idolorum ſacrificuli trucidati per Jehu, eum in finem per unum à S. Eliſeo miſſum unctum in Regem Iſrael prout infrà cap. 10. Nonnulli exiſtimant eum fuiſſe de tribu Manaſſe; ex eo quod juxta Adrichomium *Abelmeula* urbs undè oriundus, ſita ſit cis Jordanem in Tribu Manaſſe. S. Epiphanius nuncupat *Abelmuth,* & S. Iſidorus *Amelmoth.*

Eliſeus idem quod ſalus Domini.

(a) 4. Reg. 2. quæſt. 11.

Prodigium in ortu ejus.

XIV. Junii.

Eliſei vocatio & ſequela ad Religioſam vitam.

1844. Aliquantò poſt ſequitur in ſacro Textu: *Profectus ergo inde Elias, reperit Eliſeum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum. Et ipſe in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumq; veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitque ei: Vade, & revertere; quod enim meum erat, feci tibi. Reverſus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: conſurgenſque abiit, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.* Elias itaque vocans Eliſeum ad ſe ſequendum, cumque ſui Inſtituti participem faciens *miſit pallium ſuum ſuper illum*, ſicuti etiam nunc Novitiis datur veſtis ejuſdem Ordinis. Hâc ergo cæremoniâ inſtitutus eſt Eliſeus ſocius & ſucceſſor Eliæ, ejuſque cor omninò à Deo immutatum eſt, atque ex laico factus eſt Religioſus, ex agricola Propheta, ex idiota theodidactos. Undè ſtatim reliquit boves, domum, parentes, & ſecutus eſt Eliam. Addit Sanchez eum fuiſſe unctum ab Elia: hoc enim juſſerat Deus. (a) *Unctio*, inquit, *Eliſeum fecit Prophetam*, (ſic enim ungi ſolebant) *pallium autem, Eliæ contubernalem, & Monachum.* Ita etiam Cornelius in illum Textum. En vocationis. & ſequelæ ad Dei famulatum, & religioſum ſtatum, perfectiſſimum exemplum, dum ad unius Eliæ vocem illicò, magna cum alacritate, & ſtrenuo animo omnia prorſus relinqueret, & ſic ab omnibus mundi rebus, ac impedimentis ſequeſtratus pauper ad Dei famulatum properaret, & religioſum Inſtitutum amplecteretur. Recordatus vero parentum ſuorum, à quibus inſalùtatis diſcedere inurbanum videbatur, ait ad Eliam: *Oſculer obſecro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te.* Cumque juſta & humilis eſſet poſtulatio, annuit Propheta dicens: *Vade, & revertere* (intellige ad ſalutandos parentes.)

exemplar perfectiſſ. Religioſis omnibus:

(a) 3. Reg. 19. v. 16.

Convivium ejus nuptiale & funebre.

1845. *Reverſus autem tulit par boum, & mactavit illud* &c. fecitque convivium nuptiale, & funebre: convivium enim fieri ſolet, aut cum aliquid accidit fortunatum, & lætum, ut in triumpho, & nuptiis, aut in feriis parentalibus, cùm vita jam functis juſta perſolvimus. Hæc duo videri poſſunt novo Prophetæ ac Monacho contigiſſe. Iniit enim nuptias feliciſſimas cum Deo, quem ex omnibus ſponſum elegit, quia, utpotè Propheta, jam cum illo familiarem, atque intimum convictum habiturus eſt. Atque ideò exhibere voluit aliis nuptiale, & verè geniale convivium. Quod etiam facere debuit alio nomine; quia qui religioſum ingreditur ſtadium, quod homines expeditos deſiderat, & nudos à ſæculari pondere, ille ſi ſui inſtituti rationem, & quid exigat illa nova vivendi forma, cognoverit, mortuum ſe putabit, & mundo, & ſibi. Ita Sanchez (b). Quod autem S. Eliſeus iſtam voluntariam omnium rerum abdicationem etiam voto firmaverit, indicare videtur S. Hieronymus Epiſtola ad Lucinium: *Eliſeus boves & juga priorum operum vertit in vota.* Et Hugo Cardinalis in cap. 9. Lucæ: *Eliſeus in aratro coxit carnes, mactavit boves, id eſt, Religionis votum fecit.* Sed de votis S. Eliſei plura alibi. (a) De ejus perfecta renuntiatione omnium mundanorum, & paupertate voluntaria plura dicentur hic infrà, in *Manipulo virtutum ejus* cap. 1.

(b) In cap. 19 lib. 3. Reg. v. 21.

(a) Tomo præced. n. 1376. & ſeq.

CAPUT III.

S. Eliſeus individuus S. Eliæ comes duplicem illius ſpiritum poſtulat, & accipit: Iordanem diviſum ſicco pede pertranſit: Ut ſuperior & Magiſtri ſui ſucceſſor honoratur.

Eliſeus commeat cum Elia ad hortantem.

1846. I*Bant Elias & Eliſeus de Galgalis. Dixitque Elias ad Eliſeum: Sede hìc, quia Dominus miſit me uſque in Bethel. Cui ait Eliſeus: Vivit Dominus, & vivit anima mea, quia non derelinquam te.* Cùm enim Elias noſſet abeundum ſibi eſſe ex hominum convictu, & hoc aſcenſu quodam admirabili, ac novo, voluit illum non ſolum Prophetis aliis, quos ille tanquam filios ad omnem pietatem inſtituerat, ſed etiam Eliſeo, quo magis utebatur familiariter, eſſe celatum; ſcilicet ex modeſtia, & humilitate dixit illi (tertiò idipſum repetendo) *Sede hic*, hoc eſt, mane hìc: quod dixit non tam præcipiendo, quàm hortando. At Eliſeus, qui jam ante noverat, quid de parentis aſcenſu Deus ſtatuiſſet, ſicut etiam alii Prophetæ, Deo revelante, didicerant: prudenter (etiam ter) negat diſcedere ab Eliæ Magiſtri, & patris ſui latere, ut ejus benedictionis fieret particeps, & zeli, ac duplicis ſpiritus hæres. Itaque cùm jam ex Carmelo, ubi Elias Filios Prophetarum conſolatus fuerat, & eis valedixerat ob eandem cauſam veniſſent in Galgala, tùm in Bethel, ac denique in Jericho, indè ierunt ambo pariter versùs Jordanem eos inſequentibus quinquaginta ex Filiis Prophetarum Jerichuntinis (quô magnum illud Collegium fuiſſe denotatur) à longè tamen ſtantibus, ut viderent finem. Et cùm ad Jordanis ripam perveniſſent, & ibi nec pons eſſet ad tranſeundum, nec navicula ad transfretandum, tulit Elias pallium ſuum, & percuſſit aquas, quæ diviſæ fuerunt in duas partes, & ſic tranſierunt per ſiccum.

Petit & obtinet duplicem Eliæ ſpiritum.

1847. Cumque tranſiiſſent, jamque proximè ſui raptum inſtare cognoviſſet Elias, dixit Eliſeo: *Poſtula quod vis, ut faciam tibi*, ſcilicet in veteris amicitiæ ſignum, & ſubſidium, cui Eliſeus: *Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ad quod Elias: *Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiiſti.* Sequitur in Sacra

Hiſto-

XIV. Iunii.

Hiſtoria: *Eliſeus autem videbat.* Itaque juxta promiſſum Eliæ, ejus duplicem ſpiritum accepit Eliſeus, ſpiritum videlicet prophetiæ, & miraculorum. Ita S. Thomas lib. 4. contra gentes, Angelomus, Liranus, & paſſim Interpretes: idque confirmant iſta Eccleſiaſtici

(a) cap. 48. v. 13 (a) verba: *In Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus:* id eſt, Eliſeus repletus eſt ſpiritu Eliæ. Quidam veriſimiliter per *duplicem ſpiritum* intelligunt *duplo majorem*, ſic ut duplo major ſpiritus fuerit in Eliſeo, quàm in Elia, videlicet quoad numerum miraculorum (qui à variis duplo plura ab Eliſeo patrata leguntur) non quoad magnitudinem meritorum.

Quis ſit duplex ſpiritus.

Hinc Petrus Damianus Serm. 2. de nativitate S. Joannis Baptiſtæ: *In Eliſeo*, inquit, *fuit duplex Eliæ ſpiritus, non meritorum cumulo, ſed exhibitione miraculorum.* Ad hoc propoſitum S. Ambroſius Sermone 87. *Rectè autem*, inquit, *Eliſeus Eliæ ſpiritualis filius dicitur, qui aſcendens ad cælum, ſpiritum duplicem ei ſua gratia dereliquit. Cum enim data eſſet facultas Eliſeo, ut peteret quid vellet, priuſquàm ab eo reciperetur Elias, petivit, ut duplex ſpiritus Eliæ fieret in ipſo. Tunc dixit Elias, durè petiiſti, ſed fiet tibi. O hæreditas pretioſa, in qua plus hæredi relinquitur, quàm habetur, plus conſequitur qui accipit, quàm poſſideret qui largitur. Pretioſa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Elias, cum ſimplicem ſanctitatis ipſe haberet ſpiritum, Eliſeo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimiſit in terris, quam ſecum portavit ad cælos: & licet ipſe ad altiora totus transfertur corpore, apud filium tamen majore manet ſanctitate.* S. Bernardus Serm. 1. de Pentecoſte duplicem ſpiritum ſic interpretatur: *Duplicavit ſpiritum viſio abeuntis, cum evidenter raptus in cælum, univerſa pariter ejus deſideria ſecum tulit, ut inciperet ipſe quoque jam ſapere quæ surſum ſunt, non quæ ſuper terram.*

Pallio Eliæ percutit & dividit Iordanem.

1848. Poſt aſcenſum Eliæ apprehendens Eliſeus veſtimenta ſua, ſcidit in duas partes, ut pium pro parente ſublato oſtenderet affectum, & dolorem. Is tunc mos erat: ſic cap. 1. libri 2. Regum legitur David auditâ morte Saulis, & Jonathæ, ſcidiſſe veſtimenta ſua. *Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei, reverſuſque, ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ, & dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc atque illuc, & tranſiit Eliſeus.* Non fortuitò cecidit Eliæ pallium, quaſi illud in diſceſſu aſcenſuque ignei currus, minus ſervaſſet Propheta diligenter, ſed magno Dei conſilio, ut pignus haberet Eliſeus dati ſibi ſpiritus, & quoties pallium videret Eliæ, parentis ſui ſubiret memoria, & ſeipſum ad illius exprimendam imaginem incitaret. Quod optimum religioſis hominibus documentum eſt; qui, ubi primum religioſum inſtitutum amplexi ſunt, ſuos debent mores prorſus exuere, & illos in ſeipſis ad vivum exprimere, quos informant illi, quorum geſtant habitum, & quos habent in novo vivendi genere duces & magiſtros. Ita Sanchez in illum locum. Latiùs illa proſequitur Abulenſis. Quòd autem ad primam percuſſionem aquæ Jordanis non fuerint diviſæ, has adferunt rationes Abulenſis, Cajetanus, & Cornelius, ne Eliſeus ex patrato miraculo ſe extolleret de novo ſuo ſpiritu, ſed per preces ad Deum recurreret: & ut ſciret ſe hanc aquarum diviſionem, cæteraque miracula ſecutura, non ſuis, ſed Eliæ meritis obtinere. Conſiderans S. Chryſoſtomus hiſtoriam præfatam, admiratur quòd Deus non Sanctis ſolùm, & eorum verbis, ſed etiam indumentis vim miraculorum quodammodo largitus ſit. *Elia*, inquit, *melote Iordanem diviſit, Eliſeum duplicem Eliam fecit*, &c. *O quanta Sanctorum virtus! Non tantùm ipſorum verba, & corpora, ſed & ipſa indumenta creaturæ omni undique ſunt venerabilia.*

Veſtis S. Eliæ vim habens ad miracula.

1849. *Videntes autem Filii Prophetarum, qui erant in Iericho è contra, dixerunt: requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Et venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Videbant enim eum Eliæ palliô veſtitum, & per illud duplici miraculo, (diviſionis aquarum, & ſubitæ exſiccationis in fundo) Jordanem tranſiviſſe; indè cognoſcentes parentis ſpiritum conſediſſe in ſuo, ipſum loco Eliæ in magiſtrum, Patrem ſpiritualem, & Superiorem recipientes ad terram venerabundi ſe proſtraverunt, magna reverentia ipſum adorantes adoratione Duliæ, ut inquit Abulenſis. Ex affectu autem & amore filiali erga Eliam dixerunt Eliſeo: *Ecce, cum ſervis tuis ſunt quinquaginta viri fortes, qui poſſunt ire, & quærere dominum tuum, ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait, nolite mittere.* Cùmque ſæpiùs ab Eliſeo repulſi, urgerent tamen, acquievit illorum precibus Eliſeus, neque labor ille tantus aliquid attulit præter laſſitudinem & moleſtiam.

S. Eliſeus loco Eliæ fit Superior filiorum Prophetarum.

CAPUT IV.

Aquæ Iericho peſſimæ, ſale emendatæ: pueri S. Prophetam irridentes ab urſis lacerati.

1850. JUxta, aut intra Jericho erat Collegium Prophetarum, diſcipulorum S. Eliæ, undè ipſe denique digreſſus fuerat, & poſt eum quinquaginta iſtius Collegii, qui viderunt miraculum patratum ab Eliſeo in tranſitu Jordanis, & indè colligebant ſpiritum Eliæ requieviſſe in Eliſeo, hinc dixerunt ipſi: *Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis;* precantes ſcilicet, ut communi ſaluti provideret. Ille autem illorum ſortem miſeratus, opem allaturus: *Afferte* (inquit) *mihi vas novum, & mittite in illud ſal*, ut vel ſic manifeſtius miraculum appareret. Quod cum attuliſſent, *egreſſus*

Aquas malas ſalubres reddit injecto ſale.

XIV. Iunii.

ad fontem aquarum, quæ peſſimæ erant, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſq; in diem hanc juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt. Duo hîc miracula, illaque vehementer admiranda conſpicimus, inquit Sanchez, alterum ſale immiſſo ſalſuginoſum agrum, & falſam aquam temporis momento ſanari, & illum reddi uberem, & gratum, hanc dulcem & ſalubrem: alterum modico ſale occultas aquarum ſcatebras, quæ in ipſis terræ viſceribus erant abſtruſæ, quæ poſt multos dies, imò & poſt ætates multas, nunc etiam profluunt, eam accepiſſe virtutem, ut ab agris ſqualorem, & maciem, & à corporibus faſtidioſam amariciem, & ægritudinem expellant. Cæremoniam iſtam imitatur Eccleſia in aquæ luſtralis benedictione, in qua ſub initium fit mentio S. Eliſei: *Exorcizo te creatura ſalis per Deum, qui te per Eliſeum in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ.* De iſto fonte per S. Eliſeum dulcorato iſta refert Maſius in caput 2. Joſuæ: *In pede ejus montis, qui ab occidente Jerichunthi propè adjacet; vulgus Quarantanam vocat, à Chriſtianis data appellatione propter dies 40. quos in eo Chriſtus memorabili illo jejunio conſecravit: in ejus, inquam, montis pede, qua parte orientem ſpectat, ſcaturit fons ille ab Eliſeo nobilitatus, mutatis aquis deterrimis in ſalubres.* Et Magalianus in Joſuæ cap. 18. annot. 1. *Fons Eliſei è radice montis Quarantanæ ſcaturiens in fluvium augeſcit, amœniſſimum, & tàm copioſum, ut teſte Brocardo juxta Galgala magna impellat molendina. Hujus aquas inſalubres ante & amaras exoratus Eliſeus à Hierichuntinis laganam fictilem ſalis plenam in amnem infundens ſalubres reddidit.*

Eam cæremoniam imitatur Eccleſia.

1851. *Aſcendit autem inde in Bethel*; videlicet ad conſolandum Filios Prophetarum de receſſu ſui ſpiritualis patris, & magiſtri. Ita Liranus, Carthuſianus, & alii circa illum textum: Sicut Elias, inquit Sanctius etiam ibi, cum diſceſſurus eſſet, diſcipulorum ſuorum conventus luſtravit, Iericho videlicet, & Bethel, ut vidimus nuper; ſic etiam eadem luſtrare collegia voluit Eliſeus, tùm ut ſuo conſpectu ſolaretur dolorem, quem filii de parentis Eliæ protectione conceperant, tùm etiam, ut doceret, licèt Elias eò eſſet ablatus, undè non eſſet iterum reverſurus, non tamen defuturum, qui in ejùs locum & curam ſuccederet. Cùm igitur veniſſet primum Iericho, quæ propior erat Iordani fluvio, quem Eliæ proximè pallio diviſerat, ſtatim profectus eſt in Bethel, ut ſuam de illius conventus inſtitutione ſollicitudinem oſtenderet, & in ſuſcepta vivendi ratione confirmaret.

Filios Prophetarum viſitat.

1852. *Cumque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calve, aſcende calve. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* S. Auguſtinus in Dominicam quartam poſt Feſtum SS. Trinitatis Sermone 3. (qui inter ſermones de tempore eſt 204.) præclarè (ſuo more) diſſerit de iſta hiſtoria puerorum ab urſis dilaceratorum, undè quædam huc tranſtuliſſe, nec inutile, nec injucundum erit Lectoribus, quippè quæ & doctrinis mentem, & raris hiſtoriis oblectant. Scribit igitur: *Cùm divina lectio legeretur, audivimus, quod prætereunte Beato Eliſeo pueri irridentes clamaverunt, Aſcende calve. Ob quam rem, orante Eliſeo, egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt quadraginta duos pueros. Inimici Dei & hoſtes animæ ſuæ immundiſſimi Manichæi, qui Scripturam veteris Teſtamenti non ſolum recipere nolunt, ſed etiam rabido ore blaſphemare præſumunt, ſolent dicere: quæ fuit tanta crudelitas in Eliſeo, ut propter jocularia verba infantum, quadraginta duos pueros fecerit lacerari? Et ideò qualiter eorum inſaniæ reſpondendum ſit, breviter charitati veſtræ ſuggeremus. Tempore illo, quo B. Eliſeus in Iudæa fuit, tàm ille quàm reliqui Prophetæ, non ſolum non honorabantur ex maxima parte populi, ſed etiam irriſui & opprobrio habebantur, & velut inſani atq; arreptitii credebantur: in tantum ut eo tempore quo B. Eliſeus unum de filiis Prophetarum mitteret, ut Iehu ungeret in regem, principes qui ſedebant cum Iehu, dixerunt: Quid ad te venit inſanus iſte? Prophetam Domini videbant, & eum eſſe arreptitium blaſphemabant. Nam in illo tempore ſancti Prophetæ ita in grandi contemptu & opprobrio habebantur, ut etiam B. Eliſeo, qui tanta miracula faciebat, ſicut ſupra diximus, pueri indiſciplinati clamarent, Aſcende calve, aſcende calve. Quam rem etiam parentibus ſuis inſtigantibus feciſſe credendi ſunt. Manifeſtè pueri illi non clamarent, ſi hoc eorum parentibus diſpliceret. Dolens ergo B. Eliſeus de interitu populi, imò ſanctus Spiritus per B. Eliſeum volens reprimere ſuperbiam Iudæorum, fecit venire duos urſos, & laceraverunt quadraginta duos pueros; ut percuſſis parvulis majores reciperent diſciplinam, & mors filiorum fieret diſciplina parentum, & Prophetam quem mirabilia facientem nolebant amare, diſcerent vel timere.*

Maledicit pueris.

Qui ab urſis devorantur.

Id factum ex Dei zelo, non ex vindicta.

1853. Hactenùs ſanctus Auguſtinus, & aliquantò poſt: *Nemo ergo B. Eliſeo ore vipereo derogare præſumat, quia hoc, quod de pueris illis factum eſt, non tàm ipſe propria virtute, quàm per illum Spiritus ſanctus feciſſe credendus eſt. Sed hoc, ſicut dixi, pro grandi pietate, & ineffabili miſericordia factum eſt, ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Iudæi nolebant credere, vel cum ſeveritate vindictam irrogatam metuerent, & timentes mortem corporum vel ſic ſalutem requirerent animarum. Quam rem non ſolum in veteri teſtamento, ſed etiam in novo per B. Petrum Apoſtolum in Anania & Saphyra legimus fuiſſe completam. Quos ideò Petri ſententia damnavit, ut nullus in oblationibus vel muneribus ſuis Spiritui ſancto mentiri præſumat. Et quidem, Fratres chariſſimi, ſecundùm literam ita credendum eſt, ut ſuprà ſuggeſſimus, quod B. Eliſeus non iracundiæ morbo commotus, ſed zelo Dei ſuccenſus, ad corrigendum populum Iudæorum parvulos permiſit lacerari, non ut vindicaret, ſed potius ut illos*

corri-

XIV. Junii.

corrigeret; tamen in hoc facto etiam Paſſio Domini Salvatoris præfigurata fuiſſe, evidenter oſtenditur. Conſequenter ibi S. Auguſtinus declarat hiſtoriam illam fuiſſe typum Paſſionis Chriſti: cui acclamabant Judæi, *Crucifige, crucifige,* ſicuti hic Eliſeo *Aſcende calve, aſcende calve.* Et poſt quadraginta duos annos à Paſſione Domini venerunt Titus, & Veſpaſianus præſignati per duos urſos. *In hiſtoriis legimus, quod tunc tricies centena millia hominum ex Iudæa Ieroſolymis fuerint congregata. ex quibus ferro & fame undecies centena millia leguntur eſſe conſumpta, & centum millia juvenum Romam perducti ſunt in triumphum. Duobus enim annis obſeſſa eſt civitas illa, & tanta multitudo mortuorum de civitate projecta eſt, ut muris ipſa cadavera coæquarentur. Iſtam ergo vaſtationem figurabant illi duo urſi.* (ſcilicet Titus, & Veſpaſianus, qui veniebant de ſylva gentium.) Ita quoque paſſim alii Patres, & Interpretes, de figurata ibi Paſſione Chriſti.

Hiſtoria illa figura Paſſionis Chriſti.

1854. S. Juſtinus quæſtione 80. ad Orthodoxos, & cum eo Cornelius à Lapide in illum locum, & alii, convitium illud puerile *Aſcende calve,* ſic explicant: Aſcende in aërem, ſicut aſcendit magiſter tuus Elias: rapiat & auferat te malus aliquis genius in auras, uti abſtulit Eliam magiſtrum tuum: ſequere diſcipulus magiſtrum, ut nobis deſinas eſſe moleſtus; nec amplius nos ob cultum vituli aurei caſtiges & objurges. *Deus* igitur, inquit S. Juſtinus ibidem *puerorum clade parentes flagellavit, ac ſimul poſteros monuit, ut in vero Dei cultu, modeſtia & probitate filios ſuos educent, ne ſimiliter caſtigentur.* Conformiter iſtis ſcribit Joannes Jeroſolymitanus in Libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 26. *Videntur igitur pueri iſti Eliſeum deriſiſſe, & calvum vocaviſſe, non quòd pili de capite fluxiſſent; tales enim in urbe, & in toto Samariæ non deerant, ſed quod raſus & tonſus eſſet, hoc eſt, quod vir Dei eſſet, & Propheta.* Inquit Lezana(a) ex Petro Bertio Gallo Geographo Regio. Conformiter ſcribit idem Cornelius ibidem videlicet nonnullos exiſtimare, Eliſeum non naturâ vel ætate & ſenio, ſed pro Religioſorum & Nazaræorum ritu caput raſiſſe, ideoque fuiſſe calvum, id eſt, raſum. Sicut illius illorumque veterum exemplo in nova Lege Pontifices, Sacerdotes & Monachi per tonſuram Eccleſiaſticam orbiculariter raſo, & quaſi calvo ſunt capite, tùm ut Chriſti coronam ſpineam repræſentent, tùm ut mundo valedicentes, totos ſe Deo dedicent, ut olim fecêre Nazaræi: ab eis enim tonſuram hanc acceptam eſſe tradit S. Iſidor. lib. de divin. officiis in conc. Aquiſgran. c. 1. quem audi: *Tonſura Eccleſiaſtica uſus à Nazaræis, ni fallor, exortus eſt: qui prius crine ſervato, denuò poſt vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificii ponere jubebantur, ſcilicet ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent.* Quod S. Eliſeus Nazaræus fuerit, disertè aſtruit, ſed alio ſenſu S. Hieronymus in caput 7. Ezechielis: *Eliſeus licet corporis calvitiem haberet: tamen quia Nazaræus erat, cincinnis capitis fruebatur.*

(a) Tomo 1. Annal. ad an mundi 3139. n. 17.

Eliſeus an calvus raſurâ.

Tonſura clericalis antiquiſſ. uſus.

1855. *Abiit autem indè* (ex Bethel) *in montem Carmeli,* Filios Prophetarum ibi commorantes viſitaturus, & conſolaturus. *Abiit inde Eliſeus,* ſcribit Joannes Jeroſolymitanus (a) *in montem Carmeli viſitans & conſolans filios Prophetarum habitantes ibi. Apud quos tunc non diu manſit, quia deſiderabat priùs cæteros filios Prophetarum viſitare, & tandem in montem Carmeli redire. Pergens ergo indè Samariam viſitavit filios Prophetarum illic habitantes;* cum enim in locum S. Eliæ ſuffectus omnium filiorum Prophetarum generalis eſſet Superior, ſicuti S. Elias proximè ante ſuum raptum eos hortaturus, & conſolaturus per præcipua aliquot Collegia obivit, ſic idem tunc, & ſæpiùs aliàs fecit S. Eliſeus.

(a) de Inſt. Monach. cap. 26.

Cur in Carmelum abierit.

CAPVT V.

Per S. Eliſeum exercitui aqua mirabiliter præſtita: victoria de rege Moab promiſſa: viduæ pauperculæ multiplicatum oleum.

1856. MOabitarum Rex ex ſuis gregibus, quos habebat numeroſiſſimos, ex pacto debebat Regi Iſrael annuè centum millia arietum, & centum millia agnorum. Meſa autem Rex Moab antiquum fœdus prævaricatus, tributum reddere recuſavit. Igitur Joram Rex Iſrael bellum adornans, belli ſocium advocat Joſaphat Regem Juda: qui in auxilium venit unà cum Rege Edom. *Perrexerunt igitur, Rex Iſrael, & Rex Iuda, & Rex Edom, & circuierunt per viam ſeptem dierum, nec erat aqua exercitui, & jumentis, quæ ſequebantur eos. Dixitque Rex Iſrael: Heu, heu, heu, congregavit nos Dominus tres Reges, ut traderet in manus Moab.* Igitur cùm pergerent tres Reges per deſertum, aquâ exercitui, & jumentis deficiente, graviter regios animos angebant cura, & ineluctabilis infortunii incuſſa formido. Joſaphat autem Rex pius, & bonus ad Dominum duxit confugiendum, propterea ait: *Eſtne hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum?* Et reſpondit unus de ſervis Regis Iſrael: *Eſt hic Eliſeus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ,* id eſt, diſcipulus, & quaſi miniſter Eliæ. Divino autem conſilio actum erat, ut reges hoſce ſequeretur Eliſeus ex Samaria, quò venerat, & undè exercitus movebatur. Tunc ait Joſaphat: *eſt apud eum ſermo Domini.* Tres ergo Reges ad Eliſeum in loco, quo erat, acceſſerunt; nec enim eum ad ſe imperio vocarunt. *Dixit autem Eliſeus ad Regem Iſrael* (filium videlicet Iezabelis, & Achab impiorũ) *Quid mihi & tibi eſt?* Ac ſi diceret: Quid mihi & tibi commune, qui Pſeudo-Prophetas conſulere ſoles? *Vade ad Prophetas patris tui, &*

Reges tres ad bellum procedunt.

Eos ſequitur Eliſeus.

XIV. IUNII.

Qui durè increpat Regem Iſrael idololatram.

matris tuæ, tacitè videlicet eum corripiens, quod futilem & inanem ipſorum religionem ſectaretur.

1857. Pergit nihilominùs Joramus, propter præſentem neceſſitatem, objurgationem Prophetæ diſſimulans, & dixit: *Quare congregavit Dominus tres Reges hos, ut traderet eos in manus Moab? Dixitq, ad eum Eliſeus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto* (quem ut mihi præſentem ſemper in mente habeo, revereor, colo & amo æquè, ac magiſter meus Elias, à quo hoc didici.) *Quod ſi non vultum Ioſaphat Regis Iuda* (qui mecum Deum verum colit) *erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. Nunc autem adducite mihi pſaltem. Cùmq, caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Juſſit Eliſeus adduci Pſaltem, Levitam ſcilicet, qui modò à Religioſo cœtu in Eccleſia uſitato, inquit Sanchez, Pſalmos caneret Davidicos, & ſic ſuavi illo ſono ad devotionem excitaretur, & ad excipiendum divinum afflatum diſponeretur. *Vox enim Pſalmodiæ* ſcribit S. Gregorius(a) agens de illo S. Eliſei facto, *cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ myſteria, vel compunctionis gratiam infundat.* Canente igitur Pſalte animus Eliſei recollectus, & ad rerum cæleſtium contemplationem excitatus atque de futura abundantia aquarum, & de victoria illuſtratus fuit.

Cur pſaltem juſſerit adduci.

(a) Hom. 1. in Ezech.

1858. *Et ait* (Eliſeus): *Hæc dicit Dominus: facite alveum torrentis hujus foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familia veſtra, & jumenta veſtra. Parumque eſt hoc in conſpectu Domini: inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. Et percutietis omnem urbem electam, & univerſum lignum fructiferum ſuccidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Iſta omnia mox adimpleta fuerunt; nam ſtatim in locis profundioribus, ubi aliquandò fuerat torrens, ſed exſiccatus erat, fecerunt multas profundas & latas foſſas, & ſcrobes. *Factum eſt igitur manè, quandò ſacrificium offerri ſolet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis.* Sequenti igitur die ſub lucem, ecce ſubitò copia aquarum replentium torrentis alveum, & foſſas illas, cum nec imber appareret ullus, nec ventus pluviam adducens, nec aliud undè illa aquarum vis provenire poſſet. Atque ita depulſa ſitis, refecta corpora, & confirmati animi ſpe victoriæ, quæ mox ſecuta eſt, & cæſi Moabitæ, deſtructæ & ſubverſæ earum urbes, vaſtati agri, & lapidibus obruti, ſuccisæ arbores, & fontes obturati. Poſt illam Moabitis illatam cladem, S. Eliſeus regreſſus eſt in Samariam, ſatagens, & ſperans ſenſim ad meliorem frugem reducendum Joramum Regem, ejuſque populum.

Exercitui ſiti laboranti mirabiliter providet de aqua.

1859. Intereà *mulier autem quadam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſeum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſervus tuus fuit timens Dominum: Et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi.* (uſitatum enim erat apud Hebræos, ut filii pro parentum debitis venderentur, aut à creditoribus ſumerentur ut ſervi) cui dixit Eliſeus, ipſius nempè calamitatis miſertus: *Quid vis ut faciam tibi? dic mihi: quid habes in domo tua?* illâ autem reſpondente, nihil habere niſi parum olei, quo ungeretur, id eſt, quo ungi poſſet, ait Eliſeus: *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca, & ingredere, & claude oſtium tuum: cum intrinſecus fueris tu, & filii tui, & mitte inde in omnia vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles. Ivit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos, illi offerebant vaſa, & illa infundebat. Cum itaque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: affer mihi adhuc vas: & ille, non habeo: ſtetitque oleum.* Nunciavit poſt hæc Eliſeo ea, quæ acciderant, & ille: *Vade,* inquit, *vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem, & filii tui vivite de reliquo.*

Viduæ egenæ ſuccurrit oleo multiplicato.

1860. Joſephus libro 9. Antiquitatum cap. 2. & cæteri Hebræi, Theodoretus, Liranus, Abulenſis, & alii tradunt, hanc mulierem fuiſſe uxorem Abdiæ diſpenſatoris Achab. 3. Reg. 18. 3. illamque hoc beneficium & miraculum multiplicati olei obtinuiſſe ab Eliſeo, ob merita & eleemoſynas mariti ſui, qui in perſecutione Jezabelis abſconderat & aluerat centum Prophetas Domini. Atque ita domus ejus erat miſericordiæ quædam officina, in alendis tot Prophetis eô tempore quô non tantùm populus gravi laborabat fame, ſed etiam viris lautis & copioſis alimenta deficiebant; quando & Jezabel Prophetas incredibili ſtudio expetebat ad mortem. Quare neceſſè fuit, ut Abdias maximos fecerit ſumptus in alendis, maxima diſcrimina in occultandis, ſervandiſque Prophetis adierit. Qua fortaſſe de cauſa tantum æris contraxit, quanto poſteà ſolvendo non fuit. Propter quod nunc vidua à creditoribus urgetur. Sed Deus liberalitatẽ liberalitate remuneravit, ac in miſericordes ſummè miſericors eſt, juxta illud: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Ita Cornelius à Lapide in illum locum. De iſto Abdia plura videri poterunt tomo præcedenti (a).

Erat iſta vidua Abdiæ.

(a) num. [illegible] & ſeq. & 159.

CAPUT VI.

Sunamitidi ſterili filius impetratus; idemque poſteà à mortuis reſuſcitatus.

1861. *TRanſibat Eliſeus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem. Quæ dixit ad virum ſuum: Animadverto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum,* ut

Suna urbs vicina Carmelo.

XIV. Junii.

ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Suna urbs ſita erat in tribu Iſſachar, haud longè à Carmelo, quam frequenter adibat S. Eliſeus, iter faciens de Carmelo in Jericho, aut Bethel, aut Galgala inviſens collegia Prophetarum (inquit Salianus) cùm enim ſucceſſiſſet S. Eliæ Principi, & Magiſtro, ac Superiori Filiorum Prophetarum, ex officio illi incumbebat ipſorum viſitatio. Quod autem Suna haud longè à Carmelo abeſſet, colligunt Tirinus, & alii ex verſu 23. capitis quarti libri 4. Regum: ubi inſinuatur uſitatum fuiſſe perſonis piis & ſalvâ religione licuiſſe Sabbato & Calendis ex Suna proficiſci ad cœnobium Eliſei in Carmelo; utique ut divinis iſtic laudibus & ſanctis exhortationibus intereſſent: ergo intervallum non erat niſi Sabbati iter, ſcilicet bis mille cubitorum. Adrichomius, & alii nonnulli cenſent diſtantiam fuiſſe aliquantò longiorē.

per eam ſæpè tranſit Eliſeus:

1862. Animadvertens autem mulier illa Sunamitis modeſtiam, abſtinentiam, gravitatem, precationem aſſiduam, aliasque heroicas S. Eliſei virtutes, induxit virum ſuum, ut ipſi fieret cœnaculum parvum, ſeu domuncula aliqua muro concluſa, & ſepta, ac ſemotum ab aliis domus partibus, ut quietè & ſecretò ibi ſolus degat, oret & meditetur Eliſeus: inquit Cornelius in illum textum, & Salianus Tomo 4. Annalium (a). Sciens autem Eliſeum paupertatis ſtudioſum pulvinaria, tapetes, aliaque ornamenta, quaſi ſuperflua non admiſſurum; dumtaxat in ea poſuit *lectulum, menſam, ſellam, & candelabrum* (ſuppellectilem convenientem cellæ pauperis Religioſi.) Quâdam igitur vice cùm illuc divertiſſet, & ibi hoſpitio exceptus requieſceret, grati animi ſtudio & ut aliquod beneficium rependeret, curavit illi per miniſtrum ſuum Giezi dici: *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis; quid vis, ut faciam tibi? numquid habes negotium, & vis ut loquar regi, ſive principi militiæ?* Ipſa verò ſignificante, ſe non egere alicujus patrocinio, & intelligens Eliſeus eam filium, bonorumque ſuorum hæredem non habere, dixit ad eam: *In tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium.* Exhilarata mulier propter filii, quem deſideraverat, promiſſionem, & promiſſi avidior, quàm certior: *Noli*, inquit, *Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ*; id eſt, ne ſub vana ſpe conſolari velis ancillam tuam. Factum ergo eſt juxta verbum Domini per Eliſeum, & mulier peperit filium in tempore, & in hora eadem, quâ dixerat Eliſeus.

(a) ad an. mundi 3140. n. 10

ibi mulier ei parat cellulam:

cui Eliſeus impetrat filium,

1863. *Crevit autem puer*, cumque tertium aut quartum ætatis annum ageret, quadam die, alicujus domeſtici ductu ad patrem in agro veniens, ferventi Solis radio tactus, capite dolere cœpit. Patris ergo juſſu ad matrem relatus, & ſuper genua poſitus, ſpiritum tandem exhalavit. Memor ergo mater Eliæ, qui puerum Sarephtanæ ſuſcitaverat, & Eliſei, qui Eliæ ſpiritum duplicem quaſi pro hæreditate acceperat, aſcendit ad cœnaculum Eliſei, & puerum defunctum ſuper lectulum viri Dei collocatum relinquens, ſperans remedium ob lectuli contactum, vel ut ibi eum reperiret, cum reverteretur, ad maritum in agro pergit, licentiamque poſtulat adeundi in Carmelum inviſendi Eliſei gratiâ, diſſimulans prudenter mortem filii, ne indè pater gravi mœrore afficeretur; cùm eſſet unigenitus, ne profectionem matris, & ab ipſa ſperatam reſuſcitationem, defectu fidei impediret. Igitur ipſe nihil de filii morte ſuſpicatus, ait uxori: *Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ neque Sabbatum.* Iſtis enim diebus ſolebant Hebræi circa Carmelum habitantes adire Carmelum, orationis, & devotionis causâ, & ut Eliſei aliorumque Prophetarum, quorum ibi magnus habitabat numerus, monita, & inſtructiones, & legis explicationem exciperent. Ita Abulenſis, Sanchez, & Cornelius in illum textum. Et Franciſcus Suarez. (a) expendens illa verba: *Quam ob cauſam* &c. dicit: *In his verbis inſinuantur duo, unum eſt habuiſſe illam fœminam conſuetudinem adeundi illis diebus in Carmelum, ad conveniendum Prophetam illic habitantem. Aliud eſt, ſolitam eſſe illuc ire cauſa religionis ad verbum Dei cum aliis audiendum à Propheta, vel orandum, & canendum divinas laudes, ſicut mos erat Hebræis eundi ad orationis loca in diebus Sabbatorum & Calendarum, & feſtivis aliis, ut docent Lyranus, & latiùs Abulenſis q. 30.* Undè concludit: *Erat igitur mons ille habitatio iſtorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis, & divini cultus deſtinatum.*

qui adhuc puer moritur.

Sabbatis & Calendis fideles Iudæi ſolent ire in Carmelum.

(a) Tom 4 de Relig. tr. 9. lib. 2, c. 10.

1864. Dixit autem mulier marito: *Vadam*, id eſt, cupio, opto. Viro itaque licentiam præbente, celerrimè versùs Carmelum iter direxit Cumque eam Eliſeus ex montis faſtigio aſcendere vidiſſet, ad illam ſalutandam, & an rectè ejus familia ſe haberet interrogandam, Giezi miniſtrum in occurſum mittit. Illa adventus cauſam Giezi occultans ad Eliſeum in Carmelo exiſtentem accedit. *Cumq; veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & acceſſit Giezi, ut amoveret eam*: ſciebat enim Giezi caſtitatem Eliſei, ut nollet tangi à muliere. Advertens tamen Eliſeus amaritudinem animæ ejus, dixit: *Dimitte eam*, & ejus miſertus Giezi ad domum Sunamitidis mittit cum baculo ſuo, ut ſuper defuncti corpus imponat. Illa autem baculi geſtatione per miniſtrum non contenta, ait: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt eam. Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus: reverſuſq; eſt in occurſum ejus, & nunciavit ei, dicens: non ſurrexit puer.*

Sunamitis vadit in Carmelum ad Eliſeum:

1865. Eliſeus itaque ulterius pergens ad domum pervenit. Quid autem tunc geſſerit, & qualiter puer revixerit, ſic narrat ſacer Textus: *Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus: ingreſſuſq; clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum: & oravit ad Dominum. Et aſcendit, & incubuit*

qui cum illa deſcendit, & ejus filium reſuſcitat.

XIV. Iunii.

ſuper puerum : poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus : & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. At ille reverſus, deambulavit in domo, ſemel huc atq; illuc : & aſcendit, & incubuit ſuper eum : & oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos. At ille vocavit Giezi, & dixit ei : Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait : tolle filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit ſuper terram : tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt. In iſtis autem variè S. Eliſeus fuit typus Chriſti, prout peculiariter declarabitur infrà. Eliſeus excitato puero rediit ad dilectum ſibi Carmelum (inquit Salianus *a*) antequam tenderet in Galgala; erat enim ibi præcipua filiorum Prophetarum habitatio, prout etiam annotat Tirinus in caput 1. libri 3. Regum : *Videtur*, inquit, *hoc in Carmelo Prophetarum colonia, inter reliqua eorumdem cœnobia Principem locum tenuiſſe, ob frequentiorem iſtic Eliæ & Eliſei præſentiam. Vnde poſteà Eliſeus eundem montem frequentiſſimè adibat, ut creditum ſibi iſtic gregem diſcipulorum, foveret, inſtrueret, roboraret.*

(a) Tom. 4 Annal. ad an. mundi 3143. n. 33.

1866. S. Thomas (b) cum propoſuiſſet hanc quæſtionem : *An Religioſis liceat ſecularium negotia tractare?* ex relatis jam ante verbis reſpondens concludit : *Adire palatia propter pias cauſas competit Religioſis ; undè dicitur 4. Reg. 4. quod Eliſeus dixit ad mulierem : numquid habes negotium, & vis ut loquar Regi, vel Principi militiæ.* Quo loco ex eo probat, licere Religioſis adire palatia, quia Eliſeus id facere promittebat. Sic quoque Abulenſis in caput 4. libri 4. Regum circa eandem quæſtionem diſſerit, & idem reſolvit. Cornelius à Lapide in caput 3. libri 4. Regum cum eodem Abulenſi diſputat : An deceat religioſos qualis erat Eliſeus, in aulis Principum verſari? Ac reſpondet, decere, ſi ſint magnæ ſolidæque prudentiæ & virtutis, uti erant Elias & Eliſeus, quos Deus ad reges mittebat, ut eos in Dei cultu erudirent, vitia caſtigarent, ſana conſilia ſuggererent. Adde Religioſorum exempla ſanctitatis, preces & ſacrificia multum prodeſſe exercitibus, uti profuit hic Eliſeus. Ita ille.

(b) 2. 2. q. 87. art. 2 ad 3.

Adire palatium ob pias cauſas licitum eſſe Religioſis probat exemplum Eliſei

CAPUT VII.

Pulmento, herbis agreſtibus, eleemoſynis, & panibus multiplicatis ſuſtentati filii Prophetarum diſcipuli, & ſubditi Sancti Eliſei.

1867. TEmpore ſeptennis famis à S. Eliſeo prænunciatæ, à Deo immiſſæ ad emendandam, ſeu puniendam regis, & populi Iſraelitici idololatriam, invaleſcente victualium penuria, S. Eliſeus profectus eſt in Galgala, ubi habitabat familia una diſcipulorum ejus, & Eliæ præceptoris ejus, dum adhuc inter mortales verſaretur ; profectus eſt, inquam, ut Religioſos ejus loci viros inviſeret, ut magiſter, & ſuper communi malo famis conſolaretur, ut pater, & levamentum aliquod afferret. Id præſtitit duplici inſigni miraculo, relato capite 4. libri 4. Regum, in hunc modum : *Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo* (Eliſeo) ſcilicet : *coram eo* ſicuti filii coram patre, & diſcipuli coram magiſtro, ut jam dicebatur : & dixit uni eorum : *pone ollam grandem*, multis enim parabatur cibus, *& coque pulmentum*, ſive offam *filiis Prophetarum. Et egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes.* (Is enim eo tempore communis videtur fuiſſe eorum cibus) invenitque *quaſi vitem ſilveſtrem*, herbam videlicet viti ſimilem, *& collegit ex ea colocynthidas agri*, id eſt cucurbitas agreſtes amaras, *& implevit pallium ſuum, & reverſus concidit in ollam pulmenti, neſciebat enim quid eſſet* illa herba.

Inſigni miraculo ſuis ſuccurrit :

1868. *Infuderunt ergo ſociis* in ſcutellas, *ut comederent. Cumque guſtaſſent de coctione,* exiſtimantes mortiferum aliquid injectum in lebetem, *clamaverunt ad Eliſeum, dicentes : Mors in olla vir Dei : & non potuerunt comedere. At ille* ſociorum neceſſitati conſulere volens : *Afferte*, inquit, *farinam. Cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait* Giezi : *infunde turbæ, ut comedant, & non fuit amplius quidpiam amaritudinis in olla.* Miraculosè videlicet, cùm farina non fuerit ſufficiens ad tollendam amaritudinem illam, & eſto ſufficiens eſſet ad illam ſaltem minuendam, id non poſſet eſſe naturaliter tam brevi morâ. Iſtam autem dulcorationem non fuiſſe naturalem, ſed vi ſupernaturali, & divina vi factam præclarè demonſtrat Abulenſis quæſt. 60. circa hanc hiſtoriam.

1869. Proximè ſubſequitur aliud miraculum, quod eodem ferè tempore contigiſſe videtur : *Vir autem quidam venit de Baalſaliſa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera ſua.* Ille igitur pius vir ex primis frugibus, quas eo ipſo tempore meſſuerat, panes nempè hordeaceos, & frumentum novum, quod primum ex triticea meſſe perceperat in pera, grana puto, neque magna ut apparet, menſura, quia in pera non multum portari frumentum poteſt. Undè colligitur, quod S. Eliſeus, & filii Prophetarum etiam ex eleemoſynis viverent. Acceptum munus Eliſeus in communem impendit utilitatem : erat enim eis menſa communis, ut Religioſis viris. Nec Eliſeus ſibi proprium id munus habere voluit paupertatis ſtudio repugnante, inquit Salianus. Propterea dixit : *Da populo* (Communitati ſcilicet filiorum Prophetarum) *ut comedat : Reſponditque ei miniſter ejus : quantum eſt hoc, ut apponam centum viris? Rurſum ille ait : da populo, ut comedat : hæc enim dicit Dominus : comedent, & ſupererit. Poſuit itaque coram eis : qui comederunt, & ſuperfuit juxta verbum Domini.* Fuit illud magnum miraculum, quod modico frumenti, & paucis panibus, qui naturaliter non niſi ut quiſque aliquid deguſtaret, ſufficiebant, tàm multi

Panes in eleemoſynam datos miraculosè multiplicat.

viri,

XIV. JUNII.

viri, famelici præſertim, non modò ſaturarentur abundanter, ſed etiam reliquiæ non exiguæ in illo convivio ſupereſſent. Eſt autem veriſimile, inquit Sanchez in illum locum, Eliſeum benedixiſſe illis panibus (ſicuti legitur Joannis 6. feciſſe Chriſtus, cujus hac in re typus fuit S. Eliſeus) & poſt benedictionem, panes illud accepiſſe incrementum.

Paupertas volunt. S. Eliſei.

1870. Ex hactenus dictis Theodoretus, Salianus, Lezana & alii colligunt magnam S. Eliſei & filiorum Prophetarum paupertatem, & quidem voluntariam. Salianus verò voluntariam Eliſei, & aliorum paupertatem ſic probat: Quòd cum valeret gratiâ apud regem, & militiæ principem, adeò ut etiam alteri impetrare poſſet quod liberet, Sunamitis tamen charitate uti, & eleemoſynis vivere voluerit. Quid conſtanter repudiata Naamã munera, quæ gratitudinis nomine accipere potuiſſet, nonne voluntariam paupertatem clamant? Eandem verò fuiſſe cæterorum Prophetarum vitæ rationem, idem Theodoretus affirmat (a) & Giezi pœna ſignificat. Lezana etiam indè obedientiam, & caſtitatem eruit. Colligimus, inquit, & nos eorundem filiorum Prophetarum obedientiam in ollæ coctione, immiſſione farinæ, & infuſione, ac diviſione ciborum. Caſtitatem in eo, quòd inter centum viros nulla referatur mulier, quæ ſaltem coquinæ ipſorum adſtaret. Vitam communem in eo, quòd omnium idem eſſet cibus. Menſam frugalem in herbis agreſtibus, & panibus hordeaceis, ingentem numerum diſcipulorum Eliæ, & Eliſei vitam juxta normam religioſam ducentium, ſiquidem de uno hoc Galgalenſi Cœnobio centum viri referuntur. Quæ omnia ſatis indicant Religionis methodum ab eo tempore inchoatam. Hinc Patres, iſtos nuncupant *veteris Teſtamenti Monachos*, undè paupertatis ſtudium, & Monaſticæ Converſationis forma ad Monachos novi Teſtamenti defluxit.

(a) q. 19 in 4. Reg.

Paupertas filiorum Prophetarum caſtitas, vita communis.

atque ita Monachi.

CAPUT VIII.

Naaman Syrus ſeptenâ in Iordane lotione mundatus: munera ab Eliſeo ſpreta: ob ea ſuſcepta Giezi leprâ punitus.

4. Reg. 5.

1871. N*aaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ: erat autem vir fortis & dives, ſed leproſus.* Qui cùm ab ancilla quadam ſua Iſraelitide didiciſſet, eſſe in Iſrael Prophetam, à quo ex tam moleſto morbo liberari poſſet, ingreſſus eſt ad Dominum ſuum Regem, narrans quid à puella de terra Iſraël audiviſſet. Rex ſalutem Naaman honorati, & magni coram illo, deſiderans dixit: *Vade, & mittam literas ad Regem Iſrael.* Naaman igitur proficiſcens ſecum detulit *decem talenta argenti, & ſex millia aureorum:* quæ magna pecuniæ ſumma erat, ut impenſum ſibi à Propheta beneficium compenſaret, & *decem mutatoria veſtimentorum* (eæ erant veſtes præſtantiores, & elegantiores.) & ſui Regis litteras ad Regem Iſrael hujus tenoris: *Cum acceperis epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſervum meum, ut cures eum à lepra ſua.*

Naaman leproſus tendit ad Eliſeum.

1872. Imperioſæ erant eæ litteræ, & quaſi ad ſubditum, arrogantem Regis Syriæ ſpiritum indicantes. *Cumque legiſſet Rex Iſrael litteras, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus ego ſum, ut occidere poſſim, & vivificare, quia iſte miſit ad me, ut curem hominem à lepra ſua? animadvertite, & videte quod occaſiones quærat adverſum me.* Suſpicabatur Rex Iſrael, Regem Syriæ ſibi inſidiari, & occaſionem belli inferendi, quærere: & de hoc conquerebatur apud ſervos ſuos, ſciditque in ſignum doloris veſtimenta ſua. *Quod cum audiſſet Eliſeus vir Dei, ſcidiſſe videlicet regem Iſrael veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſcidiſti veſtimenta tua? veniat ad me, & ſciat eſſe Prophetam in Iſrael. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & ſtetit ad oſtium domus Eliſei.* Domus illa erat Collegium filiorum Prophetarum, in qua habuit *centum Prophetarum filios ſub ſua diſciplina magiſterio.* Ita Lezana Tomo 1. Annalium (a). De quo etiam Joannes Jeroſolymitanus libro de Inſtitutione primorum Monachorum capite 22.

(a) ad an. mundi 3150. n. 5.

1873. *Miſitq; ad eum Eliſeus nuntium, dicens: Vade, & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores ſunt Abana & Pharphar, fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael, ut laver in eis, & munder?* Eliſeus non ivit ad Naaman ex contemptu aliquo, ſed ex divina juſſione, & humilitate, & ut miraculi ac ſanctitatis futuræ magnitudinem augeret, dum per famulum internuntium, nulloque contactu, ſed ſolo verbo; atque ut hominis obedientia, & humilitas gratiæ ſanitatis prævia eſſet diſpoſitio. Intereà Naaman ſe illuſum arbitrabatur, datô, ut putabat, inutili curationis remediô, & quidem per nuntium, ideoque indignatus abire intendebat. *Acceſſerunt ad eũ ſervi ſui, & locuti ſunt ei: Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi: lavare, & mundaberis? deſcendit, & lavit in Iordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt.* Naaman benignus in famulos, ut pater ab eis amabatur, ideò benevolè ſalutare, ac prudens illi conſilium ſuggerunt, cui placide ipſe acquieſcens, pleniſſimè *mundatus eſt.* En fructum ſimplicis obedientiæ.

Qui cum mittit ad Iordanem.

In quo ſe lavans ſanatur.

1874. *Reverſuſque ad virum Dei cum univerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio, quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantùm in Iſrael. Obſecro itaq; ut accipias*

XIV. IUNII.

cipias benedictionem à ſervo tuo. At ille reſpondit: Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam. Naaman ex miraculi magnitudine cognoſcens, Deum Iſrael eſſe verum Deum, ut ipſi, ac etiam ejus Prophetæ Eliſeo gratias ageret, reverſus eſt, & in grati animi teſtimonium obtulit munera; quæ illum in finem attulerat. At Eliſeus, Dei, actiones illius dirigentis, inſtinctu (ut patet ex ordinaria illa ſua loquendi formula: *Vivit Dominus, ante quem ſto; quia non accipiam.*) Ut oſtenderet miraculum iſtud non eſſe ſuum, ſed Dei, & ex paupertatis, quam profitebatur, majori ſtudio, acceptare noluit. *Cumq; vim faceret, penitùs non acquievit. Dixitque Naaman: ut vis: ſed, obſecro, concède mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.*

Ejus munera recuſat Eliſeus:

1875. Naaman ergo non tantùm corporis, ſed & animæ ſalute acceptâ, ex devotione, & etiam propter religionem reputans terram Syriæ idololatriæ abominationibus pollutam, petit, ut ſibi liceat, de humo Iſraelitica quam ſacram putabat, accipere, quantùm par burdonum, id eſt, mulorum ferre poſſet, ut in eo altare, & ſacellum aliquod conſtrueret, & Deum coleret. Præterea cum Naaman princeps militiæ, & charus Regi, qui ejus brachiis cum incederet, aut ſe proſterneret, innitebatur, atque ita cum Rex flecteret genua ad adorandum idolum Remmon, oportebat etiam ut Naaman flecteret, ut ad motum Regis ſe accommodaret. Petit igitur, ut id ſibi liceat. Annuens Propheta, ait: *Vade in pace.* Quibùs verbis non facit ei poteſtatem ſimulandi venerationem idoli, id enim Naaman non petebat; & ut peteret, id concedere Propheta non poterat; cùm nemini ſit jus cuiquam indulgere in re, quæ natura ſua mala ſit; ſed petebat rem natura ſua licitam, cum timore quodam, ne id malum eſſet, quod malum reverà non erat. Nam ſuſtentare regem, vel ambulantem, vel inclinantem ſe, vel genu flectentem, nihil habet natura ſua malum; ex accidente autem eſt, quod contingat ſuſtentari, dum ille coram ſimulachro incurvatur. Id enim non eſt idolo, vel re ipſa, vel diſſimulanter venerationem exhibere. Nam ne ſimulationem quidem permiſſam præclarè docuit egregius ille Eleazarus, qui maluit acerbiſſima morte perimi, quàm ſimulare ſe illicitas comediſſe carnes, & in ætate decrepita ſcandalo eſſe juventuti. Ita Salianus. Plura circa hoc videri poterunt apud Interpretes in illum locum.

Coram idolo cur & qualiter inclinare licuerit Naamano.

1876. Abeuntem cum lætitia novum hunc Dei cultorem proſequitur cum gemitu fruſtrata Giezi cupiditas: quæ tandem fallaciter voti facta compos, mox lepram ſeptena lotione abſterſam, condignâ pœnâ ſenſit inflictam. Libet hiſtoriam ſacri textus verbis audire. Diſcedente Naamano *dixit Giezi puer* (famulus) *viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cum vidiſſet ille currentem ad ſe, deſiliit de curru in occurſum ejus, & ait: Rectène ſunt omnia? Et ille ait: rectè. Dominus meus miſit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filiis Prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. Dixitque Naaman: melius eſt ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portaverunt coram eo. Cumque veniſſet jam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo, dimiſitque viros, & abierunt.* Naaman itaque videns ſequentem Giezi, & agnoſcens eum eſſe famulum Eliſei, non ſolùm fecit ſubſiſtere currum, ſed licèt ipſe eſſet vir clariſſimus, & potens princeps Aſſyriorum, ex urbanitate, & humilitate *deſiluit de curru ſuo, in occurſum ejus.*

Giezi cupiditas prava fit hæres lepræ Naamanis.

1877. Dixitque Giezi ad eum, mentiendo: *Modò venerunt ad me duo adoleſcentes, de monte Ephraim ex filiis Prophetarum:* ſcilicet, erant in monte Ephraim aliqua collegia Prophetarum, ſicut in Jericho, & Bethel, & Galgala, de quibus patet ſuprà. Eliſeus erat pater & princeps omnium Prophetarum, & ipſe habebat ſub cura ſua & ſolicitudine omnes illos: & procurabat eis provideri de neceſſariis, in quantum poterat. Ita Abulenſis in illum textum. Inde habetur, quòd Collegia filiorum Prophetarum, quorum patres, & ſuperiores fuerunt Elias, & Eliſeus, non tantum in Carmelo, Jericho, Bethel & Galgalis, ſed & alibi eſſent; & conſequenter quod filiorum Prophetarum copioſus eſſet numerus: prout latiùs alibi diſſeretur. Porrò Naaman vir liberalis, & beneficus, pro uno petito talento, ut duo acciperet, coegit, non multùm reluctante Giezi: qui haud diu poſt intellexit ſuorum mendaciorum, fallaciæ, furti, & proprietatis inſpectorem fuiſſe magiſtrum ſuum Eliſeum, quantumvis ipſe omni ſtudio ac cautione providiſſet, ne qua vel aura criminis illius afflaretur ad ipſum.

Ephraim mons, habitatio filiorū Prophetarū;

qui valdè erant multiplicati.

1878. *Ipſe autem ingreſſus, ſtetit coram domino ſuo. Et dixit Eliſeus: Undè venis Giezi? Qui reſpondit: non ivit ſervus tuus quoquam. At ille ait: Nonne cor meum in præſenti erat, quandò reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, uſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.* Cor igitur Eliſei, id eſt, mens præſens erat, ſeu oculi mentis ejus, à Deo ſupernaturaliter elevati, & adjuti abſentem, & remotam munerum à Naaman acceptionem quaſi præſentem intueban-

Giezi leprâ punitur.

XIV. Junii.

tuebantur. In Giezi itaque poſt denuntiationem per S. Eliſeum mox ſubſecuta eſt divina ultio, & pœna correſpondens culpæ nempè pro turpiſſimo quæſtu turpiſſimi morbi lucrum: æquum enim erat, ut qui leproſi hominis pecuniam injuſtè acceperat, acciperet & lepram (inquit Salianus) quæ ei, & ſemini ejus adhæſit in ſempiternum, hoc eſt, in longum tempus.

Duplex miraculum in Naaman curato, & Giezi leprâ percuſſo.

1879. Sanctus Joannes Chryſoſtomus circa præfatas binas hiſtorias inſignem ſcripſit ſermonem, cujus initium eſt: *Cum Naaman*, ubi hæc inter cætera: *Audit Naaman apud Iſraelem populum, Eliſeum eſſe Prophetam ſanctiſſimum, mirandis virtutibus præditum, & ſtupendis operibus nominatum, per quem poſſit & cauſa periculo liberari, & perniciosâ varietate detergi.* Et infrà: *O ſublime meritum Eliſei. Uno in tempore duplex virtus oſtenditur: & gemina poteſtas Prophetam ſanctiſſimum demonſtrat. Curatur Naaman Syrus, & leprâ Giezi perfunditur ſervus. Syro fides attulit gloriam, & ſervo perfidia intulit pœnam. Ille de Syria veniens, quod deſideravit, accepit: hic de Propheta exiens domo, plagam ſibi de perfidia acquiſivit. Naaman curatur, & gaudet: Giezi vulneratur, & deflet. Alius ſuus redditur ſanus, alius cunctis oſtenditur maculatus. Alius exemplum virtutis oſtendit, alius meritum fallacia demonſtravit. Curatur fide, qui fuerat maculatus: & maculatur perfidia, qui fuerat ſanus. Naaman invitat ad Deum, Giezi profertur ſingulis in perfidia exemplum. Per Naaman Deus collaudatur: per Giezi, judicium cæleſte metuitur. Indè ſalus naſcitur, hinc metus: indè gloria petitur, hinc fraudis moleſtia formidatur, ut his exemplis, & fidei precium, & perfidia ſupplicium, cunctis gentibus monſtraretur.*

CAPUT IX.

Ferrum ſecuris natans: milites Eliſeum capere tentantès excœcati, & in Samariam mirabiliter ducti.

1880. CUm S. Eliſeus ad tempus moraretur in quodam Collegio filiorum Prophetarum non longè à Jordane, veriſimilius circa Jericho. (Hinc Genebrardus (a): *Elias cum conſtruxit cellas Prophetis in Jerichuntis ſolitudine: Manavit Inſtitutum, & loci Religio ad poſteros.*) Et ex aliis Collegiis ſub ejus prophetica religioſa diſciplina viventes quamplurimi ad ipſum tanquam communem parentem ſuum, atque etiam alii ut eidem inſtituto aggregarentur, confluerent, anguſtior reddebatur pro omnibus iſtis recipiendis habitatio. Itaque dixerunt ad ipſum: (b) *Ecce locus, in quo habitamus coram te* (nos regente, & docente utpotè patre, duce noſtro) *anguſtus eſt nobis. Eamus uſquè ad Jordanem, & tollant ſinguli materias ſingulas* (ligna videlicet) *ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*, tuguria ſcilicet, in quibus tanta multitudo Religioſorum habitet. Annuit Eliſeus: & rogatus, ivit unà cum ipſis, ut pariter laboraret, & alios dirigeret, magnitudinem cellarum deſignaret, & omnes in ejus præſentia promptius ferventiuſque laborarent.

(a) lib. 1. Chronol. ſub an. mundi 3172.

Eliſei diſcipuli valdè multiplicati.

(b) 4. Reg 6.

Miraculum ſecuris natantis.

1881. Quid tùm ibi notabile contigerit, ſic ſacer textus enarrat: *Cumq; veniſſent ad Jordanem, cædebant ligna. Accidit autem, ut cum unus materiam* (id eſt ligna, quæ ſunt materia ædificii) *ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamavitque ille, & ait: Heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: ubi cecidit? At ille monſtravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natavitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.* Ubi geminum fuit miraculum, unum quòd lignum miſſum in aquam intraverit aquam, & ibi inſertum fuerit ferro, tanquam ſi opere humano impoſitum fuiſſet: alterumque miraculum, quod ferrum cum manubrio ſupernatarit aquis contra naturam ponderoſitatis ejus. Ita Abulenſis in illum textum, & Salianus Tomo 4. Annalium (a), qui ibidem paupertatem filiorum Prophetarum expendens ait, quòd tuguriola ſua non intenderent dilatare, ſeu laxiora facere, ſed novæ coloniæ ad Jordanem parare domicilia, tuguria ſcilicet, ſeu caſulas, prout eas vocat S. Hieronymus Epiſtola 4. ad Ruſticum: *Filii Prophetarum*, ait, *quos Monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Jordanis, & turbis urbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitabant.* Subjungit Salianus: *Eos ergo Monachos agnoſcit, vocatque Hieronymus, ſicut & Joannes Jeroſolymitanus paſſim, in libro quem ſæpiùs retulimus. Abulenſis ait, eos quaſi nihil habuiſſe, niſi quæ ſibi à populo dabantur.* Conſequenter adfert Theodoretum eandem paupertatem his celebrantem verbis: *Chorus Prophetarum*, inquit, *extremam amplectebatur paupertatem.* Non ait tolerabant, ſed amplectebantur, utique voluntariam, atque ultro ſuſceptam. Pergit, *non enim habebant domos, ſed utebantur tuguriis. Quamobrem à magno illo Propheta ſupplices petierunt, ut abiret cum ipſis ligna ſecantibus ad ea conſtruenda. Tanta autem utebantur paupertate, ut ne ſecurim quidem ſuſtinerent poſſidere.* Cornelius à Lapide in caput 6. libri 4. Regum ferè eadem ſcribit, additque: *Vide hic priſcorum Religioſorum paupertatem, laborem, & unanimitatem.* Ex jam dictis habetur quoque, quòd illo tempore magna fuerit multitudo Filiorum Prophetarum, ut in Carmelo, & aliis locis non poſſent commodè habitare, & ideò ad novas colonias ſe extendere debuerint. Sed de his latiùs alibi.

(a) ad an. mundi 3145. n. 7.

Filii Prophetarum Monachi ædificant caſulas propè Jordanem.

Eorum magna paupertas.

Eliſeus Regi Iſrael indicat inſidias Syrorum.

1882. Sub idem ferè tempus S. Eliſeus prophetico ſpiritu indicabat Regi Iſrael inſidias, quas illi parabat Rex Syriæ: qui illud percipiens tentavit Eliſeum capere. Accipe hiſtoriam ex capite ſexto libri quarti Regum: *Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſrael, conſiliumque iniit cum ſervis ſuis, dicens: in loco illo & illo ponamus inſidias. Miſit itaq; vir Dei ad regem Iſrael, dicens: cave ne tranſeas in locum* 4. Reg. 6.

illum:

XIV. Junii.

illum : quia ibi Syri in inſidiis ſunt. Miſit itaque rex Iſrael ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & obſervavit ſe ibi non ſemel neq; bis. Conturbatumque eſt cor regis Syriæ pro hac re : & convocatis ſervis ſuis, ait : quare non indicatis mihi, quis proditor mei ſit apud regem Iſrael? Dixitque unus ſervorum ejus : nequaquam domine mi rex, ſed Eliſeus Propheta, qui eſt in Iſrael, indicat regi Iſrael omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. Igitur Syri diſſimulanter ſciſcitati ſunt, & ſollicitè inquiſierunt ubi Eliſeus eſſet : & intellexerunt, eſſe in Dothan, ſeu Dothain. Quid ibi rerum ageret Propheta, incertum erat : fortaſſe ibi quoque collegium diſcipulorum habuit, aut certè, ut paſtor bonus, deſolatum Domini gregem viſitabat, atque excolebat: ita Salianus. Miſit ergo Benadad illuc equos & currus, & robur exercitus, ut ſi res ita ferret, poſſent Eliſeum vi Iſraelitis eripere. Venerunt nocte, ut improviſi civitatem præſidio deſtitutam vallarent, & cives, ſupremæ cladis, ac vaſtitatis metu, ad deditionem Prophetæ compellerent.

Mons plenus equorum & curruum igneorum protegentium Eliſeum.

1883. *Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos, & currus : nuntiavitque ei, dicens : Heu, heu, heu domine mi, quid faciemus : At ille reſpondit : noli timere : plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Cumque oraſſet Eliſeus, ait : Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit : & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum, in circuitu Eliſei.* Expendit hic S. Ambroſius (a) miram Dei bonitatem in ſuos, & ſingularem protectionem ſanctitate, & oratione S. Eliſei promeritam: *Mira res* inquit, *plures è cœlo defenſores meretur ſanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Cauſam ſubdit : *ſcire enim debet, quòd adverſarii meritis magis quàm virtute vincuntur, & non tàm virtute quàm ſanctitate ſuperantur. ſicut ſanctus Eliſeus, hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat.* Sed effectum defenſionis audiamus.

(a) Serm. 1. de S. Eliſeo.

(b) 4. Reg. 6.

(b) *Hoſtes verò deſcenderunt ad eum : porrò Eliſeus oravit ad Dominum, dicens : percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Eliſei. Dixit autem ad eos Eliſeus : non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas : ſequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam : cumquè ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus : Domine aperi oculos iſtorum, ut videant. Aperuitq; Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. Dixitq; rex Iſrael ad Eliſeum, cum vidiſſet eos : numquid percutiam eos, pater mi? At ille ait : non percuties : neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias : ſed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad dominum ſuum.* Circa quæ S. Chryſoſtomus Homilia de S. Eliſeo, & Syrorum inſidiis detectis ſic eleganter : *O virtus admirabilis Dei. Ducuntur captivi, qui Prophetam venerant captivare : detinentur ut rei, qui Dei hominem voluerant detinere. Propheta ſanctiſſimus non pugnat, & vincit, non dimicat, & ſubigit. Fit ſine ſanguine victor, ſine gladio triumphator. Unâ enim prece & inimicos, qui nocere venerant, excæcavit : & Propheta victoriam de hoſtibus acquiſivit. In reos ſua vertuntur, in hoſtes propria retorquentur : nec ſe eſſe cæcos agnoſcunt, donec reddito viſu, & ſe captivos conſpicerent, & Prophetam auctorem ſupplices adorarent. Mox ut captivi-exercitus civitatem ingreſſi ſunt, clauduntur portæ, accurrit populus, rex feſtinat, ſtupent omnes, cuncti mirantur. Stupent, inquam. ſine pugna hoſtes adductos, & inimicos ſine prælio indagine cinctos : quos non potuerant facere in bello captivos.*

Qui hoſtes ſuos obcæcatos ducit in Samariam.

1884. Poſt tempus aliquod rex Syriæ Benadad Samariam arctiſſimâ premens obſidione ad tantam redegerat penuriam, & extremitatem, ut *venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis* Ibi conſequenter refertur, quod etiam matres filios quos in viſceribus ſuis portaverant, mactatos & coctos in eadem viſcera trajecerint. Id audiens rex Iſrael veſano conſilio juravit in mortem Eliſei : *Hæc mihi faciat Deus*, inquit, *& hæc addat* (Modus jurandi eſt, ſcilicet Deus faciat mihi iſta mala, & iſta, & alia majora ſuperaddat.) *Si ſteterit caput Eliſei filii Saphat ſuper eum hodiè?* quaſi diceret : non manebit caput ejus ſuper eum hodiè per totum diem, ſed ego faciam jugulari eum ante occaſum ſolis. *Eliſeus autem ſedebat in domo ſua*, ſcilicet quando rex rupit veſtimenta, audito clamore mulierum, erat Eliſeus in domo ſua in Samaria, & vocatur domus ſua, id eſt, in qua ipſe hoſpitabatur : quia fortè non erat ſua, immò veriſimile eſt, quòd non erat ſua: quia ipſe erat pauper, & non habebat niſi ea, quæ ſibi dabantur ad ſuſtentationem, & conſuetus erat diſcurrere de loco in locum per Collegia Prophetarum ad viſitandum illa : ut declaratum eſt ſuprà : Ita Abulenſis in illum locum. Veriſimiliùs erat domus illa Collegium filiorum Prophetarum, de quo ex Lezana, & Joanne Jeroſolymitano hic ſuprà : *Et ſenes ſedebant cum eo*, ſcilicet ſeniores ex diſcipulis ejus filiis Prophetarum, ut habet Joſephus libro 9. Antiquitatum capite 2. & alii poſt ipſum. Alii autem cenſent fuiſſe primores civitatis, qui ad S. Eliſeum venerant pro conſilio, ſeu inſtructione, aut ut eum honorarent. *Præmiſit itaquè* (rex) *virum*, ſicarium ſcilicet, qui Eliſeum conficeret, quem porrò rex ipſe ſequebatur. Sed *antequam veniret nuncius ille* (ſicarius) *dixit Eliſeus ad ſenes : Numquid ſcitis, quod miſerit filius homicidæ*, id eſt, rex Joram, qui erat filius Achab, qui occidit Naboth, *ut præcidatur caput meum? Videte ergo cum venerit nuncius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire : ecce enim ſonitus pedum domini ejus*, id eſt, rex ipſe jam facti pœnitens, *poſt eum eſt. Adhuc eo loquente eis apparuit nuncius, qui veniebat ad eum.* Venit etiam æquè cum illo Rex, & jam placatus ait ad Eliſeum : *Ecce tantum malum à Domino eſt, quid amplius expectabo à Domino?* Ac ſi diceret : ſiquidem ad tantam

Arctiſſimè Samaria obſeſſa graviſſima fame premitur.

famem

XIV. Junii.

famem devenimus, Deo ſic volente, ut matres proprios filios devorare cogantur, quid amplius ſpei in Deo poteſt eſſe?

Eliſeus prædicit poſtridiè futuram abundantiam annonæ incredibilem.

1885. *Dixit autem Eliſeus: audite verbum Domini: hæc dicit Dominus: in tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno, in porta Samariæ.* Cùm iſtius graviſſimæ famis levandæ ſpes nulla affulgeret, & quidem in tanta copia, niſi vel ſimilæ, & hordei pluvia ſuccederet; *Reſpondens unus de ducibus, ſuper cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait: ſi Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe quod loqueris?* (alii vertunt: ſi Dominus faceret feneſtras in cœlo, & per eas triticum deplueret, num poſſit eſſe tanta vilitas?) *Qui* (Eliſeus) *ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Atque ita ſequenti die eàdem horâ id contigit. *Siquidem Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: ecce mercede conduxit adverſum nos rex Iſrael reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos, in caſtris, fugeruntque, animas tantùm ſuas ſalvare cupientes.* Id obſeſſis nuntiaverunt viri quatuor leproſi, qui extra civitatem, hominumque conventus, de more vagabantur; qui vacua repererunt Syrorum tentoria, & furtim ipſi ex illis maxima ad ſuos uſus emolumenta portarunt. Primùm tam ſubita mutatio ſuſpecta fuit: ſuſpicatus enim fuit rex ſimulatam eſſe fugam, & in ipſo latêre Syrorum inſidias. Sed cùm ab emiſſariis didiciſſent, veram eſſe fugam: & tàm in via, quàm in tabernaculis exuvias relinqui, egreſſus eſt populus incredibili cum gaudio ad opimam prædam: quæ quanta fuerit, deſcribit Joſephus libro 9. Antiquitatum cap. 2. *Nec fuit,* inquit, *vulgaris præda, ſed auri, & argenti plurimum, & varia jumentorum genera: præterea tantum invenerunt frumenti, atque hordei numerum, quantum nec in ſomnis ſperare poterant, ut mox omnes præteritæ famis oblivio caperet. Tanta enim fuit abundantia, ut duo ſata hordei ſiclo emerentur, & eodem pretio ſatum ſimilæ; juxta Eliſei vaticinium. Satum autem continet modium Italicum, & dimidium:* nimirum 24. ſextarios, ut ſcribit Salianus. Quid autem evenerit principi iſti incredulo, ſequitur in ſacro Textu: *Porrò rex ducem illum in cujus manu incumbebat, conſtituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ.* Et poſteà: *Evenit ergò ei ſicut prædictum fuerat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus eſt.*

Quæ evenit. Syris perterritis & fugientibus.

CAPUT X.

Septennis fames à S. Eliſeo prænuntiata: ægrotantis Benadad mors: Hazaelis ſucceſſio in regem Syriæ: unctio Iehu in regem Iſraël.

1886. SAnctus Eliſeus propheticâ cognitione præſciens Iſraeliticæ regioni impendentem ſeptennalem famem, gratitudinis affectu, ob præſtitam hoſpitalitatem, Sunamitidem fœminam, cujus anteà filium revocarat ad vitam, præmonuit dicens: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicumquè repereris: vocavit enim dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis.* En fructum miſericordiæ. Illa igitur familiam ſuam, pecora, & jumenta, & quidquid habebat, traduxit in terram Philiſthiim, & ibi manſit ſeptem illis annis famis: quibus tranſactis in patriam reverſa, domum ſuam, & agros ab alieno poſſeſſore occupatos invenit. Illa cum filio ſuo redivivo acceſſit Joram regem Iſrael, eum interpellatura, ut ſua ſibi reſtituerentur. Rex autem viſo puero per Eliſeum ſuſcitato, & auditis aliis per eum factis mirabilibus, ipſius intuitu tàm ſe præbuit favorabilem mulieri iſti, ut non tantùm omnia ſua, quæ petebat, ſed & univerſos reditus ſeu proventus agrorum reſtitui curaverit.

Eliſeus Sunamitidi futuram famem prædicit, ut ſibi provideat.

1887. Sub idem tempus S. Eliſeus venit Damaſcum, Syriæ Metropolim & regiam, ubi tunc Benadad rex gravi preſſus morbo decumbebat, qui audito ejus adventu, miſit ad illum unum ex primis ſuis miniſtris, Hazaëlem ſcilicet, Deo ſic diſponente, cum muneribus, ut conſuleret Dominum per eum de infirmitate ſua; an ab ea curari poſſet. *Ivit igitur Hazael in occurſum ejus, habens ſecum munera, & omnia bona Damaſci, onera quadraginta camelorum. Cumque ſtetiſſet coram eo, ait: filius tuus Benadad rex Syriæ miſit me ad te, dicens, ſi ſanari potero de infirmitate mea hac?* Sacer textus non exprimit, an Eliſeus munera receperit. Sed certum eſt, Eliſeum ea non acceptaſſe; tùm quia ipſe Benadad non ſanavit, ſed ejus mortem prædixit: tùm quia ipſe conſtanter refutavit cap. 5. munera Naaman, quem à lepra curarat, ac Giezi ea acceptantem lepra punivit: ita Abulenſis & alii. Hæc Cornelius à Lapide in illum locum. Dixitque Eliſeus Hazaeli: *Vade, dic ei,* ſcilicet Benadabo, *ſanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus; quia morte morietur.* Quæ duo etſi contraria videantur, talia non ſunt. Verbum enim *ſanaberis* intelligitur, quantùm eſt ex parte morbi, quem rex patiebatur, quia ille mortalis non erat. Illud verò *morte morietur,* indicat ab alia extrinſeca cauſa occidendum, prout contigit. *Stetitque cum eo, & conturbatus eſt, uſque ad ſuffuſionem vultus,* volens ſcilicet reprimere lacrymas, & mœrorem, ſed tandem in lacrymas profuſus *flevit vir Dei.* Quæ videns Hazael ait: *Quare*

Quæ prædixerat Regi Syriæ Benadab, & Hazael.

XIV. Iunii.

Dominus meus flet? At ille dixit: *Quia ſcio, quæ facturus ſis filiis Iſrael mala. Civitates eorum munitas igne ſuccendes, & juvenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.* Dixit tunc Hazael: *Quid enim, ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?* Cui Eliſeus: *oſtendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.* Reverſus ad regem retulit verba Eliſei quoad ſanitatem, ſed alia reticuit. Sequenti die Hazael ſimulans ſe velle Regi officium pietatis impendere, ſtragulo, ſeu linteo madido faciem illius refrigerando, eodem obſtructis faucibus ſpiritum præcluſit: Ita Joſephus libro 9. Antiquitatum cap. 2. & Interpretes communiter. Mortuo itaque Benadad *regnavit Hazael pro eo*, & crudelitates, quas prædixerat Eliſeus, & ipſe anteà abominatus fuerat, commiſit, uti mox audiemus. Atque ita honores in eo mutarunt mores, ſed non meliores: prout etiam in Jehu rege Iſrael, de quo ſtatim.

1888. Porrò Jehu duxerat exercitus regis Iſrael, quem jam pridem S. P. Elias reverſus de ſpelunca Horeb regem futurum declaraverat, & veriſimiliter etiam unxerat, unctione quaſi prævia, & prognoſtica inquit Cornelius (a) poſtmodum altera unctione (quæ fuit regni collatio, ejusque in regem creatio) ab uno ex filiis Prophetarum unctus fuit Dei juſſu per S. Eliſeum miſſo prout capite 9. libri 4. Regum narratur in hunc modum: *Eliſeus autem propheta vocavit unum de filiis Prophetarum, & ait illi: accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Ioſaphat filii Namſi: & ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubiculum. Tenensque lenticulam olei, fundes ſuper caput ejus, & dices: Hæc dicit Dominus: unxi te regem ſuper Iſrael. Aperieſque oſtium, & fugies, & non ibi ſubſiſtes. Abiit ergo adoleſcens puer propheta in Ramoth Galaad, & ingreſſus eſt illuc: ecce autem Principes exercitus ſedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixitq; Iehu: ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps. Et ſurrexit & ingreſſus eſt cubiculum: at ille fudit oleum ſuper caput ejus, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: unxi te regem ſuper populum Domini Iſrael, & percuties domum Achab domini tui &c... Aperuitque oſtium & fugit. Iehu autem egreſſus eſt ad ſervos domini ſui: qui dixerunt ei: rectène ſunt omnia? quid venit inſanus iſte ad te? Qui ait eis: Noſtis hominem, & quid locutus ſit. At illi reſponderunt: falſum eſt, ſed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus eſt mihi, & ait: hæc dicit Dominus: unxi te regem ſuper Iſrael. Feſtinaverunt itaque, & unusquisq; tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atq; dixerunt: regnavit Iehu.* Interrogabant itaque comites Jehu: *Quid venit iſte inſanus ad te.* Sic Prophetas vitam religioſam profitentes iſti idololatræ, aut homines licentioris vitæ vocabant, ob veſtitus, & vitæ formam à populari diſtinctam, & quia illorum ſermo liberior, vitia arguens, moleſtus erat, & cultus aſperior delicatum & molle vitæ genus accuſabat. *Prophetam Domini videbant*, inquit S. Auguſtinus, *& eum eſſe arepititium blaſphemabant. Nam in illo tempore SS. Prophetæ ita in grandi contemptu & opprobrio habebantur, ut etiam B. Eliſeo, qui tanta miracula faciebat, ſicut ſuprà diximus, pueri indiſciplinati clamarent, aſcende calve, aſcende calve. Quam rem etiam parentibus ſuis inſtigantibus feciſſe credendi ſunt. Manifeſtè pueri illi non clamarent, ſi hoc eorum parentibus diſpiceret.*

(a) in cap. 9. lib. 4. Reg.

Iehu miro modo fit Rex Iſrael.

Propheta ab impia turba dicebantur inſani.

1889. Ex relatis ſacræ ſcripturæ verbis habetur, Dominum à Jehu exegiſſe duo, quorum gratiâ ipſum ad ſolium regium evexerit, primùm, ut ulciſcatur ſanguinem Prophetarum, & ſervorum Domini contra impiam Jezabelem, eam ſcilicet interficiendo, & canibus præbendo dilacerandam. Secundò, ut diſperdat omnem familiam Achabi à minimo uſque ad maximum, quæ mox executioni mandata fuere in Jezabele per feneſtram præcipitata, equorum ungulis contrita, & à canibus dilaniata ac vorata juxta S. Eliæ vaticinium. Hiſtoria refertur capite 9. libri 4. Regum. Erant autem in Samaria ſeptuaginta filii Achab, ex variis uxoribus ſuſcepti, quos omnes juſſit occidi, ſimiliter & quadraginta duos fratres Ochoziæ, nec non omnes cultores Baal, cujus ſtatuam in cineres redigi, & ejus fanum deſtrui, & in ſordidos latrinarum uſus converti curavit, ut ſic nomen Baal, cujus nefarium cultum inſtigante Jezabele Achab induxerat, omninò deleret. Fuit etiam erga Dei cultores placidus atque mitis, ut qui Jonadab filium Rechab valdè religioſum dilexerit, in currum ſuum levarit, teſtem zeli ſui pro Domino eſſe voluerit. Minimèque dubium eſt ab eo dilectum atque honoratum Eliſeum, omneſque illius diſcipulos, à quorum uno illius juſſu in regem fuerat inauguratus. Ita Salianus (a). En bona initia regni Jehu ſic zelantis zelum Domini: undè promeruit progeniem ſuam in regno uſque in quartam generationem: ſed non diu ſtetit Jehu in ea pietate, à qua regni ſui duxerat exordium. At ſeſe convertit ad idololatriam, & vitulorum aureorum adorationem, in tantum, ut ſacro textu aſſerente: *cœpit Dominus tædere ſuper Iſrael.* Propter quod Deus magnam ſelectamque partem Iſraelitici regni tradidit præfato Hazaeli Syrorum regi, qui inſtar rabidi canis ſeu belluæ crudeliter deſeviit in Iſrael, urbes cremando, juvenes occidendo, parvulos elidendo, prægnantes diſſecando, prout prædixerat S. Eliſeus.

Iehu interfecit Iezabel, & omnem familiam Achab delevit.

(a) ad an: mundi 3104.

CAP.

XIV. Junii.

CAPUT XI.

S. Eliſeus dictus Salvator Iſraelis: ejus moribundi vaticinium.

1890. (a) DEdit Dominus ſalvatorem Iſraeli, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ: habitaveruntq; filii Iſrael in tabernaculis ſuis ſicut heri & nudiuſtertius. Hazael rex Syriæ vehementer afflixerat, & attriverat Iſraelitas, ut capite præcedente dictum, ſed dedit Dominus Salvatorem Iſraeli, videlicet Eliſæum (ita Cajetanus) aut certè Ioas regem Iſrael, ab Eliſeo confortatum, qui tertiò Syros ſuperavit (ut ſequitur.) Ita Cornelius in illum locum. Quâ ratione S. Eliſeus *Salvator* Iſraeli datus fuerit, declarat Lezana in Annalibus (b) ubi denique addit: nec improbabiliter etiam affirmari poteſt Eliſeum dici *Salvatorem* Iſraelis, quia ejus precibus, & orationibus apud Deum factum eſt, ne hi Syriæ Reges Dei populum ſic arctè vexarent, ut ad interitum jam proximè labentem penitus delerent. Piorum namque orationibus Regna fulciuntur. Id certum, quod precibus ſancti Eliſei Deus Iſraelitas ſæpè liberaverit (ut mox dicetur) & ſæpiùs liberaſſet, ni peccata eorum præſertim idololatria impediviſſent, & Dei vindictam concitaſſent. Et ſanè meritò S. Eliſeus vocari poteſt *Salvator Iſrael*; cùm id nomen ejus præ ſe ferat, nam ex mente Patrum, vocabulum ipſum *Salus Dei* eſt, aut *Deus Salvator*.

(a) 4. Reg. 13.

(b) ad an. mundi 3180. n. 2.

Eliſeus dictus Salvator Iſraelis.

1891. *Eliſeus autem ægrotabat infirmitate*, (c) ſcilicet ſenectute, & (cùm eſſet Religioſus) vitâ auſterâ, & laborioſa (ut habet Abulenſis) conſumptus. Alii ex Textu Hebræo, Græco & Chaldæo eruunt, cum ægrotaſſe infirmitate, quâ frequenter affligebatur. *Deſcenditque ad eum Ioas rex Iſrael, & flebat coram eo.* Indè intelligitur Prophetam, apud regem magno in pretio habitum, & meritò, cum eſſet vir ab omnibus diligendus, utpote ſanctus, qui ſæpiùs liberaverat Iſrael, videlicet, quandò à Deo obtinuit aquas exercitui alioqui perituro (hic ſuprà cap. 5.) quando excæcavit Syros, ducendo illos in Samariam (ut dictum cap. 9.) quandò ab extrema fame, ſimul & ipſa obſidione liberata fuit Samaria. Denique jam promittit Syriam percutiendam tribus vicibus. Plorabat igitur rex & lugebat diſceſſurum Eliſeum conſolatorem & Salvatorem Iſrael, in quo plus ſpei erat quàm in curribus, & equis, eratque in civitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æneum contra inimicos. Ideòque dicebat: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.* Quaſi diceret: Tu, ô Eliſee eras totum robur Iſraelis, qui magis juvabas Iſraelem, quàm magna curruum & equitum multitudo. Ita Procopius, Cajetanus, & alii. Sanctius autem: Hebræorum, inquit, arbitror eſſe proverbium, quo ſummum in adverſis ſignificari ſolet præſidium, quale eſt illud Latinorum; *columen patriæ, domus, anchora.* Et quod de ſuo Mœcenate dixit Horatius lib. 2. Ode 17. *Grande decus columenque rerum.*

(c) 4. Reg. 13.

Moribundus inviſitur à Rege flente.

1892. Condoluit S. Eliſeus regi ploranti præ anguſtia, & metu de invaſione Syrorum, & deſolatione regni ſui per eos, & conſolando eum juſſit ipſum benè ſperare, rerum enim converſionem brevi affore, promittens liberationem à Syrorum tyrannide, ipſoſque Syros ab Iſraelitis debellandos, & affligendos: *Affer*, inquit, *arcum & ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas, dixit ad regem Iſrael: pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis*, ut ſignificaret ſuum illi auxilium affuturum, etiamſi abſentis, imò vita functi: Deum enim propter merita ſua ei daturum victoriam: ac ſe in limbo pro ea Deum oraturum certòque impetraturum. Poſt mortem ergo viva erat vis & virtus Eliſei, ac mira quæ ſolebat dum viveret, etiam mortuus operabatur. Ita Cornelius à Lapide cum Abulenſi, Cajetano, & aliis. *Et ait* (Eliſeus) *aperi feneſtram Orientalem. Cumq; aperuiſſet, dixit Eliſeus: jace ſagittam. Et jecit. Et ait Eliſeus: ſagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam. Et ait: tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet, rurſum dixit ei: percute jaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum.* Hanc iram, triſtitiam interpretati ſunt Septuaginta. Doluit enim Propheta præter mentem ſuam, ac deſiderium videndæ perfectæ ultionis de Syris contigiſſe, non ſexies aut ſepties, ſed ter tantum, juxta numerum percuſſionum, Syriam clade afficiendam eſſe. Potuit quoque vera eſſe ira contra regem, qui ex modo agendi, loquendique Prophetæ intelligere potuit, pluribus ictibus terram fuiſſe feriendam. Ita Abulenſis, Salianus, & alii. *Si percuſſiſſes*, inquit, *quinquies aut ſexies ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Ex eo autem Eliſeus percutere terram regi præcipit, quia divinitùs ſciebat, quoties eam jaculo percuſſiſſet, toties etiam percuſſurum Syriam, & propterea triſtatus eſt, quòd ſolùm ter id fecerit. Simili modo victoriam Joſuæ contra Amalec Deus alligavit extenſioni manuum & orationi Moyſis (a) & ejuſdem Joſuæ victoriam contra Chananæos alligavit elevationi clypei Joſuæ. Ita quoque S. P. Elias conditionem appoſuit Eliſeo, ſub qua acciperet ſpiritum duplicem.

Eliſei prophetica prædictio.

(a) Exodi 17. verſ. 11

XIV. Junii.

CAPUT XII.

S. Eliſei obitus, ſepultura: ibidem mortuus factus redivivus.

(a) 4. Reg. 13.

1893. MOrtuus eſt ergo Eliſeus (a). Morienti adfuiſſe Joas regem, ac filios Prophetarum diſcipulos ſuos jam per totum Iſraelem propagatos, ultimaque ab eo ſanctitatis & religioſæ vitæ monita accepiſſe, non eſt dubium. Ita Cornelius. *Rationi* enim *conſentaneum erat*, inquit Salianus (b) *Eliſeo morienti affuiſſe pleroſq; viros Religioſos tàm Carmeli, quàm aliorum locorum cultores, quos ipſe tot annis excolaerat, quibusque Dominus non leve incrementum dederat.* Et poſt alia: *Ecquis enim piorum, qui aliquo numero eſſet, non magni beneficii loco acceperit ſancti ſenis è vivis abeuntis conſequi benedictionem, & ejus ex ore veridico monita ſalutis poſtremùm audire: utique qualia olim Elias abiturus ab hominibus tradiderat ſuis, quibus adumbrandis nihil eſt neceſſe, nos hoc loco iterum operam ponere.* Hæc Salianus Tomo 4. Annalium (c) ubi conſequenter perelegans ipſius Epitaphium (quod vitæ ejuſdem eſt epitome) exhibet, hîc infrà ſubnectendum.

S. Eliſei obitus,

(b) ad an. mundi 3204.

(c) ad an. mundi 3205.

anno ætatis circiter 105.

1894. Conſentiunt paſſim omnes, eum ſanctiſſimæ vitæ curſum conſummaſſe, cùm annum centeſimum ſuperaſſet. Aliqui annos attribuunt 105. & alii 107. Dies obitus paſſim adſcribitur decimo quarto Junii, ad quem in martyrologio Romano adſcriptus ſic legitur: *Samariæ in Palæſtina ſancti Eliſei Prophetæ, cujus ſepulchrum dæmones perhorreſcere ſanctus Hieronymus ſcribit: ubi & Abdias Propheta quieſcit.* Circa quæ Cardinalis Baronius iſta annotat: *De eodem* (S. Eliſeo) *hac die Beda, Vſuardus, Ado, & cæteri Latinorum, nec non & Græci in Menologio. De ejus Sepulchro Samariæ poſito, deque miraculis ibi fieri ſolitis ſcripſit S. Hieronymus epiſtola 27. in epitaphio Paulæ ad Euſtochium, & in Abdiam Prophetam capite primo in principio. Epiphanius de vita & interitu Prophetarum capite 6.* De eodem iſta refert Joſephus libro 9. Antiquitatum cap. 9 *Cum Eliſeus jam admodum ſenex in morbum incidiſſet, viſendi cauſa eum adiit* (Ioas rex Iſrael) *Propheta paulo poſt defunctus eſt, vir inclyta juſtitia, & citra controverſiam Deo longè chariſſimus. Multa enim, & miracula divinæ mentis argumenta exhibuit, quorum memoria apud Hebræos durat clariſſima. Sepulchro etiam honoratus eſt magnifico, quale decuit hominem numini divino acceptiſſimum.* Sic Joſephus; ideoque Hieronymus ſepulchrum ejus vocavit Mauſolæum. Nec minore affectum honore ſepulturæ exiſtimat Abulenſis Eliſeum quàm Samuelem, ad cujus funus honorandum legimus univerſum Iſraelem fuiſſe congregatum, eumque planxiſſe. Neque minus de toto populo benè meritum Rex ipſe ſignificavit, qui eum lachrymis proſecutus, etiam patrem ſuum, totiusque populi patronum ac protectorem appellavit; cujus precibus deberetur, quidquid boni adeſſet Iſraelitis, & quidquid abeſſet mali; à quo uno in ſpem meliorum temporum, certamque fiduciam divino oraculo eſſent excitati.

Eliſeus ſepultus eſt in Mauſolæo in Samaria.

1895. S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ ad Euſtochium, agens de *Sebaſte* (quæ & *Samaria* & *Auguſta* nominata fuit) iſta teſtatur de ſepulchro S. Eliſei, & prodigiis ad illud fieri ſolitis: *Ibi*, inquit, *ſiti ſunt Eliſeus & Abdias Prophetæ, & quo major inter natos mulierum non fuit, Ioanne Baptiſta. Vbi multis intremuit conſternata miraculis: namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſisque pede fœminis veſtes defluere in faciem, &c.* hæc Hieronymus: qui & in Abdiam ait: *Sepulchrum ejus uſque hodie cum Mauſolæo Eliſei Prophetæ, & Baptiſtæ Ioannis, Sebaſte veneratione habetur, quæ olim Samaria dicebatur.* Habuit igitur S. Eliſeus Mauſolæum (hoc eſt: ſepulchrum pretioſum, & magnificum, cujusmodi fieri ſolet pro Cæſaribus, aut Regibus) in quo etiam (ut ex relatis habetur) reconditi fuere S. Abdias Propheta, & S. Joannes Baptiſta, ejuſdem Inſtituti ſectatores, prout etiam Joannes Gillemanus, Ordinis Canonicorum Regularium in Monaſterio Rubeæ-Vallis prope Bruxellam in Hagiologio, ſeu Martyrologio, ad diem 29. Auguſti. De iiſdem tribus in eodem ſepulchro conditis ſcribit Mantuanus libro 8. Faſtorum agens de *decollatione S. Ioannis Baptiſtæ:* videatur hic infrà ad XXIX. Auguſti.

Sepulchro eodem conditi Abdias & Ioannes Baptiſta.

1896. Qualiter iſtorum ſacras reliquias tempore Juliani Apoſtatæ impiiſſimi Satellites mente rabida, & funeſtis manibus invaſerint, diſperſerint, cremaverint, refertur à Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis (a) Lezana in Annalibus Carmelitanis (b) notat magnam eorum partem per quoſdam Monachos fuiſſe ſervatam: Et quidem caput S. Eliſei Ravennam tranſlatum, in magna ibi eſſe veneratione ſcribit præfatus Joan. Gillemanus ad diem XIV. Junii. Et Baronius Tomo 6. Annalium ad annum Chriſti 463. ſub finem ex Cedreno: *Hoc*, inquit, *eodem anno qui ſeptimus numeratur Leonis Imperii, Eliſei Prophetæ oſſa è Palæſtina Alexandriam ſunt tranſlata.* Idem loco jam ante indicato (c) refert, quod mortuo Juliano ipſa eorundem S. Eliſei, & S. Ioannis Baptiſtæ monumenta (ſive ex collectis ac repoſitis ibi cineribus, ſive ex carne ipſa, quæ temporis diuturnitate oſſa deſeruerat) eàdem, quâ prius, imò majore celebritate, & veneratione, ob miracula ibidem edi ſolita, celeberrima, claruerunt.

(a) ad an. Chr. 362.
(b) Tom. I. ad annum mundi 3304. n. 7. & Tom 2. ad an. Chr. 362.
(c) ad an. Chr. 362.

1897. Prodigium quod ad ſepulchrum S. Eliſei contigit, refert ſic ſacer Textus: *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo,*

Tactu corporis S. Eliſei mortuus reſuſcitatur.

XIV. Iunii.

mo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Is fuit primus à condito mundo per Reliquias Sanctorum defunctorum factus redivivus. Hanc ob cauſam Eccleſiaſticus cap. 48. in Elogio S. Eliſei id ſingulariter expendit, ſcribens: *Mortuum prophetavit corpus ejus*, id eſt, mortuum ſuſcitavit tactu corporis ſui: dicitur autem ille ſuſcitatus *ſtetiſſe ſuper pedes ſuos*, quò denotatur, non tantùm vitæ, ſed & perfectè ſanitati redditum fuiſſe, qualis eſt in homine robuſto, & vegeto, qui nullum ſenſit neque à morte pallorem, & maciem, neque incommodum ab adverſa valetudine. Eſt autem hominis valentis, & fortis non jacere in terra, aut in lecto decumbere, aut etiam in pulvere ſedere, ſed ſtare ſuper pedes ſuos, erecto nimirum corpore, & ad omnem motum, & opus expedito. Ita Abulenſis, & Sanchez: eoque facto mirabili, atque ad eam diem inaudito Dominus Prophetæ ſui ſanctitatem declarare voluit, ſimulque docere hujuſmodi ſanctorum lipſana meritò ab hominibus eſſe veneranda: cum ea miraculorum effector Deus, glorioſis operibus, & naturæ vires longè ſuperantibus, honoret, ut templa Spiritus ſancti ad beatam immortalitatem deſtinata.

EPITAPHIVM
Sancti Prophetæ Eliſei
Ex Annalibus Iacobi Saliani.

Epitaphium ejus perelegans.

1898. *Hic ſitus eſt magni Præceptoris major, ſi fas eſt dicere, diſcipulus Eliſeus, qui humili loco in Abelmeula natus, ab aratri tractatione ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ ſcientiam, ac dignitatem, ad prodigiorum effectionem evocatus, impios bellis, obſidionibus, ſeptenni fame cædibusque caſtigat: qui feras ad lacerationem puerorum in vindictam parentum vocat, turpiſque lucri cupiditate ſordidos fœdiſſima perennique lepra contaminat. Hic eſt, qui ad unam Prophetæ voculam, aut pallii injectionem ad Dei famulatum incaluit; & patri, matrique valedicens, omnia in proluſionem Evangelicæ paupertatis abdicavit à ſe, atque contempſit. Hic eſt, qui Religioſæ paupertatis theſauro dives, egentes, obæratasque viduas, inopes Prophetarum cohortes, adeoque copioſos militum exercitus deſertis in locis ſiti enectos divina benignitate locupletat: qui innumerabilium Religioſorum Parens, atque propagator ea ſemina annis penè octuaginta jecit, quæ ſuperveniens Evangelii gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit: qui ut populi ſui clades prævidit, atque præluxit, ita ejuſdem ſalutem ac libertatem moriens feliciter parturivit. Vixitque ad annos centum atque eo amplius: in Religioſa diſciplina LXXXVI.*

S. Eliſeus parens Religioſorum innum.

MANIPVLVS
Omnigenarum virtutum, reſplendentium in vita S. Eliſei.

1899. S. Eliſeus hæres duplicis ſpiritus ſui magiſtri magni Eliæ, ejuſdem etiam & virtutes ſic eſt æmulatus, & in ſe expreſſit, ut ſicuti ejuſdem indutus pallio Elias ipſe, & (ſicut ſuprà dicebatur) Elianæ vitæ apographum perfectiſſimum, ſuoque autographo quàm ſimillimum videretur: quod potiſſimè utriuſque virtutes conſideranti manifeſtum fiet. Virtutes itaque ſancti Eliſei eodem ordine, quo ipſius ſancti Eliæ, en ſuccinctè, quaſi in manipulum collectas.

CAPVT PRIMVM.
S. Eliſei virtutes monaſticæ, Paupertas, Caſtitas & obedientia.

1900. Paupertatem S. Eliſei manifeſtè teſtantur ſacræ literæ: imprimis ad unam voculam Eliæ reliquit boves, & omnia quæ habebat, ſicque pauper pauperem *ſecutus eſt Eliam* (a). Sicuti poſteà fecerunt Apoſtoli Chriſti; *ſic enim quandò Chriſtus vocavit diſcipulos ſuos, relinquebant omnia, & ſequebantur eum: ſic enim, quando Chriſtus vocavit Petrum, & Andream fratres, relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Sic etiam Iacobus, & Ioannes Zebedæi fratres relinquentes patrem, & navem, vocantem Chriſtum ſecuti ſunt, Matthæi 4.* ità Abulenſis in caput 19. libri 3. Regum quæſtione 23, ad idem propoſitum quæſtione 26. illa verba: *& aratro boum coxit carnes* explicans ait: *id eſt cum aratro coxit, ſcilicet fregit aratrum, & comminuens in partes poſuit in igne, & ibi coxit boves: hoc fecit non quidem tanquam non haberet alia ligna, ſed quia tranſibat ad dominum omninò volebat renunciare ſæculo, ita quod nihil relinqueret in illo, quod ad ſe pertineret, & quia boves duo, & aratrum pertinebat ad Eliſeum, & in ipſis ſolebat arare, voluit utrumque conſumere, boves tradendo in convivium, & aratrum cremando, ita ut jam nihil ad ſe pertinens relinqueret in ſæculo, ſed totus ipſe tranſiret ad Dominum, quod valdè magnum exemplum eſt pro iis, qui ad Dominum tranſeunt, quod nihil in ſæculo relinquere debeant, ad quod afficiantur.* Atque ita S. Eliſeus dicere poterat: *Ecce ego reliqui omnia*, in proluſionem videlicet Evangelicæ paupertatis: Propterea de ipſo canitur in hymno divini officii. (b).

(a) 3. Reg. 19.

S. Eliſei paupertas, ex SS. Litteris declarata.

Exemplum dedit mundo abdicantibus.

(b) Feſto S. Eliſei, die 14. Iunii ad matutin.

Hic vir exemplum dedit abdicantibus
Mundo: prophetam dum Eliam ſequitur;
Relicto patre, atque ſecli retibus,
Conſociari optans cæli civibus.

1901. Paupertatem autem Eliſei non coactam, ſed voluntariam fuiſſe variis rationibus declarat Salianus To. 4. Annalium (c) ad

(c) ad an. mundi 3144. n. 9.

XIV. Junii.

ad an. mundi 3144. nu. 9. Imprimis quod ejus merito potiſſimùm tribuatur curatio Naamani à Lepra. *Tanta* (inquit ex & cum Theodoreto) *erat viri illius paupertatis, ut Rex Syrorum illius egeret gratia, &c.* Deindè ſpontè ſuſceptam id docet, quod cum valeret gratià apud regem, & militiæ principem, adeò, ut etiam alteri impetrare poſſet quod liberet; Sunamitis tamen charitate uti, & eleemoſynis vivere voluerit. Quod conſtanter repudiata Naamani munera, quæ gratitudinis nomine accipere potuiſſet, nonne voluntariam paupertatem clamant? Hæc Salianus. Ibidem paulò antè, ex eo quòd Eliſeus viginti panes hordeaceos ſibi oblatos in commune contulerit contubernium, non modò paupertatem ſpontaneam ipſius, ſed & vitæ communis ſectatorem fuiſſe, ad inſtar Religioſorum legis novæ, ſic infert: *Acceptum munus Eliſeus in communem impendit utilitatem; erat enim eis menſa communis, ut religioſis viris, nec Eliſeus ſibi proprium habere voluit, paupertatis ſtudio repugnante.* Paupertatem voluntariam, omniumque rerum omnimodam abdicationem quàm ſemel amplexus fuit, ſemper tota vita ſua exactiſſime ſervavit, fuitque unus, de quibus S. Paulus ad Hebræos capite XI. *Circuierunt in melotis, egentes, in ſolitudinibus, in ſpeluncis.* Paupertatem igitur exercuit in veſtitu, utens melota, veſte vili & aſpera, in victu quoque, pulmento, & herbis agreſtibus contentus.

Ejus paupertas fuit voluntaria.

In victu, veſtitu, habitatione.

1902. In habitatione ſimiliter, in Carmelo, & in aliis locis habitans in antris, ſpeluncis, caſulis. Hinc S. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum aſſerit Eliſeum cum ſuis diſcipulis habitaſſe in agris, & ſolitudinibus: & ad Ruſticum de eiſdem quod ædificaverint ſibi caſulas, & polenta ac herbis agreſtibus victitarent. Ex dictis cap. 7. etiam habetur, ipſum cum ſuis vixiſſe ex piorum eleemoſynis. Circa iſta diſſerens Abulenſis in caput 5. lib. 4. Regum quæſtione 16. *Eliſeus,* inquit, *erat pauper, nec vacabat agricultura, aut aliis negotiis lucrativis, ſed diſcurrebat per collegia Prophetarum erudiendo illos, & conſervando in ſtatu perfectionis pro tempore illo, ſicut paſtor cuſtodivit gregem ſuum, ideò neceſſe erat, quod ipſe viveret de aliquibus, quæ donarentur ei. Secundo patet hoc quia aliquando recipiebat Eliſeus munera: ſicut patet de illo viro, qui detulit Eliſeo panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos præcedenti capite: recipiebat etiam ſuſtentationem à muliere Sunamite: quia frequenter manebat in domo ejus, & alebatur apud eam.* Similiter ſcribit Salianus agens de muneribus à Naamano oblatis, & à S. Eliſeo conſtanter recuſatis. *Quamtumcunque,* inquit, *precibus fatigatus, conſtanter recuſavit.* Subdit enim: *Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit.* Et infrà: *Satis tamen conſtat hæc munera à Propheta recipi potuiſſe nomine eleemoſynæ, qui pauper eſſet, & paupertatem cum diſcipulis profiteretur, & aliena benignitate viveret.*

1903. Meritò itaque Patres ipſum unà cum S. Elia adſtruunt primum voluntariæ paupertatis auctorem, & principem. Ita S. Iſidorus: *Unde autem ad Monachos ſtudium defluxerit paupertatis? vel quis hujus converſationis extiterit auctor, cujus iſti habitum imitantur? quantùm enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum hujus propoſiti princeps Elias, & diſcipulus ejus Eliſeus.* S. Bonaventura Opuſculo de paupertate Chriſti articulo 2. *Non enim mihi eos, qui accuſant paupertatem afferas, ſed eos, qui per eam fulserunt. Cum hac Elias educatus, raptus eſt beata illa rapina: cum hac Eliſeus claruit.* S. Aſterius homilia adverſus avaritiam, S. Eliſei paupertatem ſic quoque deprædicat: *Eliſeus hic erat Propheta, terrenis quidem bonis carens, incorporeis autem ac cœleſtibus copiosè inſtructus, Philoſophus ab aratro, ſine domo, ac lare: veſte unâ ac ſimplici utens: nuper quidem auctus hæreditate, ea tamen vilis duntaxat pretii melote, inviſibilique benedictionis ignæo curru delapſa.* Paupertatem ejus in cellula Religioſis in exemplum proponit S. Iſidorus Peluſiota (a): *Eliſei frugalitatem,* inquit, *imitare, nihil ultra cœnaculum, & lucernam requirens.* (a) lib. 1. epiſt. 498.

Eliſeus cum Elia primi voluntariæ paupertatis auctores.

1904. Caſtitatem S. Eliſei adſtruunt paſſim Patres iidem, qui de S. Eliæ virginitate tractant. Quoſdam relatos habes hìc ſuprà in præfatione: quibus jungantur S. Epiphanius, qui hæreſi 63. agens de virginitate, dicit, eos eſſe virgines, qui Angelicam in terris æmulantes vitam, ſeipſos caſtrarunt propter Regnum cœlorum, & in medium producit SS. Eliam, Eliſeum & Joannem. *Elias,* inquit, *& Eliſeus, & Ioannes, & omnes, qui per magnam hanc formam imitationis Angelorum rectè ſecundum Evangelicam Domini ordinationem ſeipſos propter regnum Dei caſtrarunt.* Sic quoque S. Ephrem explicans illa verba: *melius eſt nubere quam uri,* atque alii S. Eliſeum referunt inter ſpirituales Eunuchos, qui *propter regnum cœlorum ſe caſtraverunt.* Quinam ii ſint, explicatum habetur in vita S. Eliæ parte 6. cap. 1. & poſteà dicetur ex Bellarmino. S Anſelmus libro de virginitate ſancti Eliſei admiranda geſta peculiariter attribuit meritò caſtitatis ejuſdem: *Nonne,* inquit, *propter pudicitiæ virginalis inſulam magiſtri fretus melote, enormem Iordanis gurgitem diremit, impuberes petulanter naturæ ludibrio vati inſultantes, rabidis urſinis ferocitatis rictibus tradidit, cadaveri gelida mortis faucibus ſuffocato, etiam ipſe letho ſopitus vitalem reddidit ſpiritum.* Hinc de S. Eliſeo in feſto ejus ad diem XIV. Iunii ad matutinum canitur:

Eliſei caſtitas virginalis.

Eliſeus namque virgo plenè permanens
Beatis cæli coæquatur Angelis:
Qui pravos carnis motus ſcivit premere,
Et mentem puram Chriſto novit gerere.

Ad conſervandam autem caſtitatem præter orationes, jejunia, vitæ auſteritatem (de quibus in ſequentibus) etiam ſollicite abſtinuit à converſatione cum mulieribus, prout ex ſacris Litteris eruit Abulenſis, peculiariter quæſtione 19. in caput 4. libri 4. Regum ubi

Ad caſtitatem ſervandam verumi familiaritatem cum fœminis.

ubi iſta: *Cauſa autem, quare Eliſeus non fecit eam ſtare coram ſe, ut loqueretur ipſe ad illam, erat: quia ipſe erat vir valde ſanctus abſtractus à communicatione popularium, & maximè mulierum; rariſſimè enim loquebatur alicui mulieri, & potiſſime non permittebat ſe tangi ab illis. Hîc patet, quia quando iſta mulier mortuo filio, ivit ad Eliſeum in montem Carmeli, & procidens tetigit pedes ejus, amovit eam Giezi prohibens tangere Eliſeum: ſi tamen Eliſeus permitteret ſe tangi ab aliis mulieribus, à fortiori permiſiſſet ſe tangi ab illa, quæ miniſtrabat ei tàm ſolicite in omnibus. Poſteà autem Eliſeus compatiens ei, permiſit ſe tangi ab illa, ut patet infrà in littera. Qui cum vocaſſet eam. Giezi vocavit illam, qui erat miniſter Eliſei. Et illa ſtetiſſet coram eo,* id eſt, *coram Eliſeo, non tamen ſtetit coram eo, id eſt, conjuncta ei.* Et infrà quæſtione 40. circa illa verba: *Acceſſit Giezi, ut amoveret eam,* quærit: *Quare Giezi amoverit mulierem illam à pedibus Eliſei.* Reſpondet: *Quòd Eliſeus conſueverat nullam fœminam permitere ad ſe accedere, ideò Giezi, qui erat miniſter Eliſei, illicò, ut vidit eam tenentem pedes Eliſei, ivit ad amovendum eam.* Quæ ibi latiùs proſequitur.

Eliſei prompta obedientia.

1905. Obedientiam promptam S. Eliſei illicò ſequentis Eliam vocantem S. Joannes Chryſoſtomus homilia 24. in Matthæum confert cum obedientia Apoſtolorum, ſequentium Chriſtum vocantem: *Perpende,* ait, *fidem & obedientiam vocatorum: cuncta illicò relinquentes fecerunt, quod Eliſeus quoque ſub Elia legitur impleſſe. Talem quippè obedientiam à nobis Chriſtus efflagitat.* Obedientiæ iſtius promptæ, humilis, & perſeverantis meritò potiſſimum obtinuit duplicem Magiſtri ſui ſpiritum. Ita S. Ephrem (a) agens de obedientia, *Eliſeus,* inquit, *hujus adminiculo pallium & gratiam ſui accepit Magiſtri,* atque ita per eandem ad ſummum perfectionis culmen ipſum aſcendiſſe docet etiam S. Bernardus Tractatu de ordine vitæ ubi ſic: *Eliſeus relicto aratro, mactatis bobus vocantem Eliam ſecutus, per veram, mitemque obedientiam ad tantam morum aſcendit celſitudinem, ut ſpiritus tàm excelſi magiſtri dupliciter in bono diſcipulo requieſceret.*

(a) de virtute cap. 2.

CAPUT II.

In ſolitudinè oratio, contemplatio, divinæ præſentiæ conſideratio, exercitia quotidiana ſancti Eliſei.

Solitudinem amavit & coluit in Carmelo.

1906. SOlitudinem quoque cum tribus præfatis virtutibus Monaſticis exemplo ſui Magiſtri peculiariter adamavit, & coluit S. Eliſeus: *Elias,* inquit S. Nilus, *relicta Iudæa montem Carmelum deſertum & ferarum plenum incolebat, & præter arbores nullum habebat victus ſolatium. Harum fructibus uſum explebat neceſſarium. Eliſeus itidem eandem vivendi rationem ſervabat: à magiſtro enim ſuo cum reliquis virtutibus didicerat, & ſolitudine delectari.* Et S. Chryſoſtomus Sermone de S. Eliſeo, & Syrorum inſidiis detectis: *Sedebat namque Eliſeus in monte altior mundo, propior cælo. Sedebat, inquam, in edito, jacentia infra ſeſe deſpiciens, ſuperna jam devotus attendens: nec humano colloquio Deo fuerat copulatus.* Solitudinis igitur incolatu virtutibus omnibus decoratus, peculiariter oratione, & interna cum Deo converſatione inibi magnorum promeruit eſſe patrator miraculorum, ſicut animadvertit S. Ambroſius libro 3. Officiorum cap. 1. ubi exemplo SS. Moyſis, Eliæ, & Eliſei declarat, quod Sancti in magna quiete, ſilentio, & ſolitudine cum Deo converſantes mira operentur, ubi hæc de S. Eliſeo: *Eliſeus autem, aut in ſolitudine Iordanem tranſitu ſuo dividit, ut pars defluat poſterior, ſuperior autem in fontem recurrat: aut in Carmelo reſoluta difficultate generandi, inopinâ ſterilem conceptione fœcundat, aut reſuſcitat mortuos, aut ciborum temperat amaritudines, & facit farina admixtione dulceſcere: aut decem panibus diſtributis reliquias colligit plebe ſaturata: aut ferrum ſecuris excuſſum, & in fluvii Iordanis merſum profundo, miſſo in aquas ligno facit ſupernatare: aut emundatione leproſum, aut ſiccitatem imbribus, aut famem mutat fœcunditate. Quandò ergo juſtus ſolus eſt, qui cum Deo ſemper eſt.*

1907. Præſentiæ itaque divinæ ſubliſſimo exercitio ſolus in ſolitudine vacans cum ſuo Patre ſpirituali identidem dicere didicit: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto.* Ita loquens refertur capite 3. lib. 4. Regum: *Et vivit Dominus, ante quem ſto.* capite 5. Undè patet, iſtum loquendi modum ipſi, ſicuti & S. Eliæ, fuiſſe familiarem. Utrumque proindè Seraphicus Bonaventura in exemplum cunctis proponit libro de ſex alis Seraphim capite 8. ubi hæc: *In omni loco & tempore ſemper debet homo ſtudere Deo intendere, quaſi ſit coram eo per mentis intuitum. Undè ſolebant dicere Elias & Eliſeus: Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto.* Sic quoque Rupertus in caput XI. Apocalypſis: *Sanè quod ait de iſtis in conſpectu Domini ſtantibus, ejuſdem Eliæ ſive Eliſei quoque profeſſioni conſonat.* Atque ita converſatio utriuſque ſemper erat cum Deo, cum Angelis, in cœlo: & hac ratione planè admirabiles, & inſuperabiles facti ſunt. Hinc S. Ambroſius Sermone LXXXVII. (qui totus eſt de S. Eliſeo) *Mirum forſan videatur, quod ante dies ſancti Eliſei gratiam deſcribentes diximus in defenſionem ipſius de cælis auxilia deſcendiſſe, & armatos equites ſive quadrigas ei divinitùs affuiſſe, aſtitiſſe etiam circa ipſum quadrigam igneam. Magna quidem res, ſed in viro ſancto miranda non eſt. Quid enim mirum, ſi is auxilia meretur è cælo, cujus animus ſemper in cælo eſt? ſicut ait Apoſtolus (a). Noſtra autem converſatio in cælis eſt. Ergo ſi noſtra converſatio in cælis eſt, & cæleſtium converſatio poteſt eſſe nobiſcum, hoc eſt, ut qui vita vivimus, Angelorum rectè conſortium mereamur.*

Præſentia divinæ exercitio jugiter vacabat.

Credens ſe ſtare in conſpectu Dei.

(a) Philip. 3

1908. Verè igitur S. Eliſeus *ſedens ſolitarius, & tacens* per orationem, meditationem, & con-

XIV. Junii.

(a) Thren. 3.

& contemplationem *levavit ſuper ſe* (a): Propterea ejus meritis, & oratione *in vita ſua fecit monſtra*, (loquitur Eccleſiaſticus capite 48.) id eſt, miracula ſtupenda; nempè, ut idem habet S. Ambr. Serm. LXXXVI. *Eliſeus hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat. Nam cum idem miniſtro ſuo ad depellendum ejus timorem plures adeſſe diceret defenſores, nec metus ab illo poſſet auferri, tunc oravit ad Dominum dicens: Domine aperi oculos ejus ut videat, & aperti ſunt oculi ejus, & vidit, & ecce mons totus plenus equitatu, & reliqua. Oratio ergo Prophetæ aperuit oculos pueri. Non mirum ſi oratio aperuit oculos, ut videret exercitus. Non mirum inquam, ſi novos inſerit oculos, qui nova promeretur auxilia. Aut cur non acies producat obtutum, qui acies inſtruxerat angelorum?* Eandem hiſtoriam perpendens Cornelius à Lapide (b) dicit: Oratio eſt clavis cœli. Audi S. Auguſtinum Serm. 226. de Tempore: *Oratio juſti clavis eſt cœli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.* Ipſa ergo clavis eſt cœli, quia fortiſſimos Angelos cœlorum præſides oratio cœlo deducit & in opem elicit. Nam *cum oraſſet Eliſeus*, &c. *ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei.* Idem S. Pater Ambroſius libro 3. officiorum capite 1. declarat, quantæ virtutis fuerit Oratio S. Eliſei prævalentis exercitibus armatorum: *Et quoniam pleroſque delectant bellica: quod eſt præſtantius exercitum magni lacertis, an ſuis meritis confeciſſe prælium? Sedebat Eliſeus in uno loco, & rex Syriæ magnam belli molem inferebat populo patrum, diverſiſq; conſiliorum acerbabat fraudibus, & circumvenire inſidiis moliebatur, ſed omnes ejus apparatus Propheta deprehendebat, & vigore mentis per gratiam Dei ubiq; præſens, cogitationes hoſtium ſuis annunciabat, & monebat quibus caverent locis. Quod ubi regi Syriæ manifeſtatum eſt, miſſo exercitu clauſit Prophetam. Oravit Eliſeus, & omnes illos cæcitate percuti fecit, & captivos intrare Samariam, qui venerant obſidere eum.* Hactenus S. Ambroſius, qui cum alibi (c) eandem hiſtoriam retuliſſet, ſubjungit: *Ubi ſunt qui dicunt plus quàm preces ſanctorum hominum arma poſſe? Ecce una oratio Eliſei totum exercitum vulneravit, & unius Prophetæ meritis, omnis eſt hoſtium numerus captivatus. Quæ caterva regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, ut ita hoſtes proſternerent, unde illis nullus occumberet? Hæc eſt vera, hæc incruenta victoria, ubi ſic adverſarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur.*

Orationi, meditationi, contemplationi vacabat.

(b) in c. 5. Epiſt. S. Jacobi.

Eliſei oratio prævalet exercitibus armatorum.

(c) Serm. 86.

CAPUT III.

S. Eliſei vita in prudentia, juſtitia, fortitudine, & temperantia veluti Cardinibus conſtanter verſata.

1909. IN *hac vita virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum eſt: id diligere prudentia eſt: nullis indè averti moleſtiis, fortitudo eſt: nullis illecebris, temperantia eſt: nulla ſuperbia, juſtitia eſt.* Ita S. Auguſtinus Epiſtola ad Macedonium. Illæ itaque virtutes, in quibus veluti cardinibus totius vitæ noſtræ honeſtas verti debet, ut perfectæ ſint, conjunctæ eſſe debent, prout fuerunt in S. Eliſeo. Prudentia S. Eliſei quoad dilectionem ejus quod diligendum eſt, pateſcet ex dicendis capite 4. ubi de ejus erga Deum & proximum charitate. Prudentiam ejus in actionibus innuunt verba illa: *Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus*; magna enim cum prudentia aurigavit currum Iſrael, agendò cum Regibus, cum populo, & cum particularibus. Hinc ob ejus prudentiam, diſcretionem, gravitatem, modeſtiam dicebat Sunamites (a): *Animadverto, quod vir Dei ſanctus eſt iſte.* Prudentia etiam ejus peculiariter eluxit in recuſatione munerum Naamani: pro inſtructione tùm Naamani, tùm Prælatorum, ut non tàm bona fidelium, quàm fideles ipſos quærant, cum Apoſtolo dicente (b): *Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Ita Cornelius à Lapide in caput quintum libri 4. Regum, & Salianus Tomo 4. Annalium veteris Teſtamenti (c): ubi etiam animadvertit, quod Sanct. Eliſeus ex prudentia ſupernaturali, & ſpeciali directione Dei omnes actiones ſuas ordinaret: & hinc tàm conſtanter recuſarit munera à Naamano oblata, dicens: *Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam.* Subjungit Salianus: *Dei utiq; id conſilium fuit, qui Prophetæ omnes regebat actiones; quo referri poteſt illud: Vivit Dominus, ante quem ſto. Quis autem quærat à Domino, cur ita facit? & unica hæc cauſa Prophetæ ſatis fuit, ut Naamani precibus non acquieſceret.* Dei igitur directio cauſa fuit primaria, quod munera non acceperit ob varias congruentes rationes ibi à Saliano adductas: pari prudentia, & Dei inſtinctu, ſeu directione reliquæ ejus actiones fuerunt regulatæ.

Ejus prudentia.

(a) 4. Reg. 4.

(b) 2. Cor. 12.

(c) in Annal ad an. mundi 3150. n. 29

1910. Juſtitiæ zelo ſuccenſus, ut debitus Deo tribueretur cultus, quid contra Baalitas, & cultores idolorum fecerit, dicetur cap. 4. ubi de ejus charitate in Deum: & de ejus humilitate mox ſermo erit: Similiter zelo juſtitiæ Giezi famulo reo furti, & ſimoniæ ob acceptam animo ſimoniaco, & uſurpatam pecuniam, ſibi nullo modo debitam (quam & injuſtè in ſuos uſus convertere deſtinabat, & ideò abſconderat) inflixit lepram. Econtrà affectu *Gratitudinis* virtutis juſtitiæ affinis, Sunamitidi ob præſtitum hoſpitalitatis officium obtulit viciſſim obſequium ſuum dicens illi: *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, & vis ut loquar regi, ſive principi militiæ?* Et inſuper eidem ſterili filium precibus impetravit, mortuumque vitæ reddidit, præmonuitque ut ſibi provideret pro tempore famis inſtantis. Eliſeus enim prænuntiavit iſti mulieri futuram famem tamquam benefaciens ei: & hoc faciebat Eliſeus, ut redderet ei vicem pro beneficiis ſuſceptis ab illa. Ita Abulenſis in caput 8. libri 4. Regum queſtione 2. cujus titulus eſt:

Juſtitia ejus in S. Eliſeo.

Gratitudo.

Quæro

XIV. Iunii.

Quare Eliſeus prænunciavit famem futuram mulieri Sunamiti potius, quàm alteri. Cauſa itaque fuit gratitudo, & beneficii à Sunamitide accepti cõpenſatio, quinimò pro exigua miſericordia impenſa plurimorum beneficiorum accumulatio, prout meritò perpendit Sanctius commentans in caput octavum libri 4. Regum. *Magnus*, inquit, *eſt miſericordiæ fructus, quo Deus impenſum pauperibus officium, aut etiam homo* (ſicut hic Eliſeus) *interdum cumulatè compenſat. Commodarat Sunamitis Eliſeo de hoſpitio, cui ut referret gratiam, impetravit à Domino filium, deinde mortuum revocavit ad vitam; neque id ſatis eſſe putavit ad officii gratiam, cujus neq; depoſuerat, neque ut opinor, ad finem uſq; vitæ memoriam depoſuit. Cum enim ſeptennalem famem prævidiſſet in terra Iſraelitide, admonuit illam, ut maturè ex illa regione diſcederet, & eò migraret, ubi ſeptennali ſpatio major eſſet à frumento commoditas.*

Miſericordia.

1911. Fortitudinem ejus invictam teſtatur Eccleſiaſticus capite 4. his verbis: *In diebus ſuis non pertimuit principem: & potentia nemo vicit ipſum.* Verba illa explicata habes hic ſuprà cap. primo. Additur: *Nec ſuperavit illum verbum aliquod:* nam nullæ regis Ioram, vel aliorum minæ, nec blanditiæ & promiſſa potuerunt infringere, vel deiicere adamantinum animum Eliſei, ut patet 4. Reg. 6. 32. Undè Vatabl. vertit, *nulla res ſuperavit eum*; & Lyran. *nullum verbum*, ait, *comminationis vel adulationis eum à veritate retraxit.* De iſta S. Eliſei fortitudine, & libertate tractat S. Gregorius libro 7. Moralium cap. 22. cujus titulus eſt: *Quanta ſit ſecuritas ſervorum Dei, & in reprehendendis vitiis ſine perſonarum acceptione auctoritas:* ubi hæc ad propoſitum: *In horum profectò oculis quidquid temporaliter eminet, altum non eſt: nam velut in magni vertice montis ſiti, præſentis vitæ gaudia plenè deſpiciunt: ſeq; ipſos per ſpiritalem certitudinem tranſcendentes, ſubjecta ſibimet intus vident, quæcumq; per carnalem gloriam foris tument. Unde & nullis contra veritatem poteſtatibus parcunt: ſed quos attolli per elationem conſpiciunt, per ſpiritus auctoritatem premunt.* Et infrà: *Hinc eſt quod Eliſeus veram magiſtri celſitudinem ſequens, Ioram filium Achab ad ſe cum Ioſaphat rege venientem ex reatu perfidiæ confudit, dicens: Quid mihi & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ. Vivit Dominus exercituum. Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto: quòd ſi non vultum Ioſaphat regis Iuda erubeſcerem: nec attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. Hinc eſt quod idem vir, Naaman ad ſe cum equis & curribus venientem, ante oſtium domus fixit: & talentorum copia ac veſtium fulto non occurrit: non januam domus aperuit: ſed ut lavari ſepties in Iordane debuiſſet, per nuncium juſſit. Undè & idem Naaman iratus recedebat, dicens: putabam quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Dei ſui.* Quod verò ſic locutus non fuerit S. Eliſeus ex aliqua mentis elatione conſequenter capite 23. declarat: *Quomodo*, inquit, *Eliſeus videre Naaman ex elatione noluit: qui non ſolum ſe conſpici, ſed teneri etiam à muliere permiſit? de qua ſcriptum eſt: Cum veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & acceſſit Giezi, ut amoveret eam: & ait vir Dei: dimitte eam: anima enim ejus in amaritudine eſt.*

Invicta animi fortitudo.

1912. Cum autem de ejus humilitate hic ſermo inciderit, humilitatem, ceu fundamentum virtutum à juventute etiam ante vocationem ſuam ad propheticam monaſticam diſciplinam adamavit, & coluit. Propterea quamvis dives eſſet, & locupletis patris filius, in pecuniis tamen & divitiis ſe non extulit, ſed cum famulis & mercenariis pariter operabatur; nam *ipſe in duodecim arantibus unus erat.* Humilitatem, animi demiſſionem, & modeſtiam etiam oſtendit in fuga laudis humanæ. Ideò reſuſcitato filio Sunamitidis: *Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit ſuper terram*, virum ſanctum & benefactorem ſummiſſiùs honorando: *tuliuq; filium ſuum, & egreſſa eſt ex Prophetæ cœnaculo. Eliſeus autem reverſus eſt in Galgala.* Noluit ſcilicet ibi multas laudes & congratulationes non ſolùm honoratæ familiæ, ſed totius etiam civitatis audire. Itaque quamprimùm ad propria rediit, videlicet *ad dilectum ſibi Carmelum.* Ita Salianus tom. 4. Annalium (a).

Humilitas.

(a) ad an. mundi 3143. n. 31.

1913. Temperantiam quoque hauſerat à ſuo Patre ſpirituali. *Eliſeus vates in magiſtro ſuo quidem didicerat parſimoniam*, inquit S. Ambroſius libro de Elia & jejunio cap. 6. Jejunium autem temperantiæ potiſſima pars eſt, pro quo omnibus in exemplum S. Eliſeum proponit Magnus Baſilius homilia de laudibus jejunii: *Eliſeus autem cujuſmodi victu eſt uſus? Quomodo apud Sunamitidem hoſpitio refocillatus eſt? Quomodò ipſe Prophetas excepit? Nonne agreſtia olera & farinæ pauxillum hoſpitalitatis munus expleverunt? Quo tempore calamitate ſimul cum herbis ſumpta, periclitabantur qui guſtarant, ni jejunatoris prece veneni vis diluta fuiſſet. Atque ut ſemel omnia dicam, reperies quotquot fuere ſancti, omnes per jejunium ad vitam Deo dignam fuiſſe inſtitutos.* Similia habet oratione 5. de jejunio. Propterea *non iratus eſt coco; lautioris enim menſæ conſuetudinem non habebat*, inquit S. Hieronymus ſcribens Euſtochio; dum videlicet viles, & amari guſtus cibi adminiſtrabantur: nam ut Petrus Bleſenſis ſcribit: *Patientia, quaſi farinula Eliſei, quæ totius cibi amaritudinem novit dulcorare.*

Temperantia.

CAPVT IV.

Virtutum Theologicarum continuo exercitio vitam quodammodò divinam duxit S. Eliſeus.

1914. S. Ambroſius relatus hic ſuprà capite primo, & paſſim Patres alii ſcribunt, S. Eliſeum animo ſemper verſatum fuiſſe in cœlis, & agentem adhuc in terris vitam duxiſſe quodammodò cœleſtem, & divinam: quod quidem præſtitit ſubſidio

 oratio-

XIV. JUNII.

orationis, contemplationis, atque aliarum virtutum hactenùs propoſitarum, ſed potiſſimè fidei, ſpei, & charitatis.

S. Eliſei fides viva.

Quoad fidem vivam Dei ubique, & ſemper ſibi præſentis, eam teſtatur apertè reciprocata proteſtatio exiſtentiæ coram Deo, ſeu in ejus conſpectu (prout mox & ſubindè in antecedentibus.) Fidem magnam S. Eliſei, ſpem & fiduciam ejuſdem in Deo admiratur idem S. Pater Ambroſius Serm. 87. *Eliſeus*, inquit, *Propheta cum eum vellet Rex Syriæ captivare, ac ſuæ ſubdere ditioni, multiſq; eum armatorum cinxiſſet agminibus, non eſt territus, non turbatus, ſed annuncianti puero ait: Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. O fides ſancti Prophetæ, non timet adverſarios quos proſpicit, quoniam ſcit Angelos ſecum eſſe quos credit.*

Spes & fiducia.

Et libro 6. Hexameron cap. 2. *Eliſeus etſi meritò inimitabilis, nobis imitandus fide, non conſideravit quantos panes haberet; ſed quos haberet, dividere omnibus voluit, & ſufficere omnibus judicavit. Itaq; decem panes hordeaceos dividere in plebem juſſit miniſtro. Et dixit miniſter: Quid? dabo hoc in conſpectu centum virorum? Et reſpondit: da, & manducent, quoniam hæc dicit Dominus: Manducabunt, & relinquent. Fides igitur veſtra facit abundare pauperis linguæ convivium.* Credidit, & ſperavit, ſuis precibus Sunamitidi ſterili filium impetrandum, eundemque mortuum ad vitam revocandum, exercitibus trium regum periclitantibus defectu aquarum, aquas abundantes ſine pluvia, & vento providendas, & juxta fidem ac ſpem illius contigit. Pauper erat & egenus, non habens quibus diſcipulos ſuæ curæ concreditos, tempore famis aleret: ſed ſpes, & fiducia ejus in Deo parum frumenti, & paucos panes ſic multiplicavit, ut quæ paucis vix ſufficerent, indè multi comederent, ac ſaturarentur, & tamen ſupereſſet, ut refertur cap. 4. libri 4. Regum & jam audivimus.

Charitas & zelus divini honoris.

1915. Charitate quoque, & zelo divini honoris ac ſalutis proximorum inflammatus, eâ intentione peculiariter omnia ſua opera direxit, quod ſatis indicat uſitatus illius loquendi modus: *Vivit Deus, in cujus conſpectu ſto*: quo ſignificatur, ipſum ſemper mente habuiſſe Deum præſentem, ut eum amaret, eique per omnia placeret, & ad illum jugiter cor & actiones omnes dirigeret, ſicut & ex antedictis habetur. Eodem zelo ſuccenſus ad correctionem parentum impiorum idololatrarum maledixit pueris irridentibus (vide hîc ſuprà capite 4.) & (veluti S. Elias octingentos quinquaginta Prophetas Baal, & Lucorum, qui populo in decipulam, & ruinam erant) quoſdam etiam idololatras deceptores ipſe occidit, aut occidi curavit, ne populum perverterent, ſicut de eo erat prænunciatum capite 19. libri 3. Regum. Ita Abulenſis quæſtione 13. in iſtud caput.

Cura ſalutis proximi.

Zelo etiam ſalutis proximorum ardens ivit ad exercitum trium regum ſimul congregatorum: & in Calendis ac Sabbathis in oratorio Carmeli, populum piis monitis, ſeu concionibus ſive exhortationibus inſtruebat. Id Doctores colligunt ex capite 4. libri quarti Regum in illis verbis: *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodiè non ſunt Kalendæ, nec Sabbathum.* Ad quæ ſic idem Abulenſis: *Et ſic ſubintelligendum eſt, quòd ſæpè iſta mulier iviſſet ad audiendum Eliſeum in monte Carmeli in diebus Sabbathorum, & Kalendarum.* Vide dicta hîc ſuprà capite 6. frequens etiam fuit in viſitatione ſuorum diſcipulorum, diſcurrendo per collegia, ut omnes in obſervantia Religioſæ vitæ à S. Elia inſtitutæ confirmaret & perficeret, & hæc quidem ſpiritualia. Quoad corporalia ex charitate Jerichuntinis dulcoravit fontem aquarum; quæ præſtiterit Sunamitidi, & filiis Prophetarum in neceſſitate famis, jam dictum ante. Aliis etiam plurimis & quoad animam, & quoad corpus beneficia impendit.

1916. Charitas iſta etiam ſe extendebat ad hoſtes; qui venerant ut eum caperent, quibus viſum ademptum reſtituit, & cum à rege Iſrael poſtularentur ad mortem, jubet illis non tantû parci, ſed inſuper eos benignè tractari, & cibum ac potû apponi, ut quos precibus & meritis captivaverat, charitate etiam ſuperaret.

Charitas Eliſei etiam erga hoſtes.

Igitur *appoſita eſt eis magna ciborum præparatio, & comederunt & biberunt*, ut habet ſacer Textus cap. 6. lib. 4. Regum: factum hoc fidelibus in exemplum proponit S. Ambroſius libro 3. officiorum cap. 14. ubi hæc: *Quid verò Eliſeus niſi honeſtatem ſecutus eſt, cum exercitum Syriæ, qui ad obſidendum eum venerat, captivum introduxit in Samariam, cujus oculos cæcitate obduxerat, & dixit: Domine aperi oculos eorum, ut videant, & viderunt? Itaquè cum rex Iſrael percutere ingreſſos vellet, eamq; ſibi dari à Propheta facultatem poſceret, reſpondit non percutiendos, quorum captivitatem non eſſet manu operatus, armiſq; bellicis: ſed magis ſubſidio alimentorum juvandos.*

Expenditur à Patribus.

Et poſt alia circa iſtam hiſtoriam: *Eliſeus glorioſius ignovit quàm percuſſit, & utiliùs reſervavit hoſtes, quàm ceperat.*

1917. Circa hoc ſic quoque eleganter S. Chryſoſtomus Sermone de S. Eliſeo, & Syrorum inſidiis detectis: *Igitur poſtquam apponi menſas aſpiciunt; & dapibus ſe invitari cognoſcunt, mirantur & ſtupent ſibi pro morte victum, pro interitu cibum, convivium pro pœna offerri. Aut iſthic, inquiunt, aliqua latent inſidiæ: aut ſi ſimplicia iſta & vera ſunt, quales ſe exhibent ſuis, cum tales ſe exhibeant alienis? Aut quomodò cives diligunt, qui hoſtes taliter tractant? Aut quemadmodum accepta referunt beneficia, apud quos humanitate expungitur pœna? Deniq; poſtquam portis apertis ad ſuos cuncti dimiſſi: tunc ſecum invicem tractant, tunc ſecum diverſa apud ſuos animos cogitant. Recolunt ſubitò ſe viſu mulctatos, ac per hoc in civitatem hoſtium veniſſe captivos. Dehinc reddito viſu, nec quid fecerint, meminiſſe, & quid evadere potuerint, perdidiſſe. Poſtea à Rege petitos ad mortem, ſed Prophetam illis feciſſe pro morte tribui humanitatem. Gaudent ſe ſenſiſſe tot pericula, quot virtutes: tot ſigna aſpexiſſe, quot mortes, quibus liberati: & cog-*

Et in exemplum proponitur.

XIV. JUNII.

& cognoviſſe, quod non noverant: & evaſiſſe, quod meruerant, gaudent. Fit tunc Propheta ſanctiſſimus glorioſus in ſuis, glorioſior in alienis. Exhibet ſuis ſigna virtutum, & alienis cauſas exhibet gloriarum. Docuit prior inimicos foveri, docuit primus debere hoſtibus parci, docuit adverſariis pro pœna epulas exhiberi. In hoc facto S. Eliſeus fuit typus Chriſti, ſicut ibi conſequenter declarat idem ſanctus Pater his verbis: O *Dominum Chriſtum, & in veteribus novum, & in novis exemplis veterem figuratum. Eliſeus ſanctiſſimus clauſit viſum, & reſerat: cæcos efficit & illuminat: aſpectum adimit, & condonat: perſequentibus adimit, & ſe ſequentibus tribuit: cæcos efficit alienos, & videntes efficit in civitate incluſos. Qui captivare Prophetam venerant, excæcantur: & qui capti jam fuerant, oculantur. Hujus utrimq; veritas completur, ut & figura Chriſti, & exemplum futuri populi monſtrarentur.*

XXIV. JUNII.

DE S. IOANNE BAPTISTA

Qui *in deſertis* vitam *in ſpiritu, & virtute Eliæ* duxit adeò ſimilem, ut *ipſe Elias* in perſona exiſtimatus fuerit.

1918. E*vangeliſta Lucas deſcribens nativitatem S. Ioannis Baptiſtæ, refert Angelicam prædictionem illam:* Ipſe (*Ioannes*) præcedet ante ipſum (*Chriſtum*) in ſpiritu, & virtute Eliæ. (a) *In quem textum ita ſcribit S. Ambroſius:* In deſerto Elias, in deſerto Joannes. *S. Hieronymus de S. Ioanne Baptiſta:* Zonâ cinctus ut Elias, vivens in eremo ut Elias: *Ven. Beda.* Bene in ſpiritu, & virtute Eliæ præcedere dicitur: quia ſicut ille præco venturus Judicis, ita hic præco factus eſt Redemptoris. Unde & converſatione prorsùs ſimillimâ, ambo deſerta ſecuti, victu frugi, veſtitu inculti, cunctis ſunt deſpecti. *Cornelius à Lapide:* Spiritus virtutis Joannis fuit ſimilis Eliæ. Primò, in vitæ auſteritate: Joannes enim locuſtis veſcebatur, & pilis camelorum; quaſi cilicio, ac zonâ pelliceâ veſtiebatur, æquè ac Elias. Secundò, uterque degebat in ſolitudine, eratque Eremita. Tertiò, in paupertate & mundi contemptu. Quartò, & aptiùs, in zelo, libertate & ardore prædicandi, quò uterque multos Iſraëlitas ad pœnitentiam, & Deum Chriſtumque convertit: & Elias rursùm in fine mundi convertet, juxta illud Eccli. 48. Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Simili enim modo de Joanne ait Chriſtus: Ille erat lucerna ardens & lucens (b). Ecce hic eſt ſpiritus virtutis Eliæ. *Iſtis conſonat Cardinalis Bellarminus* (c) *qui vitam Eremiticam ſanctam, perfectam, & Deo gratam eſſe, ſic probat.* Primò teſtimonio Scripturæ, quæ vehementer laudat Eliam & Joannem, qui Eremitarum Principes fuerunt, ſive ſolitudinem, ſive vitæ aſperitatem conſideres; nam de Joanne dicitur (d). Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne. Elias autem quantus fuerit, vel ex eo patet, quod in laudibus Joannis Angelus poſuerit futurum illum ſimilem Eliæ: Ipſe, inquit præcedet in ſpiritu & virtute Eliæ (e). Porrò Elias ut plurimùm verſabatur in monte Carmelo, & pilis induebatur, præcinctus zonâ pelliceâ, victuſque ejus erant locuſtæ, & mel ſilveſtre, ut dicitur Luc. 1. & Matth. 3. Quocirca veteres Patres Eliam & Joannem Eremitas, & Principes Eremitarum faciunt: *quos conſequenter refert. Itaque ex mente Bellarmini & Patrũ SS. Elias & Ioan. Bapt. Monachi & Eremitæ, & utrorumque Principes extitêre; hic in nova; ille in veteri Lege. Conformiter ſcribunt paſſim interpretes in iſtum textum:* In ſpiritu & virtute Eliæ.

(a) Luc. 1.

S. Ioan. Baptiſta ſimillimus S. Eliæ,

in auſteritate, ſolitudine, & aliis:

(b) Ioan. 5 verſ. 35.

(c) de Monachis & Eremitis c. 39.

(d) Matt. 11.

(e) Luc. 1.

uterque Princeps Eremitarũ.

1919. *Igitur ſicut Elias, ita & Ioannes Baptiſta, in deſertis vitam ſolitariam, eremiticam, monaſticam egerunt: Elias quidem in Carmelo, & in aliis eremis: ita quoque Baptiſta, atteſtante Evangeliſtâ Lucâ:* Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis (a) *Notanter autem ait Lucas* in deſertis: *quia Ioannes tam in deſertis ſolitudinis Iordanis, ſicut Filii Prophetarum, quam in deſertis montium latuit, ſicut Elias & Eliſeus. Quod autem vitam Eremiticam, monaſticam illam quam Elias inſtituerat, & diſcipuli ejus, ac poſteri continuaverunt, ipſe Baptiſta aſſumpſerit, & coluerit, habetur ex ſimilitudine vitæ & veſtium utriuſque, ſicut jam ex Patribus & Doctoribus audivimus: Ambo enim, tam Elias, quàm Ioannes, fuerunt indumentis hiſpidis veſtiti, lumbis caſti, victu frugi, converſatione ſolitarii, & deſerta jugiter ſecuti. Fuerunt etiam electi per Deum præcurſores Chriſti: Ioannes quidem adventus primi, Elias verò ultimi, dicente Domino:* (b) Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, & fecerunt in eum quæcumque voluerunt. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Joanne Baptiſta dixiſſet eis. *Et propterea Sacerdotes & levitæ ab Hieroſolymis per Iudæos ad Ioannem miſſi, intuentes eum in omnibus converſationem monaſtica vita eremitica, Eliæ præcipuè, ſequi; quærebant ab eo: ſi ipſe erat Elias. Ita Ioannes Ieroſolymitanus, in libro* de inſtitutione primorum monachorum, in Lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium, *cap. 31. cujus titulus eſt:* S. Joannes Baptiſta monachus inſtituti S. Eliæ. *Et iſta copioſiùs tractata ſunt in Speculi hujus tomo præcedenti, parte 1. libro 5. cap. 2. cujus titulus eſt:* Quod S. Joannes

(a) Luc. 1.

S. Io. Bapt. eandem vitam monaſt. coluit, quam inſtituit S. Elias

(b) Matth. 17.

cujus fuit imitator, in ejus ſpiritu vivens:

XXIV, Junii.

annes Baptiſta fuerit eximius hujus Religionis cuſtor, & in monaſtica vita eremitica perfectiſſimus Eliæ imitator. *Capite autem ſequenti refertur :* Quod Beatus Joannes Baptiſta profeſſores hujus Religionis primò baptizaverit, & eis Chriſtum non ſolùm venturum prophetaverit, ſed præſentem demonſtraverit : eóſque baptiſmò Chriſti baptizandos prædixerit. *Quod autem ipſe S. Ioannes Baptiſta fuerit eremita, monachus, & eremitarum, ac monachorum princeps in novo Teſtamento, & ejuſdem cum S. Propheta Elia inſtituti, ſpiritûs & virtutis, ex ſacris litteris, Patribus & Doctoribus concorditer traditur ab Hiſtoricis Ordinis Carmelitani (& in ejuſdem Annalibus copiosè demonſtratur Tomo I. ſub finem, & Tomo 2. ſub initium) Libro 2. D. ſenioris Ioannis Hildesheimenſis cap.* 7 (a). *Libro* 5. Chronico *Thomæ Bradley cap.* 7. (b) *Libro* 9. Speculo hiſtoriali *Ioannis de Malinis cap.* 4. (c) *Libro* 10. Faſciculo tripartito *Ioannis Palaeonydori libello* 2. *cap.* 1. (d) *Parte* 3. *libro* 2. De Patronatu B. Virginis Mariæ, *Arnoldi Boſtii cap.* 2. § 4. (e) *In prædictorum confirmationem non gravabitur lector quoſdam ex Baptiſta Mantuani Faſtis, ſeu de ſacris diebus, verſus, ſolitam Auctoris dulcedinem ſpirantes audire : ſic ergo ibi :*

(a) Vide tomo præced. num. 668
(b) n. 804
(c) n. 913.
(d) n. 970
(e) n. 1061 & ſeq.

S. Ioannis Bapt. feſtum valde ſolemne, & generale;

1920. Ecce dies Junii vigeſima quarta
 ſubintrat :
Ferte faces, date thura focis, accendite lychnos :
Feſta revertuntur totis communia terris :
Cætera mortales aliqui venerantur, at iſta
Omne genus colitur totũ Baptiſta per Orbẽ;
Armenii, Medi, Indi, Arabes, qui Neſtoris artes
Accepêre malas, luce hac ſua templa frequentant.

Et poſt alia :

Progenies quã nõ poterant ſperare parentes
Amplius, & felix, & ſanctificata, priuſquàm
Nata, diem facit hanc alacrem, puer iſte futuræ
Nuncius ætatis, miro divinitùs ortu
Editus, impuri fugit contagia vulgi.
Et memor Heliæ, nemora & ſylveſtria greſſu
Per loca ſolivago primis habitavit ab annis,
Et modò Carmelo reſidens in monte, virorũ
Eliadum ſaltu, qui verſabantur in illo,
Diſcebat mores, & delectatus eorum
Religione, diu gelidis habitabat in umbris; *inter Eliades vixit;*
Et modò Jordanem propter, ſi roſida prata,
Si vidiſſet humũ curva in convalle virentem,
Et vacuũ ſine teſte locũ, ſine voce ſilentem,
Stabat, & eſuriem tenui ſedaſſe locuſtâ
Dicitur, ignorans adipem, ſiceramque, merumque.

Et longè infra :

Sancte, precor, juvenis, qui prima ſedilia cœli
Jure tenes inter Superos, reminiſcere, quãtis
Cladibus humanum premitur genus, aſpice gentem
Chriſti genã, fineſque tuos, ubi debita nobis
Regna tenet, Chriſtò, rabies Agarena, fugatò.
Pelle Arabum ritus, gentemque extingue ſuperbam,
Eliadeſque tuos in regna antiqua reporta.

Ioannes igitur à puero converſatus fuit in deſertis, *circa Iordanem, in Carmelo, & alibi, inter Eliades, vivens* in ſpiritu, & virtute Eliæ, *ſic in omnibus exprimens* Eliam, *ut videretur* ipſe eſſe Elias. *An non igitur jure meritò, imò quaſi ex debito, Eliadibus, à magno Elia hæreditariam ſucceſſionem tenentibus, convenit peculiariori mentis jubilò, hunc ſuum quaſi Confratrem, imò Patrem, Protho-parentis que Eliæ expreſſiſſimum exemplar, identidem mente inſpicere, & jucundiùs illud facere, imitatione virtutum ejus, abſtinentiæ, paupertatis, ſilentii, ſolitudinis, angelicæ puritatis, zeli divini honoris, cæterarumque, verum, perfectumque Religioſum, & genuinum Eliæ filium conſtituentium. Ita faxit Deus.* *id eò ab illis peculiariùs feſtum ejus celebrandum*

I V L I V S

II. J U L I I.

DE FESTO VISITATIONIS
humillimæ, piiſſimæque Virginis Dei Genitricis Mariæ.

Viſitationis B. V. M. feſtum venerabile in Ord. Carm.

1921. M*Yſterium Viſitationis B. Virginis Mariæ ad Elizabeth peculiari in veneratione olim fuiſſe Religioſis hujus Ordinis indè eruitur, quòd in montanis ubi tunc tranſivit ipſa Virgo Deipara eremiticas habuerint manſiones, ſeu monaſterium. Ibi Godefridus de Bulion Rex primus Ieroſolymitanus ſuo decreto omni Sabbato pietatem exhibere jubebat Fratribus noſtris, ſicut teſtatur Baptiſta Mantuanus gravis Auctor, Generalis Ordinis, decretum iſtud apud ſe habens* (a). *Iſtius monaſterii mentio eſt in Annalibus Ordinis ad annum Chriſti* 1141. *Evangelicum hoc Feſtum à Romanis Pontificibus inſtitutum fuit occaſione urgentis ſchiſmatis, ad quod componendum ejuſdem Dei Genitricis opem Dei Eccleſia propenſiùs (ea auctâ celebritate) ſtuduit implorare : idque anno Domini* 1389. *Ita Cardinalis Baronius* (b), *qui etiam meminit divinorum miraculorum, & certarum revelationum, quibus Deus dictam ſacratiſſimam ſolemnitatem*

(a) in Apologia inſerta tomo præced. n. 861.

(b) in Notis ad Martyrol. Rom. die 2. Iulii.

II. Iulii. *tatem manifeſtiſſimè comprobarit. Veriſimiliter Feſti ejus celebratio antiquior eſt in Ordine Carmelitano, olim utente breviario Ieroſolymitanæ Eccleſiæ & Dominici ſepulchri.*

1922. *In antiquis Ordinis Breviariis, in lectionibus ad Matutinum, hujus ſolemnitatis myſteria his exponuntur verbis:* Hodiernæ feſtivitatis ratio, atque cauſa, dilectiſſimi, devotionem veſtram latere non poteſt. *ejus myſteria:* Quippè quam Evangelicus ſermo ſingulis vertentibus annis tam luculenter, apertèque percenſet: ut ignorare fas non ſit; quod toties fuerit in omnium auribus, claris Eccleſiæ vocibus repetitum. Verùm, quoniam res eſt divinis myſteriis plena: & multis, ac magnis fæcunda ſacramentis, audebo equidem de divina largitate confiſus aliquid loqui: ut, quod pro fidei pietate factum eſſe credidiſtis, æterno Dei conſilio non abs re ſic fuiſſe faciendum admiremini: & non communi gaudio tantò ſit hujus diei pietas religioſior, quantò ampliùs fuerit ſingularis ſolemnitas intellecta. Unigenitus igitur Dei Filius, quàm primùm in utero intemeratæ Virginis mortalitatis noſtræ dignatus eſt ſubire conſortium, renovationis humanæ cæpit ſacramenta contexere. Nam licet intra Maternorum viſcerum lateret anguſtias: potentiam tamen, quam habet cum patre communem, neque aſſumptæ carnis infirmitas, neque parentis uteri potuit arctitudo perſtringere, quin ſalutis noſtræ jam tunc fundamenta diſponens, clauſum quoque parentis utero materno Joannem viſitatione delegerit, qui ſui adventûs factus præcurſor, & præco novi Teſtamenti populum antecederet. Facta autem hæc ſunt viſitante Mariâ Elizabeth. Nam in ipſo ſalutationis occurſu, quemadmodum evangelica patefecit hiſtoria, infans in utero virtutem venientis expertus, gaudio, & exultatione repletur. Magnum ſanè, ſtupendumque miraculum, & quod omnia fermè noſtræ ſalutis ſacramenta complectitur. Ergo huic Apoſtolica Sedes non abs re feſta celebranda conſtituit, ut uno, eodemque religionis Officio, tametſi ratione diverſâ viſitantis, & viſitatæ, ac utriuſque pignoribus dignè hodie à fidelibus deferantur honores.

1923. *Inter plura ſolemnitatis hujus myſteria peculiari conſideratione perpendantur iſta tria.* *præcipua in eo nobis conſideranda.* *Primò Charitas, & Humilitas magna Mariæ, Matris Dei effectæ, non dedignantis priùs longo, & difficili itinere per montana viſitare, & ſalutare Elizabeth dignitate longè inferiorem: quæ proindè meritò exclamat* (a): Undè hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? (a) Luc. 1. *Secundò Redemptoris noſtri adhuc infantis primum opus, ſanctificatio ſui Præcurſoris. Tertiò, efficacia meritorum Mariæ, cujus voce mediante effecta fuit iſta ſanctificatio, & Elizabeth repleta Spiritu ſancto:* (b) Ecce, *aiebat*, ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo. (b) Luc. 1. *Indulgentiæ viſitantibus Eccleſias Ordinis hujus, & inibi orantibus, conceſſæ à Summis Pontificibus relata, & explicata ſunt ſupra ad diem 2. Februarii, ubi de Feſto Purificationis: pro hac ſolemnitate S. D. N. Clemens X. plenarias largitus eſt per bullam cujus initium eſt:* Commiſſa nobis divinitùs, *datam anno 1673. die 8. Maji. Convenienter pro hac ſolemnitate, legetur* Corolla *ſeu* Sertum virtutum SS. Virginis Mariæ, *quæ habetur hîc ſuprà ad diem XXV. Martii pro Feſto Annunciationis.* (c) (c) n. 1138. & ſequent.

VI. JULII.

VITA S. ANGELÆ VIRGINIS,

Filiæ Regis Bohemiæ, Ordinis Carmelitani, divinis revelationibus & Deiparæ apparitionibus ſingulariter illuſtratæ,

NOTATA PRÆVIA.

1924. S. *Angelæ mentio aliquoties fuit in Tomo præcedenti; videlicet parte 2. libro* 10. (*in* Faſciculo tripartito *Ioannis Paleonydori*) *libello* 3. *cap.* 12. (a) *cujus titulus eſt:* (a) n. 1101. Plures ſanctitate vitæ, & doctrinâ clariſſimi Ordinem hunc, & Orbem illuſtrantes: *ubi iſta:* *S. Angelæ encomium celebrata à multis:* Angela filia Regis Bohemiæ, quæ Pragam illuſtrat: Joanna, & Anna Tholoſanæ ſacræ Virgines, Eliæ, Mariæque ſequaces: *& parte 3. libro 1. (qui eſt Collectaneum exemplorum) cap.* 5. (b) S. Angela filia Regis Bohemiæ, quæ à pueritia Deo, & Virgini glorioſæ in caſtitate, & devotione ſervire ſtuduit, &c. (b) n. 1500. *Et in eadem parte lib. 2. (qui eſt Arnoldi Boſtii,* de Patronatu B. Virginis) *cap.* 9. §. 3. (c) Angela filia Regis Bohemiæ, *conſequenter dicitur:* ſub Eliæ chlamyde copioſâ ſanctitate, miraculoſiſque prodigiis latè claruiſſe. (c) n. 1637. *In Codice MS. venerabilis Antiquitatis Carmeli Mechlinienſis, cujus hæc eſt ſuperſcriptio exterior:* Liber de Peculiaribus geſtis Carmelitarum cum multis aliis. *Interior autem:* Speculum Ordinis &c. *Frequens eſt mentio S. Angelæ: imprimis folio primo pagina ſecunda in verſibus de præcipuis Ordinis hujus Sanctis, iſtud antiquatæ poëſeos extat diſtichon:*

Angela Sponſa Chriſti Boëmorũ filia Regis
Angelicè vixit; jam ſociatur eis.

Folio 5. pagina 2. in Kalendario pervetuſto (cujus frequens mentio fuit in antecedentibus) ad diem ultimam Februarii legitur: Sancta Angela filia Regis Bohemiæ Ordinis noſtri: *Folio LXXVI. pagina 2. in Catalogo Sanctorum Ordinis hujus* Sancta Angela filia Regis Bohemiæ 28. Februarii *Folio LXXVII. pag. 2. traditur, qualiter pingenda ſint Sancta Ordinis hujus: & quidem*

hac

VI. Julii.

hac ad propoſitum : S. Angelæ corona in capite, cum Ciborio in manu. *Adhuc aliquoties in ſequentibus de eadem agitur* (a) *cur autem in præfatis Kalendario, & Catalogo commemoretur ad diem 28. Februarii, cum obierit 6. Iulii, dicetur in ſequentibus. Alios Scriptores de S. Angela tractantes refert P. Lezana in Annalibus* (b).

(a) Folio CLV. pag. 1 & CLXVI. pag. 1.
(b) Tom. 4. ad an. 1192.

1925. *Quoad exteros, plures quoque S. Angelæ meminerunt : Martinus del Rio celebrati nominis ſcriptor è Societate Ieſu, Magicarum diſputationum libro quarto, ſic eam commemorat* (c) : De Prophetiis, ſeu Revelationibus Virginum, ſeu mulierum, quæ Canonizatæ, & notæ ſanctitatis, fuêre multæ hujuſmodi, quarum extant Revelationes, ut ſanctæ Angelæ filiæ Regis Bohemiæ, Virginis, Ordinis Carmelitarum, quæ ſcripſit librum Revelationum ante annos quadringentos. *Et Antonius Poſſevinus, in Apparatu ſacro recognito* : (d) Angela Virgo, Raymundi Bohemorum Regis filia, in Tyrò Palæſtinæ poſt mortem patris, ſub Doctore Brocardo Hieroſolymitano, Carmeli velamen accepit : & vitam agens anachoreticam ſcripſit Contemplationes de Chriſto, lib. 1. De Euchariſtia, lib. 1. Librum item Revelationum. Vivebat anno 1190. (*quoad nomen patris* Raymundus, *alii ſcribunt* Uladiſlaus : *ſeu binominis fuit*) *Ioannes de Carthagena* (e) *Ordinis Minorum.* Poſtmodum verò ut obſervavit D. Thomas 2. 2. quæſt. 174. non defecit ſpiritus hic propheticus in Eccleſia Chriſti, etiam in fœminis. Etenim dono prophetiæ floruerunt B. Angela Monialis Carmelitana, filia Regis Bohemiæ, S. Birgitta &c. *Ioannes Iacobus Friſius, in ſua Bibliotheca Tygurina anno 1583. aucta & edita* Angela Virgo ...ſub Doctore Brocardo Hieroſolymitano, Carmeli velamen accepit &c. *Reliqua etiam fere eadem ſunt, quæ ex Poſſevino audivimus. Quod dicitur à* S. Brocardo Carmeli velamen accepiſſe, *veriſimiliter ſic intelligendū, quòd Conſtantinopoli diſcedens verſus Terram ſanctam, primùm appulerit Tyrum & ibi S. Brocardum convenerit, ac declaratâ ſua perſona conditione, facultatem tunc ab eo obtinuerit ſumendi Religionis habitum* : Velum *autem poſteà Hieroſolymis* ab eodem acceperit. *Porrò S. Brocardus, natione Hieroſolymitanus, fuit Prior Generalis Ordinis ab anno circiter 1188. uſque ad 1221. & anteà per annos aliquot Prior Carmeli, & Vicarius Generalis. Dicitur S. Angela* Vitam egiſſe Anachoreticam, *ſcilicet in Bohemiâ, poſt reditum è terrâ ſancta, ſicut in ejus vita traditur ſub finem. An non etiam in ipſa Tyro, ſeu circa eam, & de nomine patris (an* Raymundus *an* Uladiſlaus, *an binominis) vide infrà in Comment. hiſtor.*

(c) c. 1. qu. 3. ſect. 4.
prophetia ſpiritu illuſtrata :
(d) Lit. A.
quæ ſcripſerit.
(e) To. 1. Hom. lib. 17. Hom. 4

1926. *P. Hippolytus Maraccius, in libro inſcripto:* Heroides Marianæ, ſeu de illuſtrium fœminarum principum, in Deiparam pietate, *Romæ edito anno 1659. ex veteri MS. codice, & ex R.P. Paulo à Porta, hoc refert vitæ S. Angelæ Compendium* (f) DE ANGELA BOHEMIÆ PRINCIPE. Angela Uladiſlai Bohemiæ Regis filia Pragæ regni Metropoli nata eſt, & à prima ætate in cœtu Religioſarum Virginum educata, cùm in preces quâdam die ſub veſperum ante altare majus ſeſe proſtraſſet, levi primò ſopore correpta eſt, & mox glorioſam Virginem Dei Matrem ſpectavit, frequenti ſtipatam Angelorum coronâ, ſuaviſſimum melos concinentium. Experrecta, ſibique reddita, animadvertit decantari ab iis adhuc piam illam Antiphonam AVE REGINA COELORUM Quâ abſolutâ, cœleſtium illorum Symphoniacorum unus ad eam advolat, monetque, ut fugam arripiat, ac Hieroſolymam proficiſcatur, ibique in cœnobio Ordinis B.^{mæ} Virginis de monte Carmelo ſacrum induat habitum, id enim agitare nunc patrem, ut ipſam è monaſterio ad Regiam revocet, ac mortali copulet ſponſo. Pragam venerat ipſo tempore Hungariæ Regis filius & hæres, eximiâ ſpecie Juvenis, Angelæ videndæ ſtudio, inque conjugem poſtulandæ. Illa verò illibatam perpetuò tueri virginitatem cupiens, Angeli monitu, nocte intempeſtâ profugit, relictâ in conclavi ſchedulâ, quâ Latinis verbis propriâ manu conſignata, parentem, ac Religioſas de fuga ſua, fugæque conſilio edocebat, additis verbis : QUÆRETIS ME, ET NON INVENIETIS; veſtem ſuam ſplendidam vulgari, eâque virili permutavit, ſexum, conditionemque occultatura, & cum die totò per vaſtam ſolitudinem ac ſaltus inceſſiſſet, ſub noctem conceſſit in hominis adhuc gentilitiis erroribus detenti domum, quem ipſâ Religionis noſtræ myſteriis eruditum Eccleſiæ aggregavit, ac Deo, ſanctæque Dei Matri caſtas inter preces commendavit. Et cùm feſſum viæ labore, & incommodis corpus modicâ quiete recreaſſet, ſub auroræ ortum excitavit eam à ſomno Virgo Deipara aſpectabili formâ, monuitque præparaſſe illi ſe idoneam requiei ſedem.

(f) cap. 1. §. 13.
S. Angelæ apparet Beatiſſima V. Maria,
canentibus Angelis : AVE REGINA CÆLORUM :
monetur clam diſcedere Ieroſolymam :
veſte virili aſſumptâ iter arripit :
infidelem convertit ;
B. V. Maria rurſus ei apparet :

1927. Poſt longum & valdè laborioſum iter Hieroſolymam tandem pervenit, ac cùm ſacra omnia loca eximiâ pietate perluſtraſſet, muliebri habitu à pia muliere accepto, ad cœnobium Virginum Carmelitici Ordinis divertit, & in numerum earundem Virginum cooptatur. Procedente tempore, ſabbatô quôdam, quem ipſa diem in honorem Reginæ Angelorum ſingulari pietate exigebat, venit ad eam Angelus, multaque de regno Dei colloquutus, ad extremum verba Apoſtoli inculcavit : Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Cùm jam enormibus Chriſtianorum flagitiis Deus Palæſtinam traderet Paganorum, ſeu Saracenorum depopulationi, gentemque Chriſtianam internecioni deſtinaſſet, Deipara Virgo Angelam haud multò ante his ferè verbis admonuit : Filia velociter hinc profuge, & terras has linque, quas Deus abominandis Chriſtianorum ſceleribus offenſus, Paganis poſſidendas tradet, ut pridem S. Cyrillo fideli meo præconi monaſterii montis Carmeli Priori aperui. (a) Redi ergò in patriam, & pro populi quoque tui ſalute Deum precare ; nam & illi imminet magna calami-

Virginum cœnobium Ord. Carm. ingreditur.
Peccata cauſa amiſſionis Terræ ſanctæ,
Deiparæ apparitio alia.
(a) Vide ſupr. num. 1063. & 1065.

VI. JULII.

Pragam redit;

calamitas. Pragam reverſa, denunciavit cœleſtes iras divinitùs ſibi indicatas, quas de hæreſi ipſa interpretata eſt, ea nimirùm, quæ ſub annum 1410. exorta, ad hæc uſque tempora in eo Regno debachata eſt. Aliis deinceps cœleſtibus viſis dignata, quæ & ſcriptis mandavit.

ſcribit librũ revelationũ:

Inter alias autem revelationes cœlitùs ſibi factas, unam habuit de Conceptione puriſſima ipſius Deiparæ Virginis, ut referunt Guerricus de Conceptione Concor. 15. Novar. in Lilio inter ſpinas pag. 202. Armamentarium Seraphicum in Regeſto pag. 591. atque alii plures.

una ex iis fuit de puriſſ. Conceptione Deiparæ.

Floruit circa annum Domini 1230. ſpiritumque in ſponſi ſui Jeſu amplexum emiſit die 6. Julii. Ejus vitam verè admirandam à ſe eleganti ſtylo conſcriptam quàmprimùm editurus eſt P. Joannes Paulus à Porta noſtræ Congregationis Matris Dei: *Hactenùs ex Maraccio.*

1928. *Vita, quam hic in capita diſpertitam, damus, eſt ex vetuſto codice MS. monaſterii Carmelitiſſarum Provinciæ noſtræ Flandro Belgicæ Brugis, nuncupati,* Sion. *Indè etiam eamdem habuit & Annalibus Carmelitanis inſeruit P. Lezana, ſicut teſtatur ipſe* (a) *Vita S. Angelæ etiam traditur in libro, cui titulus :* Decor Carmeli, *Auctore R. P. Philippo à SS. Trinitate Præpoſito Generali Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ, cujus initium eſt :* Sicut inter homines habemus Angelos, & Angelinos; ſic inter mulieres habemus Angelas, Angelinas & Angelicas. Habemus etiam in noſtro Carmelo Angelam, verè hoc nomine digniſſimam, tum Virginali puritate, tum omnium terrenorum contemptu ac rerum cœleſtium deſiderio, tum doctrina Angelica in ſuis libris expreſſa, tum aſſidua Angelorum familiaritate, tum denique virtutum heroicarum exercitio. *Dies obitûs ejus in præfato codice Brugenſi ſcribitur VI. Iulii: eumdem aſſignant præfati Ioannes Paulus à Porta, & Maraccius, atque etiam præfatus P. Generalis. In antiquis quibuſdam Kalendariis, ſeu Catalogis ad diem XXVIII. Februarii commemoratur, veriſimiliter ob aliquam tranſlationem, elevationem, aliamve cauſam; ſicut ſæpè in aliis Sanctis contingit. De cultu ejus Dominica I. Iulii P. Ægidius Leondelicatus Scavenſis, Ordinis Carmelit. in opere inſcripto :* Hortus Carmeli, *anno 1600. Panormi per Ioannem Maringo typis edito, iſta teſtatur :* Sancta Angela Regis Bohemiæ filia, Virgo, ſacri & antiquiſſimi Carmelitarum Ordinis monialis : quæ ſanctitate illuſtrat Pragam urbem Regiam regni Bohemiæ. Celebratur de illâ ſolemnis feſtivitas Dominica prima menſis Julii in celebri Carmelitarum Conventu Civitatis Sciavæ in Sicilia, maximâ cum devotione, ac populorum illorum concurſu. Pœnitentes confeſſi, ſacrâq; communione refecti lucrantur ibidem à primis Veſperis uſq; ad ſolis occaſum ſequentis diei dictæ feſtivitatis Indulgentiam plenariam conceſſam à Clemente VIII. Uti patet ex ejus Brevi Apoſtolico emanato Romæ 10. Junii anni ſalutis noſtræ 1593. Pontificatus ſui anno ſecundo : *Hactenus ille.*

(a) To. 4. Annal. ad an. 1196. num. 2.

cultus & ſolemne feſtum ejus.

VITA

Ex antiquo codice MS. monaſterii Monialium Ordinis B. Virginis Mariæ de monte Carmeli Brugis in Flandria.

CAPUT PRIMUM.

Angelæ parentela, ſtudia, pietas, mundi, & ſponſi terreni contemptus, epiſtola ad Patrem.

1929. Civitate Pragâ in regno Bohemiæ orta eſt virgo Angela filia Regis Bohemiæ, pulchra quidem & caſta vultu, ſed multò ipſa in fide caſtior, ortu nobilis, ſed multò vitâ, ſanctiſſimæque vitæ uſu nobilior: ac primùm quidem, juxtà patris Regis voluntatem, in monaſterio habitans, ut unà cum Latino ſermone etiam bonos mores addiſceret, eoſque à teneris imbiberet. Uſque adeò profecit, ut, ſicut ferrum ferro limatur & exacuitur, & charitas charitate fovetur, ita & ipſa virgo aliarum virginum eruditione, boniſque ac laudatiſſimis operibus ſedulò ædificata, pro ſuæ mentis fœcunditate, plurimum fructum fecerit in ſacræ Scripturæ intelligentia, ac divino amore, juxtà id, quod patri ſuo Regi ea de re atteſtata eſt, dicens: ſe in monaſterio vidiſſe S. Hieronymum inter Moniales, & cum illo S. Euſtochium. Contigit ut quâdam die, ſub noctem ſupplex ad Deum, coram altari ſummo preces faceret, proſtrataque ſomno paulatim vinceretur: quo in ſomno vidit glorioſam Virginem Mariam ſtipatam multitudine Angelorum ſuaviſſimum concentum facientium; quo ex ſomno ad ſe reverſa, cognovit eos canere, AVE REGINA COELORUM, AVE DOMINA ANGELORUM. Hoc cantu finito, præmonita eſt ab Angelo ad ſe miſſo, patri in animo eſſe, ipſam ad ſe accerſere, eamque conjugio jungere: [quapropter, inquit, proficiſcere Hieroſolymam ad monaſterium Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo.]

S. Angela nata Pragæ in Bohemia:

à teneris annis in monaſterio:

apparet ei glorioſa V. Maria cum Angelis canentibus AVE REGINA CÆL.

1930. Hoc ipſo tempore Pragam appulerat Regis Ungariæ filius, & regni hæres, adoleſcens inſignis pulchritudinis, viſurus, atque allocuturus Regis filiam de futuro conjugio; at Angela noctu ſe amiciens amictu virili, rejecto habitu byſſino, majuſculo charactere * ſcripſit in hunc modum: [Ego Angela aſſumo mihi veſtes tuas, & togam meâ admodùm pretioſam tibi pro eiſdẽ relinquo: hanc vendes, ut tibi pro ea alias veſtes compares.] Facto ergo manè, adfuerunt Regis nuncii, qui filiam domum reducerent, ſed fruſtrà: fugâ enim antè elapſa erat. Inde turbatum fuit omne monaſterium, & Rex ipſe indignatus, monaſterium, atque ipſum cubi-

monetur, ire Hieroſolymam:

* Chirographum.

clam diſcedit:

VI. JULII.

Epiſtola, anteà ſcripta ad patrē, tenor:

cubiculum filiæ ſuæ Angelæ ingreſſus eſt, in quo manu filiæ epiſtolam reperit conſcriptam Latine: [Quæretis me, & non invenietis &c. Propterea conſilium meum tibi aperiam, & animi mei propoſitum hoc ſcripto manifeſtabo. Super omnia ſolum Chriſtum diligo, cui fidem meam, ac meipſam deſpondi. Propterea hinc ſum egreſſus, quod cor meum nimio deſiderio teneatur videndi cubiculi, ubi poſt meridiem ipſe cubavit. Ecce nunc ſcis, ubi ego ſim. Si ergo mihi meus eſſe pater cupis, ac me tibi habere filiam, ne præſume, obſecro, me ſeparare à vero meo cœleſti patre. Fateor, tu meus es pater, & ego filia tua ſum: ſed alium habeo patrem in cœlo, qui Rex eſt Regum, & Dominus Dominorum: ipſius ad me miſſa nuncia audivi: Audi, inquit, dilecta filia, & inclina ad me aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.] Rex itaque ob hæc ſtupefactus, inquirit, an nemo ſit in monaſterio, qui ſciverit hujuſmodi illius propoſitum: ſed cùm omnes ſeſe excuſarent, cauſamque diſceſsûs dicerent ſe ignorare, domum ſuam reverſus eſt Rex, graviter ferens, quòd ipſam aliquando ejus inſtituendi causâ collocaſſet in monaſterio. At qui cum eo erant viri nobiles, ipſum conſolabantur, aiebantque: [Domine Rex, pone mœrorem: ſi enim Dei voluntas ſit, ut agat vitam religioſam, non licet, neque potes reſiſtere Deo: ſi autem hoc faciat ipſa ſuo tantùm arbitratu, brevi te ipſius præſentia ſolabitur: varium & mutabile ſemper fœmina: pecuniam non habet, nec paupertati aſſuevit, neque ad labores apta eſt, quæ totam ætatem detrivit in ſcholis. Tantùm mitte ad univerſa monaſteria atque hoſpitia, facilè eam rehabebis.] Atque ita pacatior reddebatur Regis animus; nobilium interea conſilium exequens.

Indignatio patris;

Nobiles viri conſolantur, & benè conſulunt.

CAPUT II.

Iter Ieroſolymam verſùs: infidelis hominis converſio: apparitio Deiparæ Virginis, & pueruli Ieſu librum tradentis.

Hoſpitem infidelem convertit:

1931. SAncta verò virgo Angela diu ibat ad vaſtas ſolitudines: veſperi in domum quampiam ſe recipiebat hoſpitis infidelis, quem in ſacris litteris erudiebat, convertebatque ad fidem. Antequàm autem ſe quieti daret, ſecùm ipſa locuta: Nova prælia, inquiebat, Dominus elegit, & portas inimicorum ſuorum ſubvertit: atque ita ſe Deo, & Beatæ Virgini Matri ejus benedictæ commendans, parumper ſomni indulſit corpuſculo longo itinere fatigato. Primâ verò luce apparebat ei B. Virgo Maria: [Filia, inquiens, ſurge, quieti tuæ præparavi locum.] Atque ita iſthinc diſcedens, in abditam ſolitudinem perrexit, cui haud facilè quis ſolus ſe audebat committere. In qua cùm aliquantum confeceral viæ, obvios habuit aliquot, qui ipſam ex illa ſilva fugabant, veriti ne in illud horrendum nemus deſperatum veniſſet. Rogabatur quid artis noſſet: cumque intelligerent, ipſam accuratè, ac nitidè ſcribere, ſinguli eam habere geſtiebant in ſcribam.

B. V. Maria ei apparet:

Conſtantinopolim tendit,

1932. Inter alios miles erat, qui iter meditabatur Conſtantinopolitanum, & inde in Terram ſanctam. Hic ſubinterrogabat, quod ipſi nomen eſſet. Dicam, inquiebat, Domine, cùm è Bohemia exceſſerimus; nam nomen meum glorioſum eſt, & admirabile. Miles, quid id rei eſſet, non intellexit: emit ei nihilominùs equum; eamque ſecum abduxit ex illis terris. Intereà cum ſimul colloquerentur, ad illam converſus miles: Dic mihi, inquiebat, ſeriò, undè tibi rudes illæ veſtes: nec vultui, nec manibus tuis cum iſtis veſtibus convenit. Audi, aiebat, digniſſime mi Domine, ſermonem meum: rem enim omnem tibi enarrabo. Parens meus me in monaſterio erudiri fecit. Intereà animo ibi concepi, ob Dei amorem, videre Terram ſanctam; ſed quoniam monaſterio egredi non audebam propriis indutus veſtibus, veritus ſcilicet, ne à quopiam agnoſcerer, uni è famulis veſtes meas dedi, & quibus indutus ſum, erant ipſius. Miles verò ad iſta nihil ulteriùs addidit, neque quid aliud eſt ſuſpicatus, præter id, quod ex ipſa audierat. Siquidem Jeſus ipſius ſponſus ſuam ipſe ſponſam conſervabat: nec ſinebat militem quidpiam indecens de ea cogitare. Pervenerunt itaque Conſtantinopolim, & ingreſſi ſunt Eccleſiam S. Sophiæ, ubi ipſa in ſpiritu Jeſum loquentem audivit, ipſi incorruptas promittentem divitias: quod ipſum cùm virgo Chriſti in ſpiritu intellexerat, Chriſtum vidit, Græcè dictum SOPHIAM, id eſt, ÆTERNAM SAPIENTIAM, cujus honori principalis Eccleſia Conſtantinopoli exiſtit dedicata.* Apparebat autem ei Jeſus in forma pulcherrimi pueruli porrigentis ipſi Latinum librum precum horariarum Ordinis Fratrum Noſtræ Dominæ, quò, Deum precando, uteretur.

Ieſus ei apparens librum porrigit,

** Templum infinitæ Dei Sapientiæ conſecratū. Ita Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ Littera D. pag 351. impreſſ. Lugd. an. 1656.*

CAPUT III.

Ingreſſus in monaſterium: Patriarchæ Ieroſolymitano apparet cum ciborio in manu: Priorisſa eligitur: ſancta ejus vita, & ardens Deo placendi deſiderium.

1933. POſtquàm igitur S. Angela Hieroſolymam appulit, viſitavit cum dicto milite ſancta loca, at cùm etiam veniſſent in Eccleſiam Sororum noſtræ Dominæ, ſecretò cuidam devotæ ibi mulieri conditionem ſuam aperuit, atque animi item propoſitum. Mulier mox eam amicivit amictu fœmineo, ipſam ducens ad Prioriſſam

Ieroſolymis loca ſacra viſitat:

VI. JULII. riſſam rogatam, ut in Monialem reciperetur. Verùm ipſa Prioriſſa in viſu noctis advenire quamdam viderat, quæ ſibi ad pedes advolvebatur preces horarias Latinas habens. Viſâ ergò Beatâ Angelâ coram, viſionis ipſa haud immemor, librum ejus inſpexit; & cognito, quòd preces illæ verè eſſent noſtri Ordinis, Angelam rogat, hunc librum unde nacta ſit? quæ cùm reſponderet, Dei eſſe opus, & donum, atque cujus eſſet filia aperiret, amicè ab omnibus ſuſcepta eſt. Ubi vitæ ſanctitudine, quam ducebat, adeò excelluit, ut poſteà ſuccedere digna fuerit in monaſterii Præfecturam. Cùm enim Prioriſſa ſupremum obierat diem, & Moniales anxiarentur de eligenda maximè idonea (nam facilè ſex idoneæ erant ad domus regimen) ſupplicabant ſancto Joanni Patriarchæ Hieroſolymitano, qui etiam Ordinis erat Carmelitani, ut Deum precaretur pro ſufficienda in locum defunctæ bona moderatrice. Joannes igitur cùm ſub ſacroſancto Miſſæ officio perveniſſet ad primum *Memento*, vidit coràm ſe tranſeuntes ſex dicti monaſterii virgines; & habebant ſingulæ lampades ardentes in manibus. Sed quæ illarum poſtrema erat ſancta Angela, geſtans manu ſuâ Ciborium cum obſcuro cryſtallo, ſimul alias ſequebatur, quam S. Joannes proindè dicebat præ aliis maximè eſſe idoneam. Sed Angela claritatem ſuam proferre nolebat in publicum ex animi ſui ſubmiſſione; quæ ipſa ſignificabatur per cryſtallum, ſicut loquitur David Propheta: Qui mittit cryſtallum ſuum ſicut buccellas, id eſt, de virtute humilitatis uni ampliùs, alteri minùs, largitur, pro ſuâ diverſâ voluntate, & hominum capacitate.

viſio Prioriſſæ de S. Angela:

admittitur ad monaſterium Monialium:

viſio Patriarchæ Hieroſol. de S. Angela:

Prioriſſa eligitur.

1934. Hæc veneranda Dei ſponſa Angela 35. annis monaſterio in Hieroſolymis laudatiſſimè præerat fuit. Nemo inter Moniales ei ſimilis, in pœnitentia, vigiliis, jejunio, ac oratione, &; quod his majus eſt, in humilitate. Etiam ſi aliis præerat; non ſe jactabat, ſe ipſam præ cæteris exaltando. Ordinabat duodecim Moniales ad canendas preces horarias: liberalis erat in pauperes, & afflictorum conſolatrix. Sæpè ei ſermo erat cum Angelo Dei, cujus erat ſoror ſimilis nomine, & virginali caſtitate: qui ipſi etiam prænunciabat, quòd non eſſet ibi moritura. Accidit item, ut die Sabbati (qui dies ſemper ei honori erat propter Beatam Virginem) Angelum videret ad ſe venientem, qui illi loquebatur de regno Dei, & ſermonem finiens, addebat: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Quo dicto, cœleſtis Hieroſolymæ divitias ei oſtendit. Qui ipſam vidiſſet, alteram eſſe Annam exiſtimaſſet, de qua in Evangelio: *quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die*, ab eo tempore cùm flammeum virginalem recepit, conſecrataque fuit à Patriarcha Hieroſolymitano, qui tùm Deum precabatur, ut bonum in ea propoſitum uſque in finem conſervaret.

virtutes in regimine:

Angelus illi ſæpè apparet.

Hæc beata Dei virgo, omni ſedulitate, diù noctuque ſtudebat ſponſo ſuo placere, adeóque in amore ejus ſemper proficere; quidquid enim vel ante fecerat bonorum, vel ipſo actu adhuc faciebat, videbantur ſibi pauca, & exigua, præ humilitatis altitudine; quâ eam Deus adornaverat. Unde & quidquid animus ejus deſiderabat, ipſe ſponſus Deus abundè ei præſtitit.

CAPUT IV.

Pluvia precibus ejus impetrata, tempore ſiccitatis: monaſterium ab hoſtili invaſione præſervatum: reditus in patriam: ſanctus obitus.

1935. Accidit, ut penè per ſemi-annum Deus pluviam non daret: unde populus graviſſimè afflictus, & animô conſternatus, ad Joannem Hieroſolymorum Patriarcham veniens, communem miſeriam deploravit. Igitur dictus Patriarcha, aſſumpto ſecum Diacono ſuo Euſebio, in monaſterium veniens, ita Prioriſſam, aliaſque filias Religioſas affatur: Filiæ cœleſtis ſponſi, Deum pro communi ſalute populi rogate. Beata autem Prioriſſa Angela: Dic, inquit, Hieroſolymitanis, ut veſperi confiteantur peccata ſua, die craſtinâ dabit eis Deus pluviæ ſufficientem copiam. Igitur Sancta Virgo cum omni ſua humili congregatione animum & totas ſe dederunt precando Deum: populus verò confitendo peccata, & conterendo ſuper peccatis ſuis. Poſtridie, exauditâ apud Deum ſanctæ Virginis oratione, cœpit pluere, deditque Deus pluviarum abundantiam. Saraceni conati ſunt monaſterium iſtud perdere, ſed precibus ejus ſunt fugati. Contigit, ut Mamoluca quidam cum multis Æthiopibus veniret, ut monaſterium noctu per vim invaderet. Cùmque illud cœpiſſet facere, audivit vocem: *Non pecces in Ciborium meum:* quâ voce perterritus, anxius & confuſus inde diſceſſit. Sedebat autem Beata Angela ſuper lapidem ſepulchri Domini, uti altera Magdalena, amarè flens, habens apud ſe ſuas ſpirituales filias, quas virtutem patientiæ docebat.

in magna ſiccitate pluviam prædicit,

& precibus impetrat:

oratione, & meritis fugat Saracenos:

1936. Poſt, cùm Deus Terram ſanctam occupari decreverat ab Ethnicis, & Chriſtianos occidi, & diſpergi, venit ad ſanctam Angelam paulò ante B. Virgo Maria: *Citiùs*, inquit, *demigra hinc; nam appropinquat tempus, quô Deus Terram ſanctam hanc, exigentibus Chriſtianorum peccatis, daturus eſt Ethnicis & Saracenis, ut eam inhabitent; ſicut etiam indicavit S. Cyrillus. Proptereà revertere in patriam tuam, & precare pro populo tuo: appropinquat enim ipſis magna tribulatio.* Intellexit autem ſancta Angela de hæreſi, quæ Pragæ exurrexit anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo, quæ etiam nunc adhuc durat.

B. V. Maria ei apparens monet, ut Pragam redeat:

clam diſcedit:

VI. Iulii.

anachoreticam vitam ducit.

moritur, aſſiſtentibus Angelis:

miraculis claret.

Clàm itaque indè diſcedens, trans mare navigavit, Pragamque perveniens, in cellula, ſeu Anachoræſi includi ſe fecit, uſque dùm vitam ſuam finiit in iſta devotione: completoque dierum vitæ ſuæ numero, ſanctiſſimâ Euchariſtiâ munita eſt, ſacroque Oleo peruncta, & ſic ſpiritum ſuum in manibus Dei tradebat die 6. Julii; aſſiſtentibus illi ſemper Dei Angelis, ac ſuſcipientibus nobilem illam, caſtamque animam, quæ tamquam ſoror Angelorum maculam numquàm peccati mortalis habuiſſe creditur, adducentibus denique eam cum hymnis, & canticis, uti decebat, in chorum ſanctarum virginum in cœleſti paradiſo. Poſt mortem multis miraculis claruit.

Commentarius hiſtoricus
IN VITAM
S. ANGELÆ.

S. Angela Bohema, Regia ſtirpe Ord. Carm.

1937. D*ifficultatibus nonnullis circa vitam S. Angelæ enodandis, & obſcuris illuſtrandis, opportuniorem locum hunc cenſuimus. Imprimis cap. 1. dicitur:* Regis Bohemiæ filia: *Quæritur cujus Regis? R. P. Bohuſlaus Aloyſius Balbinus Societatis Ieſu, in Bohemia, Bohemicarum hiſtoriarum peritiſſimus, peculiarem ſcripſit Tractatum hujus tituli:* De S. Angela Virgine quæ Carmelitana, & Regis Bohemiæ filia fuiſſe traditur. Diſquiſitio hiſtorica: *ubi adductis variorum Auctorum de S. Angela Bohema verbis & ſententiis, priuſquàm ſuam proferat, iſta præmittit:* Ex certioribus incertiora probari docent Philoſophi, adferam igitur hoc loco quædam probabiliora, velut Mathematici ſolent, qui dari ſibi quædam ante omnia petunt, & Poſtulata vocant: his jactis fundamentis, conjecturam meam ſuperædificabo. Primò: S. Angelam Virginem, & Bohemam, & ſanguine Regio ortam, & Carmelitani inſtituti fuiſſe, prorsùs non dubito: movet me Antonii Poſſevini noſtri fides, qui proculdubio, quæ in antiquis codicibus invenit, deſcripſit, nec cauſſam ullam habuit fingendi; movet Delrii noſtri litteratura, & in manuſcriptis excutiendis diligentia; movet denique Hiſtoriæ Carmeliticæ auctoritas; movent ipſi libri S. Angelæ, quos ſupereſſe ex Poſſevino cognoſcimus, qui ſuæ auctoris nomen produnt; movent etiam antiquæ imagines; Boleſlaviæ in Bohemia non ita pridem videri deſiit in pariete ſuſpenſa Imago S. Angelæ Virginis, quæ in ſubſcriptione Regis WLADISLAI FILIA ET CARMELITANA fuiſſe affirmabatur. Idem apud S. Gallum Pragæ cernitur. 2.° Dari mihi poſtulo, quod innumeris hiſtoriis poſſum approbare: nimirum, mutationem nominum (in fœmineo ſexu præcipuè) antiquis uſitatiſſimam fuiſſe, & maximè ſi mutatio ſtatus & conditionis accedat. Omnibus hoc gentibus notum eſt, & neminem, qui vel hiſtoriam à limine ſalutârit, exiſtimo negaturum. Hodie quoque videmus, Moniales aſſumpto ſacro habitu, nomina ſæpiſſimè commutare; adferamus tamen ex patriis hiſtoriis paucula exempla: Jarominus Bizetiſlai Ducis Bohemiæ filius, cum Epiſcopus ordinatus eſſet Pragenſis, Gebhardus vocatus eſt; S. Wogtiechus in Confirmatione Adalbertus appellatus; Bizetiſlaus Wladiſlai I. filius, cùm Epiſcopatu Pragenſi, Henrici nomen aſſumpſit. Ludmilla Soror Wladiſlai I. à Germanis ſcriptoribus Judith vocatur; contra Wladiſlai II. uxor Judith, aliis ſcriptoribus Cæcilia eſt. B. Mlada Boleſlai Pii ſoror, Ordinis S. Benedicti, à noſtris Scriptoribus Mlada, ab aliis appellatur Maria, quod nomen Romæ ab Joanne XIII. Pontifice anno 967. accepit. Plura exempla adferre poſſem, ſi id nunc ageretur. Sed exiſtimo, eos, qui hæc legerint facilè conceſſuros.

Nominis mutatio, in mutatione ſtatûs, frequens,

frequens etiam olim inter Virgines ſacras mutatio monaſterii.

3.° Illud quoque velut certiſſimum & indubitatum concedi mihi poſtulo: Virgines ſacras ſæpè olim apud Majores noſtros, ex aliqua cauſſa cœnobia mutaſſe, imò etiam aliquandò (maximè Regum & magnorum Principum filias) ad alium Ordinem tranſiviſſe, meritòque id fiebat: non enim in Virginibus ſacris, quanta in viris diverſitas eſt: eadem apud illos ratio Manualium librorum, eadem ſacra lectio, eadem canendi tempora, idemque ſtudium, ut niſi habitus, & diſciplinæ alicubi major obſervantia diverſitatem aliquam faciant, eaſdem ubique dicere poſſis. *Id probat aliquot exemplis, ac tandem ſic concludit.*

Declaratur S. Angela filia Wladiſlai II. Regis Bohemiæ,

1938. His ita poſitis, & à lectore, ut ſpero, conceſſis, aio probabile, & pluſquàm probabile omnino mihi videri S. Angelam (de qua nobis eſt ſermo) Virginem Carmelitanam, filiam Wladiſlai II. Regis Bohemiæ fuiſſe, genitam ex prima ejus uxore Gertrude, Conradi III. Cæſaris ſorore, & filia S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ, ex Agnete filia Henrici IV. Cæſaris; adeòque S. Angela Virgo avum habuit Cæſarem Henricum, Patruum Cæſarem Conradum, Patrem Regem Wladiſlaum II: Matrem Reginam Gertrudem ſanctiſſimam fœminam, quam à pietate commendant hiſtorici, fundatricem Monaſterii Virginum Præmonſtratenſium Doxanæ; Fratrem Regem Przemyſlaum Ottogarum I. alterum Fratrem S. Adalbertum, ſeu Albertum Epiſcopum Salisburgenſem, Fundatorem Monaſterii ad Straubingam Ordinis Præmonſtratenſis, Sororem verò B. Agnetem, prius Doxanæ Prioriſſam, poſtea Principiſſam & Abbatiſſam ad S. Georgium in Arce Pragenſi. Sed hoc ante omnia notandum: S. Angelam binominem fuiſſe, & vel in baptiſmo Helenam Angelam, vel primò Helenam, & poſteà ſacro velamine Carmelit. accepto, loco Helenæ, Angelam appellatam eſſe. Helenam, vel Alenam *filiam Wladiſlai Bohemiæ Regis fuiſſe disertè affirmat accuratiſſimus*

in Baptiſmo Helena vel Alena dicta, & deinde in Religione Angela,

Genea-

XI. Julii. *Genealogiſtes Weleſlarinus.* Fateor Hayerum in Hiſtoria Bohemiæ, cùm Wladiſlai II. proles enumerat, Helenam omiſiſſe: cauſſa eſt, quia hiſtoricis non incumbit Genealogiam ſtruere, maximè fœminarum & virginum, de quibus in omnibus hiſtoricis ex accidenti tantùm ferè mentio fieri ſolet, vel ob conjugium, vel ob prolem &c. Deinde ratio altera major & potentior eſt, quia de ea cùm in Palæſtinam ex domo paterna, nullo ſuorum conſcio, fugerit, & amiſſa ſit, nihil quod ſcriberet, inveniebat... Nec mirum eſt nomen illi in exteris Provinciis aut in Ordine mutatum; id enim, ut antè dixi, uſitatiſſimum & fuit ſemper, & erit; deinde facilè ex Helena, ſeu, ut vocat Weleſlarinus, Alena in Angelam mutatio fuit. Congruent etiam Wladiſlai II. acta, qui anno 1149. navigavit in Syriam, rebuſque maximis pro Religione, in Tyro & Palæſtina geſtis, revertit in patriam; ac fortaſsè quòd Wladiſlai nomen exteris aſperius videbatur, Raymundus eſt vocatus. Ceſſabit ſimul illa admiratio, cur Scriptores noſtri de S. Angela non meminerint? nimirùm non eam Angelam, ſed Alenam, vel Helenam vocaverunt; deinde cùm ex domo paterna fugerit, & perdita ſit, ignorabant, ideòque Weleſlarinus cum de aliis liberis Wladiſlai II. (ut de Agnete) & de omnibus aliis in ſua Genealogia mentionem fecerit, quando obierint, quid egerint &c. de Alena contentus dicere, filiam Regis fuiſſe, nihil ampliùs potuit adferre, ſed velut anguem, ut eſt in proverbio, calcaſſet, reſiliit, & ſiluit. Cùm ergò & Pater & Mater, & ætas, & cætera congruant, cumque ſalvetur Scriptorum noſtrorum ſilentium, & omnia concilientur, quis jam dubitare poſſit nos S. Angelam in Bohemia Regis Wladiſlai filiam feliciter inveniſſe?... Vive igitur ò Virgo ſanctiſſima, & Angela Patriæ eſto! Bohemiam tuam laceratam, & convulſam, ex qua virginitatis amore, & nuptiarum, divitiarum, voluptatum & mundi odio profugiſti, jam ſecura agnoſce, & ſpecta de cœlo. Amicorum & inimicorum conſiliis perimus! Tu hominem te eſſe, imò Noſtram & Bohemiæ tuæ Angelam te eſſe, recordare. *Et iſta hactenùs ex Diſquiſitione hiſtorica præfati P. Bohuſlai.*

1939. *P. Segerus Pauli, diligens etiam antiquitatis hiſtoricæ inveſtigator, diſquirens de patre S. Angelæ, & quâ ratione à nonnullis Raymundus nuncupetur, adfert ſequentia:* Conſtat ab anno Chriſti 1204. (quò Præmiſlaus, qui & Othocarus dictus, primus à Sede Apoſtolica Regis titulum & confirmationem accepit, pluribuſque deinceps annis ſupervixit) ſolum numerari Reges Bohemiæ; interruptâ ſerie. Solent enim Bohemiæ Reges ab Imperatoribus creati numerari ab anno Chriſti 1086. ut notat Gordonus eo anno, vel ſequenti, ut vult Verronius in Chronico lib. 8. cap. 18. Non abs re quoque fuerit hìc annotare ex literis Apoſtolicis Innocentii Tertii anno 1200. datis (ut videre eſt apud Spondanum num. 1.) à duobus Ducibus Bohemiæ jam olim interpolatis temporibus, Regium diadema ſuſceptum fuiſſe, à poſteris verò eorum variis rationibus intermiſſum (ſi tamen penitùs intermiſſum) Præmiſlaum autem ſeu Othocarum tertium in ordine Regem dictum, qui continuatam deinceps Regum ſeriem reliquerit. Duos priores Reges nonnumquàm ſpecificat Sebaſtianus Verronius in Chronico; ſcilicet Uratiſlaum, Pragæ ab Engelberto Archiepiſcopo Trevirenſi coronatum an. 1087. creatum verò ab Henrico IV. Imperatore anno præcedente, ut habet Gordonus ad eum annum: alterum vero Uladiſlaum, à Frederico Ænobarbo Imperatore anno 1160. creatum, teſte eodem Verronio cap. 22. poſt mortem autem ejus inter-regnum extitiſſe; & quidem aliqua adhuc ſucceſſio continuata fuerit uſque ad Præmiſlai coronationem. Potuit autem unus ex ipſius Uladiſlai ſucceſſoribus Bohemiæ Princeps, etiam Rex nominatus, fuiſſe Raymundus, noſtræ Angelæ parens, binomius, ſicuti & ipſe Othocarus. *Ita Segerus. Iſtis concinit Lezana in Annalium* (a) *ubi (inter cætera) iſta:* In vitâ ejuſdem Sanctæ, quam præ manibus habet Joannes Bollandus Societ. Jeſu celebris ſcriptor, vocatur filia Uladiſlai Regis. *Et poſt nonnulla ex præfato Segero adducta, tandem ſic concludit:* Manifeſtum eſt, quod jam pridem ante hujuſmodi Othocarum plures Bohemici Reges eſſent, ſaltem ab aliquibus cognominati; etſi non ab omnibus; quorum unus Raimundus, vel Uladiſlaus iſte Angelæ noſtræ Genitor eſſe potuerit, qui forſan binomius fuit, ſicut & ipſe Othocarus.

(a) ad an. Chr. 1196. n. 5. & 6.

1940. *En de S. Angelæ patre bina ſententia: & utraque omninò veriſimilis: veriſimilior tamen prior (P. Bohuſlai nec non PP. Pauli à Porta, Hippolyti Maraccii, & Philippi Prepoſiti Generalis) & conformior illis quæ in ejus vita referuntur. Sed difficultatem habet, quòd fuerit Prioriſſa electa tempore, quo Patriarcha Hieroſolymitanus erat Ioannes frater S. Angeli (de quo hic paulò poſt ad diem XIII. Iulii) circa annum Chriſti 1218. & quòd annis XXXV. præfuerit ſuo monaſterio; ſic enim in Terra ſancta fuiſſet uſque ad 1253. antequam Deipara monitu in Bohemiam rediviſſet; atque ita fuiſſet valdè provectæ ætatis. Grandioris ætatis eam fuiſſe innuere videntur iſta vita ejus cap. 3.* Qui ipſam vidiſſet, alteram eſſe Annam exiſtimaſſet, de qua in Evangelio: illa autem annos ætatis habebat 84. *Ad hoc propoſitum ſunt quæ ſcribit præfatus P. Generalis Philippus à SS. Trinitate in vitâ S. Angelæ.* Quo anno diſceſſus Angelæ de Terra ſancta contigerit, & in Europam navigaverit, non ita conſtat: qui dicunt ipſam præfuiſſe monaſterio Hieroſolymitano triginta quinque annis, hunc diſceſſum differunt ad annum Chriſti 1253. & coguntur admittere ipſam Virginem Angelam vixiſſe ante hunc diſceſſum nonaginta tres annos, & additis illis quibus ſupervixit in Bohemiâ

VI. Julii. ad centeſimum circiter perveniſſe, aut fortè ſuperaſſe, & manſiſſe Hieroſolymis poſt ultimam hujus ſanctæ Civitatis ruinam, quæ contigit anno Chriſti 1244. Unde probabilius crediderim juxta alios, & congruentius ad prædictam Beatiſſimæ Virginis revelationem, illam præfuiſſe monaſterio Hieroſolymitano 25. annis tantùm (facilè quippè mutantur numeri) & anno Chriſti 1243. paulò antequam Saraceni Hieruſalem caperent, ex illâ diſceſſiſſe, & in Europam navigaſſe.

1941. Ave Regina cælorum, *Antiphonam illam venerabilis antiquitatis in Carmeli Ordine, & ideò per totum annum quotidie bis, aut ſemel (præterquam triduo ante Paſcha,& tempore Paſchali, quo dicitur* Regina cæli) *in communitate recitari ſolitam, integram hìc exhibemus:*

Ave Regina cælorum,
Mater Regis Angelorum,
O Maria flos Virginum,
Velut roſa, vel lilium,
Funde preces ad Filium
Pro ſalute fidelium.

Præter iſtam, etiam alia celebris eſt in hoc Ordine, ejuſdem initii : Ave Regina cælorum, *ſequitur :* Ave Domina Angelorum *&c. finis eſt :* Et pro nobis Christum semper exora. *Illa canitur ad primas Veſperas ſolemniſſimi feſti hujus Ordinis die 16. Iulii, & in aliis nonnullis feſtivitatibus B. Virginis Mariæ, ac in Officio Sabbatino. Hanc Angelos coram Beatiſſima Virgine non cantaſſe, ex ea ipſa clauſula patet; cùm Angeli ſancti non petant pro ſe orari, qui in gratiam jam olim confirmati, extra meritum & demeritum in perpetua felicitate degunt : benè tamen petunt à Deipara Virgine* preces fundi pro ſalute fidelium : *prout iſta B. Angelæ Antiphona habet ; quam & proinde hic Ordo Marianus Carmeliticus veluti huic Virgini revelatam ſpecialiter veneratur, eamque diebus ſingulis per annum ſemel ac iterùm publicè & communiter recitare conſuevit poſt prandium, ac cœnam, in gratiis tunc recitari ſolitis, quotieſcumque illa extra chorum (prout fit ordinariè) dicuntur. Ita præfatus Segerus : atque etiam P. Lezana.* (a)

(a) tomo 4. Annal. ad an. 1196. num. 8.

Librum Latinum precum horarum Canonicarum &c. *ab anno Chriſti circiter 1141. Carmeli Ordo ob multitudinem Latinorum in eo receptorum veriſimiliter in Terrâ ſanctâ Latino uti cœpit Breviario : ſicut etiam poſteà S. Albertus Patriarcha Regulam latinè ſcripſit.*

Ad monaſterium B. Virg. Mariæ ... *De monaſterio illo accuratè tractat idem P. Lezana* (b).

(b) ad an. 1195. n. 9. & ad an. 1200.

Joanni Patriarchæ, *de quo agemus hìc proximè ad diem XI. Iulii.*

Habebat in manu ciborium ; *hinc eſt, quòd B. Angela depingi ſoleat, habens ciborium, ſeu monſtrantiam in manu ſua. Ita Segerus in Notis ad hanc vitam, & Lezana in Annalibus.*(c)

(c) ad an. 1218. n. 5.

Annis 35. præfuit. *In vita apud præfatum P. Philippum Generalem ſcribitur,* 25. annis præfuit. *Alia ad hoc intentum, ex eodem adducta ſunt hìc paulò antè.*

Cyrillus. *Revelationis ipſi factæ, de Terræ ſanctæ deſtructione, aliquoties mentio fuit Tomo præcedenti & etiam hìc ſuprà ad diem VI. Martii in ejus vita. Guilielmus de Sanvico, in libro, cui titulus* Chronica de multiplicatione Ordinis Carmelit. in Terrâ ſanctâ, *cap. 3. ſic meminit iſtius revelationis :* Dominus Deus demeritis nefandorum Chriſtianorum, ſuis ſceleribus Terram ſanctam ſordidantium ... totam Terram à Chriſtianis auferendam, & in dominium, & poteſtatem Saracenorum penitus reducendam ... revelavit Beato Cyrillo Eremitæ montis Carmeli.

1942. De hæreſi quæ Pragæ exurrexit. *Hæc peſſima illa hæreſis Huſſitarum ex Wiklefſi ſchola peſtifera Pragæ in Bohemia procreata anno 1408. (ut notant Spondanus Epiſcopus hoc anno) per Ioannem Hus, cum duobus ſociis præcipuis, Hieronymo de Bruga, & Iacobello Miſenſi. Qui Ioannes Hus anno ſequenti ab Alexandro Papa V. coram ſe citatus, cùm comparere contemneret, in eum veluti hæreticum captivandum procedi idem Alexander Simoni Archiepiſcopo Pragenſi mandavit. Mortuo verò eodem anno Archiepiſcopo præfato, ſed & Alexandro Papa anno 1410. defuncto, majori cum licentia ac protervia virus ſuum hæreticum iidem Huſſitæ ſpargere cœperunt. Et ideo Scriptor vitæ B. Angelæ annum eundem 1410. aſſignat exortæ hæreſis Pragenſis, ſeu potiùs magis publicatæ ac propagatæ, Ita P. Segerus.*

In cellula, ſeu Anachoreſi includi ſe fecit. *Quod vitam egerit anachoreticam tradunt quoque ſuprà relati Poſſevinus, Iacobus Friſius, & alii.*

A Priore monaſterii Carmelit. &c. *Circa illud annotat idem Segerus :* Ex his colligitur Carmelitas Pragæ, ſeu juxtà eam (more antiquorum Patrum ſuorum) habuiſſe monaſterium virorum, in quo B. Angela ſepulta fuit. Poteſt verò Monaſterium illud, vetus nuncupari, reſpectu poſterioris, ſeu recentioris, cujus fundator extitit Carolus Quartus Imperator Auguſtus ac Rex Bohemiæ, in ſua civitate, quam novam Pragam appellavit ; de qua fundatione legi poteſt Abraham Bzovius in Annalibus ſuis ad annum 1356. num. 4.

1943. *Qualiter in Tyro à S. Brocardo* Carmeli velamen acceperit: *& ibi ad tempus anachoreticam vitam egerit, videatur Lezana* (a) *Segerus autem circa iſtud hæc annotat :* B. Angela poſt habitum monaſticum Hieroſolymis ſuſceptum, ac profeſſionem emiſſam (cùm auditâ patris morte, qui eam ubique inquiri fecerat, liberiùs in publicum prodire auderet) de ſuorum licentia Superiorum, Tyrum profecta (ubi tunc quoque Carmeliticum extabat monaſterium) illic in cellula quadam anachoretica, ab urbe ſeparata, ſolitariè aliquamdiu vixit, tempore S. Brocardi, ſecundi hujus Ordinis Prioris Generalis, qui paſſim Palæſtinorum Doctor audiebat. Demùm defunctâ Prioriſſâ Hieroſolymitani Carmeli, inde revocata, mirabili ordinatione divinâ, eidem ſucceſſit modò

(a) in Annal. ad an. 1196.

ſupra

ſupra ſcripto. *Poſteà idem Segerus annotat quoque iſta:* Ex quibus colligi videtur, extare, vel extitiſſe ſaltem Acta alia, fortè fuſiùs ſcripta ejuſdem virginis Angelæ, præter illa, quæ nunc publicamus, cùm in his nihil contineatur de nomine patris ipſius, de ejus anachoreſi Tyrenſi, de S. Brocardo ſecundo Priore Generali, de ſcriptis ab ea libris, quæ tamen ex aliis ipſius actis apparent deſumpta.

1944. Sexta Julii: *Conſule dicta in Notatis præviis ſub finem: in Kalendario antiquo Ordinis ejus memoria agitur ad diem ultimam Februarii, his verbis:* Pridie Kalendas Martii: S. Angela filia Regis Bohemiæ, Ordinis noſtri; *quia tunc fortè fuit dies tranſlationis ſeu elevationis: Exempla ſimilia ſunt plurima in Martyrologiis. Quantùm ad ejus cultum, & reliquias, hæc annotat præfatus Segerus:* B. virgo Angela in ſuo Ordine Carmelitico, an officio Eccleſiaſtico olim culta fuerit, ob nominis ejus inſcriptionem in antiquis Kalendariis, negare nolim. Primò, quia titulum ſanctitatis Vita ipſius MS & præfert, & paſſim per totam Vitam Sancta ac Beata vocatur. Titulus Vitæ talis eſt: Vita S. Angelæ virginis filiæ Regis Bohemiæ, Ordinis Carmelitarum. Secundò, quia ab immemorabili tempore, antè centum, ducentos & plures annos is titulus ei datus fuit in vetuſtis Kalendariis hujus Ordinis, præſertim in veteri MS. Mechlinienſi. Tertiò, quia Scriptores antiqui à centum & ducentis ferè annis clari, iſto titulo eam decorant. Quartò, quia publicè intra & extra Eccleſias Ordinis hujus, ipſius effigies, tam depicta, quàm ſculpta, ac populo veneranda ab immemorabili tempore, ſanctitatis titulo, propoſita cernitur. Quintò, quod confirmationis loco ſit, quia extat Breviarium hujus Religionis, impreſſum Pariſiis anno 1517. in 12. in quo ante Commune Sanctorum repræſentatur hujus B. Angelæ ſculpta imago in pleno habitu Carmelitico cum ſanctitatis titulo, & corona Sanctis apponi ſolita, habens librum apertum in una, ac palmam in altera manu; ſuper caput verò hanc inſcriptionem literis majuſculis, S. ANGELA: idque ad dexteram S. Alberti Confeſſoris itidem Carmelitæ illic effigiati: in medio verò utriuſque continetur Deipara Virgo Maria, ſtans in vertice Carmeli... Extat quoque hic Coloniæ in Germania, ex ipſius Beatæ Angelæ virginis ſacris Reliquiis pars quædam ſat juſtæ quantitatis, cuidam tabellæ quadrangulari, venerabiliter & ſingulariter (non admixtis aliis Reliquiis) impoſita, cum hac inſcriptione, ex parte averſa: SANCTÆ ANGELÆ VIRGINIS ORDINIS CARMELITARUM, PRAGÆ SEPULTÆ. *Hæc P. Segerus. De S. Angela cultu ſolemni videatur hic ſuprà in Notatis præviis ſub finem.*

IX. JULII.

VITA B. IOANNÆ DE RHEGIO VIRGINIS,

ſtudioſiſſimæ cultricis Deiparæ Virginis.

NOTATA PRÆVIA.

1945. PHilippus *Ferrarius* in Catalogo Generali Sanctorum(a) *ſic eam commemorat:* Rhegii in Æmilia Beatæ Joannæ Virginis Carmelitarum. *Deinde in Additionibus:* Joanna Virgo. Ex Kalendario Eccleſiæ Rhegienſis, & monumentis cœnobii Ordinis Carmelitarum, cujus ipſa B. Joanna Fundatrix fuit. Obiit an. ſalutis 1491. ætatis verò ſuæ 63. clara miraculis. In eodem Monaſterio, quod ſancta Maria de Populo dicitur, condita, maximo totius populi concurſu colitur. De ea in ejus Eccleſia Officium, & Miſſa, die prædicto, ex antiqua potius devotione, quàm ex Roman. Pontif. conceſſione, recitantur. Vita illius typis excuſa eſt Mediolani an. 1617. *Benedictus Gononus Cæleſtinus in Chronico SS. Deiparæ ſub ann. 1428. ex Benedicto Mutto auctore Vitæ ipſius Ioannæ eximiam ejus devotionem & pietatis exercitia erga B. Virginem Mariam commemorat,* quodque in recitatione unius AVE MARIA ſubindè per totam noctem in raptu, & extaſi permanſiſſet. *In Annalibus Carmelitanis Tomo quarto ejus nativitas refertur ad annum Chriſti 1428. ubi iſta:* Nata eſt ſub eodem anno Rhegii in Æmilia Joanna Virgo, poſtea Ordinis noſtri Monialis, ſanctitate, & miraculis clara. Parentes habuit pios & modeſtos, Simonem, & Catharinam Scopelli. Fundatrix hæc Virgo fuit Monaſterii Virginum Carmelitarum ejuſdem Rhegii civitatis, quod ſancta Maria de Populo dicitur, ſub obedientia noſtrorum Patrum Congregationis Mantuanæ. *Et ad annum 1491. ejus ſanctus obitus his verbis:* Cælitum numerum adauxit ſub hoc anno die nona menſis Julii B. Joanna Scopelli de Rhegio Ordinis noſtri Sanctimonialis, de qua in ſuperioribus egimus, carnis molem terræ, & ſpiritum cælo mittens. Præcedente enim Jeſu

(a) ad diem IX. Julii.

IX. Julii. Jeſu ſponſi viſione, ſub pulcherrimi juvenis candidiſſimis veſtibus ornati ſpecie, qui ex roſis & floribus paradiſi ſertum ipſi offerebat, & ad cæleſtes nuptias invitabat, graviſſimo preſſa morbo, Eccleſiæ armis munita, ſororibus ad ſe vocatis, ſanctiſque exhortationibus ad pietatem, devotionem, & obſervantiam Religionis præmiſſis, ſanctam animam exhalavit. *Ad annum ſequentem agitur de inventione corporis ejus, non tantùm incorrupti, ſed & ſuaviſſimum odorem efflantis; & quomodò Epiſcopus, occaſione caſus valde mirabilis, cum Canonicis, Doctoribus, & Nobilibus urbis Monaſterium adierit: & viſis mirandis, ſolemni ſtatuta proceſſione, populique maximo, extraneorum etiam, concurſu, cunctis adſtantibus, corpore Beatæ in ſepulchro, & luminibus, decorato, Pontificalem Miſſam celebravit. Ibi conſequenter agitur de ejus cultu, ſolemnizatione feſti ejus, & populi magna devotione; & quòd Benedictus Muttus Rhegianus ſcripſerit ipſius vitam, variis locis typis editam, Italicè videlicet: illa in Latinum traducta per P. Segerum Paulum, hîc ſequitur.*

VITA

Auctore Benedicto Mutti Regiano ex Italico Venetiis excuſo anno Chriſti 1601. & indè in Latinum traducta.

CAPUT I.

Beatæ Ioannæ parentes: virtutes à pueritia: vita auſtera: Carmelitici habitûs ſuſceptio: monaſterii novi fundatio: hæretici Manichæi per eam converſio.

B. Ioannæ parentes, 1946. ANno Chriſti 1428. beata Joanna virgo, patre Simone, matre Catharina, tum genere tum pietate præclaris, nata eſt in civitate nobili de Regio. Sanè *amor in Deũ à pueritia:* ſummus in Deum amor, qui virginis Sanctiſſimæ cor ſauciaverat, & veluti ſpiculis quibuſdam transfixerat, innatus videbatur, & in ea tanquam ignis ſub cineribus deliteſcens, nutrimenta ſuſcepit: quoniam infantiâ vix exceſſerat, cum deliberatura de ſolvendis ſeculi involucris, & monaſtico induendo habitu (quæ jam induerat virtutem) ſecum ageret, ſi ætas tenera permiſiſſet, deguſtans quam ſuave ſit jugum & onus leve, ſuſceptum pro Chriſti amore. Ætate igitur pariter, & largiſſimis gratiarum undis, ac ſtillicidiis cæleſtium chariſmatum ita provehebatur, ut mens ipſius divinis fixa ſplendoribus, & incentivis effrenæ carnis cohiben- *ieiuniis & cilicio corpus domat:* dis (quæ fragile corpuſculum impulſu aggredi ſolent) nunquam ceſſaverit, tum durâ corpus inediâ macerando, tum diſciplinis coarctando, tum jejuniis attenuando, tum orationis ſtudio incumbendo, aliiſque piis operibus jugiter intendendo.

1947. Cùm ſponſo ſuo Jeſu Chriſto pro germanis duabus ſororibus matrimonio jungendis quadam die preces alacri animo, *orans pro ſororibus, exaudita,* corde ſincero obtuliſſet; Deo ipſo oblationi annuente, effectum ſortiri meruerunt: Ecce enim divino inſpirante numine, duo juvenes forenſes, ambo nobiles in eas amore feruntur, in ſponſas ſollicitant tametſi ſibi anteà non viſas nec cognitas. Interea ambigui manent parentes, propter juvenum generis imparitatem: nihilominus tot inter dubia flectuntur, ſponſalia contrahuntur ad inſtantiam Joannæ virginis, Dei voluntatem non deeſſe aſſerentis, cui in omnibus promptiſſime obſequendum. In hoc primo illuxit admiranda ejus ſanctitas. Cum ad grandi- *creſcente ætate proficit in virtute,* uſculæ jam ætatis adoleviſſet incrementum, cæpit etiam per quotidiani profectus cumulum ad ſeverioris diſciplinæ pervenire augmentum, ut quæ proficeret in numero annorum, creſceret etiam in oſtenſione mortificationum; ita ut viruerit amor in ea, nimirum vanitatis deſerendæ, & excluſerit ab ea timorem Religionis ingrediendæ. Virgo namque inter ipſa lactantis infantiæ rudimenta, totam intentionem ſuam, totum amorem in ſponſum ad hoc direxit, ut corpus & animam ſuam illi conſecraret voto ſuæ virginitatis. Effloruit in hoc ſancto propoſito omnipotens miſerentis Domini benedictio: nam nec parentum blanditiis, la- *& conſtantia in adverſis:* crymis, aut minis mentem mutavit. Sciebat quippe incontaminatas immarceſſibiles palmas conſervatas in cælis eſſe ſolis legitime certantibus contra carnis illecebras, fraudis diabolicæ tentamenta, & ſæculi lenocinia; & ideo ut ſoli Deo fieret veraciter tota, omnium alacriter excipit tela, & ut perenniter jure frueretur hæreditatis cæleſtis, lætanter temporalis ærumnæ atteritur flagellis.

1948. Optimis ditata deſideriis, ſanctæ *aſſumit habitum Carmelitarum,* Mariæ ſacrum habitum in Religione B. Virginis Mariæ de monte Carmelo ſuſcipiendum deliberavit. Cilicium ſub ipſo induit: quo ſemel amicta, ad vitæ finem retinuit. Et ut ſpiritum carnis ac elationis ma- *& ſub eo cilicium, ac catenam ferream:* gis ſubiiceret imperio rationis, nudum catenulâ ferreâ cinxit corpus. Ecce novum martyrii genus, novum præbet in virgine ſpectaculum: illi namque oppidum, eſt clauſtrum; indumentum internum, cilicium aſperum; cathenæ preſſura, corporis zona: blandimenta ſeculi, tormenta animi: & corporalis mors parentum, eſt illi ſpiritualis vitæ principium. Nam utroque privata parente totaliter deliberat ſe privare mundi vanitate, *mundana cuncta relinquit:* ſponte deſerens, libens abiiciens, voluntarie derelinquens proprii juris domum, proprietatis peculium, hæreditates, adhuc & parentes nobilis generis poſtponens amori Chriſti, ejuſquè ſequens inopiam, contemnit ampliſſimas principalis opulentiæ facultates, de præſenti minimè ſollicita, ſecura de futuro, nimirùm de promiſſa centupli à

ſponſo

IX. IULII. ſponſo ſuo benedictione recipienda.

1949. Poſtmodùm vero unico munita Crucifixo, in quo gloriabatur cum Apoſtolo, totam fiduciam in ipſo ponens, paternam domum deſerit, & ad feminam quandam fortunâ tenuiſſimam, pietate tamen & Dei timore opulentam, divertit. Cui percunctanti, quænam media pro extruendo, quod prætendebat Monaſterio attuliſſet? Joanna virgo ſapientiſſimè reſpondit: Habeo, inquit, theſaurum, Crucifixum videlicet Deum, in quo uno omnium dives ſum. Interea nequaquam ſegnis à loco, ad Monaſterium apto, perquirendo quievit, bono ſuo exemplo ad Deo famulandum alias ſuccendens, monaſticiſque caſtris ſociare ſibi alienæ profeſſionis milites ſatagens. Quæ mente conceperat generoſi animi virgo, impleræ vehementer optabat, congruum ſcilicet reperire locum monaſterii conſtruendi; & ecce divinitùs inſpirata mulier vidua ejuſdam civitatis, ſe, duas filias, domumque propriam in vicinia S. Petri, aliàs Caſtelli, nunc de Mutti dicti, ſituatam, obtulit, firmiter ſtatuens ſub caſtris Joannæ virginis viriliter militare; ut ad curiæ cæleſtis triumphum poſſet fæliciter pervenire. Ingenti perfuſa gaudio prudens Dei ancilla ex vocatione tam divina, ſuis eas caſtris aggregavit, non minori repleta ſolatio. Unde ſuper hoc plurimum ædificatæ, ad domum divertunt, unà, in unitate ſpiritus, commorandi gratia; ibique quatuor annorum ſpatio virtutum exercitio ſolerter incubuerunt, Monaſterio conſtruendo ſedulò neceſſaria præparando, cum incredibili omnium civitatis incolarum applauſu & lætitia; quos ſuis continuis precibus ſingulari condecorarunt favore, cùm Joannæ virginis opinio & fama Sanctitatis, jam latè diffuſa eſſet apud omnes.

Inops virgo, monaſterium novum fundare intendit:

Deo propitio voti compos redditur:

1950. Quandam ſuam compatriotam tunc temporis immanis mœroris amaritudine quondam filius, nomine Auguſtinus afficiebat, Manichæi erroris caligine oppreſſus; qui nec ad Sacramentum pœnitentiæ adduci, nec à perverſo & diabolico ſuo errore amoveri maternis precibus, nec amicorum perſuaſionibus potuit. Quis interim matris luctus? qui planctus deſolatæ? quæ ſolicitudo afflictæ de filii ſalute? Tandem divini ſolis radio quodam die perfunditur, & confiſa in beata, eam interpellat, obſecrat, obteſtatur, ut ſuo præſertim auxilio animum ferreum filii ſui, Manichææ ſuperſtitionis inſidiis detentum, expugnaret. Quem ad ſe ancilla Dei vere miſericors advocat, ſui in primis erroris, in quo verſabatur, benignè arguens, dicit toties hominem debere reſurgere, quoties cadit ex fragilitate, jamjamque divinæ ultionis acceleratâ ſeveritate dœmonum faucibus devorandum tradi, niſi erroris caliginem ad mentis oculos aſſidue revocans depelleret, & commiſſi reatus tenebras plangeret. Verùm miſer velut ſcopulus aſſilientes maris fluctus reiiciens, ita non commovetur importunis virginis efflagitationibus, ferrea ligatus voluntate. Sed feſtinat ex adverſo beata diras Omnipotentis & furorem Altiſſimi avertere, orationibus tanquam lapillis gemmiſque pretioſis ornat ſe, veſtit ſe palla abſtinentiæ, & vigiliarum unguentis exoticis delibuta pergit, ut obſidionem hanc admirabilem ſolvat, ut vim avertat Numinis inimici. Et ecce ſubito Deum miſero placat, miſerum Deo reconciliat: abjurat hæreſim infælix fæliciter: ad pedes confeſſoris procumbit humiliter: tranſit in affectum cordis prævaricator, & redit ad cor, atque gravitatem ſceleris pœnitentiæ lacrymis eluit; & paritur ſalus in virtute Joannæ, ſed Joannæ lamentantis ærumnas infælicis, ſed Joannæ orantis, Joannæ mœrentis, Joannæ cœli fores continuo pulſantis.

Adoleſcentem hæreticum Manichæum

inſtruit, & hortatur ad abjurandam hæreſim.

cælum precibus, & pœnitentiis pulſat, & expugnat:

illeque veraciter convertitur.

CAPUT II.

Dæmonis impetus adverſùs B. Joannam: cæleſtis conſolatio: virtutes ejus.

1951. Verſipellis inſidiator indignè ferens optimam ſibi præreptam à virgine prædam, ubique, & omnimodas ſuæ calliditatis aſſumit argutias, eam in profundum deſperationis adducere ſatagens, nimirum ei perſuadendo regnum cælorum amiſiſſe, ad quod recuperandum fruſtra laboraret. Deus vero qui in ſe ſperantium curam non deſerit, ex præfatis verſipellis argutiis eruere eam placuit; cui ſequenti nocte apparuit mirabili coruſcans ſplendore, & infinitis Angelorum cuneis ſtipatus, introrſum eam in cordis penetralibus alloqui ſuaviſſime orſus eſt, dicens: Noli perhorreſcere filia dœmonum impoſturas & illuſiones, nec unquam à cæpta bonorum operum via deflecte. Simul etiam excreſcentium ſuorum ſecuram reddens meritorum: in cujus rei teſtimonium caput ejus diademate pretioſo condecoravit, & ſimul gaudio cor ejus replevit infinito.

Impetitur à dæmone,

roboratur à Domino;

1952. Ancilla Chriſti tacta zelo ædificandi, tandem adjecit oculum ad quandam ſancti Bernardi Eccleſiam cum hortulo, & domo, à ſancti Petri porta modicum ſemota, à Fratribus Humilibus tunc temporis occupata. Hæc igitur ita beatæ aſpectibus placuit, ut eam pro Monaſterio extruendo ſollicite petierit à Deo. Et quadam vice inter orandum ei apparuit D. Bernardus, quam mira mentis dulcedine conſolatus eſt, & conſolatæ mox promiſit; idque poſtea in ſe agnovit beata impletum quod per viſionem ſibi fuerat ante promiſſum: Nam anno à Chriſto incarnato 1484, Romanæ Eccleſiæ Innocentio Octavo ſedem tepente, ante hàc Carmelitarum Protectore, civitatem de Regio Humilium Fratrum Generalis pertranſivit Romam petiturus; qui ad Philippi Zoboli

Eccleſiam & domum precibus à Deo obtinet,

intercedente S. Bernardo, ei apparente:

IX. Julii.

** Al. Comaclenſis à Comacchla nunc dicitur Comachio.*

Zoboli Regiani, Epiſcopi Comachienſis * inſtantiam, præfatam habitationem conceſſit. At cum priſcus ille humani generis hoſtis continuum à Joanna moliri contra ſe bellum conſpexiſſet, eò furoris vinciebatur affectu quo factam promiſſionem revocari ſtuderet, non ceſſans cruenta beſtia totis malitiæ ſuæ viribus circa Chriſti ancillam inſanire, non ceſſans virus ſuæ nequitiæ viſibiliter diffundere. Sæpe namque nonnihil certam quandam fœminam, eumdem locum habere prætendentem, commovebat, ſatagens ad hoc eam inducere, ut præfati acquirendi loci gratia ſeſe favorum ſubſidio opponeret: & tanto ſe vigilantiorem nequam reddebat, quanto fœminæ noverat poſſeſſionis non acquirendæ periculum imminere. Hæc itaque ad S. Bernardi præfectum (qui paulo ante ſui Generalis conſenſu Joannæ locum promiſerat) diabolica perſuaſione fæmina ſe conferens, eum cohortata eſt, quatenus dignaretur illius loci promiſſionem revocare, cujus ſeipſam noverat emptionem poſtulaſſe, aſſerens Ioannam propter nummorum inopiam inito pretio nunquam fore ſatisfaciendam, multis etiam ad id ipſi perſuadendum productis rationibus: Quibus motus præfectus, contractum cenſuit reſcindendum. Cumque igitur Ioanna fidelis Chriſti ancilla in mente inde non modicum moleſtiæ pateretur, cui clauſa videbatur humani auxilii janua, & totius ſpes intercluſa poſſeſſionis, nihilominus eximia cum reverentia, & magna animi ſubmiſſione Altiſſimum de neceſſariis ad ſolvendum Præfecto aſſerit proviſurum. At vero Ioanna per varia ſollicitationum genera non valens obtinere reſolutionum verba, Præfectus zelo immoderati furoris accenſus iter arripuit, atque ad domum furibundis properare greſſibus cæpit, eas expulſurus. Sed loquela Ioannæ Virginis per effuſam mellis dulcedinem, mentis cæcatæ Præfecti ita pellit furorem, ut qui prius fuerat tamquam Leo frendens, inter clauſtra Monialium jam factus mitis agniculus inter lenitatem verborum, reverteretur domum. Et poſt crebrò repetita à Ioanna ejuſmodi tentamenta, cam Præfectus ceſſavit moleſtare, non niſi à Patre luminum & magni conſilii Angelo ea omnia provenire ſibi plane perſuadens; unde poſtmodum pacificè loci poſſeſſionem inivit.

dæmonis iterati impetu;

fiducia in Deum, ac patientia,

& prudentia ac verborum dulcedine adverſantem ſuperat;

1953. Et cùm ſæculi hujus annus ageretur 1485, Monaſterii primordia conſtituit ſub titulo DEIPARÆ DE POPULO; in quo unà cum aliis monialibus commorantes, veluti in acie conſiſtentes, gratiæ cæleſtis oleo delibutæ, adverſus mundanos adverſantium hoſtium cuneos, & tumultuantium ſtrepitus inimicorum viriliter dimicabant, civium ſubſidio & maximè Chriſtophori Zoboli Regiani ſemper ſubnixæ, cui eximia cum Charitate & omni quo poterat ſtudio enitenti, Monaſterii promovendi antiquiſſima cura erat; ita ut brevi temporis ſpatio ſpiritualium quarundam perſonarum concurſu, religione & pio cultu celebre efficeretur. Cujus regimini Joanna præficitur, quę tanquam ſol filiabus ſuis per exempla bonæ operationis non mediocriter præluxit. Præter duras corporis jejunio macerationes, uberrimis plerumque lacrymarum compunctionibus affluebat; orationibus quinque ad minus jugiter horis vacabat. Et cum ſupernæ gratiæ munus aliquod ſuſcipere prætendebat quindecies mille AVE MARIA recitabat, & unumquodque centeſimum recitatione SALVE REGINA coronabat: Quibus dictis ſepties quoque AVE MARIS STELLA, totidemque O GLORIOSA DOMINA, dicebat. Quam devotionem Glorioſæ Virginis Mariæ tunicam cognominabat.

Priorissa novi Monaſterii,

ejus pietas eximia erga Deiparam:

1954. Prophetico fuit etiam donata ſpiritu, quo futura prædicebat. Quadam enim vice Domina Juliana Suelli detenta infirmitate gravi, Joannam inviſura, cum ad monaſterium contendiſſet, per merita ejus priſtinam ſanitatem recepit: ſimul & ingentem conſolationem, quod ſibi nimirum prædixerat anni curriculo incipiente maſculum pareret. Idque impletum fuiſſe poſtmodum cognovit actu, quod ſummopere habebat in affectu. Cum quadrageſimali tempore majoris hebdomadæ pro ſui Conventus rei familiaris, & maxime librorum neceſſitate, in oratione verſaretur, à filiabus (quibus ſimiliter ut pro eadem immenſam Dei clementiam obſecrarent injunxerat) mente in exceſſum rapta trium horarum ſpacio conſpicitur. Et præfati temporis termino appropinquante, ecce, miro ſupernæ inſpirationis motu perculſus quidam Sanctæ converſationis Chryſanthus Suſente de Corregio nomine, munifica liberalitate ſuccurrit neceſſitati.

prophetiæ ſpiritus;

fiducia in Deum:

1955. Solebat mater venerabilis orans pro ſe & ſuis ſequentem frequenter orationem dicere: [Exaudi, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus per unicum Filium tuum Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, exaudi, quæſo, me miſeram famulam N, tuam miſericordiam deprecantem, & in te confidentem: Da in ore meo verbum bonum, & in corde meo conſilium certum: Corrobora mentem meam, ut in Sanctificatione permaneat, ne vis antiqui hoſtis, libidinoſaque contagio corporis ullum in me excitet bellum, nulla mentis vagatio ſenſus meos alienet, non turpiloquium, aut mordax, ſeu mendax: ſed verbum Sanctum reſonet in ore meo; ut clarificetur nomen tuum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Eſto, Domine, memor Congregationis tuæ, quam prævidiſti ab initio, & ne claudas ora canentium te; ſed da ſermonem juſtum, & bene-ſonantem in os noſtrum, ut noſtræ deprecationes ſint acceptæ in conſpectu tuo; Qui vivis & regnas Deus, in ſecula ſeculorum. Amen.]

oratio ab ea ſolita;

CAP.

IX. Iunii.

CAPUT III.

Exercitia pietatis eximia erga B. Virg. Mariam: dæmonis frequentes, & graves inſultus: ſublimis contemplatio.

Deipara feſta quâ ratione coleret;

1956. GLorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ (cujus illa perſtudioſa cliens erat) quotannis tanta ſolemnitate feſta celebrabat, ut in vigiliis ejuſdem feſtivitatum millies ſalutationem angelicam recitaret: die vero ipsâ ſeptem ejus officia legendo perſolveret: & continuò ad pulſum ſalutationis Angelicæ, ipſummet profunditatis myſterium meditando nonnihil inhæreret.

abſtinentia & jejunia:

Abſtinentiæ vero tantæ erat, ut Sabbatum, pane & aquâ contenta, tranſiret; & similiter totum illud ſpatium, à feſto nimirum Exaltationis ſanctæ Crucis uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, ſine intermiſſione jejunando tranſcurreret, quamvis à certis quibuſdam diebus, ſecundùm mitigationem Eugenii Quarti Pontificis Maximi eximeretur. Cùm tanta igitur ipſius vitæ auſteritas, quæ latere vix poterat, Confeſſario ſuo innotuit, mox ſub Sanctæ obedientiæ præcepit imperio, ut ſole ad occaſum vergente in vigilia Annunciationis almæ Dei genitricis unicum AVE MARIA recitaret.

AVE MARIA recitans devotiſſimè,

Cui promptiſſimè morem gerens, ſolitarum numerum precum & rigorem acquievit relaxare, ſed affectum & fervorem non ceſſavit augmentare. Nam cum tanta devotionis magnitudine & contemplationis profunditate recitavit unicum illud Ave Maria, ut divini amoris igne ſuccenſa, & cælesti lumine irradiata in extaſin rapta

in extaſim rapta;

viſa fuerit; & mente in cælum penitus defixa, totam noctem ſic conſumpſerit. Unde valet liquidò deprehendi; pieque credi altum Dominicæ incarnationis myſterium tunc temporis meditando percurriſſe, ut tali die univerſo manifeſtatum generi humano.

dæmonis techna:

1957. Ægrè ferens humanæ ſalutis inimicus ancillam Dei tantâ cæleſtium Chariſmatum abundantiâ cumulari omni quâ potuit machinâ deſuper infuſa ſolatia attentavit impedire; nam paulo ante quam mens ancillæ Dei intra ſe recollecta, & ad uſum ſenſuum reducta fuiſſet, terrorem incuſſurus, in ſpeciem oviculæ adſtitiſſe viſus eſt malignus. Sed videns eam minime turbari, ſubitò quaſi pertranſiens, ab oculis virginis ſe aſpicientis, confuſus evaſit. Alio quoquè tempore ab omni ſenſuum exteriorum operatione octo horis abſtracta viſa fuit à ſuis filiabus: quas blandis ſolita eſt verbis reſtituta ſenſibus, exhortans ut ſolita pietatis in Deum exercitia nunquàm intermitterent, & dæmonum aſtutias minimè perhorreſcerent; quia, inquit, in cælo interceſſores & advocatos habemus ſanctum Joannem Baptiſtam, & ſanctum Hieronymum. Tantæ virtutis & efficaciæ erant ipſius preces, ut refectionis tempore aliquando contigerit panem deficere: Cumque hac in penuria anxiæ valde eſſent, illico B. Joanna ad ſolita orationis armamenta recurrens, preceſque ſub ſilentio ad Deum fundens, vix modicum poſt, & ecce, ultra omnium ſpem panis in ſumma multiplicatur copia, quæ cunctis illic degentibus abundè ſufficeret.

B. Joannæ precibus neceſſitati temporali ſubvenit:

Alias tres horrendæ voces in ipſius cella audiuntur: mox beata ex magno cordis affectu arcana iſta & myſterii plena verba pronunciat: [Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Eſto mihi Chriſtus Jeſus & Salvator in protectionem.] Et ſollicitè inquirenti cuidam ex monialibus, quidnam ſibi vellent hi clamores? reſpondit Joanna, tres animas Purgatorii carcere detentas importuna admodum ſupplicatione opem poſtulaſſe, ut de tantis eriperentur pœnis. Unde & poſtmodum ei præcepit, ne id ulli unquam, quamdiu viveret, declarare præſumeret.

1958. Sæpiſſimè orantem malignus ſpiritus diris divexabat modis, & ſemel ſuper eam immaniter irruit, graviſſimis verberibus attrivit, & projectam de ſcala penè ſemimortuam, moniales, quæ audito ſtrepitu illuc venerant, invenerunt; tametſi eis ſeriem à ſe perlati caſus minimè expoſuerit.

gravi. res dæmonis in eam inſultus,

Nihilominus duabus ex ipſis Modenam iter habentibus, illic inhabitandi & Monaſterio inſerviendi causâ tunc temporis innotuit, cùm obviam haberent miſerrimam quamdã fæminam, miſerabiliter à dæmonio vexatam: Cui malignus ſpiritus (ut eſt revera teterrimus, hiſpidus, horribilis) dixit, has Monachas de Monaſterio Joannæ de Rhegio eſſe, quam paulo ante de ſcala projecerat, poſtquam verberibus attriverat. Aliàs cum magna cogitationum ingruentium varietate occuparetur, & de monaſterii ſolvenda emptione contrectaret mente, verſipellis contortor, qui in thalamo mentis univerſa ſolet convolvere, & in diverſa præteritorum rememoratione puritatem intellectus involvere, videns eam monaſterii empti ſolutionem mente contrectare, iterum eam tentare aggreditur, aſſignans ei certum locum, ubi pecunias invenire poſſit. Quod minime acquievit facere, antequam ſe orationi dediſſet: qua finita, diabolicum commentum fuiſſe novit.

1959 Ipſo Domini noſtri Jeſu Chriſti natali die in mentis exceſſum rapta, internis animi oculis infantulum Jeſum conſpexit, eodem planè modo, quo in Bethlehem natus apparuit, nimirum inter brachia Virginis Matris pannis involutus, faſciis cinctus, in Virginali gremio cubans; cui Virgo pietate matris incitata puriſſi-

IX. JULII.

Natalis Christi festo, mysterium pueri'i affectu recreata :

tris manibus ſuis Spiritu ſancto plenis de ſacro pectore ſuo lactis guttas miniſtrabat : deinde in humili ac duro præſepio ſuper fœnum reclinabat, cum Joſeph ſponſo caſtiſſimo adorans, grates referens Patri æterno, quod cor ſuum dederit in reconciliationem generis humani. Inſuper, quod maximum eſt B. Joanna conſpiciebat irrationabilia animalia, veluti rationabilia halitu ſuo tenerrima & trementia ſui Creatoris membra foventia : & paſtores proprium munus obeuntes, unà cum tribus Magis glorificantes, qui ſtella duce, in regionibus orientis apparente adoraturi, & pretioſa munera ſua oblaturi venerant. Tunc autem Joanna tot inter myſteria flumine lætitiæ & ſpiritus jubilis adimpleta, conſervabat omnia hæc, conferens in corde ſuo. Et inter conferendum, his omni reverentiâ Parvulum eſt allocuta verbis : [Mi Domine, candor lucis æternæ, tam abjectum, tam pauperem, tam patientem, amore mei te videndo, quas rependam grates ? quid muneris offeram pro tam immenſa liberalitate ? quandoquidem minima ſim ipſa in cenſu, & nihilum valeam, niſi in verborum & cordis affectu. Et ideo quia in facultate mea inveniri non poteſt pretium meæ redemptionis, in ſermone celebro præconia munificæ liberalitatis, & in corde poſui tabernaculum tuæ majeſtatis. Totam me, mi Parvule, trahit affectio, ſed deficit poſſeſſio, & dives cogitatio vocis paupertate confunditur.] Inſuper ipſo Dominicæ Reſurrectionis die, tam ſublimis myſterii, & glorioſi de morte triumphi contemplationis inebriata, illam jubilationis Antiphonam, ALLELUJA nempe, ab univerſis creaturis decantari, ſibi videbatur audire. Et de repentè ipſi ineffabili jubilatione ferventi, ſe Redemptor noſter Jeſus Chriſtus immortalitate velatus, undique gloriæ ſuæ radios vibrans, ſpectandum dedit ; verbis illam quam ſuaviſſimis conſolans, quòd omnem ſeculi pompam penitùs damnaverat, unico munita Crucifixo.

ſimiliter festo Paſchæ ſublimi contemplatione myſterii Reſurrectionis.

CAPUT IV.

Chriſti apparitiones : dies deceſſûs prænuntiatus : ſpiritualia utiliſſima ab ea tradita documenta : obitus.

Chriſtus ei apparet :

1960. CUm acerrima valetudinis incommoditate urgeretur, divinum generis humani medicum ſibi aſtantem ; in ſpecie cujuſdam juvenculi albis induti, conſpicit è cæleſti horto vernantes roſas, & alios flores odoriferos afferentis, manibuſque ſuis coronam texentis, quâ dilectiſſimam ſponſam ſuam decoravit. Nec hic adhuc ejus deſideria & affectus terminantur : Nam ſponſus Jeſus Chriſtus ſponſam ſuam condecorare volens nuptiali thalamo, illi in cælis præparato, de novo inviſere advenit eam invitaturus ad poſſidendam coronam immortalitatis, in præmium & retributionem certaminis corporalis, ei revelans diem ſuæ mortis, quo tranſire debebat ad requiem æternæ manſionis. Hic humano vix exprimi poteſt eloquio, qua lætitia, quo tripudio mens ejus repleta erat, videns præfixi temporis appropinquare terminum, quo diſruptis vinculis corporis anima evolaret ad ſponſum. Et ideo tanto perfuſa gaudio ultra non valet diſſimulare quo fruitur. Convocat chariſſimas ſuas filias, ultimò eas amplexura, omnem eis ſeriem à ſe conſpectæ viſionis, & eorum quæ contigerant exponere volens. Quibus auditis vehementer triſtari cæpere, clauſtrum omnium inhabitantium gemitu, lamentationum ululatu circumſonari auditum eſt. Et earum ſingulæ voces in excelſum tollentes, cum debita reverentia & affectu filiali veſtem qua induta erat deoſculantes, ſummis ab ea precibus ſupplicantes poſtularunt, ut quatenus ſuarum filiarum neceſſitatem in terris conſpiceret, jugiter pro ea miſerata in cælis divinam clementiam exoraret. Mox Beata Ioanna pia mater his ita ſe ſenſit interius compungi, ut lacrymis, filiali tacta amore, non valuerit ſe diutius cohibere, exoptans ad Deum omnes efferre, perenni bravio donandas. Menſe Iulii, anno Dominicæ incarnationis 1491 graviſſima laboravit infirmitate ; quam mortiferam eſſe cognoſcens, ſalutiferis Eccleſiæ Sacramentis muniri popoſcit ; ſimul etiam ad ſe vocari omnes moniales curavit, plurima enitens ſalutaria, quaſi quædam ſignacula, earum mentibus ſolerter imprimere monita. His itaque inſignis monitorum diſpenſatrix loqui cæpit terminis :

diem obitus revelat :

convocat ipſa filias ; inſtantem deceſſum ſuum pandit :

lacrymæ ; & lamenta monialium ;

B. Joannæ infirmitate corripitur :

1961. MONITA SPIRITUALIA MORITURÆ VIRGINIS JOANNÆ. Meæ chariſſimæ filiæ, & plus quam intima cordis mei viſcera : Quandoquidem Domino Noſtro Ieſu Chriſto diſponente, hoc ab exilio & lacrymarum valle cogor recedere, congruum duco ut in hac extremæ valedictionis (quam toties expetivi) horâ aliqua vobis depromam Monita.

ejus valedicentis pia monita :

I. Ideo igitur dilectiſſimæ, quæ temporalis hæreditatis jura ſponte & penitus reliquiſtis, ut perpetuæ felicitatis poſſeſſionem ſecurè adiretis, arctè mentibus veſtris infigite, vos teneri omni cura adimplere officia veſtra, Sacramenta frequentando, & humili ex corde obediendo.

II. Uberes quoque bonorum operum ſegetes excolere non ceſſate : ſarculum protinùs ſalutiferæ mortificationis arripite, ac propriæ voluntatis viroſum germen de agro cordis veſtri radicitùs extirpate.

III. Lingua veſtra ac labia à divinis laudibus nunquam ſint otioſa ; ſed ſemper orationis

IX. Iulii. tiones velut aromata terendo revolvite, ut in conſpectu Dei non immeritò poſſitis odorem ſuavitatis offerre.

IV. Terribilem mortis diem ſedulo etiam in conſpectus veſtri præſentia ponite.

V. Repentinum juſti Judicis adventum, occulti videlicet inſpectoris poſt parietem noſtrum ſtantis, & per feneſtram reſpicientis, tremefactis viſceribus retractate; cui diſtrictam minimorum rationem reddere debetis; qui nec falli occultatione criminum, nec ad impunitatem promerendam alicujus oblatione corrumpi, nec minarum acerbitate terreri, nec precum inſtantiâ placari poteſt; verùm reddet unicuique prout geſſit in corpore ſive bonum ſive malum: Ideoque, filiæ dilectiſſimæ, ſollicitos mentis & corporis oculos in vos dirigendo, conſolari me quidem valeo, at ſatiari non obtineo.

VI. Tranſitoria blandientis ſæculi lenocinia, mirandi fervoris inſtantia reprimite; ut omnium deliciarum cæleſtium copiis mereamini affluere.

VII. Temporalis ærumnæ flagella generosè in via perferte, ut perpetuæ hæreditatis jura perenniter poſſideatis in patria.

VIII. Tunc cognoſcetis perexigui laboris veſtri rigorem alacritèr pro Chriſti amore perpeſſum, jugis gaudii fore fruitionem; cognoſcetis varia genera tribulationum fore vobis ſerta gemmarum.

IX. Et quanto quis veſtrum fuerit in afflictione alacrior, tanto erit in remuneratione eminentior: Quanto in officio perſolvendo diligentior tanto in præmio recipiendo fælicior. Et ſi me in matrem aſſumatis, aſſumam & vos in filias. Interea firmæ ſpei gradibus propero vobis parare viam ad meliorem vitam.

1962. Hujuſmodi quippe admonitionibus factis, teſtamentum condidit, quo inter cetera præcipua, unum, Charitatem nimirum ſeriò commendavit. Ad quam communiter exercendam, filiarum devotas mentes accendit, & tanquam tramitem amplectendum propoſuit: *teſtamentum condit.* Quoniam tota Fidei & fiduciæ noſtræ machina duabus incharitatis ſe baſibus erigit, Dei nimirum, & proximi. Eis quoque oſtendit fatuas Virgines à cæleſtis Sponſi thalamo omni cum confuſione ſecluſas fuiſſe, quia in vaſis ſuis oleum charitatis non ſunt inventæ habuiſſe. Tum earum ſingulas oſculans oſculo pacis, ſimul & benedictionis, anno ſalutis 1491, ætatis ſuæ circiter 63, nona Julii beatum Deo ſpiritum reddidit. *Obitus.*

CAPUT V.

Apparitiones variæ poſt mortem: revelatio facta Epiſcopo Rhegienſi: corporis incorrupti elevatio: cultus.

1963. Frequenter poſt mortem chariſſimis ſuis apparuit filiabus, in diverſis eas conſortans ærumnis, & preſſuris: *apparet ſæpè diverſis.* Et inter alias ſorori Hieronymæ Lanzi, olim ſodali familiariſſimæ, & imitatrici ſuæ ſeduliſſimæ: Quæ ut Sancto Dei ſervitio commodiùs vacaret, ab omni Monaſterii cura & officio declinare decreverat: ſed B. Joanna voluntatem propriam ei præcepit frangere, & ſuperiorum mandata, in omnibus promptiſſimè adimplere. Modicum poſt tempus iterum tota pulchra, ſerena aſpectu, ac ſolemni quodam nitore conſpicua eidem apparuit, nomineque proprio virgo beata eam appellavit. Ad cujus vocem attonita exclamavit: O mater venerabilis, eas quas valeo gratias tibi refero, quod filiæ tuæ per temetipſam digneris adeſſe, & tui præſentiâ aliquando conſolationem exhibere. Tunc *glorioſa* inſignis venuſtatis prætulgida radiis beata mater ei ſeſe manifeſtavit: & ſimul eam ad Coronam frequenter recitandam, aliiſque perſuadendam incitavit; quia omni holocauſto acceptabilior, & omni ſacrificio gratior eſt Deiparæ Virgini. Inſuper addens, *hortatur ad frequentem recitationem* miranda cæleſtis ſponſi conſolatione cumulandas iri, ſi centies quotidiana eandem decorarent recitatione AVE MARIA, in eaque *AVE MARIA.* devotione conſtantes perſiſterent.

1964. Hæc ſoror Hieronyma, per præfata viſitationum & favorum miracula, ſentiebat in ſe quotidie majoris deſiderii, corporis B. Joannæ effodiendi, ſuccreſcere in- *corpore effoſſo brachium aufertur:* crementa. Et quamvis prudentia Patris ſui ſpiritualis negaret deſiderio conſenſum, inſtantia tamen importunitatis obtinuit omninò effectum. Nam intimi quodam fervoris inſtinctu animata, ſepulchrum diſcooperuit, diſcooperto abſtulit dextrum è corpore brachium, intactum relinquens reliquum & tanquam gemmam pretioſam detulit ad cellam, dignæ devotionis reverentiam ei exhibens. Rurſum ſequenti nocte viſibilis ejus oculis beata apparuit, aiens: Adſum filia chariſſima, quid rei à me petis? ubinam abſconditum latet brachium, quo ſuper te benedictionis ſignum, & alias ſorores multoties impreſſi? Eia, inquit ſoror Hieronyma, mater beata, cuncta tibi ſunt aperta. Inſuper ab ea ſolerter inquiſivit, quid circa patrem ſuum jam dudum defunctum, & ſororem diſpoſitionis eſſet, utrum ſcilicet *revelat ſtatum duorum defunctorū.* eos pœna conſtringeret, an eos quævis proſperitas arrideret. Joannæ revelatione cognovit, patris animam pœna purgatorii conſtringi; pro cujus refrigerio deberet Deum orationis ſacrificio placare; ſororis vero proſperitate perenni in cælo ſecum perfrui.

IX. IULII. Contigit poſtmodum præfatam ſororem Hieronymam, unà cum alia, à Duciſſa petendæ eleemoſynæ gratia pro Conventus rei familiaris neceſſitate, juſſu ſuperiorum Ferrariam proficiſci. Interea nocturno noctis ſilentio, cùm apud Monaſterium ſancti Gabrielis recepta eſſet hoſpitio, & vario cogitationum involucro oppreſſa perpenderet anxia, quonam modo tantam Dominam alloqui deberet, rurſum Joannam aſtare ſibi conſpexit, ineffabilis ſolatii alimento ſe reficientem; valdeque gratam adventu ſuo, exaudiendam, & omni favore prætenſionis ſuæ donandam fore, ſibi dicentem, atq; hilarem & lætam Rhegium reverſuram: quò, cum Domino opitulante, proſpero perveniſſet itinere, ei corpus ſuum totaliter ex humo educendum juſſit. Expeditione igitur piæ prætenſionis ſuæ fæliciter (ut ſibi prædictum fuerat) peracta, in patriam ſuam rediit: tunc temporis currente anno 1492; & prima Decembris incorruptum, illibatumque educunt Moniales è ſepulchro corpuſculum, velut tunc fuerat cùm ſepulturæ illud primitus traditum eſſet, undique odorem exhalans ſuaviſſimum; & in quadam arca honorificè recondunt.

apparitio alia:

incorruptum corpus ſepulchro educitur menſe 17. ab obitu,

1965. Aliquo tempore ſic permanſit, donec Prior Carmelitarum, & Confeſſarius Monialium ſtatuerent, quid in hoc eventu agendum. Mox videntes innumerabilia ex corpore divinâ virtute quotidie fieri prodigia, tandem deliberato pergunt animo ad Antiſtitem de Rhegio, qui tunc erat Bonus Franciſcus Arlotti Rhegianus, ei nunciaturi eventum rei. Eumque reperiunt cuidam libro ſtudentem, cujus auctor hunc Canticorum citabat locum: *Tempus putationis advenit.* At loco: *Putationis:* Scriptum reperiebat: *Publicationis.* Super quo Antiſtes non parum attonitus, varietatem textûs ad mentis cubiculum reducens, & diligenter revolvens, cum eodem Canticorum loco contulit, & concordare pariter reperit. In hac ambiguitate verſantis cellam intrarunt Antiſtitis Patres duo præfati, totumque beati corporis eventum per ordinem fideles relatores ei expoſuerunt; mirabiliora videlicet, quæ Deus ad gloriam ſui nominis per eam dum adhuc viveret operatus fuerat, poſt mortem quoque ejus operari dignatus eſt; qualiter etiam glorioſum corpus è terra eductum eſſet. Quapropter humiliter depoſcebant conſilium, opem, & licentiam id ſolemniter publicandi. His auditis Antiſtes admirabundus cæpit exclamare: Verè opus Dei eſt, & mihi cælitùs tunc revelatum eſt, cum legerem: *Tempus putationis*, & continuò ob oculos mihi verſabatur: *Tempus Publicationis:* idemque legere cogebar. Quandoquidem ergo hucuſq; Sanctum latuit corpuſculum, & modò jacet effoſſum, tempus eſt, innuentibus vobis, & id fieri cupientibus, publicæ denunciationis titulo manifeſtare univerſo mundo.

miracula plurima patrantur:

revelatio facta Epiſcopo Rhegienſi:

1966. Quapropter Antiſtes nonnullis Canonicorum, Doctorum, diverſorumque Civitatis nobilium ſtipatus turmis ad Monaſterium pergit, & præmiſsâ oratione factaque diligenti informatione, corporis & mentis oculos in ſanctum corpus, expers corruptionis, & habitum quo cooperiebatur integrum, ſedulò fixit: ac ſtupore plenus in has erupit voces, reginæ videlicet Sabæ ad Salomonem: Verus eſt ſermo quem audivi in terra mea ſuper Sermonibus tuis, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſe veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nunciata non fuerat. Poſtea tam incolarum Civitatis, quàm externorum facto concurſu, ordinata ab ipſo celebratur ſolemnis Proceſſio: in quorum præſentia Pontificalibus inſulis exornatus Sacrum decantavit in præfati Monaſterii Eccleſia, continuò ante ſanctum corpus cereis accenſis (ut congruum erat) quamplurimis. Peracto Miſſæ Sacrificio, ſanctum corpus reverenter ſublatum, & in loco ſancto ad hoc diſpoſito collocatum fuit, in ſiniſtro nempe Altaris cornu. Ubi integrum illibatumque adhuc quieſcit ſubtiliſſimo coopertum velo; & hoc ejus eſt Epitaphium:

qui cum Canonicis & nobilibus corpus viſitat;

proceſſionem ordinat:

Miſſam ſolemniter celebrat ad corpus:

quod inviolatum juxta altare collocatur;

Hic decem, & fama pars maxima Carmelitarum,
Corpore felix virgo Ioanna jacet.
Cal ſit gaudens ut ſpiritus integer aula
Sic non conſumptis oſſibus alma caro eſt.
Gaudeat exultans his concio tota ſororum,
Lætetur propria Scupea prole domus.
Lætitia voces populus ſub ſidera jactet
Rhegium, hac diva Virgine lætus agat.
Sis bona, ſis felix cunctis ſanctiſſima Virgo,
Sisque memor noſtri vocibus ante Deum.

Ibique inauditis populorum turmis undique confluentibus, atque piè orantibus, præclara corporis Sancti fama crebreſcit, multorumque cultu inſignitur, & mira reverentia oſtenditur. Et præter ſolemniora totius anni feſta, in quibus videndum exhibetur, ipſius etiam feſti die, qui in nonam Julii incidit, exhibetur, & maxima fidelium multitudine celebratur; qui de immenſa ejus gloria, qua jam cum Chriſto regnat ſummoperè lætantur: ubi ſe regnare in perpetuum ſperant ejus apud Deum patrocinio ſuffulti.

magno cum concurſu inviſitur,

DE

Obiit circa an. MCCXXII.

DE B. IOANNE PATRIARCHA HIEROSOLYMIT.

Fratre S. Angeli Martyris.

B. Ioannes Patriarcha frater S. Angeli, ipſi Angelo in ſanctitate ſuppar;

1967. HAc die in antiquo Ordinis Kalendario, in vetuſto codice MS. Carmeli Mechlinienſis, legitur: Joannis Confeſſoris Ordinis noſtri, Patriarchæ Hieroſolymitani, fratris S. Angeli. *Nativitas ejus prænuntiata à SS. Virgine Maria (quæ & nomen impoſuit) inſtitutio, ſtudia, ingreſſus in Carmeli Ordinem, arcta, & ſancta vita, unà cum fratre ſuo S. Angelo, aſſumptio ejus ad Patriarchatum Ieroſolymitanum (pro Syris, ſeu Græco-Syris) & miracula, deſcripta pariter ſunt in vita ejuſdem S. Angeli, hîc ſuprà ad diem V. Maij cap. 2. 3. 4. 5. peculiariter autem cap. 7. ubi de ejus miraculis, & cap. 11. ubi de aſſumptione in Patriarcham Hieroſolymitanum.* (a) *Arnoldus Boſtius, in Speculo hiſtoriali libro 8. tradens vitam S. Angeli, eamdem refert vitæ rationem ipſius B. Ioannis, quæ & S. Angeli: cap. autem 10. cujus titulus eſt:* De S. Joanne Pontifice Hieroſolymitano, fratre prædicti S. Angeli: *de ejus converſatione in Patriarchatu, & ſancto obitu peculiariter tractat. Abraham Bzovius, in Annalibus ſuis, ad annum Chriſti 1220. num. 15. ea refert ſub hoc verborum compendio:* Ferunt etiam Joannem, ejus (*Angeli*) fratrem pari gratiâ & ſanctitate præditum, quatuor mortuos ſuſcitaſſe, viginti paralyticos, leproſos decem & novem perſanaſſe, cæcis quinque lucem reddidiſſe & multos alios corporis ægros ſanitati reſtituiſſe. *Sic ille. Vita illius ſeries, à nativitate, uſque ad obitum, chronologicè intexta eſt Annalibus Carmelitanis. Anno Chriſti MCLXXXVI. adſcribitur ejus nativitas, Hieroſolymis ex parentibus Iſſe, & Maria, Davidica ſtirpis, juxtà præviam B. Virginis Mariæ promiſſionem & prædictionem, quòd ipſe, & frater (S. Angelus) in Eccleſia Dei futuri eſſent, tamquàm duæ olivæ, & duo candelabra in Eccleſia Dei ſplendidiſſima. Ad an. MCLXXXIX. memoratur mira ejus, adhuc puerili, abſtinentia, nimirùm,* quòd uberibus admotus, numquam vel lac ſumeret, niſi præviâ, & notabili neceſſitate adductus. *Addit Lezana:* Miræ in majori ætate abſtinentiæ index. *Ad annum ſequentem refertur, quòd à parentibus paulò ante eorum obitum commiſſus fuerit tutelæ Patriarchæ Hieroſolymitani. Ab anno MCLXXXXIII. (ætatis ſeptimo, uſque ad 18)* linguarum & artium peritiâ informari cœpit (*unà cum fratre*) Hebraicas primô, Græcas proximô, Latinas poſtremô locô literas paucis annis tantô ſtudiô didicit, ut à ſeptimo ad 18. ſuæ ætatis annum, trium linguarum peritiſſimus cenſeretur. *Cum linguis, etiam artium, & Scripturarum ſtudia ſociaſſe traditur ibidem. Addit Lezana:* Quòd primô locô Hebraicas literas, ſecundô Græcas, & tertiô Latinas didicerint, indicat eos ex Hebræis, & Syris natos ſub Græco ritu, Syrorum more, verè tamen Latinæ Eccleſiæ filios reverentes fuiſſe.

(a) Vid. ſupr. num. 1276. & 1286.

vitæ ejus epitome; parentes, abſtinentia in pueritia, ſtudia,

1968. *Sub annum MCCIV. habitâ deliberatione de ſtatu vitæ capeſſendo, unà cum fratre eligit Religionem Carmeli; tùm quòd ea ſit præcipuè* Dei Genitricis titulô dicata; *tum quòd ejus alumni ſint Prophetarum ſucceſſores.* Feſto Nativitatis B. Virginis (*cujus ſingulari beneficio ipſe natus erat*) incredibili humilitate, & devotione habitum Carmeliticæ perfectionis ſuſcepit: *& anno ſequenti* ſolemnem profeſſionem emiſit: *& in Cœnobio Carmeli montis conſtitutus, non modò exactiſſimâ Regulæ obſervantiâ reſplenduit, ſed & ſupererogans, veterum Patrum & Eremitarum arcta & rigida vita, perfectæque monaſticæ converſationis exemplar effulſit, ſolius panis, & aquæ modicâ refectione contentus. Tanta abſtinentia ſociabat veſtis aſperitatem, lecti duritiem, ferreæ camiſiæ uſum, & præter penſum divini officii, etiam in legis Dei meditatione quotidiè genibus flexis totum Pſalterium perlegebat; ſicut in vita S. Angeli cap. 5. refertur. Quantum autem Deo placuerit fideliſſima illa B. Ioannis Regulæ obſervantia, & ſupererogatio, magnis manifeſtatum eſt miraculis, ab oculato teſte Enoch, ſcriptore vitæ S. Angeli relatis cap. 7. vitæ illius, ubi, inter alia iſta:* Plurima meritis Joannis Deus operari dignatus eſt... Vidi ego, *inquit,* varios ab infirmitatibus incurabilibus ſanatos, à dæmonibus vexatos, ejus meritis liberatos. *Anno ætatis XXVIII. Chriſti MCCXIV. ſacrâ ſacerdotii dignitate decoratus fuit Hieroſolymis: ubi anno MCCXVII. circiter, mortuô Patriarchâ, Spiritus ſancti diſpoſitione, unanimi aſſenſu electus,* oves contagiis purgare, & ad paſcua ſalutis reducere ſatagebat, *ſicut cap. 11. ejuſdem S. Angeli vitæ traditur. Mirabilis viſio, quâ à Deo honoratus fuit, deſcripta eſt cap. 2. vitæ S. Angeli, & in præfatis Annalibus Ordinis ad annum Chriſti MCCXIX. Ibi conſequenter ad annum MCCXXII. refertur* ad cœleſtem patriam aſcendiſſe: *& quòd inter* Sanctos Religionis enumeretur: *quòdque ſit diverſus ab eo, de quo Petrus Galeſinius, Ioannes Molanus, Philippus Ferrarius, ad diem XII. Ianuarii,* cujus feſtum eâdem die (*XII. Ianuarii*) antiquitùs in Ordine noſtro celebrabatur... Joannes autem, de quo in præſenti, ſancti Angeli frater, colitur menſe Julii.

Religioſus, in Carmelo; perfecta ejus converſatio; vitæ rigor; miracula, Sacerdos, Patriarcha electus; ſanctè moritur; diverſus eſt ab alio Ioanne etiam Ieroſol. Patriarcha.

COM-

XVI. JULII.

COMMEMORATIO SOLEMNIS

Beatiſsimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli.

PRÆFATIO.

(a) vide to. præced. num. 1494.

COMMEMORATIONIS SOLEMNIS *feſtum antiquum, & venerabile.*

(b) lib. 1. Rubr. 33.
(c) ad diem 16. Julii.

ob quas cauſas inſtitutum.

1969. I*Nviolabilis antiquitatis* (a) *& ſolemniſſimum in hoc Ordine feſtum eſt illud, quod die XVI. Julii, aut Dominicâ ſequenti celebratur, nuncupatum*, Commemoratio ſolemnis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo: *videlicet in memoriam beneficiorum ſingularium per ipſam Ordinis Matrem amabilem, ac prapotentem Patronam exhibitorum. Pracipua ſic paucis in Ordinis hujus Ceremoniali* (b) *& Martyrologio* (c) *traduntur:* Commemoratio ſolemnis Glorioſæ Virginis Mariæ, quæ & FESTUM BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI appellatur; quòd ejus ſacra Carmeli Sodalitas in monte Carmeli Fundata (quem locum ipſa, in humanis agens ſuâ præſentiâ viſitavit: & poſt ejus mortem ibi Eccleſia primaria ab eiſdem Carmelitis fuit ei dedicata) ob ſui nominis, quo eam dignata eſt inſigniter nobilitare, collationem; ob ſingularem in ſuos filios, Fratrum & Confratrum adoptationem; ob glorioſam ſui habitus induitionem; ob propriam ejuſdem Ordinis multoties protectionem; ac ob infinita in ipſum ſuum Ordinem ab initio, uſque ad præſentem diem collata beneficia, ſolemniter celebrari meritò inſtituit. *Sed de iſtis & aliis plura in ſequentibus. Sic etiam in Eccleſia univerſali ſunt facta varia decreta, propter beneficia generalia, vel miracula, nobis praſtita, nec non propter ſpeciales gratias, apparitiones, aut alia cælitùs accepta.*

Orationes plures ad Canonicas horas in eo cantari ſolita;

1970. *In hoc feſto olim iſta canebatur Oratio, ſive Collecta:* Deus, qui Excellentiſſimæ Virginis & Matris Mariæ titulo Ordinem humilem tibi electum ſingulariter decoraſti, ac pro defenſione ejuſdem miracula ſuſcitaſti, concede propitius, ut cujus commemorationem devoti veneramur, ejus in præſenti auxiliis muniri, & in futuro gaudiis ſempiternis perfrui mereamur. Per Dominum, &c. *Ita quidem* AD MISSAM, AD PRIMAS VESPERAS, ET LAUDES, *ſicut liquet ex Miſſalibus & Breviariis antiquis, manu-ſcriptis, & impreſſis anno* 1495. 1509. *& aliis. Ad* TERTIAM *autem iſta recitabatur:* Adjuvet nos quæſumus, Domine, glorioſæ tuæ Genitricis ſemperque Virginis Mariæ interceſſio veneranda, quæ ſacrum Carmeli Ordinem ſui nominis titulò decoratum confirmandum inſpiravit: & à cunctis periculis abſolutos ejus interventu tuâ faciat pace gaudere. Per Dominum, &c. *Ad* SEXTAM: Protegat nos Domine tuâ cœleſti benedictione ſancta & glorioſa Mater & Virgo perpetua pro nobis intercedendo, & cujus ope Ordo Carmeli illuſtratus, depulſis adverſantibus, ejus nominis inſignia experitur, & ſuffragia percipere faciat oportuna. Per Dominum, &c. *Ad* NONAM: Oramus te Domine Jeſu Chriſte, ut ſicut tua Genitrix Virgo luminis ſplendore, nocte apparens oſtendit petentium Carmelitarum vota ſuſcipi & acceptari, ut montis Carmeli Religio ſua nominaretur, & eſſet: ita divinis operibus nos ſtudere facias ad remiſſionem omnium delictorum, & ad collationem cœleſtium bonorum. Qui vivis, &c. *Ad* 2.[as] VESPERAS: Benedictio tua, Omnipotens Deus, larga deſcendat, quâ contra oblectamenta peccati, mentis ratione perſiſtamus, & deprecante piiſſimâ Virgine Mariâ, cujus miracula Carmeli cultores coruſcare ſenſerunt, & eorum Inſtituta Eccleſiæ fecit eſſe accepta: ab omnibus corporis, & animæ protegamur adverſis. Per Dominum, &c. *Iſta Orationes extracta ſunt ex Breviario Venetiis impreſſo anno* 1575.

1971. *Quoad* miracula pro defenſione Ordinis, &c. *& ſingularia beneficia eidem per ſuam prapotentem Patronam & Matrem praſtita, ea plura ſunt, de quibus in hiſtoria ſolemnitatis hujus (qua ſubſequitur) & in Annotationibus ad eandem nec non in Synopſi ſubſequente. Quoad ad ſecundas Veſperas canebatur:* Eorum inſtituta Eccleſiæ fecit eſſe accepta, *maxime cernitur verificatum in ſacro Scapulari: quod in uſu & olim fuit, & modò eſt apud omnes Eccleſia gradus, etiam Principes, Reges, Imperatores, & inter Eccleſiaſticos, etiam inter Religioſos alios, Pralatos, Epiſcopos, Cardinales, ipſoſque Summos Pontifices, ſicut videre licebit Tomo pracedenti. Peculiariter etiam* Carmeli cultores ſenſerunt, *& ſentiunt,* ſua inſtituta Eccleſiæ eſſe accepta, *propter nomenclaturam; quia ipſa* Dei Genitrix Virgo voluit, ut montis Carmeli Religio ſua nominaretur, & eſſet, *ſicut Oratio ad Nonam continebat, & nunc exprimitur in approbata ſolemnitatis hujus hiſtoria; ita quidem, ut Ordinem ſic nominantibus Indulgentias conceſſerint Pontifices, & equi intuitu Ordini plura largiti ſunt privilegia, ſicut ſtatim audiemus. Et iſta hactenus occaſione Orationum praſcriptarum; nunc autem unica ad Miſſam, & Horas iſta canitur:* Deus qui beatiſſimæ ſemperque Virginis & Genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli Ordinem decoraſti; concede propitius, ut cujus hodie Commemorationem ſolemni celebramus officio, ejus muniti præſidiis, ad gaudia ſempiterna pervenire mereamur. Qui vivis, & regnas, &c. *Cùm autem hiſtoria illa (& cauſa pracipua hujus feſtivitatis compendioſè tradita, inſerta Divino Canonico Officio) approbata ſit à Sacra Congregatione Rituum, ſubſcribentibus, Cardinalibus Bellarmino, & Pinello, ac de Torres; atque ita primaria auctoritatis, expediens viſum eſt, eam hìc primo loco exhibere, & annotationibus illuſtrare.*

CAP.

XVI. Julii.

CAPVT I.

Hiſtoria, & cauſæ ſolemnitatis hujus.

Ex approbato Breviario Carmelitano, & ex officiis propriis Carmelitarum Diſcalceatorum : hac ipſa die legitur in ſecundo Nocturno ad Matutinum.

(a) Nocturni II. Lectio prima.

1972. (a) CVm ſacrâ Pentecoſtes die Apoſtoli cælitus afflati, variis linguis loquerentur, & invocato auguſtiſſimo Ieſu nomine, mira multa patrarent : Viri plurimi, qui veſtigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliſei inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerant, rerum veritate perſpectâ, atque probatâ, Evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu, beatiſſimam Virginem (cujus colloquiis; ac familiaritate fœliciter frui potuêre) adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco ubi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini ſacellum conſtruxerint.

(b) Noct. II. Lect. secunda.

1973. (b) Ad novum ergo ſacellum ſæpè quotidiè convenientes ritibus piis, precationibus, ac laudibus Beatiſſimam Virginem, velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres Beatæ Mariæ de monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, ſed & indulgentias peculiares iis, qui eo titulo, vel Ordinem, vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſsêre. Nec verò nomenclaturam tantum * magnificentiſſima Virgo tribuit, & tutelam, verum & inſigne ſacri Scapularis, quod B. Simoni Anglico præbuit, ut cæleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & a malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cum olim in Europa ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium tertium non pauci pro ejus extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, planeque juſſit, ut inſtitutum, & homines benigne complecteretur.

* *Al. Munificentiſſima.*

(c) Noct. II. Lect. tertia.

1974. (c) Non in hoc tantùm ſæculo Ordinem ſibi tam acceptum multis prærogativis Beatiſſima Virgo inſignivit, verùm & in alio (cum ubique & potentiâ, & miſericordiâ plurimum valeat) filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatûs ratione caſtitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne purgatorii expiantur, ſolari, ac in cæleſtem patriam obtentu ſuo quantocius piè creditur efferre. Tot ergò, tantiſque beneficiis ordo cumulatus, ſolemnem Beatiſſimæ Virginis commemorationem ritu perpetuo ad ejuſdem Virginis gloriam quotannis celebrandam inſtituit.

1975 *Lectiones illæ ab Eminentiſſimo* Cardinale Bellarmino *examinatæ, probatæ, ac ſubſignatæ, & ab Eminentiſſimo Domino Epiſcopo Portuenſi*, Card. Pinelli *Sacræ Rituum Congregationis Præſide, auctoritate Pontificia confirmatæ, ac ſubſcriptæ fuerunt die 20 Iunii 1609. Anno autem 1612 die 16. Iulii per eas contigit caſus ſingularis divina providentia : qui cùm paucis verbis referri non poſſit, videri poterit tomo præcedenti, ubi deſcribitur* (a) *Anno 1628, die 12. Iunii rurſus recognitæ fuerunt ; & ... ſit* Cardinalis de Torres, *& inferius* F. Julius Benig. Secretarius. *Lectiones illæ approbatæ auctoritate Summi Pontificis.*

(a) Tom. præced. nu. 2222.

1976. Cum ſacrâ Pentecoſtes die, &c. .. Viri plurimi, qui veſtigiis SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei inſtiterant ... Evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt. *De S. Elia Propheta, Ordinis hujus Inſtitutore & Patriarcha, & quando, ubi, ac quomodo Ordinem fundaverit, agetur hîc paulò infra, ad diem XX. Iulii.* De Viris Religioſis, Filiis Prophetarum (*ſicut nuncupantur in Actis Apoſtolorum*) qui veſtigiis SS. Prophetarum Eliæ, & Eliſei inſtiterant, *per continuam hæreditariam ſucceſſionem continuati, & à veteri Lege ad novam tranſierunt; accuratè agitur in libro* de inſtitutione primorum Monachorum (b) *& plenius de illis tractatum eſt Tomo præcedenti, parte prima libro 5. cujus titulus eſt :* De identitate Ordinis hujus ſub Lege veteri, & nova : ac qualiter ejus alumni baptizati, & fidem Evangelicam amplexati fuerint, atque eandem prædicaverint. *Iſta etiam in aliis Tomi iſtius locis traduntur à Ioanne Groß, Ioanne Hildesheimenſi & aliis.* De Festo Pentecostes, *& qualiter in eo* Carmeli Ordo à Lege veteri ad Evangelicam tranſlatus fuerit, *peculiariter actum eſt hîc ſuprà poſt vitam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* (c) *An fortè ab antiquo in beneficii iſtius memoriam quotidie (exceptis feſtis duplicibus majoribus, & paucis aliis diebus) per annum ſolemniter ante Miſſam Conventualem cantatur antiphona illa :* Veni Sancte Spiritus, *cum collectâ, ſeu oratione de Spiritu ſancto ?*

S. Elias poſtea Evangelicam fidem amplexatus die Pentecoſtes poſt Chriſti aſcenſionem.

(b) cap. 36. & ſeq.

(c) n. 1827. & ſeq pag. 503. & ſeq.

1977. Ac peculiari quodam affectu beatiſſimam Virginem (cujus colloquiis, &c.) venerari cœperunt. *Iſta omnia etiam in præfato libro de inſtitutione primorum Monachorum tradun-*

XVI. Julii.

traduntur, & plenius pertractata ſunt etiam in Tomo præcedenti, parte prima libro 6. cujus titulus eſt: De Virgine Deipara, ejuſque puritate ab originali peccato, olim in typo Nubeculæ S. Prophetæ Eliæ, & per eum ſuis diſcipulis revelata: cui propterea peculiariter famulati, & ab ea intitulati fuerunt. *Ibi* CAP. I. *traditur:* Quod Eliæ, & ejus diſcipulis fuerit figuratè revelatum, Virginem MARIAM fore mundam naſcituram abſque ſorde peccatorum. CAP. II. Quod veteribus profeſſoribus hujus Religionis tempus ſignificatum fuerit, in quo Virgo Deum paritura naſceretur: *& ibi ſub finem:* Priuſquam Beata Dei Genitrix ab hoc ſæculo migraret, fuit in Nazareth, & in Jeruſalem, & alibi multoties à profeſſoribus hujus Religionis viſa. *Tunc ejus colloquiis, ac familiaritate frui potuerunt, ſed præſertim, quando ipſa fuit in Carmelo (cui vicina eſt Nazareth) ſicut variis locis declaratum eſt tomo præcedenti* (a) *in quo etiam de peculiaribus obſequiis, quæ totus Carmeli Ordo ipſi Patronæ ſuæ exhibet* (b).

(a) n. 865. 867. & 1528. ac alibi.
(b) num. 1961. & ſeq.

Nubecula typus B. Virginis:

1978. In eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem nebulam Virginis typo inſignem, conſpexerat. *De iſta* nebula, *ſeu* Nubecula, *è mari aſcendente, viſa à S. Elia, ſcribitur cap. 19. libri 3. Regum. Quod B. Virgo Deipara ſignificata ſit per nubem, docent Patres. Hinc Cornelius à Lapide in iſta Iſaiæ* (c) Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, *ſcribit:* S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius; & S. Ambroſius exhortatione ad Virgines, docent, nubem levem eſſe Beatam Virginem: *& infra:* Porrò Beata Virgo dicitur nubes levis, quia nullius concupiſcentiæ, aut conjugii onere prægravata, inquit S. Hieronymus ſuper omnes res terrenas, quaſi nubes, ait Procopius, eminebat, mundumque ſuo peccatorum fœnore & onere alleviabat. Hæc nobis pluit Chriſtum, & per eum interna mentis noſtræ humectat, ac concupiſcentiam reſtinguit. Ita S. Ambroſius de Inſtitut. Virginis. *Quoad* Nubeculam parvam, *à S. Elia viſam,* è mari aſcendere *in Carmelum, per eam ipſi S. Prophetæ revelata tunc fuerunt quatuor magna myſteria, de quibus eodem libro* de Inſtitutione primorum Monachorum, *cap. 39. & in Tomo præcedenti* (d) *& quidem inter ea primum eſt:* Quod quædam infantula naſceretur, quæ ex utero matris ſuæ ab omni peccato munda egrederetur. *Eſt illud pulcherrimum teſtimonium, & antiquiſſima traditio pro immaculata Conceptione Virginis Deiparæ. Etenim ſicut nubes à mari oritur, valdè tamen diſtinctæ qualitatis ab ipſo eſt: ſic Beatiſſima Virgo, licet orta de humana natura vitiata, & ponderoſa peccatis, tamen tota pulchra, ſine macula humanæ propaginis proceſſit. Eſt mare amarum, gravidum, & ponderoſum, opacum, & ſterilizans, nubes verò valdè eſt ſemota ab his imperfectionibus, dulcis, levis, lucida, & fœcunda. Sic Beatiſſima Virgo, licèt orta de humana natura, tamen tota pulchra ſine macula humanæ propaginis venuſtiſſima apparet. De pulcherrimo iſto ſubjecto,* nobili, & antiquo pro immaculata Virginis Conceptione teſtimonio *(inquit Quiroga de Salazar) plura videri poterunt eodem Tomo præcedenti libro 6.* (a)

(c) Iſaiæ 19.

quæ etiam nubes appellatur:

(d) n. 214. & 217. ac ſeq.

Nubecula ſignificavit immaculatam Conceptionem Deiparæ.

(a) nu. 217. & ſeq.

Sacellum Deiparæ dicatum, primum in Carmelo:

1979. Primi omnium eidem puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerunt. *Id contigit anno Chriſti 38. vivente ipſa Virgine Maria, & rurſùs anno 83. poſt ejus aſſumptionem in cœlos. Ioſephi Antiocheni (vetuſti Scriptoris, vicini temporibus Apoſtolorum) teſtimonium de iſto Sacello adductum eſt hic ſuprà* (b). *Scribunt de iſto Sacello alii plurimi, relati Tomo præcedenti,* (c) *videlicet Ioannes Ieroſolymitanus in libro de inſtitutione primorum Monachorum, S. Cyrillus, Ioannes Groſſi Ioannes Hildeshemenſis, Ioannes Bacho, Thomas Bradley, Baptiſta Mantuanus, Ioannes Palæonydorus, Arnoldus Boſtius, Thomas Waldenſis, Richardus Armachanus, Abbas Trithemius, & alii plures: ſed inter omnes latiſſimè Lezana Tomo 2. Annalium in Apparatu cap. 6. & ad annum Chriſti 38. ubi num. 23. iſta, de tempore, quo id contigit, ſcribit:* Non ſemel, ſed bis, Capellam, aut Oratorium Carmeli colonos ſuæ tutelari Mariæ nuncupaſſe; aut, quod idem eſt, non unum, ſed duplex fuiſſe tale Oratorium, etſi in eodem monte, diverſo tamen tempore, & loco erectum, mutatum, ſeu tranſlatum. Alterum quidem in declivio, ſeu latere ipſius, prout Joſephus Antiochenus, Conſtitutiones antiquæ Ordinis, Generalis Ollerius, Armachanus, & Trithemius ibi relati dixerunt: hoc tempore; de quo in præſenti. Alterum verò in montis ſummitate, vel vertice, prout ſacra Congregatio Rituum, Ioannes Ieroſolymitanus, & Generalis Groſſus ſcribunt, ſub anno Chriſti 83. *Sacellum iſtud à nonnullis vocatur* Capella, *& etiam* Eccleſia. Ad novum ergo Sacellum ſæpè quotidie convenientes &c. *De ſpecialibus obſequiis, quæ Ordo hic ſemper præſtitit ſuæ Matri amabili, luculenter tractârunt Arnoldus Boſtius in libro de Patronatu B. Virginis cap. 13. & Lezana in libro ejuſdem tituli, cap. 11. Vide Tomo præcedenti* (d)

(b) vide num. 805.
(c) De iſto Sacello vide tomo præced. n. 240. & 241 & 303. 522. 555. 718. & alibi ſæpe.

poſtea tranſlatum, ſeu mutatum;

(d) num. 1814.

ab iſto Sacello Ordo; & fratres nuncupati: B. M. de monte Carmelo.

1980. Quam ob rem Fratres B. Mariæ de monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cœperunt. *Ratio igitur iſtius nomenclatura eſt, ob iſtud Sacellum in Carmelo dicatum ipſi SS. Virgini, & peculiarem venerationem eidem ibi exhibitam. Rationes aliæ iſtius tituli expreſſæ ſunt Tomo præcedenti variis locis: earum prima eſt, quòd Ordo hic ab ipſa Virgine Maria certâ ratione ſit editus, productus, ſicut pleniùs declarabitur cap. ſequenti.* Eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmârunt, ſed & indulgentias, &c. *Quod titulo* B. Virginis Mariæ *Summi Pontifices Ordinem hunc in ſuis Bullis nuncupent, videre licet in Bullario Ordinis, & in variis Bullis inſertis Tomo præcedenti* (e). *Vide etiam hîc ſuprà* (f). *Quod propterea Summi Pontifices Ordinis hujus fuerint peculiariter addicti, & benefici, teſtatur Ioannes XXII. in Bulla exemptionis hujus Ordinis, data anno Chriſti 1316. in qua iſta:* Sacer Ordo veſter in agro Dominico divinâ diſpoſitione plantatus, & glorioſæ Virginis Mariæ titulò ſpecialiter inſignitus, Apoſtolicis gratiis dignè

(e) n. 463. 465. 468. 472.
(f) n. 761. 762.

Titulum illum Pontifices confirmarunt,

meretur

XVI. Julii.

meretur attolli. *Ita quoque alii loquuntur : & Sixtus IV. in Bulla Indulgentiarum Ordini conceſſarum, cujus initium eſt :* Dùm attentâ ; *ubi iſta :* Multi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ob reverentiam glorioſiſſimæ, & intemeratæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de monte Carmeli, & ſingularem devotionem, quam ad illam, & prædictum Ordinem ſub ejuſdem Dei Genitricis Mariæ titulò ſpecialiter inſignitum, geſſerunt, diverſas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac privilegia, & indulta ipſi Ordini, & illius domibus conceſſerunt. *Peculiariter autem* Urbanus VI. omnibus Chriſti fidelibus, qui Ordinem ipſum, & Fratres ejuſdem Ordinis: Ordinem ſeu Fratres Beatiſſimæ Mariæ Genitricis Dei de monte Carmeli vocaverint, nominaverint, ſeu appellaverint, ſi in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum gratiosè perpetuis temporibus duraturam conceſſit. *Eandem Indulgentiam confirmavit quoque Gregorius XIII. in Bulla :* Ut laudes, *data anno Domini* 1577. *ac denique SS. Dom. Clemens X. (qui nunc Urbi, & Orbi præſidet) in Bulla :* Commiſſi nobis, *data anno* 1673. *die* 8. *Maji : in qua aliquoties fit repetitio :* Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo. *Favor ille iſtius nomenclaturæ una etiam eſt ex præcipuis cauſis hujus ſolemnitatis, ſicut exprimunt ſuprapoſitæ orationes ad Tertiam, & Nonam, atque etiam ea, quæ nunc ad Miſſam, & Horas legitur :* Deus qui beatiſſimæ ſemperque Virginis Genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli Ordinem decoraſti, concede, propitius, &c.

& eo nominantibus Indulgentias conceſſerunt.

1981. Inſigne ſacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, ut cœleſti hâc veſte, &c. *Eſt iſtud, præſtitum per Beatiſſimam Virginem Mariam Ordini huic beneficium ſingulariſſimum ; tum ob magnas, & eximias illius prærogativas, & privilegia ; tum quòd illorum omnium non tantùm Religioſi omnes Ordinis hujus, ſed & omnes Chriſti-fideles, qui legitimè ingreſſi fuerint Confraternitatem ſacri Scapularis, & conditiones ab ipſamet Virgine glorioſa præſcriptas obſervaverint, participes eſſe poſſint. Et quidem iſtud primarium eſt ſolemniſſimæ hujus feſtivitatis ſubjectum.* De cœleſti hac veſte, *id eſt, ſacro Scapulari, à glorioſa cœli Regina tradito S. Simoni, deque illius prærogativis, & requiſitis pro earum participatione, tractatum eſt in Tomo præcedenti variis locis* (a) *ſed præcipuè parte 3. lib. 5. per totum. Vita ipſius S. Simonis præceſſit ſ. ſuprà, ad diem XVI. Maji, ubi etiam traditi eidem ſacri Scapularis hiſtòria, compendiosè inſerta eſt.* (b) *Capite IV.*

S. Scapulare traditum à B. V. Maria ſingulariſ. eſt beneficium.

(a) vid. nu. 2074. & ſeq.

(b) n. 1515.

1982. Aſtitit Honorio noctu puriſſima Virgo Maria, planèque juſſit, &c. *Honorio ſcilicet Tertio, anno Chriſti MCCXXVI. Pontificatus ejus decimo. Cùm enim nonnulli Ordinis hujus adverſarii Ordinem graviter impeterent in Terra ſancta, Religioſi recurrerunt ad Rudolphum Patriarcham Ieroſolymitanum, qui moleſtatores compeſcuit. Pro efficaciori tamen, & generaliori remedio ſuaſit Fratribus, ut accederent ad Apoſtolicam Sedem, ſupplicaturi pro confirmatione Regulæ, ab Alberto Patriarcha ſuo prædeceſſore ante data. Diſtulit autem eos exaudire Vicarii Chriſti Curia, remoram obiicientibus quibuſdam æmulis. Et ecce noctu ſacratiſſima Virgo Maria apparens Summo Pontifici Honorio, admonens, petentium vota non differenda. In ſinuaritque eidem duos de curialibus ſuis, dicta Religionis æmulos, eadem horá, ulcere Dei, mortaliter eſſe plexos. diſpari exitu, ſed diſceſſu pari. Expergiſcens à viſu Pontifex, cum Cardinalibus negotio communicato, Diploma confirmatorium Regulæ dedit. Id accidit ut jam dictum eſt, anno Chriſti 1226. die 30. Ianuarii. Et hoc primum fuit motivum inſtituendi hoc feſtum Commemorationis ſolemnis, ſicut perſpicuè innuunt Orationes olim in hoc feſto legi ſolitæ, ex Miſſalibus & Breviariis antiquis deſcriptæ ſ. ſuprà. Hiſtoriam illam apparitionis factæ Honorio III. referunt Hiſtorici Ordinis hujus, inſerti Tomo præcedenti* (a), *& de cæteris etiam plures, relati à Lezana, Tomo præcedenti* (b) *Iſtam apparitionem Honorio III. factam, & Regulæ confirmationem refert Abrahamus Bzovius, ad annum Chriſti 1217. & alii nonnulli ad annum 1216. ſicut videre licebit apud Lezana in Annalibus ad annum 1226. Sed contigiſſe anno 1226. habetur ex dictis Tomo præcedenti* (c).

Honorio III. Pontifici apparens B. V. Maria jubet Ord. confirmationem,

(a) n. 798. & 1050. & 1193.

(b) n. 1744

(c) nu. 3572 in fine.

1983. Non in hoc tantùm ſeculo ... verùm & in alio ... dum igne purgatorio expiantur, ſolari, &c. *Privilegium iſtud adjutorii animarum in Purgatorio,* propter merita Virginis Matris gratiosè Jeſus Chriſtus conceſſit in cœlis, *ſicut loquitur Ioannes XXII. in Diplomate, cujus initium eſt :* Sacratiſſimo uti culmine (d), *& illud privilegium ipſe Ioannes per dictam Bullam publicavit, & Pontifices alii plures confirmârunt, videlicet Alexander V. integrum Diploma Ioannis ſuo verbatim inſerendo (quod ſic confirmavit) Clemens VII. Paulus III. Pius V. Gregorius XV. & in Bulla, cujus initium eſt :* Ut laudes, *data anno* 1577. *ſic paucis ſubſtantiam præfatæ Bullæ Ioannis XXII. complectitur :* Joannes XXII. pro animabus, quæ in Purgatorio exiſtunt, ... die Sabbathi poſt eorum tranſitum interceſſionibus ejuſdem continuis, piis ſuffragiis, & meritis, ac ſpeciali protectione adjuvandis, privilegium publicavit, corroboravit, & confirmavit. *Et illud ſimiliter* Apoſtolica auctoritate confirmat, & approbat. *Inſuper ſub Paulo V. anno Chriſti* 1613. *in Sacra Cardinalium Congregatione S. Inquiſitionis, poſt accuratiſſimam privilegii hujus diſcuſſionem, declaratum fuit :* Beatiſſimam Virginem Mariam animas Fratrum, & Confratrum, in charitate decedentium, qui in vita habitum (*Scapulare*) geſtaverint, (*& reliqua ibi præſcripta obſervaverint*) ſuis interceſſionibus continuis, piiſque ſuffragiis, & meritis, ac ſpeciali protectione, poſt eorum tranſitum, præcipuè in die Sabbathi ..., adjuturam. *Denique SS. Dominus Clemens X. in Bulla, cu-*

Privilegium animarum, & adjutorii animarum in Purgatorio.

(d) de quo To. præced. num 1147. & ſeq. per plura capita.

conceſſum à Chriſto, meritis ſuæ Matris,

confirmatum à Pontificibus.

XVI. JULII.

jus mentio jam ante facta eſt, in Summario Indulgentiarum Ordini huic conceſſarum, factâ mentione Ioannis XXII. ſpecialiter de hoc privilegio Sabbathino iſta habet: Idemque Joannes XXII. pro animabus, quæ in purgatorio exiſtunt, & Habitum hujus Religionis geſtarunt, vel eorum Confraternitatem ingreſſi fuerint, vel Confratrum numero adſcripti in honorem ejuſdem B. Mariæ Matris Dei, die Sabbathi poſt earum tranſitum interceſſionibus ejuſdem, continuis ipſius ſuffragiis, & meritis, ac ſpeciali protectione adjuvandis Privilegium publicavit, corroboravit, & confirmavit. *Atque illud, unà cum aliis, his confirmat verbis:* Summarium præinſertum, omniaque & ſingula in eo contenta auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. *De iſto privilegio latiſſimè actum eſt Tomo præcedenti parte 3. libro 5 cap. 11. & ſequentibus uſque ad 17. incluſivè. De eodem etiam prolixè tractat Theophilus Raynaudus libro* de Scapulari Mariano, *Tomo 7. operum ſuorum, ubi privilegium iſtud defendit, & illuſtrat, in libro inſcripto:* Scapulare Marianum, &c.

1983. Qui abſtinentiam modicam preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, &c. *Iſtis inſinuantur conditiones, ſeu onera quædam, ad promerendum adjutorium in Purgatorio, & celerem inde liberationem. Preces illæ, & abſtinentia (pro obtinendo iſto ſingulari privilegio requiſita) præſcripta fuerunt ab ipſa SS. Dei Matre Maria, expreſſa in præfato Diplomate Ioannis XXII. communiter nuncupato* Bulla Sabbathina, *& etiam in prædicto Decreto Congregationis S. Inquiſitionis Romanæ, his verbis:* in vita habitum (*Scapulare*) geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel, ſi recitare neſciant, Eccleſiæ jejunia obſervaverint, & feriâ quartâ, & Sabbato à carnibus abſtinuerint. *Conditiones illæ pleniùs explicatæ ſunt tomo præcedenti* (a). *Quantùm ad abſtinentiam illam, ex Ioanne Baptiſta Cancellotto, & Hyppolito Maraccio exemplum prorsùs ſingulare relatum eſt tomo præcedenti, de Alexandro VII. Romano Pontifice: qui etiam ipſo die electionis ad ſupremum iſtud honorum culmen, incidentis in feriam quartam, in corporis debilitate, & Pontificiæ inaugurationis labore, abſtinentiam illam ſervavit.* Renunciatus Orbis Chriſtiani ſummus Hierarcha die Mercurii, nuptialem lucis lætitiam celebraſti, conſuetâ à carnibus abſtinentiâ, quam ex inſtituto Carmelitarum, in honorem Deiparæ eo die pia fidelium turba ſervare ſolet, per ſacrum ſchema humeris, & pectori impoſitum, quaſi per teſſeram ſervitutis, cultum Virginis peculiarem profeſſa. *Ita præfatus Cancellottus ipſi Alexandro VII. à Confeſſionibus, in Dedicatoria tomi primi Annalium. Cardinalis Palavicinus in Concilii Tridentini hiſtoria libro primo capite ſecundo iſta refert de Leone X. etiam Summo Pontifice:* Quòd quartâ quàque feriâ, colendæ Virginis gratiâ, menſam privaret carnibus. *Philippi III. Regis Hiſpaniarum ſingularem devotionem ad abſtinentiam illam Mercurianam colligere licet ex eo quod referunt Ioannes Pinius de Victoria* (a) *Lezana* (b) *& alii: Cum ad ipſum aliqui recurriſſent, dicentes, obſervantiam de abſtinentia à carnibus pro feria quarta, à Carmelitici Scapularis geſtatoribus, plus quàm trecentorum millium annuorum ſcutorum jacturam Regio Ærario afferre, compertum eſſe; ut proptereà Regis providentiâ dignum eſſet huic damno aditum præcludere, pius Rex regia animi magnitudine reſcripſerit:* Mas quiero Vaſallos devotos de la Virgen, que el aumento de mis rentas: *ora obſtruens amulis, & piam devotionem indigitans. Ex dictis ſatis eruitur, quantopere vigeat abſtinentia illa in Hiſpânia, nec non in Italia; cum iſti Summi Pontifices tam exactè eam ſervaverint. De Germania teſtatur Reverendiſſimus D. Ioannes Caramuel* (c): Hic tantiſper hærebo, *inquit*, laudaboque Germanos, licèt videar, alibi annotata repetere, ſunt enim devotiſſimi Virgini: multi ex ipſis (quod video) feriis quartâ & ſeptimâ, Carmelitarum ritu ad Virginis honorem jejunant. *Alia ex eodem de ſingulari Germanorum devotione erga cultum Deiparæ, dequè Cæſaribus, & Principibus Germaniæ primariis Scapulare geſtantibus ex eodem adducta ſunt tomo præcedenti* (d). *Eadem Mercuriana abſtinentia etiam inter complures viget in Franciâ, & Belgio. Et quidem in Francia Regii Equeſtris Ordinis ſanctæ Mariæ de monte Carmeli delecti nobiles ex peculiari regulâ abſtinentiam illam Feriis quartis religioſè colunt.*

(a) parte 3. lib 5. cap. 21. & 22. n 2250. & ſeq.

Abſtinentia feriis quartis in honorem B. Virginis exempla ſingularia.

Pontificum.

Philippi III. Regis Hiſpan.

(a) in Hierarch. Carm. p. 1. tr. 1 c. 4.
(b) Maria Patrona c. 10.

Germanorum.

(c) In vita Ven. P Dominici á Jeſu Maria lib. 7. c. 1. n. 967.

(d) n. 2268.

1984. Tot ergo tantiſque beneficiis ordo cumulatus &c. *En cauſſam inſtitutionis hujus ſolemnitatis, videlicet in memoriam, & gratiarum actionem, pro beneficiis omnibus huic Ordini præſtitis: inter quæ præcipua ſunt hactenùs explicata: prætereà tamen alia ſunt, per modum Faſciculi colligenda in ſequenti Synopſi.*

CAPUT II.

Synopſis Beneficiorum præcipuorum aliquot aliorum à B. Virgine Maria præſtitorum, huic Ordini ſuo.

1985. P*Rimum & quaſi fundamentale beneficium Ordini huic à Beatiſſima Virgine Maria præſtitum, eſt illud, quod in Bullis Ordini huic conceſſis tradunt, & exprimunt Summi Pontifices, quòd videlicet ipſa Ordinem hunc certâ quâdam, & verâ ratione* ediderit, produxerit. *Ita quidem*

Sixtus

XVI. Iulii.

B. V. Maria edidit, produxit Carmeli Ordinem,

Sixtus IV. in Diplomate, (*cujus initium eſt:* Dum attentâ meditatione) *dato anno* 1476. *in quo, inter cætera, iſta:* Virgo Dei Genitrix glorioſiſſima, cujus plenitudinem Sol & Luna mirantur, cujuſque precibus juvatur populus Chriſtianus, & quæ florem pretioſiſſimum, & immarceſſibilem & æternum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ineffabili ſancti Spiritûs cooperante virtute, genuit; produxitque ſacrum Ordinem Beatæ Mariæ de monte Carmeli. *Sic quoque Innocentius VIII. in Bulla data anno* 1484. *quæ etiam incipit:* Dùm attentâ. *Et Iulius II. in Bulla ſignata anno* 1504. *& Gregorius XIII. anno* 1577. *in Bulla,* Ut laudes, *ubi iſta:* Sacrum Ordinem ſub invocatione ejuſdem Beatæ Mariæ de monte Carmelo, quem eadem Virgo venuſtiſſima, & omnibus virtutum floribus inſignita, edidit, propriique nominis titulò inſignivit. *Qualiter Ordinem hunc ediderit,* produxerit, *videlicet* tamquam cauſa exemplaris & finalis, *inter cæteros perſpicuè & eruditè docet P. Lezana in libro, cui titulus:* Maria Patrona, *cap* 3. *ubi iſta, inter alia.*

tamquam cauſa exemplaris, & finalis;

Cauſam finalem, & exemplarem, veras & Philoſophicas cauſas eſſe, ex Philoſophiæ Coryphæis Stagyrita, & Aquinate, tota recepit ſchola. At puriſſimam Virginem Deiparentem, finalem, & exemplarem cauſam, Elianæ inſtitutionis, & Carmeliticæ fundationis fuiſſe, compertum eſt: fatendum igitur; ipſam hunc Ordinem cum Elia fundaſſe, & inſtituiſſe. *Tunc videlicet, quando S. Elias in typo Nubeculæ cognoſcens infantulũ Deum parituræ puritatem, ad ejus imitationem, & venerationem, etiam ipſe virginitatem ſervare propoſuit, & ad id præſtandum ſuos diſcipulos induxit, atque ita Ordinem, ſeu Congregationem ſuam ipſi (ut cauſæ exemplari & finali) dicavit. Id Lezana dictô locô pleniùs declarat. Et (poſt alia) ſic tandem concludit:*

ideo verè dicitur, & eſt Ordinis fundatrix & Patrona:

Carmeli ergo propagines Prophetas Virgini eidem veluti ipſorum ideæ, & exemplari dicavit, & propter ipſius honorem, & reverentiam inſtituit. Ergo (ad rem propriùs) Supergloriotiſſima Dei Genitrix Virgo Carmeliticæ Inſtitutionis finalis, & exemplaris cauſa jure appellari debet: ac proindè titulo Fundatricis, & Patronæ meritò compellanda. *Quædam etiam in hujus rei confirmationem dicentur ad diem XX. Iulii, ubi de S. Elia Fundatore Ordinis, ut cauſa efficiente.*

multiplicitèr Ordini patrocinata fuit:

1986. *Quantùm ad mutiplicem Ordini huic ab ipsâ eâdem Matre mirabili, & præpotenti Patronâ præſtitam tutelam, & defenſionem luculenter actum eſt tomo præcedenti, & quidem parte tertia libro* 1. *per totum: cujus titulus eſt:* Collectaneum exemplorum, et Miraculorum: Qualiter glorioſiſſima Dei Genitrix Virgo ſemper Maria Carmelitarum Fratrum patrona ſingulariſſima, & ſingulare refugiũ, Ordinem ſuum, & Fratres provexit, protexit, ampliavit, exaltavit, quotidiè honorat, & cuſtodit. Auctore Balduino Leerſio, *nec non libro* 2, *qui eſt Arnoldi Boſtii:* de Patronatu, & patrocinio B.^mæ^ Virginis Mariæ in dicatum ſibi Carmeli Ordinem *atque etiam libro* 3. *per totum. Iſta autem maternalis ſollicitudinis protectio ſingularis in totum Ordinem peculiariter effulſit in eo quod contigit tempore Honorii III. cujus Hiſtoria tradita eſt cap. præcedenti, & plenius tomo præcedenti variis locis.*

Carmeli Ordo ipſa monente, & jubente è Terra ſanctâ in Europam tranſlatus.

1987. *Ordinis tranſmigratio in Europam, & inibi propagatio facta fuit monente, dirigente, favente, Patrocinante ipſa quæ* Mater, & Decor Carmeli *deprædicatur. Hiſtoriam refert temporibus iſtis vicinus Guilielmus de Sanvico, in Chronico, ſeu libro de deſtructione monaſteriorum Carmelitanæ Religionis in Terra ſancta, & tranſmigratione in Europam, cap.* 5. *cujus titulus eſt:* Quod Dominus præſciens hanc Religionem de Terra ſancta eradicandam, providerit eam in Europam tranſplantandam; & qualiter id contigerit, *videlicet apparente & monente ipsâ, SS. Virgine: id conſequenter deſcribitur. Capite autem* 7. *refertur alia ejuſdem apparitio, & ſingularis protectio. Videatur Tomo præcedenti, parte* 1. *lib.* 9. *cap.* 3. *&* 7. (a). *Eadem eleganter tradit Arnoldus Boſtius in libro* de Patronatu B. Virginis, *cap.* 5. *cujus titulus eſt:* Quòd prægloriosa Virgo Maria, Carmeli Patrona digniſſima, patrocinium efficaciſſimum Fratrum ſuorum cœtui ſemper exhibuerit. Et veluti B. Cyrillo cœlitùs promiſſum extitit, ſacram ſuam Religionem frequentibus ſignis dilataverit. *Et cap.* 6. *ubi per totum accuratè refert:* Quòd ſuper-amabilis Virgo Maria ſancto Priori melliflui Carmeli apparuerit, admonens eum, ut quibuſdam Occiduæ Regionis Fratribus Carmelitanam Religionem in ſuis partibus tranſplantandi licentiam impartiretur. *Iſtam Ordinis tranſmigrationem, monitu, & favore Deiparæ Virginis factam accuratè paucis complectitur Placidus Samperius Societatis Ieſu, in opere, cui titulus eſt:* Iconologia della Beata Virgine Maria Protettrice di Meſſina, *typis edito Meſſanæ anno* 1644. *ubi lib.* 2. *cap.* 9. *iſta (ad præſens propoſitum) ex Italico in Latinum traducta:* Florebat maximè vetuſtiſſima hæc Religio in Carmeli monte; & numeroſis, ac locupletibus Monaſteriis totius Palæſtinæ deſerta incolebat; Chriſtianoque zelo legitima hæc magni Eliæ Prophetæ proles urbibus adjumenta præſtabat; quando circa Chriſti annum 1200. poſt Saracenicam in Sacra loca inundationem, Comitiis Ordinis Generalibus in primario Carmelæo cœnòbio, Deiparæ ſacro, celebratis, mirabilis illa ejuſdem Virginis cœleſti fulgore circumdatæ in Carmeli vertice apparitio contigit, ſuis Fratribus indicantis, quod ea eſſet ipſius voluntas, ut eorum Ordo nedum Palæſtinam, & Syriam, ſed & univerſum Chriſti Orbem illuſtraret; ut propterea eâ Deiparente auſpicante, Cyrilli prædeceſſoris loco, Bertholdum Lombardum in Generalem Antiſtitem elegiſſent. Quâ occaſione Europæi nonnulli Cyprum, Siciliam, Meſſanam maximè, advenientes, iis in locis cœnobia ſibi nova acquiſierunt. *Summarium itaque hiſtoriæ iſtius hoc eſt. Cum annô Chriſti*

tranſmigratio iſta generalis cur, & quandò contigerit:

(a) n. 417. & 442.

XVI. Julii.

milia, Patronæ ſuæ tam præcellenti, ſummo quodam honore, ac reverentiâ Fraternitatis amorem oſtendat. *Ubi illa inter cætera:* Et, ut omittam peculiares cultus, atque devotiones, quas multi diu, noctuque offerre non deſinunt Diviniſſimæ Matri Cunctipotentis, quam ſuaviſſimè amant, venerandiſſimè venerantur, devotiſſimè laudant, ſummè magnificant, & admirantèr extollunt; quæ in corde, & in ore ſuorum (ut dignum eſt) potiorem ſibi locum vendicat. *Etiam libro 3. cap. XI. agitur de obſequiis ſpecialibus, quæ totus Carmeli Ordo Matri ſuæ amabili, & amanti exhibet: quoad ſpecialia autem additur:* In infinitum ferè progredi eſſet, ſpecialia obſequia ab aliquibus ex Carmeli filiis eidem Auguſtiſſimæ Patronæ oblata, mente cenſere. (a) *Etiam peculiare gratitudinis ſignum eſt, & effectus, benefactorem (ſicut boni filii parentes pios) imitari. Etenim ſumma religionis eſt, imitari quod colimus, & gratiſſimus Deo, ac Sanctis, cultus, æmulatio virtutum eorundem. Illa quomodò executioni mandaverint præcipui hujus Ordinis ſancti, congruè hìc conſequenter commemorandum; ut eorum ſequaces, ipſorum piam gratitudinem erga tam beneficam Matrem æmulentur, & virtutum ejuſdem imitationem, ac exercitationem, ac devoti affectus exhibitionem æmulari ſatagant.*

(a) Tomo præced. n. 1814. ad 1828.

1992. *Imprimis* S. ELIAS Propheta præſcius puritatis Deiparæ, atque imitator in ſpiritu fuit. *Ita S. Methodius relatus hìc ſuprà* (b). *Primus itaque puriſſimam Virginem Deiparam, nondùm natam revelatam in typo Nubeculæ, veneratus, & imitatus fuit ipſe S. Elias: qui etiam de illius puritate* præſagam & propheticam cognitionem, Eliſeo, & aliis ſuis diſcipulis manifeſtatam, ab illo porrò ſequentibus perpetuâ ſucceſſione per manus traditam fuiſſe, donec ortâ jam Mariâ, & viſionem reipsâ comprobante, ædes ſacra in Carmelo extructa fuit ejuſdem puritatis preclarum monumentum, *inquit Ferdinandus Quirinus de Salazar,* in Tractatu de immaculata Conceptione (c). S. ELIÆ ſucceſſor ELISÆUS à Sapiente magiſtro his ſacris initiatus, tamquàm jam exiſtentem, quæ tamen nondùm exiſtebat, præfiguravit, *ſicut ibidem tradit S. Methodius, & eandem in Virginitatis cuſtodia imitatus, ac veneratus fuit, ſicut ex jam dicendis confirmabitur.* Jonas *quoque*, Abdias, Michæas, Moraſtites, ac cæteri (*Filii Prophetarum*) tamquàm Mariæ præcurſores, continentiam Virginitatis edocti ab Elia, ad exemplum ejus (*Deiparæ*) quaſi ad ſigilli ſpiritualis imaginem, per candidæ virginitatis ſuæ lilium Virgini Deiparæ poſt tot tempora naſcendæ ſeſe devoverunt. *Ita Arnoldus Boſtius libro de Patronatu Mariæ cap. 2.* (d).

(b) n. 217.

S. P. Elias Virginem Deiparam honoravit, & æmulatus eſt.

(c) arg. 9. c. 39.

(d) vide to. præced. n. 1547.

1993. *De Sanctiſſimæ Virginis Mariæ parentibus Carmelo vicinis, Carmeli incolas piè inviſentibus, & obſequiis foventibus; nec non de reciproco Carmelicolarum affectu, & antiquiſſimo cultu quædam dicta ſunt ad diem XIX. & XX. Martii, ubi de SS. Ioſepho, & Ioachim: (e) & quædam adhuc dicentur ad diem XXV. Iulii, ubi de S. Anna. De peculiari devotionis affectu Carmelicolarum in primordiis Eccleſiæ, quo adhuc in vivis exiſtentem, ac deindè ex hac vita aſſumptam proſecuti ſunt Matrem ſuam amabilem, & eidem Capellam, ſive Sacellum conſtruxerunt in Carmelo, jam antè audivimus. De Capella illa, tempore, & loco, quo conſtructa fuit, & de obſequiis ſingularibus erga eamdem Patronam ſuam, luculentiùs actum eſt tomo præcedenti variis locis* (a). *Sed cur Eſſeni, ejuſdem Inſtituti cum Filiis Prophetarum (ſicut habetur ex ſuprà dictis* (b) *& confirmabitur alibi) loco præcipuo habitationis ſuæ in deſerto circa Alexandriam indiderunt nomen* MARIA, *ſicut tradunt Philo, & Euſebius, ac alii ſcribentes de Eſſenis: de quo etiam in Vitis Patrum: & quidem in Heraclidis Paradiſo cap. 2.* Lacus qui MARIÆ vocabulo nominatur. *Ita quoque S. Epiphanius* (c): Monaſteria, *inquit*, ipſorum in vicinia circùm MARIAM paludem; *& inde locus ille, teſte eodem S. Epiphanio, dictus fuit* MAREOTIS. *Ad hoc propoſitum ſcribit P. Lezana* (d): Cauſa porrò cur lacus iſte MARIA nuncupetur, ut congruè ſuſpicati in noſtris Annalibus, ea fuit quòd ſuperſacratiſſima Virgo cum tenello infantulo Ægyptum fugiens (*Matth. 2.*) loca iſta luſtraverit, ſicut de Hermopoli, Memphi, Babylone, Heliopoli, Thebe, & aliis conjectantur Auctores, quos ibi retulimus. Jubilet ergo Elictana Religio, dum lacum MARIAM nuncupatum velut maternam hæreditatem poſſidet, ut ex hoc etiam titulus creſcat Patronatûs Deiparæ in ipſam. *Eſt & aliud hìc non prætermittendum, vitæ ſolitariæ cultores illos, quibus antiquitas nomen indidit* Druides (*de quibus Cæſar lib. 6 de bello Gallico, atque alii plures*) *juxta variorum traditionem fuiſſe, aut Eſſenos, aut Eſſenorum ſobolem, aut ab Eſſenis, ſeu Filiis Prophetarum, acceptâ traditione de Virgine Deum pariturâ, in cavernâ ſubterraneâ ſacellum, & Altare Virgini pariturae dicatum habuiſſe. Lyræus* (e) *refert (ex Nicolao Naucelio in Parecbaſi de mirabili nativitate Chriſti cap. 11.)* Quòd eorum doctrinâ imbutus Comes Carnutenſis, nomine Priſcus, ſtatuam erexerit Virginis Matris pueri in ſinum geſtantis, eidemque Virgini pariturae templum conſecraverit longè ante Chriſti adventum. *De iſtis plura videri poterunt in Theologiâ Carmelitanâ P. Philippi à SS. Trinitate* (f) *& Hiſtoriâ panegyricâ Carmelitanâ P. Mathiæ à S. Ioanne* (g) *qui etiam oſtendunt illos non fuiſſe idololatras, & objectis ſatisfaciunt.*

Carmeli Ordo cultu peculiari proſequitur Matrem parentalem.

(e) n. 1108. & 1122.

ipſi B. Virgini in Eccleſiæ primordiis Sacellum dedicavit:

(a) n. 240. 241. & alibi ſæp.

(b) hic ſup. n. 284. & ſeq.

Eidem etiā devoti Eſſeni,

(c) lib. 1. contra hæreſ. 29.

(d) in libro Maria Patrona c. 4. n. 8.

& Druides Virgini pariturae ſacellū dicantes.

(e) Lyræus in Triſagio Mariano lib. 1. Sono 36.

(f) quæſt. 8 art. 6.

(g) parte 2. c. 29.

1994. *Quantùm ad particularium perſonarum aliarum hujus Ordinis ſpecialia obſequia, & pietatis inſignia, tanta eſt copia, ut ea ſigillatim pleniùs referendo etiam prolixum conficeretur opus: aliqua præcipua hìc obiter commemorari ſat erit; pleniùs deſcripta locis indicatis videri poterunt. Inter primos occurrit* S. Agabus, *de quo iſta* Mantuanus *lib. 2. Parthenices Marianæ:* Incola Carmeli vixit . . . Mariæ primus cum Patribus ædem . . . poſuit: *Sanctus quoque* Enoch de Amathim *præcipuus fuit cooperator; aut etiam auctor in conſtructione illius Oratorii, ſeu Sacelli: & Evangelicæ prædicationis conſors: cujus mentio fit in Bullis Sixti IV. Iulii II. & Gregorii XIII.* S. Teleſphorus *ex Carmeli Ordine Romanus*

B. Virgini Mariæ peculiariter devoti,

S. Agabus. & S. Enoch de Amathim:

XVI. Julii.

tione ſuâ, ac patrocinio acceptans : morienti etiam apparens adfuit (a).

(a) n. 1026.

B. Nonius,

1997. B. Nonius *ex magno Principe humilis Donatus* ingenti in Chriſti matrem pietate, & fiduciâ omni Sabbatho, & in Feſtorum illius pervigiliis ſolo pane, & aquâ contentus jejunans, & ſex Eccleſias magnificas ipſi conſtructas, ac etiam aliquot monaſteria, atque in uno ſe totum ipſi dedicans: viciſſim ejus auxiliis, conſolationibus, & apparitionibus delibutus fuit, obiitque ad iſta Evangelii (quod coram eo legebatur) verba: Ecce Mater tua (b). *Pari devotionis erga Deiparam fervore exarſit Venerabilis, Sanctaque memoriæ* Angelinus *de quo hic infrà ad XVI. Auguſti. Beatus* Joannes Soreth *Ordinis Generalis* cultum B. Virginis peculiariter promovere ſtuduit per devotionem ſtellarii ejuſdem, *de quo tomo præcedenti* (c). Ejus ope Reformationem Ordinis effecit: ac pro ea etiam poſt obitum ſuum Carmeli Patronam exorare viſus fuit (d). *Generalis alterius* Baptiſtæ Mantuani *pari eruditione, & pietate præclari (cujus corpus Mantuæ adhuc integrum aſſervatur) Poſſevinus in Appar.* eximium erga Deiparam amorem abundè: extantur libri tres Parthenices nuncupati, in quibus mellifluis carminibus præconia Mariæ, & ejus Sanctiſſimi ſponſi Joſephi reſonant, *ſicut etiam ſparſim in aliis ejus ſcriptis: & inde nonnulla hinc inde in hoc opere delibantur* (e) *Illi in doctrina, pietate, & tempore compar aut ſuppar fuit* Arnoldus Boſtius: cujus devotiſſimus liber de Patronatu B. Virginis Mariæ *inſertus eſt Tomo præcedenti.* Idem ſcripſit eruditum Opuſculum de immaculatâ Deiparæ Conceptione. *De illo, & Mantuano alia quædam dicentur in ſequentibus. Aliorum, qui ejuſdem Conceptionis immaculatæ demonſtratione & defenſione, ſeu in laudem B. Virginis libros, tractatus, apologias ediderunt, magnus eſt numerus ſicuti & cæterorum ſpecialibus erga Ordinis Patronam obſequiis illuſtrium. Eundem Marianæ devotionis fervorem poſterioribus his ſæculis, uſque in præſens haudquaquam intepuiſſe, videre licebit in variis memoratis in* Vinea Carmeli *ſub finem* (f) *& plenius in Ordinis Annalium tomis adhuc edendis, & quidem de Carmelitis Diſcalceatis in opere cui titulus:* Decor Carmeli, *auctore P. Philippo à SS. Trinitate Præpoſito Generali Congregationis S. Eliæ.*

(b) Vide hic ſupr. n. 1468.

& Ven. Angelinus, & B. Joan. Sorethe

(c) n. 1826.

(d) in ejus vita c. 11. ad XXV. Julii.

nec non Bap. Mantuan. & Arnold. Boſt.

(e) Vide ad 19 Martii, ad 15. Aug. ad 8. Sept.

(f) n. 1321. & ſeq.

Virginum Carmelitiſſarum erga Dei matrem ſingularis pietas:

1998. *In iſthoc hyperduliæ cultu peculiariori, & eximia pietatis affectu erga SS. Dei Matrem religioſis viris haud inferiores ſunt Virgines ſacra ejuſdem inſtituti.* S. Angela, Filia Regis Bohemiæ per hanc virtutem apparitionibus variis ipſius Dei Matris inſtrui promeruit. (g) B. Franciſca Amboſia ex Duciſsâ Britanniæ, è ſæculo ad Religionis portum confugere intendens, Religionum variarum ſcrutata regulas, ex devotione erga Deiparam ad ejus Ordinem inclinante, effecta eſt Carmelitiſſa, & Carmelitiſſarum in Britanniâ fundatrix: viciſſim ejus chariſmatibus digna fuit. B. Joanna de Rhegio ſe præparando ad feſta B. Virginis celebranda; in eorum Vigiliis millies ſalutationem Angelicam reciprocabat: Sabbathis pane, & aquâ contenta jejunabat; quandò aliquid ſingulare, à Deo obtinere intendebat, meritis B. Mariæ, quindecies mille ſalutationes Angelicas, & poſt quemlibet centenarium Salve Regina recitabat, *aliaque præſtitit, de quibus in ejus vitâ.* (a) S. Tereſia anno ætatis ſeptimo B. Virginem Mariam accepit in Advocatam: & mortuâ matre, Mariam ſibi in Matrem elegit: hinc ſingulariſſima etiam reſplenduit ejus devotio erga Sanctiſſimæ ipſius Dei Genitricis Sponſum Joſephum (cujus cultum in Eccleſiâ maximè ipſa promovit) viciſſim ipſa ab illis in ſancto & heroico propoſito ſuo ſeverioris diſciplinæ inſtaurandæ animata, directa, à difficultatibus irruentibus erepta, gratiis magnis cumulata fuit: & aliquandò ab iiſdem candidiſſimâ, ſplendentique veſte amiciri viſa fuit: Cum an. 1571. inſtituta ipſa eſſet Prioriſſa in Monaſterio Abulæ: mox in eâ ſede Chori, quæ ſuperioribus decreta eſt, collocavit imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ: cui cum ipſa domum & claves obtulit, ut ipſa, tanquam ejus Congregationis mater, & Rectrix, curam illius haberet. Id ſibi acceptiſſimum cæli Regina lætiſſimo viſu declaravit, dum caneretur in feſto S. Sebaſtiani Salve Regina in ipsà ſede quieſcens, Angelorum choris ſepta, dulciſſimoque ſermone ſic Tereſiam affata: [Ego interero laudibus, quæ Filio meo hîc reddentur, eaſque illi offeram.] Inſuper domus felicitatem pollicebatur: quæ patenter obvenit. S. Maria Magdalena de Pazzi magno teneritudinis affectu SS. Virginem Mariam nuncupabat, Matrem, Dominam, Magiſtram: ad ejus feſta, per anni circulum occurrentia, ſingulari ſtudio ſe præparabat: præcipuâ attentione ejus officium, coronam, aliaſque preces recitabat. Viciſſim Mater illa pulchræ dilectionis ſpiritualem ei dulcedinem propinavit abundanter, favoribusque prorsùs ſingularibus eam cumulavit: inter alios cùm in tentationibus ipſam Virginem Virginum invocaſſet, victrix, in ſignum illibatæ caſtitatis ſuæ nitidiſſimo velo ab eâ circumdata fuit (b). *Quotidiana ejus exercitia ad ipſam deſcripta ſunt hic ſupra* (c). Venerabilis Mater Anna à S. Bartholomæo, adhuc adoleſcentula filiali cum fiduciâ in ſuis neceſſitatibus ad Virginem Mariam, veluti Matrem recurrens, ejus cum filio inter brachia, apparitione, & prædictione de ingreſſu in ſacrum ſuum Ordinem digna fuit. Margareta à SS. Sacramento, anno ætatis octavo, plerumquè duabus horis, & ultrà in Eccleſiâ ante imaginem B. Virginis Mariæ, oculis in eam directis, perſiſtebat, orans magnâ cum attentione. Diebus aliquot ante ejus feſta, ad ea ſollicitè ſe præparabat. Ante illius imagines tranſiens genua flectebat, & terram exoſculabatur. Cùm de ejus virtutibus, aut laudibus ſermo eſſet, tanto perfundebatur gaudio, ut exteriùs in vultu pateſceret. Hinc quandoque ejus apparitione, & conſolatione

(g) Vid. hic ſupr. num. 1936.

(a) hic ſup. ad IX Julii.

S. Tereſia,

S. Maria Magd. de Pazzi.

(b) hic ſup. vide num. 1567.

(c) n. 1619.

Ven. Anna à S. Barthol. & Ven. Margareta à SS. Sacram.

XVI. Julii. tione perfrui meruit. *De aliis pluribus in Mariana devotione præcellentibus videri poterit in Vinea Carmeli* (a) *ac in præfato opere Decor Carmeli.*

(a) n. 1311 & 1325.

Gratulatio, & parænesis ad Religioſos Ordinis hujus.

1999. H*Ic tandem conquiescit gratulatio & parænesis P. Theophili Raynaudi, sub finem libri de Scapulari Mariano: ubi ex supra relatis beneficiis à SS. Virgine Maria Ordini huic exhibitis, duobus potiſsime (juxta propoſitum ſuum illo in opere) expenſis, eorum occaſione ſic Religioſis Ordinis hujus gratulatur, ac tandem eos monet:* Gratulor Religioſiſſimis Patribus, conciliatas à Scapulari domeſtico, tamquam à Marianæ maternitatis teſſera, & pignore ſuppetiarum omnis boni feracium, tot ornamentorum ſcaturigines: & ipſum in primis inde attributum differentiùs à cæteris nomen, Specialium Deiparæ filiorum, ac fratrum, fontaliter (ut ſic dicam) & primordialiter, cum jure transfuſionis ad alios, verbò veritatis voluntariè genitos. Quod tantum eſſe gratulandi argumentum, cenſuère Eccleſiæ Auctores, Chriſti Vicarii; ut nomen tam ſanctum gratulantibus in occurſu, Privilegiò prorsùs ſingulari & aliàs inauditò, ſtipendia, è publico Eccleſiæ theſauro conſtituerint. Gratulandi cauſam ſanè luculentam in eo nomine deprehendet, qui recoluerit, quanti ſit eſſe tantæ Matris filium ſpecialem. Pro magno habet Cœtus Religioſus, nomen præferre Servorum B. Mariæ. At quam nobilius eſt, Filium ſpeciali titulò, & Fratrem denominari. *Mox ſubjungit:* Conſequitur verò adeò ſublimem titulum in Matre, & Sorore, nexus quidam obligationis; ad curandum, ne Filii tam Matri, aut Sorori Fratres dedecori: & ut ſuppetat, unde tantum gradum ſuſtineant. *Huic igitur, & pariter cæteris amissioni, ſupra expoſitam beneficiis, in pondere ſanctuarii librato, Religioſi omnes Ordinis hujus ad tam admirabilem Matrem, prapotentem Patronam, & munificentiſsimam benefactricem totâ devotione convertere, & gratias agendo, ac virtutes ejus æmulando, eas in ſe exprimere debent. Conformiter aſſiduâ parænetica etiam exhortatione inſigni, & eleganti* Religioſos omnes Ordinis hujus ad amorem, venerationem, & imitationem SS. Virginis Dei Matris *potenter exſtimulat Arnoldus Boſtius, in libro* de Patronatu B. Virginis Mariæ *cap. 1. §. 2. per totum. Digniſsima ea eſt & utiliſsima lectu (vide Tomo præcedenti* (a)*). Abbas etiam Trithemius, libro* de Ortu &c. Ordinis Carmelitani *cap. 11. per totum conſimili exhortatione exſtimulat Carmelitas (vide etiam Tomo præcedenti* (b)*). Paucula ex præfato Boſtio, appendimus pro coronide:* Non ſunt filii, neque Fratres Sanctorum, ſive qui tenent loca ipſorum; ſive qui ab eis carnali ſunt propagatione generati, ſed qui exercent eorum opera: Tu Divæ Mariæ filius (*adoptione*) tu frutex Eliæ (*hereditariâ miſsione*) Eorum gloriam non minuas, nec damna inferas laudi.. Vox nominis tui cum rei proprietate conveniat: Vocabulum, actionis virtute confirma. *Hunc in finem convenienter legendus, relegendus, & ruminandus Tractatus hîc morà, ad diem XXV. Martii* (c) Corolla, seu Sertum virtutum B. Virginis Mariæ *illa enim Corollâ qui ſe ſatagit ornare in terris, pariter cum cæli Regina coronabitur in cælo.*

Parænesis per elegans Arn. Boſtii To præced.

(a) n. 1534. & ſeq.

(b) n. 1223.

(c) n. 1138. & ſeq. pag. 313, & ſeq.

DE

A01 167163

Digitized by Google

by Google

Digitized by Google

Digitized by Google